Tomo Unico

LECTOR
BIBLICUS
ſive
BIBLIA SACRA
SCHOLASTICE PRÆLIBATA.

LECTOR BIBLICUS,

SIVE

BIBLIA SACRA;

SCHOLASTICE PRÆLIBATA

AD ANGELICI DOCTORIS MENTEM

PER

R. P. F. JOSEPH ANGELUM

A NATIVIT. B. VIRG. MARIÆ

Carmelit. Excalceat.

MEDIOLANENSEM

AUGUSTIS SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISS.MI AC REVERENDISS.MI D.NI

D. ALEXANDRI LITTÆ

Ecclesiæ Cremonensis Episcopi Vigilantissimi, Comitis &c. ac Pontificio Solio Assist. &c.

CREMONÆ, MDCCXXV.

Ex Typographia Ricchiniana.

SUPERIORUM PERMISSU.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine.

NOnnisi virtute duce, potentique Mœcenatum Patrocinio suffultæ, in lucem prodeunt scientiæ, quæ veluti germinum naturam æmulentur, prope uberrimos sibi fontes, suaviter exsurgunt in flores, pubescunt in fructus, ac sævientibus temporum inclementiis feliciter subtrahuntur. Vix enim quidpiam à Scriptoribus quoque perfectum cuditur, quod ex se ipso,

continuò ſtare poſſit ; defectu quolibet in ſe carens, exterorum inſultibus omninò non patens, ſed plerumque, ut hominum vultus, ita & intellectus partus, nęvi ſui, labeſque inficiunt, quas & notare pervium, & carpere conſuetum, niſi Patrocinantis gloriâ, merito, auctoritate, ſedulò obumbrentur, abundè compenſentur, fortiter propulſentur. Cernis jam non temeritatis auſum, ſed ſanum providæ mentis conſilium fuiſſe, ſolium tuum appellare Præſul Ampliſſime, Præſtantiſſime. Ubi namque, tot, tantaque, quę ad præſidium faciant, in unum collecta? Aut quem poſthumo huic operi, aptius inſcriberemus, quàm, qui Orphanorum pius Pater, ac promptus egentium omnium Vindex vulgò nuncuparis; eximię ſtirpis interim Nobilitate perſpicuus, doctrinæ, dignitatiſque fulgoribus clarus, ſuaviſſimâ comitate, defęcatâ morum integritate venerandus? His ad certiſſimam quiſque ſpem meritò erigitur, & validiſſimum ſibi tutamentum facilè pollicetur. Et profectò, ſive Te, ſive Tua inſpiciamus, magnificum quid ſonant omnia, pręferunt celſitudinem, majeſtatem; Nec quis retrogrado pede Atavorum Tuorum lineam percurrit, quin equeſtres trabeas, honorabiles togas, militaria paludamenta ubique offendat. Quæ tamen (ut verum fatear) præ immenſa copia, diuturnoque

uſu,

usu, jam apud Tuos viluere, numero majora. Pendent undique in atriis antiquissimæ Domus Antistitum Icones; Archiepiscopales Infulæ Pacifici alii, calamo, exaratisque voluminibus memorandi; Alii belligeri, publicæ tranquillitatis hostibus metuendi. (a) Hos sacra evehit Purpura, illos, populorumque, urbiumque iterata regimina; supremi exercituum Duces plures, plurimi (b) reperitis Patriæ Præfecturis insignes, magnanima indole, tantàque strenuitate pollentes omnes, ut non immeritò generosam adeo seriem, ex regali Longobardorum sanguine primitus derivatam censeamus. Ne quid verò ad plenissimum tantæ gloriæ deesset coronamentum, additur his omnibus sacratissimum Empirei decus, celeberrimus scilicet Mediolanensis Metropolis Præsul, ac splendor (d) LAURENTIUS LITTA; quem cælitibus jamdudum adscriptum, publicoque Ecclesiæ cultu decoratum venerantes, satis intelligimus, Tuos, nedum hominibus excellere, sed inter superos quoque eminere, stirpisque nobilitati insitam pietatem, totumque genus, jam in exordiis suis consecratum. De genere ita perstrinxisse sufficiat, ut ex semente messem quisque valeat æstimare. Communione namque naturæ non modo Parentum sanguis derivatur in venas succedentium Liberorum;

(a) *Card. Alphonsus Litta.* (b) *Inter alios plures Hieronymus Pater Mæcenatis ter in Patria Præfectus.* (c) *Jo: Sitonius ex Diamante Marmona.* (d) *De hoc Jo: Petrus Pullicelus, & Jo: Joseph Vaglianus.*

rum; sed ipsa eorum virtus in mentem transfunditur, frequens inter tantos Heroas propemodum licitum non sit, non heroem procreari. Cæterum vicisti hæc ipsa naturæ decora, Præsul ornatissime, majoribus Tuis solus major ipse, Avorumque præclara facinora, factis delens grandioribus; Virtutisque tuæ fuit, ampliores eorum laudes meruisse, non recepisse. Undat adhuc in famæ labiis ea sermonis amœnitas, qua Mediolanenses, qua Romanas Accademias, adhuc Adolescens illustrasti, summorumque Principum, ipsiusque Pontificis Maximi Clementis, sub hoc nomine Undecimi, doctissimi, eruditissimi, animum Tibi [illegible] devinxisti; adhuc in arcum gloriæ coloratæ suspiciuntur graviores Præfecturæ, quas in primo juventutis flore ad Patriæ totius commodum administrasti, maturitate tanta, ut de Te ad literam scriptum credi posset, quod Heroi alteri alias inscriptum

Mens ardua semper
A puero, tenerisque etiam fulgebat in annis.
Jam tunc conspicuus, jam tunc venerabilis ibas;

Ast levia hæc. Cremonensibus potius gratulandum populis, quibus Episcopus cœlitus destinatus, tutelaris Numinis vices, ubique promptus exequeris. Tuus esse desinens, ex quo communis om-

(a) *Claudianus de Laud. Stylicon.*

omnium Pater esse cœpisti. Facessat undique quæque adulationis umbra; non nisi notissima loquimur, cum spectatores, ac pietatis Tuæ testes alloquamur in Urbe Tibi subdita conscribentes. Præsuleam dignitatem ex solo laboris merito, oneri totus incumbens, non Honori. Quantus Ecclesiasticæ indemnitatis zelus! quanta Religionis providentia! Pastor ubique bonus, cujus vocem oves singulæ frequentissimè audiunt, nunc à periculis fortiter deterrentem, nunc ad pietatis studium suaviter excitantem, nunc rudiores familiari sermocinatione humiliter edocentem. Sonuit, non aliena tantum, sed sonuit, ac sonat persæpe vox Tua in auribus nostris, ut jam cordatus nemo diffiteatur impletum tandem in Te quoque Hieremiæ vaticinium, [a] & datum a Deo nobis Pastorem juxta cor suum, qui nos, qui populum universum, scientia, & doctrina depascat; Cujusque exemplo subditorum quilibet ad sanctitatis amorem feliciter inauguretur. Diuturnum nimis cætera prosequi: nusquam intercæptos Visitationum labores, indefessas clericalis nitoris curas, Episcopalem aulam ipsam religiosissimè compositam, & ad Claustri normam perfectissimè institutam; Eam demum facilitatem, qua subditum quemque indiscriminatim convenis, vel ægros solaturus, vel pasto-

(a) *Hier.* 15.

pastoralibus benedictionibus cumulaturus, vel a potentiorum insultibus tutaturus; Mirantur, efferunt hæc omnes; sed nemo satis; Cumque maxima sint cuncta, quibus major plausus debeatur, difficilè est comparando judicare: singula tamen certissimè tanta, quanta summis Præsulibus exoptari vix possunt. En cur solium appellarint, cui sublime ALEXANDRI nomen paginæ istæ præferant Mæcenas Invictissime. Eximia generis perspicuitas, Episcopalis fastigium dignitatis, mentis præpotens vis, Patrocinii Tui pandunt firmitatem; morum integritas, benignissimus humanitatis genius faciliorem aditum præmonstrarunt; ampliata denique a Te ipso scientiarum confinia, erecta controversiarum lycea, sacrorum canonum palęstræ dispositæ, moralis Theologiæ concertationes institutæ, quibus Episcopalis Aula veluti Athenæum aliud ad majorem commissi Tibi Cleri disciplinam, cultum, atque decorem eruditis clamoribus assidue personat; Hic dogmata edisserens; hic decreta dilucidans, hic rectam administrandæ Pœnitentiæ normam evulgans, ut non amplius [a] per vicos, & plateas sapientiam quærere opus sit; sed in palatio Tuo affluentissima sibi ædificata domo, parvulus quisque, ac destitutus [b] ad eam facilè declinare, clamantemque audire pro libito possit,

(a) *Cant. 3.* (b) *Proverb. 9.*

posſit, ſatis innuunt ſtudiis te maximè delectari; ut non propitium modo, ſed amicum quoque compendioſæ huic ſcripturarum intelligentiæ ſpoponderimus. Aliis quidem, eiſque pluribus titulis debebatur Tibi tenue iſtud exilitatis obſequiique noſtri monimentum. Verum plurima enumerare vetuit notæ modeſtiæ grave ſupercilium, maluimuſque taciturnitatis argui, quam ſingula recenſendo ſeveręe humilitatis Tuæ genio non probari. Jam ergò annos plurimos, fœlicitatem plurimam, valetudinem, & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, auſpicantes, nos, noſtraque lubentiſſimè ſiſtimus Tibi; granditatem interim, famam, gloriam, oblato Volumini ominantes, ſi præclariſſimo ALEXANDRI LITTÆ nomine inſcribi, fulciri, coronari contigerit.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs., ac Reverendiſs.

Cremonæ in Conventu S. Hymerii Carmelit. Excalceat.

Humiliſs., Addictiſs., & Obſequentiſs. Famuli

Prior, & Fratres Carmelitæ Excalceati
ejuſdem Conventus.

JESUS ✠ MARIA

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Carolus Franciscus a B. Joanne a Cruce Præpositus Generalis FF. Carmelitarum Discalceatorum, Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejusdem S. Montis Prior.

CUM Librum, cui titulus est, *Lector Biblicus, seu Biblia Sacra Scholasticè prælibata &c.* a Rev. P. F. Joseph Angelo a Nativitate B. Virg. Sacerdote Professo Provinciæ nostræ Longobardiæ compositum, duo Theologi ex nostris, quibus id commisimus, recognoverint, & in lucem edi posse, probaverint: quantum ad nos attinet facultatem impertimur, ut typis mandetur. In quorum fidem præsentes dedimus manu nostra subscriptas, ac proprio officii nostri sigillo munitas. Datum Savonæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ Montis Carmeli, hac die 8. Octobris 1723.

Fr. Carolus Franciscus a B. Joanne a Cruce Præpositus Generalis.

Locus ✠ Sigilli. *Fr. Camillus a Purificatione Secretarius.*

JESUS ✠ MARIA

APROBATIO ORDINIS.

EX commissione Rev. Adm. P. Nostri Caroli a B. Joanne a Cruce Præpositi Generalis, perlegi Librum, cui titulus est, *Lector Biblicus, sive Biblia Sacra Scholasticè Prælibata*, diligenti studio elaboratum a Rev. P. Fr. Joseph Angelo a Nativitate Mariæ Virginis; Cum nil Fidei vel morum integritati noxium contineat, quin imò Sacri Eloquii Arcana profundè, & utiliter dilucidet, dignum censeo, ut in lucem prodeat ad Candidatorum Bibliæ eruditionem, & ad rectam morum institutionem. Dat. Cremonæ in Conventu nostro S. Himerii die 10. Augusti 1723.

Fr. Romualdus a S. Maria Carmelita Discalceatus, & Sacra Theol. Prælector.

JESUS ✠ MARIA

APROBATIO ORDINIS.

EX commissione Rev. Adm. P. Nostri Caroli Francisci a Beato Joanne a Cruce Præpositi Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Sancti Eliæ, perlegi Librum, cui titulus est, *Lector Biblicus, sive Biblia Sacra Scolasticè prælibata &c.* Nihilque in eo fidei, aut bonis moribus adversum, sed omnia laude, & studio digna reperi; Unde in lucem dari posse, censeo. Dat. Placentiæ in Conventu nostro Sanctæ Matris Nostræ Teresiæ die 12. Martii 1723.

Fr. Sebastianus Maria a S. Marcello Carmelita Discalc. & Sac. Theol. Lector.

IMPRIMATUR

ALEXANDER EPISCOPUS.

DE mandato Reverendissimi P. Sylvestri Martini Sac. Theol. Magist. & Inquisitor Gener. Cremonę, expendi Opus cui titulus est, *Lector Biblicus, sive Biblia Sacra Scholasticè Prælibata &c.* per R. P. Fr. Joseph Angelum a Nativitate B. Virg. Mariæ Carmel. Excalcearum; In hoc Opere doctrinam sanam consentaneam fidei, & moribus deprehendi; Ideoque arbitror eidem operi plane docto, & utili non nisi prælum lucemque publicam desiderari. Cremonæ die 13. Maii 1724.

Fr. Jo: Antonius Cavedus Ord. Min. Observ. Lector Jubil. & S. Officii Consul.

EX commissione Reverendiss. P. Sylvestri Martini S. Theol. Magist., nec non in hac Cremonensi Provincia Inquisitor Generalis attenta, atque accurata diligentia perlegi Librum, cui titulus est: *Lector Biblicus, sive Biblia Sacra &c.* per R. P. F. Joseph Angelum a Nativitate B. V. Mariæ Carmelitam Excalceatum, nihilque in eo offendi, quod vel morum probitati, vel fidei ortodoxæ puritati maculam obiiciat; Quin imò doctrinam, argumentorum efficaciam, cætera omnia fidei prospera, ac fidelium utilitati consentanea sum admiratus. Quam obrem prælo committi posse censerem; me tamen &c. Cremonæ die 16. Maii 1724.

Fr. Jo: Thomas Oreglia de Bennis Ord. Præd. S. Theol. Lector Dogmaticus, & Sancti Officii Qualificator.

Die 16. Maii 1724.
Attentis prædictis Atestationibus
IMPRIMATUR
F. Sylvester Martini Ord. Præd. Sac. Theol. Magist. Inquisitor Gen. Cremonæ.

1725. die 27. Februarii
IMPRIMATUR
Portus Vicar. P. L. T.

EPI-

EPISTOLA FAMILIARIS AD HOMINES, ET FILIOS HOMINUM.

DUM ab ineunte omnigenæ eruditionis studio, præclaræ olim academiæ adscitus, Rhetoricæ in limine, solidioris sapientiæ Magisterio præludebam, academico propositum fuit examini emblemma illud antiquissimum morti consutum, falcem ostendens acutissimam circulari vastissima facie, virenti in campo universa herbarum, florum, fructuum, arbustorum, arborum genimina corradentem, prosternentem, arefacientem, in cujus falcis manubrio legebatur insculptum lemma; *Nemini parco*; an videlicet hoc mortis symbolum, seu emblemma, omnes emblemmatum rigidissimas regulas, quas ex Aristotele, Pierio, Alciato, Aresio, Caussino, cæterisque Doctissimis in hac arte, usque ad superstitionem colligunt Moderni, cum olim Reverendo, postmodum Illustrissimo Comite Emmanuele Tesauro. An primo responsum est; in hoc ipso observantissimo esse emblemma, quod regulas non servaret, sic enim etiam quoad modum id significabat, quod intendebat, mortem videlicet nulla regula adstringi, quod ipso in lemmate satis ostenditur, cum inscribitur, *nemini parco*. Acutè quidem, sed acutius Junior ex Academicis, qui uti Junior, mortem, vel in symbolo impugnare conabatur, cui etiam subscripsere Seniores. Defectus inquit, significationis, non rei significatæ, sed sui Auctoris ostendit inscitiam, ad exprimendum, quod nulla regula mors teneatur, si in dicendo nullam dictionum servamus regulam, nemo intelliget; uti igitur idipsum explicare intendimus emblemmate, si emblemmatis præscripta ommittimus, frustrà conamur. Mors regula est vivendi, ac ejus meditatio verior Philosophia, dogma Platonicorum fuit, & est Christianorum, ut regulam igitur ostendamus, regulas servemus. Inter eas præcipua, ubi de propria significatione tractamus, docet lumen naturæ, ea est, ut id, quod eligitur ad ostendendum sigillatim id, quód intendimus repræsentare, ita rei, quam exhibemus, singulariter quadret, ut nulli alteri, aut melius, aut æquè valeat adaptari. In hoc autem evidenter propositum emblemma laborat usque ad mortem. Non latet, & certò certius est; mors metit universa sub sole, æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres, æquè vis ejus virulenta in arido viret, & in viridi; & morimur omnes adhúc, dum dicimus quotidiè morimur. In eo tamen pia est, in quo crudeliorem horremus; in eo ipso, in quo magis sævit, sibi viam occludit, qua ulterius sæviat; dum vitam rapit, viam aperit, qua ipsam fugiamus, in vivos pugnat, at sævire nequit in mortuos; vitam vincit quæ mortalis est, in virtutem nou potest, quæ caduca spernens regnat immortalis. Mentitur ergo, cum dicit, *Nemini parco*. Parcit enim mors morti, quæ non habet unde moriatur, immò si moreretur, vita esset, negatio enim negationis facit affirmationem: Parcit mortuis, si enim in mortuos pugnaret, eo ipso jam vivos fateretur, quos occidere posse tentaret, sic nimium debilis, quæ prius vivos non satis occidisset. Parcit virtuti, quippe quæ nata est ex peccato, virtutem non novit, denique parcit Spiritibus quorum esse sicut est spirare, ita & vivere, qui corpus non habent, quod feriatur, aut cadat, aut umbram faciat delebilem; porrò quis audiens linguam, etiam in mortem ipsam ista loquentem linguam non dicat morte universaliorem, acutiorem, potentioremque, quæ proinde morti ipsi præripit, symbolum metit, vorat, & lemma, & emblemma. Linguam dico, non hominum utcumque, sed filiorum hominum, de quibus canit Rex Propheta, Ps. 56. Filii hominum dentes eorum, arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, quippe vel ipsi dentes eorum, quia linguæ cognati didicerunt arma esse, & sagittas, & labia tetenderunt in arcum ut lingua, quæ ensi, & gladio similis fulgurat, verè in orbicularem falcem sic formata, sive

bona,

bona, aut optima, sive mala, aut pessima teriat, prosternat, demetat universa, in hoc uno verax, quia fatetur, *Nemini parco*. Ita planè, nec inveniri potest, quòd eam effugiat, sive in Cœlo, sive supra Cœlum, sive in profundo profundi; hinc ut mensuram ejus appingeret immensurabilem, eam idem Regius Vates ita descripsit Ps. 72. Posuerunt os suum in Cœlum, & lingua eorum transivit in terram. Nam si posuerunt os in Cœlum, eggrediens ab ore lingua, necesse fuit, ut supra Cœlos protenderetur, & sic in orbem curvata falcem pingens transivit in terram, utique per transitum, non ibi sistens, sed usque in Inferos, & infra Inferos transiens terminum non habitura, nisi interminabili spatietur semper, numquam quiescat in meta. Hæc est, quæ verè nemini parcit ipsi importuna morti, vivorum æquè ac mortuorum laceratrix. Virtuti impingens infamiam sibimet infesta, Spirituum contemptrix, divinitatis blasphema æmulatrix. Nequis verò academicis hæc quasi picta coloribus parvi pendat, deplorabilem consulat evidentiam, etsi non experimento, saltem fidem adhibeat fidei. Sic enim paucis, quæ dicta sunt, & quæ in infinitum addi possunt perstringit in sua Canonica Jacobus Apostolus definiens linguam; inquietum malum est, plena veneno mortifero; lingua ignis est, universitas iniquitatis, constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à Gehenna. Longè magis ergo linguæ quadrat totum symbolum, quam morti, ipsa est falx, quæ omnia scindit, metit, exsiccat, ipsa est sola, quæ nemini parcit. Videatur Basilius de Institut. Monach., & in Regul. brevi ab interrogatione 24. ad 27. Bernard. serm. de tripl. custod. Chrisost. hom. 93. in Matth. Augustin. in lib. de conflictu vitiorum. Tomo 9. c. 8., & de mendac. cap. 16. tom. 4. alii PP., ex his enim plenissima habebitur rei hujus decisio, cui suffragatur, & applaudit Gregor. Nazianz. Carmine 54. de silentio, tempore jejunii, ubi de lingua sic.

At linguam nemo properantem ad verba repressit
Non nix, non scopulus, non homo, non fluvius.
Quas animus mittit, volitant, feriuntque sagittæ
Vivos, victuros, cum superisque, homines.
Hæc æquè incautos, & cautos figit amicos
Atque hostes pravos, vulnerat, atque bonos.
Vicinos, procul & positos, ac denique nil non:
Qui domat hanc, Sophiæ culmina prima tenet.
Iterumque reassumit.
Illa domos, domibus committit, & urbibus urbes
Protinus, id nullo sæpè labore facit.
Committit populum Regi, Dominumque subactis,
Ut stipulam incendit mox levis igniculus.
Illa ratis socios, fratres, natosque, Patresque
Illa viros armat, participesque thori.
Illa malum insontem reddit, justumque nocentem
Rursus ad interitum, quis rogo tanta potest?
Lingua quidem parva est, at viribus omnia vincit
O utinam illa malis protinus occideret.

Hujuscemodi igitur problematis resolutioni tot veritatis suffragiis confirmatæ subscripsere majores, adhæsere & Sapientes, simul, & insipientes, ex primo ictu linguæ convicii, ex quo mors ipsa sumpsit originem. Sicut enim notant præallegati PP., cæterique, Mater illa viventium Eva non prius Mater facta est morientium immò, & mortuorum, quam linguam solveret primitiis locutionis suæ (non enim prius

locu

locutam fuisse invenimus) libans serpenti. Hinc totum attraxit venenum lingua; hinc peccatum, & peccata omnia, hinc pœnæ hinc mala universa, mors corporum, & mors animarum, quæ cum mors sit creaturæ immortalis, mors & ipsa est immortalis, mors pejor, mors secunda. Et planè ex hoc non obscurè dignoscitur, quare dictio hæc homo, sive homines, in Sacris litteris ferè semper sumatur in bonum, at è contra hæc, Filii hominum, ut plurimum sonet in malum, homo enim primò allocutus est Deum, non serpentem, homo est, quem Deus fecit rectum, ideò vel naturam significat, vel ad hominem refertur, cum femineæ linguæ nondum damna persenserat, sed Filii hominum, dictio est, quæ cum pluralis sit, etiam mulierem illam primò loquentem de necessitate connotat, & pluralitatem, cum ab uno quod necessarium erat, Dei præcepto, mulier per pluralitatem, quæ tunc esse non poterat, nisi verborum seducta declinavit; Ni fortè dicas, quod ferè in idem recidit, ideò specialiter hæc dictio in malum vergit, quia Filii matrizant, ideoque homines significat similes Matri illi, quæ prius nociva protulit verba, quam filios, ideò, & filios protulit similes verbis, peccatricis filios linguæ. Denique secundum communem Patrum intelligentiam Noster Incognitus, homo dicitur utens ratione, filii autem hominum qui a ratione discedunt, ut peccatores, quamvis Filii sint bonorum, reverà enim potius bestiæ, quam homines dici debent, unde dicitur, homo, cum in honore esset non intellexit, assimilatus est jumentis insipientibus, ita in Ps. 4, & ubicumque in Psalmis, exponenda exurgit hæc dictio filii hominum. Ex quibus (obiter notandum) innotescit epistolæ titulus, qui nempe sint homines, & Filii hominum ad quod ipsa dirigitur; Et quidem ea sic disposita est, ne quis suspicetur post tot annos, & studia, id latere scribentem, videlicet quæ exponuntur æquè exhiberi omnium oculis, ac censuræ; nemini parcit mors, et verius, & universalius nemini lingua. Si, ut canit Martialis, & pueri nasum Rinocerotis habent, quantò acutius ferient linguæ? quòd inevitabile est, docet prudentia, libenter sustinendum. Parcimus ex animo, ne & calamum nostrum involvat lemma illud terribile, *nemini parco*. Oramus quidem cum Psalmista. Ps. 140. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me, & adeò adulationem horremus, ut magis placeant vulnera, quam tale oleum quod vendunt iniqui; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Allatrent, ergo potius, quam laudent insipientes; facilè sustinemus, sic enim idem docuit. Ps. 119. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Parum autem, si sustinemus, potius eis debemus, ubi enim latrant canes, facilè pericula discernuntur, ut caveantur. Certè in multis offendimus omnes, & ubi etiam ex necessitate doctrinæ, multa loquimur, defectibilitas humana vel timet, vel incurrit, quod prævidit Sapiens Prov. cap. 10. in multiloquio peccatum non deerit; vel ergo ex insipienti passione, vel ex sapienti zelo, ubi deficimus, vel emendari possumus, corripimur, gratias debemus, sic enim, & vitium, & virtus nobiscum laborat pro studio veritatis; ne verò id in dubium vertatur, quod pro virili profitemur, ac simul, & laborem, accusantis insipientiæ, & excusantis sapientiæ preveniamus, nos ipsi, & censuram proferimus operis nostri simul & expungimus. Primum exigit justitia, quia justus primum accusator est sui. Prov. c. 18. secundum jubet sinceritas veritatis Eccles. cap. 4 Ne accipias faciem contra faciem tuam, ne confundaris dicere verum. Ecce igitur.

Primum, quòd humilitatem, quam profitemur, prima fronte offendit est, seu videtur, quædam usurpatio majestatis in modo loquendi: unus est, qui scribit, & quasi summorum Principum more, pluraliter loquitur, Nos quod nisi figuræ attribuatur, inconcordantiam sonat. At quæso non displiceat privilegium charitatis,

quæ facit utraque unum, si in primitiva Ecclesia omnium erat cor unum, & anima una, non poterat, quis loqui nisi pluraliter, nam anima plurium erat, in pluralitate personarum divino quodam more servans unitatem gratiæ, quæ est divina natura participata utique à pluribus. Singularitatem sic fugimus, dum quærimus veritatem, & qui nihil novum ostentamus, nihil proprium dicimus juxtà Sacrosum Canonum regulam, nemo sibi aliquid proprium esse dicat, sed omnia juxtà sensum Sacræ Scripturæ, & Sanctorum, qui nos docuerunt proferimus: est brevi laconismo, & transcendenti id innuere non valemus, nisi pluraliter loquendo. Ego sum, qui sum est venerabile Dei nomen, non usurpandum à creaturis, quæ sunt tamquam nihilum ante illum. Pluraliter loquuntur Principes, personas subditorum gerentes, quia Princeps, Reipublicæ totius compendium est, politicum dogma fuit, & qui pluribus non æquivalet, regere nequit plures, qui in singulis unus est, debet esse in pluribus plures, & caput pro membris loquens ipsa membra est, non ergo solius majestatis, sed potius unitatis ostensum est, pluralis locutio in uno, qui vel in se unit omnes, vel se communicat pluribus. Hinc in scolis nostris mos dicendi is possidet, ut pluraliter loquatur, qui docet, quia in unica, & qui docent, & qui discunt uniuntur Angelici Thomæ, ac Thomistarum Doctrina qui proinde in se unit omnes, & æquivalet universis, pro omnibus intelligens, totius in se exhibens compendium veritatis.

Ast demus, inquiunt, conscientiæ scribentis, qui forte agnoscens se mundo ignotum, plures fingit loquentes, ne impugnetur, quippe nec Hercules contra duos, nec in hoc stat censura. Plura sunt, quæ fortè nec ipsi placent scribenti, respondeat ergo ipse sibi, eaque dispungat pluraliter, tamquam plures, plura retundentes pro uno. Et quidem non pro uno, mihi enim (Apostolus docet) pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico, non inquam pro uno, sed pro una scilicet veritate contendimus.

Ad evitandam confusionem, quæ filia est multitudinis, Doctorum congeriem, nec pro, nec contra coacervamus; fortè si aliter præstare libuisset, diceret quis ad ostentationem, hoc fieri, non ad probationem, quæ tamen non æquo semper pondere indiget, ubi Catholica, & Theologica ratio supplet. Quidquid tamen, vel firmatum explicitè PP. auctoritate vel absolutè assertum, parati sumus, & ex Scriptura, & ex PP. doctrina demonstrare, ubi opus sit, quidquid enim sic absolutè ponitur, ortum habet ex studio Sacræ Scripturæ, & Patrum quod ita mentem imbuit, & memoriam, qualis illa sit, implevit, sensumque ita informavit, ut nihil etiam à non cogitante prodire valeat, nisi quod vel ipsa, vel ipsi, (quod idem est) sentiunt.

Curavimus quidem ea ex propriis fontibus haurire, quæ citamus, prout, & librorum copia, quam ægrè potuimus ad votum comparare, & temporis facultas, quod sibi plura usurpant, concessit, hinc ne periclitaremur infidelitatis, placuit magis aliquando penuria laborare. Si ergo, quid vel minimum, diversum a proprio fonte, quem judicamus, occurrat, non voluntati, aut præsumptioni, aut negligentiæ nostræ, sed vel Typographorum quasi necessariæ incuriæ, vel velocitati scribentis, vel inconsiderationi transcribentium imputetur. Similesque apices facilius supplebit legentis prudentia, quàm potuerit pluribus implicata attentio ipsa scribentis, vel corrigentis. Quandoque dicta quædam notissima, quæ vim obtinent, quasi communis adagii, vel ex Scriptura, vel ex Patribus, non signato, libro, loco, & Auctore proferuntur, quia testes habent ubique legentes, & audientes, & ex regula canonica instruimur, qui certus est, certiorari eum utique ulterius non oportet. Quæ item ex aliis recitamus non semper iisdem verbis, ac illi scripserunt

adiu-

adducimus, salva tamen semper sensus veritate; verba enim sensibus, non sensus verbis deserviunt, & utrique veritati, & dummodo eam aperiamus quam semper intendimus, non est curandum cum Augustino, an clavis hæc sit, an illa, an aurea, an lignea.

Inter hæc tamen (dices) hoc inexcusabile videtur; brevitatem profitemur, quam tamen aliquoties obliviscimur; filum in alicujus loci explicatione profundentes, & iterum obvias, non a quæstione quam versamus, oblatas, difficultates enodare conantes effundimur.

Ita tamen, dum agimus, cum Scripturæ Candidatis, præstandum est, ut discant non cursim pertransire Scripturas, sed sæpius eundem locum esse versandum, ut docet Augustin. ad venerationem arcani, divinique sermonis, quod quia non in omnibus exequi vacat in brevi opere, in aliquibus saltem, ubi difficultas premit, necesse est ostendatur.

Eadem ratione etiam obvias difficultates, quas quæstio immediatè non ministret, opus est, qua fieri potest diligentia enodare, ne videlicet Candidati in Scripturis hæreat in incidenti suspensus animus, & in occurrente non quiescens, a principali proposito divertatur, atque ita pluribus intentus nullus sit ad singula sensus: accedit, quod cum nequeat brevi volumine tota Scriptura singillatim explicari; quidquid offertur, arrepta occasione breviter tractandum est, ex quo denique fiat, quòd quamvis non tota simul, & suo ordine Scriptura exponatur, plurima tamen, & ferè omnia, saltem prælibata inveniantur, quòd est muneris nostri.

Sed adhæc, & cætera, quæ delicati nimis ferient Critici, qui cum homines sint ab homine plusquam humana exigunt: Hoc notum sit, quod sincerè fatemur: certè animus non erat hoc quale quale opusculum typis vulgare. Tanta est materiæ majestas, veneratio tanta, qua suspicimus sapientes in Scripturis, ut hæc exigua, & minima communi exponere examini palmaris præsumptio videretur. Hæc igitur parata erant ad familiares quasdam lectiones pro septimo anno studiosi cursus nostri, qui dici solet, annus scripturæ, & ad studiosorum nostrorum Domesticas collationes, ut ità sensim, Metaphisicalia, & Theologica omnia, quæ audierunt, recolerent, & quodam compendio per hæc eadem a nobis applicata ad Sacras litteras intelligendas, in divino hoc studio, cui brevis est omnis ætas proficere, inciperent, per ea, quæ noverunt, & ad majores arderent profectus, in eo certè quiescentes, quod regula nostra præcipit, maneant singuli in cellulis suis die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes; Hoc inquam, erat intentum nostrum. Ast, quæ semper sapientissima est obedientia, hæc voluit communi, ut dicunt, utilitati (ad humilitatem nostram) offerri, & aquiescere nolle, diceret Apostolus, peccatum violandi fuisset. Quid ergo? nemo plus exigat a nobis in hoc opere, quam quod munus illud, ad quod primò conscriptum est, postulabit. Novum planè non est, ut litterariæ Reipublicæ varietas ornetur, etiam domestica quædam exponere rudimenta (quæ tamen ex materiæ majestate non vilescunt) ex quorum humilitate, sublimitas sapientum, qui altiori procedunt volatu, magis elucescat: sic debito, quòd intimavit Apostolus cum ait Sapientibus, & insipientibus debitor sum, satisfacimus; hos erudimus, quantum possumus, illos humilitate nostra exaltemus; Illis denique, ut ad illos ascendant rudi quamvis clavi, sapientiæ limina, simul, & lumina pretiosa aperimus.

Ita quidem; at quidquid sit de delicata legentium censura, quam prævenimus, quæ versatur circa melius esse, aut melius dicere; unicum quod maximi interest, & summa rerum est, sincerissima veritate protestamur. Qui catholicæ veritati, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ejusque Sanctissimis legibus, libentissimo, ac totoco-

natu

natu obsequimur, deferimus, famulamur, absit, ut numquam nostrum putemus, siquid fortè ab hoc obsequio, vel minimum devians exciderit; Deiparæ immunitatem ab originali noxa, ubicumque se offert articulus, toto corde asserimus, sed id solum intendimus concludere, quod infert conjectura, auctoritas, & Theologicus discursus, ac devotio; quas numquam Ecclesia voluit esse contrarias prædicto privilegio, suisque decretis; Opinionis verò oppositæ judicium nostrum non est, quantò minus censura, qui ejus præcipuos asseclas in tota Philosophia, ac Theologia, uti Magistros nostros suspicimus, & veneramur. Ita invariabiliter sensimus, & protestamur. Vale, lege, corrige, quicumque es.

PRÆ-

PRÆLOGIUM ANGELICUM, SEU PROLOGUS, AD TYRONES, OPERIS INDICANS DIVISIONEM.

QUod fuit ab initio, & perspeximus, illuminante Angelico; & quasi manus nostræ, eo porrigente, contrectaverunt de Verbo Vitæ, hoc scribimus, & annunciamus vobis: Siquidem Sanctissimus Veritatis Doctor, & Sapientiæ purissimus Emendator, qui & discenda docuit, & discere docuit, hoc ipsum etiam docuit, nempe ut doceamus, & ipso Doctore, etiam docendo discamus. Hæc igitur unica nobis Sapientia est, Angelici luminis, in Summi Numinis Academia Tyrocinium, tunc namque manus nostræ contrectabunt de Verbo Vitæ, cum manus nostras, dum docebimus Scripturam, ipse ducet. Ast quo? Planè non alio ducet, nisi ad Summam, Sapientiæ Summæ, Doctor, non nisi ad Deum, Angelicus, qui ideo dumtaxat homo fuit, ut ab ipso intelligerent homines Deum, quem, si fuisset Angelus, hominibus, qui Angelorum idioma non norunt, non expressisset: Melius itaque nobis est, eum hominem fuisse Angelicum, quam Angelum inter homines, quippe sic unum hoc debuit Veritati, quod inaudito Sapientiæ miraculo, ipsam insensibilem, palpabilem fecit, & laxato torrente luminis Fidei debilitavit obscuritatem. Primus discendi, dicamus nunc, primus & docendi ardor, Nobilitas est Magistri; cujus disciplina est Magisterium. Prima Discipuli Sapientia, est Doctoris electio: hæc prima Doctoris Lectio, Sapientiæ suæ meritis, ità de se docere, ac convincere, ut non possit non eligi ad Magisterium. Nemo verò eo Sapientior, quam, si Sapientiam daretur consulere, ipsa uti aptissimum ad se se communicandum commendaret: Sacram ecce agredimur, vel aggredi molimur pro modulo nostro, de Sacra Scriptura, Scripturam; Ergo adeste animis, attendite, quem ipsa, vel commendando eligat, vel eligendo commendet. Sanè Sacra Scriptura est Verbum Dei, Notis exaratum, illud planè Verbum, quod unicum Dei est, & loquitur nedum in membranis, sed vividius, vel in membris affixis Cruci, quæ, ut indicat Augustinus, Cathedra est Magistri docentis. Jam loquitur! Audite hæc omnes Gentes, auribus percipite, qui habitatis Orbem: Bene Scripsisti de Me Thoma. Sic commendat, quem eligit, sic eligit, quem, commendat Verbum Dei, Scriptorem, vel quod idem est Sacra Scriptura, quæ idipsum est Verbum Dei, Vox Verbi Dei, Doctorem, cui erudiendos committat Filios suos, Deosque, ad quos sermo Dei factus est. Scrutabile nimis elogium: Quod scripsit Thomas, Subscripsit Deus: Sic feliciter anceps adhuc dubitat Mundus, Thomisticæ Doctrinæ uter sit Auctor, an Deus, an Thomas, an media quædam Sacra Scriptura dictata sit ad imaginem, & similitudinem Primæ, Quod scripsit Thomas subscripsit Deus: Si nemo bonus, nisi solus Deus; ergo nemo benè scribit, nisi scribat divinè: Scripsit igitur divinè Thomas, qui benè: Sanè scivit quod scripsit, qui scripsit quod scivit ipse, quod sciant omnes: Divinam ergo Scripturam nemo eo melius novit, qui solus scivit artem, benè, hoc est divinè scribendi. Denique nihil in Thoma minus invenies, quam esse Angelicum, qui tamen scripsit divinè, nihil majus, quam tantam in sublimi Sapientiæ fastigio humilitatem, qua divinè scribens, dici se patiatur Angelicum: Scriptura, quæ Deum habuit pro mercede, non dicam Deus est, at saltem, quod nemo negare potest, digna est Deo, implicat enim in terminis, quod sit digna mercede, quod ipsa merces sit ipse Deus, ipsaque non sit digna Deo. Hoc solum defuit Thomæ, quod de se Thomas non scripsit, qui scripserat digna Deo, ne verò deesset (quod plus est) de Thoma, scripsit Deus ipse, de quo scripserat Thomas.

Quid,

Quid, si non scripsit de Thoma Deus? cui dixit in Psalmo: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis? Scripsit ergo qui dixit: Benè de me Thoma scripsisti; unde & sequitur, idipsum quod scripsit describens: Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum: Benedixit, idest dixit, Benè de me Thoma scripsisti. Verbum, quod, & de quo scripserat Thomas, quia Divinum, quia vivum, quia Deus, Laudatorem suum laudavit, & uti verè Verbum, quod a vitali procedens Principio ad idem revertitur, quod a Thoma Scriptis prodiit, ad Thomam rediit dicto, quia verè Verbum manfit scripto, quia inquit de me Thoma scripsisti, scriptum se se declarans, ac denique mansit mercede in æternum. Propterea benedixit te Deus in æternum. Hæc nostra securitas est, quæ humanam superat, quæ ad Angelicam pervenit, quæ sapit Divinam, Thomam a primo ineuntis rationis Hespero, summum usque ad Vesperum, ab albugine ad canos, ab incunabulis usque ad tumulum, ut vel ipsum discat gloriosum esse sepulcrum, coluisse, & colere, usque ad lumen gloriæ, quod speramus, Doctorem. Hæc nostra mens est in difficili hoc Opere, ab inconcussa ejus veritate, ne a divina quam quærimus, aberremus, nusquam vel minimum declinare. Manus erigimus ad Protectorem, porrigimus Adjutori, damus Patri, jungimus Sanctissimo, liberali Veritatis extendimus Dispensatori, quem suo Sapientia præfecit gazofilatio, & Principem constituit universæ Possessionis suæ. Ab eo didicimus discere, ut autem discamus & docere, uti verò, & in hoc ejusdem Discipuli in primo divinæ hujus scolæ limine, primam, quam ipse præfatus est, repetimus lectionem, ea siquidem sola est, quam Sacrum hoc Opus sibi præfigi desiderat, velut Angelicam frontem. Prologus itaque noster idem est, qui & Angelici in prima Parte Summæ, quem ad instar Doctrinæ, Illuminationis, & Prophetiæ, hujus nostri Sacri laboris veneramur. Sic enim pro Nobis ipse præfatur.

Quia Catholicæ Veritatis Doctor, non solùm provectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire, secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 3. Tamquam Parvulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam. Propositum nostræ Intentionis, in hoc Opere est, ea quæ ad Christianam Religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem Incipientium. Consideravimus namque hujus Doctrinæ Novitios, in his quæ a diversis conscripta sunt, plurimum impediri, partim quidem propter multiplicationem inutilium Quæstionum, Articulorum, & Argumentorum; partim etiam quia ea, quæ sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundum Ordinem disciplinæ sed secundum quod requirebat Librorum expositio, vel secundum quod se præbebat occasio disputandi; partim quidem quia frequens eorundem repetitio, & fastidium, & confusionem generat in animis Auditorum.

Hæc igitur, & alia hujusmodi evvitare studentes tentabimus cum confidentia divini auxilii ea, quæ ad Sacram Doctrinam pertinent, breviter ac dilucidè prosequi, secundum quod materia patietur.

Hæc sunt, quæ divino Operi suo præfatur, & nostro præfinit Angelicus. Ità scribit, docet, præcipit, verè Præceptor, in quo mirabiliter idipsum quod est observanda præcipere, est observare quæ præcipit, & evangelico elogio Magnus vocetur in Regno Cœlorum, qui fecit, & docuit, immò & major, qui in alterutro utrumque præstitit, bis faciens, bis docens, utrumque uniens in eodem, ut ipsum docere sit facere. Verè Major ne quid supra, qui prebens præcepta docendi, eos, qui Magistri sunt, sibi facit Novitios, ut qui ejus Novitii futuri erant, in addiscendo, id etiam addiscerent; primum super cæteros, Magisterii gradum esse, Thomæ esse Novitium: Immò & maximus, qui Magistros erudiens omnes etiam qui non

sunt,

sunt, quotquot erunt, quot ipsi erudient, erudivit, ut sciat Mundus, velit, nolit, se se totum indeclinabiliter Thomæ esse Discipulum. Præteritos docuit, quos correxit; Præsentes, quos instruxit, Futuros, quibus perfecit Magistros, perpetua progenie Veritatis. Quod olim perfidia, perfidè molita est, id sapienter obtinuit nunc Sapientia: Lapidantium Stephanum vestimenta custodiens Saulus, in omnium lapidantium manibus, unus erat, & singulorum viribus lapidabat: Lapidanda ecce Mulier adultera Falsitas; qui sine peccato est Thomas, primus in eam lapidem misit, super quem oculi septem, quia omnes, & futuros Doctores erudiens ad scribendum, in omnium manibus scripsit, eamque omnium ità lapidantium manibus unus ipse contrivit, ut in Mundi fine, Thomæ plaudat Ecclesia: Cecidit Babilon illa magna; Mulier adultera consumpta est. Vicit Agnus, qui per abbreviaturam signat Angelicum. Ast quis lapis? Non abs re erit, si paginam hanc Prologi, lapideam dixeris Tabulam, scolasticæ legis, quam in summitate Montis, aut melius mentis, inter disputantium Fulgura, & Tonitrua ex consortio sermonis Domini, radios indesinenti Torrente diffundens, in similitudinem Moysis, de manu Domini Thomas accepit: Vel enim Tabulæ Moysis, Angelico ministerio insculptæ fuerint, vel digito Dei, neutrum ex his huic paginæ deest, quæ Angelica, idest Thomistica manu exarata est, & digitum Dei continet indicem utique, qui universalem signat Veritatem, & Docentibus, & discentibus, Sapientiæ Præcepta præscribens.

Inter hec primum, Sapientialis Charitatis Præceptum est, ut Catholicæ Veritatis Doctor & Provectos instruat, nempe ad docendum, & Incipientes erudiat ad discendum; nutriatque ad Ubera Sapientiæ lacte sapidissimæ Veritatis.

Secundum verò doctissimæ humilitatis est, ut descendat Sapiens, ad Incipientem, & eo modo tradat Veritatem, qui congruit parvulis, ut eam lactente suscipiat mente, rumınet, digerat, ac nutriatur.

Ad quorum observantiam muniendam, quam ipse præfert exemplo, dum eandem dicto præscribit clarissimo, Negativa subdit Præcepta, quibus omne tollat impedimentum: Horum primum est: Non multiplicentur inutiles Quæstiones, Articuli, & Argumenta.

Secundum, ea quæ necessaria sunt ad sciendum, non tradantur extra intentum Disciplinæ, quam Novitii profitentur, non attento eo, quod requirit, ad rem non pertinens libri alicujus expositio, vel eo, quod exigere videtur, oblata, vel fortè quæsita occasio disputandi: Ac si diceret; Doce quod doces, age quod agis, ne si dum Theologum agis, Aritmeticam doces, dissonent omnia, nullusque sit numerus inter duos, dum ludunt in nihilo, sicque Adagiator cachinnet: Ecce Doctor utriusque nihil.

Tertium: ne fiat inutilis repetitio eorundem, quæ fastidium generet, & confusionem, qui enim nova expectans audit, quæ audivit, discit nihil expectare, quod sciat, dum eum penitet, id expectasse, quod tenebat. Denique, ne quid Theologo desit, vel docenti, vel addiscenti ad perfectionem, Theologicarum virtutum complet Præcepta. Ad Fidem pertinent superiora, tota immò doctrina: Sapientialis Charitatis modum præscripserat in principio; Nunc excitat spem, divino præcipiens, ut fidamus auxilio: Tentabimus inquit cum confidentia divini auxilii ea, quæ ad Sacram Doctrinam pertinent, breviter ac dilucidè prosequi, secundum quod materia patietur.

Faxit Deus, ut sicut ille præscripsit, nos scribamus. Talis enim, Thomistica Sapientia est, ut nedum ipsam audire, sed ipsi obedire, Religio sit. Meditabatur Veritati obligata attentio, æquè & intentio nostra, qualiter Biblicum hoc quale quale Opusculum,

culum, Thomam saperet, ne desiperet, & Sacram Scripturam, Thomisticam non quidem faceret, sed ostenderet, aut potius Thomam esse Scripturæ; Quamobrem, cum Sanctissimi Doctoris, & Philosophiam, & Theologiam, & Summam denique, totius Veritatis in Summa, Sapientibus gloriosisque sudoribus, uti Angelicam, Seraphicæ Teresiæ Soboles Complutensi, ac Salmaticensi Commentante, ac Commendante Collegio, cæterisque pluribus utriusque Congregationis nostræ Doctoribus, studiosè ennitentibus, hactenus celebrare contenderit; idque adeò copiosè præstiterit, ut jam nihil, nostræ intactum reliquerit devotioni, nisi fortè Prologum hunc Primæ Partis Summæ, Sacræ Doctrinæ limina ornantem æquè, ac aperientem, cujus ex professò fortè meminit Nemo, Nostrum est eundem, quem usque modo, & rimati, & admirati sumus, si doctrina non valemus, saltem observantia toto hoc Opere commentari, ut sic etiam hoc Opus, quod Carmelus ennititur, sit animo, & more, idest Opere ipso, quod plus est quàm Verbo, verè Thomisticum. Prosequitur autem, & concludit Prologum suum Angelicus, & nos cum ipso.

Sicut & praxis novit, & Majores nostri tradiderunt, quælibet scientia suopte ingenio, & quadam naturæ sive necessitate, sive necessitudine, in idunum incumbit, ut omni via proprii objecti, in cujus perfecta cognitione completur, intimam aquirat notitiam, & quia sapientiæ, qua omnis scientia regitur, munus est ordinare, ordine quodam, quem signatum super nos Dei edocet lumen, in hujuscemodi inquisitione progreditur. Primò enim, objecti sui, quod supponit, nomen, indeque essentiam, causas tum intrinsecas, cum extrinsecas, effectus, proprietates tum generales, cùm & potissimum peculiares, ac singulares, & cum prædictis connexa, omni studio, ac conatu scrutitur juxtà triplicem sciendi viam, ac modum, nempe definitionem, divisionem, & argumentationem, sive demonstrationem, per quam denique statum suum aquirit. Quod si methodus, ordo, ac studium hujuscemodi, scientiis etiam inferioribus, quæ scilicet de inferioribus sunt, & summum Deum vix a longè noverunt, pervium, opportunum, immò, & necessarium est, nedùm ut perficiantur, sed ut sint id, quòd ostentant; in hac quam molimur, quæ scientia scientiarum, est, ac suprema sapientia, quæ undequaque divino irradiatur fulgore, & consortio sermonis Domini, scientia videlicet Bibliorum, cujus objectum est Verbum Dei, principium, ac finis Deus, cujus demonstratio est ipsa divinitatis incomprehensibilis, divinorumque velaminum revelatio, idipsum erit indispensabile. Qui ergo æquè novitatem abhorremus, ac falsitatem, communibus gloriamur duci vestigiis, & qui antiquissimæ, æternæque sapientiæ enixè studemus famulari, priscam scientiarum omnium methodum æmulamur: Scientiam meditamur Verbi Dei, quod multifariam, multisque modis locutus est Deus Patribus in Prophetis, ac novissimè locutus est nobis in Filio, in quo sunt omnes tesauri sapientiæ ac scientiæ Dei. His igitur sciendi modis, materiæ proportione servata semper insistimus. Definitionibus, quas exhibet Ecclesia, divisionibus, quas Patres enuclearunt, argumentationibus, quas scientiæ omnes, Theologiæ Angelo ratiocinante, ministrant.

Audivimus, quod mensa sua divinis referta deliciis, clamavit sapientia per ancillas suas, cæteras videlicet scientias, siquis est parvulus veniat ad me, & insipientibus locuta est, venite, comedite, gustate saporem meum, sapientia enim, est sapida scientia, ideò cum parvulis nostris minimi, & cum exurientibus sapientiam, famelici properamus, & ne ulli contingat ex commensalibus, veneno infici, ubi fortè inimicus homo, vel calicem Babylonis, vel reliquias primi, qui omnes infecit, vetiti cibi, furtivè huic suggerat mensæ more regio in hoc præclaro tantæ Reginæ convivio, prælibantes, & prægustatores adstamus, nosque docet Emmanuel, qui

& no-

& nobiscum Deus, ita hoc mel comedere, ut sciamus reprobare malum, & eligere bonum. Ita jam breviter innotuit, & methodus, quam sequimur, & ministerium, quo fungimur, & finis ad quem vocamur, & quibus mediis pervenire speramus.

Ut autem practice, ordo, quo scientia quævis ad perfectam notitiam, sui objecti progreditur, in scientia Byblicorum, quam tractamus, eluceat, sic studia nostra disponimus; quærentes.

Prælibamus igitur tantum, ut pareamus legibus nostris, qui juxtà earum præscriptum studiosæ potissimum laboramus juventuti, sic enim statutum est in constitutionibus nostris Part. 2. c. 15. n. 9. studiosis nostris cursum Theologiæ confecturis, unus saltem annus Sacræ Scripturæ degustandæ concedatur. Ne autem ipsa prægustatio, aut incondita dessipiat, aut simul confusè proposita, gustum deterreat, aliarum scientiarum, quas jam sexennali studio, sciendi appetitus digessit, quadam veluti compendiosa repetitione lenitur, & denique tractatus ipsi, in capita, capita in articulos, brevitate, & Doctrinarum varietate fastidium avvertente, prout sequitur, exhibentur.

INDEX

INDEX
Tractatuum, Dubiorum, & Articulorum, quæ in hoc Tomo continentur.

Art.

Art.

Art.

Art.

FINIS.

TRACTATUS PRIMUS

DE PRIMA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ.

CAPUT PRIMUM

De existentia Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS UNICUS

Ostendens Sacræ Scripturæ existentiam esse supponendam.

SI quæreret scientia an est sui objecti, eodem contextu idipsum quæreret de se ipsa. Quæ enim sine objecto esse non potest, quærens an sit suum objectum, mirabili contradictione, quærit an sit; illa, quæ quærit, sicque ignorans se ipsam, se nihil scire se nihil esse concludit ante primordia quæstionis. *Indignum Catholico est, ait Bellarmin. l. p. de V. Dei c. p. quærere an Sacra Scriptura sit Verbum Dei*; quanto ergo indignius quæreret an existat? Quod id aliqui dubitent, quod ignorent, deplorat *Chrisost. super ad Hebr. hom.* 8. Aliique PP. quippe Gentiles ipsi, eam quamvis quid sit non penetrent, vel certè dissimulent, tamen esse non nesciunt; Quandoquidem promulgantium eam in omnem terram exivit sonus, & in fines orbis terræ verba eorum. Non igitur mirandum si an sit Sacra Scriptura non quærimus, qui an simus Catholici disputare nec debemus nec possumus. Nec propterea carpimus sapientissimos Viros, qui ut Paganos convincant; hujusceemodi instituunt disputationem. Dupliciter enim talis quæstio valet intelligi; Vel quod quærat, an absolutè Sacra Scriptura existat, illud nempè Sacrum Volumen, quod vulgò tali nomine vel titulo insignitur, & talis quæstio ea est quam improbamus, quippe quæ actum agere intentat, & supra Principia Veritatis sine gradu ascendit: Sacram enim Scripturam hoc nomine vulgò nuncupatam admittunt & qui eam, eique credunt & legunt, & qui eam impugnant, illi quidem ne se ipsos negent, hi vero, ne nihil impugnare videantur. Vel quod quærat convenientiam talis existentiæ, & in hoc sensu procedunt Doctores hujusmodi instituentes quæstionem, ut examinanti Probationes quas adducunt, omnemque, qua utuntur, facilè constat doctrinam. Cæterum quia talis convenientia plenius & intimius ex Sacræ Scripturæ examinata quidditate elucescit, & totum hoc quale quale opus in ostendenda hujusceemodi & convenientia & quidditate, & Nobilitate immò divinitate Sacri Voluminis insudat, idcircò primam quæ ex sequentium declaratione elucescit, consultò prætermittimus. Qui verò ad Tyronum eruditionem, eam quæstionem, Vulgo morem gerens excitare maluerit, omnes fermè Isagogicos Doctores in primo Sacræ Doctrinæ

A limine ipsam versantes audiet, idque unum quod nos ibi brevissimè perstrinximus concludentes. Egregio inter cæteros eandem studio pertractat R. P. N. Anton. a Matre Dei. Præl. p. dub. 8. Isagog. a n. 69. ubi quæ nos morari cogerent, absolvit, ut liberius & brevius procedamus. Idipsum luculenter & completissimè præstitit eruditissim. P. N. Cherubinus Tomo p. Disp. 5. Divinitatem Scripturæ Sacræ adversus Ethnicos propugnans, ac prosequitur per totum ferè Opus, solvendo generales difficultates, & quasdam etiam speciales, quæ ab Ethnicis obtruduntur contra ejusdem Divinitatem, quod idem est ac existentiam. A tali verò Methodo hoc argumentum pertractandi nos in præsentiarum abstinemus, ne quod alibi, tota quam Deus concedet solicitudine absoluturi sumus,

B intempestivè ac immaturè præbeamus. Satis sit eos, qui doctissimè laborem nostrum soliciti prævenerunt innuere, ut facilè constet id quod prætermittimus non deesse. Domesticorum enim laborem nostrum putamus, & sicut Charitatis unitas inter plures nescit pluralitatem, ita Doctrinæ conformitas, eadem intentio Veritatis, idemque studium, Unum Opus ex pluribus condit. Supposita igitur Sacræ Scripturæ Existentia, quidditatis ejusdem, seù quod unum est, Divinitatis primam aggredimur cognitionem. Et quia (ut ex divina novimus institutione Gen. c. 2. Cum Deus Animantia omnia adduxit ad Adam, ut videret quid vocaret ea, Omne enim quod vocavit Adam Animæ viventis, ipsum est nomen ejus). Prima rei cognitio a Nomine exurgit; de pluribus, ac mirabilibus Sacræ

C Scripturæ nominibus, eorumque significatione et ejusdem Scripturæ, ac Patrum doctrina disseremus.

CAPUT II.

De prima Sacræ Scripturæ Cognitione per Nomina quibus magis propriè significatur.

ARTICULUS I.

Cur Sacra Scriptura dicatur Scriptura, & Scriptura & Sacra Scriptura.

TOT sunt & Definitiones & Nomina, quibus Sacri Doctores, Sacræ Scripturæ quidditatem explicare conantur, ut eam denique ostendant in-

definibilem, cujus quælibet definitio, sivè quid nominis, sive quid rei, nec rem adæquans, nec nomen, aliam definitionem, aliud nomen expectat ut declaretur, idque unum sunt assecuti, quod impossibile primo apparet aspectu, ut nempe semper declarandam relinquendo verè declararent, cum hæc sit ejus vel quidditas vel proprietas, omnia continere, & comprehendere, & nullis posse terminis adæquatè comprehendi. Et quidem si & infima attendamus Principia, cum Sacra Scriptura sit nomen complexum, quod nequit juxta Philosophicas Regulas essentialiter definiri unica definitione, potius definitio quædam descriptiva erit, quam definitum. Nec mirabile est, quod Volumen illud sapientissimum, liber Divinitatis, qui universam Veritatem, & Sapientiam obscuro quodam sub velamine (ut divinam Dei loquentis decet Majestatem) intra proprios terminos definitivè concludit, Philosophico Studio haud valeat deprehendi, quo adhuc conante, ut primò contra Gentes, & alibi frequenter notat Angelicus, ea quæ sensibus contrectamus, quoad essentiam ignoramus. Eo vel maximè, quia obscuritas, in qua involuitur ibi loquens Dei summa Majestas, quæ apparere consuevit in nebula, sicut cælat lucem, ita & se ipsam, nec cognosci intimè potest, nisi ea lux, quam intus abscondit, dignoscatur, ex quo jam desineret esse id, cujus esse disquiritur, juxta divini effatum Dionisii. Maneat ergo ipsam rigorosè indefinibilem esse, & cum Leone sentiamus, bonum nobis esse quod vincimur, & id nobis summum esse, quod etiam diminutè, de Domini Scribentis Majestate sentimus. Ne verò desperemus de ea aliquid capere, quæ immò ideò obscurè tradita est, inquit Augustinus, ut toto studio eam penetrare conemur; ut saltem sciamus, quo nomine cum proprietate appelletur indefinibilis hæc essentia, quæ communiori calculo & usu, uti magis propria ejus nomina celebrantur Operæ pretium exigit brevi ratione, quantum parvitati nostræ conceditur, adornemus.

Vocatur itaque ut notissimum est in primis, Scriptura, quandoque singulariter *Jos. c. 2, Et crediderunt Scripturæ. Jos. 7. dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent &c.* iterumque aliis in locis ejusdem Evangelii ut *c.* 10. *&* 13. 17. 19. *ac* 20., & videtur esse peculiare nomen, quo utuntur SS. Joa. & Paulus. Ille ut modo notavimus; hic verò *ad Rom. c. p. Quid enim dicit Scriptura, & c. 9. ac* 10. Item *ad Galat. c. 3. & 4. Ad Timot. p. c. 5. 2. c. 1. Semel D. Petr. pr. c. 2. propter quod continet Scriptura.* Semel etiam in 2. *c.* 1. *quod omnis Prophetia Scripturæ.* Aliquando verò exprimitur pluraliter Scripturæ. *Ps. 86. Dominus narrabit in Scripturis populorum. Eccles.* 1. *c. 44. Narrantes carmina Scripturarum. Math. 21. Nunquam legistis in Scripturis, & 22. Erratis nescientes Scripturas, & idipsum Marc. 12. Luc. 24. Actor. 17. & 18.* & alibi sæpè. Sed

Primo quæres. Cur dicatur Scriptura. Resp. primò, quia, & evidenter constat eam esse Scripturam, & juxta probabilem aliquorum Opinionem, de qua suo loco, primus Scriptionis inventor fuit

A Moys. qui primum locum obtinet, inter Sacros Scriptores, idque saltem admitti debet, quod & si, concedatur, Caracteres Moysen præcessisse, primum tamen Perfectum Volumen scriptum, fuisse Sacram Scripturam, nemo rationabiliter negare, potest, cum nequeat ostendi, quod namque Volumen perfectum cujusve Auctoris fuerit illud, quod præcessisse ad Sacram Scripturam aliqui imaginantur.

Secundo. Propter inconcussam, & nunquam nutaturam firmitatem, hinc Adagium: Scripta manent, quæ dicta transeunt. Constat autem nihil perennius Sacrâ Scripturâ fuisse, esse, aut fore, quæ Auctorem habet æternum, & Veritatem æternam, eique proinde debebatur modus quo traderetur, qui temporis non timeret inconstantiam.
B vel labentis memoriæ debilitate nutaret. Hinc nomine hoc continuativo principaliter exprimitur Scriptura, ac si in omnibus singulisque momentis temporis, eam continuè scribat Deus. Quem sensum firmat David. *Ps.* 116. *Et veritas Domini manet in æternum, &* Is. *c.* 40. *Verbum autem Domini manet in æternum.* Ipseque Christus Verbum ipsissimum Patris, *Cælum & Terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Math. c.* 24. Facit ad hæc quod ars scribendi a Judæis cæpit, ut pluribus eruditè ostendit Bejerlinch. in Teatro Vitæ Hum. V. Scriptio, quid verò apud Judæos fuerit primo scriptum, non est dubitandum, cum nihil Sacra Scriptura apud Populum illum dignius fuerit, ex qua omnis Lex, & Sapientia; concludendum
C igitur ideo Scripturam dici, quia propter eam Ars scribendi inventa est, in eaque primum enituit. Indeque cum experimento constet, semperque constiterit, quanta vi supra hominis mentem pollerent Verba Sacræ Scripturæ, per quæ Veritas cordi imprimitur, occasionem sumpsere Nefarii homines asserendi, scriptis vocibus vim inesse ad quidvis præstigiatoria arte operandum, ut loco cit. Bejerlinch.

Quæres secundo. Cur & Scriptura dicatur & Scripturæ. Resp. utrumque rectè dici, quia & singulariter & universaliter omnem in se complectitur Veritatem. Una est ob connexionem, per quam omnia connexa dicuntur unum, multiplex, quia plurima sunt ea, quæ connectit & unit. Una quia Veritas est una, Multiplex, quia innumerabilibus modis una eademque Veritas in ipsa decla-
D ratur. Una quia habet rationem Principii, Multiplex ob plurimas quas infert Conclusiones. Denique quod ferè in idem recidit, dicitur singulariter, propter Unitatem Auctoris, Veritatis & Finis, de quibus suo loco dicemus. Tum etiam, quia Antonomastica hæc expressio significat omnia in Scriptura hac contineri, eaque sola, quæ continet, digna esse per se primo, ut scribantur tanquam infallibilia, & nunquam nutatura, ita ut quælibet alia Scriptura hominum nequeat absolutè dici Scriptura: Nec reverà differt hoc nomen a suo plurali, sumitur enim tamquam collectio eorum omnium, quæ scripta continet, ex quorum materiali pluralitate dicitur Scripturæ.

Dicitur etiam pluraliter quamvis una & summè singularis, primo quia plures sensus admittit (de

quibus

quibus etiam suo loco) ad unam tamen veritatem tendentes: secundo ob Pluritatem eorum qui eam uno Deo dictante scripserunt, & ob temporum diversitatem, ac mutationes statuum, Naturæ scilicet Integræ, lapsæ, & reparatæ, Status Legis & Gratiæ, Figuræ & Figurati, quorum varietas in ea descripta exprimi nequit, nisi per assertam pluralitatem Scripturarum, & nihilominus quia omnia in uno sistunt, qui est Finis Legis Christus, ad Justitiam omni credenti, Singulari pariter nomine continentur; unde Scriptura dicitur, quæ utrumque est & Scriptura videlicet & Scripturæ.

Quæres tertio. An quoad Nomen Scripturæ vel Scripturarum sit aliqua diversitas attento Veteri, ac Novo Testamento. Resp. Valdè notabilem esse diversitatem, quod in veteri Testamento Scriptura singulariter dicta prout significat Sacrum Dei Volumen, de quo nunc agimus, non invenitur, sed tantum in Novo, quod sanè Mysterio vacare non potest. Ratio autem prout nobis videtur ea est, quia nundum venerat ille, qui dispersiones Israelis congregavit, & vocavit dispersos in Salutem, Lapis, qui fecit utraque unum, & univit lapides Sanctuarii, qui dispersi erant in capite omnium Platearum, qui ait de se ipso: *Ego & Pater unum sumus; Joa. 6.* ubi & Patrem rogavit, ut sui ità cum ipso unum essent, sicut, inquit, Ego & Pater unum sumus; denique quia nundum coruscabat lex Amoris: *Hoc est Præceptum meum ut diligatis invicem. Joa. 15. & Mat. c. 5. Audistis quia dictum est, odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Figurarum tum tempus erat, quæ multiplicabantur prout distabant a Figurato, quod unum est: Tunc igitur erant Scripturæ, nunc Scriptura.

In cujus confirmationem primi Joannes verè Amoris Evangelista, & Paulus Amoris Præco, ille quem diligebat Jesus, hic qui cupiebat dissolvi & esse cum Christo, Scripturam singulari nomine appellarunt, ut supra apparet. Et ne fortè quasi divinare videamur hanc rationem exponit idem *Apostolus ad Hebr. pr. Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio &c. & ad Rom. pr. Quod ante promiserat in Scripturis Sanctis de Filio suo, & Joa. pr. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti.* Tunc ergo erant Scripturæ, quia multifariam multisque modis, quia Patribus in Prophetis, nunc Scriptura, quia locutus est nobis in Filio, & ideo de illis dicitur quod promiserat in Scripturis Sacris. Nunc autem Scriptura, quia de Filio suo Unigenito. Sicque adumbratum est Trinitatis Elogium, in Unitate Naturæ, ipso vel in nomine Scripturæ & Scripturarum.

Ex qua consideratione ortum duxit commune nomen, quo Vulgus universum Sacrum Dei Volumen appellat Sacram Scripturam, non verò Sacras Scripturas; præeminet siquidem etiam in communi æstimatione Unitas pluralitati, magisq; exprimitur, quod maximum est, per singularem, quam per pluralem appellationem ut notissimum est. Verum quia superius diximus, hoc nomen po-

A tius, definitionem quamdam esse quam nomen, ejusdem intima brevi intuitu perscrutabimur: Scriptura (si in communi acceptione sumatur, pro Codice seu Membranâ, in qua signis usualibus exarata Animi sensa servantur) ponitur loco generis; at quia ut supra ex communi conceptione notavimus, sumitur Antonomasticè, & per modum principalis Analogati, de cujus natura est, ut per nomen commune, propriissimam sui intrinsecamque differentiam exprimat, ideo impropriè dicitur in præsenti, quod Scriptura stet loco generis, quod in Analogis ut talibus non est invenire. Sacra verò stat loco Differentiæ, reverà tamen est quædam explicatio conceptus, quem formamus, cum de Sacra Scriptura nomen Scripturæ pronunciamus. Sacra porrò dicitur multipliciter, immò omnibus
B modis, quibus Sacrum accipitur in Bonum.

Primo. Sacra formaliter, idest soli Deo dicata. Liber enim quilibet illi planè dicatur, qui ipsum & plene percipiat, & possit defendere, & Patrocinio suo gloriosum reddere, & approbare ut dignum se: Solus autem Agnus inventus est, qui posset aperire librum, & solvere signacula ejus. Apoc. c. 5. Solus qui potens est delere de libro Vitæ nomen ejus qui addiderit vel minuerit apicem vix minimum de libro isto; qui ait Gloriam meam alteri non dabo, qui venit ut testimonium perhiberet Veritati eorum, quæ de ipso hic scripta erant, qui incipiens a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant, qui protestatus est, quod Jota unum aut unus apex
C non præteribit a lege donec omnia fiant &c. ut ex toto patet Evangelio.

Secundo. Sacra activè & directivè, quia sanctificat & facit Deo Sacros, qui eam credunt, & observant. *Jo: pr. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus &c. & Apost. Justus meus ex fide vivit*, & qui tetigerit ea quæ continet, idest ad ea manum opere apposuerit, sanctificabitur. *Ex. 30. Sancti eritis vos, quia Sanctus ego sum dicit Dominus, & Psal. 18. Lex Domini immaculata convertens Animas &c.*

Tertio. Sacra per modum effectus, quia est speciale Opus Dei, quo manifestavit se ipsum hominibus. Certè si sacrum est, & dicitur omne id, quo vera Religio Deum colit, ut summam ejus potentiam & Majestatem manifestet, quanto magis id
D quo Deus se ipsum; & omnia sua attributa revelavit? *Jo: 5. Scrutamini Scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me* ait Christus.

Quarto. Quia Sacramentorum & Veteris & Novi Testamenti Divina Regula est, quia summum Christi, æternumque Sacerdotium & Sacrificium prædixit, adumbravit, figuravit futurum, præsensque & perpetuum indicat ac describit, quia Arcana Dei, quæ Sacramenta dicuntur. Tob. 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est &c. revelat, & eximia Opera Potentiæ ejus Sacramentali modo, idest sub Mysterio, quod pariter Sacramentum dicitur manifestat.

Quinto. Quia Sacratissimo honore digna, uti Dei Tesaurus Nascentis Ecclesiæ initio, eodem Sacrario, quo Sanctissima Eucharistia conservabatur,

tur, consueverat etiam Sacra Scriptura recondi, sicut a Majoribus nostris accepimus.

Sexto. Denique Sacra hoc est omnimodis veneranda ab omnibus, & Opere per observantiam, & Verbo per sinceram expositionem, ne quis audeat ejus temerare veritatem, ejus Verba, vel sensum ad vilia, aut quod pejus ad turpia violenter cogendo. Talis siquidem ut Sacrorum Violator nequissimus, graviter puniendus est, ut constat ex utroque Jure, & potissimùm ex Tridentino sess. 4. c. unico. Hæc autem hactenus dicta pulchrè Patres exornant, ac potissimùm. *Teodoret. Præfat. in Psalm. Greg. Præfat. in Job. Euthim. In Ps. 118. Chrisost. hom. 49. in Jo: August. in Ps. 56.* Sedulius ac denique omnes frequentissimè, quorum Verba committimus brevitati.

ARTICULUS II.

Qua ratione Nomen Litteræ seu Sacræ Litteræ Sacræ Scripturæ conveniat.

Littera prout in communi acceptione stat pro quovis vocali Elemento, vel ab iterata linea, eo quod ex lineis quælibet littera componitur, derivatur, vel ab L, quo signo numerus quinquagenarius exprimitur, qui ex usu loquendi sumitur pro numero innumerabili, & iterum abeo quod in qualibet propositione ac discursu sine limitatione litteræ multiplicantur, vel a litura, seu lineatura desumitur. In hoc autem sensu satis materiali Sacra Scriptura dicitur Sacræ litteræ, eo quod etiam sic mirabile portendat Sacramentum, quomodo videlicet Deus, qui Spiritus est, Verbum suum, quod unicum & infinitum est, dignatus sit, multiplici lineamento litterarum, atque Distionum, modo nostro nobis appingere, quod planè Prophetia non caruit. Sic enim ne incredibile nobis esset, Dei substantiale Verbum carnem nostram assumpturum esse, prius voluit veritatem suam litteris supervestire. Imò ipsa prima Sacræ Scripturæ littera scilicet I. *In principio creavit Deus &c.* Nomen Jesu sanctissimum præsignavit. Fuitque tamquam titulus compendiosè præindicans, quidquid in toto libro continebatur, nimirum Jesu, qui est Finis Legis, portansque omnia Verbo virtutes suæ, & divinam insuper rectitudinem, & unitatem. Nam littera I. unica est rectissima, & significat unitatem, estque prima rectitudinis Regula, quæ sursum occupat & deorsum, unde ipse ait Cælum & Terram ego impleo: qui descendit in inferiores partes terræ & ascendit super omnes Cælos, qui dulcis & rectus Dominus, & propter hoc legem dedit. Sancti eritis vos, quia ego Sanctus sum. Nunquam Finis, si vel primam dumtaxat Scripturæ litteram meditemur. Nec refert quod in primigenio, quo primùm exarata fuit idiomate Prima littera nostro B. correspondeat. Cum apud Hebreos prima Scripturæ dictio sit Beresceith. In hoc enim elemento, si tempus concederet, Sanctissimæ Trinitatis simul & Unitatis nostro concipiendi modo, signatum Mysterium cerneremus; In recta siquidem linea unitas in principio medio ac fine

A circularis triplex reditus ad eandem unitatem apparet. Maneat ergo ex his saltem apparenter levibus, solidis tamen reverà inspectionibus, rationabiliter Sacram Scripturam dici Sacras litteras; si enim tam sacra, totque scatens Sacramentis littera vel minima vel prima dignoscitur, quid in pluribus, quid in toto latet divinæ loquentis sapientiæ contextu? Hoc inexplicabile Sacramentum est, Deus litteris loquitur, se ipsum litteris loquitur. Quid magis Sacrum? Neque nos hanc appingimus appellationem Sacræ Scripturæ; notum est eam in ipsa Sacra Scriptura supponi. Unde *Apost. 2. ad Timoth. c. 3. Tu autem permane &c. sciens a quo didiceris, & quia ab Infantia Sacras Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem.*

B Secundo. Pro Litteris Vulgus intelligit Scientias & Artes, quæ litteris commendantur. Unde est nomen commune ad omnem eruditionem, sivè Sacram, sivè profanam, ut advertit Doctissim. Berjerlinch. in Magno Teatro, ad hanc dictionem, ideoque additur Sacræ, quia nihil in Sacra Scriptura formaliter est profanum, ut suo loco Deo Dante ostendemus, immò pluraliter dicitur Sacræ litteræ, ut sciatur plenitudinem Sanctitatis, & omnia Sacra in illis contineri. Non dicitur littera, quia littera per se nudè sumpta occidit, sed litteræ & Sacræ ut Spiritus etiam includatur qui vivificat, & innumeri spirituales sensus, qui sub cortice litteræ degunt, innuantur. Ex quo evanescit, quod videtur obiici, si dicitur Scriptura, & Scripturæ sine addito, dici ergo poterit & littera & C litteræ sine addito, negatur enim consequentia ob manifestam disparitatem. Invenimus enim Scriptum ab *Apost. 2. Cor. c. 3. Littera occidit*, nullibi autem in tota Sacra Scriptura, quod Scriptura occidat, sed potius oppositum. *Rom. c. 15. ut per consolationem Scripturarum Spem habeamus.* Non tamen negamus, quod si littera accipiatur Antonomasticè, & secundum quod exprimit plenitudinem perfectam omnis Doctrinæ, & instructionis, non possit Sacra Scriptura dici absolutè littera, sed quia talis acceptio, vix apud Sapientes habetur, nec est in usu, ideo additamento Sacræ completur talis significatio, nam cum pluribus est loquendum, tametsi cum paucis intelligendum.

Tertio. Intimius tamen perscrutando Sacras litteras, sic appellari intelligimus ex eo quod ut no- D tant communiter Doctores cum Sixto Senensi. Biblioth. Sac. lib. pr. sect. pr. in supputationibus; unicuique Sacræ Scripturæ libro præfigitur littera una Savi, hoc est Hebraici Alphabeti, qua ratione, quia in eo Alphab. ponuntur litteræ simplices 22. totidem etiam Hebræi numerant libros Veteris Testamenti, quia verò in alia supputatione alii 24. litteras ejusdem ponunt, nempe 21. Caracteres, & Litteram Jod, ob reverentiam Divini Nominis triplicant, quasi Mysterium Trinitatis adumbrantes, 24. libros ennumerant; Cui methodo consonant Græci, qui totidem litteras ipsorum Alphabetum exhaurientes, 24. nuncupant libris. Hoc satis sit pro nunc retulisse: Numerum enim Sacrorum librorum alibi ex Concilio Tridentino statuendum servamus. Nec puerilis præfata observatio

tio videri debet, quippequæ suo non caret Mysterio: ubi notandum, quod certè in Alphabeto continetur universum dicibile, quidquid enim profertur, aut scribitur, nihil aliud est denique, nisi combinatio quædam, aut prolatio litteræ, aut litterarum, ut igitur innuatur Sacra Scriptura totum quidquid doceri aut dici aut intelligi, cum veritate potest totum omninò (immò & supra totum, quia etiam ineffabilia complectitur Mysteria, quæ non datur homini loqui) contineri, ideò hoc ei nomen debemus vel Sacrarum litterarum, vel divini Alphabeti, ut quantum possumus eandem etiam prout nostrum captum superat, describamus. Iterum autem hoc nomen Sacræ litteræ ideo dicitur de Sacra Scriptura, ut qui litteras ipsas ejusdem dicimus Sacras, hoc est non carentes Mysterio, simul fateamur, ineffabile esse quod exprimunt, vel continent, vel proponunt.

Quarto. Sic nominatur, vel ut discamus ejus sensum quærere ac meditari; Litteras enim non propter se ipsas, sed propter id, quod continent, consideramus: Vel quia cum litteræ, seu caractères sint quædam figuræ inter se diversæ, quæ tamen unitæ exponunt conceptum mentis, ita quid quid in Sacra Scriptura dicitur, quædam figura est; nam in Veteri Testamento certè omnia in figura contingebant illis, quæ verò in Novo, etsi Figuratum ostendant respectu Veteris, tamen figura quædam sunt futurorum, seu æternorum. Cognoscimus siquidem nunc per speculum (cujus munus est Figuram repræsentare & vel maculas ipsas, ac obscuritatem) & in ænigmate, scilicet nunc per Verba, in futuro verò per Verbum, quod est Candor Lucis æternæ, & Speculum sine macula, & Imago primigenia Bonitatis Dei, quæ Deus est.

Quinto. Quia Litteræ ut supra notatum est, sunt elementa Verborum, quæ ex Litteris, sicut mixta ex elementis exurgunt. Sacræ igitur Litteræ dicuntur cum ad hoc ordinent, ut in nobis formetur Verbum Dei. Vnde *Apost. ad Galat. cap. 4. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in vobis Christus*. Ipseque Christus *Joan. c. 20. Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes: Deos dixit ad quos sermo Dei factus est*. Si enim *Verbum Caro factum est Joa. pr.* Homo qui caro est potest fieri Deus, qui utique in Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, quia nondum Sacræ litteræ extabant, per quas fieret etiam in nobis.

Sexto. Dicitur Sacræ Litteræ sumendo in vulgari acceptione Litteram prout Epistolam significat, quia reverà Sacra Scriptura Epistola est Dei ad homines, qui in corpore mortis hujus peregrinamur a Domino, expectantes beatam Spem, & Adventum Gloriæ Magni Dei nosque Epistola hac unico plenissima Verbo, consolatur Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, in hac lacrymarum valle vix viventes; Ita sumunt Patres ferè communiter, inter quos specialiter *Chrisost. hom. 3. in 2. ad Tessalon., & August. in Ps. 90* Ab illa Civitate inquiunt unde peregrinamur, litteras accepimus, ipsæ sunt Sacræ Scripturæ &c. & alibi sæpè. Litteras acceperant Veteres Patres, sed manum ipsam, qua scriptæ fuerant, implora-

A bant nempe Filium Dei, clamantes cum Davide Mitte manum tuam de Alto *Ps. 143.* Ipseque liber Proverb. hebraicè dicitur Missa. *Xyst. Sen. l. pr.*, quia sapientiam communicat, quasi quædam figura Incarnationis. Venit denique ille, cujus lingua, calamus scribæ velociter scribentis, Missum est a Patre vivum Verbum ut cognoscat Mundus (inquit) quia tu me misisti: At quia & ipse qui missus fuerat assumptus est in Cœlum, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, & quia novum Testamentum Veteris finis est & complementum, quod in illo occultè in hoc, idem apertè habetur; utque sciamus, utrumque Epistolam esse, illud per libros Machabæorum, quorum secundus ut patet Epistola est, terminatur, hoc per Epistolas consumatur, quas & Princeps Apostolorum, & Ja- B cobus, ac Judas, & Joannes dilectus, ac potissimum divinus Apostolus Gentium Deo dictante scripserunt, addito Apocalipsis libro, quam divinitatis Christi prædicator, qui fluenta Evangelii de Dominici pectoris fonte potavit, scribit (estque verè Epistola) septem Ecclesiis, Totique Ecclesiæ Orthodoxorum. Hujusmodi siquidem Epistolæ sunt velut Index, qui ponitur in fine Libri, ex quo proinde quidquid revelatur in novo Testamento, quidquid figuratur in Veteri, digito veluti (qui est Spiritus Sanctus) Paterne Dexteræ demonstratur. Denique novum specialiter Testamentum est Epistola Amatoria, Antiquum verò Epistola Comminatoria, unde illud Augustini. Brevis differentia legis, & Evangelii, Timor, & Amor; Unde C unicus ille de Amore, hoc est de Spiritu Sancto, conceptus, ajebat *Joa. c. 10. Si quis diligit me diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus &c.* & quasi subscribens Epistolæ conclusit, *jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis*. Qui Charitatis noverat transformationem, *Epistola nostra vos estis* inquit Apostolus *Chorintiis 2. Cor. c. 3.*, Nos verò semper clamamus Epistola nostra Christus est, in quo omnes Tesauri Sapientiæ & Scientiæ Dei, qui & est & continet Verbum Dei; Completa est Epistola hæc, cum impletæ sunt Scripturæ, ipseque clamavit dicens consumatum est, aperta est, cum unus Militum lanceâ latus ejus aperuit, ut adhuc impleretur Scriptura dicens, Videbunt in quem compunxerunt; D ideoque & vidimus eam punctis descriptam spineis, ex aperto corde manante subscriptam sanguine, lacrymis cordis exaratam, cum continuò exivit sanguis & aqua, *& qui vidit, testimonium perhibuit, & scimus quia verum est Testimonium ejus*, unde concludens Scripturam esse Dei Epistolam, subdit; *Scripta enim sunt hæc, ut credatis in nomine ejus &c. Joa. cap. ult.*

ARTICULUS III.

In quo concluditur Sacram Scripturam dici propriissimè Verbum Dei.

Æquè propriissimum Sacræ Scripturæ, ac communissimè notum, nedum apud Patres, sed & apud Vulgus universum, nomen est, Verbum Dei,

Dei, quoniam reverà in ipsa & per ipsam, immò A & ipsam lopuitur Deus: *Apost. ad Hebræos c. pr. Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis &c.* nosque ex professo, cum de causa efficiente disputandum erit, ostendemus. Quia tamen evvenire consuevit, ut quę communiter proferuntur, communiter etiam, quoad intimum ipsorum conceptum ignorentur, non abs re erit, si in perscrutando hoc nomine aliquantulum immoremur. Indeque constabit plenius quod omnes supponunt, pauci tamen advertunt, quam propriè videlicet hoc nomine Sacra Scriptura definiri quasi videatur.

Primo. Verbum si sumatur pro sensibili dictione ex *Isid. lib. pr. Orig.* dicitur a Verberatione Aeris, per quam formatur sonus & vox. Si hoc quamvis B minus propriè de Sacra Scriptura, dicamus, intelligemus vel ipsius dulcedinem: *Sonet Vox tua in auribus meis. Cant. c. 2. Vox enim tua dulcis. Et Ps. 18. Quam dulcia faucibus meis eloquia tuâ super mel ori meo*; vel ejus doctrinam pugnantem contra aeream inconstantiam *Eccle. pr. Vanitas vanitatum, & omnia Vanitas*, & in *Epist. Judæ Arbores eradicatæ bis mortuæ, sidera errantia, fluctus &c.* qui transferuntur omni vento doctrinę &c. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Mat. c. 11.*

Secundo. At Verbum melius dicitur, juxta aliam Ethimologiam, compositum ex Vero & Bono, quasi verum & bonum; nam Verbum etiam exterius sumptum pro formali, prius concipitur, C & exprimitur in Intellectu, ad quem spectat Veritas, postmodum extenditur & communicatur, quę est proprietas Boni, spectatque ad voluntatem, ad quam pertinet quęlibet communicatio, quia omnes potentię ab ea applicantur ad exercitium, ut ipsi deserviant per illas exeunti ad quęrendum bonum quod intendit: Vel verum & bonum, quia Verbum exterius formàtur attrahendo, & reddendo Spiritum ex quadam impressione Intellectus & Vnluntatis; Ille enim operatur trahendo ad se, hęc tracta: Sed hęc Philosophi examinent. Sanè nullum Verbum ita verum, nullum ita bonum ac Sacra Scriptura, quę primam Veritatem, summamque Bonitatem effando ineffabiliter continet, significat, ostendit; communicat, de qua idem dici debet significativè, & magisterialiter, quod D de se ipso formaliter, & substantivè, substantiale Dei Verbum Christus ennunciat. *Joa. c. 14. Ego sum Via, Veritas, & Vita.*

Tertio. Nunc discusso Nomine Verbi secundum Ethimologiam, ejusdem significatum secundum Doctores triplex est. Sumitur namque promiscuè, pro Verbo mentali, dicto, & scripto, at per prius pro mentali quod & in dicto & in scripto continetur, tamquam forma supervestita accidentaliter, vel voce, vel caractere. Mentale igitur secundum D. Thomam, cęterosque passim, est expressa notitia, & similitudo objecti cogniti, notitia inquam terminativa quia terminus cognitionis, estque quidam partus potentię cognoscentis, seu intellectus possibilis procedens in similitudinem objecti, juxta illud, ex objecto & potentia pariter notitia: Sed his vacant Philosophi in 3. de Anima. Quod nobis modo notandum videtur est illud Thomisticę Doctrinę principium, quod nempè eadem est omninò natura in specie impressa & expressa scilicet Verbo, & objecto, non subesse naturali, sed sub esse intelligibili. Sic ergo si Scriptura Sacra est Verbum Dei, cujus essentię constitutivum est intelligere se ipsum, ac proinde impossibile est, quod alia a se intelligendo, se ipsum per se prius non attingat, quin imò cognoscendo se ipsum secundùm suum esse infinities imitabile ex se ipso, imitationem sui participat Creaturis, idest eas in se producit. Si inquam Scriptura Sacra est Verbum Dei sub modo accidentali scilicet scriptione, Deum ipsum in esse intelligibili eundem omninò qui est in se indefinibili & naturali modo in esse entis, continet significativè quod munus est Verbi scripti, ita ut sicut Deus intelligens alia & per prius & semel semper intelligit se ipsum, ita proportionabiliter Sacra Scriptura etiam alia a Deo repręsentans, per prius tamen & semel semper in qualibet expressione, Deum ostendit, aliaque ut ipsius manifestationes, eo nunquam omisso, cujus Verbum est, repręsentat.

Quarto. Iterum autem dicitur Verbum Dei suum sic exprimens Auctorem, qui est Deus, vel effectum, quia Deos facit, ad quos Sermo Dei factus est, vel finem ad quem nos ducit, & quem nobis appropinquat. Non enim est alia natio tam grandis quę habeat Deos appropinquantes sibi &c. Nec fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Quod si adeò commendabilis Moyses, quia eum alloquebatur Deus facie ad faciem, sicut solet homo ad amicum suum, quę nostra dignitas quos corde ad cor alloquitur Deus, & ne dum verba sua, sed vel ipsum Os suum Verbum suum, tot reliquit donavit in Verbis? Addere verò hic placet, quod ex ingeniosi Caramuelis doctrina Tom. pr. suę logicę moral. l. pr. de significat. sect. 3. occurrit. Ibi statuit significationem quam habent verba esse quamdam virtualem transubstantiationem, seu transessentiationem Verbi in rem per se primo significatam, quia cum juxta Philosophum non possimus res omnes ad Scolas traducere, inventa sunt vocabula, quę stent loco rerum, ipsarumque rerum munus exequantur in esse Objecti cognoscibilis, quod est ratio entis, idque ipse vocat Analogica quidem, & animosa Emphasi, sed ad significandum quid sit significatio verbalis aptissima transubstantiationem virtualem. Cum igitur Sacra Scriptura stet loco Dei loquentis, & declarantis. Deum, immò reverà sit ipsa ejus locutio, nobis Deum pluribus modis, sed semper ex primaria intentione significans est quodammodo ipse Deus per quamdam virtualem & moralem (in sensu Caramuelis) transubstantiationem objecti in significationem & significationis in objectum, & sic in alio a recensitis sublimiori sensu dicetur Verbum Dei, de quo Joa: pr. dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, ex quo etiam intelligitur quam sublimi sensu, & verè ipsa digno dicatur etiam Sacramentum, Mensa Deificans, & Eucha-

Eucharistiæ adumbratio, ut multoties a Patribus ac Sapientissimis viris audimus.

Quinto. Aliter vel fortasse non aliter quia ferè in idem recidit, dicitur Sacra Scriptura Verbum Dei, quia est quædam Imago Dei, eum nobis adamussim, quantum fieri potest, modo mirabili ac supernaturali, impertransibili fermè devicta distantia, quæ est Finiti ad Infinitum, describens. Et ideo verè Verbum, quia esse Imaginem expressam est essentia Verbi; id enim facile ostenditur. Ut oculorum redimeret aciem per Sapientiam, discipulum in cæcitate visurus ajebat olim sapiens Cæcus, *loquere ut te videam*, vox enim etiam mentientis, uti verax Imago, suum non mentitur Auctorem. Sapientior tamen & si cæca fides, quæ Deum videt in Verbo Dei loquentis, ut jam oblita sit cæcitatis. Frons oculi vultus; tota denique sensibilis imago persæpe mentiuntur, ast non Verbum. Caligans Isaac palpabat, tamen Jacob vidit in voce. Theologorum Principem mentiri conantem, vilis Ancilla convicit: Loquela, inquit, tua manifestum te facit. Dum Deus loquitur, quis Deum suo non videt in Verbo? Hinc de Dei Verbo scriptum novimus: Speculum sine macula, & imago &c. Sic enim interpretatur Apostolus, qui per Scripturam Deum agnoscens ajebat: Nunc videmus per Speculum, ut id innueret, quod sicut fracto speculo, non fracta multiplicatur imago, sic tota Scriptura etiam divisim inspecta, multiplicat Dei Imaginem non dividit, non amittit? Deus enim est in tota totus, & totus in qualibet parte ejus, in qua non confractus non divisus integer accipitur, Eucharistici adinstar miraculi, cum & de ipsa Eucharistiæ (ut jam innuimus) verificetur significatio, est siquidem bona Gratia, quia Verbum ejus est, de quo psallit David: *Diffusa est gratia in labiis tuis Ps. 44.*

Sed hic obiter commonere tenemur Lectorem, ne miretur si ubi rerum summi ponderis tractatio nos expectat, in his quæ minima videntur, quasi oscitante Calamo detinemur. Ita sanè pernecessarium duximus, Primo quia, qui ad Commentatoris munus nundum ascendimus, Commendatoris saltem assumimus, sicque Sacræ Scripturæ dignitatem ac nobilitatem (quod initium Operis decet) si non quantum fas est, saltem quantum possumus, Theologicis innixi principiis exaltamus, sicque in eo quo diffundi videmur, potius compendio studemus, dum eam interim prolixam nimis, quam plures instituunt, de nobilitate ac dignitate Sacræ Scripturæ disputationem quasi occultè expedientes, in una hac de ejusdem nominibus, utramque complemus.

Secundò. Quia cum essentialem & adæquatam Definitionem Sacræ Scripturæ impossibile sit invenire, nunc enim cum Apostolo, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, atque ideo ab adæquata cognitione Verbi Dei, quæ ad similem Definitionem omninò requiritur, prohibeamur, magis propria ejusdem nomina pro modulo nostro ponderare & ponderare conamur, ut ad ipsius, quantum fieri potest, cognitionem appropinquemus: Nomina siquidem primitus Rei imposita, & communi Sapientum calculo comprobata ab immemorabili, si in Sacris loquamur, habent quamdam vim Traditionis, immò & Principii, cui nemo valeat refragari; si verò in utroque Jure consulamus, legitima foventur præscriptione, idque in se compendio servant quidquid de rebus nominatis Sapientes successivè noverunt. Quia tamen ea, quæ magis propria sunt Sacræ Scripturæ nomina, quantum brevi quasi Proœmio licuit enucleavimus, alia properantor attingemus, quæ sive propria sint, sive allegorica facili negotio declarantur.

ARTICULUS IV.

Qua ratione Sacra Scriptura dicitur Testamentum & Instrumentum.

INter præcipuas Sacræ Scripturæ Nomenclaturas, hæc facilè Princeps, quæ dicitur Testamentum; hanc enim etiam divisa conservat; Dividitur siquidem in Vetus & Novum Testamentum, ipsaque Sacra Scriptura hujusmodi sibi frequenter nomen attribuit. Ad Galat. 4. *Abraham duos Filios habuit &c.* quæ sunt duo Testamenta; Immò ipse Christus *Luc. 12. Hic Calix novi Testamenti est.* &c ad Veteris videlicet distinctionem, & ad utrique asserendum nomen idem esse commune. Porrò Testamentum accipitur vel strictè prout est Institutio Hæredis, seu solemnis declaratio voluntatis circa institutionem Hæredum, de quo Juristæ; vel largè prout significat quamcumque animi declarationem, vel Pactum, & Fœdus, præscindendo a dispositione Bonorum in favorem alicujus, & utrumque reddit Vox hebr. Berith., ex quo non modicam sumpsere erroris occasionem Hæretici cum Beza, ex Cajetano; communiter verò Doctores Sacri Sacram Scripturam Testamentum appellant in utraque acceptione cum proprietate. Immò potissimum accipitur pro Jurejurando & promissione, *Luc. pr. Memorari Testamenti sui Sancti*, & quid hoc sit, statim subdit, *Jusjurandum quod juravit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis*, ubi eminentissima quædam significatio Testamenti, omnem aliam comprehendens notabiliter apparet, secundum quam accipitur pro Pacto, Fœdere, Juramento, Adoptione Filiorum, Donatione, & Dispositione hæreditatis, in qua Testator, modo quodam testandi inaudito, se ipsum dedit in hæreditatem nobis, ideoque & pro nobis natus ac mortuus, & passionis suæ memoriale perenne se metipsum donavit in Sacramento Eucharistico, in quo Testator ipse nos vivus panis nutrit per semetipsum; propterea in ejus institutione potissimum meminit Testamenti loco cit. Lucæ. Strictè etiam accipitur, quia etsi in Deo non detur successio voluntatum aut volitionum, ita ut altera sit prima, altera ultima ex parte volentis, ex parte tamen rei volitæ, & quoad executionem volitorum datur ultima voluntas, quam novissimè manifestavit, cum ut ait *Apost. ad Hebr. pr. Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit Hæredem Universorum*, & totam in ipso Ecclesiam, quam sibi elegit hoc est fecit non habentem maculam, neque rugam,

rugam, & secundum hoc nos omnes, qui unum Corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra; utque ad nos explicitè transiret ęterna hęreditas Unigeniti, misit Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater, *si autem Filii, planè & hæredes, hæredes quidem Dei, Cohæredes autem Christi, ut sit ipse Primogenitus in multis Fratribus ad Rom. c. 8.* Immò ne deficeret nobis hęreditas, nos ipsos fecit hęreditatem Christi *Ps. 2. Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ;* Termini enim Terrę sunt Cęli, & quidquid est sublimius Terra, sicque possessi a Filio Dei, qui nos acquisivit sanguine suo, omnium Domini sumus, eodemque cum ipso utimur Jure nempe suo, quia sumus ejus. *Omnia enim vestra sunt* ait Apost. 1. *Cor. c. 3. Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Idque totum continet Sacra Scriptura, ad quod quidquid in ipsa continetur, divino quodam modo declarandum ac statuendum collimat, ut quia sic omnium bonorum continet dispositionem, divinum necessariò & propriissimè in omni acceptione dici debeat Testamentum. Ita Hieron. in c. 31. Joan. August. in Ps. 68. Ricard. a S. Vict. tom. pr. l. pr. c. 12., aliique communiter Patres, iidemque passim.

Opponunt tamen Erasmus & Bezza illud Apost. *Hebr. 9. Ubi Testamentum est, Mors necesse est intercedat Testatoris &c.* & Testamentum non nisi in Mortuis confirmatum est, quia dum vivit, qui testatus est nundum valet; Ex quo Mat. 22. Bezza concludit omnem Scripturam quę precessit Mortem Christi non fuisse, nec dici potuisse Testamentum. Sed nimis cavillant materiales homines; concedimus quidem, non cum ęquali proprietate dici Testamentum Vetus, ac Novum, quia illud non est completum nisi in novo ad quod ordinabatur, tamquam Figura ad Figuratum, unde sicut figura Petri dicitur Petrus vulgari potius quam rigoroso nomine, ita Vetus figura Novi dicitur Testamentum ratione illius quod prefigurabat. Nec tamen illi deest proportionalis ratio, ut sic appelletur ex eo quod opponitur exurgens. Quia enim ut Testamentum valeat, mors necesse est interveniat Testatoris, ideo in novo Christus Testator noster verus homo, & Deus verè mortuus est realiter, in veteri verò idem ipse figurativè in reali mactatione Agnorum, ut in Paschali Phase, cęterisque Sacrificiis; Immò hic ipse modus prefigurationis declaratus est in Sacrificio Isaac, qui erat Filius Promissionis, pro quo substitutus est Aries in Victimam, ipse verò Isaac reservatus ad propagationem Populi Dei, in figuram nempe Christi, qui in victimis Legis sacrificabatur ut in figura, ipse verò reservabatur (Christus enim heri & hodie & in ęternum) ad formandam perficiendamque Ecclesiam, pro qua denique Agnus immaculatus in Ara Crucis obtulit se metipsum; ubi notandum quod de Isaac non legimus, quod occubuerit tamquam Victima, cum mortuus est, quia figura nunquam Prototipum valet adęquare. Dicamus igitur Vetus Testamentum figurativè per comparationem ad Novum, quod tale propriissime, & realiter fuit.

Sed dicet Beza etiam contra novum Testamen-

A tum, illud non esse propriè tale, quia Christus resurrexit a mortuis, primitię Dormientium, immò in eodem Testamento promisit hęredibus suis, quod simul cum ipso fruituri essent Bonis ejusdem hęreditatis, *ut edatis inquit & bibatis super mensam meam in Regno meo Luc. 22. & non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum vobiscum in Regno Patris mei: Marc.* 14. constat autem quod si resurrexit, verè post Resurrectionem vixit, & vivet in ęternum, ideoque Testamentum ejus non valet, immò nec ullo modo, potest dici hęres, qui simul cum Testatore fruitur Bonis hęreditatis, constat siquidem quod hęreditas transfertur ad hęredem cum dominio privativè a Testatore, quem supponit non esse.

Sed inepta nimis & perversa Doctrina est, quę
B divina subdit humanis legibus, quę inventę sunt ad supplendos mortalitatis nostrę defectus. Certè Pater Æternus nedum Pater est, sed ab eo omnis Paternitas in Cęlo & in Terra nominatur, negabit igitur Beza ipsum esse Patrem, quia Filium tempore non pręcedit, sicut in humanis, quia Pater & Filius una Substantia una Natura; duplexque simul Persona, in absolutis omnibus coęqualis & una essentia, quę omnia è contrario procedunt in humanis finitis generationibus, quę sunt finitę quędam adumbrationes & participationes Generationis ęternę. Sicque & Deum negabit & ex hęretico, tandem eo perveniet, ut fateatur se Atheistam. Maneat igitur ex summa tantum perfectione Testatoris, & hęreditatis Divinę oriri, quod
C Testamentum istud illis careat conditionibus, quę ex humana tantum supposita limitatione & imperfectione verificantur in humanis, idque potius concludi debere perfecta non esse humana testamenta, quia a Divini illius perfectione toto Orbe distant, ac similia argumenta in se tantum pugnare, dicatur igitur nedum verè & propriè, sed originaliter Sacra Scriptura Regula & Testamentum Testamentorum. Nec plura de hoc nomine, tum quia in decursu Operis, de hac materia sermo redibit, tum quia R. P. N. Cherubin. t. pr. Suæ Sum. Crit. disp. 1. a. 3. & in Opere Magno loco ibidem citato diffusissimè quidquid occurrere potest quoad hunc Articulum absolvit, cui maximè debemus hujus Operis brevitatem, cum feliciter pręventi simus; nec tamen propterea oscitamus; sed quidquid toto
D studio paravimus, communi prelibamus utilitati &c.

Cohęrenter etiam Sacra Scriptura dicitur Instrumentum, primò, quia sicut in Instrumento vulgariter dicto patefiunt contrahentium Voluntates, & Obligationes, ita in Scriptura Voluntas Dei manifestatur & hominum Obligationes. Ita communiter Patres. Secundò quia Instrumentum communiter dicitur id, quo utitur Artifex ad opera Artis, & Scriptura Sacra est id, quo summus Artifex, quem credimus Factorem Cęli & Terrę utitur ad complendam in homine Ideam novi Hominis, qui secundùm Deum creatus est in Justitia & Veritate, & est id in quo nos modum edocemur vivendi & amandi Deum, quę est Ars Artium; Immò definitio ipsa Artis & Prudentię Sacrę per se primò Scripturę debetur, quę est recta ratio

Agi-

Agibilium & Factibilium. Quod si comparemus inter se hæc nomina, Testamenti videlicet, & Instrumenti, licet utrumque propriè debeatur Scripturæ, universalius tamen videtur nomen Instrumenti, quam Testamenti, quia in ratione Testamenti aliquando scilicet in Veteri lego imperfecta fuit, Lex enim vetus ait Lactant. cum tunc nondum mortuus esset Testator realiter; sicut cætera Testamenta, dicebatur infirma; *quia nemimem ad perfectum duxit nequam Lex*, ad Hebr. 7. & etiam clausa ob Prophetias & Figuras quæ ante Mortem Christi vix intelligebantur; *Luc.* 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum loqueretur &c. & aperiret nobis Scripturas &c.* Ita etiam Ederus lib. pr. Tab. 8. In ratione verò Instrumenti numquam fuit imperfecta; Perfectè enim instruxit hominem juxta exigentiam sui status, & opimas congruasque singulis, & loci & Personæ, & Finis & Temporis circumstantias proposuit Leges & Instructiones ut patet in Pentateucho per totum in libris Sapientialibus ac Propheticalibus, omni denique veteri Instrumento. Hinc optimè Oviedo l. 3. c. 1. Instrumentum est, quia Sacris Scripturis instruitur quisquis ad salutem; quid credere, quid sperare, quid agere debeat, & insuper quia Authentica est probatissimis Scriptoribus ac Testibus obsignata nec ulla falsitate suspecta; Ideoque August. l. 3. c. 4. contra secundam Epistolam Pelag. concludit Sacram Scripturam distinctius dici Instrumentum, quàm Testamentum, sibique consentit ubique August. Immò David dicit *Ps.* 118. *Viam Justificationum tuarum instrue me, & exercebor &c.*, & alibi sæpè.

ARTICULUS V.

Cur Biblia, Pandecta, & similia nomina Sacræ Scripturæ conveniant.

Biblia dicitur Sacra Scriptura vulgatissimum nomen est, sivè in singulari, sivè in plurali sumatur: Sic dicitur à Nomine Græco Biblos, quod significat librum, secundùm Isidorum & cæteros communiter; sic igitur appellatur, quasi sola sit liber, librique omnes simul, seu Liber Librorum, & fons omnis Verbi. Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Nomine verò Græco prædicto significatur Liber vel Libri vel Libellus, ut notant plures, unde Bibliorum Liber ut intelligit l'Haye in Prolog. est veluti quædam Dei Bibliotheca, à qua omnis originatur doctrina, ad quam omnis tendit Veritas, & Sapientia. Libellus autem ex opposito dicitur vel ad excessum inexplicabilem exprimendum per figuratam diminutionem, vel Libellus ob insigne compendium, quia in comparatione & merito eorum, quæ continet; prodigium est parvitatis, ejusque se esse singulare Opus demonstrat, qui Terram palmo concludit, cujus digitorum opera sunt Cæli: Vel quia tota Sacra Scriptura in paucis membranis, immensum continens Verbum Dei, Figura fuit & Imago quædam ineffabilis Incarnationis, per quam infinitum & incomprehensibile Verbum Dei in minimis

A & infantilibus membris dignatum est comprehendi quasi ex infinito Verbo libellus infans. Vel ad humilitatis Elogium, & parvitatis dignitatem, ut ex ipso hoc nomine confundantur superbi, & discant omnes solis humilibus datum esse, ut ex hoc libro hauriant sapientiam, vel ut non desperent parvuli addiscere, libellus exhibetur, in quo spiritalis Alphabeti elementa valeant edoceri. Vel quia libellus est in existimatione carnalium hominum, pars enim ejus præcipua spiritus est, quod si materialiter intelligatur, nihilominus; Verba ejus Spiritus, & Vita sunt; & Deus Spiritus est, & veri Adoratores adorant in spiritu & veritate. Joan. 4. Unde etiam littera occidit, Spiritus autem vivificat. Aliter etiam Libellus, quia hoc nomine significantur supplicationes, ipsaque Doctrina est

B Orationis erigens mentes nostras ad Deum, ipseque in ea spiritus ejusdem Auctor orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Oratio est, qua convincimur de Veritate, & Dei laudes edocemur. Vel denique libellus, quia ita accipitur pro Scriptura firmante contractum, & per hanc obligationes nostras & cognoscimus & firmamus. Postquam enim diximus cum Propheta *Ps.* 118. *Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, Principium Verborum tuorum Veritas, In æternum omnia judicia Justitiæ tuæ &c. Tuus sum ego salvum me fac*, denique adjicimus, *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ*, & concludimus *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus*

C *Ps.* 118. Et quia semper sibi Veritas una est ideo eadem Scriptura in hoc sensu consequenter & Libellus dicitur & Testamentum & Instrumentum, ut supra diximus, & propriissimè dicitur liber quia liber à libertate dicitur; & est nomen Filii, sic enim in plurali dicuntur Liberi ad distinctionem, servorum Empticiorum, ut sic intelligatur totum quod continetur in Sacra Scriptura esse liberum; hoc est Filium Dei, qui est Verbum Patris; libri nomine, quia Verbum abreviatum, ac Filiationem nostram, & adoptionem, qua non sumus servi sed liberi, qua libertate Christus nos liberavit, ut etiam de singulis verificetur, *Itaque jam non est servus sed Filius, quod si Filius & heres per Deum*, *Ad Gal.* 4.

D Pandecta etiam dicitur Sacra Scriptura vel Pandectæ eo quod scriptis pandat dictum Dei verbum, vel dicta Verbi Dei. Hoc autem nomen, quamvis mutuò concedatur, vel per accomodationem applicetur quibusdam Legibus Civilibus, est tamen antiquissimum nomen Sacræ Scripturæ per prius, immò primitus omninò ac propriè eidem conveniens, Teste Cassiod. l. pr. Institut., & Beda in lib. de sex ætatib. Est enim græcum nomen, quod significat Scripturam perfectam universa continentem ad aliquod genus spectantia, quod omninò & in sola Sacra Scriptura verificatur, cum nec deficere potuerit ejus Auctor, nec sublimior; perfectiorve sapientia ministrari, quàm quæ Deus est & à Deo est, nec aliquid deesse ubi edocetur Vita æterna. Adde quod Pan apud Græcos dicitur Deus Pastorum, sicque Pandecta, quasi Pan ; idest Dei qui nos pascit Verbo se ipso Ego s[um] panis vivus.

Ego sum Pastor bonus) dicta continens, exhibens, & ministrans. Ast jam satis, ne alibi ennucleanda praeveniamus, & quae mox subiicienda nos vocant confundamus.

Vocatur etiam Sermo, Doctrina & similia, quae in praecedentibus explicata sunt; sed addi potest, sermo à ferendo dicitur ut inquit Isidor. quia per Sermonem Doctrina seminatur, ipseque Christus ait, semen est Verbum Dei ergo ipsa ejusdem seminatio nempe Sacra Scriptura propriè dicitur Sermo; eamque nomen efiecundissimo ipsius Scripturae campo. Doctrina, sic enim eam appellat Apost. *Rom.* 15. *Quaecumque scripta sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt*, & ipse Christus *mea Doctrina non est mea, sed ejus qui misit me: Jo: c. 7.* Dicitur etiam Lex à Deo Hominibus promulgata, & generaliter mandata, vel mandatum, Justificationes, Praecepta, Testimonia, Judicia, ut passim in Scriptura, ac praesertim *Ps.* 118. repetitum comperimus, quae nomina latè sumpta totam comprehendunt, strictè verò & magis propriè, magis nomina sunt singularium partium Scripturae, quam totius: Lex enim est propria significatio Veteris Testamenti, sicut & mandata & Praecepta sumpta denominatione à potiori quod in illo continetur nempe à Lege data Moysi in Monte, & mandatis Caeremonialibus ac Judicialibus, & Praeceptis Decalogi in Tabulis scriptis Digito Dei, quae omnia idem sunt ac Lex, unde ille dicebatur status Legis ad distinctionem status Gratiae, & Evangelii, unde de illo Christ. *Mat. c. 11. Lex & Prophetae usque ad Joannem* & Apost. *Galat.* 2. *Non justificabitur homo ex operibus Legis, & 3. Itaque Lex Paedagogus noster; & ad Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit Lex*, & alibi saepissimè. Vid. August. de Trinit. lib. 15. c. 17.

Testimonia, hoc quidem nomen summi potest pro tota Scriptura, quatenus est infallibile Fidei fundamentum, cujus & singula Verba, & simul omnia sunt Testimonium firmissimum, & Testimonia Divinae Veritatis, Amoris, ac Bonitatis, de quibus Ps. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, & ideo credimus, & adoramus, unde subdit Domum tuam decet Sanctitudo.

Mandatum in singulari est insigne nomen Novi Testamenti, quod quia Amoris est, qui est Virtus unitiva secundùm omnes ex Magno Dionisio, dicitur mandatum in singulari *Jo: 13. Mandatum novum do vobis &c. hoc est Praeceptum meum ut diligatis invicem & Mat.* 22. In his duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetae; nec moveat quod dicit in his duobus &c. quasi sint mandata & Praecepta, non verò singulariter unum; occurrit enim *Greg. hom. 27. in Jo: dicens omne mandatum de sola dilectione est, & omnia unum Praeceptum sunt, quia quidquid praecipitur in sola Charitate solidatur*, & *Plenitudo Legis est dilectio Rom.* 13. unde ut referet Hieron. Importunis respondit opportunè Jo: de Charitate agens. Quia Praeceptum Domini est, & si solùm fiat, sufficit.

Caelestem Auctoritatem eam vocat Cassiodor. in Titulo Cap. 15. Institut. sub qua, inquit, cautela legi debeat, Caelestis Auctoritas, & eodem nomine deinceps frequenter utitur, alia enim Volumina habere dicuntur participatam quandam Auctoritatem, vel ex sapientia ac nobilitate suorum Auctorum, vel ex communi quodam Plausu, & Consensu, & Usu, at sola Sacra Scriptura nedum Auctoritatem habet, sed ipsa Auctoritas est.

Digestum etiam eam vocat singulariter Tertullian. l. 4. adversus Marcion. c. 3., & inde inquit sunt nostra digesta, quod est germanum illud Apostolorum instrumentum, & c. 5. Evangelium Lucae appellat Lucae Digestum &c. Quo nomine significatur eam esse Legum omnium Legem, sivè in ea digestas ac congregatas statutasque absque ulla dubitatione: omnes Rectitudinis Leges, sic enim Digestum vocant Juristae collectum ex pluribus sententiis rerum judicatarum Volumen, quod & ipsi in Vetus, & novum distinguunt.

Plura Hebraeis usitata Nomina, quibus Sacras exaltant Scripturas ex Galatino, Serario, Mario, Sandero, Simonio, caeterisque Isagogicis Doctoribus, nec non & Rabbinis, pertractat N. P. Cherub. loc. cit., tum in Opere Magno, cum etiam in Sum. utrobique T. pr. quoad ea tamen, ne in re quae plurimi non est momenti plusquam par est detineamur, ad eundem remittimus Lectorem. Juvat potius ea quae in praesenti, ac praecedenti Artic. dicta sunt ex PP., & Georg. Edero l. 2. à Tab. 4. brevi luce illustrare. Testamentum itaque dicitur Scriptura, nam secundum Irenaeum, humano generi quattuor data sunt Testamenta; Unum quidem ante Cataclysmum sub Adam, secundum post Cataclysmum sub Noe, ut ex Genesi constat: Tertium est legislatio sub Moyse, & haec omnia uno nomine Vetus dicuntur Testamentum. Quartum verò quod renovat hominem, & recapitulat in se omnia, quod est per Evangelium elevans, & pennigerans homines in Caeleste Regnum; Verba sunt Irenei l. 3. de haeres. c. 11., & haec sunt duo Testamenta juxta communem sensum nempe Vetus, seu primum, quod secundum August. contra Faust. Manich. lib. 15. c. 2. nihil ferè est aliud, quam Prophetia novi Testamenti; ideo sic dictum, vel quod Temporalium rerum promissiones contineat, quae veterascunt, & pereunt. Idem August. contra eundem lib. 4. c. 2. vel quia per novum aboleatur, quoad plura. Et novum sive secundum juxta Aug. lib. 18. de C. D. c. 54. quod est perfectio Veteris, sic dictum quod aeternae vitae, quae nunquam veterascit, contineat promissiones. Hinc eadem Scriptura dicitur Pactum, quia in utroque Testamento licet diversimodè, statuit Deus nobiscum Pactum. *Gen.* 9. *Statuam Pactum meum vobiscum*, ubi Chrisost. hom. 7. Hinc dicitur etiam Promissio; Vetus quidem ob praecipuas Promissiones factas Adae de semine Mulieris scilicet Christo Filio Virginis Gen. 3. Noè de diluvio non reiterando, seu de remissione futura paenae extremae. Gen. 9. Abrahae & semini ejus de Terra Chanaam; de venturo Messia, de futura liberatione Filiorum Israel, quae erat figura futurae Redemptionis, quae habentur Gen. 12. 15. 18., & alibi saepè. Novum autem Promissio

dicitur

dicitur quia impleta est præcipua Promissio per Adventum Messiæ, & ex hoc data & confirmata Promissio Vitæ æternæ, atque ad eam parata media, scilicet Sacramenta, immò & via infallibilis & vita, unde de se ait Christus *Jo: 14. Ego sum Via, Veritas, & Vita*, per quem ad eam pervenimus, de qua Idem *Jo: 17. hæc est Vita æterna ut cognoscant te &c.*

ARTICULUS VI.

An congruè Sancti Patres Sacram Scripturam describant per nomina quædam Metaphorica, Allegorica, & Simbolica.

Ex Infimis ubi jacet, Sacræ Scripturæ excellentissimam quidditatem, à longè saltem vibrato intuitu deprehendere, vel potius prælibare, humana conatur humilitas. Hinc Sancti Patres, quibus datum est nosse, licet non satis edissere Mysterium hoc magnum Regni Dei mutuatis hinc inde à nobilioribus objectis, caracteribus ipsam describere studuerunt, Fide dictante, protegente obscuritate Veritatem. Et quidem tot Allegoriis, Simbolis, ac Metaphoris eam adumbrarunt, ut illis non quidem ennucleandis, sed vel referendis imparem se feliciter sentiat brevitas quam profitemur. Profectò si ea consideremus, satius dicentur descriptiones quædam Sacræ Scripturæ effectus, causas, proprietates, similesque circumstantias complectentes quam nomina, cum igitur de prædictis Sacræ Scripturæ notionibus, affectionibusque ipsam circumstantibus suo loco, & mox sit agendum prædictas Metaphoricas, seu etiam simbolicas lineas aliquo vix puncto prælibamus.

Primo igitur dicitur Paradisus Animarum, & quædam futuræ Beatitudinis prælibatio; *Amb. l. 6. ep. 41. Quilibet Sacer Liber variis floribus alat. In Gen. Virtutes pullulant Patriarcharum; in Deuteronomio legis Præcepta &c.* Unde Andr. Cretens. *Oratione Sanctæ Crucis: Ingrediamur Sacrarum Scripturarum Paradisum.* Ita & Bern. *In Paradiso erat Arbor Scientiæ, & Lignum Vitæ. Elias in Paradiso, nos in scripturis fructum habemus Immortalitatis: Serm. 64.* Alcuin. *in c. 2. Eccl. In lectione Scripturarum pascimur & potamur de Ligno Vitæ, quod plantatum est secus decursus aquarum*, ita, & Ireneus Greg. *hom. 10. in Ezech.* ad illud Ps. 103. Extendens Cælum sicut pellem, *hæc est Sacra Scriptura, de qua nobis & sol sapientiæ, & luna scientiæ, & Stellæ ex antiquis Patribus exemplorum, & virtutum omnium luceant &c.* Beda: *Scriptura Sacra rectè Cæli dicuntur, quæd desursum sunt hominibus attributa, & cælestia in se continent Sacramenta.*

Terra Repromissionis: *Rup. prolog. in Apoc. Sacra Scriptura vera Repromissionis est Terra.* Estque sicut arrha Beatitudinis, ex qua ipsa nascitur, quippe in ea præcontinetur; semen eam dicunt Greg. in Ezech. l. 1. hom. 3., & Beda in Levit. c. 15. *Columba deargentata* idem Rup. *l. 11. in c. 26. Mat.* Ipsa est Columba cujus littera argentum, sensus mysticus aurum est &c.

Ostium quod nos ad Deum ducit: Chrisost. hom. 58. in c. 10. Jo: quia nobis ejus aperit cognitionem, de qua etiam intelligitur illud *Joan. Qui non intrat per ostium ille fur est & latro.* Ita etiam Theophil. ad *c. 10. Jo: & Isich. l. 1. in c. 4. Levit*, *Ostium* ait *Tabernaculi est & Cæli*. Addit Chrisost. *hom. 7. de Pænit. Portus est scriptura à fluctibus liber, murus firmissimus, Turris minimè nutans, Gloria non diripienda non vitianda, firma Felicitas minimè languens, continua voluptas, & quot quis dixerit Bona, Sacra comperiet in scriptura.* Addit etiam Rup. *lib. 3. de Vict. V. D. c. 3. Sacra* inquit *Scriptura Turris vera*, & verè pertingens usque ad altitudinem Cæli construenda erat, Sacramenta continens jam dictæ Promissionis.

Via recta Paradisi: Hieron. in Ps. 5. *Ego cupio intrare in Domum tuam, & volo intrare per viam tuam rectam*, quæ est lectio Scripturarum.

Scala & gradus. Isid. Pelus. *l. 1. ep. 24. quia per eam ascendimus ad Deum.* Gregor. in Prolog. ad lib. Reg. *quid est Scriptura, nisi gradus quidam, qui conscenditur ut illa sublimitas contingatur.* Scala Jacob: quam ipse vidit, & Dominum innixum scalæ. S. Zeno.

Vestes Esau (inquit Hieron. ad illa verba *Gen. 27. Et Vestibus Esau valdè bonis quas apud se habebat*) *Fides & Scriptura sunt Ebreor. quibus Gentilium indutus est Populus.* Ita & Greg. hom. 6. in Ezech., & Ambr. Serm. 13. in Ps. 118. in illa verba *Odor agri pleni Gen. 27. Vestimenta Jacob, quibus exuitur Sinagoga, & induitur Ecclesia, qua non unius floris, sed omnium varietates, & suavitates concludit.*

Mensam dicunt innumeri Doctores; Sedul. in ad Roman. ad illa Verba *Ps. 68. fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, ideft Sacra Scriptura facta est Judæis in laqueum, in qua irretiti capiuntur. Petrus Blesens. *Ep. 60. Mensam Tabernaculi.* Agell. in lib. 3. Reg. cap. 7. cum dicit: *Fecit Salomon Altare aureum*, subditur, *& mensam, (super quam ponerentur Panes Propositiones) auream; hæc est Sacra Scriptura spiritali intelligentiæ, claritate fæcunda, de qua dicitur: parasti in conspectu meo mensam adversus &c. ne nos adversarii ad errorem flectant. Panes autem Propositionis sunt Doctores Sancti: quorum & exempla & verba in Scripturis elucent &c.* prosequitur de mensis decem 1. Paral. 4. à Salom. factis, & duodecim Panibus, qui sunt duodecim Apostoli.

Ita ferè omnes communiter, inter quos plures eam dicunt Frumentum, cujus medullam comedimus, cum intimum & spiritalem sensum ejus ruminamus, de quo dicitur & adipe frumenti satiat te. Remig. Cæterique.

Lac, Panem, Vinum, Cibum, Potum, Vineam communiter eam Patres appellant, quia in ea candescit Veritas, & nutritur Innocentia, & magis ex ea spiritus quam ex pane Corpus vivit, & fatiat simul & sitim acuit: Qui bibunt me adhuc sitient, & ut habeatur dulcis liquor necesse est exprimere botros ejus, ut notat Radulphi Flaviae. l. 17. super c. 5. Levit. &c. Tria Canistra farinæ de quibus Gen. 40. Lippom. Scripturam dicit scili-

et Legem Prophetas, & Psalm. ut exprimatur tripartita, Canistrum superius Lex Moysis; ob densitatem Mysteriorum, ex quo volucres Cæli cibum capiunt &c.

Manna frequenter plurimi. Ambr. *l.* 2. *de Cain &c. c.* 6. *Manna non otiosè tritum ac politum accipimus eo quod Cælestium scripturarum eloquia dici terere ac polire debemus toto animo & corde versantes, ut succus ille spiritalis cibi in omnes se se animæ venas diffundat*. Aug. *serm.* 91. *de Temp., sicut ipse est, qui aliis in ruinam, aliis autem in resurrectionem, ità & ipse est, qui nunc in Manna Fidelibus quidem dulcedo mellis, Infidelibus autem vermis efficitur &c.*

Labrum enæum, quod collocavit Moyses in Tabernaculo ut in eo lavarentur Sacerdotes in Sancta Sanctorum ingressuri: Scriptura est: August. Serm. 38.

B

Rota in medio Rotæ est Greg. ad illud Ezech. Apparuit Rota una super terram, ubi Rota quasi per terram trahitur, quia parvulis humili Sermone concordat, & tamen Magnis spiritualia infundens, quasi circulum in altum levat, & inde sursum erigitur unde terram tangere ante videbatur. Petr. etiam Blessen. Rotam in medio Rotæ concordiam utriusque dicit Testamenti, quia unum in altero, & cum altero simul currit, & elevatur. *Ep.* 140. consentit idem Greg. *Rota in medio Rotæ sunt duo Testamenta &c.* Bonaven. in *Prolog. Breviloq. Scriptura tàm vetus quàm nova habet quatuor facies, scilicet Libros Historiales, Legales, Sapientales, & Prophetales*, congruit Greg. 2. *Past. c.* 11. exponens illud Ezech. 25. *Facies quatuor Circulos aureos, quos pones per quatuor Arcæ angulos, faciesque vectes &c.* dicuntur quatuor Circuli aurei quatuor Evangelia, Vectes Prædicatores, Arca Ecclesia.

C

Mentis speculum *Jac. c.* 1. *Qui auditor est Verbi & non factor, similis est viro consideranti vultum Nativitatis suæ in speculo*: Hieron. ad Demetriad. Lectione Sacræ Scripturæ vice speculi utere. Speculum Dei Majestatis, quod de Sacra Scriptura intelligunt Bonav. Opus. pr. Ugo Card. loco cit., & communiter Patres, ac præsertim Anspert. in Apoc. An non speculum ei qui dicebat, Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis? Si speculum frangitur, multiplicantur figuræ, & tamen repræsentata Veritas semper una est &c. sed de hoc alibi.

D

Turris David, quæ ędificata est cum propugnaculis, nam ut ait Just. Orgelit. in Cant. *Itaque in hac Sacra Scriptura, omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra Diabolum, vel contra Ministros ejus fortiter repugnatur; Nam & ipse Dominus ex hac Turri arma produxit, cum Diabolum prolatis ex Scriptura Testimoniis usquequaque devicit*. Greg. considerat in mille Clypeis, qui sunt Exempla, & Præcepta numerum Perfectionis expressivum, ad quam perducimur à Verbo Dei: hom. 15. in Ezech. Turris sanè, cujus culmen pertingit usque ad Cælum, immò & supra ad Deum, omninò opposita Turri, quam moliebantur Gigantes *Gen. c.* 11. *Ad cujus eversionem venite*, inquit Deus, *& confundamus ibi linguam eorum &c.* Ad hujus verò perfectionem è contra in primitiva Ecclesia erat omnium cor unum, & anima una, utique & labium unum, unde quilibet ex illis omnes erat & linguis omnium loquebatur, annuncians cum fiducia Verbum Dei.

A

Clypeus. *Prov.* 3. *Omnis Sermo Dei ignitus Clypeus est sperantibus in te*. Hieron. *ep.* 9. *ad Salvian. Sit in manibus tuis divina lectio semper &c. ut sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, tali clypeo repellantur*: *Ps.* 90. *Scuto circumdabit te Veritas ejus*.

Gladius. *Hebr.* 4. *Vivus est Sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c.* Ricard. à S. Vict. illud *Apocal. De ore ejus exibat gladius utraque parte acutus*, explicat de Verbo Dei. *Luc.* 22. *Sunt duo Gladii hic*, respondit Christus, *satis est*, ubi Ambros. Duos gladios discipuli obtulerunt, unum Veteris, alium novi Testamenti, quibus adversus Diabolum armamur: dicit Dominus, satis est, quia nihil illi deest, qui se utriusque Testamenti doctrina munierit. Item Apost. *Gladius autem spiritus, quod est Verbum Dei.*

B

Mensa spiritalis, sivè absolutè Mensa; hoc probat P. Lopez in toto Opere suo, insignito simili titulo, in quo per Sacram Scripturam à Patribus declaratam, alit legentibus Veritatem. Didim. in *Ps.* 68. *lectio est panis &c. Luc.* 24. *Cognoverunt eum in fractione Panis*. Ex quo Eucher. *homil. in Dedicat. Eccles. Nunquam sic cognoscitur Jesus, sicut in fractione panis, nunquam sic ostenditur Dominus, sicut in expositione Sacrarum Scripturarum*. Carens. in c. 1. Isajæ: *Vinum est dulcedo Sacræ Scripturæ: Introduxit me in Cellam Vinariam*, leg. Cald. *in Domum Gymnasii Doctrinæ*. Gregor. in *cap.* 1. *Cant. Quid est hæc Cella Vinaria? Sacræ Scripturæ Arcana*; Idem & Plurimi in illud Math. Non in solo pane vivit homo.

C

Fluvius Aquæ Vivæ. *Apoc.* 21. *Ostendit mihi Dominus fluvium Aquæ vivæ splendidum tamquam Cristallum &c.* Quem locum assumit D. Bonav. & ostendit evidenter intelligi de Sacra Scriptura toto Opus. pr., quod inscribit principium Sac. Scripturæ quod Opusculum mirabiliter juvat ad introducendum studiosos, ad intelligentiam Scripturarum, ideò ad illud Lectorem remittimus, ad supplendum ea, quæ hic brevitati donamus.

D

Aqua amara. Beda *ex c.* 5. *num., aqua amara S. Scriptura dicitur, quia peccantibus non parcit, & Justis dulcis, quibus æterna præmia repromittit, & ideo aliis aqua est benedicta, aliis maledicta.*

Piscina grandi opere constructa (idem Beda) a Spiritu Sancto, quę lavaerum ad expianda peccata, simul & poculum salutaris gustus ministrat, quę si a Domino nobis fuerit in vinum conversa, gratiori inebriat suavitate, ubi domus est fortium &c.

Carbo. Apon. *l.* 1. *in Cant. Deus Pater dedit Verbum ignitum huic mundo, quod in figura Carbonis forcipe duorum Testamentorum de Altari levatur, & labia purgat Isaiæ.*

Aquę fluentes. *Ps.* 77. *Percussit petram, & fluxerunt Aquæ & torrentis inundaverunt Petra Christus,*

stat, pr. Corint. 10. quo percusso in passione aquę fluxerunt Legis & Prophetarum eloquia, ab illa originem habentia, quę Apostolos tamquam Torrentes impleverunt Ansbert. in Apoc.

Pluvia, unde Moys. in Cant. *Expectetur sicut Pluvia Eloquium meum, & descendant sicut Ros Verba mea. Et Is.* 5. *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem, & tenebrosa aqua in nubibus aeris*, scilicet enigmata Scripturarum, ut Idem, & a Tena in Isagog. in Princip. cęterique communiter.

Cor Dei. *Jo.* 1. *In ipso vita erat, & vita erat Lux hominum*, bis Vita in Verbo Dei, nempe Vita Dei, & Vita hominum, quę est Lux, nempe Dei doctrina, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum &c. Ita sępè Ven. Beda, cęterique. *Dedit eis cor ut intelligerent*, & 1. Reg. c. 13. de David, *Invenit hominem juxta cor suum &c. & Ps.* 44. *Eructavit cor meum verbum bonum &c.*

B

Guttur Sponsi. Philo Carpat: in Cantic. Per Guttur Sponsi, Testamentum novum; ut enim per ventrem Vetus, quasi per inferiorem partem, ita per guttur, novum, nobilius membrum atque sublimius &c.

Duo hinnuli. Just. Orgelit. in Cant. Duo ubera, sicut duo hinnuli. Duo Testamenta duobus hinnulis. Caprеę, idest ex peccati traduce venientibus Populis coaptata &c.

Arcus *Ps.* 77. *Arcum suum tetendit &c.* Arcus hic dicitur Scriptura: Arcus enim habet duo, scilicet lignum durum & cordam mollem, & tamen lignum durum per cordam mollem flectitur. Sic Sacra Scriptura habet Vetus Testamentum quod durum erat & rigoris &c. oculum pro oculo &c. habet & novum Testamentum quod totum est molle, & pietatis quia indulgentiam prędicat, & ita vetus Testamentum per novum flectitur & domatur, sicut Arcus per cordam. Incogn. super loc. cit. Tetendit Arcum, idest exposuit per suos Doctores &c. & Ps. 10. Hunc arcum intendunt Hęretici explicant & torquent; Cum enim intenditur Arcus, utraque pars ejus, lignum & corda plicatur, quia tam novum, quam vetus Testamentum torquent a verą intelligentia, & ad suas hęreses applicant.

C

Mons. Hieron. *l.* 16. *in Isa. c.* 57. *Possumus Montem Domini, quem Sancti possessuri sunt, Scripturas Sacras intelligere; de quo & in Michea legimus: Erit in novissimis diebus manifestus Mons Domus Domini.* Et Petr. Aureol, in Compend. Sacrę Scripturę in princip. in illud *Isa. c.* 2. *Venite ascendamus in Montem Domini, in domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas* pulcrè id ostendit, Vide.

Argentum *Ps.* 10. *Eloquia Domini eloquia casta, Argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum.* Ubi noster Incogn. dicuntur argentum propter sonorositatem Prędicationis, igne

A examinatum, quia dilectionem prędicant & Charitatem, probatum terrę, dicitur Terrę more Gręcorum, qui ut dicant purgatum a Terra, dicunt purgatum Terrę (& ex hoc explicatur quomodo dicantur casta) idest probatum & separatum a Terra, probatum septuplum, quia septem donis Spiritus Sancti ornatum, in quibus omnis virtus continetur, quibus virtutibus probavit Christus Eloquium suum ut ostendit August. l. 1. de Serm. Domini in monte, & his congruunt septem Beatitudines: Alia littera habet, probatum centuplum, sed textus errorem habet vitio Scriptorum, quod si non sit error, lycentuplum stabit pro pręmio, *centuplum accipietis, & vitam &c. Mat.* 16. Hęc ille.

Lucerna *Ps.* 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum &c. Greg.* 19. *Moral. c.* 9. *Lucerna quippe nomine Sacræ Scripturæ lumen significatur, de qua ipse Ecclesiæ Pastor Petrus dicit; habemus firmiorem Propheticum Sermonem, cui benè facitis attendentes tamquam Lucernæ &c. & Ps.* 131. *Paravi lucernam Christo meo, idest Glos. præmissi ante ipsum, Scripturam Sacram, quæ ipsum venturum manifestaret* de qua dicitur *Job.* 29. *lucerna splendebat super caput meum.* Hinc etiam dicitur

Quarta dies: Arnol. Carnot. *in operibus sex dierum pag.* 66. *Quarta dies est Ecclesiastica Doctrina, & Scriptura Sacra divinitus inspirata, in qua certas fidei regulas invenimus, ut non quisque suo sensu, sed Veritatis æternæ Auctoritate firmetur; attende quomodo ipsa Veritas quasi Sol illuminet Animam, ipsa verò Anima, quasi Luna irradiet noctem, idest Corpus, & corporales sensus. Dividit hæc Scriptura inter diem & noctem, separans a sinceritate Doctrinæ Catholicæ hæreticorum inquinamenta, & a moribus Sanctorum eradicans quæcumque non competunt honestati. Lux ista veritatem separat a mendacio; Verbum Dei Lux æterna &c.* & prosequitur ea tribuens Scripturæ, quæ Scriptura attribuit Diei Quartæ &c.

D

Corpus Christi singulariter eam appellat Etherius *l. pr. adversus Elipandum. Quid est, (inquit) hæc littera, quam in Evangelio legis, vel in cæteris Scripturis Sacris nisi Corpus Christi, nisi Caro Christi, quæ ab omnibus Christianis comeditur, & tunc comeditur, quando legitur, & quando auditur! Sacra Scriptura per Corpus & Carnem Christi, ipsum Christum ut putamus intelligit, quem omnes ex ipsa Scripturæ littera intelligunt; sed nihil prodesse dicitur, nisi sensus spiritualis subveniat.* Deerit & volumen labori & tempus, si velimus, quæ offerunt Patres Sacræ Scripturæ nomina, Allegorias, Symbola, Elogia denique summis vel labiis prælibare, satis ergo sit, ne vel iniquo, si universa subtrahimus, laboret Lector jejunio, vel nimiam, nisi manum claudimus, fastidiat saturitatem.

CAPUT

CAPUT III.

De essentia Sacræ Scripturæ, seu de Complemento Primæ Cognitionis Sacræ Scripturæ per definitionem.

ARTICULUS UNICUS.

An & qualiter Sacra Scriptura congrue valeat definiri.

QUid sit in se id quod concipimus, cum nomina hactenus librata, vel proposita meditamur, vel utcumque intellecta proferimus, minus difficile est aliqualiter cognoscere, quam declarare: Propterea quam superius ostendimus indefinibilem, definire rigorosa, ad scholæ amussim, definitione non præsumimus, describere tamen, non sine contradictione, devitaremus. Sensum hunc suggerit August. de Doctrina Christ.: Qui Deum, inquit, ineffabilem dicimus, ita nec ineffabilem dicimus, qui ita dicendo, aliquid jam de ineffabili, nos fari posse proferimus; Consimili pariter idem S. D. nos pungeret argumento, si quam diximus indefinibilem rigorosè, ad scholasticam definitionem trahere conaremur Scripturam, nec minus, si ea de qua agimus, saltem describere non studeremus, quasi incognoscibilem cognoscendam proponentes, quam Deus ipse scrutandam exhibuit, ac Sancti Patres variis lineamentis exprimere adhorsi sunt. Utramque igitur fugientes suggillationem, ac simul brevitati consulentes, ex his, quæ Sancti Patres aliquantò diffusius, quam nobis detur referre, scripserunt, servato eorum sensu, non extensis semper eorundem verbis, ut nostri moris est, aliquas Sacræ Scripturæ descriptiones (dicat qui mavult definitiones) quo potuimus studio erutas, proponemus; indeque consultis Doctoribus Isagogicis, aliquam saltem ad rigorosè immitationem proferemus, quasi definitionem. Ac in primis ex superexcelso Mysticæ Theologiæ Duce ac Magistro Dionis. l. de Eccl. Hierar. c. pr. describitur Scriptura *Deifica scientia, ex afflatione Divinitatis effusa, vel Oracula Spiritus Sancti Sacris Initiis consignata.*

Ex eodem c. 2. *Deo affinis scientia superessentialis; vel contemperatus divinorum radius Oraculorum; vel Sacra Oraculorum dispositiones.*

Ex c. 1. de Calesti Hierarch. A Patre Deo motæ illustrationis emanatio, & passim Sacratissima Dei eloquia.

Ex c. 1. de Divin. Nomin. Nominum Dei descriptio & declaratio, ad ejusdem notitiam, & laudem.

Ex Hieron. *Ep. 142. ad Damas. Incendium Salutare Ignis consumentis, & consummantis scilicet Dei, qui Ignis consumens est omne malum, & consummans omne bonum &c.*

August. *in Ps.* 145. & alibi sæpè: *Spiritus Sancti Tesaurus, & nostri delicia & eruditio.*

Plures cum utroque Regnum Dei, & Regnum Cælorum in terris eam nuncuparunt.

A Ex Rup. *l. 2. de Victoria Verbi Dei. Magnus liber Bellorum Domini &c.* quia tota Scriptura continet, Prælium Dei contra peccatum & mortem &c. vel & quidem melius ex eodem, *Victoria Verbi Dei.*

Ex Philone Carphat. in Cant. c. 4. immò ex omnibus ferè Patribus *Luminosa Suavitas Divinitatis, docens, illuminans, nutriens.*

Ex Auctore serm. 38. ad Fratr. in Eremo, & ferè communiter *Spiritus Sancti Magisterium vel scientiarum Calum, vel Magistra, Domina, Principiumque Scientiarum.*

Ex Ciril. Alex. l. 5. in Joan. aliisque. *Salutaris Imber Spiritus Sancti, Divinique Verbi Sincera Emanatio.*

Ex Epiphan. *libel. ad Phisiol. c. 6. Pura perennis, & inexausta scaturigo Veritatis.*

B Ex Petr. Bles. *ep. 125. Cithara David in spiritus malos; vel Sapientiæ Cithara, Insaniæ Frænum, Triumphus veritatis.*

Ex Hilar. *l. 2. de Trinit. Constitutiones Dei;* vel ex Euseb. *Demonstr. Evang. lib. 4. Instructiones Dei, vel Deus instruens hominem ad Deum.*

Ex Ambr. *lib. de Parad. c. 12. Divinarum nitalia lectionum.*

Ex Basil. *in Exam. p. 3. Promptuarium Veritatis, Spiritus Sancti docentis.*

Ex Athan. *de Judic. multit. p. 663. Calestis Regis magna oracula, & mensa, & medicinalis Epilogus Sapientiæ.*

Ex Isid. Pelus. *ep. 239. Mellificium Beatitudinis, vel ep. 73. Dulce Viaticum Salutis.*

C Iterum ex Amb. *in c. 7. Luc. Divini Intellect. indumenta. Et Proam. Coment. in Lucam Amuletum redundans omnibus per Universum Fidelibus, mentes omnium rigans animumque confirmans &c.* Id specialiter dicit de Novo Testamento.

Ex Opusc. Fr. David de Aug. colligit N. P. Cherubinus loco cit. has descriptiones, *Mater Fidelium, Sapientia Sapientiarum, dulcissima Hæreditas Filiorum Dei*, & addit, *hæc est illa Scientia Scientiarum, Angelorum ferculum, Apostolorum Gloria, Patriarcharum Fiducia, Prophetarum Spes, Martyrum Corona, Virginum pulchritudo, Monacorum refectio, Episcoporum Vocatio, Sacerdotum Cellarium, Puerorum Principium, Viduarum Doctrina, Conjugatorum pulcritudo, Mortuorum resurrectio, & Vivorum sempiterna pro-*
D *tectio &c.*

Ex pluribus Patribus Græcis. *Testamentaria Leges, vel Testamentum Divinitatis, & Deifica Instrumenta* ut supra &c.

Melius tamen describit Scriptura se ipsam, *ut Eccles. 24. Hæc omnia Liber Vitæ, Testamentum Altissimi, & Agnitio Veritatis.* Petrus: Verba Christi describit, quæ sunt ipsa Scriptura *Jo. c. 6. Verba vitæ æternæ habes.* Ipseque Christus: Joa: ibidem: *Spiritus & Vita sunt; Verba* scilicet *quæ ego loquor vobis.* His descriptionibus jam nihil addendum, nisi fortè ut eas exponendo veneremur; Idque præstant Sapientissimi Patres, & Expositores, ex quibus præter jam adducta, pauca seligimus, & in primis largè quidem, at succosè eam describit Ugo, *lib. de Arca Noë: Liber Vitæ, cujus origo æterna, Essentia incorporea, Scriptura indelebilis,*

lis, aspectus desiderabilis, Doctrina facilis, Scientia dulcis, Profunditas inscrutabilis, Verba innumerabilia, & unum tantùm Verbum, omnia.

Montoja l. 1. de Concord. Sacræ Editionis notat definitam Sacram Scripturam Sap. 7. *Vapor Virtutis Dei, & Emanatio quædam claritatis Dei sincera*; additque quam putat definitionem scholasticam, & quidem optimam sic: *Scriptura a Deo impellente & mentem Scriptoris in singulis sententiis, & verbis dirigente, & gubernante conscripta*; An verò adversus eam excipi possit, ex his quæ sequuntur facilè constabit; hoc certum est non esse meliorem, & rigorosam, tum quia hæc revera non datur tum quia partem assumit definiti, & partem ejus dumtaxat circumscribit &c.

Magis propriè Jo: Driedo, *Sacra Scripturæ* (inquit) *sunt eloquia Divini Spiritus loquentis per Prophetas, & Apostolos sibi invicem succedentes, quæ communi totius Ecclesiæ consensu in numerum, & ordinem Sacri Canonis recepta sunt, & hæc quidem uti clarum est rem intimè tangit, nec aliquid ei deesse videtur nisi brevitas.* Quo defectu laborat etiam ea, quæ sequitur.

R. P. N. Antonius a Mat. D. Prælud. pr. dub. pr. §. 2. n. 5. hanc tradit. *Sacra Scriptura est, cujus Deus est proximus, & specialis Auctor, sivè quia ipse immediatè scripsit, sivè mediatè, quia scilicet aliis Scriptoris ministerio utens, ipsum ad scribendum impulit, ipsius mentem, in singulis sententiis direxit, singulaque verba dictavit*; & hanc colligere se dicit ex ea Petri c. 1. *hoc primùm intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana, allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines &c.*

Non definit Sacram Scripturam R. P. N. Dominic. in sua Bibliot. ex professo, attamen ex iis, quæ habet l. 3. sect. 1. c. 2. clarè constat, eum sapientissimè, & de ea scripsisse & eam descripsisse: Sacram (nempe eam appellat) Divinitus inspiratam Scripturam &c. Verbum Dei ad extra scriptis productum, seu locutionem Dei externam scripto exaratam, vel nostræ Fidei Mysteriorum scriptam revelationem &c.

Æquè expedita & apta videtur inter alias, & quas recitamus, & quas ommittimus ea, quam Georg. Eder. Partitionum Theologorum l. pr. Tab. 8. magis supponens, quam definiens breviter tradit, nempè: *Scriptum de Deo, divinisque rebus Testimonium.* Quæ descriptio satis per se ipsam, & per ea quæ superius de Nomin. Sacræ Scripturæ allata sunt, clara manet; Melior tamen appareret, si approbatio Ecclesiæ, quæ Scripturam quoad nos Canonicam facit, exprimeretur. Quamvis enim in eo, quod dicit Testimonium, id videatur includi, quod nempè Canonica sit, aliter nec tamquam Testimonium legitimum haberetur, id tamen non satis clarescit ex illa dictione, cum in Testimonio, ut sit legitimum, plures qualitates sint observandæ, quæ non æqualiter in omni Testimonio reperiuntur, ac insuper singularitas Testimonii ex se adæquatam Fidem non inducit, nisi saltem æquivaleat pluribus, vel infallibilitate prævaleat uni-

A versis, idque quo ad nos non præstat Scriptura, nisi quia Canonica, non quod esse Canonicam sit tota ejus veritas, sed quia est ejus applicatio, & declaratio, quod ipsa est Veritas; & quodammodo dici potest quod esse Canonicam est extrinseca Veritas Scripturarum; quod inferius suo loco constabit.

Melius igitur videtur sic posse describi; videlicet: Sacra Scriptura est Theologia Scripta Canonica; vel clarius, Scripta & Canonica Dei Doctrina. Quod ferè idem est, ac Verbum Dei Scriptum Canonicum. Nihil enim tali definitioni, sed melius descriptioni deesse videtur ad explicandum id quod omni simul & sigillatim cuilibet parti, & propositioni & apici Sacræ Scripturæ intimè competit; in eo autem fundatur quod dixit ille qui ejusdem & principale subjectum fuit & Finis Christus.

B Matt. c. 22. *Nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester &c. & Jo. c. 13. Vos vocatis me Magister & Domine, & benedictis, sum etenim &c.* & iterum ut supra, *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me.* Sumitur siquidem in hac descriptione, sive Theologia, sive Doctrina strictissimè, prout est principale Analogatum respectu cujuscumque, seu scientiæ de Deo; seu Sapientiæ communicatæ ab hominibus, in qua acceptione, singulariter sola Sacra Scriptura potest intelligi pro Theologia, & Doctrina, quidquid enim de Deo aut sciunt, aut docent homines, minima est Scripturæ Sacræ derivatio, seu exalatio, tantum in se continens, quantum ab illa haurit perfectionis. In hoc igitur sensu dicitur Theologia, sive Do-

C ctrina. Cum quanta autem proprietate specialiter dicatur Doctrina, ex eo facilè constat, quod juxta communem Patrum consensum, ut passim audimus & legimus, potissimum verò Augustini de Doctrina Christiana, Specialis Auctor Sacræ Scripturæ est Spiritus Sanctus, qui, cum sit Amor, communicat, & docet Jo. 14. & 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, qui a Patre procedit &c. ille vos docebit omnia*, docuit ergo nos Christus, quo nomine propriissimo appellare debemus opus hoc proprium Spiritus Sancti, scilicet, nomine Doctrinæ, dicens id ei specialiter convenire, quod doceat, *ille vos docebit omnia*, & ne cui fortè subreperet, diversum esse quod docuit Christus, & quod scripsit, vel communicavit Spiritus Sanctus; Ideò dicit ipse qui est Verbum Dei, de Spiritu

D Sancto, *ille de meo accipiet, & annunciabit vobis*; De Verbo siquidem accepit Verbum hoc, quod scripsit & docuit, ideòque propriissimè & Verbum dicitur & Doctrina. Et quia Deus & Auctor est tum universalis, cum peculiaris ac immediatus, & Finis, & Objectum materiale & formale principalius Attributionis, immò & adæquatum Sacræ Scripturæ, ideò additur ly Dei, per quod exprimitur simul omnis ejus Causa. Qualibet enim Doctrina & est sui Doctoris, & sui Objecti, & sui Finis, & modum proprium habet, quo tales terminat causas, quæ causæ & qui modus per unicum hoc additum declarantur, dum dicitur Dei, si etiam hoc rigorosè & simpliciter accipiatur, ut exprimit modum causandi sapientissimum & perfectissimum, & quia id a nobis plenè explicari non potest di-

ctione

ctione aliqua positiva, per nullam enim adæquatur aut comprehenditur, ideò ad negativam recurrimus cum Magno Dionisio nihil addentes postquam diximus scripta Doctrina Dei, nihil inquam spectans ad intrinsecum, sive ipsius Dei, sive Sacræ Scripturæ conceptum. Dicitur scripta, per quod convenit cum omni alia Doctrina scripta, quæ non est Dei eodem modo, scilicet ut specialissimi Authoris de se peculiariter scribentis, & secernitur ab ea, quæ tantum est dicta; a mentali enim per hoc non distinguitur, sed per ly Doctrina, Sapientia enim, quamdiù tantùm mentalis est, non potest dici Doctrina cum proprietate, quia Doctrina nomen relativum est respiciens disciplinam, media communicatione ejus, quod prius tantummodò latebat in mente. Sed circa hoc ipsum quod dicitur Scripta; advertendum est, non posse rigorosè dici, quod omninò conveniat Sacra Scriptura in ratione scriptæ cum alia qualibet scripta doctrina, siquidem etiam quoad hanc rationem se habet tamquam principale analogatum respectu ad aliam quamcumque Scripturam. Et ratio est, quia esse scriptum designat quoddam esse firmum & stabile, ut supra vidimus de hoc nomine agentes. Sola autem Sacra Scriptura est de qua dicitur ut supra, Cælum & terra transibunt, Verba autem mea non præteribunt; & Verbum Domini manet in æternum. Additur Canonica, quod quidem Sacræ Scripturæ secundum se consideratæ est quid extrinsecum, ipsa siquidem antequam Ecclesia eam proponat, est verè divina Veritas, cui nihil intrinsecè addi vel minui potest; Tamen Sacræ Scripturæ consideratæ in ratione Doctrinæ, quæ ut diximus respicit audientes seu legentes, addiscentes, est quid intrinsecum, quia sicut non rectè eam ad-

A discceremus, nisi prout est, ita nec ejus Veritas ad nos perveniret, nosque doceret, nisi qualis sit, infallibili nobis constaret Testimonio, ideoque ad ipsam ut doctrina est, immò quoad an est ejusdem intrinsecè pertinet per modum conditionis intimas esse Canonicam. Quid autem sit ipsam esse Canonicam, quia alibi est differendum, pronunc dicimus nihil aliud per hoc significari hoc locò, nisi quod accepteтur, approbetur, & proponatur prout in se est Divina Veritas & Doctrina, & hoc legitimè ab Ecclesia, quæ uti Regula viva Veritatis & Fidei, eam tradit nobis ut de Fide tamquam Regulam, mortuam quidem materialiter, sed formaliter vivam, & vivificam in virtute Dei, quam continet: *Hebr. c. 4. Vivus enim est Sermo Dei & efficax &c.* Et hæc quidem omnia, singulis ejusdem Sacræ Scripturæ partibus convenire cla-
B rissimum est, nam ubicumque sit, semper Veritas una est, & certè si aliqua vel minima pars ejus, quoad hactenus dicta, vel minimum differret a toto, eadem ratione nec pars ejus esset, immò contradictoria esset totius; & magis constat ex eo quod, si omnis Scriptura est utilis ad docendum, utique Doctrina est Veritas Dei; vel non est Scriptura; ex quo patet apertissimè hujusmodi descriptionem optimam esse, ut quæ adæquatè convertitur cum Definito. Quommodò autem cæteræ qualitates optimæ definitionis, saltem comparativè talis huic competant, ex superiori explicatione facilè quisque deducet, & magis liquidò constabit, examinando ejusdem causas, quod Deo dante oppidò præstabimus. Ex his autem ne diutius immoremur, clarè conclusum manet, an & qualiter Sacra Scriptura congruè valeat definiri.

TRACTATUS II.

DE SECUNDA, ET MAGIS INTIMA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ PER SUAS CAUSAS PRÆNOTATIO.

LUmine naturæ notum est, nullam A essentiam per id, quod est sibi extrinsecum, in se posse constitui. Cum enim constitutivum idem sit, ac distinctivum, implicat in terminis, quod unum, & idem sit in duobus, idipsum per quod distinguuntur, ne ambo sint idem: Nulla igitur essentia constitui potest in se ipsa per suas Causas extrinsecas, quippe quæ ideo sunt extrinsecè, quia extrà essentiam; Idque cum oriatur ex communi ratione entis causati, debet verificari & de absolutis, & de respectivis etiam transcendentalibus, quæ talia sunt, eo quod respectus ad aliquod extrinsecum transcendit quidquid in eorum essentia reperitur. Tales sunt Potentiæ, & Habitus, & similia, quæ specificantur ab objectis, a quibus distinguuntur; sic enim specificari non est, quod objecta constituant eorum speciem, sed quod in- B trinseca ipsorum forma per quam singula constituuntur in specie, sit quædam habitudo intrinseca innata ad objectum extrinsecum. Sed quia ex limitatione Intellectus nostri, pro hoc statu Phantasmata, seu Idola corporea speculantis rerum essentias adæquatè comprehendere difficilimum est, ideo latentem illam habitudinem, seu formam, quam in se ipsa non comprehendimus, explicamus per terminum inspectum, ut putà ab habitu, eumque dicimus speciem sortiri ab objecto. Ità docent communiter rationales Philosophi, & Theologi, præsertim verò Thomistæ cum Philosopho, in de Causis, & primo Metaphysicæ, ac passim N N. PP. Complutens. & Salmaticens. Quod si in aliis locum habet hæc Doctrina, multò magis attendenda est, cum agimus de quidditate Sacræ Scripturæ, sive satius, de cognitione quidditatis rei illius, quam per nomina eandem innuentia supe- C rius hactenus scrutabamur: Ipsa siquidem & essentialiter est doctrina, quæ ex proprio conceptu repræsentat Verbum mentis, quod residet in docente, & per dictionem, aut per scriptionem quodammodò superinductum egreditur, dum communicatur, quæ est specialis ratio dependentiæ a docente. Insuper si est doctrina debet respicere disciplinam instructi, uti sibi correlativam; Cumque sit Doctrina Dei tamquam specialissimi Auctoris, in quo differt a cæteris Dei generaliter Agentis effectibus, ad quos non concurrit ut specialiter docens per accomodationem Verbi ad humanum intelligendi modum, propter quod ex conceptu suo differentiali Deum respicit sub hoc modo; cumque pariter sit Canonica, in quo involuitur peculiaris respectus ad Ecclesiam approbantem, & declarantem; Cum inquam talis sit, habet totum suum esse per respectum ad Causas extrinsecas, maximè verò ad Deum. Hinc ne dicere videamur, ipsam esse Deum essentialiter, quæ Dei effectus est, debemus ipsius essentiam describere tamquam aliquid in ipsa, quod importat habitudinem modo dicto, & respectum ad prætactas Causas extrinsecas, utque plenam de hac re prout brevitas, & insufficientia nostra præstare potest, divino freta auxilio habere valeamus prius causas intrinsecas, per quas constituitur in se ille specialis respectus ad extrinsecas; postmodum verò etiam extrinsecas, quæ eundem terminant, aliaque huc spectantia, Operæ pretium requirit, examinemus.

CAPUT I.

De Causa materiali Sacræ Scripturæ, cæterisque eandem causam concernentibus, ac potissimum de Antiquitate Ipsius.

QUadruplex est Causarum genus, ut notissimum supponimus, Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis. Materialis, & formalis dicuntur Causæ intrinsecæ, sumpta formali pro ipsa forma intimè constituente respectum, aliæ verò extrinsecæ sunt. Porrò materialis causa Sacræ Scripturæ quadruplex occurrit. Altera ex qua, altera de qua, altera in qua, ac denique quarta circa quam, quę etsi in aliqua consideratione videantur coincidere, claritatis tamen gratia distinguuntur, ut formaliter, vel cum de ipsa materia agimus, discurramus. Imò formalitatem servantes notamus. Quod Causa materialis ex qua, adhuc est duplex, scilicet ex qua, quasi educitur, & ex qua Sacra Scriptura componitur. Materialis ex qua educitur sunt species & conceptus Scriptorum, quibus per Divinam revelationem, assistentiam, & illuminationem formatis, & ad significandum ea, quæ Deus inspiravit aptatis, Deus ipse per homines formaliter locutus est, & ex prędictis, educta est Sacra Scriptura, seu Verbum scriptum, Divinam veritatem manifestans. De quo agendum erit potissimum cum de Causa efficienti sermo erit. Causa materialis ex qua componitur, sunt litterę, syllabę, & Dictiones, ex quibus, sicut ex invicem attemperatis elementis mixtum, ita scriptura significans, & ut conveniens cum aliis scripturis componitur. Genus siquidem secundum Logicos desumitur a materia. Diximus autem superius Sacram Scripturam non posse rigorosè definiri, ex eo quod ipsa potius sit definitio, in qua ly scriptura est quasi Genus, sacra verò stat loco differentiæ.

tiæ. Ut igitur hoc ejus genus examinemus, materiam ejus propriè dictam ex qua genus desumitur, & quę ad ipsam spectant, breviter prælibamus; Sit ergo,

ARTICULUS I.

Quis fuerit Primus Litterarum Inventor.

CUM tempus sit mensura motus rei materialis, ad Causam materialem tamquam ad radicem reducitur Quæstio de Tempore, scilicet de Antiquitate Sacrę Scripturę, de qua quęri solet ex quo tempore cępit, quod Articulo sequenti pręstabimus. At quia non potest id plenè resolvi, nisi prius id quęramus de ipsis utcumque caracteribus sive litteris, rectus Ordo postulat, ut in pręsenti id pertractemus, quędam generalia, quia vastissimus Campus est, pręmittentes.

Immutabilis Deus procul omni dubio, quidquid manifestavit in Tempore, ęternaliter gestavit in mente Prov. *c.* 8. *Ab æterno ordinata sum &c.* inquit Sapientia, unde in hoc sensu Sacra Scriptura coęterna est Deo. Ita si consideretur quoad Auctorem & Finem qui est Deus, si quoad Veritatem quę est invariabilis, quoad Sapientiam, quę est invincibilis, quoad Principia quę sunt immobilia, ęterna est, quantum verò ad manifestationem eorum, quę continet, locum habet quęstio de ejus Initio, cum sit quid creatum. Porrò manifestatio est duplex, alia per Res, alia per signa. Per res naturales locutus est Deus ab initio Creaturę per Creaturam, quando in principio creavit Deus Cęlum, & Terram, quando cępit ipsumquandò, ipseque dixit & facta sunt omnia, & quodammodo ex impressione Verbi per quod creati sunt, *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus &c., & in omnem terram exivit sonus eorum Ps. eod.* 18. At quia negligens nimis homo, torpere cæpit ab initio, in sui cognitione Factoris, ventum est ad signa sensibilia, inducta specialiter ad significandum. Hęc autem alia Symbolica, vel hieroglifica, alia sunt vocalia ac Litteralia, uti caracteres: Hieroglificorum Inventum DD. ferè communiter tribuunt Ægiptiis. Nam Primi per figuras Animalium Ægiptii, sensum mentis effingebant, & antiquissimæ momenta memoriæ saxis impressa adhuc cernuntur. Ità Alex. ab Alex. l. 2. c. 30. Plin. l. 35. c. 9. Pyerius Valerian. in toto Opere, & P. Causinus de Symbol. Ægiptior. sapientia; aliique quam plurimi cum Emman. Tes. &c. quos referre nil refert. At quia ad intelligentiam scripturarum aliquandò juvat cognitio Hieroglificæ scriptionis, ideò brevissimè notamus ex Clem. Alex. Strom. l. 5. eam triplicem esse, scilicet imitativam, Tropicam, & Ænigmaticam. Imitativa sic dicitur, vel quia se explicat aliqua Caracteris figura, quæ est similis rei significatæ, ut cum ponitur O magnum ad significandam Lunæ plenitudinem, vel quia penicillo exprimitur ipsa res, cujus nomen est pars locutionis, sicut Cor, & Nix, ut intelligatur Cornix; quod fit multis modis. Vide citatos DD. &c. Tropica est symbolica sive emblematica, de qua tamquam de propria materia Rethores etiam Sacri quam Plures cum Eman. Tesauro, Alciato, Aro-

A sio &c. estque res æquè nota ac erudita, ideòque ne actum agamus ab ea supersedendum. Huic similis Ænigmatica, sed aliquanto obscurior, de qua Pyerius loc. cit., & Cabalistæ de qua fortè alibi sermo redibit. His igitur prænotatis.

De Litterarum, seu Caracterum Inventore tanta est inter DD. diversitas, tanta inter Historicos, ut quilibet eorum videatur novus Inventoris Inventor, non inventà hactenus veritate. Tot congerunt singuli, qui rem tractant, ut nauseam simul moveant & risum, inq; Bejerlinch. in T. V. Hum. V. Litterarum Inventor omninò videndus, in ipso enim invenies collectum, quidquid moderni quidam transcribentes ad sua traxerunt. Nos brevitati simul & claritati consulentes Antiquorum
B more ad duas, quas prius referemus, opiniones, rem totam perstringimus, indeque quid probabilius sentiendum sit, discernere curabimus, & in primis.

Moysen fuisse Litterarum Inventorem affirmat Rupert. *l. 3. de Vict. Verbi Dei c. 25. Ecce quam parvulo, inquit auxilio, quantum Deus & Verbum ejus subvenit Generi humano; 22. tantum litteræ sunt; ecce de impensis tam paucis, quam magnum constructum est ædificium. Ipse Deus primus litteras conscripsit per se ipsum, & ei, qui primus ex hominibus scribere meruit, scilicet Moysi, scriptas tradidit.* Ita & Eupolem & Possevin. l. pr. Bibliot., & alii, quos sequitur l'Hayè in Prologo Bibliæ maxime & probatur.

Primo. Si usus litterarum fuisset antiquior Moyse, haberemus antiquiores ea, quam ipse scripsit
C historias; Videtur enim impossibile, quod nemo ad posteritatem respiceret, ad quod ipsa inclinat natura, quod nemo curaret æternitatem sui nominis, vel eorum, quæ rarius evenire solent memoriæ transmissionem, ad gloriam ætatis suæ, vel magisterium succedentium, & tunc multò magis, quando uti recens cum homine invecta in Mundum superbia, & primo magis triumpho roborata, potentius imperabat. Qui Turrim moliebantur, cujus culmen pertingeret usque ad Cælum, ut celebrarent nomen suum, numquid si tunc Ars scribendi vivisset, per eam, Virtutes, & magnalia sua, cum vires naturæ effervescebant, non celebrassent? At qui, ut Justin. Mart. in Exhort. ad Gent. testatur, non extant, nec memoria est, quod extiterint consimiles Historiæ, ergo Primus
D qui divino nutu Inventor fuit Historiæ, idem pariter fuit & Litterarum Moyses.

Secundo. Nihil ad Mundi ordinatam tranquillitatem; ad hominumque directionem æque confert, ac Leges, earumque incorrupta duratio, ad quam tuendam, firmandamve sola scriptio, quæ ex se semper durat, à summo Legislatore Deo inventa est, ut liquet in ea, quam per Moysen dedit, ergo si litteræ Moysen præcessissent, immò ut quidam astruunt, coævæ fuissent Adamo, utique leges ipse scripsisset. Probatur cons. Quamvis enim peccando dignitatem Capitis ammiserit, quæ utique innovanda dignius erat in Christo, non tamen desiit esse primus Homo, Parens totius naturæ, quę ex sua essentiali conditione libera est, & ideò regulabilis per legem, & quidem Præcep-

tum

tum naturale est, sicut quod Filius deferat Patri, eique subiiciatur; ità & mutuò, quod Pater dirigat Filium, ergo si tunc fuissent litteræ, illis Adam legem scripsisset.

Confirm. Si Lex decet hominem ut homo est, pernecessaria planè tunc magis fuit, cum ex peccato magis pronus in præceps humanus evaserat appetitus, qui Gratia spoliatus, nisi Legis fræno cohibeatur, ad omne diruit Chaos malitiæ. Filios autem suos sic regere, & continere per legem ut oportet, procul dubio Patris Provincia est; & maximè Protoplasti; nam qui dat esse, dat consequentia ad esse, & causa productiva esse debet etiam conservativa, & primum in unoquoque genere, modo sibi proprio est mensura cæterorum, sicque postulat ordo Universi, Ordo hierarchicus ex D. Dionis. in quo superior illuminat inferiorem, lex autem lux est, quæ litteris veluti fixis radiis dirigit indesinenter, ergo si illæ extitissent utique & leges fuissent ex tunc conscriptæ; nec primatum haberet lex Moysis.

Oppositum sentit Magnus Augustin. ut videbimus, & cum eo Plurimi; Hujus autem partis prima probatio est, Responsio, seu solutio conjecturalium rationum quas pro priori opinione mox retulimus. Et Primo, ad auctoritatem Ruperti quæ numquam est parvi facienda, dici potest, sensum ejus esse per se primò de litteris Legis, intendit enim, quod Moyses post Deum, primus illas scripsit quod verum est, vel in secundis Tabulis, vel in Pentateuco, non verò quod absolutè, ipse fuerit primus inter homines, Litterarum solus Inventor, ita ut Scriptura Legis Divinæ quemcumque alium litterarum usum præcesserit.

Nunc ad Conjecturas resp. eas fundatas in negativo, positivum non posse convincere sanè cum diluvium funditus everterit totum Orbem terrarum, nemo scire potest certò an fuerint aliqua scripta, quæcumque illa fuerint, quæ ad nos pervenire non potuerunt. Quis scit quænam sigillatim a prima Adæ conditione usque ad Noë, & diluvii dies evenerint? Impossibile est ea dumtaxat evenisse, quę scripsit Moyses, ut sępè advertit August. in de Gen. ad litteram, eo quippe sola scripsit, quę necessaria erant, divino dirigente consilio, ad finem, ad quem inspirabantur. Sicque patet ad Primam.

Ad Secundum resp. potuisse à principio dari litteras, absque eo quod darentur leges, ad quas non solùm Litterę sufficiunt, sed requiritur experientia, & ex ea procedens Prudentia, insimul & necessitas Boni Communis, attentis rerum circumstantiis: sicut enim etiam post litterarum inventionem, non omnes scriptæ sunt leges, ut videre est in toto Corpore Juris, ità potuit etiam inventis litteris nulla lex scribi; maximè quia leges positivę nihil aliud importabant, quam explicationes peculiares Legis naturę juxtà occurrentium circumstantiarum exigentiam, quia verò tunc Lex naturę nundum ex perversorum exemplorum multitudine ità fuerat depravata, ut post evenit, satis erat per seipsum lumen naturę, ipsaque lex viva nempe Adam, qui primus infelicitatem expertus

A ejusq; sentiens privationem ex peccato sibortam, intensissime illud cavebat, & in se & in cęteris per vivam directionem, & traditiones, quę a Patribus transmissę ad Filios vim legis obtinebant. Iuvabat etiam memoria tunc perfectior, sicut perfectius quàm nunc homines primi sortiebantur temperamentum, ex quo potissimum pendet perfectio sensuum internorum, quod ex longè majori vivendi tempore evidenter constat, ita & memoria, eque facilior ac tenacior erat; ad quid igitur scriberet Adam in membranis (quę defectum supplent labilis memorię) legem, quę ęquè & connaturalius servabatur in mentibus. Et quidem nisi ità discurramus veluti deficientem arguimus Gubernatorem Universi, qui vel unico tantùm modo scil.

B per scriptionem valeat leges sufficientes ad rectè vivendum manifestare, vel statui illi, qui ad distinctionem a succedentibus dicitur à PP. status Juris Naturę non satis providerit, providens modo dicto.

Sed hic obiter quæres, quare ab initio Deus legem positivam non dederit? Resp. *Glos. ad Galat. c. 3. Non statim post peccatum data est Lex, ut experti homines Arbitrii libertatem ad salutem non sufficere, eo minus superbirent, & Legis necessitatem eo proclivius agnoscerent: Sed post duo tandem millia annorum a principio Mundi, die scilicet 50. ab exitu Israel de Ægypto, quæ tertia fuit mensis Junii ut testatur August. quæst. 70. in Exod. Lex data fuit.* Nunc ad quæstionem seu probationes redeundo.

C Secunda Probatio est; maximi semper facienda Auctoritas Magni Augustini, vel potius Sacræ Scripturæ, ex qua idem haurit veritatem. Inquit enim l. 19. de C. D. c. 39. *Non est credendum hebræas litteras solùm a Lege cœpisse, quæ data est per Moysen, sed potius per illam successione Patrum, memoratam linguam cum suis litteris custoditam; Nam Moyses in Populo Dei constituit, qui docendis litteris præessent, priusquam Divinæ Legis ullas litteras nossent, hosque appellat Scriptura Grammateos Isagogos &c.* Verùm quidem est quod idem August. q. 69. in Exod. ait, quod talis est hæc quæstio, ut veritatem nescio quis valeat indagari, at nos respondemus eidem ipsum Augustinum potuisse Veritatem indagare, invenire, & concludere,

D ubi pluribus id negatur, hinc longè magis probata opinio hæc quam opposita invenitur apud Doctores, ut videre est apud Bejerlinch. loc. cit., unde concludere potuit Jo. Ann. l. pr. Annotation Berosi; *Quod ab Adamo cœperint Litteræ & Disciplinæ infusæ, non est ex Fide tantùm, sed etiam historia Gentilium & Traditione Caldæorum, qui se Astronom. & litteras habuisse ante Alexandri Monarchiam 3624. annis asserunt.* Sic etiam & Clarius Suidas aliique quam plurimi. Adde quod refert in Orto Pastorum Marcant. præter cæteras historias, de Sepulcro Seth, lapidem scilicet Lateritium, ac laminam cum inscriptione prophetica inventam fuisse; ergo a tempore primorum Filiorum Adæ extabant Litteræ; & quod plus est refert ipse Moys. Gen. c. 35. Jacob scripsisse titulum monumenti Rachelis, idemque citat librum Bellorum Domini;

ni; ac idem denique didicit litteras Ægyptiacas teste Clem. Alex. Stromat. l. p., ergo cum hebraicæ litteræ communiter credantur omninò præcessisse cæteras litteras, a Moyse non potuerunt primitus proficisci.

Denique evidens est ex Scriptura, Enoch Sæculis & Sæculis Moysen prævenisse, atqui certè scripsit, Librum enim Enoch citat Judas in sua Canonica, ergò non est dubitandum Moyse longè antiquiores litteras præextitisse.

His positis ut expeditè ad ulteriora transeamus dicendum videtur Litteras quidem ab Adamo inventas, cui omnes scientiæ pariter fuere infusæ, ut ad Protoplastis munus exigebatur, ideòque & media quibus ea communicare, unde & Enoch eas communicasse certum est ex Scriptura, & hinc aliis: At sensim ita neglectas, ut solùm in aliquibus earumdem scientia successivè vigeret, & multo magis post diluvium usque ad Moysen, eo potissimum tempore, quo Populus Dei incoluit Ægyptum, quando ad opera fabrilia cogebantur, & curabant sedere magis super ollas carnium, quam stare in disciplina Litterarum; Ideòque cum Moyses fuerit Litterarum suscitator, pluribus visus fuit Inventor, & hoc deducitur ex supra relatis ab August. observatione, & antiquioribus hystoriis, nec aliter cum similitudine veri, possunt tam distantes opiniones conciliari.

ARTICULUS II.

Quis ex Sacris Libris, qui extant, fuerit prior.

NON quærimus absolutè de omnibus, qui fuerunt, Sacris libris, non enim interest id examinare de illis, qui, Deo sic disponente, perierunt, cum ipsorum ita lateat exitus, sicut initium, immò & scriptores eorum; Qua de re alibi Deo dante sermo erit; sed Sacræ Scripturæ, quæ nunc extat Canonica, antiquitatem brevi calamo percunctamur. Nec insuper antiquitatem sive gestorum, sive materialium rerum, quæ in ea continentur, quod nostrum superat Institutum, cum immensum opus sit Cronologiæ, & vix attingi possit, nedum adæquatè tractari, sed antiquitatem tantummodò scriptionis. Cum enim plures in ea distantes admodum, & per sæcula ad invicem recenseantur Scriptores, non frustraneus labor erit, si quis eorum primus fuerit, concludamus. Quocirca unica potest pro modo nos aliquantulum sistere difficultas, an videlicet Liber Job fuerit scriptus a Job, an ab ipso Moyse, an a quo fortè alio, & quando? Si enim Job Scriptor fuit libri suo nomine inscripti, supposito quod ipse multo tempore præcesserit Moysen, ut volunt aliqui; certè initium Sacræ Scriptionis eidem Job, ejusque tempori multo ante tempus Moysis tribuenda erit. Si autem a Moyse Liber ille scriptus afferatur, tunc solùm quæri poterit, quem librum Moyses prius scripserit, an Librum Job, an Pentateucum, quod tamen parum refert, ubi primus Scriptor Canonicus Moyses afferatur. At suppositum illud, quod nempè Job multo tempore præcesserit Moysen, non est firmum, unde ejus fundamento occurrit Jo: Driedo de Script. Eccles. l. 1. c. 3. dicens: *Quibus sæculis gesta sint ea quæ scribuntur in libro Job, non oportet curiosius inquirere, nisi quatenus ad Intellectum ejusdem Historiæ, & Scripturarum conducat.* Et si verò Scriptura in Genesi enarrans ea, quæ longè ante tempus Moysis gesta sunt, ejusdem Job meminerit, non tamen inde sequitur, quod is longè ante Moysis tempora extiterit, sed juxta opinionem Origenis, temporibus Patriarcharum & Moysis vixisse perhibetur, ut Greg. in Ezech. hom. 4. Erat enim quintus ab Abraham, ex posteris Esau, ut habet Athanas. in Sinopsi. Videatur Greg. in præfat. libri Job. Communior igitur opinio est, quod historia Job primum scripta fuit Syriacè, ubi Job habitabat, licet minus perfectè ut notat Origen., deinde translata est ex Syro in hebr. per Moysen, ex Hebræo in Græcum per 72. Interpretes, ex Græco in Latinum per D. Hieronymum, digesta verò fuit ut legitur, vel per ipsum Job, vel quod probabilius est per Moysen, cum contineat laudes Job, quas ipse non scripsisset. Ita habemus ex Gregorio & cæteris, qui eum sequuntur loco cit. Si igitur Job vixit circa tempus Moysis, ejusque historiam perfectam fuisse ante Moysis tempus nemo asserit, & si contendant aliqui, longo intervallo Job Moysem præcessisse, pro certo (quantum licet in hujuscemodi controversiis) habemus, primum ex Canonicis Scriptoribus, Scripturæ, quæ nunc extat, fuisse Moysen, qui procul omni dubio juxta communem totius Ecclesiæ intelligentiam fuit Scriptor Pentateuchi, qui est prima pars Veteris Testamenti, ac proinde totius Sacræ Scripturæ. Ita Hier. contra Elvidium, & creditus August. de mirabilib. Sacræ Scripturæ l. 3. c. 32. ideoque in Novo Testamento quoties Moysis & insimul cujusvis Scriptoris seu Libri Canonici mentionem fieri contingit, datur Moysi præcessio: *Luc. 16. habent Moysen & Prophetas & 24. Incipiens a Moyse & omnibus Prophetis*, & ibidem *quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Psalmis, & Prophetis de me &c.*

Quæres cur Moys. nomen suum Libris a se scriptis non addidit, sic enim sciremus certius an ipse fuerit Auctor Libri Job: quisve liber, & cui deberet attribui.

Resp. Franc. Ruiz in suo Opusc. de Regul. Reg. 152. Hoc ideo quia scribebat præsentibus, qui de hoc dubitare non poterant. Hoc tamen non videtur satisfacere, quia etiam Prophetæ præsentes alloquebantur eis prænunciantes futura quidem, sed ad ipsos speciali titulo pertinentia. At si velimus sustinere responsionem Ruiz, quæ, si benè intelligatur, non est insufficiens, dicemus Prophetas ad presentes quidem prophetasse, at cum essent plures quandoque eodem tempore prophetantes, & quidem ad diversa tempora respicientes, & futura, quæ verificari deberent post sæcula, quando nemo ex tunc præsentibus superesset, distingui debebant per Scriptorum nomina Prophetiæ, ne veritas & tempora confunderentur. Ac Moyses unus erat, nec habebat a quo distingueretur, vel cum quo posset

con-

confundi, porrò cum facilè unitas inhęreat memoriæ ſatis erat per ſucceſſivam traditionem, eandem notitiam unius Auctoris, ad ſuccedentes tranſmitti, & retineri. Reſpondent alii Moyſen ob inſignem humilitatem nomen ſuum reticuiſſe, erat enim Vir mitiſſimus, ideoque & humilimus, nec gloriam ſibi quęrebat ex Dei dono. Hæ tamen conjecturæ ſunt prudentiales, & humano nimis modo procedunt, ac ſi Canonici Scriptores, vel ſcriberent, vel omitterent quidquam ex propria electione, quod nullâ poteſt ratione ſuſtineri, ut cum de cauſa efficienti Sacræ Scripturæ diſputabimus, concludemus. Dicimus ergo Moyſen eodem ſpiritu & ſcripſiſſe quæ ſcripſit, & conticuiſſe quæ conticuit, nec adæquatam Voluntatis Divinæ rationem reddere quiſquam poteſt. Conjicere tamen licet Deum ſic ordinaſſe, ne ſi humani Auctoris nomen Sacra Scriptura in ſua prima fronte oſtenderet, opus humanum potius quàm divinum eam eſſe homines ſuſpicarentur, ac ex principio ejuſdem inferrent, quod, ſi ſequentibus alias a Deo dictatis, cæteris Canonicis ſcriptoribus nomen prefigeretur ſcribentis, nomen illud non eſset præcipui Auctoris, hoc enim in principio operis non in decurſu præſignatur. Et quidem nomen Dei ineffabile, quod ſi deſcribi potuiſset, debuiſſet primas, in Scripturæ initio obtinere, aliter ſecundùm Dionifium melius aut intelligi poteſt, aut proferri, quam per negationem, ſtat igitur quod Moyſes ſuum nomen reticendo, nec aliud ſupplendo, divinum quomodò proferri poterat, toti Scripturæ uti nomen principalis Auctoris, per ſilentium inſcripſit, ut eſſet Deo ſilentium laus &c.

Nec refert, quod additur in quæſtione, quod nempe intereſsat proprium nomen Pentateuci aliiſque a ſe ſcriptis, a Moyſe inſcribi, ut certò ſciremus, libri Job Scriptorem, quiſve liber, aut cui deberet attribui, ſaltem ut Scriptori eorum, quæ Deus dictavit. Ad hoc enim jam patet ex his, quæ ſupra hoc eodem Articulo dedimus, ex Driedone, cui addendum ad Fidei quidem fundamentum ſpectare, quod ſciamus Auctorem primarium Sacræ Scripturæ fuiſſe Deum, quo tamen vel materiali ut ita dicam calamo, vel Ammanuenſi uſus fuerit, quid intereſt? At ſubſumes, ſi non intereſt, ad quid igitur quærimus in præſenti, quis libri Job Scriptor fuerit, quis Pentateuchi? Reſp. primo non ea D tantum eſſe quærenda, quæ ſimpliciter & neceſſariò requiruntur ad Fidei fundamentum, quin potius ea uti principia, de quibus nulla quæſtio eſt, debent ſupponi, ſed ea etiam eſſe tractanda, quæ Sacram Scripturam quoquo modo concernunt, morem gerendo Auctoribus, qui quę ad Verbi Dei venerationem ſpectant, etſi minima ſint, religioſo ſtudio ſcrutari conſueverunt, atque utinam brevitas, quam profitemur id nobis in pluribus relaxaret: Secundo reſp. ſenſum noſtrum eſſe quod magis intererat Moyſen nomen ſuum omittere, ex quo firmaremur in notitia principalis Auctoris Sacrę Scripturę ſcilicet Dei, quam quod illud apponendo nos doceret, quos libros ipſe conſcripſerat, vel enim ipſe ſcripſiſſet, vel alter, eadem ſemper Fides Deo in Scripturis loquenti deberetur; quod ſi ad

A aliquid prodeſſe talis notitia potuiſſet, eam Deus revelaſſet. Quod ſi adhuc inſiſtas ſecundùm hanc ſolutionem, ad quid ergo id quęrimus, quod parui, aut nihili intereſt? Reſp. planè ad hoc nos id quęſiſſe, ut reſolveremus parum hoc intereſſe, hoc enim non minimi intereſt, ut nempè diſcernamus, quę interſint, quæ non.

Nunc redeundo ad præcipuam Articuli præſentis Partem, quando nam cæperit Sacra Scriptura, certiſſimè infertur ex dictis, quod ſi Moyſes inter Canonicos Scriptores fuit primus, tunc cæpit Sacra Scriptura, cum Moyſes Deo mandante cæpit ſcribere. Id ergo breviter expediemus, cum ſpectet ad Cronologiam Mundi, quam exactè examinare nunc non vacat. Juxta veriorem itaque Cronolo-
B giam, Natus eſt Moyſes, a Creatione Mundi, Anno 2403. in Ægypto. Tempore Exodi erat ætatis annorum 80. Ex. c. 7. Vixit autem annis 120. Deuter. c. 34. In tres autem quadragenas, dividitur duratio vitæ ipſius: Per quadraginta annos in Ægypto in Domo Pharaonis, adoptivus Filiæ Regis, Litteras Ægyptiorum, ſeu ſimbolicam didicit doctrinam. Hinc quadraginta annorum ſpatio, quibus ſecunda recenſetur quadragena vitæ ejus, delituit in domo Sacerdotis Madian, exul ab Ægypto. Aliis verò 40. annis præfuit Populo Dei, eique Ducatum prębuit in Deſerto, ſicque ſummatim deducunt Doctores ex Pentateuco ſequentes Auguſt. de Mirabilib. S. Scripturę l. 1. c. 35. ſeu potius S. Scripturam. Ex quo patet eam non cępiſſe ante Annos Mundi 2460. ante,
C ſiquidem id tempus conſtat, quod Moyſes non fuerat a Deo conſtitutus ut eſſet Deus Pharaonis, unde nec ante illud ſcripſit, nec dum quippè ei fuerat demandatum munus docendi, & ducendi Populum Dei: Hoc igitur dumtaxat certò concludi poteſt, poſt annum tantummodò vitę ſuę octogeſimum, Mundi verò 1484. potuiſse incipere Sacram Scripturam, perfeciſſe verò tantum in extremis Pentateucum vitę ſuæ annis, ſcilicet poſt 110. annum & plus etiam, ea ſiquidem, quę in Pentateuco referuntur uſque ad extremum vitæ ejuſdem Moyſis perducuntur. De deſcriptione verò mortis ejus, alibi ſermo erit. Et hęc deducta ex Joſephó Antiquit. Judaicar. l. 2. ex Aug. loc. citato, ac Plurimis PP. atque Expoſitoribus, ut concluſum maneat, quod tranſeunter occaſione ſcilicet data tractamus abundè ſufficiunt: Qui plura voluerit adeat Doctiſſ. P. Cornel. a Lapide initio Pentateuchi, qui hęc & ſimilia diligenti calamo diſertè pertractat.

ARTI-

ARTICULUS III.

APPENDIX

Quando nam formaliter cæperit Sacra Scriptura, scilicet Vetus & Novum Testamentum.

QUoad inceptionem Scripturę, quę nunc Sacra Scriptura est, jam satis conclusum videtur, nec aliud exigit pręsentis Capitis titulus; ex connexione tamen, & ad tollendum scrupulum, qui possit suboriri, pręcedenti Articulo, hunc etiam appendimus, maximè autem id nos debere putavimus, quia etsi de materia Sacrę Scripturę, ad quam reducitur ipsa scriptio, & ejus Initium in pręsentiarum agamus, ea tamen scriptio non multum ad nos refert secundùm se, nisi quatenus scriptio fuit Scripturę, quę Sacra est, & erat ipsaque Sacra quoad nos non dignoscitur, nisi ut perfectè Canonica eo modo qui ad ejus Initium pertinebat,

Brevissimè igitur dicendum est, cum communiori sententia, quam disertè etiam inter cęteros sequitur & statuit P. Eus. Nieremb. de Originę Sacrę Scripturæ l. 8. c. 1. Vetus Testamentum in ratione talis cępisse Exodi c. 24., ubi scripta & lecta Lege, & immolatis Victimis, admissaque per stipulationem lege, dicitur. Ille verò (scilicet Moys.) sumptum Sanguinem respersit in Populum, & ait: Hic est Sanguis Fęderis, quod pepigit Dominus vobiscum, super cunctis sermonibus his.

Ostendit, probatque assumptum Cajetan., *quia cum arctissimum Fœdus inire homines volunt, communione Sanguinis vel humani, vel hostiæ Sacræ mixti vino id faciunt; ut ex communione in uno eodemque Sanguine, unus atque idem omnium animus comprobetur, & firmus habeatur ac stabilis: Maxima enim conjunctio Sanguinis est, in quo est Vita.* Ita eodem Sanguine aspersum est Altare, quod Deum repręsentabat & simul Populus, ut pactum inter Deum, & homines firmaretur.

Addit Oleaster, inter homines, Animalium occisionem, perpetuitatem Pacti significasse, quod nempè tandiù duraturum esset Pactum, quamdiù mors Animalis quod nunquam resurgit: Idque cum aliis ceremoniis expressit Paulus *ad Hebr. c. 9. Lecto enim* (inquit) *omni mandato Legis a Moyse universo Populo accipiens Sanguinem &c.* unde & ait. *Testamentum in mortuis confirmatum est.* Aliter etiam per ceremoniam divisæ in duas partes Victimæ transibant Fęderatores per medium, id innuentes, quod ita quilibet divideretur, si Pactum violaret, de quo habetur Gen. c. 15. de Pacto, & Sacrificio Abrahę. Subdit verò Nieremb. simili discursu pręmisso; *Ideò dici potest, quod tunc incepit, completè autem celebratum est in Exodo per scriptum.* Quia verò nos in pręsenti Artic. discutimus, quando nam cęperit Sacra Scriptura in esse talis, non quando in esse Scripturę, aut præcisè tamquam Pactum vetus, ideò cum & scripta & primò lecta

A fuerit formaliter & publicata; & acceptata ab Ecclesia, seu toto Populo Dei, ejusque Capite Moyse, quod fuit esse Canonicum statui illi conveniens, ideò sine dubitatione conclusimus tunc cępisse, ut habetur in Exodo loc. cit. nec locus est contradictioni.

Quantum autem ad novum Testamentum, non eodem modo concordant Doctores, saltem quoad apparentiam. Teodoret. sentit cæpisse in monte, cum Beatitudines Christus prædicavit; Ideò exponens illud Jerem. juxtà Transl. 72. *Quoniam hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel dabo leges meas in mentibus eorum &c.* dicit: *Hoc rebus ipsis demonstravit nobis Deus: Cum enim SS. Apostolos abduxisset in Montem, non dedit eis Tabulas lapideas,*

B *sed in Cordibus eorum inscripsit leges divinas, & dantibus operam virtuti Beatitudines obtulit. Hic Mons in Tribu Nephtali prope Capharnaum, ubi solutus erat orare, nunc dicitur Mons Christi.* Lyran. & alii malunt in Monte Sion, in adventu Spiritus Sancti; Ita & Chrisostom. Sermone de Pentecoste. Nieremb. cum pluribus loc. cit. in Cænac. in Institutione Eucharistica, unde comparans utriusque Testamenti Inceptionem ait: *Majori autem Maiestate & Gaudio novum Testamentum celebratum est divino Epulo, per Sanguinem immaculati Agni, qui ait: Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine,* ibi etiam fuit divisio confirmans Pactum, *accepit Panem benedixit ac fregit.* Alii in Cruce cum ait Christus, *Consumatum est.* Totum utique vetus Testamentum, ergo tunc cæpit novum; Alii in toto

C Evangelio, & hęc quidem omnia vera sunt, si distinguas. Nam in solemni pacto tria considerantur. Primò Pactum ipsum, seu consensio partium, Secundò Ritus & Ceremonię & ejus confirmatio; Tertiò Res ipsæ in pactum deductę. Si primùm certè totum Evangelium est Pactum ipsum, & cępit in sermone Domini in monte, quę fuit prima solemnis prędicatio Christi, in qua proposuit totam Evangelii legem. Si Ritum & Ceremonias consideramus & confirmationem, quoad hęc cępit in Cęnaculo, & perfectum fuit in Cruce. Si tertium, Hieron. & Chrisost. assentiendum, quia res potissima novi Fęderis Gratia fuit & Spiritus, & ipse Christus pollicitus fuerat Spiritum Sanctum toti Ecclesię, ideò tunc verè consumatum est novum

D Testamentum, ac statim promulgatum. Propositum igitur fuit in monte, celebratum in Cęnaculo, perfectum in Cruce, consumatum verò ex parte hominum & donorum in Pentecoste. Hęc autem dedimus ob connexionem, ne quid desideretur: Magis tamen ad rem nostram est considerare novum Testamentum ut Sacra Scriptura est; Quis nempè fuerit primus inter Sacros & Canonicos novi Testamenti Scriptores.

Quò circa dicendum videtur primam omninò novi Testamenti Scripturam fuisse Epistolam S. Jacobi, & est communior opinio, quam tuetur cum plurib. Nieremb. lib. cit. c. 15. aliique passim, quę ostenditur; Scripsit enim Fratribus qui erant in dispersione, quę contigit statim post Martyrium S. Stephani, ut Actor. c. 8. Tum etiam quia commendat in ea Sacramentum Extremę Unctionis,

quod

quod alii non omisissent, nisi supponerent scriptum; ex quo habetur eam primam etiam fuisse Scripturam Canonicam novi Testamenti acceptatam ab Ecclesia. Tertio Quia in Concil. Laodic. An. D. 364. præponitur Epistolis Petri & Pauli, quod cum non ei competat ex dignitate Scribentis, necesse dicendum est, quod ei competat ex antiquitate. Quartò. Quia cum scripta est, nullæ adhuc exortæ erant Hæreses, ut ex ipsa patet, quæ tantum moralis est; non autem omisisset solus hæreses impugnare si fuissent &c.

Ad hæc Julian. Toletan. Aliique complures primam eam vocant Scripturam, omnesque id tenentur asserere, qui eam tribuunt Jacobo Majori, qui primus omnium Apostolorum Martyrium subiit. Sed hoc aliquibus non placet, quia Auctor ejus ex Tridentino, & PP. fuit Jacobus Minor Frater Domini nuncupatus, & Jacob. Alphæi c. pr. sess. 14. sed nec in hoc fundata probatio sola est ad intentum nostrum, ut ex quatuor jam adductis patet; nec multum interest quoad præsens id prolixius disputare, quod aliò spectat; Nobis sufficit Auctoritas Trident. quidquid dicat Nieremb. qui loc. citato a c. 15. ad 18. conatur non obstante Auctoritate Concilii eam tribuere Jacobo Majori, quod tamen nunquam audebimus.

ARTICULUS IV.

De diversitate Causarum materialium Sacræ Scripturæ.

PRælibata in capitis initio Causarum materialium diversitate, postulat rectus ordo Doctrinæ, ut qua ratione in Sacra Scriptura inveniatur prædicta diversitas, aliqualiter digeramus. Et quidem Causa materialis qua importat id quo utitur Sacra Scriptura tamquam propria materia ad directionem hominum in vitam æternam; Idque secundum Abulensem in Deuter. c. 5. sunt ipsæ humanæ actiones, quas refert, & illæ, quas Præceptis, Consiliis, exemplis, & Doctrina regit, & dirigit; At melius dici potest omne illud quod absolutè in tota Sacra Scriptura continetur esse materiam, qua, in hoc sensu, quia *omnis Scriptura divinitus inspirata apta est ad docendum* (inquit Apost. *2. ad Timoth. c. 3. in fine*) *ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, & sic considerata materia, qua ferè coincidit cum materia circa quam, de qua modo dicemus, imò etiam cum materiali instrumento, ac similibus causis latè sumptis.

Materiam circà quam intelligimus esse id, circa quod tota Sacra Scriptura versatur, ita ut nec ultra illam progrediatur, nec infra illam subsistat, nec extrà illam divagetur, & ita importat objectum ejus materiale adæquatum, nempe manifestationem Dei, & Divinorum ut clarissimum est; quamvis enim quandoque humana narret, vel quędam in se indifferentia, ac alia, quæ in se immediatè considerata Deo & Divinis adversantur, ea tantum attingit, quia sunt materia manifestatio-A nis, vel Divinæ Virtutis, vel Misericordiæ, vel Justitiæ, vel Supremi Dominii; ideoque nunquam in eis sistit, imò eadem attingendo in singulis verbis & apicibus, divina servat nutritque Mysteria. Unde dicit Deus *Isa. c. 55. Verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*, per hoc enim quod verbum aliquod egreditur de ore Dei, jam scatet Mysteriis, & divinum quid operatur, saltem divini alicujus Attributi manifestationem, & veritatem, per quam ad eundem revertitur; juxtà sublimem Nostrorum PP. Salmatic. doctrinam ex D. Th., & PP. haustam De Ultimo Fine Disput. 2. dub. 5. Addendum verò ex August. de Doctr. Christ. l. pr. c. 2. Causa circà quam magis materialiter considerata sunt vel signa, quæ adhibentur ad aliquod significandum, vel Res quæ per B se intelliguntur, & hæc est materia cujuscumque Scripturæ ut Scriptura est, quæ verò a nobis descripta est, est materia Sacræ Scripturæ, ut Sacra Scriptura est.

Causa materialis in qua, quæ in sensu philosophico est verè & cum proprietate causa materialis, causans recipiendo, est id in quo subjectatur Sacra Scriptura formaliter considerata, prout est aliquid receptibile in alio: Et quidem si consideretur utcumque subjectum ejus est id, in quo scribitur. Primo autem scripta fuit, vel potius insculpta in Tabulis lapideis quoad aliquam sui partem (quæ tamen prima Sacra Scriptura fuit) scilicet legem Decalogi, sive digito Dei, sive Ministerio Angelorum, de quo alibi &c. postea verò juxtà tempo-C rum mores: Antiquitus enim scribebant stylo ferreo in lamina plumbi, quæ verò magis memoranda censebantur, celtè sculpebantur in silice: Unde Job *c. 19. Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei, quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celtè sculpantur in silice?* Postmodum in Tabulis levibus ceratis eodem stylo, inde Adagium, quod eleganter & frequenter usurpat Hieronymus in suis Epistolis, *intimis*, ut ajunt, *ceris eradere*, quod est scripta funditus delere, isque mos diù apud Romanos obtinuit; unde Scripturas appellabant Tabulas, ut passim Tullius, imò & apud Spartas, ex quo adhuc perseverant leges duodecim Tabularum, & in Martirio præclari Martyris S. Cassiani legimus eum traditum fuisse pueris, quos erudiebat, ut stylis, qui-D bus utebantur ad scribendum, ipsum quo debiliori, eo crudeliori prolixàque laniena cumpungerent. Ex quo more, styli nomen in pręsentiarum usurpatur ad significandum dicendi ac componendi modum, quia sicut cognoscebatur jam tum acuties styli ex subtilitate linearum, seu litterarum, ita ingenii acuties & intelligentia perspicatior in componentibus discernitur ex sententiis & modo eas componendi: Hinc & scribere, dicitur exarare, ob similitudinem impressionis, quam relinquebat stylus in cera, sicut in sulcis Aratrum. Pro his autem quia communia sunt & notissima passimque apud Isidor. in lib. Ethimol., & Bejerlinch cęterosque occurrunt, neminem specialiter damus.

Post hęc quędam Cartę similitudo in usu fuit, nempe in corticibus Arborum interioribus, in quibus

quibus mos erat scribendi, ut notat Ugo Victor. A
T. pr. Tr. 1. c. 12. aliique communiter, qui Cortices, libri appellabantur, vel in foliis Palmarum, ubi ejus Arboris copia suppetebat, eaque folia vocabantur Libri, ut ex Hieron. l. pr. Epistol. habemus, unde scriptores librarii dicebantur, at folia proprium & commune nomen hactenus conservarunt, sicque plura folia simul compacta liber dicuntur. Omnibus certè hisce modis, vel etiam aliis similibus juxta temporum, & Regionum mores Sacram Scripturam exaratam fuisse non est dubitandum, sicut & in pellibus desiccatis, ut moris erat etiam apud Pharisæos, in fronte aut vestimentis assutum totius Legis exemplar ostentantibus, unde dictum illud dilatant Philacteria sua, & membranę nomen, quod pro Carta usurpatur, seu Papyro, quod nomen est herbę in Cartę modum folia sua extendentis. Hęc autem etsi notissima, prælibanda erant ad complementum Doctrinę.

Conclusio. Causa tamen materialis Sacrę Scripturę formaliter consideratę alia deprehenditur ex ipsa Sacra Scriptura, scilicet Anima nostra ejusque potentię: Unde Sanchez in Speculo *Fol. pr. Causa inquit materialis in qua Sacræ Scripturæ sunt membranæ, Libri, & Tabulæ Legis, sed præcipuè corda hominum &c.* Utrumque autem Testamentum, utrumque dictum habet subjectum, at non ęqualiter; specialiter enim Lex antiqua erat in Membranis, at nova in Corde; hujus cum sit Lex amoris, cujus sedes est Cor, proprius Liber est Cor, illa quia Timoris in lapide durissimo data & scripta est per terrores in Sinai. Hinc Psaltes Rex optabat Christum Amoris & Gratię Legislatorem, dicens Ps. 118. *Da mihi intellectum*, idest Christum, qui est Verbum, & esse Verbi est esse intellectum, *& scrutabor legem tuam*, ast ubi? planè ubi propriam habet sedem, in qua custoditur, *& custodiam illam in toto corde meo*, & Ps. 21. Exęstuans felici ęstu amoris, cor ejus liquescebat, quod prius prisco induruerat ritu. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens*. Ad melius ad rem Ezech. *c. 11. Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum.* Ecce subjectum proprium novę legis, *& auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant &c.* hoc est, Auferam cor lapideum, legem nempe antiquam, scriptam in lapide, ad proportionem durissimi cordis Judęorum, qui dura cervice & incircumcisis cordibus semper Spiritui Sancto resistebant, qui est Amor; & dabo eis cor carneum: Quid est cor istud carneum? Sinè Scriptura denominatur ab eo quod continet, ut subjectum a forma, Cor nostrum est Scriptura Dei, ad cujus imaginem facti, spiraculum, quod inspiravit in faciem attraximus & servamus in Corde cum Propheta, *& legem tuam in medio cordis mei*. Dabo ergo eis Cor carneum, nempe Christum, qui est Verbum caro factum, & habitavit in Nobis, ut sit ipse cor nostrum carneum ipse Lex, Rex, & Legifer noster, & vita, & pręcepta, quę qui fecerit vivet in eis, ut dicamus cum Apostolo: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus* ad Galat. *c. 2.* Quę utique transformatio Amoris est per legem Christi, imò ipsa lex Christi dicentis: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem &c.* Joan. c. 15.

Confirmant hoc ipsum Discipuli Emmaitę Lucę *c. ult.* dicentes: *Non ne cor nostrum ardens erat in nobis, dum aperiret nobis scripturas?* Nempe cor eorum Tabula erat, in qua imprimebantur Scripturę, & quia amor accendit, ardebant, ideòque ardebant, ut id ipsum quo magis arderent, reciperent, videlicet legem amoris, in molli enim tantummodo cera fieri valet impressio.

Hoc ipsum etiam ratione roboratur primo. Quę enim scribuntur, utique exponuntur, ut intelligantur, cum enim scriptio sit quędam manifestatio, quę frustanea est, nisi adsit cui fiat, idest nisi adsit, qui intelligat, essentialiter scriptio respicit
B intelligentem, uti doctrina discentem; sed intelligere est quoddam pati, ut ait Philosoph; immo Intellectus dicitur Potentia passiva, & intellectus possibilis vel passibilis, quia nequit operari, nisi recipiat similitudinem objecti, per quam cum eodem objecto identificatur in esse intelligibili, & fęcundatur ad productionem Verbi, ergo S. Scriptura, & omnis ejus significatio directa habet pro subjecto Animam, hoc est Intellectum, qui dicitur Anima, quia præcipua & nobilior Animæ Potentia est, in cujus operatione per se primo Rationalitas ipsa resplendet, qua constituitur homo.

Secundo. Perfectio Creaturæ rationalis juxtà Communem Theologorum ac Philosophorum sententiam consistit in accessu & unione ipsius ad suum
C ultimum Finem, prout obtineri potest in quolibet hominis statu, quæ unio sicut intima est, ità intimum esse debet id per quod fit, & in quo fit, atqui eam obtinemus per hoc quod sermonem Christi servemus & verba ejus in nobis manserint, sicut ipse dixit, *si verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis & fiet vobis* Joan. *c. 15.* & iterum *c. 14. Qui diligit me sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum*, & paulo post (ecce mutua amoris unio) *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, ergo proprium subjectum Verbi Dei sunt Intellectus & Voluntas, per quas Potentias totalis, prout possibilis est, unio Animæ cum Deo consumatur, operante Verbo Dei in nobis, a quo Spiritus Sanctus, Spiritus nempe amoris procedit, constat autem quod ubi est
D formalis effectus, ibi est & causa.

Confirmatur breviter ex illo Mat. *c. 4. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*; nam certè non nutritur homo, nec vivit, nisi per id, quod in eo recipitur, nutriri quippè & vegetare fit per motum vitalem, qui essentialiter immanens est & animasticus, ergo proprium subjectum Verbi Dei est Anima modo dicto.

Sed dices. Si proprium subjectum Sacræ Scripturæ est Anima Rationalis seu clarius ejus Potentiæ Intellectus, & Voluntas, ergo ubicumque tale adest subjectum, talis etiam aderit forma, quod tamen experientia constat esse falsum, sunt enim plurimi hominum infideles, in quibus certè non residet Divina Veritas Scripturarum, etsi perspicaciori

caciori polleant Intellectu, quàm aliqui Fideles; imò inter Catholicos, ut Sacræ Scripturæ notitiam aquiramus, summo labore opus est, quod in nullo subjecto contingit respectu propriæ formæ.

Confirmatur. Cuique liberum est credere, ideòque & meritorium, & materia Præcepti est, si ergo omnes homines, ut possunt, discrederent, & abiicerent a se Sacræ Scripturæ Veritatem, ea planè maneret sine subjecto (semel posito quod asseruimus) imò nec maneret contra id quod frequenter replicat Scriptura: Verbum Domini manet in æternum.

Resp. facilè, nam omnes tenentur solvere hoc argumentum. Certè subjectum proprium scientiæ, est intellectus, cur ergo tot sunt nescientes? Dicamus igitur omnes ex propria hominis perfectione procedere, ut formam, quà perficitur, si naturalis est, non obtineat, nisi ad eam proprio tendat conatu, si verò forma sit superioris ordinis, eam non recipit si ponat obicem, eaque tantum perficitur (quoad modum) quantum disponit se ipsum ex Gratia Dei, quæ proprium principium est ordinis supernaturalis, quod suppoui ab omnibus debet, ex inconcussa August. & D. Th. imò, & Apostoli Doctrina tot voluminibus declarata, quot Thomistæ, & bene de Fide sentientes scripsere.

Ad Confirm. co. ant. & negatur. suppositum consequentis, nam semel posita promissione, quod Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, quæ in æternum durat, quamdiu scilicet in Terra Viatrix & Militans, postmodum in Cælis in perpetuum triumphans, semper erunt in via credentes, & oppositum est impossibile ex hac suppositione. Credit liberè quilibet Fidelis libertate contrarietatis eo quod & sit defectibilis & careat evidentia, quæ necessitat, at non est hoc modo libera Fides Ecclesiæ indefectibilis in actu, nunquam enim deficiet Fides Petri, hoc est Capitis simul & Membrorum, ut fatentur omnes Catholici, at quia ut in respons. ad instantiam dictum est, quælibet receptio supponit subjectum vel dispositum, vel saltem non indispositum, ideò necesse est inquirere.

ARTICULUS V.

Quæ nam sit Causa materialis dispositiva ad suscipiendum Verbum Dei in Anima.

TAmetsi SS. Patres, & plerique Doctores plurimas præscribant ad rectam intelligentiam Scripturarum, seu quod idem est ad receptionem Verbi Dei in Anima dispositiones, nos qui Religiosos potissimum Viros alloquimur ex propria Professione Orationi addictos, qui tenentur obliti Mundi Curis die ac nocte in lege Domini meditari, compertum habentes omnes hujusmodi dispositiones, in quibus proponendis cæteri diffunduntur, cum regulari rigidiorique observantia coincidere, eas potius supponere, uti notissimas cogimur, uti Praxis ipsa demonstrat. Ad gratulandum igitur potius, quam ad docendum aliquas earum, quas PP. unitim loquentes præscribunt prælibabimus; nullas enim adducere veritas, omnes afferre brevitas vetat.

Primò igitur requiritur candor mentis, & puritas; *Eccl. c. 24.* de se ait Sapientia: *Quasi Cedrus exaltata sum in libano, & quasi Cypressus in Monte Sion:* Ipsa est Cedrus propter incorruptionem, Cypressus propter rectam altitudinem, quia omnes scientias recta Via superat, & immarcescibilis exurgit. Libanus candor, Sion speculatio interpretatur: Recipitur ergo, radicatur & exaltatur in mentis candore, nec exurgit, aut dilatatur in speculatione, ni prius plantetur & floreat in candore; sensus est Augustini Serm. 246. de Temp. Et quidem etiam inspecta philosophica ratione, si nequit intellectus percipere quidditatem sui objecti, nisi depuretur ab omni materialitate per operationem intellectus agentis, ex qua depuratione datur locus lumini, & spiritualis inde sequitur visio, sanè minus habilis erit ad percipiendum ea verba, quæ Spiritus & Vita sunt, si mediet umbra denigrans candorem, & impuritas ex parte cognoscentis. Substantiale Dei Verbum candor dicitur lucis æternæ, & speculum sine macula, ut sciamus nihil turpius, eidem nobis reflexè exibito recipiendo magis opponi, quàm impuræ mentis caliginem. Nec diù quidem in hujus elogio dispositionis laborandum; Eam siquidem & docet Apost. & experientia ipsa commendat, Ille 1. *ad Cor. c. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur: Spiritus autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Domini qui instruat eum? Quo loco mirabiliter confirmat Angelici Doctoris propositum, comparans spiritualem virum vigilanti, qui potest judicare, dormientem, animalem verò dormienti, qui ad omne judicium ineptus jacet. Definit autem ex Glos. Spiritualem virum, ex parte intellectus, quod homo spiritualis est qui spiritui Dei subjectus certissimè & fideliter spiritualia cognoscit; ex parte verò voluntatis, spiritualis inq. vita est, quæ spiritum Dei habens rectorem Animam regit, idest animales vires; ideò verò talis judicat omnia, quia qui rectè se habet, rectum etiam judicium habet circa singula, qui verò rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in judicando, unde non sunt tales sapores, sicut videntur infirmo, sed sano, idem de dormiente, & vigilante, de debili, & forti, de vitioso, & virtuoso. Ipse autem a nemine judicatur, quia spiritu Dei regitur, qui non habet superiorem, nec scientiam habet ab aliquo acceptam, sed a Deo.

Pro experientia, seu praxi, ne effundamur ad universa illia Paradisi; satis se se exerit fragrantissimus odor Doctoris Angelici; quæ cordis ejus puritas, Deus, quæ corporis, norunt Angeli, Angelico Balteo in suam eundem Hierarchiam transferentes. Quæ inde sapientia, quæ sacrarum videlicet cognitio Scripturarum norunt, hi tantùm, qui simili prælucent candore, non enim umbris patitur tantus candor affundi, earum siquidem mentium se fidit sinceritati, quæ judicant omnia, ipsæque a

D nemine

nemine judicantur. Denique concludit Spiritus Sanctus *Sap. c. 9. Corpus quod corrumpitur aggravat Animam*, ne scilicet ad superiora contendat, *& terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*; ac demum quod c. pr. dixerat, per hoc ipsum confirmat: *In malevolam* scilicet *Animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Secunda est Reverentia: Miramur omnes & merito tantam apud veteres PP. floruisse Sapientiam, intelligentiamve Scripturarum, non latet quidem divinam sic decuisse Providentiam ut in prioribus Doctores instrueret succedentium, idque communicaret fontibus, quod effluere posset in rivos; sed ex ejusdem supernæ dispositionis ordine id haurimus, quod quibus sæculis primævam, insignemque communicabat sapientiam congruam pariter ad eamdem inserebat dispositionem. Certè Antiqui usque ad tempus, quod Chrisostomi aureo flumine complebatur, manus lavabant, antequam tangerent Sacrata volumina: Idem Chrisost. refert hom. 51. in Jo: Alii detecto capite, alii insuper genibus flexis legebant & audiebant verba Scripturæ loquentem Deum inclinato prius corde quam poplite venerantes: Narrat Lyran. in c. 4. Lucæ quod Judæi non audebant sedere prope aut supra, ubi sacri libri condebantur, at semper infrà, eosque collocabant in sublimi; & quidem Lucæ c. 4. scribitur, quod idem Dei Verbum Christus, cum ei exhiberetur liber Isaiæ Prophetæ, surrexit legere, postmodum verò plicuit, & dedit Ministro; in quo id quidem deprehendimus significari, quod cum advenit Christus, aperta est & impleta omni Testamenti veteris Prophetia, indeque plicata tradita est Ministro, idest Populo Hebræorum, qui nobis ut sæpius notat Augustinus contra Judæos, & alibi Bajulus noster fuit ministrans nobis Scripturas, sed magis in facto ipso elucet intimatum exemplo præceptum summæ Reverentiæ, qua excipere sacratissima tenemur verba Dei. Hinc Petrus Dam. Opusc. 15. de Instit. Monach. c. 18. præcipit nunquam manum ponere, aut digitos tenere supra Sacras litteras, nunquam sinantur fumo nigrescere, vel ignis odorem sentire. S. Franciscus Ep. 3. & in Reg. suis Fratribus præcipit: Verba Domini scripta, ubicumque reperiantur, colligantur, & in loco honesto collocentur, & in Testamento suo propinquus morti eadem verba recoluit: D. Carolus tantum flexis genibus legebat Sacras litteras. Et quidem videtur impossibile quempiam proficere ex Verbo Dei, qui non advertit Deum esse qui loquitur; Quid enim audiet, qui quis loquatur, quasi contemnens & dictum & dicentem ignorat? Primus sanè discendi ardor, inquit Ambr. nobilitas est Magistri, quem qui ignorat, quid non ignorabit? Hi nempè ut prudentes norunt, & doctrinæ gradus sunt & disciplinæ. Ex cognitione docentis, æstimatio docendorum, ex ipsa æstimatione veneratio, ex veneratione attentio, ex attentione intelligentia, ex intelligentia Veritatis Amor, & delectatio oritur, & hinc omne bonum. Hinc *Sap. c. 6. Clara est quæ nunquam marcescit Sapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt illam:*

A *Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat*: & concludit: *Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia: Cura ergo disciplinæ, dilectio est, & dilectio custodia Legum illius est, custoditio autem legum consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Quibus in verbis ne dum eam quam pertractamus, & præcedentem suscipiendi Verbi Dei dispositionem, sed & omnes simul in quibus proponendis adeò distenduntur DD. Spiritus Sanctus brevissima conclusione comprehendit. Non tamen omittendum ad præsentis Epiphonema, quod August. sæpè cum Origene hom. 13 in Ezech. comparat, Verbum Dei scriptum cum corpore Christi in Eucharistia, eademque concludit utrumque esse veneratione tractandum.

B Tertia dispositio, eaque plures includens est devotio erga Beatissimam Virginem: Ejus summa dignitas fuit, ignorat nemo, in qua, ut canit Bernard:, *nec similem visa est, nec habere sequentem, Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore*; ut nempè immaculata, fieret Mater Dei. Quibus ergò ipsa se disposuit, ut reciperet Verbum Dei, his nos aptare debemus, ut Verbum Dei capiamus: Hæc enim vera devotio est opere approbare quod gessit, ut eo tendamus quo ipsa sic gerendo pervenit. Possumus siquidem & nos esse Mater Dei, si Verbum Dei percipimus, & custodimus, ut communis PP. sensus est ex illo Christi Domini *Luc. 8.* cum extendens manum ad discipulos suos ait: *Mater mea, & Fratres mei hi sunt*. Docuit nos Beat. Sapientiæ Mater Sacris studere Scripturis, C nempè ut attentè, & quasi attrahentes & respirantes spiritum Dei percipiamus & custodiamus, omnia divina verba in corde, eaque intima meditatione conferamus, & in substantiam spiritus digeramus; *Luc. c. 2. Conservabat omnia verba, hæc conferens in corde suo.*

Confirmatur hoc ipsum: Nam juxta celebrem opinionem, ac veluti traditionem, quam eruditè pertractat R. P. N. Joseph a Jesu Maria in mystica B. V. Historia, de ejusdem Desponsatione, & Annunciatione, habemus quod eadem B. Virgo cum legeret & meditaretur illud *Isaiæ 11. Egredietur virga de radice Jesse*, illudve ejusdem *c. 7. Ecce Virgo concipiet &c.* Nuncium accepit Incarnationis Verbi Dei, inveniens in Verbo Dei scripto D Verbum Dei dictum, illudque mente concipiens, hujus concepit Maternitatem; quod legit, audivit invenit, & ut scribit Ambros. tantum elata per contemplationem, quantum se deiiciebat per humilitatem, *Angelos, syderaque transgrediens, Verbum in sinu Patris invenit, & toto hausit pectore*: *l. pr. de Virgin. circa initium.* Artem igitur inveniendi in Sacris Scripturis ipsam substantialem Verbi Dei veritatem, quæ tam ineffabiliter calluit, sola perfectissimè docere potest. Ideò *Beatus*, inquit, *qui vigilat ad fores meas quotidiè & observat ad postes hostii mei*: *Prov. c. 8.* Is sane discet, quod in legentem Sacram Scripturam Spiritus S. Supervenit, & Fides, quæ est virtus Altissimi, secundùm Damascenum, obumbrat sibi, ut in se verè concipiat Verbum Dei, ac sine ullo humanæ doctrinæ semine divina parturiat.

Quarta

Quarta dispositio est Humilitas. Nascimur omnes vacante Intellectu, qui tamquam Tabula rasa expectat impleri, utique speciebus & verbis. Si humanam addas tantummodo scientiam, inflatur non impletur, sicque superbè inflatus, repletus vacuo locum non habet, in quo recipiat Verbum Dei, quod ex se omnia occupare petit, portans omnia verbo virtutis suæ. Evaporet igitur inflatio, ut vera succedat repletio. Et hoc est quod ait Apost. *prima Cor. c. pr. Scientia inflat, Charitas verò ædificat*. Singulare quid refert de Christo S. Luc. Evangelista *c. 2.* concludens, *& erat subditus illis:* Abs re tamen non erit, si dicas, hoc ideò dictum, quia eodem pariter capite prædescribitur Jesus disputans in medio Doctorum utique de scripturis, ut sic intelligatur inter humilitatem, veramque Sapientiam Scripturarum, quam intima sit connexio. *Virginitate quidem placuit Virgo*, ait Bernard. *Ser. de Annunt. sed humilitate concepit Verbum Dei*. Cum descendit Verbum Dei ad homines *humiliavit se metipsum Phil. c. 2.* ne speret illud capere posse superbus. Et quidem quid capiet, qui se ipsum non capit: *Qui putat se aliquid esse cum nihil sit ipse se seducit:* ait Apost. *ad Galat. c. 6.* Si ergò se ipsum a se ducit, & dividit, scilicet a veritate, addit hoc loco D. Th. *ergo nec est qui possit impleri, nec capax est veritatis a qua & a se ipso discedit*. Certè hoc unicum in nobis lumen est respici a Deo, at subsumet Beatissima Virgo *Luc. pr. respexit humilitatem Ancillæ suæ, dispersit superbos mente cordis sui*; & addit sublimis ejus Proavus David *humilia respicit excelsus Dominus & alta a longè cognoscit. Ps. 137.* ergo cęcus est superbus & manu tentans, quid legere cęcus præsumit? quid videre nisi forte se cæcum esse, quod ubi deprehendet, jam veritatis ideòque & humilitatis eliens, jam cæcus non erit, quia & humilis. Idque ex eo patet, quod cum primo superbiit Adam, tota ejus scientia, in hoc unum infelix cognoscibile risoluta est, ut cognosceret se esse nudum, idque cognoscens a Deo obtinuit mox, ne nudus esset, vestimentum.

At parum est, si superbum incapacem asseras intelligendi Verbum Dei, hoc fanè plus est, quod insuper Deus ipsi resistit; ex quo se stultum denique sentiat, dum sibi sapiens videtur, & id ipsum impotentiam summam esse conari contra Omnipotentem: *Jac. c. 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat Gratiam*, ac deniq; concludit Spiritus Sanctus *Sapien. c. 1.* de se ipso dicens: *Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superveniente iniquitate*.

Quinta dispositio est Oratio. *Optavi*, inquit sapiens *Sap. c. 7. & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Humilis Orationis efficacia ad obtinendam Sapientiam, nec aptius exprimi poterat, nec vividius; qui enim ait, optavi & datus est mihi sensus, ita de se demissè sentiebat, ut se insensatum supponeret, aliter non optaret sibi sensum dari, quem habere putaret, nec pro eo obtinendo oraret; hoc autem ita dictum putamus, ut intensum Orationis affectum, & sapientiæ exprimeret desiderium, qui enim se omni- modis indignum sentit, certè ferventius orat, ut obtineat quod tantum desiderat, quantum indiget. Optavi; hæc est interior oratio, cum petere non audentes id quod supra nos esse cognoscimus, silenti fortius id ipsum petimus desiderio. Exaudit autem, ne dum audit benignissimus Dominus, qui Moysi tacenti dixit, quid clamas? Indeque exaudiens largitur confidentiam Filiis, ut invocent Patrem, unde subdit, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ; sine quo nec ille scripsisset, nec nobis suppeteret legere, minusque intelligere, quæ scripsit. Si totum scrutemur Psalmorum librum, unica videtur totus oratio petentis a Deo intellectum, ut legis, hoc est Sacræ Scripturæ mirabilem assequatur veritatem; potissimum verò Ps. 118. qui quoddam cæterorum compendium est, elogium est Sacræ Scripturæ, & intensissima Oratio Flagrantis ad ipsius intelligentiam, quod quia evidens est, ne in notissimis detenti actum agamus, innuisse sufficiat, ut & nos denique cum Rege sapientissimo singulis singulorum dierum vitæ nostræ horis toto corde orantes cum eodem denique feliciter dicamus: Os meum aperui, orando, & attraxi Spiritum, illum utique qui est Spiritus Sapientiæ, & intellectus nobis revelans profunda Mysteriorum Dei nobis exhibita, in immenso thesauro Scripturarum.

Confirm. primò. Clarè enim dicitur *Jacobi c. 2. Qui indiget Sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, postulet autem in Fide nihil hæsitans &c.* Pulcrè etiam *Oseas c. 12.* describens Jacob luctantem cum Deo, seu Angelo ait: *Invaluit ad Angelum, confortatus est, flevit, rogavit*. Pende in hoc textu omnes orationis gradus, nota denique *rogavit*, ut intelligas deprecatione, & oratione Victorem evasisse, & denique benedictionem obtinuisse, & cognovisse mirabilia Dei.

Confer. secundò. Si ad assertæ hujus dispositionis evidentiam exempla percunctemur, quidquid SS. Patres, piique Doctores ad elucidandum Dei verbum scriptum dixerunt, intellexerunt, scripserunt, unica probatio est, non enim nisi a proprio fonte rivi emanant, nec lux nisi a sole, porrò certissimum est propriis viribus homines ad tam sublimia Dei Mysteria conscendere non valuisse, & æquè indubitatum est alas hujuscemodi sola oratione obtinuisse; cum enim dicat Christus: Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis, evidenter sic possumus arguere; apertum est illis, ergò pulsaverunt; invenerunt ergò quæsierunt; acceperunt ergò petierunt, non enim aliunde, nec prius habere potuerunt. Stat pro omnibus, qui planè omnes elucidat, unus Angelicus Doctor, de ipso siquidem testatur Ecclesia, ipseque de se ipso sincerissimè, Fratri Reginaldo socio suo sæpius asseruit oratione potius quam studio (quod esti continuum in comparatione tamen tantæ sapientiæ quid minimum apparebat) se obtinuisse sapientiam, & specialiter in vitæ illius historia narratur, quod cum incidisset in locum difficilem Isaiæ, orans & jejunans obtinuit a SS. Petro, & Paulo edoceri, ut ex Principibus Apostolorum

quasi ex cathedra, ex cælesti sede declarantibus, quod S. Doctor scripsit sciamus esse firmatum.

Sexta Dispositio est assiduitas. Studii sine intermissione. De Sapientia ait Ecclesiasticus *c. 24. Colluctata est in ea Anima mea*. Explicat Ugo Card. idest in ea obtinenda, quia debemus importunè insistere, ut eam obtineamus. Sanè si doctrina, & disciplina correferuntur, si quibus docemur librorum imprimendorum nullus est finis, planè nec eosdem evolvendi, & pertinaci studio perscrutandi nullus est terminus, infinitus enim est Sapientiæ thesaurus, qui latet in scripturis, nec minor ut eum effodiamus, duratio, quam æternitas: Hinc Augu. ad Volus. de Sacræ Scripturæ studio dictum illud supponit, con consumaverit homo, tunc incipiet.

Rup. *l. 8. de Gen. c. 9.* exponit luctam Jacob, ad propositum, *luctatur enim*, inquit, *cum Deo, quamdiu S. Scripturæ studio accinctus incumbit, sensumque Verbi Dei fugientem tenere contendit*. Luctatur cum Deo, qui dum in Sacris Litteris versatur fugientem litteræ sensum tenere contendit, abeuntem sequi &c.

Isid. *lib. sent. de summo Bono c. 9. Quantò amplius ad aliquam artem homo conscendit, tantò magis ad hominem ars ipsa descendit, sicut in lege scribitur, Moyses ascendit in Montem, & Dominus descendit;* additque: *Nemo potest sensum S. Scripturæ cognoscere, nisi legendi familiaritate, sicut est scriptum: Ama illam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus*. Testis ille, qui vitæ suæ propemodum oblitus, potius in Scripturarum studio laborasse dicendus est, quam vixisse, Doctor Maximus super Ecclesiasticum dicens: *Scripturarum notitia non otiosis datur, aut vota facientibus, sed laborantibus*.

Et dicta verò, & quæ brevitati donamus plura simul cogit *Aug. de Doct. Christ. c. 41.* post quæ hæc subdit, quæ mutua offert. *Hoc modo instructus divinarum Scripturarum studiosus, cum ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud Apostoli cogitare non cesset: Scientia inflat, Charitas verò ædificat:* Et contra Adamant. *c. 3. Sacra Scriptura non temerarios, & superbos accusatores, sed diligentes & pios lectores desiderat*. Ac denique *Epist. 8. ad Hieron. Ad cognitionem Scripturarum talis homo accedat, qui de Sanctis libris tam sanctè, & veraciter existimet, ut nolit aliqua eorum parti delectari per officiosa mendacia, potiusque quod non intelligit transeat, quam cor suum præferat illi Veritati &c.*

Consulto hic omittimus, quæ Tomo primò tota ferè dissertatione prima huc spectantia, effuso fermè Volumine congerit in Opere suo magno Eruditiss. P. N. Cherubinus, ne Totum Opus, Operis fit initium, & frustrà id suadeamus, quod ex proprii status doctrina jam prænorunt, qui hæc audiunt, vel legunt. Videat cui vacat.

ARTICULUS VI.

Quænam sit Causa materialis de qua Sacræ Scripturæ.

NUnc jam superest, ut ad præsentis Capitis perfectionem causam materialem, sive materiam de qua Sacræ Scripturæ brevi saltem rimemur intuitu: Quia verò opus non est brevis disputationis singula, de quibus Scriptura agit, librare, cum nec id plenè assequi valeant Expositores Primarii, eam potius dicemus Materiam circa quam, quæ potius est una ratio, in qua singula & universa conveniunt tamquam in proprio materiali subjecto totius Sacri Voluminis. Considerat inprimis hanc materiam Ugo Victorin. *in Prænotat. c. 2. Tomo pr.* generalissimè, eamque sic explicat. *Duo sunt Opera Dei, quibus consumantur omnia, quæ facta sunt. Primum est Opus Conditionis, quo facta sunt, quæ non erant, secundum est Opus Restaurationis, quo reparata sunt, quæ perierant;* Illa quasi modicum quid Divinæ Virtutis judicium brevi tempore, hoc est sex diebus perfecta sunt, hæc verò quasi excellentia ad comparationem priorum, non nisi sex ætatibus consumari possunt: In his itaque materiam divinarum Scripturarum considera, ut ex illo de quo tractant, & in modo eas a cæteris Scripturis distinguere possis.

Georgius Ederus *l. pr. Partit. Tab. 11. q. 6. de Causa mater. S. Scripturæ* sic distinguit. *Causa materialis alia ex qua: Revelationes divinæ, alia de qua; Deus. Alia in qua: Anima. Alia circa quam:* nempè Res quæ ipsæ per se intelliguntur, & signa quæ ad quidpiam significandum adhibentur, ut nos etiam supra ex Aug. de Doct. Christ. l. 2. c. 1. notavimus. In quo ut patet, videtur Ederus confundere materiam de qua cum objecto formali adæquato, potest tamen sustineri, quia accipit materiam de qua formatam. Alii magis distinguunt, quia agit Scriptura de Deo Patre, ut Creatore, de Filio ut Redemptore, de Spiritu Sancto ut Gubernatore. De Deo ut Judice, ut Pastore, ut Sponso, de innumeris denique Dei attributis & effectibus. Et hæc quidem omnia vera sunt, at quia nunc optamus assignare eo modo, quo fieri potest, unam rationem, in qua ea omnia, de quibus agit Scriptura conveniunt, quæque in jam prælibata, distinctaque Materia ejus de qua reluceat, relinquentes lectori judicium, addimus prout nobis apparet, & videntur concludere probationes, quas mox subiiciemus.

Conclusio. Materiam de qua Sacræ Scripturæ & transitivè, & intransitivè esse potissimum Dei misericordiam: *Ps. 44. Miserationes ejus super omnia opera ejus;* ideoque ut ex omnibus simul Dei laudem hauriret, idem *Psalmista Ps.* 88. & S. M. N. Teresia quotidiè canebat. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Magis autem ostenditur assumptum: Vel enim Sacra Scriptura agit de his, quæ sunt in Cælo, aut de Cælis ipsis, vel de Terra & his, quæ vel qui sunt in Terra, vel de præteritis narrativè, vel de tunc præsentibus, vel de futuris in tempore, vel de futuris in æternitate, vel de Deo, ejusque attributis, vel de Creaturis, quæ planè sunt, vel in Cælo, vel in Terra, vel de Moralibus, de Judicio, de pœnis malorum, de præmio Justorum, de Præceptis, & Consiliis, de promissionibus, & permissionibus, de Peccatoribus, vel de Justis, de Temporalibus, vel de Æternis; de Verbo incarnato, de ipsius immaculata Virg. Matre,

Matre, de Fidelium Congregatione scilicet Ecclesia, de Judæis, & Gentibus, de Mirabilibus Omnipotentiæ Dei, de ordinario rerum cursu, de ordine, & dispositione Universi, de Providentia, & Gratia, & de Judiciis inscrutabilibus Dei; sed hæc omnia veniunt sub ratione, & expressione misericordiæ Dei, ut tota ipsa clamat Scriptura, ergo misericordia Dei est in sensu dicto materia de qua totius Sacræ Scripturæ. Probatur mi. quoad omnes sui partes, & primò (major enim dubium non habet, cum non possit aliquid concipi aut assignari dictum in Scriptura, quam ad aliquo ex ennumeratis generalibus rationibus non pertineat.) Si enim de Cælis, vel de his quæ in ipsis continentur *Ps.* 88. *In æternum misericordia ædificabitur in Cælis, præparabitur veritas tua in eis.* & *Ps.* 35. *Domine in Cælo misericordia tua*, & *Ps.* 107. *Magna est super Cælos misericordia tua.* Si de Terra, vel de his quæ sunt in Terra: *Ps.* 118. *Misericordia tua Domine plena est Terra*, si de præteritis *Ps.* 24. *& misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt*, si de præsentibus, vel futuris nihil est quod eam effugiat *Ps.* 41. *In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus Ps.* 58. *Misericordia ejus præveniet me.* & *Ps.* 31. *Misericordia circumdabit.* Si de æternis *Ps.* 99. *In æternum misericordia ejus.* Si de Deo ejusque attributis. *Ps.* 58. *Deus meus misericordia mea Ps.* 129. *Quia apud Dominum misericordia. Ps.* 5. *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ. Ps.* 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam Ps.* 143. *Misericordia mea, & refugium meum, & liberator meus.* Si de Creaturis *Sap. c.* 15. *In misericordia disponens omnia.* Si de moralibus *Sap.* 4. *Gratia Dei, & misericordia est in Sanctos ejus, & respectus in electos illius. Ps.* 76. *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.* Hæc autem ferè universa concludit Ecclesiast. *c.* 36. *Miserere nostri Deus omnium, & ostende nobis lucem miserationum tuarum &c. ut cognoscant Gentes, quia non est Deus nisi tu. Ps.* 142. *Corripiet me Justus in misericordia. Ps.* 100. *Misericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine. Eccl.* 2. *Sustinete misericordiam ejus.* Omnia autem moralia in sola misericordia contineri, ex eo facilè constat, quod in extremo Judicio cum universa moralia judicabuntur de sola agetur Misericordia. Math. *c.* 25. & *Rom. c.* 9. *Justi vocantur vasa misericordiæ*, & Math. *c.* 5. ad concludendum omnia moralia sive per modum meriti, sive per modum præmii, dicitur: *Beati Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* & Jac. *c.* 2. *Superexaltat autem misericordia Judicium.* Si de Verbo Incarnato, Misericordia nomen ejus est. Jesus enim Salvator, & Redemptor, quid nisi misericordia est? qua majorem imaginari non valeat, vel miser, aut optare mors ipsa, vel peccatum. Ideo *Ps.* 88. *& misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.* & *Ps.* 84. cum Christum expetebat David, ipsum nomine misericordiæ inclamabat dicens: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, & quia ex David nasciturus erat, propterea ait *Ps.* 22. *Misericordia tua subsequetur me*, ac denique A tota similibus redundat Scriptura: Si de Beatissima Virgine: Non ne ipsa dulcissimæ Mater Misericordiæ, ut clamat Ecclesia? Imò & Mater, & Filia Misericordiæ est, & ejus ipsa divina Maternitas, quam nulla pura Creatura mereri potest, ipsa inquam Maternitas ejus, Filia est primogenita Misericordiæ; Hoc unum sibi ipsa de se gloriatur in Cantico, *Luc.* 1. *Magnificat Anima mea Dominum &c. ecce enim ex hoc beata me dicent omnes Generationes*, indeque subdit quare: quia nempè *Misericordia ejus a progenie in progenies*, a progenie Divina, in qua ipse Pater, est Infiniti Filii sui, in progenies idest in humanam simul, & divinam ex parte Filii, qua idem ipse Filius meus est Deus, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus utique timentibus eum, & hoc totum mea dignitas est, B quia me Matrem esse Dei est ipsum, quod ipsa mea maternitas filia est misericordiæ suæ. Quia respexit nihilitatem Ancillæ suæ, ut ex infinito hoc nihilo meo crearet infinita misericordia sua infinitam dignitatem meam. Ecce ex hoc beatam te dicimus ut obediamus suavissimæ misericordiæ tuæ, & tota Anima, quæ per te vivit, cum Ecclesia, quæ per te regnat, ad te ex præcordiis nostris semper clamat: Salve Regina Mater Misericordiæ, Vita dulcedo; & spes nostra Salve.

Si de Ecclesia, de Judæis, & Gentibus hoc totum misericordia est: *Hinc prima Petri c.* 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri J. C. qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex* C *mortuis, in hæreditatem incoruptibilem &c.* & Paul. *ad Rom. c.* 11. *Sicut enim aliquando, & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur.* Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur, indeque ut ostendat ipsa Dei inscrutabilia Judicia misericordiam esse, statim eam prędicat de ipsa Dei Sapientia, concludens quę dixerat de misericordia, quę in Fide nostra relucet dicens: O altitudo divitiarum Sapientię, & Scientię Dei, quam incomprehensibilia sunt Judicia ejus, & investigabiles Vię ejus. Si de mirabilibus Omnipotentię Dei, hęc misericordię adscribit Ecclesia, sic frequenter orans: Deus qui Omnipotentiam tuam parcendo D maxime, & miserando manifestas: Si de rerum Ordine, & dispositione Universi sive per Naturam, sive per Gratiam: Hoc totum misericordia est: unde *Sap. c.* 15. dicitur: *Tu autem Deus noster suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia, etenim si peccaverimus tui sumus, scientes magnitudinem tuam, & si non peccaverimus, scimus, quoniam apud te sumus computati*; quod utrumque evidenter & gratia, & misericordia est. Et unicus iste Textus integra probatio est Conclusionis.

Confirmatur & explicatur ratione, sequendo communem aliam divisionem eorum de quibus agit Scriptura, quam tradunt aliquì, quęque in re non distat a pręcedenti. Vel enim agit Scriptura de Omnipotentia Dei, & hęc ipsa summam exprimit

mise-

misericordiam, nam ex suo conceptu pugnat contra summam possibilium miseriam, scilicet nihil, quod omnis boni imò, & subjecti bonitatis negatio est. Vel agit de Justitia, & hęc transcendenter prędicat Misericordiam, quia summa Justitia, quę resplenduit in satisfactione offensę Dei infinitę exhibita per Christum, ineffabilem complexa est Misericordiam, & Redemptoris, qui non ex operibus justitię quę fecimus nos, sed per misericordiam suam salvos nos fecit; atque Æterni ejus Patris, qui sibi offensum & rebellem sic dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Ad quam Justitiam omnis Justitia, ad quam Misericordiam omnis respicit Misericordia. Vel de Amore Dei erga Creaturas, & hic a misericordiæ conceptu non est separabilis, cum enim sit Amor effectivus faciens quod amat & cui amat, non verò affectivus qui supponit objectum, eo ipso quod ad Creaturas fertur, jam aliquid tribuit indigenti Creaturæ, vel ipsam sibi, sicque semper sublevat eam ex nihilo, ad quod suaptè tendit, quia ex nihilo est; eamque ad se trahit, qui est plenitudo essendi, per id quod ei communicat ex propriæ bonitatis inexauribili fonte, quæ est frequens doctrina D. Thomæ, & PP. Salmanticens. ex ipso passim, potissimùm verò loc. cit. de Ultimo Fine disp. 2. dub. 5. vel de Conservatione, & Gubernatione, de Providentia, de Longanimitate, & hæc omnia hisque similia exhibita homini jam peccatori, vel iterum peccaturo, evidenter Misericordiam indicant infinitam, juxtà D. Th. Principium, cæteraque superius inducta, atque deducta.

Si de Peccatis, & Peccatoribus, de Terroribus, & pœnis, de diluvio, vel præterito per aquam, vel de futuro extremo per ignem Conflagrationis, hæc etiam eximiæ sunt Opera misericordiæ, quod potius Infinita Bonitas se permittat offendi, quam hominem totaliter perire, ac deleri, & quod per pœnas Impiorum, bonos faciat, avertat innocentes a summa peccati miseria, qua nulla major, Orbemque terrarum dignetur a rebellionis deformitate mundare.

Nec refert, si dicas, materiam de qua agit Sacra Scriptura esse omnia, non enim id negamus, sed id tantum asserimus, quod hoc ipsum quod est eam esse omnia, debet uniri sub aliqua ratione, idque ostendimus reverà compleri, si dicamus esse misericordiam Dei; ly Omnia siquidem, vel stat pro omnibus; quæ sunt in Deo, & cognoscibilia a nobis, & sic per misericordiam exprimuntur quæ Deus est, quæque nobis in praxi notior, & sensibilior est omni alio Dei attributo; vel omnia stat pro omnibus, quæ sunt extra Deum, & hæc ut pluribus jam ostendimus, sunt vel uti Vestigia, & Testimonia Dei miserentis, ipsaque sunt Misericordia Dei passiva.

Probatur secundò ex ipsa essentia Sacræ Scripturæ: Cum enim Dei constitutivum sit ipsum actu intelligere se metipsum, ut probatum supponimus a nostris PP. Salmanticens. tom. pr. tract. 3. de Scientia Dei disp. 4. per totam. Nihil Creaturam magis similem facit Deo in propria ejus essentia, quam quod ipsa actu Deum cognoscat, ergò nihil magis elongat formaliter a Deo (metaphysicè loquimur non moraliter) quam ignorare Deum, quo modo cognoscibilis est a nobis pro hoc statu, nam ignorantia absolutè, & prout hic sumitur, est ipsum non esse cognitionis, in subjecto habili ad ipsam, ergo quod Deus manifestet se ipsum, & tollat a nobis ignorantiam sui est ablatio inexplicabilis miseriæ, atqui S. Scriptura est major Dei manifestatio, quæ (citra evidentiam præsenti statui improportionatam; Deum enim nemo vidit unquam, & ait Deus ipse, non videbit me homo & vivet) hic haberi possit per modum Doctrinæ, siquidem ad modum infiniti, quod manifestat, semper scrutabilis est, ut experientia constat, & semper vera, & infallibilis est, ergo ne dum ea de quibus tractat, sed ipsa magis Opus eximium, & omninò proprium est infinitæ misericordiæ Dei, cujus munus propriissimum est sublevare a miseria, nulla igitur materia magis ipsi proportionata de qua tractet, assignabitur quam misericordia.

Nec refert, si opponas aliud esse, quod Sacra Scriptura, cum sit ipsa manifestatio divinæ Veritatis, sit opus eximium Dei summè miserentis, uti & docentis, aliud verò quod materia, de qua tractat, adunetur sub una ratione divinę miserationis; hoc enim verum esset si ipsa ageret de se ipsa tantum.

Nam contrà est, quælibet enim materia, de qua tractat, sumitur in nostra ratione formaliter ut docibilis & manifestabilis, ergo si eam manifestare misericordia est, jam quidquid in Sacra Scriptura est, nempè quidquid est illud, de quo tractat, sicut unitur sub una ratione manifestationis, ita sub una reperitur ratione misericordiæ Dei: Et quia clara res est, licet formalis, quæ obtusos fortè non convincit, non est immorandum.

Confirmatur probatio prior: Scientia Dei est factiva rerum, commune propemodum est Axioma Theologorum; Scientiam verò secundùm se consideratam, certè tollit oblivio, per quam actualis cognitio evanescit, quæ est ipsa scientia actualis, videamus nunc breviter quomodo probet David permanentiam Divinæ Scientiæ, utique & ipse, & quivis, hoc legitimè concludet negando possibilitatem oblivionis in Deo; profundiori tamen sensu procedit Proph. dicens Ps. supra citato non quidem numquid obliviscetur ea qui sciendo facit Deus, sed potius dicendo, *numquid obliviscetur misereri Deus?* ergo facere & scire Dei respiciendo Creaturas est misereri, atqui Scriptura de Deo sciente, faciente, & docente tractat, & docet, ergo materia de qua ipsius, est Misericordia Dei.

Probat. tertio. Quidquid Fidelis credit in Via, Beatus videt in Patria. Fides enim stat loco Visionis, omnia autem credenda in Sacra Scriptura continentur, & quidquid ipsa continet, credendum est, ergo quidquid ipsa continet, idest omne id de quo tractat, a Beatis clarè videtur in Patria; sed quidquid Beati vident, imò & ipsa Visio, ejusque radix misericordia est. Dicitur enim *Ps. 89. Repleti sumus manè misericordia tua*, quod intelligitur de Beatis, & Beatitudine, uti communis docet expositio, ergo &c.

Con-

Confirmat. denique; Omnia quæ in Sacra Scriptura continentur, sunt Viæ Domini, nam per ea & nos tendimus ad Deum, & ad nos venit Deus, hinc *Ps.* 118. inquit David; *Considerabo vias tuas*, & statim subdit, quid sint istæ viæ, *in justificationibus tuis meditabor*, nomen enim justificationes Sacram indicat Scripturam, & ne dubium maneat concludit dicens, *non obliviscar Sermones tuos*. Patet ex se ipso, textu exposito. *Sed Universæ Viæ Domini sunt Misericordia & Veritas, requirentibus Testamentum ejus, & Testimonia ejus;* quo quid clariùs? ergo tota Sacra Scriptura sicut est Veritas, ita Misericordia est, & quidquid in ipsa invenitur, sicut infallibiliter creditur verum, ità & verum est, quod misericordia est, quia est Via Domini. Unde ad demonstrandum quod in ipso consumabantur omnes Scripturæ inquit Christus *Jo: c.* 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita*, & iterum: *Misericordiam volo, & non Sacrificium, non enim veni vocare Justos, sed Peccatores*. Maneat ergo Materiam, de qua tota Sacra Scriptura agit, sive totum quod continet, melius assignari non posse per aliquid, quod sit commune & toti & singulis ejus partibus & seorsim & simul consideratis, quam dicendo, quod sit Misericordia Dei generaliter considerata, & ex parte Dei activè, & ex parte Creaturarum, sivè effectuum passivè, sic enim omninò universa comprehendit. Cum autem omnes Doctores quoad substantiam hac in re conveniant, vel saltem brevi explicatione in unum sensum uniantur, non est quod obiici possit, vel saltem non apparet, si quid enim occurret, in probationibus nostris solutum re ipsa comperies: Nec miretur quis de hoc asserto, non enim vano studio novitatis, quę in hac materia periculo nunquam caret, sed potius ad indaginem & explicationem Veritatis, ita asserimus, nulli contradicentes, quia negatum à nemine tale assertum in Terminis adhuc virtualibus invenimus, sed potius Scripturæ & rationi admodum conforme, sano modo intellectum, imò & in aliorum opinionibus involutum. Quæ autem & quidem plura huic loco addenda meditabamur, cum satis eluceat Veritas, brevitati donamus, ne cum Misericordiam exaltamus, immisericordes Lectoribus in prolixitate videamur.

ARTICULUS VII.

An in Sacra Scriptura tradita sint omnia, quæ oportuit tradi.

AD complementum præsentis materiæ, quod Alii alibi fusè pertractant, occurrit breviter examinandum, & potius ab omnibus supponendum; Et quidem nullus unquam Fidelium dubitavit, An Deus, qui inexauribili liberalitate in ordine naturæ rebus universis, & ea, quæ necessaria sunt, ut sint, & melius sint, supra quodcumque votum largitur, manum suam in ordine Gratię, in quo ex se ipsa nihil potest Natura, coarctarit, & quę prima sunt Veritas, rudimenta, illos ex parte aliqua celaverit, quos vocavit in admirabile lumen suum, ipse qui ipsissima est Via, Veritas, & Vita, & Lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed ut lux in tenebris magis eluceat, & manum ori suo imponant hęretici, sic disputamus. Quique sigillatim universa, quę in Sacra Scriptura continentur pro exiguitate nostra ponderare non valemus, ea postquam ad unam communem Rationem redegimus in pręcedenti Artic., eadem ubi sistunt pręsenti brevissimo obsequio veneramur. Asserimus itaque nihil Sacrę Scripturę deesse ex his, quę ad salutem & perfectionem Ecclesię, quam sibi aquisivit Christus Sanguine suo necessariò tradenda erant. Probatur primò pręter insertam in proximè dictis rationem ex eo quod habetur *Apoc. c. ult.* Ubi de Sacra Scriptura, seu de Apocalypsi, in qua illa residet & definit ut in Epilogo. *Qui sitit veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis; Contestor enim omni audienti Verba Prophetiæ libri hujus; si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; Et si quis diminuerit de Verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro Vitæ, & de Civitate Sancta, &c.* Ubi notandum admirabili Sapientia sua Deum disposuisse, ut hęc protestatio nedum in postremo Sacrę Scripturę libro, sed in extrema totius & libri & Sacrę Scripturę periodo ad conclusionem & clausulam Divinorum Scriptorum poneretur, ut de sufficientia totius Sacrę Scripturę indeclinabiliter convinceremur; sicut enim in primis Geneseos verbis, quę creanda erant ad divinam magnificentiam, & Naturę perfectionem, quę ad eam vergit, divino quodam compendio recensentur dum dicitur: In principio creavit Deus Cęlum, & Terram; Ita in extremis Apocalypsis, quę ad ordinem Gratię spectant, eodem verbo per quod & illa facta, & hęc dicta sunt, & sufficientia, & ad abundantiam Deo dignam conscripta universa esse firmatur. Unde ad iterum insinuandum, quod ibi scilicet in fine Sacrę Scripturę vota omnia cognoscendę veritatis quiescere debent, & delectari in multitudine Divinę sapientię post allegatam nuper contestationem concludit Joan. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis Amen*, prius enim ipse Jesus dixerat per eundem Joannem: *Ego sum Alpha, & Omega, primus & novissimus, Principium, & Finis*.

Confir. ex illo *Is. c.* 5. *Quid ultrà debui facere Vineæ meæ & non feci*, imò ex tota Sacra Scriptura; nec fortius ad hominem argui potest, ut convincatur Adversans Hęreticus, nisi percunctando quid est hoc quod deest? Quis, de quo, cum Deo in Judicio contendat. *Non intres*, inquit David *Ps.* 142., *In judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, at quomodo stare hoc posset, si non satis provisum fuisset in Scriptura de necessariis ad salutem, cur non posset homo se ipsum coram Deo ex hoc justificare, quod nempe in ipsa deesset, ex quo posset scire judicium, & Justitiam, de quo judicatur? Sed hęc versare ad controversias pertinet, nobis satis est in re evidenti, hęc breviter prælibasse.

Obii-

Obiicies tamen primo illud *Jo: c. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, ergo si adhuc aliqua supererant, de quibus Apostoli instruerentur jam non omnia in Scriptura continebantur, imò addit August. *c. 31. Non omnia sunt scripta, quæ Deus locutus est eis, per quos nobis Sacra Scriptura ejus administrata est.*

Obiic. secundò illud Jo: in fine Evangelii sui. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror Mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*, atqui nihil magis necessarium nobis est ad salutem, quam ea, quæ fecit Jesus eddiscere, ipsa enim facta ejus, ait Gregor. præcepta sunt, quia per ea, quæ facta sunt ab illo, quod facere nos debeamus innotescit, ergo &c.

Resp. distinguendo prius cum Georg. Edero ex August. Eorum enim quæ scribi absolutè poterant, aliqua sunt remota à sensibus nostris, & ab intellectu infirmitatis humanæ ut notat Augustin. ad Oros. contra Priscillianist. c. 11. de quibus potius præcipitur, ne illa scrutemur *Eccl. c. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*. Alia verò sunt, de quibus nobis est mandata Cognitio, & hæc procul omni dubio scripta sunt, de quibus hæc traditur regula citato Cap. Ecclef. *Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper*, August. ubi supra. Hinc,

Ad pr. patet ex ipso cit. Textu, sequitur enim, *cum autem venerit ille Spiritus Veritatis docebit vos omnem Veritatem*, cum igitur postquam Christus ità dixerat mox advenerit Spiritus Veritatis, qui confortavit, & docuit Apostolos, a quibus in Sacra Scriptura ad nos transmissa sunt ea omnia, quæ edocti fuerunt tunc à Spiritu Veritatis, potius ex illo textu evidenter concluditur completissimam esse Sacram Scripturam. Nec obstat August. qui de Gen. ad litteram *l. 5. c. 8.* ait: *Non omnia scripta sunt, quemadmodum post primam illam rerum conditionem tempora cucurrerint, seque secuta sunt administrationes Creaturarum, quæ primitus factæ, sextoque illo die consumata sunt, sed quantum satis judicavit Spiritus, qui inerat scribenti ea, quæ non solum ad rerum factarum notitiam, sed etiam ad futurarum præfigurationem valerent*. Hæc ille. Nam.

Resp. Secundò ex Origine in hom. de Arca Noè, ubi advertit; In nulla scientia omnia esse explicata, sed illa tantum ex quibus reliqua omnia sufficienter possint elici &c. quod si & in his eliciendis humanum torpet ingenium, satis Scriptura etiam hoc supposito providit, sat Scriptura pro viva Fidei regula, proq; se ipsa ut declarante ea, quæ dicit, Ecclesiam destinavit.

Ad secundam Resp. Glos. Ordin. in fine Evang. Jo: Et si Mundus libros, qui de rebus à Christo gestis scribi poterant, capere posset, divinitatis tamen mysteria omnia intelligere non potuisset, ita ut unicum illud dictum *Verbum Caro factum est* in hodiernum usque diem multi perfectè adhuc capere non potuerint. Constat autem non esse necessarium ad Salutem Divina Operum Christi penetrare mysteria, aliter soli doctissimi salvarentur,

A & vix; cum etiam inter Doctiores, qui universa, quæ scripta sunt de Christo intimè penetrare valeat fortè non inveniatur, nisi ex miraculoso Divini Spiritus magisterio, & frustra imò falsò celebraretur dictum Augustini. Veniunt Indocti, & rapiunt Regnum Cælorum, & nos cum nostris doctrinis ubi volutamur in carne & sanguine? Imò ex Apost. *Heb. c. 11.* habemus: *Accedentem ad Deum oportet credere quod Deus est, & accedentibus ad se remunerator est*, & S. Ecclesia in Symbolo Apostolorum Articulos cuique pervios etiam rudi ad credendum proponit, non subtilitates aut Arcana verba, quæ non liceat homini loqui. Quæ igitur non scripta sunt, scribi necesse non erat, ipsaque vel scripta non esse, vel ad nos non pervenisse, divinam commendat Sapientiam, & bonitatem, quę necessaria ministravit abundanter, eaque suspendit, quæ vel multitudine vel pondere Majestatis Fideles opprimerent, non exaltarent, sicque confirmavit, quod ait *Mat. c. 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve*. Nec propterea dicto Mag. Gregorii refragamur, ut patet; sed id tantummodo asserimus, Opera Christi, quæ Deo sic disponente scripta non fuerunt, non esse præcepta, quia non percepta, nec obligare, quia non intimata, & non intimata, quia per ea Deus noluit nos obligare.

Secundò etiam potest responderi, Alia esse Christi opera a nobis imitabilia, & hæc procul dubio ex Scriptura satis innotescunt, & nisi aliud certè ad provehendum Fidelium quemcumque ad summum perfectionis apicem abundè sufficeret proposita ad imitandum amantissima æquè, & crudelissima Passio Redemptoris: ideoque de illa ait *Petr. ep. pr. c. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit &c.* Alia sunt, quæ laudem exigunt a nobis, & gratum animum, non imitationem, uti sunt miracula, & similia digna Deo, eaque satis omnia in duobus ineffabilibus Mysteriis, quæ omnia superant, continentur, nempè Incarnatione Verbi, & Eucharistię Sanctissimæ Institutione, quam respiciens August. ipsi Deo impertransibilem dicit, qui cum esset infinitè sapiens plus dare nescivit, cum esset Omnipotens plus dare non potuit. Ac denique totam ex Operibus Christi addiscendam Sapientiam prout oportet ad salutem, ad ejusdem humilitatem reducit idem August. *Serm. 10. De verbis Domini Tollite jugum meum super vos, & discite a me, inquit Christus, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & invisibilia creare, non in ipso Mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum, & humilis corde &c.* Si hæc igitur scripta sunt, satis sunt, utinam impleantur ab his, qui alia curiosè disquirunt.

CAPUT

CAPUT II.

De Causa formali Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

De Causa formali extrinseca Sacra Scriptura si qua est.

ÆGimus hactenus de materià propriâ Sacrę Scripturæ sive de qua ipsa tractat, quod idem est, ac objectum ejus materiale in lata acceptione, & si enim cura fuerit singulas partes prædictæ materiæ unire sub una ratione, tamen adhuc sic unitas relinquimus in propria linea materiali; Ratio siquidem illa una, quam assignavimus non est ratio sub qua, cujus munus est formalizare ipsum objectum formale adęquatum habitus, vel Potentię, seu rei respectivę quam specificat ut quo, sed est tantum coadunatio omnium partium simul in aliqua ratione quasi ipsas transcendente, nec aliter sanè evitari poterat confusio objecti formalis quod, adęquati, cum ipsa ejus materia ac partibus ejus, in quod inconveniens labuntur, qui assignant pro materia de qua totius Scripturę Deum sub ratione Deitatis. Quo supposito agendum nunc est de causa formali.

Porrò causa formalis, quantum spectat ad pręsens, sumitur pro forma a qua res in esse dependet: Hęc autem in respectivis, sicut est Sacra Scriptura est multiplex, alia extrinseca, a qua intrinseca desumitur, & hęc est objectum formale quod adęquatum, & specificativum essentialiter inspectum, ad quam reducitur causa exemplaris, sive idea, ad quam respiciens causa efficiens rem ad esse producit. Forma autem seu causa formalis intrinseca est, per quam res in proprio specifico ac reali esse constituitur, & hęc diversas habere potest formalitates vel prędicata, per quę constituitur, & constituit totum.

Quantum ad objectum formale specificativum Sacrę Scripturę, absolutissima Doctrina D. Th. p. p. q. p. per totam, & doctissima Commentaria Thomistarum in Proęmialib. Theol. nihil dicendum relinquunt. Videatur inter cęteros N. P. Laurent. tom. pr. Specileg. controv. pr. per totam: Sacra enim doctrina, de qua agit D. Th. loco cit. & Sacra Scriptura ita concordant, ut non modica controversia sit inter Doctores super cit. q. D. Th. an S. D. pro Sacra Doctrina intelligat Sacram Scripturam, an Theologiam, an utramque, an aliquid abstrahens ab utraque. Et quidem idem S. D. in pr. illa qu. art. 7. quęrens utrum Deus sit subjectum hujus scientię, arguit secundò e contrà, ex hoc quod in Sacra Scriptura determinatur de multis aliis, quam de Deo, puta de Creaturis, & de moribus hominum, ergo Deus non est subjectum hujus Scientię. Ad quod argum. Resp. *ad secundum dicendum, quod omnia alia, qua determinantur in Sacra Doctrina comprehenduntur sub Deo, non ut partes, vel species, vel accidentia, sed or-*
A *dinata aliqualiter ad ipsum*: Ubi notabile est quod argumentum est de Sacra Scriptura, responsio verò de Sacra Doctrina, quod certè inconsequens esset, nisi S. D. pro Sacra Doctrina intelligeret Sacram Scripturam, vel saltem quod quantum ad objectum, ideoque & essentiam, pro eodem accipi possent; quod etiam ex eo patet, quod cum titulus quęst. pręcit. sit: De Sacra Doctrina, qualis sit, & ad quę se extendat, postquam ægit usque ad artie. 8. De ea uti de Sacra Doctrina, & aliqua tractaverit, quę magis videntur concernere Scientiam Theologicam, quam Sacram Scripturam, ut cum art. 8. quęrit an sit argumentativa, statim quęrit art. 9. de ipsa S. Doctrina sub nomine Sacrę Scripturæ, scilicet utrum Sacra Scriptura debeat
B uti Metaphoris, & art. ult. Utrum S. Scriptura sub una littera habeat plures sensus, ergo necesse est, ne arguatur inconsequentiæ in prima ipsa quæstione, quod tanto Doctori fermè impossibile esse semper judicavimus, quod mens illa verè semper angelica, & sublimis senserit de utraque saltem quantum ad principale imò adæquatum objectum formale quod, eodem modo esse sentiendum, licet quoadmodum illud respiciendi inter utramque sit sua diversitas, ut reverà idem S. Doctor supposuit: Nobis igitur sufficit breviter ex Doctrina ejusdem S. Doctoris, & communissima Thomistarum hanc esse diversitatem inter S. Scripturam, & Theologiam nostram, quod illa respicit, imò includit, & representat Deum sub immediata revelatione infallibili, imò ipsa est ejusdem dicentis ipsa infal-
C libilis revelatio: Theologia verò, quia est scientia deductiva procedens ex principiis revelatis admissa aliqua præmissa naturali, ideò respicit Deum sub ratione revelationis virtualis scilicet vel mediate, vel immediate, quæ omnia per Fidem Theologicam resolvuntur in summam Dei infallibiliter revelantis veracitatem, de quibus videndi sunt PP. N. Salm. tract. 17. de Fide disput. pr. ferè per totam, potissimum verò postremis dubiis ejusdem. Nostrum enim est ea supponere & venerari, innovare verò nostro instituto frustraneum foret. Ex dictis igitur breviter concludimus S. Scripturam bifariam considerari, vel secundùm se absolutè, & hoc modo objectum non habet, sed est ipsum Fidei objectum in se continens ea, quæ Fides credit; vel in ratione, doctrinæ, & sic idem objectum habet quod
D Fides; Doctrina siquidem & disciplina petunt essentialiter non distingui, nisi penes modum, ut patet in scientia v. g. Theologica, seu logicali. Cum eadem docetur, & discitur, quidquid igitur DD. de ipsa fide essentialiter considerata concludunt, eadem pariter de S. Scriptura, ut postulat explicata utriusque identitas intelligi debent: Ne autem pro modo causam formalem extrinsecam investigantes S. Scripturæ secundùm se, quæ in rigore formali nulla est, cum ipsa sit objectum Fidei, & tamen videtur aliquid esse, cum ipsa sit aliquid respectivum, ut supra notavimus, & infra etiam in sequentibus recolemus; ne inquam videamur vel causam materialem confundere cum formali, vel quid respectivum constituere sine termino formali inspecto, ne scrupulus maneat: Ad-

vertimus ex communi doctrina Thomistarum, in dicto formali, duo distingui scilicet rationem formalem quæ, & rationem formalem sub qua; quia verò ratio formalis quæ formalizatur a ratione formali sub qua, hæc ideò dicitur principaliter ratio formalis, & in comparatione ad ipsam ratio formalis quæ, dicitur quasi objectum materiale ita ut non incongruè dici possit, quod ratio formalis sub qua est forma objecti, quod, utique forma objectiva: Sic ergo S. Scriptura etiam sumpta secundùm se, prout est ipsa series credendorum, & fides objectiva continens in se Deum immediatè revelatum formalizatur ab infallibili divina veracitate, quæ est ratio sub qua ipsius Fidei, ideoque objectum, seu forma objectiva S. Scripturæ, hæc ratio sub qua dici potest; idque magis patebit ex dicendis articulo sequenti, cui præsens deservit; nec aliter quæ in hoc dicuntur intelligi debent, ac quę in illo.

Restat nunc brevissimè de causa exemplari Sacræ Scripturæ dicendum. Hæc autem ex communi doctrina non constituit speciale aliquod genus causæ, sed non ponit in numero cum efficiente rationali, & vel ad causam formalem extrinsecam, vel ad causam finalem secundùm aliquos reduci solet. Satis igitur de ea patet ex his quæ paulò ante de causa formali extrinseca dicebantur, magisque patebit cum de causa efficiente, & finali sermo erit. Quatenus autem specialem aliquem causandi modum exprimit, nihil aliud est secundùm omnes, nisi Idea, ad quam respiciens Artifex operatur, & secundùm hanc specialem rationem absque difficultatis offendiculo dicendum erit, quod causa exemplaris divini hujus Artefacti, scilicet S. Scripturæ est Veritas divinæ Essentiæ, seu Verbum Divinum, ut ad extra per modum doctrinæ est Fidelibus communicabile per Spiritum Sanctum. Idque nemo negare potest attentis sive Fidei, sive Philosophiæ principiis. Nam secundùm omnes illud dicitur esse, Idea & exemplar alicujus Agentis, cujus similitudo est in effectu, qui nihil aliud est, nisi quoddam instar ipsius Ideæ, sed quidquid in Sacra Scriptura reperitur est veracissima expressio divinæ Veritatis, & ita est Verbo Dei simile, ut ipsum Verbum Dei dictum, & dicatur & sit, estque doctrina infallibilis ad extra communicata Fidelibus per Spiritum Sanctum, de quo dicitur *Sap. c. 1. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*. Et ipse Christus de eodem *Jo. c. 14. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*; ergo Idea, seu Causa exemplaris Sacræ Scripturæ ea tantummodò est, quam assignavimus.

Sed dices, respectu ad Deum nulla potest assignari causa actionis ipsius, atqui causa exemplaris est vera causa actionis, cujus est exemplar, eam siquidem complet determinat, & dirigit, ideoque quamdam supra ipsum Agens videtur præseferre dignitatem, ergo nulla potest assignari causa exemplaris S. Scripturæ. Ea enim esset causa per se primò Dei agentis, seu formantis, & communicantis Sacram Scripturam, seu se ipsum per illam, cujus est verus, & specialissimus Artifex.

Resp. hoc argumento nimis probari; si quid enim probaret, negandæ jam essent omnes divinæ Ideæ, seu melius una Dei Idea, quæ est ratio exemplaris cujuscumque rei creatæ, & creabilis, quod esset blasphemare, a Deoque tollere Omnipotentem Sapientiam, imò Deum tollere a se ipso. Ait enim August. *in lib. quæst. qu. 46. Tanta vis in Ideis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit &c.* Nunc ad argum. conced. major, si sumatur formaliter actio ex parte Dei, qua ratione ab ipso non distinguitur, & neg. mi. in eodem sensu, & est doctrina D. Th. *p. p. q. 15. a. pr. in resp. ad argumenta, ubi ad secundum dicendum*, ait, *quod licet Deus per essentiam suam se, & alia cognoscat, tamen essentia sua est Principium operativum aliorum, non autem sui ipsius, ideò habet rationem Ideæ secundùm quod ad alia comparatur, non autem secundùm quod comparatur ad se ipsum*; & ad tertium *Deus secundùm essentiam suam est similitudo omnium rerum: Unde idea in Deo nihil est aliud, quam Dei essentia, utique ut participabilis, seu imitabilis a singulis Creaturis secundùm propriam cujuscumque naturam*, sicut explicat *Art. sequ. in corp.*, ex quibus patet diversitas influxus Ideę in operationem in Deo ac in nobis, qui utimur Ideis per intellectum formatis, Dei autem Idea est ipse Deus; Imò ex doctrina ejusdem Angelici loco cit. art. scilicet secundo, falsum est absolutè, quod Idea ex sua ratione concurrat subdendo sibi intellectum; quia sola forma idest species intelligibilis se habet per modum actus, & respectu ad ipsam intellectus se habet tanquam potentia, quę ipsi subditur, ideoque ab illa determinatur ad agendum; *Idea verò*, inquit Angelicus, *operati, est in mente operantis, sicut quod intelligitur, non sicut id quo intelligitur, quod competit speciei, quæ est forma faciens intellectum in actu*, ex nullo igitur capite repugnat Idea in Deo, ac multò minus Idea Sacrę Scripturę, quam Deus specialiter intelligit, & intelligendo facit, cognoscendo se ipsum, propriasque rationes per se intransitivè manifestabiles, de quo alibi Deo dante sermo redibit.

ARTICULUS II.

De Causa formali intrinseca Sacræ Scripturæ, quænam sit.

QUamvis ex dictis videatur posse facilè deduci, quænam sit causa formalis intrinseca Sacræ Scripturæ, quia tamen, quæ intrinseca sunt, magis latent, magis etiam quam extrinseca proprio intuitu sunt scrutanda, idque præsenti articulo conabimur. Ex dictis igitur potest Sacra Scriptura bifariam accipi. Primo ut est Regula Fidei, secundo prout est quoddam divinum Artefactum ad manifestandam hominibus modo ipsis proportionato divinam Veritatem, quæ duæ rationes licet non videantur diversæ, ac reverà materialiter saltem idem sint, formaliter tamen satis differunt, ut benè considerans deprehendet. Primo enim modo acceptæ Causa formalis intrinseca est infallibilis

Veritas,

Veritas, & intrinseca Conformitas ad divinam Veracitatem. Secundo modo acceptæ Causa formalis intrinseca est respectus quidam intelligibilis realis (cum sit doctrina & significatio) ad Deum revelatum, & ad homines instruendos. Et hæc distinctio patet ex natura rei, unde potius Principiorum more supponenda est, quam probanda. Difficultas igitur ad hoc reducitur, quomodò ille respectus, seu talis forma possit dici realis, cum sit ipsa significatio, quæ videtur esse ens rationis.

Conclusio. Dicendum tamen est talem formam intrinsecam, seu respectum etiam per modum significationis esse realem. Explicatur breviter Conclusio; Quamvis enim significatio pro formali & in actu secundo quoad nos & in nobis resultans ex actu intellectus apprehendentis rem aliter ac est in se, eum tribuit nominibus, quod non habent, saltem ex modo operandi sit ens rationis, tamen significatio in actu primo importans coaptationem quamdam, & ordinem partium, ut supposito usu hominum, & modo sumendi notitiam rerum per communicationem signorum in hujusmodi coaptatione fundetur formalis significatio, & cognitio resultans in intellectu Credentium, certè antecedit intellectum, estque proinde quid reale intelligibile. Potest etiam explicari ex Doctrina Angel. Doct. p. pr. qu. 15. ar. 2. ubi quærens: *Utrum sint plures Ideæ divinæ*, in quo est difficultas non modica, sibi opponit Tertio. *Respectus isti aut sunt secundùm rem in Creaturis tantum, aut etiam in Deo, si in Creaturis tantum, cum Creaturæ non sint ab æterno, pluralitas Idearum non erit ab æterno, si multiplicentur solùm secundum hujusmodi respectus; si autem realiter sunt in Deo, sequitur quod alia pluralitas sit in Deo, quam pluralitas Personarum.* Resp. verò *quòd respectus multiplicantes Ideas, non sunt in rebus creatis, sed in Deo, non tamen sunt reales respectus sicut illi, quibus distinguuntur Personæ, sed respectus intellecti à Deo*, ex quo deducitur, quod cum Deus non faciat ens rationis, eo enim ipso quod intelligatur aliquid à Deo, jam verè est, esse enim intellectum a Deo est esse reale, cum ipse agat per scientiam practicam, & non supponentem, sed facientem objectum (loquimur de secundariis) quod cognoscit; ergo jam secundùm doctrinam Angelici admitti debent respectus reales intelligibiles intellecti à Deo per divinam artem, ut innuitur in eodem art. quorum realitas in hoc consistit, quod sunt intellecti à Deo ad diversitatem respectuum Personarum, qui imbibunt divinam infinitatem & quidditatem per se primo, & non sunt effectus divinæ intellectionis, cum sint Deus ipse. Non ergo mirum si dicamus causam formalem intrinsecam Sacræ Scripturæ esse realem intelligibilem respectum per modum significationis, cum Sacra Scriptura sit opus mirabile divinæ artis specialiter effectum, a Deo intelligente, & communicante Veritatem suam scilicet Verbum suum hominibus.

Prob. autem primo & confirmatur explicatio. Ordo rationis, qui resplendet in Artefactis est aliquid reale, ab ipsa ratione productum in extrinse-

A co subjecto, ità clarè habemus ex *D. Thom. l. pr. Ethic. lect. prima*, ubi distinguit quadruplicem ordinem per comparationem ad rationem, & de ultimo inquit, *Quartus autem est Ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in Arca & Domo, &* iterum infrà. *Ordo autem, quem ratio facit in exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad Artes mechanicas.* Constat autem talem ordinem non posse esse ens rationis, quia permanet in ipsis rebus, & est terminus ab arte intentus, & sicut verè existit, ita verè fit. Quam doctrinam tradunt Nostri PP. Salmatic. Tract. 9. de Beatit. disp. prima dub. 2., & alibi, ergo multò magis ordo divinæ Rationis positus in Sacra Scriptura ad docendum & significandam Veritatem, erit Ordo realis.

B Probatur secundò significatio explicata modo dicto, quæ est proprium essentiale prædicatum prædicti respectus, se tenet ex parte Objecti Fidei per modum luminis objectivi, idest ut modus manifestationis objecti ejus, est enim modus ipsius revelationis, vel melius ipsa formalissima revelatio; unde *secunda Pet. c. 1. habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat*: Sed objectum fidei est quid reale ut supponunt omnes, & ejus applicatio, ac illuminatio est quædam participatio divini luminis & illuminationis, & est Gratia & effectus Dei, quæ quis audeat dicere consistere vel constitui formaliter per ens rationis quod reverà nihil est? ergo &c.

C Prob. tertio. Ipsum esse intelligibile (juxta Doctrinam D. Th. p. p. q. 8., & alibi sæpè ne dum traditam ac probatam; sed etiam suppositam, quam pluribus elucidant NN. PP. Salmant. de Vis. Dei disp. 2. dub. 2., & de scientia Dei disp. 2., & denique passim) est quoddam esse diminutum reale tamen, & distinctum ab esse formæ naturalis, ideo plura competunt Naturæ ac speciei in esse intelligibili, quæ eidem non conveniunt in esse entitativo, ac naturali; ergo multò magis significatio de qua nunc agimus est quid reale, cum per eam determinetur esse intelligibile rei significatæ veluti ejus effectus permanens, & Instrumentum ad inducendum intellectum in cognitionem Veri divini, quæ omnia ut clarum est sunt prædicata realia, ac proinde ab ente rationis nequeunt pro-

D venire.

Confirm. sive iterum probatur. Species intelligibilis etiam in esse repræsentativo est quid reale, est enim ipsa objecti formalis repræsentatio, imò est idem objectum, sive eadem objecti repræsentati natura, imò species sensibilis est ipsa, & sensibilis objecti natura, ut videre est in oculo, & id quidem elevatiori modo, ac in re ipsa materiali secundum esse entitativum considerata, idque habet (secundum Doctrinam tum PP. Complut. de Anima cum Salmant. locis in hoc art. præcitatis) per subordinationem ad substantias separatas; atqui significatio, de qua in præsenti Sacræ videlicet Scripturæ est quædam superior repræsentatio Mysteriorum Dei fundata in multiplici formalique repræsentatione rerum materialium seu signorum coordinata

ordinata secundum omnia ad docendam veritatem supposito modo, & usu hominum ad intelligendum invento, estque subordinata speciali modo Deo se ipsum manifestanti, ergo est verè realis secundum hanc formalitatem formalis scilicet significationis, de qua diximus in Conclusione. Videtur autem hoc fundari in illo Apost. *pr. Corint. c. 13. Videmus nunc per speculum, & in ænigmate*. Speculum enim continet species veras & reales eorum, quę representat & ad eum modum quo in speculo videntur illę species, seu imagines apparere, easdem cernimus in oculo alterius actu vidente, quod si accedat speculo obscuritas, ad proportionem obscuritatis majoris magis latent, minoris verò minus, semper tamen quasi ęnigmaticè & in abscondito juxta mensuram obscuritatis cernuntur. Sicque res se habet in Scriptura, quę materialia clarè representat, ipsamque litteram, & vocum significationem ex litterarum coordinatione exortam verè & non fictè, & hęc ipsa, aliaque significata materialia scilicet res materiales, velamen quoddam sunt divinorum, ita ut divina in eis latere noscantur, ideòque representat quod latet, & ipsum latere ostendit, dum ostendit velamen, hoc enim est ipsa materialis ostensio spiritualium.

Quamvis autem res adeò perspecta sit, & probata, latet semper, & simul pungit scrupulus, quem in simili sentiunt NN. PP. Salmant. de Sacram. disp. pr. dub. pr. §. 3. Cum enim forma essentialis Sacramentorum sint Verba secundum suam significationem, per quam ipsa Sacramenta constituuntur in genere signi, militat eadem, vel saltem similis difficultas in Sacra Scriptura, ac in Sacramentis, ut bene advertit N. Auctor loco cit. num. 15. & quia licet versetur in minimo scilicet ente rationis, res tamen non modica est, cum ex ea concludi videatur & Sacramenta & Sacram Scripturam constitui per ens rationis, ideoque nec dissimulanda. Sic igitur arguitur in contrarium.

Communis Doctrina Thomistarum est significationem formalem signi ad placitum esse relationem rationis, per quam veluti per formam in actu constituitur in actu tale signum, non enim talia signa seu verba, sunt signa naturalia objectorum, quæ representant, cum nec sint eorum causa, nec effectus, nec proprietates secundùm rem, sed in tantum significant, in quantum quod ipsis homines per intellectum affigunt vim significandi id quod revera non significant, sicque apprehendunt talia signa aliter ac sunt in se, & sic ea apprehendendo eis tribuunt, quod sint signa; quod sincerè loquendo est facere ens rationis. Plura autem ex hoc antecedenti sequuntur. Primo enim sic inferri potest, ergo si forma intrinseca Sacræ Scripturæ est significatio ex Dei quidem institutione, sed utentis signis ad placitum more hominum, ut cum eis loquatur, jam Sacra Scriptura constituitur intrinsecè per ens rationis, illa enim significatio, quam explicuimus, non est nisi fundamentalis significatio. Sequitur secundò, quod quia deficiente forma in actu, deficit res constituta per talem formam, jam deficiente ente rationis, quod non

A est quid permanens, seu, quòd idem est, humano intellectu non cogitante, deficit forma Sacræ Scripturæ constitutiva, ideoque & ipsa Sacra Scriptura. Sequitur tertiò, quod Deus non sit specialis Auctor Sacræ Scripturæ; ille enim est specialis Auctor & Causa alicujus Operis, qui causat formam in actu constituentem tale opus, eique illam unit, atqui non Deus, sed homo apprehendens talem formalem significationem, eam facit esse in actu Sacræ Scripturæ applicatam, ex qua formâ applicatâ consurgit hoc Artefactum significans, ergo non Deus sed homo erit specialis Auctor Sacræ Scripturæ, ex quo sequitur etiam, saltem apparenter, quod intendunt hæretici, nempe talem formaliter esse Sacram Scripturam, qualem eam quisque sibi facit. Immò & contra Sacram Scripturam

B clarè sequitur, quod Verbum Dei non manet in æternum, nisi materialiter, ideòque nec ut Verbum, sub hac enim expressione tantum venit Verbum, ut significativum formaliter; aliter igitur discurrendum est, inveniendaque est alia forma, per quam Sacra Scriptura constituatur, relicta significatione formali, quæ nequit dici realis.

Responderi potest primò ex doctrina P. Suar. in Præf. disp. p. sect. 3. de Sacramentis, benè intellecta, & ad Veritatem redacta ex superius allegatis, rationem signi ad placitum non consistere formaliter in relatione rationis signi ad signatum, licet capax sit subeundi talem relationem, ubi intellectus ipsam ei affingat, & ratio est, quia talia signa etiam nullo cogitante ea representant, ad quæ

C significanda instituta sunt, habent verò realiter talem vim, non quidem ut dicit Suarez a denominatione extrinseca, quia hæc cum nihil sit, minus est ente rationis, sed ex hominum institutione, & ordinatione, quæ est quid reale, sicut ordo, qui est in Artefacto, quem vidimus esse realem. Sicut enim nomina secundùm esse non significant naturaliter has res potius quam illas, aut nihil, antecedenter ad talem ordinationem; Ita etiam ligna ante constitutionem Arcæ indifferentia sunt, ut assumantur ad hoc vel illud Artefactum, aut ad nullum, sicut ergo hæc per artem ordinata subeunt ordinem partis, & in eis sic fabrè aptatis relucet realis ordo rationis per artem operantis; ita nomina, & voces assumptæ ad communicationem sensuum animi, ad quam ritè deserviunt, cum sint

D quid visibile, & audibile ex natura sua, semel posita inter eas ea conjunctione, & coordinatione, quam hominum socialiter vivendi Ars recta a ratione, quæ est radix sociabilitatis, in illis constituit, verè representant absque ente rationis id, ad quod representandum sunt institutæ, non enim negari potest realitas ordinis, quæ est effectus sapientiæ, sapientis enim est ordinare, & relucet in omnibus Dei effectibus, quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt; talisque ordo non est absolutè loquendo aliquod naturale, cum non sit exigitus immediatè a qualibet cujusvis rei natura secundùm se considerata, quæ prout sic aliam non respicit, sed a Rectore Universi secundùm quod requirit, & ratio primi Principii, & ultimi Finis: dicamus ergo Divinam Sapientiam, ex quo homini dedit esse

socia-

sociabilem, hanc ipsi artem participasse, ut juxta finem suæ sociabilitatis, talia signa institueret ordinando invicem voces, & nomina ad hoc apta quia sensibilia, ut sic assumpta, & elevata per ordinationem verè, & realiter significarent, independenter ab ente rationis, cum enim sint media communicationis humanæ debent ad ejus exercitium supponi formaliter constituta, & utilia ad ipsam, quia hæc est diversitas inter finem, & media, quod finis ante intentionem, & executionem non debet realiter existere ut detur locus exequendi ipsum, & assequendi; media verò ut moveant ad electionem debent supponi existentia, siquidem in finem debent influere per efficientiam, quæ sine existentia ipsius efficientis haberi non potest juxtà doctrinam D. Th. quam optimè expendunt NN. PP. Salm. de Ult. Fine disp. pr., & secunda.

Sed dices ex hoc sequi, quod signa ad placitum sint signa naturalia, ideoque Sacramenta esse signa naturalia Gratiæ, & Verba Sacræ Scripturæ esse signa naturalia Mysteriorum supernaturalium, ac divinorum, quod efficaciter impugnant NN. PP. Salm. loco eit. de Sacram., & a nemine potest sustineri, cum sit evidens implicantia: ergo &c. Probat. sequela, vel enim id quod est signum alicujus rei significativum habet naturalem connexionem cum illa per modum causæ, vel effectus, vel proprietatis, vel non habet; Si primum est signum naturale, si secundum ergo habet significare per fictionem intellectus, quæ facit ens rationis, apprehendendo connexionem prędictam ubi non est; si igitur nos negamus in signis ad placitum hanc fictionem, & volumus ea esse vera signa, jam ea dicimus esse signa naturalia, cumque hoc sit aliquid a nobis fictum, eo ipso facimus ens rationis, & semper recidimus in id, quod impugnamus.

Resp. neg. seq. ad probationem dicimus mancam esse illam divisivam, & falsum supponit instantia, falsum est enim rationem signi præcisè consistere in connexione causæ, & effectus ficta, vel naturali, cum detur alia connexio repræsentationis facta per ordinationem realem Artis, & Sapientiæ ut explicatum est; In hoc igitur distinguitur signum naturale, & signum ad placitum, quod signum naturale significat ex connexione descripta per modum causæ, & effectus, signum verò ad placitum ex ordinatione reali artificiosa respiciente finem humanæ communicationis, per quam ex communi hominum usu, & consensu elevantur verba ad ordinem repræsentativum rerum non quidem ex exigentia naturali ipsorum verborum, sed ex indigentia humanæ communicationis, cui tamen elevationi ipsa verba non repugnant, sed potius habilia sunt ob suam sensibilitatem hoc enim secundùm Augustinum requiritur ad rationem signi ut sit, quod nempè aliquam speciem sui ingerat sensibus, qua media faciat alterius rei in cognitionem venire: Et hoc est quod sapienter concludunt NN. PP. Salm. loco citato de Sacram. cum dicunt significationem formalem signi ad placitum, sivè in Sacramentis, sivè in verbis Sacrę Scripturæ esse quid reale morale ex hominum scilicet legitima institutione. Id verò quod addunt, quod metaphysicè loquendo significatio illa formalis sit ens rationis, si nobis opponatur quasi in hac parte Parentibus nostris, communi adhuc clamante Thomistarum doctrina terga vertamus.

Resp. primò dici posse ens rationis, quatenus est aliquid a ratione factum, sicut plura realia dicuntur hoc lato modo entia rationis, ut advertunt NN. PP. Complut. in logica. Secundò dici ens rationis fundamentaliter, quod a nemine potest negari, est enim formalis realis significatio, quam cum intellectus nititur comprehendere, similitudinem quamdam signi naturalis efformat in ipso signo ad placitum. Tertiò, & quidem sincerè intelligendo mentem PP. dicimus eorum sensum esse, quod dupliciter potest intellectus versari circa significationem formalem verborum, primò ut quo sicut cum supponens commune placitum, & usum hominum utitur illis verbis ad intelligendum id quod significant, & hoc modo certè non facit ens rationis, nam nihil fingit, sed quasi in Fide Majorum proposito sibi signo formalizato ab usu, & doctrina eorum nihil de hoc cogitans, sed ex modo operandi id supponens, objecta significata examinat, & hic est modus operandi humanus, & directus, alio modo versatur circa eamdem significationem ut quod quasi reflexè in ipsa sistendo, & considerando quid illa sit, & quidem si profundè consideret ea, quę hactenus nos perpendimus non faciet ens rationis, sed cognoscet realitatem ordinis, & repræsentationis explicatam; si verò sibi eandem proponat, quasi respectum quemdam naturalem verborum, ad rem significatam, quia hoc certè fingit, ideò facit ens rationis, quod autem iste sit sensus Patrum, ex eo patet, quod ipsi eodem loco notant videlicet non esse necesse, imò esse ferè impossibile, quod omnes etiam rudes intelligendo per signa ad placitum faciant ens rationis, si autem significatio formalis esset ex se metaphysicè ens rationis in nullo intellectu adesset illa significatio, nisi intellectus ille efformaret ens rationis, aliter vel illa significatio esset, & non esset simul ens rationis, vel esset, & non esset in illo intellectu. Stat igitur, & significationem pro formali non esse ens rationis, & hoc assertum non opponi doctrinæ Patrum nostrorum sano modo intellectæ.

Ex his autem quæ diffuso aliqualiter calamo, sed necessitate cogente, ac imperante Veritate hoc loco dedimus, jam patet satis superque ad objectionem principalem; explicato enim sensu legitimo, & rationabili Thomistarum, nihil ex ea contra stabilitam a nobis veritatem militare evidens est, quæ verò in ea adducuntur sequi ex opinione absolutè asserente talem significationem esse ens rationis, confirmant valdè efficaciter assertam a nobis veritatem, ut intuenti constabit. Qui plura voluerit circa hanc materiam, & Doctorum placita, & argumenta, loco cit. Patrum Salm. sapientissimè relata comperiet, nobis enim non vacat, quid sentiant alii distinctè referre, quibus vix suppetit ex prælibantis munere, quæ sentimus aperire.

Domesticam tamen objectionem dissimulare non licet. Objicient igitur Nostri ex doctrina hujus Articuli manifestè everti logicam nostram, cujus objc-

A objectum ſic proſcribimus; ſi enim ſignificatio formalis eſt aliquid reale, ergo objectum Logicæ erit quid reale, cum circa ſignificationes potiſſimum ipſa verſetur. Confirmatur. Etiam genus, differentia, ſpecies, & ſimilia, quæ a nobis dicuntur ſecundæ intentiones logicales, & pro formali ſunt entia rationis apud nos, erunt quid reale; ſicut enim ſignificatio nominum eſt quædam realis repreſentatio rerum, quas ſignificant ex ordinatione hominum, idipſum dicetur de genere, & ſpecie; eadem ſiquidem ordinatione ſtatutum eſt per hæc nomina repreſentari reales gradus in quibus conveniunt e. g. homo, & equus, & in quibus differunt, eamque præciſionem fecit, ac ſtatuit ars docendi, ut magis penetrentur quidditates rerum. Imò ſequitur ipſam ſignificationem formalem hujus nominis, puta ens B rationis, eſſe realem, cum eodem modo ſit inſtituta ad repreſentandum ens rationis, eamque repreſentationem ſemper habet, quod eſt ens reale.

Reſp. neg. ſequ. ſtat enim & quod ſignificatio modo explicato ſit quid reale in infimo gradu, & in eſſe diminuto, & quod objectum logicæ ſit ens rationis, non enim ſiſtit logicus in ſignificatione ut medio per quod res cognoſcuntur, ſicut modo de ea loquimur, & potius Grammaticus, quàm Logicus ſic eam conſiderat, ſed ut in objecto formato perſuper ab ipſo inductam relationem rationis, ſcilicet ac ſi eſſet naturalis, & non artificioſa connexio inter ſignificationem & rem ſignificatam referendo invicem utramq; ſicut inter Cauſam & effectum reales datur connexio, & relatio realis.

C Ad confirm. primam plura occurrunt, quæ tamen ad Logicos ſpectant; pro nunc breviter dicimus aliud eſſe quod ex inſtitutione hominum ſtatutum ſit, ut cum ab intellectu fiunt illæ relationes univerſalitatis, talibus nominibus ſignificentur earum concreta, quæ eſt vera & realis repreſentatio objecti realis ſuperveſtiti ficto illo reſpectu, aliud verò, quod ille reſpectus ſit quid reale; primum ut patet eſt verum, ſecundum verò eſt falſum. Iterum etiam aliud eſt, quod dentur Regulæ & Præcepta realia, logicalia, quibus docemur formare talia entia rationis, ut deveniamus in cognitionem perfectam quidditatum, aliud verò quod talis ordinatio tribuat illis realitatem cum fiunt, primum ut patet verum eſt, ſecundum verò omninò falſum, implicat enim in terminis, quod doceat D quis, facere entia rationis, & quod illa per doctrinam fiant realia, quia jam non doceret ſimul & doceret entia rationis, ut evidens eſt. Radix autem horum eſt, quia ut benè notant tum Patres Complut. cum etiam Salm. ex D. Th. Ordo intelligibilis licet ſit realis, non tamen exprimit realitatem, ſed potius ab ejus expreſſione præſcindit, realitas ſiquidem attenditur penes res ipſas ſecundum ſuum eſſe ratum in ſe ipſis, intelligibilitas verò ſecundum terminationem intellectus, & in linea veri, & objecti, ſecundum quod præcisè ens diſtinguitur ab impoſſibili, ſeu nihilo, quod non eſt intelligibile, ideoque intellectus propriè dicitur Potentia poſſibilis, denominatione ſumpta ab intelligibilitate objecti, quę ſolùm in poſſibili reperitur.

A Ad ſecundam concedim. ſequ. ſicut enim in opinione aſſerente dari propriam ſpeciem entis rationis repreſentativam, illa ſpecies eſt realis, ſic res ſe habet in ſignificatione formali hujus nominis Ens rationis, & in opinione (quæ verior eſt) aſſerente per ſpeciem entis realis repreſentari ſecundariò ens rationis, ratione fundamenti, adhuc illa repreſentatio eſt vera & realis, quia certè & ſi ſe extendat ad aliquod fictum ipſa tamen ſecundum eſſe non eſt ficta ab intellectu, ſic & dicendum eſt cum proportione in præſenti, nec mirum, quia certè æquè opponitur verum & falſum circa idem, ac ens reale & rationis, ſicut ergò per veritatem exprimitur falſitas & repreſentatur ut cum dicitur: Falſum eſt Deum eſſe formaliter corpus, propoſitio eſt veriſſima, & eſt de falſo, ita repreſentatio B poteſt eſſe & de facto eſſe realis, quamvis ſit de ente rationis. Vera igitur ſubſiſtit, & conſequens eſt doctrina, quam ſtatuimus, ſano modo intellecta; Proteſtamur autem, quod ubi convinceretur ut aliena, ab Angelica Schola (quod tamen non invenimus) eam protinus doctrinali Anathemate feriremus.

ARTICULUS III.

De Cauſa formali intrinſeca Sacræ Scripturæ conſiderata, quoad modum eam habendi.

PRobatum ſatis ſupponimus Cauſam formalem intrinſecam Sacræ Scripturæ eſſe realem illum C reſpectum per modum Magiſterii, ſignificationis, & Doctrinæ quorum ratione a Fide reſpicitur tamquam regula: At quia in forma intrinſeca Artefacti plura conſiderantur, quæ videntur quidem extrinſeca eo quod tendant proximè ad aliud, reverà tamen intrinſeca ſunt, prout competit Naturæ Artefacti, quia illud conſtituunt, & ſunt modi determinantes formam, ut faciat intrinſecè differre ab aliis quibuſcumque, cum quibus aliquo modo convenit ſaltem in genere. Idcircò plura a Doctoribus conſiderantur in hoc divino Opere ſpectantia ad ejus Cauſam formalem, eaque ab ipſis dicuntur Forma, quia ſunt modi Formæ valde conducentes ad ejus differentiam dignoſcendam. Unde non mirum ſi variant in ejus aſſignatione, D qui tamen in ejuſdem veritate concordant. Primò igitur Cauſa formalis Sacræ Scripturæ dicitur conſiſtere in collocatione librorum, in diſpoſitione ſententiarum, in contextu Verborum: Ubi notatur modus procedendi in utroque Teſtamento, monendo, promittendo, minando, & ſic eſt *Alta, Recta, Terribilis:* Gregor. *hom. 6. ſuper Ezechielem*: Notatur etiam modus, nam *intimantur æterna, narrantur facta, prænuntiantur futura, præcipiuntur agenda*: Aug. *l. pr. de Gen. ad litt. c. 1. Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, ſuadentur perfecta*: Hieron. *ad Demetriad.* Notatur etiam Forma, ſic communiter dicta, quia eſt notificatio ſpecialis ipſius, & hæc eſt modus proprius agendi, & ſtylus Spiritus Sancti: *Stylus inſpiratus, Calamus divinus, qui eſt ſcriba velociter ſcribentis*: D. Bonavent. *Opuſc. pr. de Princip. Sacræ*

era Scriptura : Et in ipso stylo, Dulcedo, Charitas, Profunditas, Amplitudo, de quibus specialiter PP. *De primo Cassiod. l. de Sacr. Script. Instit. Intuemini Sodales Egregii, quam mirabilis, quam dulcis sit sapor divinarum Scripturarum, desiderium ad cælestia semper erigens, satietas sine fine, esuries gloriosa Bonorum omnium. Modò Charitatem Dei & Proximi monet, modo, ut sæculi peritura contemnas, insinuat, modò at illam Patriam recorderis, in qua es perpetuò mansuras; infundit patientiam, prædicat spem; tribuit humilitatem; proficua laudat; superbiam semper ruinosam accusat. Quot sunt ibi verba, tot præmia* hæc ille.

Quantum ad secundum : August. *de Civit. D. l.* 22. *Quam certa, quam speciosa omnium rerum scientia, ubi Dei Sapientia, de ipso suo fonte potatur: In scripturis enim Vir Sapiens profunda fluviorum perscrutatur, & abscondita producit in lucem* : & D. Bonaven. *loco cit. Dicitur autem Forma Scripturæ, Forma Cristallina, quia secundum* Isid. Ethim. 16. *Cristallus oppositus solis radiis, adeo rapit flammam, ut aridis ignem præbeat, & stylus Spiritus Sancti, in traditione Scripturarum, saccendit corda torpentia, vel tepentia.*

Quantum ad tertiam : August. *ad Volus. Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte ætate, vel pueritia, usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, meliorique ingenio conarer addiscere, non quod ad ea quæ necessaria sunt, tanta in eis perveniatur difficultate, sed cum quisquis tenuerit tam multa, tam multiplicibus Mysteriorum umbraculis opacata, intelligenda proficientibus restant, tantaque in eis latet altitudo Sapientiæ, ut Annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi, illud script. congruat*, Eccles. *c.* 18. *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.*

Quoad quartam : Ezech. *c.* 10. dicitur : *Repleta est Terra Scientiâ Domini, quasi Aquæ Maris operientes :* Unde Gregor. super eundem : *Sacra eloquia*, inquit, *visioni maris simillima narrantur, quia in eis sunt magna volumina sententiarum, & Cumuli sensuum.*

Notatur etiam in stylo Eloquentia atque Sapientia, quæ duæ Dotes difficile uniuntur & divino solùm in Opere perfectè coruscant. Dum enim homo eloquentiæ laxat fluenta, sapientia, quæ compendio delectatur, quasi dispergitur ; & foliorum abundantia in arbore fructus vel abscondit, vel exhibet immaturos ; Unde de mirabili divinoque hoc Veritatis eloquentissimo compendio, scilicet Scriptura, ait August. *l. 4. De Doctr. Christ. c.* 1. *Ubi Sacrarum litterarum Auctores intelligo, non solum nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest, & audeo dicere, omnes, qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non aliter eos loqui debuisse. Sicut enim est quædam eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, quàm senilem, nec jam dicenda est Eloquentia, si Personæ non convenit Eloquentis, ita est, quæ Viros summa Auctoritate dignissimos, planèque divinos decet, hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa.* Progreditur autem August. eodem loco, & mirabili ingenio, ac integritate veritatis, Rethoricæ verioris apices, & difficilioris eloquentiæ subtilissimè observatam artem, in Sacra Scriptura grasicè, practicèque demonstrat, ne autem nimium detineat eloquentia quos vocat sapientia, eò lectorem remittimus ; Dignissima enim & Argumento, & Augustino dicit testè; mira sunt, quæ SS. PP. contra Hæreticos accusantes Sacræ Scripturæ abjectionem apparentem insipido eorum Palato, evvibrant, at referre non vacat, satis sit concludere cum Ugon. a S. Vic. *l.* 1. *c.* 5. *Noli igitur in Verbo Dei despicere humilitatem, quia per humilitatem illuminaris ad Divinitatem.*

At specialius de stylo Scripturæ quoad Sapientiam, qua omnes Scientias in se eminentissima sublimitate concludit, exclamat Apost. *ad Rom. c.* 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia illius, & investigabiles viæ ejus.* Qua propter Doctiss. Petr. Aureol. *in Epit. c.* 2. *liber Sacrati Canonis, omni stylo differitur, scinditur, & sculpitur philosophicæ indagationis*, quod infra disertè probat. Et Hieron. *in Prologo super Isaiam. Quid loquar*, inquit, *de Philosophia, Ethica, & Politica, quidquid valet humana lingua proferre, & mortalium sensus accipere, isto Volumine continetur.* Et Aug. ex pluribus deducit lib. 2. de Doct. Christ. quod omnis notitia sive historica de factis Gentilium, sive Mechanica, sive Geometrica, sive Aritmetica, sive Poetica, sive Philosophica invenitur in Scriptura Sacra multipliciter sculpta. Immò universitatem omnium cognoscibilium, etiam contingentium in S. Scriptura contineri docet Greg. l. 25. Moral. exponens illud Job. c. 33. Semel locutus est Deus, & idipsum secundo non repetit : dicens *Deus singulorum vocibus non respondet, quia tale construxit eloquium, per quod cunctorum quæstionibus satisfecit. In Scriptura quidem ejus eloquio nobis omnibus in eò quod specialiter patimur, communiter respondet, ibique Vita præcedentium fit forma sequentium, atque in his, quæ per Scripturam Sacram ad Patres nostros Dominus prodidit, nos erudire curavit: Unde cogitationibus, vel tentationibus singulorum, non jam passim, per Prophetarum voces, ac Angelorum officia satisfacit, quia quidquid potest evvenire singulis in Sacra Scriptura communiter comprehendit &c.* Facit ad rem quod notat Petr. Aureol. *loco cit. art.* 3. *Considerandum*, inquit, *quod S. Scriptura potest dividi in octo partes principales* (per divisionem enim scientifica methodo cognoscuntur ea quæ insunt rei quæ dividitur) *secundùm octo modos dicendi principales, quos assumit : Docet namq; Politicè, & legislativè, in prima sui parte, scilicet in Pentateucho: Docet secundò Cronicè, seu historicè, & enarrativè, in altera sui parte, scilicet in libris Josuè, Judicum, Ruth, Regum, Paralip., Esdra, Tobia, Judith, Esther, Machabeor. Docet verò tertiò himnidicè, & poeticè, seu decantativè in lib. Psalm. Trenor. Canticis, & Cantico Canticorum. Quartò dialecticè, vel disputativè in duob. lib. Job, & Ecclesiaste, in utroque enim disceptativè, concionativè, & disputativè procedit. Docet quintò Propheticè, & declamativè, quasi per modum Homiliarum, Sermonum, & Prædica-*

dicationum, in libris Esaiæ, Hieremiæ, Ezech., Danielis, & duodecim Prophetarum Minorum; Docet sexto Monasticè, seu Ethicè, & consultativè in Proverbiis, Sapientia, & Ecclesiastico, & sub his modis comprehenditur Vetus Testamentum: Docet verò septimò testimonialiter, & affirmativè eo modo, quo publici Notarii informant homines, in quatuor Evangeliis, scilicet in prima parte novi Testamenti: Docet denique epistolariter, & destinativè, in Epistolis Canonicis, & Act. Apostol., qui liber fuit Epistola ad Timotheum, ut patet ex ejus initio, & in libro Apocalyp. qui fuit Epistolaris missus septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, ut habetur ejusdem libri c. 1. Sic ille, ex quibus clarè constat omnem docendi modum in S. Scriptura perfectè contineri, omnemque docendi rationem ab ea tamquam a primò Fonte haustam ad cæteras scientias derivatam, quidquid habet Veritatis, & doctrinæ ab eadem hausisse.

Conclusio. At quia sicut Verbum Dei dictum, in se Sapientia est, & Sapientia caracteristicè dicitur, ita resplendet in Verbo suo Caracteribus scripto Sapientia, & quia Sapientis est ordinare secundùm Philosophum, ideò manifestè concluditur id quod formam ipsam intrinsecam Sacræ Scripturæ jam explicatam perfectè formalizat, esse ordinem, idque potest ostendi ea facilitate qua & veritate: Duo enim sunt specialissima Opera Dei, in quibus, & per quæ infinita ipsius manifestatur Sapientia; Universus videlicet Mundus, & Sacra Scriptura, ut clarum est terminis ipsis, ergo sicuti ex allato principio, quod sapientis est ordinare, sequitur quod forma Universi consistit in ordine, & distinctione partium, at earumdem connexione, quæ omnia spectant ad rationem Ordinis, ex D. Th. l. 2. contra Gentes c. 39. ita, & quod forma Sacræ Scripturæ sit ordo, imò magis hoc in ea elucet, in qua omnia divina sunt, quæque cum ex essentia sua sit Doctrina, ad quam magis propriè, quam ad res cæteras spectat Sapientia, magis etiam propriè spectabit ipse Ordo. Unde sicut ex eodem Angelico Doct. habemus, ut explicant PP. Complut. Nostri in Physicis disputantes de infinito in actu, quod etsi valeat Deus creare aliud Universum perfectius, & perfectiori perfectius usque in infinitum, quoad res creatas dumtaxat, non tamen quoad Ordinem, quia nequit ipse sapientior esse quam fuit, & est in æternum, ipseque ordo est Sapientia ipsa reflexa, includitque Deum tamquam Primum Principium omnium, & Ultimum Finem, ita etiam dici debet de Sacra Scriptura proportione servata, idest quoad accidentalia, quod potest Deus perfectiorem facere, ut puta quoad elocutionis elegantiam, non tamen quoad ordinem, imò nec quod speciale est in S. Scriptura quoad rem ipsam, quæ Veritas est, cum nequeat Veritas suscipere magis, & minus in se ipsa, aliter jam non est Veritas, si ipsi aliquid defuit, aut addi potuit de linea veritatis. Et quidem sive (quoad Sacram Scripturam) consideretur Ordo in Rebus, & Factis, quæ in ipsa referuntur, sivè in ipsa relatione & modo, sive in sententiis, & verbis, sive quoad Tempus, & Personas, aut denique quoad omnes ejus causas, nedum ordinata dignoscitur, sed tota

A ipsissimus Ordo est, quem fecit Deus in speciali hac sua locutione, qui dicendo & omnia fecit entia, & singula simul dicendo ordinavit, ita ut Ordinis definitio, quæ ex August. circumfertur, Sacræ Scripturæ videatur esse descriptio: *Ordo namque est parium disparumque suo cuiusque loco congrua dispositio*: Hic autem Ordo nullatenus valet explicari nisi tota S. Scriptura, in qualibet sui parte sigillatim, & in qualibet ad alteram relata, & in singulis ad suum Totum, & in singulorum relatione, & modo, & tempore, & relatè ad suum finem, causasque omnes consideretur, quod certè nostrum, sed & fortè omnium hominum captum excedit. Quis enim novit sensum Domini? quis divina universa comprehendit; Quis & quæ minima (si quid

B minimum in summo) comprehendens non dicet cum Apost. Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui? Nemo igitur a nobis exigat, quod præstare nemo valet, ut intimam hanc S. Scripturæ Formam subtilius penetremus.

Sed dices; Ad quid ergo quærere, quod nequeat inveniri, & Articulum proponere, cui nequeat satisfieri? Resp. Viatorum nos opus agere, qui Patriam, ejusque Bona, uti desiderant, ita quærunt, nec propterea frustra quærunt, quod in via possidere non possunt, cum implicatorium sit Viatorem formaliter esse, & secundùm eamdem rationem, Viam jam confecisse. Quærit tota Theologia Dei, Divinorumque Attributorum notitiam, nec tamen frustra, & si enim quamdiu Viatrix videre clarè non possit, videt obscurè, idque evidenter conclu-

C dit, se hic tantum credere posse, non tenere, quod credit, ita & nos in præsenti. Vel secundò resp. Satis esse, divina pro hoc statu aperire quoad an est; quod quid verò perfectè attingere, non est nec esse potest Articulus Viæ; sic enim divina disposuit Sapientia, ut sciamus nos nescire, & obscuritate premente desideremus claritatem, totoque conatu obscuritatem negativè minuere, nunc etiam si fieri possit, studeamus. Nihil enim plus peroptarunt studia simul omnia sapientiorum, ideoque scrutandi divinas Scripturas, nec fuit, nec erit finis in hac via; Finem enim tali scrutinio non posuit Christus, qui est Alpha ejus & Omega, ait quippè indefinitè. *Scrutamini Scripturas Jo. c.* 5. Quamvis autem res ita se habeat, curabimus & nos suo loco Sacræ Scripturæ breve compendium Deo dan-

D te elaborare, in quo saltem inadæquatè principaliorum Rerum, Temporum, & Personarum aliqualis Ordo adumbretur, & examinatis prius causis, quod nunc præstamus, ac postmodum proprietatibus, sensuum diversitate. Idiotismis, Regulisque e Patrum Sacris fontibus prælibatis Ordo ipse S. Scripturæ, quantum fieri potest, elucescat.

Dices secundò. Non videri sufficienter assignatam causam formalem Sacræ Scripturæ quoad ea, quæ ipsam formalizant, prout est Divina Doctrina. Ad hoc enim certè spectat, quod sit Canonica, cum sine approbatione non possit dici in actu Doctrina, ut patet.

Resp. Id quidem verum si consideretur potius ut disciplina, quam ut Doctrina, quia nisi applicata sit nobis non docemur, & ipsa Ecclesiæ approba-

tio

tio illius est applicatio, at si consideretur secundùm se, quia immutabilis est veritatis intrinsecè, per id constituitur, quod quantum est ex parte sua meritum habet approbationis, scilicet infallibilem Veritatem; id tamen consultò in præsenti non examinavimus, quia suo loco sermo erit de Sacra Scriptura considerata ut Canonica, & quia quæ illic dicentur ex supposita notitia causarum ejusdem, ac potissimum efficientis, & finalis lucem accipient. Ideo sequitur.

CAPUT III.

De Causa efficiente Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

An Deus sit Causa efficiens Principalis, & Specialissima S. Scripturæ.

DEum seu Spiritum Sanctum esse Causam principalem absolutè Sacræ Scripturæ, omnes, qui Deum ut primam Causam agnoscunt, indubiè fatentur. Estque peculiaris ratio, ut Deo tribuatur, quod ante ipsam non invenitur volumen, aliquod antiquius, omnigenæ Sapientiæ doctrina refertum, illi simile, ideoque uti prima Sapientiæ communicatio debet in primum Principium cui sapientia substantia est ex propria ratione referri, ex quo quid ulterius inferatur in hoc eodem Articulo patescet. Soli Manichæi SemiAtheistæ in hac quæstione delirant, Testamentum Vetus attribuentes illi malo Principio, quod somniantur, Novum verò Deo Bono, a quo omne Bonum, de quo errore aliquid infra dicemus. Deum pariter esse Auctorem specialem Sacræ Scripturæ, idest supernaturalem, nemo etiam ex Gentilib. (qui semel norunt dari aliquid suprà naturam) negare potest, dum in ipsa certò cognoscit quædam latere mysteria, quæ totam superexcedunt naturam, ac propterea illi soli tamquam peculiari Auctori debent attribui, quem tota natura omni etiam possibili conatu comprehendere se posse desperat. Estque id unum in quo deseruit ignorantia veritati, eam dari convincens, quia eandem in se non attingit. Tota igitur difficultas ad hoc reducitur: An videlicet Spiritus Sanctus sit Causa efficiens principalis S. Scripturæ specialissima in ratione Causæ Particularis, ita ut eadem proprietate Sacra Scriptura dici possit, & debeat Scriptura Dei, quo Scriptura, vel liber Divi Thomæ, dicitur ipsius liber, demptis tamen imperfectionibus. Plures quidem in hac quæstione involvuntur quæstiones, quas prolixè pertractant Doctores Isagogici, Nos, ne oriatur ex diffusione confusio, in puncto hoc sistimus, in quem, quidquid alii disputant, tendit, si quæ verò occurrent studio digna, ea sigillatim, sed breviter distinctè tractabimus.

Conclusio. Dicendum est Deum esse Causam efficientem principalem specialissimam modo explicato Sacræ Scripturæ. In hac conclusione constans semper est D. Thomas, eamque expressè defendit

A in c. 3. *secundæ ad Thimoth. lect.* 3. *Si consideres*; inquit, *Sacræ Scripturæ Principium*, *habet privilegium super omnes*, *quia aliæ sunt traditæ per rationem humanam*, *Sacra autem Scriptura est Divina*; ergo sicut homines ita per suas scripturas loquuntur, ut illæ sint specialissimè suorum Auctorum locutiones, ita & S. Scriptura Dei singularis, & propria locutio est, ideoque subdit D. Thomas, dicitur habere privilegium super omnes alias, additque illud 2. Pet. c. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia*, *sed Spiritu Sancto &c.* Confirmatque idem Angelic. resp. objectioni, quam subdit, sed dices; *quomodo non alia omnis Scriptura divinitus inspiratur*, *cum secundum Ambrosium*, *omne verum*, *a quocumque dicatur*, *a Spiritu Sancto est*.

B Cui respondet. *Dicendum est*, *quod Deus dupliciter aliquid operatur*, *scilicet immediatè ut proprium opus*, *sicut opera miraculosa*, *vel mediantibus causis inferioribus Job. c. 1. Manus tuæ Domine fecerunt me*, *quæ tamen sunt operatione naturæ*, *& sic in homine instruit intellectum*, *& immediatè per sacras litteras*, *& mediatè per alias Scripturas*; ubi Angelico prorsus modo conclusionem hanc convincit, ex eo quod ita (demptis imperfectionibus) loquitur Deus in Scripturis, sicut verificatur Doctorem in mente discipuli proprium conceptum producere, per locutionem delativam ejusdem conceptus existentis in mente Magistri, cujus est specialissimus partus. Hæc quoad mentem Angelici Doctoris, quam ideò prius proposuimus, non quod ejus Auctoritatem, Sacræ Scripturæ Conciliis, Ecclesiæque simul & universis

C Patribus præferamus, sed ut tutius in intelligentia ejusdem Scripturæ, ac totius Ecclesiæ procedamus ipso docente. Porrò Conclusionem hanc asserimus esse de Fide directè, etsi non reflexè juxtà notata a PP. Salmant. in tract. de Fide disp. 4. d. 2., ita nempè ut non sit de Fide, quod Conclusio nostra sic explicata, sit de Fide, ipsa tamen de Fide sit, quia sic esse probatur, & deducitur ex principiis, quæ sunt de Fide & directè, & reflexè. Circa quod advertit Serar. in Prolegom. c. 4. q. 2. evidenter hanc Conclusionem lumine naturæ non posse demonstrari, unde illud tantum assumere sufficit, quod nempè minimè repugnet, aut absurdum sit, quod Deus modo dicto sit specialis Auctor Sacræ Scripturæ &c. id tamen si de metaphysica demonstratione intelligatur planè conceditur; si de

D Theologica negatur; Certum est enim quod si Gentilem totius nostræ Fidei omninò ignarum convincere quis præsumeret, de hac veritate, procedere deberet per principia ipsi nota, quæ in hypothesi naturalia tantum esse possent, in quibus nulla supernaturalis conclusio, ut ex terminis constat, positivè, & demonstrabiliter continetur; supposito tamen aliquo Fidei initio non apparet, cur vel negativè tantùm, vel probabiliter congruenter, non autem positivè ac certò de præsenti veritate convinci posset, quod ex iis; quas adducemus, probationibus facilè quisque deprehendet. Quia verò, ut diximus, Conclusio hæc est de Fide, atque ea, quæ de Fide sunt, vel sunt formaliter, & in se proposita ab Ecclesia, vel saltem in illis intimè continentur.

F Prob.

Prob. primo ex Symbolo Nicæno, ibi, *& in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem &c. qui locutus est per Prophetas*; Si enim locutus est per Prophetas, utique propriè locutus est ipse, & non propriè, & specialiter per se, a se, in se, locuti sunt Prophetæ, ergo ipse Spiritus Sanctus id propriissimè locutus est, quod ad nos pervenit per Prophetas, sicut qui transit per viam, ipse est qui transit, non via, aqua, quæ fluit per Canalem, ipsa est, quæ fluit, non canalis, ergo propriissimè, & specialiter Deus loquitur in Sacra Scriptura, ipsa siquidem est, quam locutus est per Prophetas, cum autem articulus ille Symboli totus de Fide sit, quod nemo fidelis negabit, erit utique de Fide etiam nostra Conclusio, quam apertissimè continet: Nec prætereundum est (ut tacita quædam objectio præcludatur) quod non dicitur in Symbolo, locutus est per Scripturam, quia Scriptura ex se nec est viva, nec de illa verificatur effectio locutionis, sed dicitur per Prophetas, de quibus nisi sic exprimeretur, poterat esse suspicio, quod ex se, vel per se loquerentur: Insuper non dicitur locutus est per homines, qui per se habent locutionem humanam, sed per Prophetas ad denotandum, quod etiam ut Prophetæ erant (qui ut tales loquuntur ex dono Dei, scil. Prophetia) ipsi tamen in Sacra Scriptura formaliter, & principaliter non sunt locuti, sed Spiritus Sanctus locutus est per ipsos; vel ideò sic dictum est, quia Deus, cui omnia præsentia, nuda, & aperta sunt, non prophetat, sed loquitur. Propheta verò non loquitur, sed prophetat: Dicitur autem cum tot adjunctis, in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre &c. ne intelligatur Spiritus pro effectu Dei, sed quod Deus ipse fuit Spiritus, qui locutus est.

Confirmatur ex eodem Artic. Symboli. Ea, quæ in hoc articulo dicuntur de Spiritu Sancto, conveniunt ei specialissimè; & si enim omnis Potestas ac verum Dominium in Creaturis a Deo sit derivatum, ut habetur Prov. c. 8. *Per me Reges regnant &c.* & sæpè dicitur in Scriptura, quod omnis Potestas a Deo est; cum tamen dicitur de Spiritu Sancto, quod Dominus est, intelligitur primariò propriissimè independenter, & omninò principaliter; ita & cum dicitur Vivificantem, & qui a Patre, Filioque procedit certè exprimitur id quod characteristicè & cum omni specialitate intelligibili convenit Spiritui Sancto, ergo & cum additur, qui locutus est per Prophetas, eodem modo debet intelligi, scil. cum singulari proprietate sicut explicatum fuit in Conclusione. Adde quod idipsum canit etiam Sanctus Sacerdos Zacharias Luc. pr. dicens: *Sicut locutus est per os Sanctorum qui a sæculo sunt Prophetarum ejus*: cujus loci examen cum idem sit, ac præcedentis, brevitati donamus.

Prob. secundò seu Confirm. ex illo Mat. c. 10. *Cum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodò aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: Si enim cum ejus discipuli sunt coram Regibus (utique ob causam Fidei, ut explicant PP.) ita verum est, quod ipse in illis loquitur, quod falsum sit ipsos loqui, utique formaliter; ergò multò magis totius Scripturæ Sacræ locutio, non erit hominum, sed propriissimè ipsius Dei. Prob. conf. Sacra Scriptura non est sermo ad Reges tantum & Præsides totius Orbis terrarum seorsim aut simul, sed ad omnes homines, & amicos & inimicos Fidei, totamque Ecclesiam præsentium & futurorum, & nedum in Causa Fidei, sed est ipsa causa Fidei, & per eam Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum; si ergo Spiritus Dei est ille qui loquitur, cum adstant discipuli Christi ante Reges, & Præsides, idem ipse fortiori ratione concluditur locutus in Prophetis, Sacris videlicet Scriptoribus Sacram Scripturam celebrantibus, seu scripto proferentibus, sola siquidem diversitas materialis Scripturæ & vocis non variat formam locutionis, unde Apost. 2. *Corinth.* 13. scribens, dixit loqui in ipso Christum. *An experimentum inq; quæritis ejus qui in me loquitur Christus.*

Confirmatur hoc ipsum. Ipsemet Christus, quo loquente certissimè Deus loquebatur, Sermonem suum non sibi, sed Patri attribuebat, ne Homines videntes ipsum hominem, nec dum plenè Deum simul esse credentes, doctrinam ejus putarent humanam, quia ab homine proferebatur. Unde Jo: c. 14. *Sermonem*, inquit, *quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me, Patris*, adhuc summam in hoc retinens Veritatem, quia quidquid habet Filius, habet a Patre, ergo a fortiori quilibet Prophetarum (sumendo pro Prophetis Scriptores Canonicos) hoc dicere debet; scilicet sermonem quem legistis non est meus, sed ejus, qui misit me, qui loquitur in me, Spiritus Sanctus &c. Ubi notandum ly, non est meus; sic enim non negabat id quod evidens erat, scil. se voces illas emisisse, sed proprietatem, quæ significatur per esse meum in communi acceptione, asserens sermonem illum, qui ab ipso egressus fuerat esse propriè ac specialissimè Dei Patris in eo loquentis.

Sed objicies: David *Ps.* 115. dicit locutionem suam fundatam esse in Fide: *Credidi propter quod locutus sum*, ubi Cajet. legit, *Ideo loquor, quia credidi*, ergo illa erat vera locutio David, non Dei; nam Deus non credit, nec loquitur in Fide alterius, ut clarissimum est.

Sed contra, ad hominem: Si illa est locutio propria David, ergo potuit esse suspecta de falsitate, ergo eo ipso jam fuit falsa, quia dixit se loqui ex Fide, cui non potest subesse falsum, & tamen cum esset humana locutio poterat ei subesse falsum: Prima conseq. ex qua secunda ad sensum consequitur, prob. Subdit enim *Omnis homo mendax*. Nec refert illa exceptio, seu attemperatio sui dicti, cum addit: *Ego dixi in excessu meo*, quia, quamvis dixerit in excessu suo, hanc sententiam *Omnis homo mendax*, & sic, ut ait Gregor., potuit annunciare verum sine suspicione, quia erat in excessu, hoc est quasi extra se, & supra hominem mendacem, tamen illud, quod dixit prius, scil. Credidi &c. non dictum est in excessu, ut patet, quia, quod dictum est in excessu ad illud unum reducitur Omnis homo mendax, non ad Anteriora, vel Posteriora, ergo nisi dicatur locutionem illam esse propriam Dei loquentis,

quentis, non salvatur Veritas & Fides. Immò cum subdit in excessu meo, significat se quodammodo extrà se, ideoque alium loqui in ipso, & sic ipsum ejus dicere, non esse suum. Quamvis autem satisfactum sit objectioni, quia tamen plures alias in se una continet, in ipsa aliquantulum diffundimur ad brevitatem, ne scil. in pluribus effundamur.

Resp. igitur objectioni: Advertendo, quod loquens, quamvis sit Principium activum, & peculiare sui conceptus, suæque locutionis; ut inquit licet in altiori sensu Christus, Jo: c. 8. *Ego Principium qui & loquor vobis*, non tamen semper est subjectum propriæ Propositionis, cui debeat, illius competere prædicatum, & hoc potissimum verificatur in Sacra Scriptura, quando loquens instruit, & dirigit omnes, ac mysteriosè procedit cum obscuritate aliqua, qua obumbratur arcanum lumen, ne cæcutiant, qui ad illud diriguntur: Oportet igitur videre, in cujus persona profertur locutio, aut scriptio, quod perscrutari munus est Sacrorum Doctorum, ut inde eruantur, quæ doceant singulos. Loquens enim in Sacra Scriptura non dicit; Ego ibi loquor in Persona mea, vel de Persona mea, aut David, aut Salomonis, & ubi hoc dicat, vel innuat, ut in Psalmis frequenter ibi fortè mysticus sensus latet, quatenus David vel Salomon Christum figurat, aut Corpus ejus Mysticum, quod est Ecclesia, hoc igitur relinquitur studio non modico investigandum, & in hoc consistit obscuritas Scripturarum necessaria ad meritum Fidei, ad Veritatis studium excitandum, ad humilitatem simul & eruditionem omnium, ac ne Sanctum detur canibus, quod totum ex concordi PP. August., & Hieron. doctrina desumpsimus, ut suo loco magis constabit. Nunc ad objectionem neg. quod David illud dicat formaliter intransitivè, & tamquam Auctor particularis illius dicti; & iterum neg. quod illud a Deo dictum sit in persona solius David. Nostr. Incog. ad prædictum Versic. ostendit dictum in persona Martyris, vel Prædicatoris Fidei, qui prius debet firmiter credere & postmodum credita prædicare, ad quod disponi debet per humilitatem, ut subditur: *Ego autem humiliatus sum nimis*: Apost. 2. ad Corint. c. 4. intelligit hoc dictum de se ipso ac Fidelibus; *& nos credimus*, inquit, *propter quod & loquimur*. Cajet. in persona David, vel in persona periclitantis mori, & hæc omnia ad litteram; sensus enim Mysticus non est interpretatio Personæ in qua loquitur Deus, sed cognita tali persona, quam assumit, cognoscere, an alia Persona, vel aliud factum aut dictum, aut aliud quid gerendum in Persona, vel re quæ assumitur significetur, quæ doctrina admodum notabilis est, ne contingant infiniti errores in studio Scripturarum, sensusque omnes confundantur.

Tertio Probatur cum Chrisost. hom. pr. in Ep. ad Hebr. admirans enim Pauli, seu Epistolæ illius Sapientiam sublimissimam quærit unde illa sit: Qui enim! ex cultro, an ex Pellibus, an ex Officina? Resp. verò: *Non ex suo sensu locutus est, sed divinæ erat operationis; Non enim hæc cogitata pariebat ejus intelligentia, quæ tunc quidem erat adeo vilis & abjecta, ut nihil haberet amplius quam Plebei, qui in Foro versantur. Quommodò enim plus haberet, quæ in contractibus & pellibus perpetuò versata & consumpta erat?*

A

Nec refert, vel quod Paulus ad pedes Gamalielis eruditus fuerit, quod Chrisost. videtur non advertisse, vel quod prædicta Homilia a pluribus putetur non esse Chrisost. nam quidquid sit de primo, nec Gamaliel cum esset Doctor legis antiquæ, nec tota ejus schola minimum quid attingere potuit Paulinæ Sapientiæ, quæ sublimissima novi Testamenti Mysteria, comprehensiva, & omninò divina eruditione pertractat. Nemo autem docere valet, quæ ignorat, immò & quia non capit, refellit; vel igitur homilia illa sit Chrisostomi, vel Auctor ejus non adverterit edoctum a Gamaliele Paulum, semper ratio adducta convincit. Ita enim se habet **B** quilibet inferioribus, vel antiquatis litteris eruditus ad divinam, quæ in Pauli Scriptura elucet, Sapientiam, ac Coriarius rudis, qui nullas noverit litteras, ut evidens est; Divina enim & supernaturalia toto cælo ac ordine superant, quidquid infrà subsistit. Idem igitur argumentum valet & de Paulo erudito, & de Amos vellente Sicomoros, cum sit impossiblle humanam intelligentiam omni adhuc enitentem conatu pervenire vel ad infimum illius, quam (etsi differant in modo) omnes dicunt esse divinam, & ad tot sensus æquè celandos, ac exprimendos in unico verbo, aut apice, immò & silentio. Sanè tam propria tamque inconfusa varietas sensuum in qualibet vel minima sui parte (de qua Chrisost. *hom. 3. & 22. in Gen.* etiam in **C** brevi dictione variarum sententiarum vim & indicibiles divitias invenire licet) *effectus esse nequit nisi illius, qui portat omnia Verbo virtutis suæ ad hebr. pr.* nam pro virtute Dei in Evangel. ut supra, de nominib. intelligitur Scriptura, ut sic dicamus, quod ipse portat omnia in Verbo Sacrae Scripturæ, per quam universa comprehendit; Omnia siquidem per ipsum facta sunt, idem est ac omnia per ipsum dicta sunt; dixit enim & factum est. Certè *non est impossibile apud Deum omne Verbum* Luc. pr., per omne autem Verbum intelligitur omne conceptibile, hoc est possibile, quia ut est Principium Thomist. solum impossibile incognoscibile est: Nihil autem impedit dicere, quod per omne Verbum intelligitur Sacra Scriptura, in qua omne possibile seu cognoscibile continetur, cum sit Verbum Dei, & **D** quia tunc Archangelus Virginem alloquebatur Verbi ejusdem Incarnationem, quæ tot Figuris, ac præsignificationibus in Scripturis fuerat prædicata, ideo ut totam Scripturam in testimonium adduceret, inquit, quia non est impossibile apud Deum omne Verbum, idest non est impossibile in facto, quod continetur prænunciatum in omni verbo, in tota scil. Scriptura, quæ est omne Verbum. Porrò evidens est nullum intellectum creatum ad omne excogitabile, ad omne possibile Verbum se posse extendere; ergo nullus intellectus creatus potest esse specialis Auctor Sacræ Scripturæ. Etsi enim potuerint Sacri Scriptores Deo quodammodo dictante conscribere; quæ scripserunt, ea tamen nec specialiter invenire, nec concipere, nec proinde uti propria proferre valuerunt: Unde Gregor. *in*

Proæm. Mor. concludit, *ipse ergo hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit.*

Prob. quartò ratione communi, quam apud omnes communiter, licet aliter forte digestam passim offendes. Verbum sive scriptum, sive dictum, cum sit immediata expressio verbi mentalis geniti ex mente sui peculiaris Auctoris, idem omninò ac Verbum ipsum mentale, recognoscit speciale principium: Atqui Sacra Scriptura in omni sui vel minima parte est verbum scriptum manifestans conceptus proprios divinæ Mentis, ergo Deum recognoscit, uti specialissimum sui Auctorem. Ma. constat, quia Scriptura sicut & ipsa exterior locutio est veluti tegumentum quoddam verbi mentalis, ideò Bern. vocale describit, quod est verbum voce vestitum, & consequenter etiam Scriptum est verbum Scriptura indutum, sed per hoc quod aliquod contegatur accidentaliter non mutat revera substantiam, eadem igitur erit substantia, ideoque & idem omninò specialissimus Auctor verbi mentalis, dicti, & scripti, ac propterea homiliæ Chrisostomi, sive tantum ejusdem mente conceptæ, sive ab eodem aliove dictæ, seu a Typographo impressæ, verè sunt ipsius. Min. constat, tum ex communi conceptu Ecclesiæ Sacram Scripturam proponentis uti verum Dei verbum, tum ex eadem Sacra Scriptura pluribus in locis ipsi Deo specialiter attribuente quæ dicit, nam præter ea, quæ supra hoc eodem articulo dedimus, dicitur Isa. c. 5. & passim in Prophetis tum majoribus cum minoribus: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum*: & Jonæ pr. sicut & passim apud cæteros: *Factum est verbum Domini ad Jonam &c.* & pr. Tessal. *pr. Accepistis non ut verbum hominum, sed ut est verbum Dei*, & alibi &c. ne totam hic recitemus scripturam; Quæ verò hinc ebullit objectio post pauca solvetur. Nunc autem juvat explicare, quod dictum est in majori hujus argumenti, nempe hoc esse proprium Verbi inter alios rerum effectus, ut idem omninò sit, sivè in mente, sive in dictò, sive in scripto: Pro quo notandum secundum Angelicam Doctrinam, quod quælibet limitatio oritur a materia, quæ utique spectat ad essentiam rei, & ideo natura hominis licet secundùm se sit una, & dicens unum conceptum objectivum, si præscindatur ab individuis, tamen quia exigit in illis conservari, ipsaque materiam afferunt ut essentialem ac physicam sui partem, ideo per ea plurificatur substantialiter. E converso autem natura Angelica, quæ ex se est spiritualis in omni statu, & essentialem repugnantiam dicit ad materiam, ideo caret principio suæ multiplicationis substantialis individualis, semper suam retinens unitatem; Cum igitur verbum mentis ex se sit terminus proprius intellectionis, quæ spiritualis est, ideo est ejus filius, seu partus spiritualis in se carens suæ multiplicationis principio proportione servata sicut Angelus; ac propterea sicut de Angelis ait Gregor. quod in eas se formas vertunt, quæ sunt ad fines, pro quibus mittuntur necessariæ, idemque nihilominus semper est Angelus, ità & verbum mentis in eas se formas vertit, quæ necessariæ sunt ad manifestationem sui, nunc voce, nunc scripto supervestitum, idemq; semper est verbum, quia hæ rationes ipsi sunt accidentales, sicut accidit Angelo, quod nunc formam ignis assumat, zelantem Eliam elevaturus; nunc formam Viatoris, Tobiæ peregrè euntis viam directurus, ergo si idem, eundem semper recognoscit Auctorem &c.

Quintò Prob. denique, si Spiritus Sanctus non esset Auctor specialis Sacræ Scripturæ maximè in his hoc verificaretur, quæ Prophetæ uti a se visa, & audita narrarunt, sed hoc est falsum, ergo &c. Prob. mi. Cum dicunt Apostoli ea quę illis dicta fuerunt a Christo, adhuc illa locutio est Spiritus Sancti, ergo cum sit eadem ratio, idipsum concludi debet de his, quæ Prophetæ uti a se visa, & audita describunt. Antec. probationis ostendit Christus Jo: 16. dicens de Spiritu Sancto *suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, idest suggeret etiam si sciatis, quia ipse loquetur, sicut & ipse locutus est, cum eadem ego locutus sum vobis, idque præstabit, ne timeat quis, vos oblitos alicujus apicis eorum, quę locutus sum vobis, aut posse vos humano modo deficere in his, quę dicetis utique, & scribetis, si igitur ęquè Canonici Scriptores sunt Prophetę in his, quę dicunt a se visa, & audita, ac Apostoli in his, quę dicunt sibi ostensa a Christo, eadem ratio utrobique convincit, & hęc, & illa a Spiritu Sancto speciali Auctore procedere &c.

ARTICULUS II.

An SS. Patrum auctoritate eadem Veritas concludatur.

UBI agitur, an propositio aliqua sit de Fide, post Sacrę Scripturę inconcussam auctoritatem, ac Ecclesię declarationem primas tenet concors PP. sententia, quę a prędictis nunquam dissentit, Regula est Concilii Tridentini, ac notissima inter Catholicos. Idcircò etsi jam constet ex artic. precedenti Thesim nostram potius Ecclesię ex ipsa Scriptura, ac Patrum dicendam esse, quam particularium Doctorum inventum, ut tamen PP. auctoritati specialiter deferamus, quędam vel pauca ex eorumdem penù subnectimus: Pauca inquam, nam, & aliqua dedimus in precedentibus, & innumera ubique passim apud Doctores occurrunt: Antiquis admodum precedit Ireneus, qui l. 4. c. 23. hoc supponit, indeque Scripturarum arguit perfectionem, *quia a vero Deo*, & *a vero ejus Spiritu dicta &c.* quod planè non concluderet, nisi intelligeretur de specialissimo influxu, ut patet.

Clarè Origen. Hom. 2. in Jerem. *Sacra Volumina Spiritus plenitudinem spirant, nihilque in eis, quod non a plenitudine Divinæ Majestatis descendat.* Ubi notabilis est universalitas illa dicendi, qua a vera efficientia cujuscumque, vel minimi apicis Sacrę Scripturę quivis, qui non sit Deus ipse excluditur.

Athenagoras l. 2. c. 47. legationis: *Prophetæ Spiritu divino de Deo disseruerunt*, idemque sentit in Parenetico cum Athenagora Clemens Alexandr.

Iterum autem Ireneus *in Orat. ad Gent. Neque enim*

enim vel natura, vel humano ingenio res tam sublimes, & divinas cognitione assequi possibile est, sed eo quod cælitus in viros Sanctos descendit, opus est dono.

Chrisostom. passim, at in c. p. Gen. æquiparat locutionem Dei in Scriptura locutioni, qua Adam, & Noe alloquebatur primis temporibus: aie enim: *Sic venit ad Adam, Cain increpavit, tum Noe verba fecit: Postea verò iterum suam amicitiam innovare volens, quasi longè agentibus litteras misit.* Sicut igitur nemo dubitat Deum verè locutum esse cum illis, & si quandoque ut putant aliqui fortè per Angelos, ita ut tamen verba essent propria ipsius Dei; ita certissimè asserendum est Deum propriè, & specialiter nos alloqui in Scripturis etsi per Prophetas &c. unde idem Chrisost. *hom. 2. de verbis Isaiæ, Prophetarum ora* appellat *os Dei*, & *hom. 2. super 2. ad Tessal.* ait: *Nos dum Sacras litteras legimus ad Populum, non nostra dicimus verba, sed Dei.*

Addimus iterum Clem. Alex. in admon. ad Gent. fol. 51. ubi: *Hieremias Propheta, aut potius in Hieremia Spiritus Sanctus*, & infra: *Os Domini, & Spiritus Sanctus ex eo est locutus.*

Aug. hac de re specialiter agit l. 2. de Consensu Evang. c. 11. & 12. ep. 8. & 9. & ut simul, quæ sapientissimè concludit: perstringamus, Conclusionem hanc potius Augustini esse quam nostram, ubique ipse demonstrat; passim enim eam vel probat, vel supponit, estque phrasis ejus frequens, *quod Deus Scripturam condidit*, ut *l. 11. de C. D. c. 3. & in epist. ad Hieron. super epist. ad Galatas.*

Procop. *in Præfat. ad Gen. Non oportet accipere, quæ in Sacris Scriptura traduntur, quasi ex hominibus veniant: Altius initium spectandum reor, ex Deo nempe, & inde per homines quasi per Canales ad nos permeare.*

Annectitur Procopio Hugo Victor. *T. p. l. p.* ut alias dedimus dicens: *Illa sola Scriptura jure divina appellatur, quæ per Spiritum Dei aspirata est, & per eos qui Spiritu Dei locuti sunt administrata hominem divinum facit, ad similitudinem Dei illum reformans &c.*

Clarè Hieron. *super epist. ad Ephes. c. 3.* hoc ipsum probat, quia singuli Scripturæ apices, & puncta sunt plena sensibus, & mysteriis, quod certè in nulla hominum Scriptura reperitur; quantum autem Hieronymi animo insederit hæc veritas, nedum ex ejusdem frequentissima professione passim, & apertè constat, sed ex infinitis propemodum laboribus, quos ad Scripturarum intelligentiam toto studiosissimæ Vitæ cursu exantlavit, evidenter convincitur. Quis enim Sapiens tanti faceret Scripturam, quæ divina omnino non esset, ut ejusdem intelligentiæ, vitæ totius dies, noctes, horas, momenta omnia invincibili soliclitudine, acerrimo, totoque conatu devoveret? Hic autem rationem etsi, quod idipsum universi Patres senserint, convincatur. Omnes enim (ut ex ipsorum voluminum multitudine, etiam indocti inferunt) & studiis, & vigiliis plurimis, & plures ne dum sudoribus, sed & sanguine hanc Dei hæreditatem custodire, colere, exornare oppido conati sunt, specialiter tamen Hierooymi mentem, qui præ cæteris in divino Scripturarum campo laboravit, ostendit.

Gregorii pariter est ista conclusio, qui *Præf. in Job* concludit de Spiritu Sancto, *ipse ergo hæc scripsit.*

Eam autem clarè, & ad sensum probat Origen. *l. 4. de Principiis c. 5.* ubi sic; *Si quis cum omni studio, ac reverentia, qua dignum est, prophetica verba consideret, in eo ipso dum legit, & diligentius intuetur, certum est quod aliquo diviniore spiramine mentem, sensumque pulsatus agnoscit non humanitus esse prolatas, quas legit Scripturas, sed Dei esse sermones.*

Quod verò ita senserint Magnus Dionisius Areop., Basilius Nazianz., cæteriq. PP. tum Latini, tum Græci; supponendum potius est, quam probandum: constat enim ex generali nuper allata ratione per factum ipsum firmata, & ingens, ac copiosissima PP. Biblioteca irrefragabile perhibet testimonium; & quæ cum Sacram Scripturam describeremus ex iisdem, ac universis Patribus retulimus (ne eadem sæpius repetamus) prohibent in re tam evidenti ulterius immorari.

Objectio, ejusque solutio. Etsi adeò clarum sit, ac probatum specialissimum Sacræ Scripturæ Auctorem esse Spiritum Sanctum, ut non audeat saltem dicto (quod tameo facto præstat) Hæretica temeritas refragari; Aliqua tamen præter eas, quas sequenti articulo discutiemus, militat adversus hactenus probata non levis objectio. In tantum enim Sancti Patres auctoritate pollent, quia a Sacra Scriptura, nec minimum quid deflectunt, ubi enim ab ejus veritate, vel tantillum abscederent, aut declinarent tamquam sal infatuatum, & conculcandum ab hominibus eiicerentur, ergo in Sacram ipsam Scripturam tota vis probatioois resolvitur, ut jam idem sit: Asserunt Patres Sacræ Scripturæ specialissimum Auctorem esse Spiritum Sanctum, ac dicere Sacra Scriptura dicit Auctorem suum modo dicto esse Spiritum Sanctum, sed hoc non videtur convincere intentum: Nam vel disputamus cum Pagano, vel cum Christiano: Si cum illo, certè nos irridebit tamquam petentes principium, dum Scripturam, quam ipse vel positivè, vel negativè non admittit, probamus denique per se ipsam: si cum Christiaoo, ipse arguet ex eadem Scriptura in hac specialiter difficultate. Nam Jo. c. 8. Ipsemet Christus, postquam de sua divinitate cum Judæi disputaverat, qui ipsi obiiciebant: *Tu testimonium perhibes de te ipso, Testimonium tuum non est verum*, denique post plura conclusit: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*; ergo quod Scriptura dicat de se ipsa, vel quod Patres ex eadem dicant de ipsamet, Auctorem ejus specialissimum esse Spiritum Sanctum nihil convincit.

Fortius verò argui potest: Probant Patres præsens assertum ex eo quod Prophetæ dicant se Verbum Dei annunciare, Spiritum Domini locutum esse per os, & linguam ipsorum: Verbum Domini factum esse ad ipsos, super ipsos, per ipsos &c. & similia, hoc tamen non probat generale hoc assertum de tota Sacra Scriptura, solum enim ex hoc sequitur,

ſequitur, quod ea verè ſint verba Dei, de quibus A hoc ſigillatim pronunciabant, non verò alia: quin immò cum omnis exceptio firmet legem in contrarium, ex hoc ipſo, quod ſpecialiter de aliquibus dictum eſt, quod ſunt verba Dei, potius ſequitur alia non eſſe. Et quidem quidquid ſit de veteri Teſtamento, in quo frequenter repetuntur hujuſcemodi proteſtationes, ſive ut arguens intendit, exceptiones; hoc ſaltem ſequitur, quod novum Teſtamentum non eſt a Spiritu Sancto tamquam a ſpecialiſſimo Auctore. Sic enim arguit, ſeu relevat N. P. Cherub. *T. pr. Summæ Criticæ fol. 95. in hac eadem quæſtione. Non videtur poſſe aſſignari locus apud novi Teſtamenti Scriptores, in quo aliquid ſimile legi contingat. Vbi nam dicere comperiemus Matth., Marc., Luc., & Joan. quod eis ut ſcriberent* B *Deus mandavit? Vbi nam Deum ore ipſorum, aut calamo uti perhibent? Quod ſi ſemel Paulus ſe Spiritum Dei habere teſtatur, hoc non dicit aſſertivè, & certè, ſed ſub quadam dubitatione dicens: Puto autem quod, & ego Spiritum Dei habeam*: Quod ſi adhuc demus ut ipſe aſſerit, in Paulo loqui Chriſtum, hoc vel intelligitur de Gratia Chriſti, de qua idem Apoſt. ait, quod in ipſo vacua non fuit, cuique attribuebat, quidquid ipſe operabatur dicens: Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum, operatus eſt, & mihi inter Gentes, & cognoverunt Gratiam Dei, quæ data eſt mihi; Vel certè idipſum, aut ſimile non reperies apud Petrum, Jacobum, Judam, & Joannem. Immò Joan. ut fidem faciat, non dicit ſe a Deo ſpecialiter accepiſſe quod ſcriberet, vel id quod ſcribebat, ſed po- C tius humano utitur Teſtimonio dicens de ſe ipſo c. 19. *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus, & ille ſcit, quia vera dicit ut & vos credatis*, & c. ultimo verſus finem hoc vel ſimile repetit. Et Luc. c. pr. in initio dicit ſe ſcribere, ſicut tradiderunt ei, qui ab initio ipſi viderunt, & Miniſtri fuerunt ſermonis &c. quod eſt in teſtimonium humanum omnia reſolvere; cum igitur ipſummet novum Teſtamentum ſibi non ſuffragetur in hac parte ex præfata ratione concludere nequeunt Patres de ipſo, & conſequenter nec de tota Scriptura, quod ſpecialiſſimus ejus Auctor ſit Spiritus Sanctus; ergo nec nos ex PP., multò minus igitur dici poterit aſſertum noſtrum eſſe de Fide ſaltem directè.

Reſponſio: Ad objectionem huic ſimilem, aliaſ- D que huc ſpectantes reſp. Serar. in Prolegom. c. 4. q. 2. & cum eo P. N. Cherub. loco cit. advertendo per ſe evidens eſſe non poſſe Deum eſſe Bibliorum Auctorem in ſenſu concluſionis; ſed ut patet hoc potius ſupponit noſtra Concluſio, qui enim dicimus id eſſe de Fide, perperam & contradictoriè conaremur ad evidentem ejuſdem probationem. Certè cum ipſa S. Scriptura ſit ipſa Dei revelatio, ſi evidenter cognoſceretur ut talis, de ſupernaturalibus Principiis jam Fides non eſſet, eam igitur Concluſioni noſtræ attribuimus veritatem, certitudinem, & claritatem, quas Concluſio aliqua Theologica bene probata ex principiis Fidei adjutis ratiocinio ſcientiæ habere poteſt. Ut autem plenè conſtet ad objectionem; Notandum eſt,

A primò. Quod agendo cum Pagano, qui omnia noſtra negat principia, ut bene advertit ex D. Th. P. Cherub. per aliquod ex præfatis principiis non poſſumus ipſum convincere, niſi ad hominem, & ex ſuppoſitione, quod unum, vel alterum ex illis admittat, ob convenientiam quam habent ad rationem; ſemel verò admittens unum, cætera, ſi benè proponantur, non poteſt excludere ob maximam unitatem infallibilis Veritatis. Ut autem ad unum aliquod ex principiis Fidei concedendum inducatur, procedere debet Doctor ex evidentia credibilitatis applicata ſpeciali aliquo motivo ad illud principium, ad quod credendum Paganum conatur inducere. Præſens igitur quæſtio, ſi cum Pagano agitetur certè ſupponere debet ex terminis, quod jam conceſſerit dari aliquam Scripturam, quæ con- B tinet Veritates conformes lumini naturæ, cumque ſtare non poſſit ſecundùm lumen naturæ, quod ei ſit credendum, qui falſum dicit, vel ei non credendum, qui verum dicit, ſemel conceſſo, quod veritatem in pluribus dicit, ex eodem lumine naturæ concluditur non propterea alia negari poſſe ejuſdem dicta ex eo quod ſint obſcura, cum certè aliud ſit veritas, aliud claritas: porrò ad ejuſdem Auctorem deveniendo, an ſcil. totius S. Scripturæ Deus ſit Auctor, ſemel admiſſo quod alicujus partis verè ſit Auctor, facilè inducetur ut credat eſſe totius, tum quia ſuprafactæ rationes utrumque concludunt, tum quia nulla eſt nova difficultas in uno, ac in altero, cum concedatur quod vera dicit, & æqualiter digna Deo quoad veritatem, do- C ctrinam, & finem: eoque maximè inducetur, quod plures Magiſtri, immò omnes communiter, qui ſpeciali lumine obſcura penetrant Scripturarum, qui & miraculis claruerunt, & ita quidquid in Scripturis continetur, obſervarunt, & venerati ſunt, ut decet ipſius Dei Verbum, ita ſenſerunt. Notandum ſecundò hujuſcemodi argumentum generaliſſimum eſſe, & quamvis apparenter videatur proprium hujus loci, reverà tamen ſpectat ad materiam de Fide, ubi quæritur de Fidei reſolutione, & quantum ſpectat ad præſens omnes tenentur illud ſolvere, quia pugnat contra auctoritatem Patrum, & contra veritatem S. Scripturæ in omni loco, in quo loquitur de ſe ipſa; conſtat autem quod vel dicamus Spiritum Sanctum fuiſſe ſpecialiſſimum ejus Auctorem, vel hanc prætereamus for- D malitatem rigoroſè acceptam, ſemper, & ab omnibus aſſerendum eſt ipſam regulam eſſe infallibilem noſtræ Fidei a Deo propoſitam, & approbatam, & ab Eccleſia acceptatam; ideoque hæc objectio non pugnat contra ſtabilitam aſſertionem peculiariter, ſed generaliter potius contra Fidem, quam nos in præſenti ſupponere debemus, ne contra propoſitum noſtrum ad controverſias divertamus.

His neceſſariò poſitis patet nos hac objectione non teneri. Sed ad abundantiam reſp. Auctoritatem PP. non in eo tantummodò conſiſtere, quod a Sacra Scriptura non deflectunt, ſic enim etiam Philoſophi, qui eidem Scripturæ non opponuntur, eadem auctoritate pollerent, immò quilibet ignaviſſimus id haberet; conſiſtit igitur in hoc,

quod

quod Sacram Scripturam fideliter intellexerunt, & Deo specialiter illuminante eandem sapientissimè declaraverunt, ac eorum plurimi, quæ sapienter scripserunt, sanctè operibus præstiterunt, corumq; proinde doctrinam Ecclesia veneratur, ac suam facit, uti sibi a Spiritu Sancto per eos datam, unde communis eorum consensus facit propositionem esse de Fide sicut apertè constat ex Concil. Trid. loco supra citat. Quod igitur dicit Scriptura obscurè, hoc Patres explicant, & confirmat Ecclesia, ut sic resolutio Fidei fiat in hæc omnia, & singula suo ordine, & absque circulo, quia diversimodè ut patet ista concurrunt ad Fidem, quæ denique omnia extrinsecè, & quoad nos resolvuntur in evidentem Fidei credibilitatem ejusque argumenta de quibus sapienter N. Patres Salmant. in primis Disputationibus de Fide cum D. Th. cæterisque Theologis: Transeat igitur ant. & in hoc sensu conced. cons. & neg. min. subs. Ad primam partem probationis patet ex primò Notabili: ad secundam dicimus nequissimè Judæos Christo objecisse: *Tu Testimonium perhibes de te ipso*, tum quia ut ipse Christus respondit: *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*, quod genus testimonii certissimum est, ideo idem Christus discipulos Joannis ad eundem remisit dicens, *Ite, & renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis, Cæci vident, Claudi ambulant &c.* ipseque Christus cæpit facere, & docere. Tum quia ipse Baptista testimonium perhibuit Christo, quod non ignorabant Judæi, cum esset Testimonium publicum publicitate Juris, & facti, testificante eo qui erat publicus Ecclesiastes, & pr. Baptismi Minister, ad quem omnes conveniebant ad Jordanem, ubi ait de Christo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, ecce de quo dicebam vobis, post me venit, qui ante me factus est &c.* quæ erat publica omninò, & clara protestatio Divinitatis Christi: Tum denique, quia & Angeli, & Pastores, & Stella, & Reges in Nativitate, & Strages truculenta Innocentum, & Simeon, & Anna in Templo cum præsentaretur, & corruentia in Ægypto simulacra adoraverunt eum, & in publica disputatione Seniores, & quod plus est Pater ipse per Spiritum Sanctum cum in Jordane baptizaretur testimonium evidens præstitit Divinitatis ejus, cum facta est vox de nube dicens: *Hic est Filius meus dilectus &c.* Propterea loco cit. in argumento resp. Christus, *si ego glorifico me ipsum &c. est Pater meus, qui glorificat me &c.* unde non sequitur; quod non convincat id quod Scriptura dicit de se ipsa, non enim sola id dicit, sed & Ecclesia, & Patres de illa id ipsum testantur, & rationes tum eæ, quas supra dedimus, tum plures aliæ apud DD. convincunt. Adde quod sicut albedo alba non fieri potest per aliud, nec relatio per aliam relationem referri, ita nec Doctrina fieri doctrina per aliam, nec Testimonium fieri tale per aliud, cumque ipsa S. Scriptura sit ipsa Doctrina, ipsa Veritas, ipsum Veritatis Testimonium, non potest in eo ordine, in quo est id quò, fieri tale per aliud, sed hoc ipsum est ex se metipsa, satis igitur est si ipsa sit Testimonium sui, ex privilegio rei, quæ

A est, ut quà, talis.

Ad secundam admissa ma. ne. mi. Ad insertam probationem ne. ant. nam perperam adducitur axioma illud, non habens locum in præsenti; ad hoc enim ut verificetur exceptio, debet supponi lex vel ratio evidens in contrarium, porrò ubi est hæc lex, vel ratio evidens suadens Sacram Scripturam esse Inventum omninò humanum, ut propterea dicatur necessariam esse exceptionem, ad hoc ut aliquid divinum in ea immisceri credatur? corruit igitur quidquid sequitur in prolixo illo argumento. Insuper sic arguimus, cum David dicit; *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*, sermo est indefinitus, ergo saltem intelligi debet de omni Sermone David Canonico, cum nequeat prudenter intelligi de omnibus verbis, quæ B locutus est David, & nec scripta, nec canonica sunt, ergò cum canonica eodem modo sint & ea, quæ alii Prophetæ dixerunt cum addito scilicet quod loquebatur per illos Deus, & ea quæ sine tali addito scripserunt, eodem modo asserendum est de illis omnibus esse a Spiritu Sancto specialiter dicta, non enim ut talia acceptarentur ab Ecclesia, quę in his errare non potest, nisi talia essent; quæ ratio ut patet, & de novo & de veteri Testamento æquè convincit, cum utrumque sit ęquè canonicum ut suo loco dicetur. Iterum sic. Cum Propheta aliquis dicit in aliquo peculiari capite, hęc dicit Dominus, cur credis ea dici a Domino? Planè quia hoc dicit Propheta; tunc subsumo, vel illa locutio, qua dicit Propheta Dominum hic lo- C qui, est locutio divina vel humana, si divina, ergo jam datur locutio divina, cui illud non præfigitur hæc dicit Dominus, non enim ad se ipsam ipsa pręmittitur, nec pręmitti debet ne detur processus in infinitum: si est locutio humana, ergo meretur fidem dumtaxat humanam, quę fallibilis est, & hac ratione poterit esse falsum, quod Deus sic dicat, ergo etiam quando ponitur illud additum non convincitur adesse locutionem divinam ex vi illius, oportet igitur ad rationes adductas recurrere ut probetur, quod aliqua locutio sit divina, cumque rationes illę & singulę & multò magis simul sumptę idipsum concludant de tota Sacra Scriptura Canonica, ab hoc non est recedendum, unde nihil interest, etiamsi in novo Testamento illa addítio non reperiretur, nam ab illa veritas ista D non pendet quoad substantiam. Negamus tamen in novo Testamento nihil simile reperiri. Satis esset quod Petrus in *sua Epistola supra citata* de omnibus Sacris Scriptoribus dixerit. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Sufficit quod Christus *Jo. c.* 14. ante scriptionem Evangelii, ac totius novi Testamenti dixerit Apostolis de Spiritu Sancto, *ille docebit vos, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis &c.* aliaque superius ex novo Testamento allata a nobis Testimonia ad abundantiam ostendunt clarius in novo, quam in veteri Testamento constare ipsum esse, ut a specialissimo Auctore a Spiritu Sancto. Quod ait Paulus, *puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*, patet ex contextu non loqui Apostolum de

Spi-

Spiritu loquente quę scribit, sed de Spiritu illuminante quoad consilium, & electionem majoris boni, & adhuc dato quod loqueretur de Spiritu per ipsum loquente, dicit *puto* propter modestiam, non propter dubitationem, vel dicit *puto* figurativè, exprimens id certissimè se supponere, unde ait Glosa *ad c. 7. p. ad Corinth. non dicit hoc dubitandò, sed quasi increpando*, jta & D. Th. eodem loco. Quę ex Luca & Joanne adduntur, supponunt ipsis fidem divinam deberi, cui etiam adstipulatur humanum. Testimonium de visu, sed & hoc ipsum, quod nempe Joan. viderit, quę scripsit, a Spiritu Sancto dictum est, & fide divina credendum est, quod viderit, & quod Spiritus Sanctus ità dixerit, sicque humanum ipsum Testimonium, & apud Lucam, & apud Joan. resolvitur in divinum.

ARTICULUS III.

Quæ obstant stabilitæ Conclusioni, quommodò solvantur.

UT magis veritas appareat tamquam lux in tenebris lucens, excitanda sunt, quę illam impugnant: Non latet hanc quęstionem a pluribus agitatam, & doctissimè resolutam nostro studio non indigere, Verum quia quędam se se offerunt objectiones, quarum solutio non tàm facilè eruitur ex his, quę hoc loco communiter a Doctoribus traduntur operę pratium postulat, ut eas & sincerè proponamus, & Deo auxiliante solvamus. Nec miretur lector, si a frequenti modernorum pręcipuè Doctorum citatione abstinemus; hoc ideò quia, ne actum agamus, curamus quantum possumus ab iis abstinere, quę ubique digesta ferè eadem ab omnibus, paucis mutatis dicuntur, non quod novitatem vel ostentemus, vel diligamus, sed ut ea, quę in rebus ipsis & Priscorum Doctrinis latent, quantum possumus, eruamus, idque pręstemus quod alta mente fixum servamus, veritatem scil. ostendi debere ex Sacra Scriptura, SS. Patribus, & ratione, non ex multitudine utcumque scribentium, qui si idem sentiunt, frustrà congeruntur, si diversa, ingerunt confusionem: Idque pro toto hoc qualicumq; labore nostro notatum volumus.

Primò igitur obiicies: Ad hoc ut Deus esset specialissimus Auctor Sacrę Scripturę, deberet ipsa specialiter esse Dei locutio, sed esse non potest, prob. pr. Locutio importat actionem transeuntem & receptam in alio: omnis autem divina actio in Deo est, immò est ipse Deus, qui nihil recipit, quique cum sit actus purissimus non agit actione creata. Secundò; Locutio importat communicationem conceptuum mentis, & ad hoc ut sit vera, ita debet in se hujusmodi conceptus continere, sicut sunt in mente dicentis, aliter loquens it contra mentem, quod est mentiri; sed implicat, quod Deus habeat in propria mente conceptus illos, qui sunt in scriptura, ipse enim, cum non sit in potentia ad aliquid, unico intuitu comprehendit universa, nec habet discursum, cum hic transitum

A includat de altero in alterum: Nec concipit res, sicut nos, ut pluralitate conceptuum, earum perfectam adæquet intelligentiam, cum sit simplicissimus: Nec alia denique est conceptio in mente divina pręter eam, quę est generatio Verbi, & hęc est unicum ejus dicere, sive loqui, ergo implicat Conclusionis assumptum.

Contra hanc objectionem insurgit Psalmista *Ps. 93. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? Qui docet hominem scientiam?* Addit & in persona Domini Isa. *c. 66. Qui alios parère feci, ego non pariam, dicit Dominus*, ut sic inferas, qui linguas mutorum fecit disertas, ipse non loquitur? Non est igitur dubitandum, quod Deus loquatur, maximè cum dicat Apost.
B *Hebr. 1. Olim Deus loquens Patribus in Prophetis.*

Respon. Ad claritatem autem responsionis recolendum est Axioma philosophicum, & theologicum. *Quidquid facit Deus media causa secunda, potest præstare per se ipsum, demptis imperfectionibus*, locutio autem secundum se, prout est manifestatio veritatis nullam in suo conceptu involuit imperfectionem, immò potius & dicit & exprimit perfectionem, tum quia quædam fæcunditas est, tum quia est communicatio, quæ planè est proprietas nedum boni, sed & perfecti, ut ex D. Th. & Philosopho egregiè probant Patres Salmant. de Ultimo Fine in principio, tum quia est perfectiva alterius in linea intellectiva, quæ præcipua totius
C naturæ perfectio est: ergo qui loquitur medià causà secundà, concurrens, & præmovens, & virtutem præstans ad loquendum, ipse per se loqui potest. Nunc ad objectionem neg. min. Ad probationem pr. dist. maj. locutio humana co. maj. divina subdistin. importat actionem vel formaliter, vel virtualiter transeuntem co. ma. formaliter tantum, neg. maj. patet ex se responsio.

Ad secundam dicimus locutionem quidem esse communicationem conceptuum mentis quoad veritatem, quam defert locutio ad mentem audientis, non verò quoad modum essendi, quem habent tales conceptus in mente dicentis, & hoc necesse admitti debet, non enim modus ille, quo conceptus noster est in mente nostra, eundem sequitur quando voce vestitur, ut evidens est, nec tamen propD terea locutio quælibet it contra mentem, quia ire vel non ire contra mentem, veritatem concernit, non modum veritatis; in quo sensu co. ma., & ne. mi. cujus probatio retorqueri potest: Deus unico intuitu comprehendit universa, ergo comprehendit etiam omnes illos conceptus objectivos, & comprehendit se unico illo eodem intuitu illos comprehendere, & omnes modos, quibus sunt nobis manifestabiles per quamdam attemperationem ad debilitatem nostram, quod exequitur ex dignatione sua per Sacram Scripturam. Ad probationem igitur dicimus non esse diversos formaliter conceptus in mente divina quoad modum essendi plurium ut plurium primario, sed eminentissimum unum, qui est formalissima cognitio divinæ Essentiæ, in quo infiniti alii secundum nostrum modum intelligendi,

gendi, & relatè ad plures terminos continentur: & sicut per unicam actionem omnia creat cum tanta diversitate qualis est inter Creaturas, ita per unam cognitionem diversissima attingit, quæ possunt eo modo, quem inter infinitos eligit, nobis manifestari. Nec ad hoc requiritur, ut alia fingatur in Deo generatio præter generationem Verbi, aliarum enim rerum, seu modorum conceptio non est in similitudinem naturæ, sed in participationem omninò inadæquatam alicujus divinæ perfectionis semper immitabilis.

Vel aliter magis explicando dicimus, quod cum Divina Scriptura sit quoddam mirabile artefactum ad divinam veritatem hominibus communicandam per modum Doctrinæ, debet ejus Idea in Deo reperiri, & in ipsa distinguendæ sunt ejus partes earumque diversitas exigita ex natura & fine talis Artefacti, ut explicat Angelicus Doctor pr. p. q. 15. a. 1. loquens de Idea Universi, immò & tota illa quæstione, & in hoc sensu tales partes dicuntur diversi conceptus divinæ mentis, & quia ex natura rei tale artefactum est propria communicatio eorundem conceptuum divinæ mentis rationali modo expressorum, quod in sensu obvio, & secundum quod nos possumus intelligere exprimitur nomine locutionis, ideò eum omni proprietate Sacram Scripturam dicimus esse locutionem propriam Dei, demptis imperfectionibus.

Secundò obiic. Si Deus verè esset Auctor specialissimus Sacræ Scripturæ, ipsa rigorosè & cum omni proprietate esset Verbum Dei intrinsecè, ita ut eadem nullius alterius Verbum dici posset, sicut Verbum hominis hujus, qui est ejusdem causa particularis, nullius alterius Verbum diei potest, nec esse, immò nec ipsius Dei, quia Deus ad illud concurrit ut causa generalis, atqui Sacra Scriptura non est hoc modo proprium Verbum Dei; unicum enim est Verbum Dei, de quo dicitur, semel loquitur Deus. Sacra autem Scriptura multiplex Verbum est; illud æternum, haec in tempore; Illud infinitum, increatum, substantia, & essentialiter Deus, ut definit Ecclesia contra Arianos; hæc finita, ereata, & quoddam accidentale artefactum signis ad placitum simul invicem ordinatis compositum; nulla igitur proprietate dicetur Verbum Dei, cujus Deus sit specialissimus Auctor.

Resp. conc. seq.maj.ne.mi. ad probationem dist.ant. Unicum est Verbum Dei infinitum &c. de Verbo Dei ut quod & substantialiter tali conced. ant. de Verbo Dei ut quo tali, quale est Sacra Scriptura, ideo dicta Verbum Dei, quia est manifestatio conceptus, & voluntatis Dei neg. ant. constat ex terminis responsio, per quam aliæ cumplures solvi etiam facilè possunt difficultates, & potest addi præveniendo latentem aliam instantiam: Nam tametsi Verbum Dei substantiale sit suum esse intellectum intrinsecè & simpliciter, ac quantum est ex parte ipsius non indigeat verbo aliquo accidentali, seu manifestatione, per quam compleatur ejus esse intellectum, non est tamen in se formalissimè, aut vitalis & limitata intellectio Creaturæ, perquam ipsa Deum intelligit, aut omnes effectus per quos manifestari Deum constat extrinsecè, aut illa

A locutio, qua indiget Creatura rationalis Viatrix & peregrina a Domino, ut intelligat omnes voluntates ejus, & hoc oritur ex potentialitate, & limitatione Creaturæ, non ex indigentia Verbi geniti, quod est Deus: Unde nil mirum, si divina dignatio, quæ Verbum suum Unigenitum Filium carne vestivit, ut habitaret in nobis, nosque redimeret, conceptus suos, sive notitiam aliquam sui nostræ proportionatam imbecillitati peculiari amoris sui significatione producat, loquaturque ipse, ut eos doceat quos redemit, & quibus dedit potestatem Filios Dei fieri, quippe qui illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.

Dices ex D. Th. q. 4. de Veritate, & alibi,
B Verbum vocis non dicitur de Deo, nisi metaphoricè, quia exercetur per Corpus, ergo etiam locutio, quæ fit per tale Verbum, ergo non est propriè Deus causa specialissima Sacræ Scripturæ.

Resp. pr. N. P. Anton. Prælud. pr. dub. 3. parag. 4. quod aliud est dici Dei, aliud est dici de Deo; dicitur enim de Sacra Scriptura, quod est Verbum Dei, non quod sit Deus, ideòque Verbum vocis non dicitur de Deo, sed Dei.

Sed hæc subtilis distinctio non videtur subsistere in præsenti, quia non erat quæstio apud D. Th. An Deus esset Verbum ipsum vocis audibile, sed quem sensum habeant propositiones Deo aliquid corporeum attribuentes, sive illud sit realitas aliqua, sive sit actio, constat autem quod actio tunc dicitur de Agente, cum dicitur esse Agentis. Unde
C sic argui potest, eo ipso quod locutio dicatur Dei dicitur de Deo, quod nempe per ipsam loquatur, ergo dicitur de Deo locutio: Cum enim dico, Deus loquitur, hoc verbum ly Deus est subjectum, & locutio, quæ integratur per verbum, est prædicatum, eadem autem est ratio de locutione per verbum vocis, & de verbo vocis, per quod fit locutio.

Resp. itaque est diversò modo. Verbum vocis seu locutio dicitur metaphoricè de Deo, si sumatur quoad modum expressum tali vocabulo co. ant. si sumatur quoad substantiam manifestationis, & coordinationem significantem neg. ant. & ne. conf. Considerata itaque locutio & Verbum, prout importat manifestationem modo dicto, sicut est propriè opus intellectuale, ità propriè dicitur de Deo,
D etiam si cum aliquo corporeo conjungatur, quod est veluti medium delativum manifestationis. Sicut Anima (proportione servata) non desinit esse Spiritus per hoc quod unitur cum corpore; nec propterea Deo attribuitur modus locutionis corporeæ expressus illo nomine, cum certum sit Deum non esse corpus, nec per corpus, quod non habet, operari, sed quod attribuitur Deo, eumque denominat loquentem est illa manifestatio, coordinatio, & doctrina &c.

Vel secundo resp. quod cum dicitur Deus loqui, totum conjunctum manifestationis scilicet & vocis Deo attribuitur propriè ut quod non ut quo, quod autem dicit D. Th. non opponitur huic doctrinæ, nam ut patet, sumit D. Th. locutionem ut quo, & ideo negat Deum propriè loqui sicut nos, qui

locutionem corpoream facimus tamquam id quo indigemus, & verè uti actionem, qua alteri innuimus quod volumus. Deus verò locutionem corpoream facit tamquam effectum & ut quod, cum ipse non agat actione formaliter transeunte; ideòque sicut si Deus crearet materiam, aut corpus, talis effectus attribuitur ipsi ut specialissimæ causæ, & non propterea actio ipsius corporea est formaliter, quia corporeum est, quod attingit, ita Deus dicitur causa specialissima locutionis corporeæ, non solum ut manifestativæ sed adæquate, quia ipsa tota est effectus propriissimus Dei. Dicimus igitur locutionem corpoream, quæ nobis attribuitur tamquam actio, Deo attribui tamquam effectum, propriè in ratione effectus, metaphoricè verò in ratione actionis, cum ex nostro, imperfectu modo concipiendi eam Deo attribuimus, quasi esset actio ipsius Dei, quæ reverà comparativè ad ipsum non est actio, sed effectus. Idque ex eo lucem accipiet, quod infrà cum de sensibus Sacræ Scripturæ agemus, ostendetur, nempè proprium Dei esse, quod rebus loquatur, quod communi Patrum consensu notum pro nunc supponimus, unde & res sunt verba Dei, & verba Dei sunt quædam res ab ipso productæ ad manifestationem sui cum hac solùm diversitate, quam alibi explicabimus, quod res ex sola divina ordinatione sunt manifestativæ divinorum conceptuum; verba verò ex natura sua, seu melius ex sua institutione sunt ipsa manifestatio eorumdem conceptuum, ad quod omninò de materiali se habet, quod locutio sit actio, vel sit effectus loquentis: Hujus autem solutionis doctrina valdè notabilis est, & cum grano salis accepta, plura solvit argumenta in hac materia.

Tertio obiic. Locutio ei attribuitur tamquam causæ particulari, cui attribuitur vitalitas locutionis, sed vitalitas propheticæ locutionis, cum sit vitalitas creata, nequit particulariter attribui Deo, ergo nec ipsa locutio: Ma. constat quia locutio essentialiter est actio vitalis, essentia verò vitalitatis est quod oriatur proximè, immediatè, & particulariter a principio intrinseco conjuncto, & se movente per ipsam, ergo &c.: est enim repugnantia in terminis, quod agens moveat se ipsum per actum vitalem, & quod actus vitalis non sit specialiter ab ipso; mi. etiam certa est, quia locutio Prophetæ quoad vitalitatem eodem modo se habet, sive loquatur Verbum Dei, sivè proprium, cum enim non assumatur a Deo tamquam instrumentum inanime, sed vivum, etiam loquendo ut instrumentum se movet, & vivit. Deus autem impossibile est, quod se moveat vitalitate creata, quia id essentialiter repugnat & vitalitati ipsi creatæ & Deo, cum nec Deus sit forma limitata Creaturæ, nec creatura actin propria Dei.

Resp. satis constare ad totam objectionem ex Doctrina nuper tradita in responsione ad secundam. Vera est igitur ma. respectu ad creaturam, quæ loquitur per actionem propriam, ita ut actio ipsa intransitivè sit locutio, non tamen respectu ad Deum, cujus locutio est effectus proprius ipsius, & non actio formaliter: Vitalitas autem rigorosa convenit actioni, non verò effectui, aliter notitia in alio non esset causabilis ab extrinseco, quod tamen falsum est, ut patet in docente, & addiscente.

Responderi potest secundò ex doctrina P. Antonii loco citato locutionem internam esse vitalem simpliciter, & de ea conceditur ma. externam verò non esse adæquatè vitalem, sed solùm præsuppositivè, sicut & Scriptura, quia in utraque contingit primo motus linguæ, vel manus, qui est vitalis, & receptus in suo principio secundùm initium sui, & ejus effectus est novum ubi, ad quem motum sequitur alius alterationis in aere, vel in atramento receptus, qui proinde non est vitalis, & ejus effectus est scissio aeris, & sonus, vel respectivè scissio atramenti, & caracter figuratus in carta, ad quos motus secundùm se consideratos significatio, seu formalis ratio verbi se habet per accidens, & quasi de materiali: Quæ doctrina optimè quidem processum philosophicum rei hujus exponit, sed difficultatem non videtur plenè solvere: Si enim Propheta est causa particularis locutionis internæ propter vitalitatem, erit etiam causa eodem modo locutionis externæ sumptæ pro formali; sic enim sumpta est idem formaliter cum illa, idest in esse manifestationis formalis, & prout continet conceptum dicentis, & ita concedi videtur, quod Propheta sit causa particularis utique, & principalis ejus rationis, quam debemus Deo attribuere. Potest tamen sustineri addendo, quod locutio interna Prophetæ ut vitalis, & actio, revera est a Propheta, sed ut expressiva talis conceptus est a Deo principaliter particulariter, quia ille conceptus ubicumque reperiatur semper est Dei proprius; immò & illa manifestatio pro formali, Dei est, quam pariter doctrinam innuit idem P. Antonius ad aliud argumentum loco citato. Clarius adhuc patebit veritas, recolenti, quod instrumentum potest esse, & revera est causa principalis illius rationis, quæ in effectu correspondet ipsius virtuti præviæ, ut benè probant N. PP. Complut. de Cau. Instrum. in Physicis, & passim Thomistę omnes, & ideo aqua Baptismi est causa principalis humectationis sensibilis, Gratiæ verò est causa instrumentalis. Dicamus itaque Prophetam, seu Scriptorem Sacrum esse causam particularem suæ vitalitatis, elevabilis ad significandum, Deum verò causam esse peculiarem principalem significationis, & vitalitatis ut elevatæ sive aptæ in actu ad exprimendos divinæ mentis conceptus, unde nihil contra veritatem concluditur ex argumento. Ex his stabilita manet principalis nostra Conclusio, & ad majorem ejus tùm firmitatem cùm claritatem explicatus est etiam modus, quo Deus est causa specialis Sacræ Scripturæ; & hæc quidem satis videbantur, ut tamen morem geramus Isagogicis Doctoribus plures hac de re quæstiones excitantibus, quæ ipsi diffusè pertractant, nos breviter uno, vel altero articulo absolvemus, & exinde Hæreticorum errores, qui ex se ipsis evanescunt, denique referemus.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An Deus ita fuerit Causa specialis Sacræ Scripturæ, ut ejus singula verba, apicesque dictaverit, & qualiter.

Conclusio est affirmativa expressa D. Gregorii *in Prolog. Moralium ipse ergo* (inquit) *hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit*; estque communis inter SS. PP. ut patet ex Art. pr. & 2., & ostendit N. P. Ant. loco cit., eamque tuetur Ecclesia, ut ex probatione constabit.

Prob. Si aliquod verbum, sententiam, aut significatiuum apicem Sacræ Scripturæ Deus non dictasset, illa utique essent particulares effectus causæ creatæ fallibilis, ergo eo ipso non esset pars verbi Dei, & Sacræ Scripturæ, ergo sicut quidquid est in Sacra Scriptura prout in ipsa est infallibilis veritatis, ita est dictatum a Deo; Patet totus discursus.

Confirmatur pr. Variatio unius sententiæ, aut etiam verbi variare potest substantialem contextum sermonis, immò & voluminis, & inducere contradictiones, quæ totam infringant totius libri auctoritatem, una siquidem veritas est, & verum consonat verò, & bonum (quod in S. Scriptura ex natura ipsius, est per se primo ipsum verum) est ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, & certum est, quod qui elegit sibi Ecclesiam immaculatam non habentem maculam neque rugam, eique dedit uti speculum, & regulam Sacram Scripturam, multò magis hanc puram immaculatam, certam, infallibilemque in omni suo, vel minimo apice constituit. Quod totum deficeret si vel in minima sui parte fallibilis esset, ergò dicere, quod Deus aliqua dictavit, & aliqua non, est negare auctoritatem totius Sacræ Scripturæ, nam quamvis in tali casu latere posset, an verba non dictata a Deo includerent errorem nec ne, quia qui errare potest non propterea convincitur, quod semper erret, hoc tamen certum esset, quod errorem ab intrinseco non excluderent, & sic omnia remanerent suspecta etiam quoad prudentes, quam ergo infallibilitatem haberet regula Fidei? Utitur hoc argumento efficaciter, acutissimè, sapientissimè semper mirabilis August. tota epist. 8. & 9. ad Hieronym. evidenter probans non posse admitti in S. Scriptura mendacium officiosum. Nam *epist.* 8. ait *Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad Fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis Auctoris consilium officiumque referatur*, & post alias probationes idipsum firmantes concludit, *atque ita nusquam certa erit in libris Sanctis casta veritatis auctoritas. Agendum est igitur ut ad cognitionem divinarum Scripturarum talis homo accedat, qui de Sanctis libris tam sanctè, & veraciter existimet, ut nolit aliqua earum parte delectari per officiosa mendacia, potiusque id, quod non intelligit, transeat, quam cor suum præferat illi veritati*, &

A *epist.* 9. *Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis subruatur improbitas? Statim enim ut protuleris, si aliter sapit qui contra nititur: Dicit illud quod prolatum erit, honesto aliquo officio Scriptorem fuisse mentitum. Ubi enim hoc non poterit si poterit in ea narratione, quam exorsus Apostolus ait; Quæ autem scribo vobis ecce coram Deo quia non mentior?* & concludit, *Nescio qua dissimulatione oculos avertisti, ut non intenderes, quæ consequantur adversa, si semel creditum fuerit posse honestè, atque piè accipi Scriptorem divinorum Librorum in aliqua sui operis parte mentiri*. Hæc doctissimus Augustinus. Nec refert, si dicas, aliud est asserere mendacium aliquod etiam officiosum in S. Scriptura, aliud verò quod non singula, quæ

B sunt in Scriptura Deus ipse peculiariter dictaverit, illud enim certè meretur Augustini censuram; hoc vero nec impugnavit, nec tractavit eo loco Aug. ergo ad rem nostram non facit hæc disceptatio, & zelus Augustini. Resp. enim non ad censuram, sed ad rationem quæ utrobique eodem modo concludit, verba Augustini huc nos transtulisse, vel enim dicamus in Sacra Scriptura mendacium officiosum reperiri actu, vel posse reperiri etiam non officiosum ex fallibilitate hominis scribentis peculiariter, & principaliter, ideoque proprio marte, idem omninò sequitur auctoritatis detrimentum, suspicionis fundamentum, Fideique incertitudo, quæ ut vera Fides sit, inniti debet, non carentiæ mendacii, sed impossibilitati, infallibilique simpliciter Testimonio revelantis, constat autem, quod etsi homo non

C semper mentiatur, semper tamen potentiam retinet ad mentiendum, quod cum infallibilitate directè pugnat. Ideo autem aliqua decerpsimus ex Augn., ne quis putaret validè se arguere contra stabilitam veritatem, si Hieronymi nobis obtruderet auctoritatem asserentis in S. Scriptura officiosum aliquod mendacium, quod etsi officiosum, tamen falsum includit, reperiri. Quidquid enim ex Hieron. opponi poterat nedum solutum, sed validè impugnatum ab Augustino nullam vim habet. Eximium enim Patrem impugnare, quasi ex nobis, parvitati nostræ non licuit. Ex hoc autem major confirmatio eorum, quæ supra asseruimus exurgit. Si enim, quia fallibilis homo etsi doctissimus, etsi sanctissimus fuit Hieronymus, ideo errare potuit, & in

D hoc erravit articulo, quis (si semel homo scribens esset ipse peculiaris Auctor S. Scripturæ) Salomonem non in deserto plangentem, sed in deliciis fluctuantem aliquando errasse non diceret, vel in Canticis, vel Parabolis? Totamque hinc Scripturam nutare non videret?

Confirmatur seu prob. secundò. Ecclesia in Concilio Tridentino statuens Canonem Sacrorum librorum, nullum excipit, vel librum, vel caput, vel sententiam, vel verbum, aut apicem, quod necesse fuisset, si aliqua diversitas infallibilitatis esset in aliquo Istorum; tunc enim statuebat regulam Fidei, ergo omnia æqualiter, quæ sunt in Sacra Scriptura ex decreto Concilii sunt Canonica idest approbata, acceptata, & stabilita tamquam verum, & proprium Dei verbum, ergo si Deus aliqua dictavit (quod nemo etiam Hæreticus negat) per quod

constituitur ut Verbum Dei, omnia etiam dicta- A vit, quia omnia sunt Verbum Dei.

Dices, si Deus aliqua non dictasset, ea admittens simul admisceri propriæ locutioni suæ jam ea faceret sua, sicut contingit, cum citantur in Scriptura aliqua dicta Gentilium, ut Cretenses Malæ Bestiæ &c.

Resp. in objectione involui responsionem, sicut enim eum referuntur dicta Gentilium in Scriptura, dictatur a Deo illud esse dictum Gentilium, & illa propositio hypotetica verè est Verbum Dei ab ipso dictatum, ita fieri deberet in omni verbo humano, quod ex admissione Dei, immisceretur divino, & tunc ipsa admissio, & illud verbum, ut stat sub ea, esset Verbum Dei, & aliter imaginata admixtio concedi non potest, quia immixtio hujusmodi non expressa, vel falleret legentem, quod Deo B impossibile est, vel veritatem inficeret suspicione, quod non cohæret cum vera Fide.

Confirmatur, vel prob. tertiò. Si aliqua essent in Scriptura non dictata a Deo, ea essent maximè quæ erant Sacris Scriptoribus naturaliter nota, sicut cum Joan. dicit ea se narrare, quæ vidit, & similia; sed de istis probatum est supra in Conclusione, quod verè dicta sunt a Deo, ergo & omnia. Certè si Scriptores ipsi sola sua memoria dictante illa scriberent, quis fidem faceret infallibilem, eos vel non errasse in videndo, vel in memorando, vel in referendo, cum semper hoc unum infallibile sit, quod omnis homo mendax, vel volens nempè, vel nolens? Quis sciret an ea sic narrarent, sicut ex occulto Dei judicio ordinata fuerunt, ita ut nec C contextum supra narratorum, quæ Deus dictasset, variarent, nec sensum aliquem latentem Spiritus Sancti ipsis ignotum excluderent? Hæc enim infallibili dissonant veritati Verbi Dei. Concludamus ergo Spiritum Sanctum, & sententias, & verba, & contextum, & modum, & coordinationem, & quidquid significativum directè, vel indirectè, formaliter, vel virtualiter in Sacra Scriptura reperitur, tamquam Auctorem specialissimum singularem, ac principalem verè dictasse.

Respondebis, facilè hæc omnia solvi. Si dicatur Deus assisteret speciali gratia Sacris Scriptoribus ne inconvenientia, quæ retulimus, aut alias timeri possent, evenirent.

Sed facilè etiam idipsum reiicimus; Nam hæc assistentia, ut adæquaret quidquid requiritur ad in- D fallibilitatem Divini Verbi, deberet esse idem, ac ipsa Dei locutio, quia deberet facere, ut Sacer Scriptor exprimeret sensum proprium, & individualem ipsius Dei, ejusdemque conceptum pareret, qui ut talis impossibile est quod sit a Creatura specialiter, quia ut jam adagium est ex Philosopho, *non potest esse idem Filius sive sit alius Pater, sive sit alia Mater*, & hæc satis.

Sed quæres, quomodò hoc fuerit factum, nam ex eo quod modum non deprehendunt, quo scilicet Deus locutus fuerit per Prophetas, nequeunt aliqui, hæc duo componere, quod nempè Deus fuerit specialis, principalisque ac proximus Auctor talis locutionis, & quod ipsi Prophetæ ad sensum verè loquerentur, & idem est de scriptione.

Resp. ex Doctrina D. Th. 22. q. 173. a. 2. potuisse hoc fieri multis modis: vel infundendo novas species, vel illuminando, & coordinando acquisitas, & vel infusas. vel naturales elevando, perficiendo in eis Fidem, tribuendo lumen propheticum, donumque Sapientiæ, ut essent proximè divinæ locutionis capaces, vel denique (quod revera asserendum est, etiam stante quovis ex modis prædictis) singula infundendo, & inspirando formaliter, sicut cum Ammanuensis ignarus idiomatis in quo ipsi dictatur, dictata scribit, cum hac tamen diversitate, quod iste ex ignorantia, vel errore, vel oblivione, vel confusione specierum, quæ oritur ex multitudine scribendorum, vel ex aliqua imperitia, potest aliter scribere quam dictatur saltem ex parte, quia dictans non elevat intrinsecè, immò, & dictans, & scribens uterque labilis est, & fallibilis, & aliquid plus non videtur habere in illo effectu, quam præcisum instrumentum. Sacer verò Scriptor nedum corroboratur in mente, & elevatur in coordinatione specierum, sed in ipsa etiam potentia, & arte scribendi, ita ut in sensu composito errare non possit, & ratio est, quia non consideratur secundum ea, quæ sua sunt, cum ea simpliciter subdantur Deo elevanti, sed secundum ea, per quæ disponitur, & constituitur in ratione vivi instrumenti Dei loquentis, & manifestantis infallibiliter vera; sicque totus elevatur, ut per propriam vitalitatem tamquam per actionem præviam, attingat effectum principalis ac particularis Agentis.

Sed dices: Agens creatum in ordine ad producendam existentiam sui effectus est instrumentum, Divinæ virtutis, & tamen ut veram exerceat rationem instrumenti sufficit ut elevetur per physicam præmotionem prout est applicatio elevativa, ut communiter docent Thomistæ, & est expressa doctrina PP. Complut. in tract. de Essentia, & Existentia, & alibi sæpè, ac PP. Salmant. de Bonit., & Mal. de vitiis, & peccatis, & alibi sparsim ubique, ergo sufficiet ad hoc ut Sacri Scriptores sint instrumenta Dei loquentis, supernaturalis, & efficax præmotio elevativa.

Resp. dist. ant. & Creatura tunc est instrumentum Dei Agentis generaliter, & ad communissimum effectum debitum naturæ, ad hoc ut sit simpliciter co. ant. Dei agentis particularis, & ad peculiarem, ac supernaturalem effectum ne. ant. & ne. cons. Patet clarissima disparitas, & addendum quod Sacra Scriptura, & est quoddam Artefactum divinum singularis eminentiæ, ad quod proinde instrumentum debet speciali modo proportionatè ad effectum elevari, & ne possit influere imperfectio instrumenti debet positivè impediri per novum potentissimum genus elevationis per superadditam specialem perfectionem: & est specialiter verbum Dei, ac infallibilis veritatis, quæ singularem exigunt Dei influxum, similia enim in aliis effectibus divinæ virtutis non elucent.

Nec refert si dicas: D. Th. loco citato asserit quidem Prophetam esse instrumentum Spiritus Sancti, tamen ipsum appellat instrumentum defficiens, ergo etiam posita elevatione, per quam sit instru-

men-

mentum, adhuc suam retinet defectibilitatem; ad quid ergo tot elevationes, si adhuc remanet deffectibilitas, quæ obstat infallibilitati Verbi Dei.

Resp. D. Th. a. 4. quæst. citatæ satis explicare quid sit Prophetam esse instrumentum defficiens, quia videlicet videt quidem Propheta divinam veritatem, sed non adæquat, unde ait D. Th. etiam veri Prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit. Non est igitur torquendum dictum Angelici, quasi dicat per elevationem non tolli, vel impediri defectibilitatem hominis, ita ut dicta per ipsum adhuc sint fallibilia; hoc enim satis superque explosum est in superioribus, immò est contra rationem instrumenti, quod non agit virtute propria sed alterius. Et quidem transeat instrumenti defectum aliqualiter in effectu apparere, apparebit in vitalitate actionis finitæ, quæ ipsi correspondet, non in veritate locutionis, quę simpliciter attribuitur principaliter loquenti, sicut cum aqua Baptismi producit Gratiam, apparet qualitas instrumenti in humectatione, non in Gratia sanctificante, quę est proprius effectus principalis Agentis. Adde quod ex ipso quod homo sit instrumentum deficiens, si assumitur ad effectum indefectibilem, potius convincitur necessitas maximę elevationis, indeque fit, quod quidem homo defectibilis assumatur ut sit instrumentum, sed ex hoc ipso, quod formaliter instrumentum est, jam est supra suam defectibilitatem, sicut effectus, ad quem ordinatur, est omninò supra omnem ejus virtutem.

ARTICULUS V.

An Scriptores Sacri liberè scripserint.

POsito quod Spiritus Sanctus Scriptoribus Sacris singula verba dictaverit, quodque id requiratur ad hoc ut Sacra Scriptura verè sit Verbum Dei, ut asserunt Greg. Proœm. mor. Ambr. in Proęm. Luc. Aug. lib. 7. Conf. c. ult., aliique, quos refert, & sequitur N. P. Ant. Pręl. p. dub. 3. quodque nos ex dictis supponimus, non ita facilè apparet, quomodò salvetur, quod liberè scripserint, & quidem parum hoc interesset ad infallibilem Scripturę Sacrę veritatem, & proprietatem Verbi Dei, quam ex causa efficienti hic statuere intendimus, nisi Priscilla, & Montanus hinc sumerent occasionem contemnendi Sacras litteras quasi ab arrepritiis hominibus conscriptas more Gentilium Oraculorum. Breviter itaque discutiendum est, an liberè scripserint, & formatur Dubium hoc argumento, vel enim liberè scripserunt, vel non: si liberè ergo potuerunt non scribere, quod verificatur, & quo ad totum, & quo ad partem, constat autem quod si potuerunt non scribere partem, potuerunt errare, quia sic potuerunt immutare sensum, & veritatem Scripturę; si enim David, cum scripsit, dixit insipiens in corde suo, non est Deus, liberè scripsit, potuit scribere, & non scribere primam partem talis versus, potuit ergò absolutè scribere tantum hoc scilicet, non est Deus. Quo quid absurdius? Si non scripserunt liberè,

A ergo se haberunt, vel tamquam inanime Instrumentum; ideoque frustrà usus fuit Deus hominibus in tradendo Sacram Scripturam, si non ut homines ratione utentes eos assumpsit, vel tamquam Arreptitii locuti sunt, & scripserunt, ut volunt Hęretici ad confundendum eum falsis Oraculis Verbum Dei.

Ut igitur huic Argumento, quod saltem apparenter difficultate non caret, & Virum doctissimum aliquando non modicum torsit, fiat satis. Ponitur Conclusio.

Scriptores Sacri sivè Canonici, scripserunt liberè quoad exercitium sui actus, ita ut possent non scribere, potentiâ physica; non tamen liberè quoad specificationem, ut possent scribere hoc, vel illud, & hoc, vel illud omittere.

B Conclusio est expressa D. Th. loc. sup. cit. ar. 3. ad 4. & pr. Corinth. c. 14. lect. 6. Hier. Prol. in Isaiam, & Prol. in Habac. & Pr. in Nahum, ex quibus. aliisque Sacris Doctoribus, Cajet. ad Art. 3. cit: recenset inter signa veri Prophetæ libertatem. Multis probant hanc Conclusionem N. P. Anton. Præl. pr. dub. 4. & N. P. Domin. l. 3. Bibliot. Theol. sect. pr. c. 11. contra Gregor. de Valentia l. 8. Anal. c. 5. aliosque asserentes, quod Scriptores Biblici ita acti fuerunt, ut se non egerint in scribendo, quamvis spontaneè scriberent; adducitque Perez, Lorcam, & Gravinam, validasque rationes.

Et in primis ex eo constat, quod ut bene notat cum Cajet. ut supra N. P. Domin. loco cit. Sancti Patres ad dignoscendos veros Prophetas a falsis, eò semper confugerunt, quod falsi in extasi consternabantur, unde erant veluti mortua Diaboli per ea seductionem operantis, Instrumenta. At Prophetæ veri, teste Epiphanio in Hæresi Cataphrigarum, fuerunt in extasi, sed non in extasi cogitationum, & rationis, nec proinde libertatis, quæ facultas propria est voluntatis & rationis. Probatur ant. ex Apost. *loco cit. pr. ad Corinth.* ubi apertè dicit: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*, quod explicat eodem loco D. Th. *quoad pronunciationem* (idem est quoad scriptionem) *non quoad cognitionem, quæ datur a Deo, cui vult, & cum ipse vult*, ex quo sequitur utraque pars conclusionis, nam si Apost. præcipit habentibus Spiritum Propheticum, ut aliquando taceant, cum

D oportet, ergo possunt tacere & non tacere, loqui & non loqui, quæ important exercitium, nusquam verò invenitur, quod præcipiatur habentibus eum Spiritum, ut non dicant oppositum ei, quod revelatur ipsis, quia Spiritus Prophetarum ipsis subjecti sunt, quoad tacere vel loqui, non verò quoad cognitionem, quæ ubi supervenit ex superiori & vehementi lumine determinat intellectum, ne judicet verum esse oppositum Veritatis revelatæ, ergo sensus Apostoli est, quod sunt liberi libertate contradictionis, non specificationis.

Dices eo ipso, quod per illud lumen determinentur ad cognitionem, ita ut tollatur indifferentia objecti, jam non possunt non scribere, nam ad hoc ut possent non scribere, deberet posse Voluntas eos non applicare ad scribendum, hoc autem

tem non potest, quia conjungi non potest cum prædicta cognitione simul altera dictans non esse scribendum, quod requireretur ad hoc ut voluntas applicaret, vel applicare posset ad oppositum prædicti exercitii.

Resp. Quod actus ille cognitionis est quidem ex se necessarius, quatenus non oritur a libera voluntate, sed ab extrinseco determinante per infusionem luminis superioris sibi subdentis formaliter intellectum, attamen est cognitio Veritatis revelatæ, non verò cognitio convenientiæ actus scribendi, ad hoc autem ut voluntas se determinet, requiritur subsequens cognitio ejusmodi convenientiæ, quæ sanè est objectum diversum a Veritate revelata, & talis secunda cognitio, ut patet, potest non esse, aliter non diceret Apostolus, quod Spiritus Prophetarum Prophetis subduntur: Verum quidem est, quod naturali quadam sequela ad cognitionem primam propheticam sequitur cognitio convenientiæ applicativa voluntati, ut tamen applicatio ad actum sit libera, sufficit quod inter primam cognitionem, & secundam mediet indifferentia voluntatis ad executionem, & quod ipsa secunda cognitio versetur circa distinctum objectum, quod spectat ad voluntatem, ubi objectum primæ cognitionis stat in linea intellectus, cum sit Veritas, per quod patet evidenter ad instantiam.

Probatur autem distinctè Conclusio, quoad primam partem: Jonas jussus est prophetare, & non prophetavit, ideòque punitus est, sic habetur in ejus Prophetia, ergo potuit non prophetare, ut evidens est.

Dices ex hoc probari libertatem contrarietatis in Propheta, libertas siquidem contradic. non sufficit ad peccandum, quia nequit dari ommissio absque omni actu, insuper & Christus fuisset, & Beati essent peccabiles, si libertas contradictionis sufficeret ad peccandum &c. ergo libertas ad peccandum semper est contrarietatis ad actum bonum vel ad actum malum.

Resp. In facto Jonæ duo reperiri, primum quod absolutè & physicè non prophetavit, & hoc nobis sufficit ad intentum Conclusionis nostræ; secundum, quod ibi intervenerit præceptum, eoque supposito, ut Agens morale deliquit, hoc autem per accidens se habet ad nostram Conclusionem, quoad primam partem, quæ sistit in linea physica. At ne confundatur prima pars Conclusionis cum secunda, notanda est utriusque clara distinctio. In prima enim dicimus, quod Sacer Scriptor habet libertatem ad scribendum, seu prophetandum, vel ad non scribendum, sive non prophetandum, quæ dicitur communiter libertas exercitii, quia non mediat inter objecta, sed inter exercitium, vel non exercitium circa idem, ideòque dicitur contradictionis, estque hæc prima pars Conclusionis affirmativa, non habet tamen libertatem mediantem inter diversa, ac opposita invicem objecta, nempe ad scribendum hoc, vel ejus oppositum, quæ cum versetur inter objecta opposita contrariè, dicitur libertas contrarietatis, & hæc est secunda pars conclusionis negativa. Quod autem libertas illa contradictionis conjungatur cum præcepto, & cum li-

A bertate ad malum, sicut non exigitur ad essentiam libertatis assertæ in Sacro Scriptore, ita non probat, quod illa eadem sit libertas contrarietatis formaliter in illa linea scilicet scribendi, dicendique hoc, vel oppositum ejus. Clarius: Jonas potuit prophetare vel non prophetare, & hæc præciso præcepto, quod non requiritur essentialiter ad rationem Prophetiæ est libertas contradictionis ut patet; hanc retinuit etiam posito præcepto, sed per præceptum supposita hominis deffectibilitate morali (quæ nec fuit in Christo nec in Beatis) conjuncta fuit cum libertate ad obediendum vel non, excitata per præceptum, quæ est libertas contrarietatis; quæque ante præceptum erat in Jona quasi speculativè, nulla igitur vel falsitas, vel in consequentia deprehenditur, vel in assertione, vel
B in probatione: Ad impugnandam enim positam veritatem oportebat ostendere quod Jonas vel alius Propheta, jussus scribere vel prophetare prophetasset oppositum in sensu composito Prophetiæ.

Ad confirmandam verò, & Conclusionem & rationem, & solutionem instantiæ nihil æquè videtur conducere ac responsio Balaam Prophetæ, Judic. 23. cum Balac Regi impellenti omnimodis, ut malediceret Populo Dei, respondit, *ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo*, ubi notandum, quod Rex non prohibebat Balaam loqui, sed benedicere, nec præcipiebat ei ut taceret, sed ut malediceret, unde conquerenti Regi, non dixit tacere non possum, sed potius benedictionem prohibere non valeo, si semel lo-
C quar; ergo necessitabatur quoad specificationem, & si liber esset quoad exercitium, si enim utramque habuisset necessitatem, nec potuisset Regi respondere, qualibet enim responsio fuisset cessatio a benedictione, sicut de facto fuit, ergo evidens est, quod potuit cessare, ergo & quod benedixit liberè, libertate scilicet exercitii. Similem instantiam deducere videtur N. P. Anton. loco citato ex Abulensi, q. 5. in prædictum locum Scripturæ, nos tamen ex ipso contextu, Abulen. enim potius declinat ab hac sententia; posset etiam probari, quia Deus nequit inferre violentiam simpliciter suæ Creaturæ, ut probant ex D. Th. PP. Salmant. de Voluntario; quamvis enim in hac materia aliquando innuatur nomen violentiæ, hoc tamen ponitur ad significandam summam efficaciam: Unde D. Th.
D ad Rom. 8. *Homo, inq; Spiritualis, non quasi ex motu propriæ voluntatis, sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum secundum illud Isa. 56. Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Dei cogit, non tamen per hoc excluditur quin vires spirituales per voluntatem, & liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis causat.*

Secunda pars Conclusionis æquè probata manet ex supradictis, sed confirmatur; Nam instrumentum non agit in virtute propria, ad effectum principalem, sed in virtute principalis agentis, ergo cum effectus principalis importat infallibilem Veritatem, illam nec attinget, nec poterit attingere secundum propriam virtutem fallibilem, hoc enim non esset attingere, sed destruere effectum ipsum principi-

principalem, cujus forma est infallibilitas, ideoque A implicat in terminis quod agat ut Instrumentum in nostro casu, & quod possit deficere in effectu, ergo vel tollenda est ab ipso ratio instrumenti, vel asserenda in eodem ex divina elevatione impossibilitas ad errandum, quæ ratio specialissima est in hac materia, ut intuenti constabit: Ideoque (ut sic respondeamus breviter argumento, quod causam dedit dubio in initio articuli) non habet Sacer Scriptor libertatem ad scribendum & non scribendum partem aliquam ex cujus additione pendeat Veritas totius. Quamvis enim hæc apparenter videatur libertas contradictionis, revera tamen esset libertas contrarietatis ad verum & falsum, essetque libertas ad impediendam, seu tollendam Divinæ Veritatis manifestationem per scriptionem alterius B sensus resultantis ex ommissione integræ Scriptionis requisitæ ad manifestandum sensum proprium Spiritus Sancti, quod in Instrumento ad veritatem infallibilem assumpto omninò implicat; & juxtà hanc doctrinam procedit prima pars nostræ Conclusionis secundum quam ad argumentum illud dicimus, quod Sacri Scriptores scripserunt liberè quoad exercitium, quod intelligitur & de toto quod scripserunt, & de parte sumpta physicè, si autem sermo sit de parte sumpta moraliter formaliter, & prout stat sub indivisibili Veritate, tunc nec illa dicitur formaliter pars, quia indivisibile caret partibus, nec sistit Arguens intra terminos libertatis contradictionis, sed transit ad libertatem contrarietatis, quam in Sacro Scriptore in sensu explicato constanter negamus. C

Rationes alias afferunt N. P. Domin. N. P. Anton. P. Joseph Maria Turri, cæterique Doctores, nobis satis est sic probasse, ne transcribamus aliena. Objectiones etiam plures addunt præcitati, cæterique DD. Isagogici, & Controversæ istę cum P. Gravina. At qui vel nullam important difficultatem, quæ ex dictis non possit commodè solvi, vel quia alibi etiam occurrent, nunc duximus ommittendas.

ARTICULUS VI.

An Scriptores Biblici cognoverint omnes sensus litterales & Mysticos contentos in verbis Spiritus Sancti, quæ eo dictante, Scripserunt. D

RESp. statim negativè, & probatur. Illa pluralitas sensuum est ordinata ad eruditionem Ecclesiæ, & ideo in ipsa scil. Ecclesia præhabetur lux, & Doctrina, & assistentia Spiritus Sancti sufficiens, ut sit regula Veritatis moralitatis, & Sanctitatis in omni evventu; estque talis pluralitas nostro modo concipiendi infinita, itaut: post summam diligentiam, studium, ac laborem Sacrorum Doctorum, qui & Sapientissimi & plurimi fuerunt, sunt, & erunt, ac eximio lumine illustrati, diu noctuque insudarunt in Sacræ Scripturæ intelligentia, id demum sunt assecuti, ut intelligerent plures esse sensus, qui latent, quam qui patent Teste August., Hieron., cæterisque communiter PP. & experientia, ergo frustranea fuisset in Sacro Scriptore talis penetratio omnium sensuum contentorum in his, quæ per ipsos Scribebat Spiritus Sanctus, ergo improbabile est eam fuisse prædictis Scriptoribus communicatam; patet hæc ultima consequentia, si enim frustranea fuisset, jam absque ratione, imò contra rationem asseritur fuisse, nam Deus & natura nihil facit frustrà, quod si verificatur in naturali providentia, multò magis in supernaturalibus valet, quæ ex suo genere superant naturæ exigentiam. Prima consequentia ex suo congeminato antecedenti sequitur clarè. Primum ex primo nam peculiaris cognitio privata ipsius Prophetæ nihil confert ad eruditionem Ecclesiæ, cum enim Prophetæ non manifestaverint omnes sensus eorum, quæ scribebant, signum evidens est, quod si semel illos cognoverunt, tali cognitione perficiebatur intellectus eorum in ordine ad se, non in ordine ad Ecclesiam, ergo nec oriebatur talis cognitio ex lumine prophetico, quod cum sit in ordine Gratiæ gratis datæ, datur in utilitatem aliorum, nec conducebat consequenter ad finem, ad quem ordinatur Prophetia, ergo frustranea fuisset. Secund. ex secundo antecedenti: Nam si SS. Doctoribus, qui proximius se habent ad illuminationem Ecclesiæ, & directionem Populorum, non communicavit Deus hujusce modi comprehensionem omnium sensuum Sacræ Scripturę multò minus ea communicata est illis, quorum munus non erat nisi instrumentaliter communicare illa, quę ex divino lumine postmodum explicarentur a Patribus, & ab Ecclesia statuerentur sic explicata; ergo sicut talis comprehensio perinde se habet ad rationem Instrumenti, a quo nec est exprimenda, nec vigorem aliquem, infallibilitatemque acceptura, ita absque ulla ratione diceretur communicata Scriptoribus Sacris, quę non fuit Sacris Doctoribus.

Probatur secundò ratione deducta ex Angelico Doctore 2. 2. q. 173. a. 2. Mens Prophetæ movetur a Spiritu Sancto tamquam instrumentum deficiens respectu principalis Agentis, ideoque semper contingit cum aliquo cognitionis defectu; ergo non cognoscit omnem sensum, qui in Prophetia, quam enunciat, continetur; probatur cons. hujusmodi defectus non potest contingere in perceptione substantiali, & immediata eorum, quæ revelantur, hæc enim non pendet ab imperfectione instrumenti, sed a superiori lumine menti ipsorum prædominante, eamque formante simpliciter, ideoque nec possunt errare, & si alias ex se defectibiles, & quoad intellectum, & quoad voluntatem; ergo si aliquis defectus intervenit, ex quo verificetur, quod Propheta assumitur ut instrumentum deficiens, id dumtaxat esse potest, ut nempe non attingat omnes sensus eorum, quæ Spiritus Sanctus per ipsos tanquam per rationalia instrumenta communicat vel dicto, vel scripto. Idque confirmat Angelicus Doctor exemplo Caiphæ qui prophetavit: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro Populo, & non tota Gens pereat*; hoc autem dicebat nesciens quid diceret, sed cum esset Pontifex anni illius prophetavit; ergo &c.

Dices

Dices ex hoc sequi, quod nullum sensum eorum, quæ scribunt, cognoscant Sacri Scriptores, nec litteralem scilicet, nec mysticum, talis enim cognitio non est necessaria, ut proferant, quæ dicit Deus, unde Caiphas verè prophetavit, & nescivit, quid diceret; certè si assumitur Propheta ut instrumentum deficiens, ubi etiam totaliter in se deficiat (negativè non privativè) non recedet a ratione talis instrumenti; hoc autem favere videtur Montano, & Priscillæ, & insuper non est universaliter verum, ait enim David *Ps. 50. Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, & Daniel. *cap. 9. Intelligentia opus est in Prophetia*, & confirmatur. Hieremias jussus prophetare, se inhabilem dicebat, quia junior erat, ex quo apparet requiri in Propheta maturam cognitionem eorum, quæ per ipsos profert Spiritus Sanctus, & Isaias conquerebatur se immunda labia habere, ut purgaretur ad prophetandum, si autem munda labia requiruntur, multò magis necessaria erit puritas mentis, & cognitionis, ad quam, & per quam fit interna, & externa locutio, ex quibus etiam sequitur falsum esse quod assumatur Propheta ut instrumentum deficiens, si enim hoc esset non conquererentur consequenter Prophetæ præfati de illis defectibus.

Resp. primò neg. seq. universaliter, ad probationem dicimus non esse quidem necessarium ad substantiam Prophetiæ, quod Prophetans cognoscat id quod prophetat formaliter, ut accidit in Caipha, de quo alibi Deo dante differemus, nec necessarium est ut cognoscat omnes sensus, quod enim aliquando hoc contigerit (& si fieri possit) non dicit Scriptura; quid ergo? *Divisiones gratiarum sunt*, ait Apostolus, *Idem autem Spiritus dividens singulis prout vult*, quod si dividit, non igitur totum datum, nisi Christo, cui non est datus Spiritus ad mensuram, nec ejus humano intellectu usus est Spiritus Sanctus tanquam Instrumento deficienti, cum esset comprehensor: Dantur itaque diversi gradus Prophetiæ, quos novit solus ille, qui dat, at quia quilibet ex his gradibus semper est inferior plenitudine cognitionis soli Christo reservata, ideo semper viget inconcussa propositio Angelici Doctoris, quod Propheta assumitur ut Instrumentum deficiens, ut evidens est. Nec sequitur ex eo quod prius dicebamus, nos favere Priscillæ, & Montano, illi enim asserebant Prophetas velut arreptitios, ac ebrios seu mente captos semper prophetasse, quod falsissimum est: Ipse enim Caiphas, qui infimum habuit gradum Prophetiæ expedita mente loquebatur, at quia in ejus verbis latebat sensus, quem nesciebat latere, ideò dicitur nescisse quid diceret. Loquebatur tamen mentis compos, qui politicè consulebat, licet iniquè, mortem Innocentis. Ad confir., & cætera exempla patet. Non mirum quod Deus revelaverit David occulta aliqua Sapientiæ suæ, quem fecerat virum juxtà cor suum, sed nec omnia dicit sibi revelata, nec utcumque id necessarium asserit ad prophetandum. David figura erat Christi, ejusque radix, ejusque Incarnationis, & consummatæ Redemptionis mysteria prænunciare debebat, sicut & Isaias, & Jeremias, ejusque Præcursor Joannes, non igitur præcisè ob Prophetiam, sed ob dignitatem Mysteriorum, & ob majorem accessum, quo prædicti appropinquabant Christo, qui est Finis Legis, summaque Dei Sapientia, decebat eos sic illustrari, ut multò plures sensus eorum, quę prophetabant attingerent, quam cęteri Prophetæ, qui magis a longè Christum pręvidebant, ac prędicebant.

Inquit Gabriel Danieli, intelligentia opus est in Prophetia, quod de perfecta sine ambiguitate conceditur; quod verò talis intelligentia esse debeat omnium sensuum, nec verum est, nec umquam ex Scriptura, vel ratione probabitur. Cum autem de his singulis alibi sit discurrendum, sufficit ea pro nunc sic breviter delibasse.

ARTICULUS VII.

An Sacri Scriptores sciant se scribere Verba Dei.

RESp. ex D. Th. loco citato non posse universaliter affirmari, cum non sit de ratione formali Prophetiæ. Patet Conclusio ex dictis in p. p. hujus Articuli, quæ brevissimè possunt pręsenti asserto applicari. Probatur itaque: Nam Propheta a Deo assumitur tamquam Instrumentum deficiens, ergo cum deficere nequeat quoad Veritatis manifestationem, ut probatum est supra, quoad hoc saltem defectus ejus apparebit, quod nempe non semper reflexè cognoscat se scribere verba Dei.

Dices primo hoc saltem poterit cognoscere, quod propria verba ipsius scribentis non sunt, ergo cognoscet, quod sunt verba Dei: Ant. patet, cum enim intellectus sit potentia spiritualis, quæ non est organo affixa, proprium ejus est reflectere supra se ipsum, cognoscendo se cognoscere, hoc est se mentaliter loqui, hinc probatur conseq., si enim cognoscit se mentaliter loqui cum loquitur, eadem ratione facilius cognoscit se non loqui, ergo cum sciat a se non procedere verba, ex hoc certò inferet, ergo verba, quę sunt in me sunt Dei, solus siquidem Deus intra terminos rei spiritualis habet activitatem.

Resp. posse quidem, sed non est necesse, quod semper reflexè id cognoscat etiam negativè, tum quia constat experientia, quod non semper cognoscens objectum aliquod regreditur intellectus ad cognitionem suę cognitionis, & multò minus ad discernendum ejusdem authorem immediatum. Tum quia quod Deus loquatur per hominem in nostro casu, est objectum supernaturale, ad cujus attingentiam requiritur proportionata elevatio de ordine Gratię, quę liberè a Deo confertur. Immò hoc ipsum, quod homo loquatur, & non verba sua, idipsum est, ac quod homo loquatur verba Dei, ex allata ratione in objectione, illaque negatio ex natura negationis nequit in se attingi, sed in positivo in quo fundatur, quod in nostro casu est quod Deus in homine loquatur, ex quo cognoscitur hominem non loqui verba propria hominis. Quod autem intellectus ex natura sua sit

refle-

reflexivus tantum probat quod possit, quando ex supernaturalitate objecti non requiruntur ad hoc novæ vires Gratiæ, quod autem hoc semper de facto præstet etiam in naturalibus negatur.

Probatur secundò pariter ex doctrina ejusdem Angelici loco citato. Prophetica revelatio fit Prophetæ transitivè, ideſt non propter ipsum, ſed propter Ecclesiam, cum sit gratia gratis data: ac propterea ex natura sua non importat lumen reflexum, quod sicut naturaliter est regressus ad suum principium, ita est ad perfectionem subjecti, non aliorum, ſed solum directum, quod quantum est ex ſe potest esse ad perfectionem aliorum, unde sicut docens, quia tendit ad perficiendum discipulum, non cognoſcit ſe cognoſcere, ſed objecti communicat cognitionem, ita & lumen propheticum, proportione servata, quod datur non ut confideret ſe ipſum, ſed ut aliis manifeſtet veritatem. Insuper ex eodem Angelico non datur per modum habitus, ſed per modum diſpoſitionis transeuntis; Unde sicut ob eamdem rationem D. Paulus in raptu vidit quidem Deum, ſed non potuit arcana illa, quæ vidit referre, immò nec ſcivit, an intra an extra corpus tunc fuerit, quia videlicet revelatio illa, cum esset transiens, non revelavit clarè ſe ipſam nec modum, quo habita fuit, ideoque subdidit, arcana verba quæ non licet homini loqui; ita non est necesse, quod revelatio prophetica revelet ſe ipſam, maximè quia quando est, statim præſens est, unde intellectus non trahit ipsam tamquam objectum, quod cognoſcat, ſed per ipſam potius statim cognoſcit objectum ipſius, nec talem habet claritatem, ut ex ſuper affluentia luminis distinctè manifeſtet, & oſtendat ſe ipſam, cognoſcenti per ipſam.

Probant alii ex illo Apostoli 1. ad Corinth. c. 7. ubi dicit: Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam. Quia si tantùm putavit, non potest dici, quod sciret, vel certò cognoſceret ſe habere Spiritum Dei: ſincerè ſiquidem ſemper Apoſtolus faſſus est veritatem, unde incipiens narrare raptum ſuum dixit: Deus ſcit, quia non mentior, si igitur ipſe cognoſceret ſe dicere Verba Dei, ut aliquando alibi dixit, etiam nunc idipſum teſtaretur, nec diceret puto, ſed ſcio.

At nos consultò rationem hanc duximus prætereundam, quia falsò ſupponit, ac si videlicet cum dixit puto, Paulus ipſe loqueretur, non Spiritus Sanctus in persona illius. Dices ergo Spiritus Sanctus in persona Pauli dubitavit. Resp. ne. conseq. quia ly puto non fuit dubitantis, ſed potius figurata locutio aſſerentis, & certiſſimè ſupponentis ſe Spiritum Dei habere, ut ſuo loco ex D. Th. & PP. oſtendemus. Maneat ergo etiam abſque recurſu ad hujuſmodi probationem non poſſe universaliter affirmari, quod Sacri Scriptores ſcirent ſe ſcribere Verba Dei, cum hoc non sit de ratione intrinſeca Prophetiæ, ſed potius oppoſitum, ubi nudè ſumitur Prophetia.

Sed quamvis hæc veriſſima ſint, non negat tamen Doctor Angelicus, nec nos cum ipſo, quandoque ubi Deus ſic diſponat, innoteſcere Prophetis, quod Deus eſt, qui loquitur ea, quæ ipſi pro-

A ferunt; ſic innotuit David, cum ait 2. *Reg.* 23. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam*, & alibi ſæpè teſtificantur idipſum Prophetæ, cum dicunt, *hæc dicit Dominus; Dominus locutus eſt*, quod ſive cognoſcant, vel cognoverint in actu ipſo locutionis, ſive ante, ſive poſt, ordinatur a Deo ad roborandam fidem credentium potius quam ad perficiendum intellectum Prophetantium, ideoque & ſi non ſit de ratione Prophetiæ, non tamen negandum eſt Scriptoribus Canonicis regulariter a Deo conceſſum.

Dices: hæc ipſiſſima verba David, Spiritus Domini locutus eſt per me &c. ac ſimilia aliorum Prophetarum ſunt verba, & locutiones Dei, ergo ex his non deducitur, quod David aliique Prophetæ cognoverint Deum loqui per ipſos, ſed tantum

B infertur Deum per illos dixiſſe de ſe ipſo reflexè, quod ipſe loquebatur per Prophetas.

Reſp. diſt. ant. ſunt locutiones Dei in perſona propria loquentis ne. ant. ſunt verba, & locutiones Dei loquentis in perſona David, & Prophetarum co. ant. & ne. conſeq. In perſona enim David loquens Spiritus Sanctus non dixiſſet Spiritus Domini &c. niſi eſſet verum, & cognitum a David (& idem dic de aliis) ſic enim perſonam David aſſumpſit utique verum dicentis, ideoque & cognoſcentis ita eſſe, ut dicebat, quod bene notandum eſt tamquam Regula ad intelligendum, quæ Spiritus Sanctus in perſona dicit aliorum in Scripturis, unde & eum in perſona David pœnitentis locutus eſt Pſ. 50. ait: Quoniam iniquita-

C tem meam ego cognoſco, & peccatum meum &c. quia cum in perſona alicujus loquitur aſſumit circumſtantias ejuſdem, ac ſi idem ipſe, cujus perſona geritur, ex propriis loqueretur.

Objicies ſecundò contra id quod diximus non eſſe univerſaliter verum, quod Propheta cognoſcat ſemper, ſe loqui verba Dei, licet aliquando, & ferè ſemper in Scriptoribus Canonicis ita contigerit: eſt de natura divinæ locutionis ut ſe prius qualis ſit oſtendat ei in quo primo ſit, ergo ſemper &c. Patet conſeq., ant. probatur claro teſtimonio Seraphicæ Matris noſtræ, ac Magiſtræ a Deo edoctæ; Ipſa enim frequenter aſſerit hanc eſſe notam divinæ veræ locutionis in Anima, aut etiam Viſionis ſupernaturalis, quod ſumma certitudine Anima, divina patiens ſcit illud eſſe opus Dei, ita

D ut nulli in contrarium perſuaſioni cedat, aut credat ſe poſſe cedere, firmiuſque huic hæreat veritati, quam ſi eam per ſenſum accepiſſet, quia hic falli poteſt, non verò hac in reflexa cognitione intellectus. Ita Sapientiſſima Tereſia in vita ſua a c. 25. & deinceps, & Manſ. 6. c. 9. & alibi ſæpè in Seraphicis ejuſdem Scriptis offendes.

Reſp. juxta intelligentiam fidiſſimi Interpretis ſenſuum S. M. Noſtræ Tereſiæ Patris N. Balthaſſaris Theologiæ Myſticæ Doctoris ad c. 3. Manſ. 6. Reflex. 5. ubi diſtinguit eum D. Th., cæteriſque Myſticis Doctoribus, hujuſmodi locutiones divinas inter omninò perfectas in proprio genere, & imperfectas; De primis intelligitur dictum Seraphicæ Virginis, non de ſecundis, ſi igitur datur locus diſtinctionis prædictæ, quia, cum hujuſmodi, cæle-

cælestes Communicationes, & Gratiæ sint, & ex sola divina liberalitate liberè proveniant, jam debet admitti, quod non semper perfectæ donantur, & consequenter quod non semper eadem eas concomitatur certitudo reflexa, sicque nobis non opponitur sententia S. M. N., quin potius suffragatur quoad hanc partem, nempe quod de Scriptoribus Sacris videtur asserendum, quod reflexè cognoverint se scribere verba Dei: Eadem siquidem est ratio de illis, ac de elevatis per Mysticam Theologiam ad eas locutiones, quas describit Seraphica Doctrix; quod nempe, quia illud lumen perfectum est, sicut alia a se, ita prius ostendit se ipsum; sicut ardens lucerna, ita cætera quæ circumstat illustrat, ut tamen ipsa per se visibilior non possit abscondi; & certè propheticum sermonem, lucernam appellat Apostolorum Princeps ep. 1. c. 2. unde cum ejus essentia sit, esse Dei, & a Deo specialissimè, nequit adesse, nisi simul videatur quod est a Deo, quia perfectum est in se, & diffusivum sui. Tum etiam quia cum Sacri Scriptores ad illud munus eligantur in Ecclesia tam sublime, ut ratio quantumvis perfecta ad ipsum non valeat nisi per modum instrumenti, non videtur credibile quod Deus illis tam insigne Donum, & largiatur simul, & abscondat idipsum, ne ab habente sciatur. Cum hoc tamen stat, quod Deus aliquando id cælaverit ob fines, quos ipse novit, & nos venerari decet potius quam scrutari: Certè non omnes sicut Moysen facie ad faciem allocutus est Deus: Non omnes rapti ad Cœlum sicut Paulus, aut fluenta Evangelii de Dominici pectoris fonte potarunt, ut Jo., ita nec omnes noverunt se Spiritu Dei loqui, ut David loco suprà citato, aliique plures ex quorum libris id colligitur: Hoc autem probabilius statuendum videtur, quod paucissimi id ignorarunt, & hac regula prudenter uti possumus ex ipsa Scriptura. Quando aliquis ex Sacris Scriptoribus, vel propriæ diligentiæ, ac labori, aut traditioni humanæ videtur attribuere certitudinem, ac veritatem eorum, quæ scribit, tunc per hujusmodi expressiones vult ostendere Spiritus Sanctus, se quidem per illum locutum fuisse, cum sit Scriptura Canonica, sed eum celasse quod ipse esset qui per ipsum loquebatur, unde de Auctore Ecclesiastici, & librorum Machabæorum, & fortè etiam de Evangelio Lucæ, ac Joannis, saltem quoad aliquas eorum partes, ac de aliqua Pauli Epistola, ut quidem suspicantur, non temerè dicitur quod eorum Scriptores nescierunt se scribere verba Dei: De aliis autem id statuendum, quod ex eorum modo dicendi elucet, ubi autem nihil deprehendi potest, tenendum probabilius ob rationes nuper tactas, quod noverunt; quam regulam ex Hieron. deducimus præter ea, quæ jam attulimus. Nam Hieronymus *in Daniel.* c. 8. quia ex illo capite apparet Danielem non habuisse lumen reflexum concludit: *Videbat Visionem, & intelligentiam non habebat*, non ergo omnis qui videt intelligit se videre, sicut si Scripturam Sacram legamus oculis, & corde non intelligamus.

Secundò etiam ad testimonium S. M. N. Teresiæ posset responderi, a locutionibus illis, de quibus ipsa loquitur loc. cit. non posse argui ad eas, de quibus nunc agimus. Illæ enim sunt divinæ locutiones Dei ad Animam mysticè elevatam, eamq; primò perficiunt, nec sunt rigorosè ex suo genere Gratiæ gratis datæ; unde nil mirum, quod intellectum audientem firment, & forment certitudine etiam reflexa; Illę verò, de quibus nunc, ex sua specie non sunt locutiones divinæ ad Prophetas, sed per Prophetas ad alios, ut loquitur Ecclesia in Symbolo, & sunt Gratię gratis datę secundùm Apostolum ad aliorum utilitatem ordinatę, unde non conjunguntur necessariò cum cognitione reflexa. Sed jam satis.

ARTICULUS VIII.

Quænam ex Hæreticis & Catholicis opponantur contra stabilitam Veritatem de Auctore speciali Sacræ Scripturæ.

HÆC disputatio patibulum est ac tormentum inevitabile Hæreticorum, cui propterea per plures articulos insistimus, quia eam rectè concludens effugium omne obstruit Inimicis Ecclesiæ. Si enim Sacra Scriptura est opus specialissimum Dei ad manifestationem infallibilem Veritatis, cum in ipsa damnentur omnes ipsorum errores, evidentissimæ perversitatis convincuntur, qui Deo ipsi dementissima audacia contradicunt, divinæque sententiæ proprium sensum, qui neque sensus est, præferre contendunt, immemores quid eorum Duci acciderit, cum Michael Archangelus unicè non ratione aut sententia, sed quæstione convictum a summis in infima conculcandum dejecit dicens: Quis ut Deus? Si autem Sacra Scriptura non est, ut probatum fuit Verbum proprium, ac specialissimum opus Infallibilis Veritatis, ergo nihil convincunt vel apparenter qui suos errores ex Sacra Scriptura vel ortum habere contendunt, vel nutrimentum. Et hujus quidem dilemmatis vim a longè senserunt obstrepente conscientia. Hinc igitur in varia se se dissiparunt circa rem hanc placita, vel potius monstra & nequissimæ Meretricis consilio, quæ coram Salomone filium non suum sibi gignere per iniquam sententiam postulabat, ut veritatem tollerent, quæ essentialiter una est, dividere se posse somniantes inclamant nec mihi, nec tibi, sed dividatur. Dari itaque verum Dei Verbum scriptum Auctore Deo omnes concedunt, sed conantur dividere, ut sensim totum de medio tollant.

Lutherus Libros Machabęorum, ex quibus damnatur reiicit, & libros Moysi nunc approbat, nunc reprobat, ut in sermone de Moyse & Lege; & Epistolam Jacobi ex qua sentit sibi ignem parari appellat stramineam. Sic enim negata auctoritate Pontificis & infallibilitate in rebus fidei, in qua dumtaxat perversitate semper idem est, Scripturæ pro libito nunc asserens, nunc dividens, nunc tollens divinitatem, totam Catholicam Fidem se sustulisse arbitratur: ut certum jam sit eum, qui ut debet, & Scripturæ Sacræ divinitatem, & consequen-

sequenter in eadem Sacra Scriptura assertam in rebus Fidei Primæ sedis Infallibilitatem defendit, se omne iniquissimi Lutheri, cæterorumque nostri temporis Hæreticorum machinamenta exsufflasse, certò confidat.

Totum novum Testamentum Judæi negant. Totum pariter retento solo Mathæi Evangelio Cerinthus & Ebion; & retento solo Lucæ Cerdon & Marcion, a Dei Verbo reiiciunt. Epistolas Pauli omnes Ebion, Severus, Tatianus & Elcesaitæ, aliquas, nempe quæ ad Timotheum, quæve ad Titum, & ad Hæbreos, Marcion & Basilides damnant, teste Hieron. in Præfat. Epist. ad Titum, & August. de Civ. D. l. 10. c. 22. Evangelium & Apocal. B. Joannis Apost. Algiani negant, ex August. De Hæresib. ad Quod vult Deum n. 30. Totam Scripturam Saraceni excludunt, & Maumethani depravant; Quibus annecti possunt Erasm. & Anomæi, quatenus Scriptores Sacros irrident, & quandoq; oblitos incerta scripsisse contendunt, qui impugnantur ex Epistola 9. Aug. & l. 2. de consensu Evangelistarum c. 12.

Magis insaniunt Carpocrates, Cerdon, & Severus reiicientes explicitè totum vetus Testamentum, sed pejus Manes & Manichæi, ideo illud abhorrentes quod dicunt ab Auctore omnis mali fuisse dictatum, Aug. de Hæresib. ad Quod vult. &c. hæresi 7. 21. & 24. & ad Honoratum de Utilitate credendi c. 2. Et quia error Manes directè pugnat contra Conclusionem placet referre quommodo convictus simul & pertinax infelicissimo exitu deliramenta sua concluserit ut ref. Scalante in suo Clypeo contra Manichæos, & Ludovic. de Tena in sua Isagoge l. pr. diffic. 10. Manes itaque vilissimus Persa dictitans se Spiritum Sanctum esse plures seducebat; Vocatus a Rege ut filium suam sanaret promisit, & propriæ fidens ignorantiæ eam occidit; hinc captus, post aliquos dies è regio carcere dilapsus aufugit, & alio sub Cælo disseminans zizania sua ab Archelao Catholico ad disputationem compulsus est, quæ breviter talis fuit.

Quid sentis Manes de Auctore Veteris Testamenti? Resp. Est Auctor malorum, qui de se ipso convincitur, dicens Deut. 4. Deus tuus ignis consumens est. Replicat Archel: Cujus ergo est Filius ille, qui in novo Testamento Lucæ 12. dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat? Numquid per te hic etiam Deus malus erit? Quidquid sit de igne resp. Manes? Certè Deus Veteris Testamenti malus est, quia mortificat, & vivificat, & quamvis videatur bonum facere, quia vivificat, tamen prius malus est, quia prius mortificat. Cur ergo, inquit Archelaus, Cur Petrum adoras, qui Tabitham suscitavit, & Ananiam ac Saphiram occidit? Si oderis eum, qui mortem causat, cur non eum, qui denique in Finali Judicio vobis dicet: Discedite a me maledicti in ignem æternum: Matth. 25. Si avversaris eum, qui ait: Ego Deus faciens pacem, & creans malum: If. 45. Vide quid dicat Christus Matth. c. 10. Non veni pacem mittere, sed gladium; vel igitur uterque bonus, vel malus uterque. His confusus aufugit, denique tamen jussu Regis captus fuit, occisus & decoriatus, ejusque pellis ad modum utris appensa ante Regis Palatium ad ludibrium, computruit.

Aliorum autem Hæreticorum deliria, sigillatim depellere munus est Controversistæ, quia verò quatenus in hoc conveniunt, ut totius Sacræ Scripturæ Auctorem specialissimum Deum non esse contendunt, Conclusioni opponuntur, toto hoc opere, ex quo planè constabit totam Sacram Scripturam unius esse Veritatis, omnesque ac singulas ejus partes ita invicem cohærere ut pars sine contradictione explicet partem, confutabuntur, ne igitur immaturè alibi perficienda præveniamus supersedemus. Nunc restat Catholicorum Doctorum placitis & argumentis saltem aliquibus, quæ Conclusioni videntur opponi, breviter satisfacere.

Quidquid in Sacra Scriptura reperitur, venerantur omnes Catholici ut infallibilem Veritatem; Quod autem Deus sit specialis ejus Auctor, modo in Conclusione principali exposito, aliqui negant: Bonfrer. in Prolegom. c. 8. sect. 3. Canteprat. l. 8. Hypot. c. 4. Sanch. l. 2. Machab. c. ult., & alii apud P. N. Anton. dub. 2. sup. cit., & P. N. Domin. in Bibliot. loco cit. lib. 3. sect. 1. c. 5. nobiscum asserentes: Nec mirum quod Catholici Auctores id negent, putant enim quod Deus aliomodo res disposuerit, ut Veritas Scripturæ esset infallibilis, quia dicunt ad id satis esse, quod Deus Sacro Scriptori suggerat quod ignorat, impediatque ne erret, taliter assistendo, ut aliquem errorem irrepere sit impossibile, quod præstare potuit, etiamsi Scriptor sua naturali virtute & industria uteretur: In hoc tamen modò dicendi, quidquid conentur, vel recidunt in hoc quod negant, vel id denique dumtaxat concludere possunt, quod videlicet Deus sit causa particularis non erroris, quod in omni propositione vera extra Sacram Scripturam fatendum est, Homines verò sunt Causa specialis omnis Veritatis, & sensuum, qui in Sacra Scriptura continentur, quod an cohæreat cum veneratione, sensuque communi, quo veluti divina locutio divinis ex omni parte scatens Sacramentis Sacra Scriptura a Fidelibus totaque Ecclesia suscipitur, immò & cum ipsius Scripturæ Testimoniis, in quibus disertè asseritur, Deum in ipsa loqui, non apparet, & hæc sanè sufficiens esset hujuscemodi modi dicendi impugnatio; quantùm verò Hæreticis faveat, dum Catholicæ Fidei regulam deprimit, aut denique quommodo verè Catholica sententia dici possit videant ejus Fautores.

Nos sanè asserimus theologico more, non tamquam declarantes, quod ad nos non spectat, nostram Conclusionem esse de Fide, idque probare conati sumus, ut jam non sit locus dubio, ideò nihil obstat instantia, quæ ex opposita opinione obiicitur nempè.

Si talis sententia esset de Fide, deberet esse in terminis in Sacra Scriptura, ejusque oppositum damnatum esset ab Ecclesia, neutrum autem potest ostendi, nam quidquid adducitur in ejus probatione ex Scriptura, potest adaptari etiam oppo-

fito dicendi modo, saltem quoad effectum, nec inveniatur usquam Ecclesiæ condemnatio, quin immò ejus Auctores sunt & habentur ut Catholici, & P. Suarez *de Fide Disput. 5. sect. 3. n. 4.* loquens de opposita sententia inquit, *ut aliqui piè sentiant.*

Ref. dist. ma. deberet esse &c. vel implicitè vel explicitè co. ma. omninò explicitè, & in terminis ne. ma., & hæc distinctio afficit utramque partem majoris, eamq; suggerit Ang. Doctor 22. q. 1. ar. 7. in corp. ubi ostendit, quod ipsi Articuli Fidei in aliquibus primis credibilibus continentur, & tamen sunt verè de Fide, ità ut absque nova condemnatione Ecclesiæ fit & habeatur ut Hæreticus, qui aliquem negaverit ex Articulis Fidei: Nostra autem Conclusio licet sumpta quoad terminos materiales, non sit Articulus Fidei, tamen quoad substantiam & proprium sensum formalem, implicitè, sed explicitè habetur in Articulo Fidei scil. *Qui locutus est per Prophetas*, & in omni loco Scripturæ, ubi sententia ejusdem Articuli, vel iisdem, vel aliis similibus verbis profertur, ut in illo *ad Hebr. primo: Multifarie &c. loquens Deus Patribus in Prophetis*, quod si salva veritate adaptari posset oppositæ sententiæ, nullus locus esset præsenti Disputationi, sed nequit intelligi, qua proprietate dicatur Deus loqui per Prophetas, si dicimus Prophetas loqui per se ipsos, Deo non loquente per ipsos, sed ipsis assistente, ne vel decipiantur vel decipiant: Nec nova requiritur Ecclesiæ condemnatio quoad singulos errores, cum nihil magis damnatum inveniatur in quatuor Conciliis Ecumenicis, quæ tamquam Evangelia habentur, ut statuit D. Gregor. Magn., & etiam in Tridentino habetur, quam id quod opponitur Symbolo Nicenæ Fidei, cujus est ille Articulus: Quod autem oppositę sententiæ Auctores habeantur ut Catholici, hoc ideò est, quia in hoc fortè materialiter erraverunt, idque eorum Opera protestantur, in quibus pro vera Fide insudarunt, sed contra nos hoc nihil facit, qui non Doctores, sed doctrinam libramus. Nec mirum quod pius Doctor P. Suarez pietati id attribuat in aliis, in quod saltem ex modo dicendi etiam ipse prolabitur eo modo alios excusans, quo optaret ipse defendi, ipse tamen, tametsi Vir doctus ęquè, ac pius, nec regula est Fidei, nec Pietatis, sed Ecclesia attendi debet, & PP. ac in primis Sacra Scriptura.

Dices P. Dominic. loco super cit. c. 5. &c. hanc sententiam admittit ut probabilem, ergo ejus oppositum nempe quod nos sentimus non est de Fide.

Resp. Eundem Auctorem ita probasse nostram Sententiam, ut probationes ab eo adductę potius convincant ipsam esse de Fide, quam probabiliorem ut asserit ex modestia, relinquens legenti, ut eam inferat consequentiam, quam suggerit Antecedens.

Adde quod aliquam probabilitatem concedere alteri sententię non est asserere eam esse veram, aut non falsam, aut Fidei non contrariam, quia ut constat multa falsa, ne dum probabilia sunt, sed etiam probabiliora veriss ut autem constet,

A quę sint ejus modi dicendi fundamenta, ea tangemus.

Potest argui primo sic. Zacharias c. 1. ait, inquit Angelus, qui loquebatur in me, clama dicens: *Hæc dicit Dominus*; Angelus ergo loquebatur in Propheta, non Deus, & quidem valde notabile est, quod dicit prius Angelum in ipso loqui, & subdit, quod Angelus ipse dixit ei: *Clama: Hæc dicit Dominus*, si dicit Angelus, quomodo dicit Dominus? Cum igitur dicunt Prophetę: *Hæc dicit Dominus*, salvatur verum eos dicere etiam si aliquis Deo inferior loquatur, scil. Angelus, ergo verum dicent, etiam cum ipsi, Deo jubente, & assistente loquentur, unde per hoc quod passim invenimus in Scriptura: *Hæc dicit Dominus*, non sequitur quod illa propriè sit Dei locutio, quod si illa non est cui

B subnectitur: *Hæc dicit Dominus*; multò minus aliç, quę absolutè proferuntur, dici poterunt locutiones Dei.

Resp. primò. Quod sicut Deus omnes alloquitur per Prophetas, ita Prophetam hunc allocutus fuit per Angelum, sed & quę per Angelum venit ad Prophetam fuit vera locutio Dei, & quę per Prophetam ad alios venit, sicut si Propheta ad Prophetam, & hic ad tertium, isque successivè ad alium loqueretur, semper esset locutio Dei de prima ad ultimam, nihil enim interest, quod varientur materialiter Instrumenta, vel multiplicentur, cum eadem principalis superior Causa illis non indigens, in sua, & virtute, & actione perseverat, cum ergo dicit Zach. quod Angelus in ipso loquebatur, hęc

C eadem narratio est verbum Domini in persona Zacharię sic ennunciantis, & in persona Angeli, qui loquebatur in Zacharia, Dominus dixit: *Clama: Hæc dicit Dominus*, & sic patet ad totam difficultatem, quamvis etiam dici posset, & quidem ad rem non esse eam quæstionem in pręsenti, An quidquid narratur in Scriptura, dictum fuisse, aut factum, totum, dictum, factumque fuerit a Deo, quod planè falsum est, cum in ea narrentur peccata, quę certè Deus non fecit, & aliqua impiorum dicta, quorum ut talium Auctor non fuit Deus, sed an verba illa, quę Scripturam componunt hypoteticè, narrantque ea quę fuerunt, vel quę erunt, sint verba Dei ut specialis eorum Auctoris, quod asserimus, nihil ergo infert objectio, quidquid sit de illa Angeli locutione, quę est materia Sacrę

D Scripturę.

Resp. secundò. Quod cum dicitur *Angelus qui loquebatur in me*, idem est, ac si diceret, *Angelus qui loquebatur ad me*, non verò, qui loquebatur per me; hęc enim est diversitas, quod cum homo alloquitur hominem non dicitur loqui in ipso, quia homo ministrat doctrinam extrinsecus, & mediis sensibus corporeis; Angelus verò dicitur loqui in alio, cum eum alloquitur, quia ejus locutio est per illuminationem intellectualem, & inspirationem. Unde etiam de Deo, quia Spiritus est, dicebat David. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Angelus ergo loquebatur in Zacharia, hoc est ad Zachariam tamquam Dei nuncius, & dicebat: *Clama: Hæc dicit Dominus*, & ea fuit locutio Angeli tamquam Nuncii Dei, & totum

hoc,

hoc, ut in Sacra Scriptura legitur, est dictum a Deo.

Arg. secundò ex lib. 3. Reg. c. 17. ubi ait Elias: Vivit Dominus Deus &c. Si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba. Non dixit: juxta verbum Domini, sed juxta oris mei verba, ergo cum ipse locutus fuisset prius immò, & tunc loqueretur uti Propheta, verba quę proferebat, erant sua non Dei, sibi enim ea attribuebat veraciter, dicebat enim tamquam verè Propheta, nisi juxta oris mei verba, utque eluceat distinctio inter verba Eliæ, & verbum Domini, subdit Scriptura statim: *Et factum est verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc &c.*

Resp. eodem ferè modo, & addendum quod si loquebatur Elias uti Propheta Domini, loquebatur certè ut nuncius Domini, os autem nuncii est os mittentis quoad verba, ea maximè quæ Potestatem designant summam, uti est Virtus patrativa miraculorum: Illa autem distinctio verbi Dei, & verborum Eliæ, nihil convincit, quia ex ipso textu apparet, quod cum loquebatur Elias, erat verbum Dei ad Populum, quod verò subditur, est verbum, hoc est præceptum Dei ad Eliam, utrumque igitur fuit verbum Dei primò Populos Idolatras increpantis, secundò præcipientis Eliæ; immò ut intacta salvetur Veritas Conclusionis sufficit quod tota citata narratio, sive totus iste locus Scripturæ sit propria Dei locutio scripta per Samuelem, vel Hieremiam, vel denique (quicumque ille fuerit) per Scriptorem librorum Regum posteriorum. Scrutari enim omnes peculiares textus Scripturæ non est præsentis indaginis, clara tamen, & vera est etiam prior doctrina. Hæc autem objecimus, non quia hujusmodi textus opponant DD. oppositæ Sententiæ, sed quia difficultatem aliquam præseferre videbantur; Quæ verò sequuntur communia sunt videlicet.

Arg. tertiò; secunda ad Corinth. c. 11. Paulus fatetur se ignarum, & imperitum esse sermonis; ergo peritia sermonis aliquid tribuit Scriptori Sacro; Si enim Deus ipse loqueretur, aut scriberet per illum sicut per Ammanuensem, omnino de materiali esset, quod Scriptor peritus vel non, esset sermonis qui a Deo dictaretur.

Confir. primò nam videtur Hieron. apertè stare per hac sententia ep. 151. ad Algas. q. 10. quatenus docet Paulum se ipsum involuisse, cum græcè loqueretur. Imò epist. præc. ad Edibiam q. 11. dicit de Paulo, quod divinorum sensuum Majestatem digno non poterat græci eloquii manifestare sermone, & propterea Tito utebatur Interprete, ergo signum est, quod Paulus ipse, & non Spiritus Sanctus loquebatur, quandoquidem conatus ipsius non sufficiebat, nisi haberet Interpretem; quo certè Spiritus Sanctus non indiget.

Confirm. secundò ex Glos. ad Hæbr. 1. Aliisq; SS. Interpretibus, qui asserunt Paulum ad Hebræos majori scripsisse facundia, quia propria, hebraica videlicet lingua loquebatur, ergo non Spiritus Sanctus, sed Paulus in suis epistolis loquebatur.

Resp. pr. ex Aug. lib. 4. de Doctr. Christ. c. 7

A verba Apostoli non fuisse confitentis, sed admittentis, ac si diceret: *Fac me imperitum esse sermonis, ut, putant mei obtrectatores, at scientia non sum imperitus*: Ita respondent Doctores communiter in præsenti, quorum aliqui probant Apostolum in Græca excelluisse facundia, aliaque congerunt elogia Paulinę eruditionis, sed quidquid sit de hoc, stat contra ejusmodi objectionem, idem Apost. 2. Chor. c. 13. dicens: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus*! Quid ergo ne sibi contradicat Apostolus, quod est impossibile, intelligi debet, cum se dicit imperitum, & similia, vel loqui in sensu eorum, qui tantum humana sapientes accipiebant verba ejus ut verba hominis, in quod inclinat Aug. vel ita arguendum,
B si Paulus imperitus erat sermonis, & nihilominus Epistolę ejus ut ipse fatetur graves erant, & insignem portendebant sapientiam, atque peritiam, ergo verba ejus erant verba alterius, scil. Dei per ipsum loquentis, ut alio loco, quem dedimus, ipsemet asserit.

Deinde secundò resp. transeat ant. & dist. cons. ergo peritia sermonis aliquid tribuit Scriptori Sacro ex divina dignatione, & de materiali utque aliquid elevabile con. cons. aliquid per se formaliter requisitum, & specialiter influens ne. cons. Dignatur enim Deus se attemperare Scriptoribus Sacris, & utitur eis velut calamo, cujus perfectio, vel imperfectio modalis naturalis apparet in Scriptura, & ita sicut sunt, eos Deus assumit ut instrumenta divinę suę locutionis, ut ait Hieron. l.
C 1. adv. Ruf. c. 4. qui locis in prima confirmatione citatis sibi non contradicit, nam non negat Paulum fuisse instrumentum Spiritus Sancti; per hoc quod se involveret, cum grecè loquebatur: Deus siquidem tunc eam elegit obscuritatem, qua tegeret sensus suos, & sicut usus fuit eloquentia, & nobilitate dicendi Isaię ita & Moysi balbutie, & rusticitate Amos, quod sibi placuit expressit. In loco ad Edibiam S. D. stat pro nobis, quia si asserit quod erant divini sensus, quos Apostolus optabat exprimere, ergo non loquebatur ipse sensus suos, cum sensus hominis scil. verba ipsa formaliter sine humana: Quod suo conatu non sufficiens, uteretur Interprete, hoc ad summum convincit, quod etiam supra cum D. Th. asseruimus, eumdem (sicut & cæteri Scriptores) fuisse instrumentum
D deficiens, itaque Deum disposuisse, ut aliquando Prophetis, & Prædicatoribus suis genera largiretur linguarum, aliquando verò ipsa eorum imperitia uteretur ad cæleste mysterium revelandum. Diversitates enim Gratiarum sunt, idem autem Dominus distribuens singulis prout vult. Ex his patet etiam ad secundam confirm. sicut enim diversis similiter Deus utitur instrumentis, ita diversimode eodem.

Arg. 4. Si Deus esset Auctor specialis Sacræ Scripturæ, Scriptor Sacer nec posset errare, nec indigeret labore ad inveniendum modum disponendi quæ scribit, nec Testes humanos veritatis, quam exponit, adduceret, nec protestaretur se non mentiri, ut patet; si enim Deus est Auctor, qui nec errare, nec laborare potest, nec alieno indiget suæ verita-

veritatis testimonio, nec ipse est ut homo ut possit mentiri, ad quid requirit ista in instrumento, quod opus proprium non operatur, sed divinum? Sed prædicta omnia evenerunt in Sacris Scriptoribus, ergo non Deus, sed ipsi fuere speciales Sacræ Scripturæ Auctores. Mi. quoad primam partem probatur ex lib. 2. Mach. c. ult. ubi S. Scriptor dicit: *In his finem faciam sermonis, & si quidem bene, & ut Historiæ competit, hoc & ipse velim, sin autem minus benè, concedendum est mihi; consimiliter*, & Auctor libri Ecclesiast. *in Prologo* ait: *Hortor itaque & veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ in verborum compositione deficere &c.* ergo ex propria utriusq; Auctoris sententia, uterque potuit errare, immò an de facto erraverit dubitavit. Secunda pars patet ex citato Prol. Ecclesiastici, cujus Auctor fatetur *se multum laborasse &c.* & ex 2. Mach. ubi sic. *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus non facilem laborem, immò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus &c.* nihil clarius. Tertia pars prob. ex principio Lucæ *sicut* (inquit) *tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi, assecuto omnia, a principio &c.* ubi probat veritatem dicendorum per testes humanos de visu, sicut etiam sæpè Jo. in Evan. ut supra examinavimus. Quarta pars habetur ex Ap. 2. *ad Cor. c. 11. Deus scit, quia non mentior, & se non mentiri, ac verum dicere* alibi sæpè testatur, Et Petri ep. prima, c. 1. asseverat *se vidisse Christum, & cum eo fuisse in Monte Sancto*, & similes protestationes passim reperies, in quibus Fidem exigunt tamquam testes de visu, non tamquam Scriptores Sacri, ex divina veracitate.

Resp. ex supradictis passim in hoc capite, satis constare ad argum. omnesque probationes. Dicimus ergo Scriptorem Sacrum non potuisse errare, sed vel antecedenter, vel in principio scriptionis potuisse suspicari, an posset errare; cum nesciret se scribere verba Dei, nam ut supra ostensum est, id non est de ratione substantiali Prophetiæ, ex quo factum est, ut nescientes, prudenter ex amore veritatis cum magno studio, ac labore scribenda procurarent, præpararent, disponerent, testesque Veritatis inquirerent, ac de Veritate protestarentur, ac si tamquam homines scriberent: Immò Deus ipse per illos hæc eadem verba loquebatur, quibus hujusmodi sensus exprimebantur, loquens per ipsos, scil. in persona ipsorum, sicut aliquando per ipsos loquebatur, in persona aliorum, & hoc forte ad innuendum, quod quantum erat ex ipsis, non erant nisi instrumentum deficiens, atque ideo infallibilis Veritas locutionis ipsis non erat attribuenda. Ejusdem autem divinæ dispositionis aliæ etiam rationes congruentes valent adduci. Prima ut humilitatem doceret exercendam eò magis, quò sublimius est Opus, ad quod a Deo elevamur.

Secunda. Ne audeamus nimium, aut præsumamus fidentes in nobis, in Dei famulatu, etiam si potissimum a Deo auxilium sperare debeamus.

Tertia. Ad ostendendam majestatem, & sublimitatem divinæ locutionis, quæ si modo proprio traderetur, esset nobis omnino inattingibilis, ac propterea clamaremus cum Filiis Israel, non loquatur nobis Dominus, sed potius Moyses, ideò eam tradidit modo omninò humano per hujuscemodi humanitates expresso: sicut enim ut habitaret in nobis Dei Verbum, humana carne infinitum velavit splendorem, ita etiam ut supremam nobis infimis manifestaret suaviter veritatem, eam tali operuit humanitate dicendi, ne ejus locutione vel careamus, vel terreamur.

Quarta. Ad meritum Fidei augendum, tum in scribentibus, tum in nobis; si enim taliter nobiscum loqueretur, ut evidenter constaret Deum loqui, ita ut sine humano velamine locutio divina claresceret, nulla esset Fides, quandoquidem simul evidens nobis esset notitia Dei Auctoris supernaturalis. Nulla igitur est difficultas in argumento, sed potius Mysterium, quo magis Conclusio nostra firmatur.

Sed dices hic obiter, contra id quod & in hac responsione, & toto hoc capite asserimus, nempe Sacros Scriptores errare non potuisse. Ex ipsa Scriptura constat quod Petrus erravit cogens Gentiles ad judaizandum, ut constat *ex c. 4. ad Galat. cum in faciem ei restitit Paulus, quia reprehensibilis erat*; potuerunt ergo a fortiori alii etiam errare.

Resp. sapientissimè August. ep. 19. ad Hieron. potuisse Petrum errare (intellige leviter) in opere, sed nec Petrum, nec Paulum, nec quempiam ex Sacris Scriptoribus in scribendo; videatur loc. cit. Aug. Tota enim illa Epistola efficacissima probatio est eorum, quæ toto hoc cap. asseruimus. Brevitati nostræ sufficit indicasse.

Arg. 5. In Scriptura Sacra aliqua reperiuntur, quæ scribentibus erant naturaliter nota, & ad sensum evidentia, sicut cum narrant proprium factum humanum, puta, cum Esdras ea refert, quæ operabatur in Jerusalem ad reparationem sive instaurationem Templi, ac Civitatis, cum Apostolus dicit: *Lucas est mecum solus*, & ipse Lucas in Actis Apostolor. iter proprium describit, & similia, sicut cum proprium describit Sacer Scriptor affectum ut Jo: in epist. ad Electam. *Senior Cajæ Electæ &c. quos ego diligo in Domino: Salutant vos Amici saluta Amicos nominatim &c.* quæ passim occurrunt in Epistolis Canonicis. Sed ad hæc non præstitit Deus nisi aliquam assistentiam ad summum, ne fortè Scriptor erraret, vel modum excederet, ergo &c. probatur mi. si Deus infunderet hujuscemodi dicta, vel peculiari modo se haberet in ordine ad illa, esset superfluum, sicut actum agere, cum ex natura sua nihil habeant per quod excedant captum hominis adhuc Ignari, & Idiotæ, at Deus, & natura nihil facit frustra, & sicut in necessariis non deficit, ita nec in superfluis excedit; quod multo magis in supernaturalibus debet verificari ratione proprii ordinis, qui sicut virium, ita nec excessum patitur in propria sfera, nec defectum, ergo rationabilius asseretur quod quantum ad prædicta Deo quidem assistente, at non loquente, ipse Sacer Scriptor propria depromit;

Resp.

Resp. dist. ma. In Scriptura Sacra aliqua reperiuntur scribentibus naturaliter nota, si considerentur eadem præcisè materialiter co. ma. si sumantur formaliter, ut sunt partes Sacræ Scripturæ ne. ma. & in eodem sensu neg. mi., ad probat. retenta eadem distinctione ne. ant. &c. Ea quæ afferuntur in exemplum possunt, & debent sumi, ut stant sub coordinatione Verbi Dei, & sub fine quem habet Spiritus Sanctus, ac etiam ut contineat in se ipsis aliquem sensum moralis doctrinæ supernaturalis, & ut stant sub relatione ad alia, per quæ divina manifestantur mysteria, ac denique ut divinam præseferunt infallibilitatem, ac auctoritatem, & his certè modis sumpta, clarum est non esse locutiones humanas, sed Spiritus Sancti. Sumpta autem præcisè materialiter, in Sacra Scriptura non considerantur, sed in humanis epistolis, & in Sacro Scriptore materialiter, ac per accidens conjungitur cum divina impressione, naturalis scribendorum notitia, quæ in divinam locutionem non influit principaliter, etiamsi, & audientibus, sive legentibus, ac etiam Scriptoribus ipsis appareat oppositum.

Addit sapienter N. P. Domin. loco sup. citato quod etiam naturaliter nota possunt non fideliter scribi, vel ex oblivione, vel inadvertentia, quia de illis non multum, scribens ipse curare consuevit, vel ex affectu variante phantasmata, aliter apparere scribentibus ac in se fuerunt. Ideo ne quid vel minimum in Sacra Scriptura reperiatur humanæ subjectum labilitati, vel de cujus infallibilitate possit esse suspicio, ac è converso, ne aliquid dicatur infallibile, quod reverà non sit, atque hoc modo (quod sæpè advertit August. locis supra cit., & alibi) totius simul Sacræ Scripturæ infringatur Auctoritas; de necessitate asserendum est etiam similia, quæ ex natura sua poterant alias ab homine recitari, divina tantum in divino Codice locutione depromi, quoquo modo id fiat, secundum ordinatissimam Dei Sapientiam.

Arg. sexto Inficiandum non est magnam notabilemque diversitatem inter ea quæ in Sacra Scriptura exarantur apparere: Aliqua enim sunt supernaturalia ac suprema mysteria, quæ naturæ lumen omnino evadunt; Quædam autem & si naturalia ex suo ordine admodum tamen abscondita, quæ sciri, ac proinde dici ab hominibus non poterant, ut Creatio Mundi, eaque quæ in primis capitibus Geneseos describuntur: Alia verò quæ hominum facta, vitia, virtutes, animique affectiones, quæ vel ex se omninò latent, vel si alias nota, vix traditione cognoscibilia perseverant: Aliqua verò facilia quæ naturæ lumini sine labore pervia ex se se declarantur: atqui Divina Providentia ac Dignatio rerum indigentiæ se se accomodat, ac in numero pondere & mensura; ac proinde cum proportione universa disponit, ergo attenta prædicta diversitate diversimodè etiam elevavit Scribentes ad eorum manifestationem proportionatam, ergo non æqualiter omnia dici debent dicta a Spiritu Sancto, sed ea tantummodo, quæ elevatione indigebant.

Resp. eodem modo ac superiori Argumento: Diversitas siquidem eorum, quæ in Sacra Scriptu-
A ra referuntur, stat sub uno modo, coordinatione, ac fine, unde omnes, quæ in Sacra Scriptura leguntur, sunt locutiones Dei, cujus intelligentia non dependet aut specificatur a diversitate rerum circa quas versatur, aut earum difficultate, vel facilitate quoad manifestari nobis, sed a divina Sapientia; Sacri autem Scriptores non agunt in virtute propria, quæ ex propria limitatione præfatas patitur difficultates, sed in virtute principalis & specialissimi Agentis, a quo principaliter proximè, dicta quæque procedunt: Porrò suavissima Dei providentia in hoc satis elucet, quod propriam locutionem accommodat Audientibus, seu Scriptionem legentibus, immò & rebus ipsis, sed relatè ad Fidem, quam exigit æqualiter de singulis, & universis, quæ homines docere dignatur.

B At dices: Efficacior Virtus requiritur ad elevandum instrumentum debilius, minusque dispositum, quam ad aptius, fortius, magisque dispositum, sed homo ad ea, quæ magis distant attingenda, qualia sunt supernaturalia objecta, ad quæ non habet capacitatem nisi obedientialem, est consequenter minus dispositus, quam ad naturalia, ergo diversimodè debet elevari, ac proinde servanda est aliqua diversitas in Scriptore Sacro, orta a diversitate scribendorum. Et confirm. Nam ad diversos effectus etiam supernaturales, diversæ requiruntur virtutes, ac dissimilia charismata Gratiarum, unde Apost. 1. a Chor. c. 12. *Alii datur Gratia curationum, alii interpretatio sermonum, alii genera linguarum: Numquid omnes Prophetæ, num-*
C *quid omnes Apostoli &c.* ergo etiam ad diversissima mysteria revelanda, diversa exigitur virtus; non igitur eodem semper & pari modo dicetur Deus ipse loqui in Scriptura, per sua instrumenta scilicet Scriptores Sacros.

Resp. valdè notabilè doctrina D. Th. & Thomistarum, qua passim utuntur Patres Nostri cum Complut. cum Salm. quod nimirum hæc est diversitas inter instrumenta Divinæ Virtutis, & instrumenta Virtutis Creatæ, quod in istis requiritur dispositio proportionata ad effectum, in illis non, quia Deus utitur instrumentis ex dignatione, Creatura autem ex indigentia: Ideoque Pictor uti non potest serra ad pingendum, nec Faber penicillo ad scindendum, Deus autem & per Prophetas Sanctos locutus est, & per Columbam super Jordane, cum
D vox de Cælo facta est Dei Patris ad glorificandum Filium suum, & posuit verba in ore Asinæ Balaam, & propheticam revelationem magni Consilii sui in ore nequissimi Cayphæ; quod autem dicitur de potentia obedientiali retorqueri potest, cum enim eadem hæc sit in omni ente, Deo subjecto, ad omne id quod non implicat contradictionem, nullam in subjecto supponit dispositionem ad divinos effectus, nisi fortè negativam secundùm aliquos. Quod verò ad naturalia non detur potentia obedientialis, ex quo videtur non esse elevandum Scriptorem Sacrum ad naturalium narrationem, nihil prodest Adversanti, quia ut dictum est, & si fit narratio rerum naturalium, ea tamen est divina & infallibilis, quæ cum materia non valet commensurari.

Ad

Ad Confirm. clarè constat disparitas, eadem enim est semper secundùm speciem divina locutio, quæ res specificat, non specificatur a rebus, eodemque semper fine regulatur. Gratiæ verò gratis datæ, quas recenset Apostolus loco cit., quia dantur ad utilitatem aliorum juxtà exigentias diversas, quæ sunt in Ecclesia, juxta illas regulantur, & diversificantur saltem materialiter, & ex parte eas recipientium, seu administrantium, & secundum gradus diversos, ita ut non omnes singulis, nec ad eamdem specie indigentiam supplendam dentur, cum quo tamen stat, quod ex parte eas largientis sunt unum & idem formaliter, unde subdit Apost. Hæc autem omnia largitur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Arg. septimò contra Conclusionem, & Doctrinam nuper allatam. Si Deus esset Auctor specialissimus Sacræ Scripturæ totius, & modo dicto esset idem in omnibus libris, omniumque Sacrorum Scriptorum stylus dicendi, & modus sententiarum, divinamque redoleret immutabilitatem. Constat enim quod sicut ex Filio Pater ita ex stylo Orationis Auctor ejus dignoscitur; unde eloquentia Orationis Tullium, Sapiens laconismus Senecam indicat, atqui in Sacra Scriptura singuli libri, singulos Scriptores suos cum conditionibus individualibus, & styli proprietate diversa a libris aliorum, representant sigillatim, ut facilè legens advertet, & distinguit Hier. in Prologis singulorum librorum respectivè, & ad Paulinum, ergo quilibet Scriptor potius dici debet Auctor particularis sui libri, a quo indicatur.

Confirmatur, Evangelistæ, & alii Saeri Scriptores in novo Testamento, cum aliquid de Veteri assumunt, servant ut in plurimum solam veritatem sensus, non tamen verba, vel locutionem primigeniam, ergo non omnia verba Sacræ Scripturæ sunt verba Spiritus Sancti. Ant. est Hieron. ad Cap. 7. Isaiæ, conseq. patet, si enim priora illa verba essent Spiritus Sancti non deberent immutari, ne vel mutabilitas in scribente, vel quædam species correctionis eorum, quæ prius exarata constabant, appareret.

Resp. ne. ma. ex his quæ supra ad 3. argum. responsione secunda attulimus, quæ nunc supponi debent, non iterari, sed insuper advertendum, quod unitas Sacræ Scripturæ attendi debet secundùm veritatem, non secundùm dicendi modum, diversitas enim Operum diversorum Auctorum, qui sunt finiti, & limitati ex modo qui singulis individualis est dignoscitur, quia unicum dumtaxat dicendi modum quisque sibi vindicat, quia limitatur quilibet illorum per illum, cæterum Deus modos omnes in se concludit eminentissimè, unde quovis modo peculiari utatur, is proprius ipsius est, cujus proprii sunt omnes modi ob illimitationem ipsius, ad eorum neutrum coarctatam, solaque infallibili veritate, quæ nulli creato Auctori ut tali convenit, formatam; per veritatem igitur infallibilem distinguitur divina locutio a quavis humana, & eidem quilibet stylus subordinatur.

Adde, quod non in huminis, & persuasibilibus humanæ Sapientiæ Verbis, sed in ostensione Spi- A ritus, & virtutis (ut cum Apostolo loquamur) doctrina ipsius consistit, & sanè mirabilius est, quod unus loquens per tantam varietatem dicendi, eamdem semper invariabilem, & unam concludat veritatem, quam si unico semper stylo procederet, maximè quia dubitari posset, an illa veritas talis appareret ex stylo. Idem est Spiritus, qui locutus est per Prophetas, & per Apostolos, qui ergo in Apostolis fecit, ut omnia in ipsis genera nascerentur linguarum, quid mirum, si in omni lingua, & stylo idem est ipse qui loquitur? propterea inquit Ose. 12. *Ego visiones multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum*, utique ipsis Prophetis, sicut in lingua Petri assimilatus est omnibus linguis audientium: Plura de hac re DD. B Nobis satis &c.

Ad confirmationem con. ant. ne. cons. Ad probat. resp. Hieronymus ep. 101. quod ad Majestatem Dei loquentis spectabat, quod idem non iisdem semper verbis diceretur, sicut idem Auctor pluries enarrans eandem rem, non semper iisdem utitur verbis, sed sensuum veritate servata, verborum, ac flosculorum varietate proludit.

Secundò. Id factum esse, ut ostenderetur, quod non ex alio loco, quem citabat Scriptor, non indigebat venari fidem eorum, quæ scribebat, sed potius quamdam exhibebat sententiæ cohærentiam, quod verè non sufficit in testimonio, cum ut tale in rigore citatur: Hæc autem cohærentia ea est, quam in symbolo vidit Ezechiel, cum apparuit ei Rota una super terram, quæ erat una, & erat C Rota in medio Rotæ, ut explicat ad eam visionem D. Gregorius.

Tertiò. Ad probandam auctoritatem dicentis, qui sicut per plures scribentes multiplici stylo utebatur, ita per multos dicendi modos eandem exprimebat veritatem, quod non contingit in eo, cujus Veritas seu Fides a stylo, & verbis dependet; Calumnia igitur est, si dicatur correctio, illa mutatio materialis, quæ ostendit dominium, & independentiam scribentis a stylo, ubi unitas attenditur Veritatis, cum enim aliquid corrigi contingit, supponitur error, seu deficientia in prioribus verbis, quoad manifestationem veritatis, si ergo eadem veritas utrobique, non est correctio; maximè quia, ut alibi ostendetur, variatio verborum loci, qui citatur, oritur ex varietate translationum, unde D ut plures translationes approbet Spiritus Sanctus, nunc secundùm unam, nunc secundùm alteram loquitur, cum ex Instrumento veteri locum aliquem assumit in novo.

Ultimò argument. *ex cap. ult. Isa.* ubi dicit Deus: *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia*, ergò cum in Sacra Scriptura aliqua inveniantur inutilia, ea certè a Deo dicta non fuerunt, sicut & cum in eadem Sacra Scriptura quædam deprehenduntur, quæ vel non includunt doctrinam, vel non sunt digna, ut ea doceat, aut dicat Summa Dei Majestas, ac Sapientia, ea utique erunt scribentibus hominibus ex omni parte tribuenda, plura autem, quæ hujuscemodi notam patiuntur in præsenti a Doctoribus conglomerantur, & alia, in quotidiana Sacræ Scripturæ lectione passim occur-

currunt, quæ cum nihil inferant, aut concludant, ad divinam doctrinam non spectant. Ab illis verò referendis pro nunc abstinemus, tum quia ex se clara sunt, tum quia alibi (cum de regulis agemus) propriam sedem habent.

Resp. co. ant.; sed oportet videre, quæ nam seu qualia sint hæc utilia, & ad quid utilia: Alia enim sunt utilia mediatè, alia immediatè ad fidem divinorum, aut ad mores componendos; Alia utilia secundùm rem, alia ratione modi insinuandi Veritatem, & ad hoc iterum, vel per sensus occultos, vel per manifestos, vel ratione sui, vel ratione connexorum, vel formaliter in se, vel illativè, vel per cohærentiam, ac connexionem, vel ad integrandam doctrinæ manifestationem, vel etiam per oppositionem, vel per modos alios, ac loca communia procedendo, aut per figuras, ac tropos admodum utiles ad suadendum, ac disponendum animos ad Veritatem: Sub his autem cuilibet, vel modicum quid perito, vel etiam solo non corrupto naturæ lumine utenti, si advertat, certissimè constabit quemlibet, vel minimum totius Sacræ Scripturæ apicem contineri, idque satis est, ne locum habeat objectio. Quod si per inutilia sumantur, quæ minima in se, & humana apparent, hæc sanè magnum quid, ac sublime significant, dum divinam ostendunt benignitatem, & condescendentiam, ad homines, ita ut ad captivandos viles hominum animos, ea tam minima adusque loqui nobiscum dignetur, qui minores omni minimo quod refertur, in conspectu tantæ Majestatis vilescimus. *Ps. 38.* Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens, sicque eximium indicat erga nos parvulos suos amorem, quia non solùm cum Moyse, sed & nobiscum loquitur quasi homo ad amicum suum: sed de his alibi: Pro nunc dicamus cum Bernardo, *quantò pro me vilior, tantò mihi carior*, & ubi locum habeat in præsenti, ad abundantiam, proportione servata, cum D. Leone; Tantò ab hominibus magis honorandus est, quantò & pro hominibus, quæ Deo non apparent digna, suscepit, quod intelligendum est per comparationem ad infinitam Dei sublimitatem, & majestatem ut talem, si enim infinitam ejus, & Bonitatem, & Sapientiam, quæ ad universa se extendit & maxima, & minima, nulla Deo docente indigna sunt in Scripturis, sed id valdè homine adeo dilecto indignum, ut eadem ipsi obiiciat. Pro uberiori responsione videatur Hieron. in Proœm. epist. ad Philem., & Aug. l. 16. de C. D. c. 2., cæteraque in præf. c. a nobis assumpta huic argumento solvendo congruè aptabilia.

Ulterius denique obiicit contra præcipuam Conclusionem Scalant: in suo Clypeo in præsenti quæstione, plures apparentes repugnantias inter vetus, & novum Instrumentum, quibus videtur posse probari, vel alterius, vel utriusque Deum non fuisse specialem Auctorem, quippe qui sibi nequit contradicere, ut nec mentiri, nec a se dissidere, cum ipse sit summa Veritas, ipsaque Veritas semper sit una; At similis objectio, cum de Regulis agemus, evanescet, & ubi reviviscat, alibi manifestè impugnata succumbet. Ideò ne vel universa confundantur, vel plura plures cum studiosorum fastidio contra D. Th. præceptum in Prologo primæ partis, quem assumpsimus initio operis hujus, sæpè repetantur, pro nunc sistimus.

Plura autem quærunt hoc loco ad materiæ præsentis complementum DD. Isagogici, ut puta, an Deus aliquid immediatè per se ipsum scripserit, an saltem Tabulas Legis: An Christus, an Beatiss. Virgo propria manu aliquid exararint, & similia: At quia parum hæc intersunt ad intentum nostrum, & luculenter a P. N. Antonio Præl. pr., & etiam a P. Cherubino, cæterisque pertractantur, quibus subscribere nobis gloriosum est, ad eos Lectorem remittimus, sicut & ad P. M. Jos. M. Turri, qui breviter, & dilucidè plura huc spectantia ex præd. DD. resolvit. Hoc tamen nobis obiter observandum, nè miretur Lector, si præter morem, prolixè, diùque morati sumus in hac quæstione; hanc enim totum ferè negotium hujus operis esse arbitramur, ut profundè rem considerans deprehendet, ubi enim perfectè conclusum maneat Sacram Scripturam esse specialissimum Opus Dei, immediatum, immediatione Causæ principalis, propriamque Dei locutionem, hæreses errorésque conticescunt universi, unde ad eam magis statuendam non pigebit sub diversis terminis eandem ipsam pertractare, cum de Sacræ Scripturæ notis agemus.

ARTICULUS IX. ET ULTIMUS.

De Nomine seu Nominibus specialissimi Auctoris Sacræ Scripturæ.

Operæ pretium est nomen Auctoris, a quo & pondus & fidem, & nomen ipsum sortitur Auctoritas. Totius planè Operis Elenchus est nomen Scribentis, non enim aliud lumen continet volumen, nisi quod ille dedit, nec aliud ille dedit, nisi & quod ipse habuit, & qualis ipse habetur. Adulterinum sapit partus, cujus absconditur Pater, & amittit gratiam veritas, quæ suum non prodit Assertorem, dum enim latet in tenebris Pater, etiam luci expositus, ad lucem non venit Filius.

Jam ostendimus, quis proprius specialis, legitimusque Sacræ totius Scripturæ sit Auctor, qui se, se propria manu subscripsit. Ego Dominus docens te: Isaiæ c. 48. & quidem. In tanti Auctoris infallibilem veracissimam infinitam auctoritatem omni scientia certior tota resolvitur Theologica Fides, at quia eo ipso quod tantus sit, immò & talis Auctor, infinities superans quidquid tantum aut nosci aut dici potest, ideo ineffabile est nomen ejus. Quid ergo? Numquid quia summa & impertransibilis est auctoritas Scripturarum, cæteris, quæ inferiora sunt voluminibus in eo deterior erit, quod illa propriorum Auctorum nominibus coronantur, hæc autem quæ omnem manifestat & Sapientiam & Veritatem, proprii summique nomen ignoret Auctoris? Hinc ne hoc concedamus, conemur incomprehensibilis ineffabilis Scripturarum Auctoris nomen venari, idque saltem concludere licebit,

propriissimum ejus Nomen esse, quod super omne cognoscibile, unus appellatur adæquatè Innominabilis.

Quæres igitur primo, Utrum aliquod Nomen Deo conveniat? Videtur enim quoad hoc & Scriptura Scripturæ, & PP. sibi met contradicere: Prov. 30. ait Salom. quod nomen ejus, & quod nomen Filii ejus si nosti? & paulò post resp. quasi asserens id impossibile: *Stultissimus sum Virorum*. *Ego sum qui sum, hoc dices* ait Deus Moysi: *Hoc est nomen meum, & Exod. 15. Quasi vir Pugnator omnipotens nomen ejus*; & passim in Psalmis totaque Scriptura occurrit sermo de Dei nomine, sicut ex eadem Scriptura & innominabilis habetur & nominabilis. Item Dionis. 1. c. de Divin. Nominib. neque nomen ejus est, neque opinio, & nihilominus toto illo Opere idem Dionis. plura B affert & effert Nomina, quæ propriè Deo soli conveniunt, idem reperies apud alios Patres.

Sed expeditè resp. Angel. Doctor p. p. q. 13. ar. pr. & seq. eodem modo Deum esse nominabilem quommodo & cognoscibilem; Voces enim sunt signa cognitionis sive rerum prout & quatenus cognoscuntur, ideo quia Deum prout est in se directè in via hac nequimus videre, nec cum possumus adæquato nomine prout est significare, quod intendit tum Scriptura cum Dionis., cum Deum asserunt innominabilem, quia verò Creaturas, earumque perfectiones, quæ Dei dimanationes quædam sunt, videmus, per ipsas retrogredientes, immò & supergredientes ad Fontem, sicut ex eis discimus fontalem Dei perfectionem, C quæ summa est, ita & eam prout cognoscimus nominamus, ita ut per nomina formaliter eam non adæquemus, sed potius per illud superius quod involvitur sicut in cognitione, ita & in nomine, quod superius cognoscimus esse impertransibile, immò & inattingibile pro hoc statu, & secundum hoc, nomen Dei seu nomina positivè Deo attribuimus. Sicque facile & Scriptura Scripturæ & PP. Patrib. ac singuli sibi ipsis conciliantur, & quod præcedenti numero dictum est in veritate concluditur.

Quæres secundò An aliqua nomina Deo conveniant propriè, an omnia & singula tantum metaphoricè, cum enim ut dictum est, a Creaturis illa discimus, videntur singula nomina, quæ Deo tribuuntur, a Creaturis fuisse translata, D ideòq; metaphorica. Sed resp. Ambr. l. pr. de Fide: *Sunt quædam nomina, quæ evidenter proprietatem Divinitatis ostendunt, & quædam quæ perspicuam Divinæ Majestatis exprimunt Veritatem, alia verò, quæ translativè per similitudinem de Deo dicuntur*. Explicat autem D. Angelicus art. 2. loco cit. quommodo dentur nomina, quæ Deo propriè conveniant, quia videlicet id quod ex Creaturis cognoscimus in Deo esse, cognoscimus pariter non a Creaturis transferri in Deum, sed potius & per prius in Deo propriè & simpliciter ac perfectissimè reperiri, & inde ad Creaturas dimanare, unde nomina, hujusmodi perfectiones significantia magis propria Dei sunt, quam Creaturarum, a quas cum nominatis perfectionibus derivantur. At quia A ita nominantur, ut cognoscuntur res nominatæ, & modus ipse illas cognoscendi est finitus & limitatus, atq; a Creaturarum cognitione quoad nos dependens, ideo quoad modum istum prius conveniunt Creaturis, quàm Deo, cum habeant modum significandi, qui competit Creaturis. In nominibus tamen magis attenditur substantia significationis, quàm modus, unde similia nomina simpliciter propriè Deo conveniunt.

Quæres tertio An inter nomina, quæ Deo attribuuntur propriè; & de quibus infra agemus saltem recensendo, aliqua sint, quæ etiam de Angelis cum eadem proprietate dicantur. Ratiò verò dubitandi (præter plures quas videre est apud Doctores, quæ tamen ad hanc unicam reducuntur) est quia in Veteri Testamento juxta communiorem sententiam, quam refert & defendit N. P. Cherub. loco mox citando, Deus non per se ipsum loquebatur ad homines, sed per Angelos, qui tamen se Deum dicebant, ut cum ex Rubo loquebatur Angelus ad Moysen sibi attribuit nomen Dei propriissimum dicens: *Ego sum qui sum, hac dices, qui est misit me ad vos: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac &c.* immò in omnibus se gerebant, ac si essent personaliter Deus ipse, ne dum nomen Dei sibi attribuentes sed & adorationem latriæ ac sacrificia sibi oblata acceptantes, idque non modicam, quæ plures torsit, præsefert difficultatem, quam libenter, si ad institutum nostrum spectaret, qui tantummodò prælibamus, prosequeremur.

Responderi potest ex Gregor. Hom. 34. in Evang. quod sicut nomen Angeli est nomen Officii non naturæ, ita & nomina divina, quæ illis attributa sunt, non quidem eorum naturam, sed officia, in quibus Deum ipsum repræsentabant, exprimebant. Secundò ex eodem Greg. Bernardo in Festo S. Michaelis, cæterisque Patribus, Nomina Dei propria, Angelis quidem attribui, sed eadem Deo conveniunt substantivè, Angelis verò muneraliter, accidentaliter, & participativè. Unde & frequenter divinitatem asserunt, sed in obliquo cum de Angelis dicuntur, ut cum dicitur Gabriel Fortitudo Dei, Raphael Medicina Dei &c.

At non propterea omninò evacuatur difficultas, ut clarum est, quia revera Angelus in Rubo id dixit de se ipso, quod Divinitatis plenitudinem significat, & est Deo soli propriissimum, prout est unicum esse a quo omne esse. Nec refert quod tamquam Legatus censebatur stare pro Rege, nam Legatum etsi repræsentare sciamus Personam Regis, scimus tamen Regem non esse, nec Regem dicimus simpliciter, nec ipse se talem dicit, quia revera talis non est, & quamvis concederemus, quod tamen falsum est quoad omnia extrinseca, Legatum esse ipsum Regem, non tamen quoad substantialia concedi potest, aliter diceretur, quod Rex delegavit se ipsum, seque misit, quod neque de Divinis Personis dici potest, quod eadem nempe Persona se ipsam mittat, cum in hoc ipso designetur origo, quæ intelligi nequit, nisi cum pluralitate Personarum, ergo vel falsum est contra communem sensum, quod Angelus ex Rubo loquaretur,

retur, vel substantiale nomen propriissimum Divinitatis & Deo simpliciter & Angelo æqualiter convenit. Implicat enim quod detur inæqualitas in convenientia hujus Nominis, Ego sum qui sum, &c. cum purissimam explicet plenitudinem essendi, quæ immò excludit absolutam pluralitatem.

Insudant non modicum Doctores in hac difficultate, & eruditissimus P. N. Cherub. Vol. 3. P. 2. dissert. 11. Disput. unica, Art. 2. sect. 3. parag. 5. fatetur se per plures annos suspensum fuisse pro sincera ejusdem difficultatis & loci intelligentia ac enodatione, quæ tamen pluris interest, cum in ea Hæretici admodum fidant. Nos autem, quibus nec nimis diffundi, nec insolutum quid licet dimittere, breviter respondemus hanc esse diversitatem inter Legatum Dei, & Legatum Hominis, seu Regis, quod iste non loquitur realiter, immò nec potest loqui in suo Legato, ita ut verificetur realiter verba Legati esse verba Regis; moraliter enim tantum & ex fictione humana Legatus stat loco Regis, unde nequit dicere Ego sum realiter Rex, esse meum est esse ipsius Regis, sive est esse Regem, quia tales locutiones realitatem non moralitatem concernunt. Legatus verò Dei locutionem Dei loquitur, quia ipse Deus simpliciter & realiter suo loquitur in Legato principaliter, unde sicut Deus in se ipso, & per se ipsum dicere potest, Ego sum qui sum, ita eum intimè & realiter loquitur in alio, quia semper substantialiter idem est qui loquitur Deus: Ita docet August. *l. contra Adamant. c. 9.* dicens: *Sicut Verbum Dei, quod est Christus in Propheta loquitur veritatem, sic & in Angelo ipso loquitur, dum veritatem Angelus ipse nunciat; & rectè dicitur: Deus dixit, Deus apparuit, & idem rectè Angelus dixit, Angelus apparuit cum illud dicatur ex Persona inhabitantis Dei, hoc ex Persona servientis Creaturæ.*

Ita & Gregor. apud Cherub. loco cit. pag. 81. *Cum erga loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.*

Ex quibus apertè patet nullum nomen expressivum substantiæ sive essentiæ, æqualiter Angelo secundum esse suum considerato, ac Deo pariter in linea essendi convenire, & insuper quidquid supra toto præs. cap. asseruimus & probavimus de Divina locutione Dei propriissima in tota Sacra Scriptura remanet stabiliter confirmatum &c.

SECUNDA PARS ARTICULI.

In qua de pluribus, quæ Deo conveniunt, Nominibus specialiter agitur.

Expeditis iis, quæ in limine Articuli obviabant difficultatibus, jam tutò procedimus ad Dei nomina, prout brevitati nostræ conceditur, investiganda. Notamus autem nos in potissimum insistere, quæ doctissimus Hebraici idiomatis, ac Mysteriorum Mosaycorum scribit Galatinus, quidquid enim alii conati sunt, vel denique haustum ex eodem Auctore, vel ad ipsum proximè accedere comperimus. Qui plura voluerit, adeat

A Eruditissimum P. N. Cherubinum loco proximè citato, ubi quidquid alii sparsim dixerunt, quidquid curiositas Scientium hebraicas litteras desiderare potest per paginas 200. luculenter effundit. Nec propterea summum Mysticæ Theologiæ ac divinorum Nominum Magistrum Dionisium Areopagitam inobservatum dimittat; toto siquidem Opere de Divinis Nominibus sublimissimo quodam stylo plura Dei Nomina verè Divinus proponit, ea videlicet quæ nos rudi minerva, sed ad communem intelligentiam aptiori, ex Galatino tractamus.

Unicum Nomen, illudque planè ineffabile, divinam significans substantiam supersubstantialem ab humano intelligendi modo, infinito remotam in-
B tervallo, quod Creaturis incommunicabile summam indicat plenitudinem essendi, a Judæis dictum Nomen quadrilitterum, a Græcis Tetragrammaton, a Latinis interpretatum, Ego sum qui sum, hebraicè verò Jeoha, communi Doctorum calculo comprobatum singulare reperimus. At quia illud impronunciabile secundum suam plenitudinem ac propriam significationem propriis latebat in notis, ideò alia ex eo nomina divinas quasdam proprietates, perfectionesque per Creaturarum respectum aliqualiter cognoscibiles Judæi derivarunt. Inter quæ primum magis notum significans divinitatem, essendique derivationem est Nomen El, in singulari El: Elohim in plurali. Ne verò quis obiiciat; si hoc nomen habet plurale, ergo non significat Deum, qui est essentialiter singularis, qui ait
C in Deutor. passim, Deus tuus Deus unus est. Galatinus l. 2. c. pr. & N. P. Cherub. cum ingenti Doctorum choorte loco citato ostendunt in hoc innui sublime Mysterium. Nam ex hoc ipso validum consurgit argumentum ad convincendum Judæos de Sanctissimæ Mysterio Trinitatis; non quidem ex hoc præcisè, quod grammaticaliter hujusmodi nomen plurale habeat utcumque, & quasi speculativè, sed attenta praxi & usu ejusdem in scripturis. Ut enim accuratè observat Galatin. Elohim & si plurale sit, conjungitur tamen cum verbo numeri singularis, ubicumque stat pro Deo vero. Unde in pr. Gen. cap. dicitur: *In principio creavit Dii seu Elohim Cælum & Terram*: Nam ubi nostra tam Græca quam Latina editio habet, *Deus*, Hebraica Veritas *Dii* dicit, & hoc est Mysterium:
D Quia enim Opera Trinitatis ad extrà indivisè sunt a tota Trinitate, ideò Moys. ad insinuandum omnes tres Personas ad Mundi creationem concurrisse *Elohim*, hoc est *Dii* in plurali dixit, & non El, vel Eloham quod est Deus unus in singulari & substantivè & adjectivè: ad ostendendum verò tres Personas essentialiter non distingui, sed idem omninò esse quoad esse hoc est unum Deum substantivè, non tres eodem modo Deos, dixit *Barà* idest *creavit*, non *Bareu*, scilicet *creaverunt*. Idque contra modernos Judæos, ex antiquis eorum documentis probat Galatin. notans, quod si aliquando fortè Dii etiam pro Deo vero sine verbo singularis numeri ponitur, statim additur aliquid indicans unitatem, ut Gen. c. 11. *Venite descendamus & confundamus ibi linguas eorum*; statim addi-

Dices ex hoc sequi, quod nullum sensum eorum, quæ scribunt, cognoscant Sacri Scriptores, nec litteralem scilicet, nec mysticum, talis enim cognitio non est necessaria, ut proferant, quæ dicit Deus, unde Caiphas verè prophetavit, & nescivit, quid diceret; certè si assumitur Propheta ut instrumentum deficiens, ubi etiam totaliter in se deficiat (negativè non privativè) non recedet a ratione talis instrumenti; hoc autem favere videtur Montano, & Priscillæ, & insuper non est universaliter verum, ait enim David *Ps. 50. Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, & Daniel. *cap. 9. Intelligentia opus est in Prophetia*, & confirmatur. Hieremias jussus prophetare, se inhabilem dicebat, quia junior erat, ex quo apparet requiri in Propheta maturam cognitionem eorum, quæ per ipsos profert: Spiritus Sanctus, & Isaias conquerebatur se immunda labia habere, ut purgaretur ad prophetandum, si autem munda labia requiruntur, multò magis necessaria erit puritas mentis, & cognitionis, ad quam, & per quam fit interna, & externa locutio, ex quibus etiam sequitur falsum esse quod assumatur Propheta ut instrumentum deficiens, si enim hoc esset non conquererentur consequenter Prophetæ præfati de illis defectibus.

Resp. primò neg. seq. universaliter, ad probationem dicimus non esse quidem necessarium ad substantiam Prophetiæ, quod Prophetans cognoscat id quod prophetat formaliter, ut accidit in Caipha, de quo alibi Deo dante differemus, nec necessarium est ut cognoscat omnes sensus, quod enim aliquando hoc contigerit (& si fieri possit) non dicit Scriptura; quid ergo? *Divisiones gratiarum sunt*, ait Apostolus, *Idem autem Spiritus dividens singulis prout vult*, quod si dividit, non igitur totum datum, nisi Christo, cui non est datus Spiritus ad mensuram, nec ejus humano intellectu usus est Spiritus Sanctus tanquam Instrumento deficienti, cum esset comprehensor: Dantur itaque diversi gradus Prophetiæ, quos novit solus ille, qui dat, at quia quilibet ex his gradibus semper est inferior plenitudine cognitionis soli Christo reservata, ideo semper viget inconcussa propositio Angelici Doctoris, quod Propheta assumitur ut Instrumentum deficiens, ut evidens est. Nec sequitur ex eo quod prius dicebamus, nos favere Priscillæ, & Montano, illi enim asserebant Prophetas velut arreptitios, ac ebrios seu mentecaptos semper prophetasse, quod falsissimum est: Ipse enim Caiphas, qui infimum habuit gradum Prophetiæ expedita mente loquebatur, at quia in ejus verbis latebat sensus, quem nesciebat latere, ideò dicitur nescisse quid diceret. Loquebatur tamen mentis compos, qui politicè consulebat, licet iniquè, mortem Innocentis. Ad confir., & cætera exempla patet. Non mirum quod Deus revelaverit David occulta aliqua Sapientiæ suæ, quem fecerat virum juxtà cor suum, sed nec omnia dicit sibi revelata, nec utcumque id necessarium asserit ad prophetandum. David figura erat Christi, ejusque radix, ejusque Incarnationis, & consummatæ Redemptionis mysteria prænunciare debebat, sicut & Isaias, & Jere-

A mias, ejusque Præcursor Joannes, non igitur præcisè ob Prophetiam, sed ob dignitatem Mysteriorum, & ob majorem accessum, quo prædicti appropinquabant Christo, qui est Finis Legis, summaque Dei Sapientia, decebat eos sic illustrari, ut multò plures sensus eorum, quę prophetabant attingerent, quam cęteri Prophetæ, qui magis a longè Christum prævidebant, ac prædicebant.

Inquit Gabriel Danieli, intelligentia opus est in Prophetia, quod de perfecta sine ambiguitate conceditur; quod verò talis intelligentia esse debeat omnium sensuum, nec verum est, nec umquam ex Scriptura, vel ratione probabitur. Cum autem de his singulis alibi sit discurrendum, sufficit ea pro nunc sic breviter delibasse.

B

ARTICULUS VII.

An Sacri Scriptores sciant se scribere Verba Dei.

RESp. ex D. Th. loco citato non posse universaliter affirmari, cum non sit de ratione formali Prophetiæ. Patet Conclusio ex dictis in p. p. hujus Articuli, quæ brevissimè possunt præsenti asserto applicari. Probatur itaque: Nam Propheta a Deo assumitur tamquam Instrumentum deficiens, ergo cum deficere nequeat quoad Veritatis manifestationem, ut probatum est supra, quoad hoc saltem defectus ejus apparebit, quod nempe non semper reflexè cognoscat se scribere verba

C Dei.

Dices primo hoc saltem poterit cognoscere, quod propria verba ipsius scribentis non sunt, ergo cognoscet, quod sunt verba Dei: Ant. patet, cum enim intellectus sit potentia spiritualis, quæ non est organo affixa, proprium ejus est reflectere supra se ipsum, cognoscendo se cognoscere, hoc est se mentaliter loqui, hinc probatur conseq., si enim cognoscit se mentaliter loqui cum loquitur, eadem ratione facilius cognoscit se non loqui, ergo cum sciat a se non procedere verba, ex hoc certò inferet, ergo verba, quę sunt in me sunt Dei, solus siquidem Deus intra terminos rei spiritualis habet activitatem.

Resp. posse quidem, sed non est necesse, quod semper reflexè id cognoscat etiam negativè, tum

D quia constat experientia, quod non semper cognoscens objectum aliquod regreditur intellectus ad cognitionem suę cognitionis, & multò minus ad discernendum ejusdem authorem immediatum. Tum quia quod Deus loquatur per hominem in nostro casu, est objectum supernaturale, ad cujus attingentiam requiritur proportionata elevatio de ordine Gratię, quę liberè a Deo confertur. Immò hoc ipsum, quod homo loquatur, & non verba sua, idipsum est, ac quod homo loquatur verba Dei, ex allata ratione in objectione, illaque negatio ex natura negationis nequit in se attingi, sed in positivo in quo fundatur, quod in nostro casu est quod Deus in homine loquatur, ex quo cognoscitur hominem non loqui verba propria hominis. Quod autem intellectus ex natura sua sit refle-

reflexivus tantum probat quod possit, quando ex supernaturalitate objecti non requiruntur ad hoc novæ vires Gratiæ, quod autem hoc semper de facto præstet etiam in naturalibus negatur.

Probatur secundò pariter ex doctrina ejusdem Angelici loco citato. Prophetica revelatio fit Prophetæ transitivè, idest non propter ipsum, sed propter Ecclesiam, cum sit gratia gratis data: ac propterea ex natura sua non importat lumen reflexum, quod sicut naturaliter est regressus ad suum principium, ita est ad perfectionem subjecti, non aliorum, sed solum directum, quod quantum est ex se potest esse ad perfectionem aliorum, unde sicut docens, quia tendit ad perficiendum discipulum, non cognoscit se cognoscere, sed objecti communicat cognitionem, ita & lumen propheticum proportione servata, quod datur non ut consideret se ipsum, sed ut aliis manifestet veritatem. Insuper ex eodem Angelico non datur per modum habitus, sed per modum dispositionis transeuntis; Unde sicut ob eamdem rationem D. Paulus in raptu vidit quidem Deum, sed non potuit arcana illa, quæ vidit referre, immò nec scivit, an intra an extra corpus tunc fuerit, quia videlicet revelatio illa, cum esset transiens, non revelavit clarè se ipsam nec modum, quo habita fuit, ideoque subdidit, arcana verba quæ non licet homini loqui; ita non est necesse, quod revelatio prophetica revelet se ipsam, maximè quia quando est, statim præsens est, unde intellectus non trahit ipsam tamquam objectum, quod cognoscat, sed per ipsam potius statim cognoscit objectum ipsius, nec talem habet claritatem, ut ex super affluentia luminis distinctè manifestet, & ostendat se ipsam, cognoscenti per ipsam.

Probant alii ex illo Apostoli 1. ad Corinth. c. 7. ubi dicit: Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam. Quia si tantùm putavit, non potest dici, quod sciret, vel certò cognosceret se habere Spiritum Dei: sincerè siquidem semper Apostolus fassus est veritatem, unde incipiens narrare raptum suum dixit: Deus scit, quia non mentior, si igitur ipse cognosceret se dicere Verba Dei, ut aliquando alibi dixit, etiam nunc idipsum testaretur, nec diceret puto, sed scio.

At nos consultò rationem hanc duximus prætereundam, quia falsò supponit, ac si videlicet cum dixit puto, Paulus ipse loqueretur, non Spiritus Sanctus in persona illius. Dices ergo Spiritus Sanctus in persona Pauli dubitavit. Resp. ne. conseq. quia ly puto non fuit dubitantis, sed potius figurata locutio asserentis, & certissimè supponentis se Spiritum Dei habere, ut sun loco ex D. Th. & PP. ostendemus. Maneat ergo etiam absque recursu ad hujusmodi probationem non posse universaliter affirmari, quod Sacri Scriptores scirent se scribere Verba Dei, cum hoc non sit de ratione intrinseca Prophetiæ, sed potius oppositum, ubi nudè sumitur Prophetia.

Sed quamvis hæc verissima sint, non negat tamen Doctor Angelicus, nec nos cum ipso, quandoque ubi Deus sic disponat, innotescere Prophetis, quod Deus est, qui loquitur ea, quæ ipsi pro- A ferunt; sic innotuit David, cum ait 2. *Reg.* 23. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*, & alibi sæpè testificantur idipsum Prophetæ, cum dicunt, *hæc dicit Dominus*, *Dominus locutus est*, quod sive cognoscant, vel cognoverint in actu ipso locutionis, sive ante, sive post, ordinatur a Deo ad roborandam fidem credentium potius quam ad perficiendum intellectum Prophetantium, ideoque & si non sit de ratione Prophetiæ, non tamen negandum est Scriptoribus Canonicis regulariter a Deo concessum.

Dices: hæc ipsissima verba David, Spiritus Domini locutus est per me &c. ac similia aliorum Prophetarum sunt verba, & locutiones Dei, ergo ex his non deducitur, quod David aliique Prophetæ cognoverint Deum loqui per ipsos, sed tantum B infertur Deum per illos dixisse de se ipso reflexè, quod ipse loquebatur per Prophetas.

Resp. dist. ant. sunt locutiones Dei in persona propria loquentis ne. ant. sunt verba, & locutiones Dei loquentis in persona David, & Prophetarum co. ant. & ne. conseq. In persona enim David loquens Spiritus Sanctus non dixisset Spiritus Domini &c. nisi esset verum, & cognitum a David (& idem dic de aliis) sic enim personam David assumpsit utique verum dicentis, ideoque & cognoscentis ita esse, ut dicebat, quod bene notandum est tamquam Regula ad intelligendum, quæ Spiritus Sanctus in persona dicit aliorum in Scripturis, unde & cum in persona David pænitentis locutus est Ps. 50. ait: Quoniam iniquitaC tem meam ego cognosco, & peccatum meum &c. quia cum in persona alicujus loquitur assumit circumstantias ejusdem, ac si idem ipse, cujus persona geritur, ex propriis loqueretur.

Objicies secundò contra id quod diximus non esse universaliter verum, quod Propheta cognoscat semper, se loqui verba Dei, licet aliquando, & ferè semper in Scriptoribus Canonicis ita contigerit: est de natura divinæ locutionis ut se prius qualis sit ostendat ei in quo primo fit, ergo semper &c. Patet conseq., ant. probatur claro testimonio Seraphicæ Matris nostræ, ac Magistrę a Deo edoctę; Ipsa enim frequenter asserit hanc esse notam divinæ veræ locutionis in Anima, aut etiam Visionis supernaturalis, quod summa certitudine Anima, divina patiens scit illud esse opus Dei, ita D ut nulli in contrarium persuasioni cedat, aut credat se posse cedere, firmiusque huic hæreat veritati, quam si eam per sensum accepisset, quia hic falli potest, non verò hac in reflexa cognitione intellectus. Ita Sapientissima Teresia in vita sua a c. 25. & deinceps, & Mans. 6. c. 9. & alibi sæpè in Seraphicis ejusdem Scriptis offendes.

Resp. juxtà intelligentiam fidissimi Interpretis sensuum S. M. Nostræ Teresiæ Patris N. Balthassaris Theologiæ Mysticæ Doctoris ad c. 3. Mans. 6. Reflex. 5. ubi distinguit cum D. Th., cæterisque Mysticis Doctoribus, hujusmodi locutiones divinas inter omninò perfectas in proprio genere, & imperfectas; De primis intelligitur dictum Seraphicæ Virginis, non de secundis, si igitur datur locus distinctionis prędictæ, quia cum hujusmodi,

cælestes Communicationes, & Gratiæ sint, & ex sola divina liberalitate liberè proveniant, jam debet admitti, quod non semper perfectæ donantur, & consequenter quod non semper eadem eas concomitatur certitudo reflexa, sicque nobis non opponitur sententia S. M. N., quin potius suffragatur quoad hanc partem, nempe quod de Scriptoribus Sacris videtur asserendum, quod reflexè cognoverint se scribere verba Dei: Eadem siquidem est ratio de illis, ac de elevatis per Mysticam Theologiam ad eas locutiones, quas describit Seraphica Doctrix; quod nempe, quia illud lumen perfectum est, sicut alia a se, ita prius ostendit se ipsum; sicut ardens lucerna, ita cætera quæ circumstat illustrat, ut tamen ipsa per se visibilior non possit abscondi; & certè propheticum sermonem, lucernam appellat Apostolorum Princeps ep. 1. c. 2. unde cum ejus essentia sit, esse Dei, & a Deo specialissimè, nequit adesse, nisi simul videatur quod est a Deo, quia perfectum est in se, & diffusivum sui. Tum etiam quia cum Sacri Scriptores ad illud munus eligantur in Ecclesia tam sublime, ut ratio quantumvis perfecta ad ipsum non valeat nisi per modum instrumenti, non videtur credibile quod Deus illis tam insigne Donum, & largiatur simul, & abscondat idipsum, ne ab habente sciatur. Cum hoc tamen stat, quod Deus aliquando id cælaverit ob fines, quos ipse novit, & nos venerari decet potius quam scrutari: Certè non omnes sicut Moysen facie ad faciem allocutus est Deus: Non omnes rapti ad Cœlum sicut Paulus, aut fluenta Evangelii de Dominici pectoris fonte potarunt, ut Jo., ita nec omnes noverunt se Spiritu Dei loqui, ut David loco suprà citato, aliique plures ex quorum libris id colligitur: Hoc autem probabilius statuendum videtur, quod paucissimi id ignorarunt, & hac regula prudenter uti possumus ex ipsa Scriptura. Quando aliquis ex Sacris Scriptoribus, vel propriæ diligentiæ, ac labori, aut traditioni humanæ videtur attribuere certitudinem, ac veritatem eorum, quæ scribit, tunc per hujusmodi expressiones vult ostendere Spiritus Sanctus, se quidem per illum locutum fuisse, cum sit Scriptura Canonica, sed eum celasse quod ipse esset qui per ipsum loquebatur, unde de Auctore Ecclesiastici, & librorum Machabæorum, & fortè etiam de Evangelio Lucæ, ac Joannis, saltem quoad aliquas eorum partes, ac de aliqua Pauli Epistola, ut quidem suspicantur, non temerè dicitur quod eorum Scriptores nescierunt se scribere verba Dei: De aliis autem id statuendum, quod ex eorum modo dicendi elucet, ubi autem nihil deprehendi potest, tenendum probabilius ob rationes nuper tactas, quod noverunt; quam regulam ex Hieron. deducimus præter eas, quæ jam attulimus. Nam Hieronymus *in Daniel.* c. 8. quia ex illo capite apparet Danielem non habuisse lumen reflexum concludit: *Videbat Visionem, & intelligentiam non habebat*, non ergo omnis qui videt intelligit se videre, sicut si Scripturam Sacram legamus oculis, & corde non intelligamus.

Secundò etiam ad testimonium S. M. N. Teresiæ posset responderi, a locutionibus illis, de quibus ipsa loquitur loc. cit. non posse argui ad eas, de quibus nunc agimus. Illæ enim sunt divinæ locutiones Dei ad Animam mysticè elevatam, eamq; primò perficiunt, nec sunt rigorosè ex suo genere Gratiæ gratis datæ, unde nil mirum, quod intellectum audientem firment, & forment certitudine etiam reflexa; illę verò, de quibus nunc, ex sua specie non sunt locutiones divinæ ad Prophetas, sed per Prophetas ad alios, ut loquitur Ecclesia in Symbolo, & sunt Gratię gratis datę secundùm Apostolum ad aliorum utilitatem ordinatę, unde non conjunguntur necessariò cum cognitione reflexa. Sed jam satis.

ARTICULUS VIII.

Quænam ex Hæreticis & Catholicis opponantur contra stabilitam Veritatem de Auctore speciali Sacræ Scripturæ.

HÆC disputatio patibulum est ac tormentum inevitabile Hæreticorum, cui propterea per plures articulos insistimus, quia eam rectè concludens effugium omne obstruit Inimicis Ecclesiæ. Si enim Sacra Scriptura est opus specialissimum Dei ad manifestationem infallibilem Veritatis, cum in ipsa damnentur omnes ipsorum errores, evidentissimæ perversitatis convincuntur, qui Deo ipsi dementissima audacia contradicunt, divinæque sententiæ proprium sensum, qui neque sensus est, præferre contendunt, immemores quid eorum Duci acciderit, cum Michael Archangelus unicè non ratione aut sententia, sed quæstione convictum a summis in infima conculcandum dejecit dicens: Quis ut Deus? Si autem Sacra Scriptura non est, ut probatum fuit Verbum proprium, & specialissimum opus Infallibilis Veritatis, ergo nihil convincunt vel apparenter qui suos errores ex Sacra Scriptura vel ortum habere contendunt, vel nutrimentum. Et hujus quidem dilemmatis vim a longè senserunt obstrepente conscientia. Hinc igitur in varia se se dissiparunt circa rem hanc placita, vel potius monstra & nequissimæ Meretricis consilio, quæ coram Salomone filium non suum sibi gignere per iniquam sententiam postulabat, ut veritatem tolleret, quæ essentialiter una est; dividere se posse somniantes inclamant nec mihi, nec tibi, sed dividatur. Dari itaque verum Dei Verbum scriptum Auctore Deo omnes concedunt, sed conantur dividere, ut sensim totum de medio tollant.

Lutherus Libros Machabæorum, ex quibus damnatur reiicit, & libros Moysi nunc approbat, nunc reprobat, ut in sermone de Moyse & Lege; & Epistolam Jacobi ex qua sentit sibi ignem parari appellat straminεam. Sic enim negata auctoritate Pontificis & infallibilitate in rebus fidei, in qua dumtaxat perversitate semper idem est, Scripturæ pro libito nunc asserens, nunc dividens, nunc tollens divinitatem, totam Catholicam Fidem se sustulisse arbitratur: ut certum jam sit eum, qui ut debet, & Scripturæ Sacræ divinitatem, & consequen-

sequenter in eadem Sacra Scriptura assertam in rebus Fidei Primæ sedis Infallibilitatem defendit, se omne iniquissimi Lutheri, cæterorumque nostri temporis Hæreticorum machinamenta exsufflasse, certò confidat.

Totum novum Testamentum Judæi negant. Totum pariter, retento solo Mathæi Evangelio Cerinthus & Ebion; & retento solo Lucæ Cerdon & Marcion, a Dei Verbo reiiciunt. Epistolas Pauli omnes Ebion, Severus, Tatianus & Elcesaitæ, aliquas, nempe quæ ad Timotheum, quævè ad Titum, & ad Hæbreos, Marcion & Basilides damnant, teste Hieron. in Præfat. Epist. ad Titum, & August. de Civ. D. l. 16. c. 22. Evangelium & Apocal. B. Joannis Apost. Algiani negant, ex August. De Hæresib. ad Quod vult Deum n. 30. Totam Scripturam Saraceni excludunt, & Maumethani depravant; Quibus annecti possunt Erasm. & Anomæi, quatenus Scriptores Sacros irrident, & quandoq; oblitos incerta scripsisse contendunt, qui impugnantur ex Epistola 9. Aug. & l. 2. de consensu Evangelistarum c. 12.

Magis insaniunt Carpocrates, Cerdon, & Severus reiicientes explicitè totum vetus Testamentum, sed pejus Manes & Manichæi, ideo illud abhorrentes quod dicunt ab Auctore omnis mali fuisse dictatum, Aug. de Hæresib. ad Quod vult. &c. hæresi 7. 21. & 24. & ad Honoratum de Utilitate credendi c. 2. Et quia error Manes directè pugnat contra Conclusionem placet referre quommodo convictus simul & pertinax infelicissimo exitu deliramenta sua concluserit ut ref. Scalante in suo Clypeo contra Manichæos, & Ludovic. de Tena in sua Isagoge l. pr. diffic. 10. Manes itaque vilissimus Persa dictitans se Spiritum Sanctum esse plures seducebat; Vocatus a Rege ut filiam suam sanaret promisit, & propriæ fidens ignorantiæ eam occidit; hinc captus, post aliquos dies è regio carcere dilapsus aufugit, & alio sub Cælo disseminans zizania sua ab Archelao Catholico ad disputationem compulsus est, quæ breviter talis fuit.

Quid sentis Manes de Auctore Veteris Testamenti? Resp. Est Auctor malorum, qui de se ipso convincitur, dicens Deut. 4. Deus tuus ignis consumens est. Replicat Archel: Cujus ergo est Filius ille, qui in novo Testamento Lucæ 12. dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat? Numquid per te hic etiam Deus malus erit? Quidquid sit de igne resp. Manes? Certè Deus Veteris Testamenti malus est, quia mortificat, & vivificat, & quamvis videatur bonum facere, quia vivificat, tamen prius malus est, quia prius mortificat. Cur ergo, inquit Archelaus, Cur Petrum adoras, qui Tabitham suscitavit, & Ananiam ac Saphiram occidit? Si oderis eum, qui mortem causat, cur non eum, qui denique in Finali Judicio vobis dicet: Discedite a me maledicti in ignem æternum? Matth. 25. Si avversaris eum, qui ait: Ego Deus faciens pacem, & creans malum: If. 45. Vide quid dicat Christus Matth. c. 10. Non veni pacem mittere, sed gladium; vel igitur uterque bonus, vel malus uterque. His

A confusus aufugit, denique tamen jussu Regis captus fuit, occisus & decoriatus, ejusque pellis ad modum utris appensa ante Regis Palatium ad ludibrium, computruit.

Aliorum autem Hæreticorum deliria, sigillatim depellere munus est Controversistæ, quia verò quatenus in hoc conveniunt, ut totius Sacræ Scripturæ Auctorem specialissimum Deum non esse contendunt, Conclusioni opponuntur, toto hoc opere, ex quo planè constabit totam Sacram Scripturam unius esse Veritatis, omnesque ac singulas ejus partes ita invicem cohærere ut pars sine contradictione explicet partem, confutabuntur, ne igitur immaturè alibi perficienda præveniamus supersedemus. Nunc restat Catholicorum Doctorum
B placitis & argumentis saltem aliquibus, quæ Conclusioni videntur opponi, breviter satisfacere.

Quidquid in Sacra Scriptura reperitur, venerantur omnes Catholici ut infallibilem Veritatem; Quod autem Deus sit specialis ejus Auctor, modo in Conclusione principali exposito, aliqui negant: Bonfrer. in Prolegom. c. 8. sect. 3. Canteprat. l. 8. Hypot. c. 4. Sanch. l. 2. Machab. c. ult., & alii apud P. N. Anton. dub. 2. sup. cit., & P. N. Domin. in Bibliot. loco cit. lib. 3. sect. 1. c. 5. nobiscum asserentes: Nec mirum quod Catholici Auctores id negent, putant enim quod Deus alio modo res disposuerit, ut Veritas Scripturæ esset infallibilis, quia dicunt ad id satis esse, quod Deus Sacro Scriptori suggerat quod ignorat, impediatque ne erret, taliter assistendo, ut aliquem erro-
C rem irrepere sit impossibile, quod præstare potuit, etiamsi Scriptor sua naturali virtute & industria uteretur: In hoc tamen modo dicendi, quidquid conentur, vel recidunt in hoc quod negant, vel id denique dumtaxat concludere possunt, quod videlicet Deus sit causa particularis non erroris, quod in omni propositione vera extra Sacram Scripturam fatendum est, Homines verò sunt Causa specialis omnis Veritatis, & sensuum, qui in Sacra Scriptura continentur, quod an cohæreat cum veneratione, sensuque communi, quo veluti divina locutio divinis ex omni parte scatens Sacramentis Sacra Scriptura a Fidelibus totaque Ecclesia suscipitur, immò & cum ipsius Scripturæ Testimoniis, in quibus disertè asseritur, Deum in ipsa
D loqui, non apparet, & hæc sanè sufficiens esset hujuscemodi modi dicendi impugnatio; quantùm verò Hæreticis faveat, dum Catholicæ Fidei regulam deprimit, aut denique quommodo verè Catholica sententia dici possit videant ejus Fautores.

Nos sanè asserimus theologico more, non tamquam declarantes, quod ad nos non spectat, nostram Conclusionem esse de Fide, idque probare conati sumus, ut jam non sit locus dubio, ideò nihil obstat instantia, quæ ex opposita opinione obiicitur nempè.

Si talis sententia esset de Fide, deberet esse in terminis in Sacra Scriptura, ejusque oppositum damnatum esset ab Ecclesia, neutrum autem potest ostendi, nam quidquid adducitur in ejus probatione ex Scriptura, potest adaptari etiam oppo-

fito dicendi modo, saltem quoad effectum, nec inveniatur usquam Ecclesiæ condemnatio, quin immò ejus Auctores sunt & habentur ut Catholici, & P. Suarez *de Fide Disput. 5. sect. 3. n. 4.* loquens de opposita sententia inquit, *ut aliqui piè sentiunt.*

Resp. dist. ma. deberet esse &c. vel implicitè vel explicitè co. ma. omninò explicitè, & in terminis ne. ma., & hæc distinctio afficit utramque partem majoris, eamq; suggerit Ang. Doctor 22. q. 1. ar. 7. in corp. ubi ostendit, quod ipsi Articuli Fidei in aliquibus primis credibilibus continentur, & tamen sunt verè de Fide, itá ut absque nova condemnatione Ecclesiæ sit & habeatur ut Hæreticus, qui aliquem negaverit ex Articulis Fidei: Nostra autem Conclusio licet sumpta quoad terminos materiales, non sit Articulus Fidei, tamen quoad substantiam & proprium sensum formalem, implicitè, sed explicitè habetur in Articulo Fidei scil. *Qui locutus est per Prophetas*, & in omni loco Scripturæ, ubi sententia ejusdem Articuli, vel iisdem, vel aliis similibus verbis profertur, ut in illo *ad Hebr. primo: Multifarie &c. loquens Deus Patribus in Prophetis*, quod si salva veritate adaptari posset oppositæ sententiæ, nullus locus esset præsenti Disputationi, sed nequit intelligi, qua proprietate dicatur Deus loqui per Prophetas, si dicimus Prophetas loqui per se ipsos, Deo non loquente per ipsos, sed ipsis assistente, ne vel decipiantur vel decipiant: Nec nova requiritur Ecclesiæ condemnatio quoad singulos errores, cum nihil magis damnatum inveniatur in quatuor Conciliis Ecumenicis, quæ tamquam Evangelia habentur, ut statuit D. Gregor. Magn., & etiam in Tridentino habetur, quam id quod opponitur Symbolo Nicenæ Fidei, cujus est ille Articulus: Quod autem oppositę sententiæ Auctores habeantur ut Catholici, hoc ideò est, quia in hoc fortè materialiter erraverunt, idque eorum Opera protestantur, in quibus pro vera Fide insudarunt, sed contra nos hoc nihil facit, qui non Doctores, sed doctrinam libramus. Nec mirum quod pius Doctor P. Suarez pietati id attribuat in aliis, in quod saltem ex modo dicendi etiam ipse prolabitur eo modo alios excusans, quo optaret ipse defendi, ipse tamen tametsi Vir doctus ęquè, ac pius, nec regula est Fidei, nec Pietatis, sed Ecclesia attendi debet, & PP. ac in primis Sacra Scriptura.

Dices P. Dominic. loco super cit. c. 5. &c. hanc sententiam admittit ut probabilem, ergo ejus oppositum nempe quod nos sentimus non est de Fide.

Resp. Eundem Auctorem ita probasse nostram Sententiam, ut probationes ab eo adductę potius convincant ipsam esse de Fide, quam probabiliorem ut asserit ex modestia, relinquens legenti, ut eam inferat consequentiam, quam suggerit Antecd.

Adde quod aliquam probabilitatem concedere alteri sententię non est asserere eam esse veram, aut non falsam, aut Fidei non contrariam, quia ut constat multa falsa, ne dum probabilia sunt, sed etiam probabiliora veris; ut autem constet,

A quę sint ejus modi dicendi fundamenta, ea tangemus.

Potest argui primo sic. Zacharias c. 1. ait, inquit Angelus, qui loquebatur in me, clama dicens: *Hæc dicit Dominus*; Angelus ergo loquebatur in Propheta, non Deus, & quidem valde notabile est, quod dicit prius Angelum in ipso loqui, & subdit, quod Angelus ipse dixit ei: *Clama: Hæc dicit Dominus*, si dicit Angelus, quomodo dicit Dominus? Cum igitur dicunt Prophetę: *Hæc dicit Dominus*, salvatur verum eos dicere etiam si aliquis Deo inferior loquatur, scil. Angelus, ergo verum dicent, etiam cum ipsi, Deo jubente, & assistente loquentur, unde per hoc quod passim inveniamus in Scriptura: *Hæc dicit Dominus*, non sequitur quod illa propriè sit Dei locutio, quod si illa non est cui B subnectitur: *Hæc dicit Dominus*; multò minus alię, quę absolutè proferuntur, dici poterunt locutiones Dei.

Resp. primò. Quod sicut Deus omnes alloquitur per Prophetas, ita Prophetam hunc allocutus fuit per Angelum, sed & quę per Angelum venit ad Prophetam fuit vera locutio Dei, & quę per Prophetam ad alios venit, sicut si Propheta ad Prophetam, & hic ad tertium, isque successivè ad alium loqueretur, semper esset locutio Dei de prima ad ultimam, nihil enim interest, quod varientur materialiter Instrumenta, vel multiplicentur, cum eadem principalis superior Causa illis non indigens, in sua, & virtute, & actione perseverat, cum ergo dicit Zach. quod Angelus in ipso loquebatur, hęc C eadem narratio est verbum Domini in persona Zacharię sic ennunciantis, & in persona Angeli, qui loquebatur in Zacharia, Dominus dixit: *Clama: Hæc dicit Dominus*, & sic patet ad totam difficultatem, quamvis etiam dici posset, & quidem ad rem non esse eam quæstionem in pręsenti, An quidquid narratur in Scriptura, dictum fuisse, aut factum, totum, dictum, factumque fuerit a Deo, quod planè falsum est, cum in ea narrentur peccata, quę certè Deus non fecit, & aliqua impiorum dicta, quorum ut talium Auctor non fuit Deus, sed an verba illa, quę Scripturam componunt hypoteticè, narrantque ea quę fuerunt, vel quę erunt, sint verba Dei ut specialis eorum Auctoris, quod asserimus, nihil ergo infert objectio, quidquid sit de illa Angeli locutione, quę est materia Sacrę D Scripturę.

Resp. secundò. Quod cum dicitur *Angelus qui loquebatur in me*, idem est, ac si diceret, *Angelus qui loquebatur ad me*, non verò, qui loquebatur per me; hęc enim est diversitas, quod cum homo alloquitur hominem non dicitur loqui in ipso, quia homo ministrat doctrinam extrinsecus, & mediis sensibus corporeis; Angelus verò dicitur loqui in alio, cum eum alloquitur, quia ejus locutio est per illuminationem intellectualem, & inspirationem. Unde etiam de Deo, quia Spiritus est, dicebat David. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Angelus ergo loquebatur in Zacharia, hoc est ad Zachariam tamquam Dei nuncius, & dicebat: *Clama: Hæc dicit Dominus*, & ea fuit locutio Angeli tamquam Nuncii Dei, & totum

hoc,

hoc, ut in Sacra Scriptura legitur, est dictum a Deo.

Arg. secundò ex lib. 3. Reg. c. 17. ubi ait Elias: *Vivit* Dominus Deus &c. Si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba. Non dixit: juxta verbum Domini, sed juxta oris mei verba, ergo cum ipse locutus fuisset prius immò, & tunc loqueretur uti Propheta, verba quę proferebat, erant sua non Dei, sibi enim ea attribuebat veraciter, dicebat enim tamquam verè Propheta, nisi juxta oris mei verba, utque eluceat distinctio inter verba Eliæ, & verbum Domini, subdit Scriptura statim: *Et factum est verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc &c.*

Resp. eodem ferè modo, & addendum quod si loquebatur Elias uti Propheta Domini, loquebatur certè ut nuncius Domini, ns autem nuncii est os mittentis quoad verba, ea maximè quæ Potestatem designant summam, uti est Virtus patrativa miraculorum: Illa autem distinctio verbi Dei, & verborum Eliæ, nihil convincit, quia ex ipso textu apparet, quod cum loquebatur Elias, erat verbum Dei ad Populum, quod verò subditur, est verbum, hoc est præceptum Dei ad Eliam, utrumque igitur fuit verbum Dei primò Populos Idolatras increpantis, secundò præcipientis Eliæ; immò ut intacta salvetur Veritas Conclusionis sufficit quod tota citata narratio, sive totus iste locus Scripturæ sit propria Dei locutio scripta per Samuelem, vel Hieremiam, vel denique (quicumque ille fuerit) per Scriptorem librorum Regum posteriorum. Scrutari enim omnes peculiares textus Scripturæ non est præsentis indaginis, clara tamen, & vera est etiam prior doctrina. Hæc autem objecimus, non quia hujusmodi textus opponant DD. oppositæ Sententiæ, sed quia difficultatem aliquam præseferre videbantur; Quæ verò sequuntur communia sunt videlicet.

Arg. tertiò; secunda ad Corinth. c. 11. Paulus fatetur se ignarum, & imperitum esse sermonis; ergo peritia sermonis aliquid tribuit Scriptori Sacro; Si enim Deus ipse loqueretur, aut scriberet per illum sicut per Ammanuensem, omnino de materiali esset, quod Scriptor peritus vel non, esset sermonis qui a Deo dictaretur.

Confir. primò nam videtur Hieron. apertè stare per hac sententia ep. 151. ad Algas. q. 10. quatenus docet Paulum se ipsum involuisse, cum græcè loqueretur. Imò epist. præc. ad Edibiam q. 11. dicit de Paulo, quod divinorum sensuum Majestatem digno non poterat græci eloquii manifestare sermone, & propterea Tito utebatur Interprete, ergo signum est, quod Paulus ipse, & non Spiritus Sanctus loquebatur, quandoquidem conatus ipsius non sufficiebat, nisi haberet Interpretem; quo certè Spiritus Sanctus non indiget.

Confirm. secundò ex Glos. ad Hæbr. 1. Aliisq; SS. Interpretibus, qui asserunt Paulum ad Hebræos majori scripsisse facundia, quia propria, hebraica videlicet lingua loquebatur, ergo non Spiritus Sanctus, sed Paulus in suis epistolis loquebatur.

Resp. pr. ex Aug. lib. 4. de Doctr. Christ. c. 7

A. verba Apostoli non fuisse confitentis, sed admittentis, ac si diceret: *Fac me imperitum esse sermonis, ut putant mei obtrectatores, at scientia non sum imperitus*: Ita respondent Doctores communiter in præsenti, quorum aliqui probant Apostolum in Græca excelluisse facundia, aliaque congerunt elogia Paulinę eruditionis, sed quidquid sit de hoc, stat contra ejusmodi objectionem, idem Apost. 2. Chor. c. 13. dicens: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus*! Quid ergo ne sibi contradicat Apostolus, quod est impossibile, intelligi debet, cum se dicit imperitum, & similia, vel loqui in sensu eorum, qui tantum humana sapientes accipiebant verba ejus ut verba hominis, in quod inclinat Ang. vel ita arguendum, si Paulus imperitus erat sermonis, & nihilominus
B Epistolę ejus ut ipse fatetur graves erant, & insignem portendebant sapientiam, atque peritiam, ergo verba ejus erant verba alterius, scil. Dei per ipsum loquentis, ut alio loco, quem dedimus, ipsemet asserit.

Deinde secundò resp. transeat ant. & dist. cons. ergo peritia sermonis aliquid tribuit Scriptori Sacro ex divina dignatione, & de materiali utque aliquid elevabile con. cons. aliquid per se formaliter requisitum, & specialiter influens ne. cons. Dignatur enim Deus se attemperare Scriptoribus Sacris, & utitur eis velut calamo, cujus perfectio, vel imperfectio modalis naturalis apparet in Scriptura, & ita sicut sunt, eos Deus assumit ut instrumenta divinę suę locutionis, ut ait Hieron. l.
C 1. adv. Ruf. c. 4. qui locis in prima confirmatione citatis sibi non contradicit, nam non negat Paulum fuisse instrumentum Spiritus Sancti; per hoc quod se involveret, cum gręcè loquebatur: Deus siquidem tunc eam elegit obscuritatem, qua tegeret sensus suos, & sicut usus fuit eloquentia, & nobilitate dicendi Isaię ita & Moysi balbutie, & rusticitate Amos, quod sibi placuit expressit. In loco ad Edibiam S. D. stat pro nobis, quia si asserit quod erant divini sensus, quos Apostolus optabat exprimere, ergo non loquebatur ipse sensus suos, cum sensus hominis scil. verba ipsa formaliter sint humana: Quod suo conatu non sufficiens, uteretur Interprete, hoc ad summum convincit, quod etiam supra cum D. Th. asseruimus, eumdem (sicut & cæteri Scriptores) fuisse instrumentum
D deficiens, itaque Deum disposuisse, ut aliquando Prophetis, & Prædicatoribus suis genera largiretur linguarum, aliquando verò ipsa eorum imperitia uteretur ad cæleste mysterium revelandum. Diversitates enim Gratiarum sunt, idem autem Dominus distribuens singulis prout vult. Ex his patet etiam ad secundam confirm. sicut enim diversis similiter Deus utitur instrumentis, ita diversimode eodem.

Arg. 4. Si Deus esset Auctor specialis Sacræ Scripturæ, Scriptor Sacer nec posset errare, nec indigeret labore ad inveniendum modum disponendi quæ scribit, nec Testes humanos veritatis, quam exponit, adduceret, nec protestaretur se non mentiri, ut patet; si enim Deus est Auctor, qui nec errare, nec laborare potest, nec alieno indiget suæ

verita-

veritatis testimonio, nec ipse est ut homo ut possit mentiri, ad quid requirit ista in instrumento, quod opus proprium non operatur, sed divinum? Sed prædicta omnia evenerunt in Sacris Scriptoribus, ergo non Deus, sed ipsi fuere speciales Sacræ Scripturæ Auctores. Mi. quoad primam partem probatur ex lib. 2. Mach. c. ult. ubi S. Scriptor dicit: *In his finem faciam sermonis, & si quidem bene, & ut Historia competit, hoc & ipse velim, sin autem minus benè, concedendum est mihi; consimiliter*, & Auctor libri Ecclesiast. *in Prologo* ait: *Hortor itaque & veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ in verborum compositione deficere &c.* ergo ex propria utriusq; Auctoris sententia, uterque potuit errare, immò an de facto erraverit dubitavit. Secunda pars patet ex citato Prol. Ecclesiastici, cujus Auctor fatetur *se multum laborasse &c.* & ex 2. Mach. ubi sic. *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus non facilem laborem, immò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus &c.* nihil clarius. Tertia pars prob. ex principio Lucæ *sicut* (inquit) *tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi, assecuto omnia in principio &c.* ubi probat veritatem dicendorum per testes humanos de visu, sicut etiam sæpè Jo. in Evan. ut supra examinavimus. Quarta pars habetur ex Ap. 2. *ad Cor. c.* 11. *Deus scit, quia non mentior, & se non mentiri, ac verum dicere* alibi sæpè testatur. Et Petri ep. prima, c. 1. asseverat *se vidisse Christum, & cum eo fuisse in Monte Sancto*, & similes protestationes passim reperies, in quibus Fidem exigunt tamquam testes de visu, non tamquam Scriptores Sacri, ex divina veracitate.

Resp. ex supradictis passim in hoc capite, satis constare ad argum. omnesque probationes. Dicimus ergo Scriptorem Sacrum non potuisse errare, sed vel antecedenter, vel in principio scriptionis potuisse suspicari, an posset errare; cum nesciret se scribere verba Dei, nam ut supra ostensum est, id non est de ratione substantiali Prophetiæ, ex quo factum est, ut id nescientes, prudenter ex amore veritatis cum magno studio, ac labore scribenda procurarent, præpararent, disponerent, testesque Veritatis inquirerent, ac de Veritate protestarentur, ac si tamquam homines scriberent: Immò Deus ipse per illos hæc eadem verba loquebatur, quibus hujusmodi sensus exprimebantur, loquens per ipsos, scil. in persona ipsorum, sicut aliquando per ipsos loquebatur, in persona aliorum, & hoc forte ad innuendum, quod quantum erat ex ipsis, non erant nisi instrumentum deficiens, atque ideo infallibilis Veritas locutionis ipsis non erat attribuenda. Ejusdem autem divinæ dispositionis aliæ etiam rationes congruentes valent adduci. Prima ut humilitatem doceret exercendam eò magis, quò sublimius est Opus, ad quod a Deo elevamur.

Secunda. Ne audeamus nimium, aut præsumamus fidentes in nobis, in Dei famulatu, etiam si potissimum a Deo auxilium sperare debeamus.

Tertia. Ad ostendendam majestatem, & subli-

A mitatem divinæ locutionis, quæ si modò propriè traderetur, esset nobis omnino inattingibilis, ac propterea clamaremus cum Filiis Israel, non loquatur nobis Dominus, sed potius Moyses, ideò eam tradidit modo omninò humano per hujuscemodi humanitates expressio: sicut enim ut habitaret in nobis Dei Verbum, humana carne infinitum velavit splendorem, ita etiam ut supremam nobis infimis manifestaret suaviter veritatem, eam tali operuit humanitate dicendi, ne ejus locutione vel careamus, vel terreamur.

Quarta. Ad meritum Fidei augendum, tum in scribentibus, tum in nobis; si enim taliter nobiscum loqueretur, ut evidenter constaret Deum loqui, ita ut sine humano velamine locutio divina

B clarescerct, nulla esset Fides, quandoquidem simul evidens nobis esset notitia Dei Auctoris supernaturalis. Nulla igitur est difficultas in argumento, sed potius Mysterium, quo magis Conclusio nostra firmatur.

Sed dices hic obiter, contra id quod & in hac responsione, & toto hoc capite asseruimus, nempe Sacros Scriptores errare non potuisse. Ex ipsa Scriptura constat quod Petrus erravit cogens Gentiles ad judaizandum, ut constat *ex c.* 4. *ad Galat. cum in faciem ei restitit Paulus, quia reprehensibilis erat*; potuerunt ergo a fortiori alii etiam errare.

Resp. sapientissimè August. ep. 19. ad Hieron. potuisse Petrum errare (intellige leviter) in opere,

C sed nec Petrum, nec Paulum, nec quempiam ex Sacris Scriptoribus in scribendo; videatur loc. cit. Aug. Tota enim illa Epistola efficacissima probatio est eorum, quæ toto hoc cap. asseruimus. Brevitati nostræ sufficit indicasse.

Arg. 5. In Scriptura Sacra aliqua reperiuntur, quæ scribentibus erant naturaliter nota, & ad sensum evidentia, sicut cum narrant proprium factum humanum, putà, cum Esdras ea refert, quæ operabatur in Jerusalem ad reparationem sive instaurationem Templi, ac Civitatis, cum Apostolus dicit: *Lucas est mecum solus*, & ipse Lucas in Actis Apostolor. iter proprium describit, & similia, sicut cum proprium describit Sacer Scriptor affectum ut Jo: in epist. ad Electam. *Senior Cajæ Electæ &c. quos ego diligo in Domino*: *Salutant vos Amici saluta Amicos nominatim &c.* quæ passim occurrunt in

D Epistolis Canonicis. Sed ad hæc non præstitit Deus nisi aliquam assistentiam ad summum, ne fortè Scriptor erraret, vel modum excederet, ergo &c. probatur mi. si Deus infunderet hujuscemodi dicta, vel peculiari modo se haberet in ordine ad illa, esset superfluum, sicut actum agere, cum ex natura sua nihil habeant per quod excedant captum hominis adhuc Ignari, & Idiotæ, at Deus, & natura nihil facit frustra, & sicut in necessariis non deficit, ita nec in superfluis excedit; quod multo magis in supernaturalibus debet verificari ratione proprii ordinis, qui sicut vitium, ita nec excessum patitur in propria sfera, nec defectum, ergo rationabilius asseretur quod quantum ad prædicta Deo quidem assistente, at non loquente, ipse Sacer Scriptor propria depromit.

Resp.

Resp. dist. ma. In Scriptura Sacra aliqua reperiuntur scribentibus naturaliter nota, si considerentur eadem præcisè materialiter co. ma. si sumantur formaliter, ut sunt partes Sacræ Scripturæ ne. ma. & in eodem sensu neg. mi., ad probat. retenta eadem distinctione ne. ant. &c. Ea quæ afferuntur in exemplum possunt, & debent summi, ut stant sub coordinatione Verbi Dei, & sub fine quem habet Spiritus Sanctus, ac etiam ut contineat in se ipsis aliquem sensum moralis doctrinæ supernaturalis, & ut stant sub relatione ad alia, per quæ divina manifestantur mysteria, ac denique ut divinam præseferunt infallibilitatem, ac auctoritatem, & his certè modis sumpta, clarum est non esse locutiones humanas, sed Spiritus Sancti. Sumpta autem præcisè materialiter, in Sacra Scriptura non considerantur, sed in humanis epistolis, & in Sacro Scriptore materialiter, ac per accidens conjungitur cum divina impressione, naturalis scribendorum notitia, quæ in divinam locutionem non influit principaliter, etiamsi, & audientibus, sive legentibus, ac etiam Scriptoribus ipsis appareat oppositum.

Addit sapienter N. P. Domin. loco sup. citato quod etiam naturaliter nota possunt non fideliter scribi, vel ex oblivione, vel inadvertentia, quia de illis non multum, scribens ipse curare consuevit, vel ex affectu variante phantasmata, aliter apparere scribentibus ac in se fuerunt. Ideo nequid vel minimum in Sacra Scriptura reperiatur humanæ subjectum labilitati, vel de cujus infallibilitate possit esse suspicio, ac è converso, ne aliquid dicatur infallibile, quod reverà non sit, atque hoc modo (quod sæpè advertit August. locis supra cit., & alibi) totius simul Sacræ Scripturæ infringatur Auctoritas; de necessitate asserendum est etiam similia, quæ ex natura sua poterant alias ab homine recitari, divina tantum in divino Codice locutione depromi, quoquo modo id fiat, secundum ordinatissimam Dei Sapientiam.

Arg. sexto Inficiandum non est magnam notabilemque diversitatem inter ea quæ in Sacra Scriptura exarantur apparere: Aliqua enim sunt supernaturalia ac suprema mysteria, quæ naturæ lumen omnino evadunt; Quædam autem & si naturalia ex suo ordine admodum tamen abscondita, quæ sciri, ac proinde dici ab hominibus non poterant, ut Creatio Mundi, eaque quæ in primis capitibus Geneseos describuntur: Alia verò quæ hominum facta, vitia, virtutes, animique affectiones, quæ vel ex se omninò latent, vel si alias nota, vix traditione cognoscibilia perseverant: Aliqua verò facilia quæ naturæ lumini sine labore pervia ex se se declarantur: atqui Divina Providentia ac Dignatio rerum indigentiæ se se accomodat, ac in numero pondere & mensura, ac proinde cum proportione universa disponit, ergo attenta prædicta diversitate diversimodè etiam elevavit Scribentes ad eorum manifestationem proportionatam, ergo non æqualiter omnia dici debent dicta a Spiritu Sancto, sed ea tantummodo, quæ elevatione indigebant.

Resp. eodem modo ac superiori Argumento: Diversitas siquidem eorum, quæ in Sacra Scriptu-

A ra referuntur, stat sub uno modo, coordinatione, ac fine, unde omnes, quæ in Sacra Scriptura leguntur, sunt locutiones Dei, cujus intelligentia non dependet aut specificatur a diversitate rerum circa quas versatur, aut earum difficultate, vel facilitate quoad manifestari nobis, sed a divina Sapientia; Sacri autem Scriptores non agunt in virtute propria, quæ ex propria limitatione præfatas patitur difficultates, sed in virtute principalis & specialissimi Agentis, a quo principaliter proximè, dicta quæque procedunt: Porrò suavissima Dei providentia in hoc satis elucet, quod propriam locutionem accommodat Audientibus, seu Scriptionem legentibus, immò & rebus ipsis, sed relatè ad Fidem, quam exigit æqualiter de singulis, & universis, quæ homines docere dignatur.

B At dices: Efficacior Virtus requiritur ad elevandum instrumentum debilius, minusque dispositum, quam ad aptius, fortius, magisque dispositum, sed homo ad ea, quæ magis distant attingenda, qualia sunt supernaturalia objecta, ad quæ non habet capacitatem nisi obedientialem, est consequenter minus dispositus, quam ad naturalia, ergo diversimodè debet elevari, ac proinde servanda est aliqua diversitas in Scriptore Sacro, orta a diversitate scribendorum. Et confirm. Nam ad diversos effectus etiam supernaturales, diversæ requiruntur virtutes, ac dissimilia charismata Gratiarum, unde Apost. 1. a Chor. c. 12. *Alii datur Gratia curationum, alii interpretatio sermonum, alii genera linguarum: Numquid omnes Prophetæ, numquid omnes Apostoli &c.* ergo etiam ad diversissima mysteria revelanda, diversa exigitur virtus;

C non igitur eodem semper & pari modo dicetur Deus ipse loqui in Scriptura, per sua instrumenta scilicet Scriptores Sacros.

Resp. valdè notabili doctrina D. Th. & Thomistarum, qua passim utuntur Patres Nostri tum Complut. cum Salm. quod nimirum hæc est diversitas inter instrumenta Divinæ Virtutis, & instrumenta Virtutis Creatæ, quod in istis requiritur dispositio proportionata ad effectum, in illis non, quia Deus utitur instrumentis ex dignatione, Creatura autem ex indigentia: Ideoque Pictor uti non potest serra ad pingendum, nec Faber penicillo ad scindendum, Deus autem & per Prophetas Sanctos locutus est, & per Columbam super Jordane, cum

D vox de Cælo facta est Dei Patris ad glorificandum Filium suum, & posuit verba in ore Asinæ Balaam, & propheticam revelationem magni Consilii sui in ore nequissimi Cayphæ; quod autem dicitur de potentia obedientiali retorqueri potest, cum enim eadem hæc sit in omni ente, Deo subjecto, ad omne id quod non implicat contradictionem, nullam in subjecto supponit dispositionem ad divinos effectus, nisi fortè negativam secundum aliquos. Quod verò ad naturalia non detur potentia obedientialis, ex quo videtur non esse elevandum Scriptorem Sacrum ad naturalium narrationem, nihil prodest Adversanti, quia ut dictum est, & si sit narratio rerum naturalium, ea tamen est divina & infallibilis, quæ cum materia non valet commensurari.

Ad

Ad Confirm. clarè constat disparitas, eadem enim est semper secundùm speciem divina locutio, quæ res specificat, non specificatur a rebus, eodemque semper fine regulatur. Gratiæ verò gratis datæ, quas recenset Apostolus loco cit., quia dantur ad utilitatem aliorum juxtà exigentias diversas, quæ sunt in Ecclesia, juxta illas regulantur, & diversificantur saltem materialiter, & ex parte eas recipientium, seu administrantium, & secundum gradus diversos, ita ut non omnes singulis, nec ad eamdem specie indigentiam supplendam dentur, cum quo tamen stat, quod ex parte eas largientis sunt unum & idem formaliter, unde subdit Apost. Hæc autem omnia largitur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Arg. septimò contra Conclusionem, & Doctrinam nuper allatam. Si Deus esset Auctor specialissimus Sacræ Scripturæ totius, & modo dicto esset idem in omnibus libris, omniumque Sacrorum Scriptorum stylus dicendi, & modus sententiarum, divinamque redoleret immutabilitatem. Constat enim quod sicut ex Filio Pater ita ex stylo Orationis Auctor ejus dignoscitur; unde eloquentia Orationis Tullium, Sapiens laconismus Senecam indicat, atqui in Sacra Scriptura singuli libri, singulos Scriptores suos cum conditionibus individualibus, & styli proprietate diversa a libris aliorum, repræsentant sigillatim, ut facilè legens advertet, & distinguit Hier. in Prologis singulorum librorum respectivè, & ad Paulinum, ergo quilibet Scriptor potius dici debet Auctor particularis sui libri, a quo indicatur.

Confirmatur, Evangelistæ, & alii Sacri Scriptores in novo Testamento, cum aliquid de Veteri assumunt, servant ut in plurimum solam veritatem sensus, non tamen verba, vel locutionem primigeniam, ergo non omnia verba Sacræ Scripturæ sunt verba Spiritus Sancti. Ant. est Hieron. ad Cap. 7. Isaiæ, conseq. patet, si enim priora illa verba essent Spiritus Sancti non deberent immutari, nevel mutabilitas in scribente, vel quædam species correctionis eorum, quæ prius exarata constabant, appareret.

Resp. ne. ma. ex his quæ supra ad 3. argum. responsione secunda attulimus, quæ nunc supponi debent, non iterari, sed insuper advertendum, quod unitas Sacræ Scripturæ attendi debet secundùm veritatem, non secundùm dicendi modum, diversitas enim Operum diversorum Auctorum, qui sunt finiti, & limitati ex modo qui singulis individualis est dignoscitur, quia unicum dumtaxat dicendi modum quisque sibi vindicat, quia limitatur quilibet illorum per illum, cæterum Deus modos omnes in se concludit eminentissimè, unde quovis modo peculiari utatur, is proprius ipsius est, cujus proprii sunt omnes modi ob illimitationem ipsius, ad eorum neutrum coarctatam, solaque infallibili veritate, quæ nulli creato Auctori ut tali convenit, formatam; per veritatem igitur infallibilem distinguitur divina locutio a quavis humana, & eidem quilibet stylus subordinatur.

Adde, quod non in humanis, & persuasibilibus humanæ Sapientiæ Verbis, sed in ostensione Spi-
A ritus, & virtutis (ut cum Apostolo loquamur) doctrina ipsius consistit, & sanè mirabilius est, quod unus loquens per tantam varietatem dicendi, eamdem semper invariabilem, & unam concludat veritatem, quam si unico semper stylo procederet, maximè quia dubitari posset, an illa veritas talis appareret ex stylo. Idem est Spiritus, qui locutus est per Prophetas, & per Apostolos, qui ergo in Apostolis fecit, ut omnia in ipsis genera nascerentur linguarum, quid mirum, si in omni lingua, & stylo idem est ipse qui loquitur? propterea inquit Ose. 12. *Ego visiones multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum*, utique ipsis Prophetis, sicut in lingua Petri assimilatus est omnibus linguis audientium: Plura de hac re DD.
B Nobis satis &c.

Ad confirmationem con. ant. ne. conf. Ad probat. resp. Hieronymus ep. 101. quod ad Majestatem Dei loquentis spectabat, quod idem non iisdem semper verbis diceretur, sicut idem Auctor pluries enarrans eandem rem, non semper iisdem utitur verbis, sed sensuum veritate servata, verborum, ac flosculorum varietate proludit.

Secundò. Id factum esse, ut ostenderetur, quod non ex alio loco, quem citabat Scriptor, non indigebat venari fidem eorum, quæ scribebat, sed potius quamdam exhibebat sententiæ cohærentiam, quod verè non sufficit in testimonio, cum ut tale in rigore citatur: Hæc autem cohærentia ea est, quam in symbolo vidit Ezechiel, cum apparuit ei Rota una super terram, quæ erat una, & erat
C Rota in medio Rotæ, ut explicat ad eam visionem D. Gregorius.

Tertiò. Ad probandam auctoritatem dicentis, qui sicut per plures scribentes multiplici stylo utebatur, ita per multos dicendi modos eandem exprimebat veritatem, quod non contingit in eo, cujus Veritas seu Fides a stylo, & verbis dependet; Calumnia igitur est, si dicatur correctio, illa mutatio materialis, quæ ostendit dominium, & independentiam scribentis a stylo, ubi unitas attenditur Veritatis, cum enim aliquid corrigi contingit, supponitur error, seu deficientia in prioribus verbis, quoad manifestationem veritatis, si ergo eadem veritas utrobique, non est correctio; maximè quia, ut alibi ostendetur, variatio verborum loci, qui citatur, oritur ex varietate translationum, unde
D ut plures translationes approbet Spiritus Sanctus, nunc secundùm unam, nunc secundùm alteram loquitur, cum ex Instrumento veteri locum aliquem assumit in novo.

Ultimò argument. *ex cap. ult. Isa.* ubi dicit Deus: *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia*, ergò cum in Sacra Scriptura aliqua inveniantur inutilia, ea certè a Deo dicta non fuerunt, sicut & cum in eadem Sacra Scriptura quædam deprehenduntur, quæ vel non includunt doctrinam, vel non sunt digna, ut ea doceat, aut dicat Summa Dei Majestas, ac Sapientia, ea utique erunt scribentibus hominibus ex omni parte tribuenda, plura autem, quæ hujuscemodi notam patiuntur in præsenti a Doctoribus conglomerantur, & alia, in quotidiana Sacræ Scripturæ lectione passim occur-

currunt, quæ cum nihil inferant, aut concludant, ad divinam doctrinam non spectant. Ab illis verò referendis pro nunc abstinemus, tum quia ex se clara sunt, tum quia alibi (cum de regulis agemus) propriam sedem habent.

Resp. co. ant.; sed oportet videre, quæ nam seu qualia sint hæc utilia, & ad quid utilia: Alia enim sunt utilia mediatè, alia immediatè ad fidem divinorum, aut ad mores componendos; Alia utilia secundùm rem, alia ratione modi insinuandi Veritatem, & ad hoc iterum, vel per sensus occultos, vel per manifestos, vel ratione sui, vel ratione connexorum, vel formaliter in se, vel illativè, vel per cohærentiam, ac connexionem, vel ad integrandam doctrinæ manifestationem, vel etiam per oppositionem, vel per modos alios, ac loca communia procedendo, aut per figuras, ac tropos admodum utiles ad suadendum, ac disponendum animos ad Veritatem: Sub his autem cuilibet, vel modicum quid perito, vel etiam solo non corrupto naturæ lumine utenti, si advertat, certissimè constabit quemlibet, vel minimum totius Sacræ Scripturæ apicem contineri, idque satis est, ne locum habeat objectio. Quod si per inutilia sumantur, quæ minima in se, & humana apparent, hæc sanè magnum quid, ac sublime significant, dum divinam ostendunt benignitatem, & condescendentiam, ad homines, ita ut ad captivandos viles hominum animos, ea tam minima adusque loqui nobiscum dignetur, qui minores omni minimo quod refertur, in conspectu tantæ Majestatis vilescimus. *Ps. 38.* Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens, sicque eximium indicat erga nos parvulos suos amorem, quia non solùm cum Moyse, sed & nobiscum loquitur quasi homo ad amicum suum: sed de his alibi: Pro nunc dicamus cum Bernardo, *quantò pro me vilior, tantò mihi carior*, & ubi locum habeat in præsenti, ad abundantiam, proportione servata, cum D. Leone; Tantò ab hominibus magis honorandus est, quantò & pro hominibus, quæ Deo non apparent digna, suscepit, quod intelligendum est per comparationem ad infinitam Dei sublimitatem, & majestatem ut talem, si enim infinitam ejus, & Bonitatem, & Sapientiam, quæ ad universa se extendit & maxima, & minima, nulla Deo docente indigna sunt in Scripturis, sed id valdè homine adeo dilecto indignum, ut eadem ipsi obiiciat. Pro uberiori responsione, videatur Hieron. in Proœm. epist. ad Philem., & Aug. l. 16. de C. D. c. 2., cæteraque in præf. c. a nobis assumpta huic argumento solvendo congruè aptabilia.

Ulterius denique obiicit contra præcipuam Conclusionem Scalant: in suo Clypeo in præsenti quæstione, plures apparentes repugnantias inter vetus, & novum Instrumentum, quibus videtur posse probari, vel alterius, vel utriusque Deum non fuisse specialem Auctorem, quippe qui sibi nequit contradicere, ut nec mentiri, nec a se diffidere, cum ipse sit summa Veritas, ipsaque Veritas semper sit una; At similis objectio, cum de Regulis agemus, evanescet, & ubi reviviscat, alibi manifestè impugnata succumbet. Ideò ne vel universa confun-

A dantur, vel plura plures cum studiosorum fastidio contra D. Th. præceptum in Prologo primæ partis, quem assumpsimus initio operis hujus, sæpè repetantur, pro nunc sistimus.

Plura autem quærunt hoc loco ad materiæ præsentis complementum DD. Isagogici, ut puta, an Deus aliquid immediatè per se ipsum scripserit, an saltem Tabulas Legis: An Christus, an Beatiss. Virgo propria manu aliquid exararint, & similia: At quia parum hæc intersunt ad intentum nostrum, & luculenter a P. N. Antonio Præl. pr., & etiam a P. Cherubino, cæterisque pertractantur, quibus subscribere nobis gloriosum est, ad eos Lectorem remittimus, sicut & ad P. M. Jos. M. Turri, qui breviter, & dilucidè plura huc spectantia ex præd.
B DD. resolvit. Hoc tamen nobis obiter observandum, nè miretur Lector, si præter morem, prolixè, diùque morati sumus in hac quæstione; hanc enim totum ferè negotium hujus operis esse arbitramur, ut profundè rem considerans deprehendet, ubi enim perfectè conclusum maneat Sacram Scripturam esse specialissimum Opus Dei, immediatum, immediatione Causæ principalis, propriamque Dei locutionem, hæreses erroresque conticescunt universi, unde ad eam magis statuendam non pigebit sub diversis terminis eandem ipsam pertractare, cum de Sacræ Scripturæ notis agemus.

ARTICULUS IX., ET ULTIMUS.

C
De Nomine seu Nominibus specialissimi Auctoris Sacræ Scripturæ.

OPeræ pretium est nomen Auctoris, a quo & pondus & fidem, & nomen ipsum sortitur Auctoritas. Totius planè Operis Elenchus est nomen Scribentis, non enim aliud lumen continet volumen, nisi quod ille dedit, nec aliud ille dedit, nisi & quod ipse habuit, & qualis ipse habetur. Adulterinum sapit partus, cujus absconditur Pater, & amittit gratiam veritas, quæ suum non prodit Assertorem, dum enim latet in tenebris Pater, etiam luci expositus, ad lucem non venit Filius.

Jam ostendimus, quis proprius specialis, legiti-
D musque Sacræ totius Scripturæ sit Auctor, qui se se propria manu subscripsit. Ego Dominus docens te: Isaiæ c. 48. & quidem. In tanti Auctoris infallibilem veracissimam infinitam auctoritatem omni scientia certior tota resolvitur Theologica Fides, at quia eo ipso quod tantus sit, immò & talis Auctor, infinities superans quidquid tantum aut nosci aut dici potest, ideo ineffabile est nomen ejus. Quid ergo? Numquid quia summa & impertransibilis est auctoritas Scripturarum, cæteris, quæ inferiora sunt voluminibus in eo deterior erit, quod illa propriorum Auctorum nominibus coronantur, hæc autem quæ omnem manifestat & Sapientiam & Veritatem, proprii summique nomen ignoret Auctoris? Hinc ne hoc concedamus, conemur incomprehensibilis ineffabilis Scripturarum Auctoris nomen venari, idque saltem concludere licebit,

propriissimum ejus Nomen esse, quod super omne cognoscibile, unus appellatur adæquatè Innominabilis. A

Quæres igitur primo, Utrum aliquod Nomen Deo conveniat? Videtur enim quoad hoc & Scriptura Scripturæ, & PP. sibi met contradicere; Prov. 30. ait Salom. quod nomen ejus, & quod nomen Filii ejus si nosti? & paulò post resp. quasi asserens id impossibile: *Stultissimus sum Virorum. Ego sum qui sum, hoc dices* ait Deus Moysi: *Hoc est nomen meum, & Exod. 15. Quasi vir Pugnator omnipotens nomen ejus;* & passim in Psalmis totaque Scriptura occurrit sermo de Dei nomine, sicut ex eadem Scriptura & innominabilis habetur & nominabilis. Item Dionis. 1. c. de Divin. Nominib. neque nomen ejus est, neque opinio, & nihilominus toto illo Opere idem Dionis. plura asserit & effert Nomina, quæ propriè Deo soli conveniunt, idem reperies apud alios Patres. B

Sed expeditè resp. Angel. Doctor p. p. q. 13. ar. pr. & seq. eodem modo Deum esse nominabilem quommodo & cognoscibilem; Voces enim sunt signa cognitionis sive rerum prout & quatenus cognoscuntur, ideo quia Deum prout est in se directè in via hac nequimus videre, nec cum possumus adæquato nomine prout est significare, quod intendit tum Scriptura cum Dionis., cum Deum asserunt innominabilem, quia verò Creaturas, earumque perfectiones, quæ Dei dimanationes quædam sunt, videmus, per ipsas retrogredientes, immo & supergredientes ad Fontem, sicut ex eis discimus fontalem Dei perfectionem, quæ summa est, ita & eam prout cognoscimus nominamus, ita ut per nomina formaliter eam non adæquemus, sed potius per illud superius quod involvitur sicut in cognitione, ita & in nomine, quod superius cognoscimus esse impertransibile, immò & inattingibile pro hoc statu, & secundum hoc, nomen Dei seu nomina positivè Deo attribuimus. Sicque facile & Scriptura Scripturæ & PP. Patrib. ac singuli sibi ipsis conciliantur, & quod præcedenti numero dictum est in veritate concluditur. C

Quæres secundò An aliqua nomina Deo conveniant propriè, an omnia & singula tantum metaphoricè, cum enim ut dictum est, a Creaturis illa discamus, videntur singula nomina, quæ Deo tribuuntur, a Creaturis ad Deum fuisse translata, ideòq; metaphorica. D Sed resp. Ambr. 2. pr. de Fide: *Sunt quædam nomina, quæ evidenter proprietatem Divinitatis ostendunt, & quædam quæ perspicuam Divinæ Majestatis exprimunt Veritatem, alia verò; quæ translativè per similitudinem de Deo dicuntur.* Explicat autem D. Angelicus art. 2. loco cit. quommodo dentur nomina, quæ Deo propriè conveniant, quia videlicet id quod ex Creaturis cognoscimus in Deo esse, cognoscimus pariter non a Creaturis transferri in Deum, sed potius & per prius in Deo propriè & simpliciter ac perfectissimè reperiri, & inde ad Creaturas dimanare, unde nomina, hujusmodi perfectiones significantia magis propria Dei sunt, quam Creaturarum, ad quas cum nominatis perfectionibus derivantur. At quia ita nominantur, ut cognoscuntur res nominatæ & modus ipse illas cognoscendi est finitus & limitatus, atq; a Creaturarum cognitione quoad nos dependens, ideo quoad modum istum prius conveniunt Creaturis, quàm Deo, cum habeant modum significandi, qui competit Creaturis. In nominibus tamen magis attenditur substantia significationis, quàm modus, unde similia nomina simpliciter propriè Deo conveniunt.

Quæres tertio An inter nomina, quæ Deo attribuuntur propriè; & de quibus infra agemus saltem recensendo, aliqua sint, quæ etiam de Angelis cum eadem proprietate dicantur. Ratiò verò dubitandi (præter plures quas videre est apud Doctores, quæ tamen ad hanc unicam reducuntur) est quia in Veteri Testamento juxta communiorem sententiam, quam refert & defendit N. P. Cherub, loco mox citando, Deus non per se ipsum loquebatur ad homines, sed per Angelos, qui tamen se Deum dicebant, ut cum ex Rubo loquebatur Angelus ad Moysen sibi attribuit nomen Dei propriissimum dicens: *Ego sum qui sum, hæc dices, qui est misit me ad vos: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac &c.* immò in omnibus se gerebant, ac si essent personaliter Deus ipse, ac dum nomen Dei sibi attribuentes sed & adorationem latriæ ac sacrificia sibi oblata acceptantes, idque non modicam, quæ plures torsit, præsefere difficultatem, quam libenter, si ad institutum nostrum spectaret, qui tantummodò prælibamus, prosequeremur.

Responderi potest ex Gregor. Hom. 34. in Evang. quod sicut nomen Angeli est nomen Officii non naturæ, ita & nomina divina, quæ illis attributa sunt, non quidem eorum naturam, sed officia, in quibus Deum ipsum repræsentabant, exprimebant. Secundò ex eodem Greg. Bernardo in Festo S. Michaelis, cæterisque Patribus, Nomina Dei propria, Angelis quidem attribui, sed eadem Deo conveniunt substantivè, Angelis verò muneraliter, accidentaliter, & participativè. Unde & frequenter divinitatem afferunt, sed in obliquo cum de Angelis dicuntur, ut cum dicitur Gabriel Fortitudo Dei, Raphael Medicina Dei &c.

At non propterea omninò evacuatur difficultas, ut clarum est, quia reverà Angelus in Rubo id dixit de se ipso, quod Divinitatis plenitudinem significat, & est Deo soli propriissimum, prout est unicum esse a quo omne esse. Nec refert quod tamquam Legatus censebatur stare pro Rege, nam Legatum etsi repræsentare sciamus Personam Regis, scimus tamen Regem non esse, nec Regem dicimus simpliciter, nec ipse se talem dicit, quia revera talis non est, & quamvis concederemus, quod tamen falsum est quoad omnia extrinseca Legatum esse ipsum Regem, non tamen quoad substantialia concedi potest, aliter diceretur, quod Rex delegavit se ipsum, seque misit, quod neque de Divinis Personis dici potest, quod eadem nempe Persona se ipsam mittat, cum in hoc ipso designetur origo, quæ intelligi nequit, nisi cum pluralitate Personarum, ergo vel falsum est contra communem sensum, quod Angelus ex Rubo loqueretur,

retur, vel substantiale nomen propriissimum Divinitatis & Deo simpliciter & Angelo æqualiter convenit. Implicat enim quod detur inæqualitas in convenientia hujus Nominis, Ego sum qui sum, &c. cum purissimam explicet plenitudinem essendi, quæ immò excludit absolutam pluralitatem.

Insudant non modicum Doctores in hac difficultate, & eruditissimus P. N. Cherub. Vol. 3. P. 2. dissert. 11. Disput. unica, Art. 2. sect. 3. parag. 5. fatetur se per plures annos suspensum fuisse pro sincera ejusdem difficultatis & loci intelligentia ac enodatione, quæ tamen pluris interest, cum in ea Hæretici admodum fidant. Nos autem, quibus nec nimis diffundi, nec insolutum quid licet dimittere, breviter respondemus hanc esse diversitatem inter Legatum Dei, & Legatum Hominis, seu Regis, quod iste non loquitur realiter, immò nec potest loqui in suo Legato, ita ut verificetur realiter verba Legati esse verba Regis; moraliter enim tantum & ex fictione humana Legatus stat loco Regis, unde nequit dicere Ego sum realiter Rex, esse meum est esse ipsius Regis, sive est esse Regem, quia tales locutiones realitatem non moralitatem concernunt. Legatus verò Dei locutionem Dei loquitur, quia ipse Deus simpliciter & realiter suo loquitur in Legato principaliter, unde sicut Deus in se ipso, & per se ipsum dicere potest, Ego sum qui sum, ità eum intimè & realiter loquitur in alio, quia semper substantialiter idem est qui loquitur Deus: Ità docet August. *l. contra Adamant. c. 9.* dicens: *Sicut Verbum Dei, quod est Christus in Propheta loquitur veritatem, sic & in Angelo ipso loquitur, dum veritatem Angelus ipse nunciat; & rectè dicitur: Deus dixit, Deus apparuit, & idem rectè Angelus dixit, Angelus apparuit cum illud dicatur ex Persona inhabitantis Dei, hoc ex Persona servientis Creaturæ.*

Ita & Gregor. apud Cherub. loco cit. pag. 81. *Cum ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.*

Ex quibus apertè patet nullum nomen expressivum substantiæ sive essentiæ, æqualiter Angelo secundum esse suum consideratæ, ac Deo pariter in linea essendi convenire, & insuper quidquid supra toto præs. cap. asseruimus & probavimus de Divina locutione Dei propriissima in tota Sacra Scriptura remanet stabiliter confirmatum &c.

SECUNDA PARS ARTICULI.

In qua de pluribus, quæ Deo conveniunt, Nominibus specialiter agitur.

Expeditis iis, quæ in limine Articuli obviabant difficultatibus, jam tutò procedimus ad Dei nomina, prout brevitati nostræ conceditur, investiganda. Notamus autem nos iis potissimum insistere, quæ doctissimus Hebraici idiomatis, ac Mysteriorum Mosaycorum scribit Galatinus, quidquid enim alii conati sunt, vel denique, haustum ex eodem Auctore, vel ad ipsum proximè accedere comperimus. Qui plura voluerit, adeat

A Eruditissimum P. N. Cherubinum loco proximè citato, ubi quidquid alii sparsim dixerunt, quidquid curiositas Scientium hebraicas litteras desiderare potest per paginas 200. luculenter effundit. Nec propterea summum Mysticæ Theologiæ ac divinorum Nominum Magistrum Dionisium Areopagitam inobservatum dimittit; toto siquidem Opere de Divinis Nominibus sublimissimo quodam stylo plura Dei Nomina verè Divinus proponit, ea videlicet quæ nos rudi minerva, sed ad communem intelligentiam aptiori, ex Galatino tractamus.

Unicum Nomen, illudque planè ineffabile, divinam significans substantiam supersubstantialem ab humano intelligendi modo, infinito remotam intervallo, quod Creaturis incommunicabile summam

B indicat plenitudinem essendi, a Judæis dictum Nomen quadrilitterum, a Græcis Tetragramaton, a Latinis interpretatum, Ego sum qui sum, hebraicè verò Jeoha, communi Doctorum calculo comprobatum singulare reperimus. At quia illud impronunciabile secundum suam plenitudinem ac propriam significationem propriis latebat in notis, ideò alia ex eo nomina divinas quasdam proprietates, perfectionesque per Creaturarum respectum aliqualiter cognoscibiles Judæi derivarunt. Inter quæ primum magis notum significans divinitatem, essendique derivationem est Nomen El, in singulari El: Elohim in plurali. Ne verò quis obiiciat; si hoc nomen habet plurale, ergo non significat Deum, qui est essentialiter singularis, qui ait

C in Deutor. passim, Deus tuus Deus unus est. Galatinus l. 2. c. pr. & N. P. Cherub. cum ingenti Doctorum choorte loco citato ostendunt in hoc innui sublime Mysterium. Nam ex hoc ipso validum consurgit argumentum ad convincendum Judæos de Sanctissimæ Mysterio Trinitatis; non quidem ex hoc præcisè, quod grammaticaliter hujusmodi nomen plurale habeat utcumque, & quasi speculativè, sed attenta praxi & usu ejusdem in scripturis. Ut enim accuratè observat Galatin. Elohim & si plurale sit, conjungitur tamen cum verbo numeri singularis, ubicumque stat pro Deo vero. Unde in pr. Gen. cap. dicitur: *In principio creavit Dii seu Elohim Cælum & Terram*: Nam ubi nostra tam Græca quam Latina editio habet, *Deus*: Hebraica Veritas *Dii* dicit, & hoc est Mysterium:

D Quia enim Opera Trinitatis ad extrà indivisè sunt a tota Trinitate, ideò Moys. ad insinuandum omnes tres Personas ad Mundi creationem concurrisse *Elohim*, hoc est *Dii* in plurali dixit, & non El, vel Eloham quod est Deus unus in singulari & substantivè & adjectivè: ad ostendendum verò tres Personas essentialiter non distingui, sed idem omninò esse quoad esse hoc est unum Deum substantivè, non tres eodem modo Deos, dixit *Barà* idest *creavit*, non *Bareu*, scilicet *creaverunt*. Idque contra modernos Judæos, ex antiquis eorum documentis probat Galatin. notans, quod si aliquando fortè Dii etiam pro Deo vero sine verbo singularis numeri ponitur, statim additur aliquid indicans unitatem, ut Gen. c. 11. *Venite descendamus & confundamus ibi linguas eorum*; statim addi-

tur in singulari: *Descendit Dominus ad videndam Civitatem & Turrim*, & Gen: 35. *apparuerunt ei Dii*; statim subditur, *fac ibi Altare Deo, qui apparuit tibi*. Quod si in principio ait *faciamus hominem*, statim subdidit, non ad imagines, *sed ad imaginem nostram*.

Clarior porrò notitia & singularissimi illius Nominis *Jeoha*, & aliorum quæ ex illo præter *El* descendunt, traditur a Galatino loco citato ex Rabb. Haccados, qui latinè Doctor noster Sanctus interpretatur. Hic enim interrogatus ab Antonino Consule Romæ de nominis Jeoha significatu, scilicet de veritate quam signat Nomen quattuor litterarum (& nomen 12. litterarum, & nomen 42. litterarum de quibus paulò inferius dicemus) respondit: *Notum tibi facio hac esse Arcana divina, quæ omnes homines elam esse debent: Verumtamen quia te de Scolasticis benemeritum esse cognosco, notum tibi facio, Deum non habere nomen, cujus nos cognitionem habere possimus, nam ejus substantia est nomen ipsius, & è contrà, & sicut ejus substantiæ notitiam nullam habere possumus, quoniam ea cognita ei similes efficeremur, ità sui nominis cognitionem habere nequimus. Nihilominus omnia ejus nomina sunt attributiva: & quoniam nomen 4. litterarum operationibus ejut peculiarius est, ostenditque ejus notitiam perfectiorem prout capere nobis possibile est, & ex hoc nomine procedunt omnia ejus nomina. Ideo hoc nomen dictum est fimbommephoras, non quod ipsum sit ejus nomeu substantiale, sed nos id dicimus, quia hoc est, quod facultas nostra comprehendere potest, & altius nequimus ascendere. Notare autem debes, quod Nomen duodecim litterarum, & aliud quadragintaduarum non sunt nomina, quorum unumquodque verbum in litteris, aut 42. constet, sed quodlibet eorum sunt verba diversa, quæ unum ostendunt.* hæc R. Haccad. Prosequitur verò Galat. ex aliis: *Propter hoc, inquit, vocatur sembommaphoras idest nomen expositum, quia Dei substantiam sine æquivocatione & mixtura alicujus communis Deo & Creaturis, prout fieri potest, significat: Alia verò, cum sint derivata ab operibus, quæ similia sunt in nobis, dicitur, quod cum mixtura, & æquivocatione significant. Sicut etiam Adonai a verbo Adon, quod est Dominus, derivatur, & inde est quod etiam Angelus dicitur Adonai Gen. 18., & tamen hoc nomeu ex magis propriis Dei habetur; cætera verò ut Dajan, idest Judex. Ozadik, idest Justus: Hannun, idest Gratiosus vel Pius & Misericors, clarum est quod ex natura sua significationis sunt communia: Nominis verò quadrilitteri nescitur derivatio, & hoc non proferebatur nisi in Sanctuario a Sacerdotibus Sanctificatis, & eo modo quo erat possibile, quia in illo nulla est participatio inter Creatorem & aliam substantiam sivè entitatem; & significat Creatoris substantiam, quæ est esse suum. Dicitur autem Nomen expositum, quia cum litteris suis minimè legitur, secundùm verò quod in Civitate pronunciari poterat, dicebatur Adonai.*

Sed quęres primo si maximum illud nomen, litteris erat compositum; pronunciari igitur aliquo modo poterat, cum litteræ in quolibet idiomate ad id ordinentur. Quæritur itaque, quommodo litteras illius attendendo, pronun-

A ciabatur ab illis, quibus ipsum pronunciare concessum erat?

Resp. Hebraicum Idioma sanctum divinumque rectè appellari, quia a Deo edoctum, institutumque in statu Justitiæ Originalis ut habemus in Opere Aureo, quod inscribitur Thesaurus linguæ Sanctæ in Initio, ideoque cum aliis non esse comparandum, Mysteria enim ineffabilia, & magnam Sapientiam, pluresque conceptus suo quolibet caractere exprimebat. Unde non mirum, si summum illud nomen poterat scribi, & adæquatè non poterat pronunciari, mens siquidem in arcanis mysteriis ejus detenta ad pronunciationem ejus, quod comprehendere nequibat, non poterat pervenire. Quia verò nobis datum non est profunda idiomatis illius arcana tenere, facilè legentes descriptum
B hujuscemodi nomen, dicimus *Jeoha* scriptum fuisse, quod quia Judæi pronunciare non poterant, legebant Adonai, quasi nomen nominis, non nomen ipsum. In Sanctuario tamen Jeoha, sed imperfectè, a sanctificatis pronunciabatur. Nunc ut aliquid ad ejus intelligentiam proferamus, addimus ex Galat. *Interpretantur, inquit, aliqui magnum nomen Jeoha, ex ipso generans. Alii, qui essentiat; sive qui dat omnibus esse. Alii, unus & omnia, sivè omnia uniter ut Causa; sivè unus omnia continens eminentissimè.*

Nec omittendum, quod tàm insigne nomen & Trinitatem Dei significat, & Unitatem, quia etsi 4. litterarum dici solent, Tres tantum habet: Je, oh, va; sed apud Hebræos una duplicatur; ideo
C in benedictione Sacerdotum proferebatur tribus digitis utriusq; manus simul erectis, qui mos benedicendi finem habuit in Sancto Simeone, cum Jesum in Templo pręsentatum excipiens, benedixit, post eum verò nemo amplius eo sic usus fuit. Ipse siquidem erat quem pręnunciabat illa in Trinitate unius litterę duplicatio, qui unus erat, & secunda Trinitatis Persona, & Deus simul & Homo Christus, Jeoha Christus Jesus.

Quęres secundò Quodnam est Nomen 12., quodnam Nomen 42. litterarum. Resp. *Nomen 12. litterarum apud Hebræos est: Pater Filius & Spiritus Sanctus, & quia nihil est in Deo, quod non sit Deus, hinc emanat nomen quod apud eos est 42. litterarum, nempè Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus: Trinitas in Unitate, & Unitas in Tri-*
D *nitate, quæ apud Hebræos sunt litteræ 42. De his concludit Rabb. Heccados. ad Antoninum. Notare autem debebis hæc nomina esse ex divinis Arcanis, quæ a quocumq; occultari debent, quoad usque veniat Messias Justus noster. Illa tibi patefeci, tu autem fortiter occulè, hoc enim est maximum Mysterium totius Cabalæ.* Probat autem prædictus Rabb. ex Jehoa, hæc nomina originari, quia Genitus, de necessitate est cum Generante, & uterque simul se amat, & unit, cum igitur nomen hoc adeò sanctum sit, ac expressivum, nil mirum, si apud Ebreos, quamvis alia nomina quadrilittera attribuantur Deo, hoc tamen solùm antonomasticè dicatur quadrilitterum, quod apud Græcos est Tetragrammaton; est enim primum, cujus origo nescitur, & principalissimum, & radix aliorum. Porrò hæc quadrilittera ex eo deriva-

derivata sunt, *Adonai Ehiè*, *Agla*, sed solùm *Jehova* dicitur *Arabaha*, *Orbioth*, idest quattuor litterarum. *Adonai* sicut *Elohim* pluralitatem importat, nam ab *Adon* singulari, quod significat *Dominus*, fit plurale *Adonai*, quod est *Domini*, a quo plurali fit *Adonaim*, quod significat *Domini mei*, sicque pluralitate Trinitatem dominantem significat; at decretum est ab Antiquis, ut in usu esset loco singularis ad Unitatem Divinitatis exprimendam.

Ehiè secundùm eundem Galatinum significat *fui*, *sum*, *ero*; unde Ex. c. 3. *sic dices Filiis Israel: Ehiè*, idest, *qui fuit*, *est*, *& erit*, *misit me ad vos*; quod æternam Trinitatis significat stabilitatem, plenitudinemque essendi, a tempore independentem; Unde subdit, *hoc est nomen meum in æternum*: Trinitas etiam in eo expressa est, quod inquit. *Deus Abraham*, *& Deus Isaac*, *& Deus Jacob*; in eo autem, quod dicit, in singulari significat Unitatem.

Dices: quare ergo noster Interpres aliter vertit dicens: Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos?

Resp. Galat. *quia multa sunt in Legis Prophetarumque arcanis*, *qua hebraicus scribendi legendique modus insinuat*, *quæ in aliam transferri linguam non possunt*, *quod potissimum in ipsis divinis Nominibus apparet*, *in quibus plerumque tam Latina*, *quam Græca deficit editio*; Quod pulchrè testatur Origenes dicens *lib. contra Celsum*; *in quibusdam Sacris Nominibus mirandam latere virtutem*, *ideoq; hæc ipsa nomina ex Hebrea in aliam transferri linguam* non possunt. Vide quæ seqq. c. 14. lib. 2. ejusdem Galat. Quapropter cum P. N. Cherubino deponant scrupulum, qui Galatinum arguunt hoc loco quasi recedentem a Vulgata, a qua ex præcepto Tridentini, nobis non est recedendum. Explicare siquidem sensum, & significationem intimam alicujus loci secundùm hebraicam veritatem, & profunditatem non est recedere a Vulgata, aliter Sacri Interpretes, qui passim id præstant, damnandi essent; certè a nulla editione recedit, qui asserit, & probat nomina adeò intimè, & peculiariter significantia apud Hebræos reperiri, ut in aliud Idioma plenè transferri non possint, sed potius interpretatione, & examine indigeant, quam versione. Nec quidem apparet, quod Galat. sensum inverterit immediatum Vulgatæ, sed ejus laconismum brevi quasi paraphrasi explanavit.

Aglas nomen est Dei, & significat omnipotentiam, nam prima littera *Aleph* pro *Atta*, quod est *Tu* ponitur, secunda quæ est *Ghimel* pro *Ghibbor*, quod *potens* interpretatur, tertia *Lameth* pro *Leolam*, quod significat in *æternum*, quarta *Aleph* pro *Adonai*, quod *Dominum* significat, unde nomen *Agla* hoc solum significat, videlicet, *Tu potens in æternum Dominus*. Vide Galat. l. 2. c. 16.

De nomine *Sadai*, quod sæpè in Scriptura reperitur, aliquid breviter notandum. *Sadai* componitur ex littera *Sin*, & verbo *Dai*. *Sin* idem est, ac *Asser*, scilicet *est qui*, *Dai* verò significat, *sufficit*, significat ergo *eum qui sufficit*, vel *sufficientia ipsa est*, quod soli Deo convenit, deque

A ipso solo dicunt Hebræi, quandoquidem universa Vanitas, & deficiunt universa sub sole, solus Deus semper sufficit, & sibi, & omnibus: Hinc August. in meditationibus inquit: *Quid sufficiet ei, cui non sufficit Deus?* Et Seraph. Franciscus Deum alloqui consueverat: *Deus meus*, *tu es omnis sufficientia mea*: ac propterea Algazel. *in lib. de Dei Nominibus*, inquit, *Deus simpliciter*, *& absolutè dives*, *& ditans*, *quia immunis ab omni dependentia*. *Dives igitur*, *& sufficiens sibi in veritate is est*, *qui nullo alio indiget*, *quo indigent omnia*, *hicque solus Deus est*: De omnibus verò aliis hoc transumptivè sive secundùm quid dicitur. Præcipuis igitur nominibus Dei prout brevitati nostræ licuit, explicatis, quæ sunt: *Jehova*, *El*, *nomen 12.*, *nomen 42. litterarum*. *Adonai*, *Ehiè*, *Agla*, *Sadai*, quibus addit Cherub: B *Tsabbaoth*, quod est *Deus exercituum*, aliisque quæ spectant ad aliam classem, nunc præstat alia septuagintaduo, quæ potius Attributa sunt, quam nomina directa prælibare. Ad quod hoc tantummodo prænotandum, quod nomina hæc Cabalistica, quæ ex Hebræis proferemus verè nominabunt Deum, si summantur substantivè, primordialiter, originativè, ac plenissimè, ita ut & singula, & universa simul unum omnis nomen efforment. Aliter siquidem sumpta, Creaturis plura conveniunt, secundùm quod in rationales Creaturas dignatur Deus, quæ ipsi sunt propria, per participationem, ac imitationem derivare, ut quibusdam veluti gradibus, ad eum statum eas perducat, in quo verè similes ei erimus, quia videbimus C eum sicuti est.

TERTIA PARS POSTREMI ARTICULI.

De Septuaginta duobus Dei Nominibus.
Brevis Digressio.

MYsterium Cabalisticum est, nec tamen spernendum, ad divina exprimenda, prout possumus in Via, attributa, ac Dei laudem ex divinis litteris, quæ sunt ipsissima Dei verba, quodam ordine, & arte, seu regula anagramaticè divinum aliquod elogium eruere, quod & nobis quidem in usu est, at felicius in hebraico idiomate, quod divinis scatet Mysteriis, exercetur, ut Cabalistici Judæorum libri testantur. Quamvis enim pervicacium D Hebræorum nequitia omni bono abutens plurimas huic Arti nugas, & falsitates, eam nescientibus, imponens, inseruerit, non propterea Ars despicit, quia ipsi despiciunt: nec usus illius damnandus est, sed abusus. Hinc Patres, ac potissimum illorum Antesignanus Doctor Maximus difficiliorum locorum Sacræ Scripturæ hausere proprrissimas expositiones ex Cabala videlicet Moysis, quas diligenter refert N. P. Cherubin. Volum. 3. ab initio usque ad pag: 299. agens de hac materia, ubi quamvis, & quidem rationabiliter damnet usum Cabalæ apud Hebræos, cæterosque qui putant se per eam invenire sensus omninò proprios intentos a Spiritu Sancto, concedit tamen, & negare non potest ad exercendum ingenium in Dei laudibus, ut SS. PP. sæpè ea usi sunt, & ad aliquas expositiones Deo illumi-

illuminante, convenientee deservire; Nec in litterarum inversionem anagramaticam invehitur, sed in numerorum usum, quos & sine fundamento litteris applicari, & in se ipsis omni carere virtute, in ordine, vel ad exprimendos rationales sensus, vel ad futura praedicenda, tenaciter concludit. De quo, quidquid sit: Beda enim passim toto Tomo primo, ac Xistus Senes.; aliique doctissimi, Viri numeris a Deo virtutem inditam, cum creans Muodum singulis operibus majoribus diem, singulisque diebus numerum dedit usque ad septimum, qui numerus divinus est, & replicatur in tota serie rerum, ac numerorum, rationabiliter sustinent, omnemque in hac materia defectum ex eo ortum putant, quia scientia haec ignoratue, quam fingunt Judaei se tradere, immiscentes uni veritati, si quam noverunt, infinitas propemodum nugas, & totius fomenta falsitatis. Quidquid inquam sit de hoc, quod modò ad nos non pertinet, certè anagramaticas inversiones ad Dei laudem inventas, laudatissimas a magnis Viris invenimus, in quo exercitio studiosa juventus laudabiliter exercetur. Nobis aliquando propositum fuit, ut ex illo Josue c. 10. *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon, steteruntque Sol, & Luna*; Immaculatae Dei Parentis illibatam, adoratam, sanctissimamq; absque naevo Conceptionem, quae in illo Josue adumbratur miraculo, hauriremus; quod & multipliciter, & planè feliciter consequi Veritas ipsa concessit: Praeter alia verò, & quidem plura, quę ex praedicto textu Immaculatae, immaculata anagramaticè pullularunt elogia, quae ne studiosi graventur prolixitate digressionis, brevitati concedimus, hoc unum, cui magis plausit erudita devotio, referre placet, quod sic purissima conversione emersit.

Sol contrà Gabaon nè movearis, & Luna
contrà vallem Ajalon, steteruntque
Sol, & Luna.

Anagrama

Sub Sole lucente vel attolor, vel non
torqueor, sàna & non sanata,
Regina Immaculata.

Et quidem hisce floribus maluit Juventus nostra, quam profanis ornari, & nisi nunc aliud postularet aetas jam effeta, similium fasciculum ex hortulo nostro, qui in volumen excresceret, optaremus offerre; at melior planè ac jucundior, haec est cui nunc insistimus, divinorum fructuum messis.

Jam ergo ad nostra redeundo, duo & septuaginta Dei Nomina, quae (praeter jam data) celeberrima sunt, colligit Doctiss. Galatin. l. 2. Arcan. c. 17. ex libris Cabalisticis Hebraeorum ut sequitur. *In primis inq. textus, ex quibus nomina ipsa formantur, adducam, ex Exod. c. 14. ubi sic hebraicè dicitur; Hoc est, ut verbum verbo reddam: Et movit se Angelus Deorum, qui ibat ante Castra Israel, & ambulavit post illa, & movit se Columna nubis a facie eorum, & stetit post illa.*

Et venit inter Castra Aegyptiorum, & inter Castra Israel, & erat nubes, & tenebrae, & illuminabant noctem, & non appropinquavit alter ad alterum tota nocte.

Et declinavit Moyses manus super mare, & abstulit Deus mare vento noto valido tota nocte, & vertit mare in siccum, & divisae sunt aquae.

Quae quidem verborum series apud Hebraeos in tres Pasukim, idest textus seu versus distinguitur, quorum quilibet duabus, & septuaginta litteris constat, ex quibus Cabalistae miro quodam modo duo, & septuaginta Dei Nomina extraxerunt: & id quidem decem effecerunt modis: quorum primus est, ut primò prima littera primi versus accipiatur, quae est Vau, subinde secundi versus ultima, quae est Hè, postremò tertii versus prima, quae est Vau; ex quibus tribus litteris, primum primi modi nomen resultat: deinde accipiunt secundam primi Versus, quae est Jod, deinde penultimam secundi, quae est Lamed, postremò secundam ultimi, quae est Jod; & sic secundùm nomen constituunt, & hunc servantes ordinem continuè procedunt, quousque totus litterarum numerus absolvatur. Secundi verò modi nomina ex eisdem litteris sic secundùm eos formantur. Primò primam primi versus seu textus litteram adcipe, quae est Vau, & primam secundi, quae est etiam Vau, & primam tertii, quae est pariter Vau, & sic primum secundi modi nomen formatur. Deinde secundam primi, quae est Jod, secundam secundi quae est Jod, & secundam tertii, quae Jod quoque est, accipiendo, secundùm nomen secundi modi efficies. Item ex tertia primi, quae est Samach, ex tertia secundi, quae est Beth, ex tertia tertii quae est Tesh, tertium conficitur nomen secundi modi, & ita hoc ordine procedendo, donec eorundem textuum omnes litterae absumantur septuaginta duo nomina secundi modi efficiuntur. Reliquorum verò octo modorum nomina quomodò ex eisdem ipsis litteris componantur ex praedictis poterit studiosus quisque conicere. Antequam autem talia nomina saltem alicujus modi afferamus interpretata, notare oportet singula quaeque hujusmodi nomina constare tribus litteris, & tribus syllabis, quod est mysterium Sanctissimae Trinitatis ubique, & in singulis expressum, & unum quodque nomen ex illis unum est ad unitatem innuendam. Secundò talia nomina etsi septuagintadua dicantur solùm, sunt tamen reverà 720., quia sunt septuagintaduo in quocumque ex decem modis; qui numerus perfectè perfectus est. Adde notandum tertiò, quod Hebraei singulis nominibus aliquem versiculum Psalmorum correspondentem assignant, ut mysteriosa quaedam appareat expositio illius loci Exodi in Psalmis facta ad Dei laudem, & è converso, atque sic eluceat concors Unitas Verbi Dei, ac fecunditas, ibique latere sciamus divinum Nomen, ubi illud immediatè non legimus, ac si Deus ut Auctor totius Scripturae in singulis ejus verbis proprio nomine, ut Auctorem ejus se subscribat, sive se ipsum intimè in omnibus inscribat, ac protestetur nos verò versiculos Psalmorum omittimus, quia nec in verbis, nec in numeris, cum nostra vulgata concordant. Ne quis verò miretue nos praeter morem, quem abhorremus in praesenti quasi aliena transcribere, sciat Lector nos invito calamo, ideò nunc id praestare, sed quia Galatini volumen novimus non facilè in Bibliotecis inveniri, cum tamen constet in similibus integram eidem fidem deberi, qui suo tempore fuit Eruditissimus Hebraeorum, & inter conversos ex Hebraismo con-

constantissimus Catholicus, qui totam Hebraicam eruditionem Catholicæ servire coegit veritati ideò transcribitur. Pergit itaque Galatin. & 72. *Nomina primi modi* (inquit) *secundùm quod aliqui ex nostris ea sunt latinè interpretati afferimus.*

1. EXALTATOR. 2. AUXILIATOR. 3. SPES. 4. SALUS. 5. QUÆSITUS. 6. ANNUNCIATUS. 7. LONGANIMIS. 8. ADORANDUS. 9. RECORDABILIS. 10. TU. 11. EXALTANDUS. 12. OPPORTUNUS. 13. DECANTATUS. 14. SUBLEVATOR. 15. ENS. 16. ADVOCATUS. 17. DOMINATOR. 18. JUSTITIA. 19. EXAUDITOR. 20. ERUENS. 21. FORTIS. 22. DEXTER. 23. CUSTOS. 24. EXPECTANDUS. 25. MIRABILIS. 26. INVOCANDUS. 27. SALVATOR. 28. FESTINUS. 29. SANATOR. 30. AB ADOLESCENTIA. 31. SOLUS. 32. RECTUS. 33. COGITABUNDUS. 34. EXPECTATIO. 35. DEPRECATIO. 36. GLORIA. 37. FACIES. 38. REFUGIUM. 39. ADJUTOR. 40. PROPUGNATOR. 41. LIBERATOR. 42. CUSTODIA SEU CUSTOS. 43. MATUTINUS. 44. DOCTOR. 45. COMPATIENS. 44. OPERATOR. 47. MAGNIFICUS. 48. REVELATOR. 49. MAXIMUS. 50. CLEMENS. 51. LÆTABUNDUS. 52. ALTISSIMUS. 53. VERUS. 54. REGNATOR. 55. ÆTERNUS. 56. ERECTOR. 57. PROTECTOR. 58. ANIMUS. 59. ORIENS. 60. JUSTUS. 61. BENEDICTUS. 62. AMABILIS. 63. LAUDABILIS. 64. MISERATOR. 65. DEPRECABILIS. 66. ASSISTENS. 67. DATOR. 68. BONUS. 69. PRÆMIUM. 70. DEUS. 71. MULTUS. 72. REQUIES.

Hæc sunt 72. Nomina Dei, quæ cabalisticè, vel potius anagrammaticè ex præallegato Exodi loco, juxta artem, & methodum prædictas, & tantum in primò modo, educuntur. An verò sint interpretationes adæquatę nemo audet asserere, quia illa 72. Nomina hebręis litteris compacta inenarrabilia includunt mysteria, quorum plena interpretatio semper latet. Nos, quod invenimus, dedimus ne Scripturarum abscondita pertractantes, ab hoc Divinorum Nominum Arcanorum mysterio omninò jejunium dimitteremus Lectorem. Omnia hęc Sacrę Scripturę frontem adornant; Nomen siquidem Auctoris frontispicio deesse non debet, ne fides Operi debita minuatur.

Appendix seu Corollarium de Nominibus quæ conveniunt Messiæ.

MEssiam Christum Deum verum, verumque hominem esse, exultantibus Animis per spem Redemptionis, vera credit, & protestatur Ecclesia, si ergo verus Deus nostra assumens, & propria non amittens, quis dubitet, an ei conveniant Nomina quęvis, quæ pro modulo expressionis nostrę significant divinitatem? Verùm an ei, ut explicitè homo est, ea conveniant, aliqualis apparens dubitatio esse potest non rememorantibus, quę in Tract. de Incarnat. de communicatione idiomatum concluduntur.

Quantum spectat ad pręsens, cum Christus id habeat, & ut finis sit, & Auctor utriusque Testamenti, & ut figuratum sit perfectio Veteris, & specialiter in omni genere Causę sit Auctor Novi, agentes de Nomine Auctoris Sacræ Scripturæ tenemur de ipso aliquid prælibare; nec possumus sub pœna inconsequentiæ peritissimi Galatini notas præterire. Pergit itaque idem loco superius citato, & Nomen Dei Tetragramaton, aliaque recensita magis propria Dei Nomina, specialiter eidem Messiæ deberi, eumque exprimere probat ex Judæorum traditionibus, & expositionibus, immò ex ipsa Scriptura. Propriissimè tamen ei attribui, ea quæ specialiter Filio Dei; ut puta *Facies Dei*; prob. ex Malach. *c. 3. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam &c.* Verè enim Angelus ille fuit Baptista, & Facies illa Dei fuit ejus Filius incarnatus, quia sicut per faciem quisque cognoscitur, ita Deus per Filium suum Incarnatum.

Item nomen *Sadai*, quod significat *eum qui solus sufficit*, qua melior Dei manifestatio, quoad nos non apparet, deberi Messiæ cum omnimoda proprietate clarum est. Solus enim potuit totum humanum genus redimere, ac sine sui diminutione Thesauri, Patri satisfacere pro infinitis hominum etiam possibilium possibilibus peccatis, *satis fuit*. Unde Ambros. *in epist. 82. ad Vercel. Ecclesiam. Sed Jesus*, inquit, *non egebat adjutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine Adjutore servavit. Unde & dicit in Ps. 87. Factus sum sicut homo sine Adjutorio, inter mortuos liber.* Probatur autem fortius ex Scriptura secundùm Versionem Hebræam juxtà intelligentiam prælaudati Galatini, per illud Job c. 33. *Spiritus Dei fecit me, & Anima Sadai vivificavit me*, hoc est Anima ejus, qui solus tota sufficientia est. Cum enim nec Pater, nec Spiritus Sanctus Animam habeat, sed solus Filius Incarnatus, qui Animam illam habet, quam sibi in Incarnatione univit in divini suppositi unitatem, sequitur de solo Dei Filio Job fuisse locutum, cum ait, *Anima Sadai vivificabit me*, Anima scilicet ejus, qui secundùm Isaiam c. 53. *venit Animam suam dare Redemptionem pro multis*, & Mat. 2. juxtà intelligentiam, ac versionem Galatini exposuit, vel effudit morti Animam suam. Probat etiam ex ipso *Talmud, & lib. Koma in C. Tereph.*, at melius ex *Ps.* 91. ubi dicitur, *habitans in velamento Altissimus in umbra Sadai morabitur*, quæ verba aptissimè possunt exponi, ut sint prophetica de Christo, secundùm hunc sensum, Habitans erit in velamento, idest Sacratissimo Corpore suo Altissimus, idest Dei Filius: In umbra, hoc est in Beatissimæ atque Immaculatæ Virginis utero, Sadai, idest ille qui solus pro humano Genere satisfacere sufficit.

Inter alia etiam nomina, quæ Deo attribuuntur, quod superius non innuimus ne eadem sæpius repetere cogeremur, Divinum Nomen *Innon* propriissimè competit Messiæ, cum sit nomen Filii Dei, significat enim natum seu genitum, & nasci facien-

facientem, vel Filium, & Filiantem plures. Verè A enim, & propriissimè Christus est Filius Dei naturalis, & æternus, qui veniens in Mundum dedit eis, scilicet Fidelibus suis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, idest *Innon*. Filius in æternum vivens, qui & nos regeneravit Deo per sanguinem suum, & resurgere faciet omnes homines in extremo Mundi, infinitam vitam suam effundens in omnem Carnem. Unde hic est etiam secundùm Judæos, de quo dicitur *Ps. 71. Erit nomen ejus in æternum, ante solem Innon nomen ejus*. Cùm autem Pater, etsi Generans sit, non tamen Genitus Generans, & Spiritus Sanctus licet vivificans, non tamen Genitus, clarum est, quod Soli Messiæ Filio Dei hoc nomen *Innon* cum proprietate debetur; quippè quia ab æterno est semper genitus, & etiam in tempore ex divina Virgine B verè natus; omnem absorbet nascendi perfectum modum; & vivificat, & redimit, & Resurrectionem (quasi Filios sibi reficiens omnes) dabit universo hominum Generi. Ne verò diffundamur, satis erit innuere, quæ pulchrè addit Galat. Agit enim de germine, de Rore, de Emmanuele, quæ nomina sunt Messiæ in Scripturis ad ipsius innuendam Divinitatem. Plura etiam de his nominibus, habet quæ ex effectu dessumpta, Scriptura attribuit Messiæ, puta Isa. c. 9. *Filius datus est nobis &c. & vocabitur nomen ejus Admirabilis, nempè in Nativitate, Consiliarius in Legis Evangelicæ promulgatione; Deus, in miraculorum operatione; Fortis, in Passionis toleratione; Pater, in Redemptionis dilectione; Sempiternus, in Resurrectione; Princeps, in Ascensione; Pax, in Spiritus Sancti missione*. Sed C mirabilia sunt, quæ hoc loco ex præcitato Rab. Haccados recitat, in quibus verè prædicuntur ea ferè omnia, quæ in Christo effecta fuerunt. Vide hoc c. 17. ex Hacead. expositionem totius præallegati Textus Isaiæ, omnia denique concluduntur Excellentissimo omnium Nomine, quod est super omne Nomen, dulcissimo Nomine JESU; de quo hic brevissimè, cum in hoc, Verbum suum abbreviatum fecerit Dominus super Terram.

Plurimi PP. insignioresque Expositores, Catholicique Doctores gloriosè delectati in Dulcissimo *Jesu* Nomine, præclarissimis ejusdem elogiis feliciter insudarunt. Inter primos excelluit Bernardus, inter Expositores Catholicosque Doctores Sapientissimus, Pater Joannes de Carthagena Ordinis D Seraphici, Innumerique ex nobilima Societate Jesu, ut puta Celebris Cornel. a Lap. Velasq; in Epist. Pauli, nec spernendi ex nostris R. P. Joachim a S. Maria, ac novissimè P. Cherub. agens de Dei Nominibus loco jam supra citato, quos innuisse satis est, ne videamur præsumere immensum mare in fitula coangustare. Ne tamen omninò sileamus Nomen, cujus elogio tota studet æternitas, brevissimas quidem, sed non vulgares notulas ex Galat. l. 3. c. 18. haustas, Lectoris devotioni offeret humilitas nostra.

Inter omnia immò super omnia, ut phrasi utamur Apostoli, tum Deo in se ipso, cum Deo in homine attributa nomina, singulare, dignissimum, solemneque est Nomen Salvatoris Messiæ *Jesus*. De hoc apud Galat. l. 3. c. 18. Rab. Haccad. de quo supra *in lib. Galerazeia, ad Antoninum Confudem* inter alia dicit: *Quia Messias homines salvabit, vocabitur Jesuah. Gentes autem alterius nationis, quæ fidem ejus sectabuntur, vocabunt eum Jesum, & propterea invenies hoc nomen Jesus designatum in textu Gen. c. 49. Non recedet sceptrum de Juda; in primis litteris horum verborum Javoel, Silo, Vela. Si enim acceperis primas litteras harum dictionum, Jesu eadem litteræ conficiunt*. Sic ille. Et quia non solùm Judæi, qui illud abjurarunt, sed magis Gentiles salvari per illud debebant, ideo etiam Gentilibus revelatum est. Nam sibilla Eritrea, quædam cecinit carmina de Fine Mundi, ex quorum primis litteris si recta linea non extensa legantur hujusmodi verba resultant: *Jesus Christus Dei Filius Salvator, Crux*. De quibus August. in lib. de Civit. Dei, & ex eo plurimi.

Addendum etiam ex peritissimis linguæ Sanctæ, cujus Mysteria, etiam nolentes, ad Gentes transmiserunt Hebræi, quod Nomina Sanctissima *Jesus* & *Maria* simul per litteras hebraicas scribuntur, quibus numeri pariter significantur, & ex eis resultat numerus 612. Nam *Mem* 40. *Res* 200. *Jod.* 10. *Mem.* 40. *Vav.* 6. *Jod.* 10. *Scin* 300., & *Vav.* 6. Nec prætereundum quod eundem numerum importat hoc nomen *Berith*, hoc est *Pactum*: Nam. *Beth.* 2. importat. *Res* 200. *Jod.* 10. *Tau* 400. *V.* Galat. *l.* 9. *c.* 10. At cum hoc nomen propriissimum sit Dei hominis, ideoque præcognitum, ac mirabiliter prænunciatum.

Quæres An & quommodo verum sit, quod dicatur *Nomen novum*, de quo dicitur Isa. *c. 61.*, *& vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*.

Resp. Novum esse & semper fuisse, quia nunquam satis comprehendi possunt ejus Mysteria: vel patetice dicas, novum dictum fuit, quia nemini 'ante Messiam erat imponendum, nomenque assignatum erat proprium Filii Dei, qui semper primus, & novissimus est, erit, & fuit, in quo sensu alia etiam complectitur propria Dei Nomina.

Nec refert si replices: Tres alios in Scriptura tempore præcessisse, qui hoc eodem nomine vocabantur, nempe *Jesum Navè*, *Jesum Syrach*, & *Jesum Josedech*, qui ab omnibus dicuntur figuram præculisse Nostri Dulcissimi *Jesu*, sicut Nomine ita & facto. Siquidem *Jesu Navè* vir fortissimus Successor Moysis devictis hostibus Filios Israel in Terram Promissionis induxit. *Jesus Syrach* Sapientissimus Doctor suis temporibus Sapientiam innovavit. *Jesus Josedech* Sacerdos Sanctissimus Templum Domini ædificavit. In quibus hi apertè prænunciarunt, quod Noster Fortissimus *Jesus* hostibus nostris subactis miro nimis modo, quippe qui domuit Orbem non ferro, sed ligno, nos redimeret; quod in Evangelio verissimam Sapientiam contra errores omnes celebraret; quod sua Sanctitate ipse Sacerdos existens in æternum, Ecclesiam congregaret, eamque de vivis, & electis lapidibus in Dei Templum ædificaret.

Resp. communi PP., & Ecclesiæ sensu concedi Tres

Tres illos Duces, Heroes, Pontifices figuram Nostri Sanctissimi *Jesu* prætulisse; An verò eodem simpliciter nomine insigniti fuerint ac nomine *Jesus*, decidere non audemus. Plures quidem etiam inter Patres asserere videntur, & nos in eorum venerationem negare pervicaciter non audemus. Præcipuus tamen inter eos, qui de hoc Sanctissimo Nomine prædicarunt, Bernardus, ità vulgò appellatos admittit, at umbram ejus tantummodo illis concedit, dicens de Vero *Jesu*: Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas: Ubi igitur Patrum sensus non obstat, fides habenda est peritissimo hebraicæ Veritatis, & Sacrarum Scripturarum Galatino, qui loco mox citato ait: In hoc plurimi falluntur ob ignorantiam Litterarum hebraicarum, nam nullus ex illis tribus, & a fortiori nullus alius, vocatus est *Jesovah*, quod est *Jesus*, sed *Jehosua*, quod est nomen longè aliud a *Jesoah*, aliudque significat. *Jesoah* enim idem est, quod *Salvator* sivè *Salus*, *Salvatio*. *Jehosua* verò, *Deus salvabit* interpretatur, ut ex ipso nomine innotesceret, quod nullius eorum intererat salvare, sed Dei solius; Hominum namque est, salutem sperare, Dei dare; ac per hoc innuebatur, quod solus Homo Deus futurus, salvaturus erat sperantes in eum: Deus ut salvare posset, Homo, ut satisfaceret moriendo Divinæ Justitiæ &c.

Quæres denique An Idem sit Nomen *Jesu* & *Tetragramaton*. Eruditè ac diffusè procedunt quoad hanc similesque Quæstiunculas Doctores, quos videtur excussisse & in hac & in omni, quæ ei occurrit, materia P. Cherub. loco supra citato. Nos breviter respondemus, apud Latinos quidem aliquam apparere correspondentiam, nam Tetragramaton apud Hebræos, tribus litteris constat *Jod*, *He*, *Vau*, quarta enim, ut supra innuimus, non est nisi dupplicatio secundæ. Quibus quidem litteris correspondere videntur nostræ: *I. h. V.* quæ simul junctæ in communi abbreviandi modo dant *Jesum*. Titulus autem suprà ponitur ut Crux, per quam salvati sumus, memoretur, & amantissima passio Redemptoris, in qua Titulus Crucis fuit: J. N., cui exprimendo Crux redit vicem, evadens titulus nominis illius, quod prius fuit titulus Crucis: sed apud Hebræos, Caldæos, & Græcos ait Galatin. *constat satis diversum esse Nomen Tetragramaton, & Nomen Jesus, quia in sola litera prima conveniunt*: Idque fortè propheticum fuit Mysterium; sic enim prædici videbatur Latinos *Jesum*, ut Deum, & Hominem adoraturos, quod per convenientiam Jesu & Tetragramaton, quoad ipsos apparet, Hebræos verò, Caldæos, & Græcos eamdem fidem non facile recepturos, & receptam conservaturos. Qua verò ratione Messias dicatur, *Lapis*, *Vir pugnæ*, & similia, quæ passim in Scriptura offendimus, opus est nostram superans brevitatem, nostrumque fugiens institutum: Plura tangit Galatin. loco cit., videndus etiam Arias Montan. Tom. pr. apparatus &c. Nos, quia fortè ad condimentum doctrinæ, alibi etiam hoc dulcissimum Nomen prælibabimus, ad finem accedimus.

A

CAPUT IV.

De Causa Finali Sacræ Scripturæ.

Terminum posuisti, quem non transgredientur inquit David, *Ps.* 103. Intrà duos enim terminos (qui idipsum sunt) intermiuabiles, universa clauditur creatura, quæ sui ipsius, nec primum principium esse potest, nec ultimus finis, ut dictat lumen Naturæ. Deus itaque primum Principium, & ultimus Finis Universorum, in se ipso secundum hanc duplicem rationem, omnia quæ ereat & terminat, impertransibili infinitate complectitur. Sanè speculum quoddam Divinitatis est Sacra Scriptura, in qua divini conceptus, per speculum videl. & in ænigmate, summæ lucis transpiratione
B cernuntur, ac proinde in eadem, & ratio primi Principii, & ultimi Finis, mirabili ostenditur claritate. In primis verbis primum Principium, nam incipit Sacra Scriptura per illud: *In principio creavit Deus Cælum & Terram Gen.* 1. & in ultima sui parte, nempe Apoc. *c. ult.* Ad desideratissimum ultimum finem anhelans concludit, *Amen*; idest *laus Deo*: *Amen*, *Veni Domine Jesu*: *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*, & iterum *Amen laus Deo*, nam & idem Apost. Joannes supra c. 1. Apocal. quasi explicans hoc *Amen* dixerat: *Amen*! *Ego sum Alpha & Omega*, *Principium & Finis*. Et quia Finis definitur id cujus gratia, propterea in extremo conclusit, *Gratia Domini Nostri Jesu Christi*.

C Ex his habemus jam citra quæstionem, Deum sicut Sacræ Scripturæ est specialissimum Principium, ita esse omni titulo specialissimum etiam ultimum Finem, quia hæ duæ rationes in communi sententia sibi adamussim correspondent: ideoque Deus Sacræ Scripturæ & est Finis ultimus universalis, & particularis, & non ipsius utcumque, sed ipsius, & in ipsa, novo quodam genere finalizandi, quandoquidem Finis ex suo genere est causa extrinseca, at in Sacra Scriptura est intimè, nam Sacræ Scripturæ intimum est significatio, in qua ipse specialiter reperitur. Quamvis verò res ità sit, & probatio ex se sit clarissima, ut etiam hac de causa more nostro tractemus: Distinguimus cum PP. Salmant. *Tr. de Ultimo Fine in principio*; immò cum *D. Th. pr. 2. qu. 1. per totam*,
D Finem prout ad præsens spectare potest, in ultimum, & non ultimum. Finis omninò ultimus est Is, qui alteri non subordinatur, & ultra quem ferri non valet intentio: Non ultimus est, qui ad alterum ordinatur, etiam servata ratione Finis. Deinde alia divisione, Finis quasi præscindens ab ultimo & non ultimo, dividitur in proximum & remotum; proximus est ipse finis operis, qui coincidit cum objecto, & dicitur finis intrinsecus, quia ab intrinseco Opus in ipsum tendit suaptè naturà; finis remotus ille dicitur, in quem fertur opus ex intentione operantis: possunt tameu omnes prædictæ rationes in unico fine coadunari, qui & sit ultimus, & finis simul Operis, & Operantis. Finis ultimus alius est generalis, alius particularis, qui dicitur ultimus, eo quod peculiariter & pro-

ximius cum ultimo absolutè tali unitur; Finis verò non ultimus ex eorundem PP. doctrina dividitur in finem formalem, & finem effectum, & hic est quidam effectus, quem revera proximè Agens intendit, sed proximè etiam ipsum ordinat ulterius ad ultimum, tamquam ejus præcipuam participationem, non tamquam medium. His ergo suppositis ponitur.

ARTICULUS I.

In quo agitur de Fine proximo, & de Fine cui Sacræ Scripturæ.

Dicendum est primò, finem proximum Sacræ Scripturæ in sensu rigoroso, quia coincidit cum objecto, esse Deum ut revelatum. Hæc conclusio suppositis illis, quæ dicta sunt de Causa formali Sacræ Scripturæ extrinseca, seu de objecto ejusdem formali, quod idem est ac objectum Fidei, modo tamen illic explicato, probatione non indiget. Ad abundantiam tamen probari potest breviter. Sacra Scriptura cum sit Opus Dei se ipsum revelantis, nihil proximius intendit, quam Deum manifestare, implicat enim quod sit essentialiter manifestatio, ut potè significativa locutio, quodque, quod idem est, sit essentialiter Verbum Dei loquentis, docentis, & revelantis se ipsum, & quod ex natura sua id non intendat, ergo evidens est, quod finis ejus proximus & connaturalis est Deus ut revelatus.

Dices; hoc videtur implicare, quia Scriptura hoc modo esset finis proximus sui ipsius; cum enim ipsa sit revelatio Dei, idem est ac Deus ut revelatus.

Resp. ne. Ant. Deus siquidem ut revelatus importat finem terminantem revelationem, sic ab ipsa extrinsecè denominatum, ut patet, unde potius exprimit diversitatem finis a se ipsa, quia nihil denominatur extrinsecè a se ipso.

Sed transeat, quod Deus ut revelatus in sensu quodam apparenti sit ipsa Dei revelatio; adhuc tamen, & quia Deus nunquam adæquatè potest revelari, & quia hæc revelatio est obscura, adhuc semper Deus qua revelabilis, quod semper est etiam ut revelatus, potest esse & est finis proximus Sacræ Scripturæ, quæ ex natura sua semper in ipsum tendit, ut revelabilem.

Dices secundò: Locutio intendit proximè perfectionem Audientis, cui se ipsam communicat per modum doctrinæ, vel saltem intendit se communicare, ergo sui communicatio passiva, sive perfectio audientis vel addiscentis est finis ejus proximus. Prob. ant. Omne agens naturaliter intendit proximè assimilare sibi passum, ut communiter cum Philosopho sentit D. Th., omnisque Schola: Sed nihil similius locutioni formaliter acceptæ, quam cognitio audientis, quæ est proprius ejus effectus, & eandem importat veritatem, quæ in Magistro & discipulo tantum modaliter, vel materialiter differt: ergo &c.

Resp. dist. ant. Locutio completa & existens, admitto ant. locutio quasi incompleta neg. ant.

A Certum est quod ad hoc ut agens agat debet considerari ut existens, quod est esse extra omnes suas causas, & dependentiæ modos; aliter nequit communicare se ipsum, cum non sit perfectum, nec agens est nisi in quantum quod est in actu; sic ergo ut locutio suo modo, idest ut quò producat in audiente similitudinem sui, debet esse constituta per respectum ad objectum; prius ergo & proximius respicit objectum seu finem proximum, quam sui similitudinem; immò nequit intelligi, in quo cognitio audientis assimiletur locutioni dicentis, nisi in respectu ad objectum, qui respectus utramque formaliter constituit; hoc ergò perprius respicit tamquam finem proximum ut dictum est, & in hoc sensu talis finis dicitur illi intrinsecus, ut prænotavimus. Ad illud de agente naturali, resp. quod

B tale agens, cum sit quid absolutum & perfectum in se ipso, intendit proximè communicationem sui, scilicet suam speciem, quia nihil habet, quod prius respiciat essentialiter, quod in locutione non habetur; si enim locutio est, de aliquo est, quod est ab ipsa diversum; quod si locutio esset reflexa, scilicet de se ipsa, tunc ut gerens munus objecti esset diversa a se ipsa, nam id, de quo loqueretur esset locutio, ut quod, & directa, ipsaque nova locutio esset reflexa: Et quidquid sit de hoc, vel loquatur quis de objecto, vel de propria locutione, verificatur, quod & locutio de qua, & locutio quæ semper sunt de aliquo objecto ne verificetur ipsam simul esse, & non esse quod est.

Dices tertio Ipsamet revelatio simul cum obje-

C cto revelato ut tali, habet pro fine proximo audientem seu credentem, ergo non ipsum objectum, constat enim quod loquens non loqueretur, nisi intenderet intelligi.

Resp. dist. ant. habet pro fine proximo Cui, ipsum audientem co. ant. pro fine cujus gratia, ne. ant. Ex se patet responsio. Ille qui loquitur, ideo vult audiri, quia supponit dignum esse illud objectum, ut intelligatur ab eo, qui nescit; unde tendens ad objectum, trahit etiam alium ad illud, & non intendit audientem, sed audienti illud communicare: & hoc totum probatio est secundæ conclusionis, quæ sequitur.

Dicendum est secundò, Finem proximum Cui, Sacræ Scripturæ, esse Ecclesiam Militantem, ac singulas partes, quibus componitur.

D Evidens est hæc conclusio ex dictis, potest tamen ulterius probari. Frustranea immò nulla est manifestatio, quæ nulli fit, ergo divina locutio & manifestatio, quæ est ipsa Sacra Scriptura, formaliter debet alicui fieri; sed Ecclesia Triumphans revelatione non indiget, quæ clarè Deum videt, neque damnati, quibus nihil prodest, nisi ut plus torqueantur ex ejus veritate, quam contempserunt, ergo datur Ecclesiæ Militanti per modum doctrinæ & directionis ad Patriam.

Hinc confirmatur; Sacra Scriptura, ita revelat, ut etiam dirigat præcipiendo, prohibendo, terrendo, alliciendo, ut notant Gregor. Hieron. cæterique PP. de quo suo loco diximus. Et ideo inquit Apost. 2. *ad Tim. c. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*: utique eos

de

de quibus Propheta ait : *Et erunt omnes docibiles Dei* , & alibi sæpè in Sciptura : Audi Israel , quæ loquor ad te . Ex quo patet Ecclesiam Militantem sumi in præsenti lato modo , prout omnes comprehendit Viatores , & qui ipsam componunt , & qui ad ipsam tenentur , & vocantur per ipsam siquidem jus veritatis est , ut eam , cognoscens quodcumque rationale suppositum complectatur.

OPPOSITUS ERROR.

PUgnant contra hanc veritatem Judæi , qui solùm pro se ipsis privativè , Sacras litteras datas fuisse contendunt , quæ est prisca illorum imaginatio : Unde in Actibus Apostolorum etiam qui crediderant ex circumcisione Fideles , nundum hac opinione deposita mirabantur , quia etiam in Gentes Gratia Dei effusa est ; propterea dicebat illis Christus Jo. c. 5. *Scrutamini Scripturas* . Erat autem apud illos ita firmata hæc opinio , ut etiam Petrus ipse inclinaret ad faciendum Gentes judaizare , ut locum haberent inter Fideles , ac si solùm intra terminos illius Populi , omnis consumaretur & sisteret vera Fides , ac promissio Scripturarum ; Antesignanus verò nostræ sententiæ Doctor Gentium restitit in faciem Cephæ , quia reprehensibilis erat ad Galat. c. 4.

Primò tamen argumentantur , velut ad hominem ex Evangelio , uti nobis Sanctissimo , etiamsi ab ipsis reprobato Mat. c. 15. Christus respondit Apostolis rogantibus , ut Cananeam exaudiret : *Non sum missus nisi ad oves , quæ perierunt domus Israel* , & ulterius ipsi Cananeæ , quæ Gentilis erat restitit , dicens : *Non est bonum sumere panem Filiorum & dare canibus* ; Panis autem eodem Christo docente Math. c. 4. est doctrina Scripturarum : *Non in solo pane vivit homo , sed in omni verbo , quod procedit de ore Dei* . Et Amos c. 8. *Non dabo vobis famem panis , neque sitim aquæ , sed audiendi verbum Dei.*

Secundò . Nemo scribit Epistolam , idiomate omninò alieno illi , qui eam legere debet , & exequi , quæ in ea continentur , ergo cum totum vetus Testamentum fuerit hebraicè primò conscriptum , hebraico solùm Populo non aliis scriptum fuit.

Tertiò . Totum vetus Testamentum , & ab Hebræis Auctoribus conscriptum est , & hebræas tantùm narrat historias , vel si quas alieni Populi , eas ordinat ad Hebræos : Insuper sapientiam & præcepta continet , quæ illi soli Populo imposita erant , & Gentiles incircumcisos celanda.

Confirmatur ; Neque ceremonias , neque sacramenta , neque modum judicandi , nec pacta in contractibus , nec neomenias , aliasve Sacras solemnitates veteris Testamenti (novum enim omninò excludunt) recognoscunt alii præter Hebræos ; sed hæc omnia præscribuntur in Exodo , Levitico , Deuteronomio , & in reliquis libris veteris Testamenti supponuntur , & laudantur , ergo solis Hebræis Sacræ litteræ , & datę sunt , & conveniunt : Alii autem perperam , & gratis illas usurpant.

Adde quod Deus pro Hebræis pugnabat contra Gentiles , ut constat ex Pentateuco , totoque veteri Instrumento , unde sæpius repetebat ; *Inimicus ero inimicis vestris* ; & gloriabatur vocari , *Deus Abraham , Deus Israel , Dominus Exercituum Deus Israel* , nunquid credendum , quod scriberet secreta sua inimicis , aut illis prodesse vellet ? Ac denique hæc omnia concludit David. Ps. 147. *Non fecit taliter omni Nationi , & judicia sua non manifestavit eis.*

Hæc præter morem simul congessimus , quia eandem continent difficultatem , sive apparentiam , cui facilè occurri potest.

Respondet autem Apost. Gent. in *Act. Apost. c. 13. Vobis quidem primum , hoc verbum missum est , sed quoniam illud repellitis , ecce convertimur ad Gentes* . Et melius ipse Christus Jo. c. 10. *Alias oves habeo , quæ non sunt ex hoc ovili , & illas oportet me adducere , & fiet unum Ovile , & unus Pastor* : Et iterum Christus mittens Apostolos ad prædicandum , jussit : *Euntes docete omnes Gentes , prædicate Evangelium omni Creaturæ , baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* . At quia veteri dumtaxat fidunt Instrumento ; Audiant David ad litteram clamantem *Ps. 48. Audite hæc omnes Gentes ; Quique Terrigenæ , & Filii hominum simul in unum dives , & pauper* . *Ps. 46. Omnes Gentes plaudite manibus* . *Ps. 65. Jubilate Deo omnis terra* . *Ps.* eodem *Omnes Gentes quascumque fecisti venient* . *Ps. 116. Laudate Dominum omnes Gentes* . *Ps. 17. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine* : ac denique toto Psalmorum libro , immò toto veteri Testamento Gentes vocantur ad veritatem , & sunt dilecta hæreditas Filii Dei ; Unde manifestum est , Verbum Dei materialiter quidem primum Judæis revelatum , sed ut illud Gentibus , cum earum plenitudo intraret , ipsis exclusis , conservarent , & tamquam Bajuli nostri ad nos ferrent libros , quibus illi necarentur , nos salvaremur , ut cum Augustino omnes Patres passim observant.

Nunc ad singula resp. ad primum , ex doctrina Abulensis , & aliorum Expositorum , Christum missum quidem fuisse ad Judæos , cum enim venire statuisset ad vocandum non Justos , sed peccatores , & Judæi ex sua perversitate dura cervice essent , & incircumcisis cordibus , & auribus , iniquissimi , & increduli , consequenter ad eos missus est , secundò cum vellet per Passionem suam homines redimere , cumque nulla Gens præter Judæos adeo superba , & crudelis esset , ut mortem tam barbare , quam ejus Amor erga nos postulabat , auderet infligere Filio Dei , ideo ad eos venit , qui hæredem Patrisfamilias occiderent , ut raperent hæreditatem , eam nescientes quid esset , quia non meminerant *Ps. 2.* ubi Pater inquit Filio : *Postula a me , & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam , & possessionem tuam terminos terræ* , non obduratam terram Judaici Gelboè , sed *terminos terræ* , in quibus Gentiles sine luce veritatis gemebant ; hinc divinę Omnipotentię miraculo terra illa semel aperta est , & nobis ęternum genuit Salvatorem . Tertiò , Quia illis fuerat repromissus ex semine David , ideò & ad eos missus , sed ab eis occidendus , ut Gentibus , totique hominum generi resurgeret Immortalis Redemptor , Pater Æternitatis ; nec cont-

status ad unam Gentem Amor tantus Universi Regis potuit limitari; nec aliter potest intelligi ejus dictum loco citato Math. Si enim eo venit, quo missus, & tunc erat in regione Gentilium, ergo & ad eos missus, quamvis prius ad Judęos missus fuerat, sicut prius ad eos venerat ob rationes adductas. Sic igitur ex offirio ad Judæos, ex misericordia, & amore ad Gentes missus est; Ideò prius explicans dicto Officium suum dixit exclusivè, nisi ad Oves, quę perierunt domus Israel, & misericordiam, eximiamque charitatem exequens, facto ostendit quod denique ad salutem Gentium venerat, qui tunc in regione gentili, Feminę Gentilis Filiam curavit: Ita ex Chrisost., Glos. & Abul. super cit. c. Matth. deducimus. Quod autem mulieri respondit, non potest intelligi de doctrina, quia Mulier non petebat doctrinam, sed Filiæ sanitatem, & constat naturę lumine, quod debet interrogationi responsio cohęrere: Et ita sensus erat, quod sua beneficia (utique temporalia) ex offirio erant impendenda Judęis, non Gentibus; hoc autem dixit, ex communi sententia, ut probaret fidem Cananęę, eamque ad Gratiam disponeret per humilitatem, & ne Judęi putarent ipsum non esse Messiam promissum ipsis, ut dispersiones Israelis congregaret; sicque in sententia ipsorum tunc loquebatur: Ita autem probare voluit mulierem gentilem, ut magis confunderet Judęos, qui nec miraculis evidentibus crederent, ubi Gentiles ante miracula ipsa credebant, eaque merito fidei suę obtinebant, quę facienda petebant, quia credebant. Unde consequenter notatur, quod majores gratias Gentilibus impertitus est; & magis laudavit fidem illorum, quam quorumlibet Judęorum. *O mulier*, loco cit. inquit, *magna est fides tua*; & de Centurione: *Non inveni*, inquit, *tantam fidem in Israel. Amen dico vobis, quod venient ab Oriente, & Occidente &c. & recumbent cum Abraam &c. Filii autem lucis eiicientur in tenebras exteriores*, quę & fuit Prophetia pręsentis status Judęorum, & protestatio, quod nomine Israel non intelligebat Judęos, sed quoscumque credentes, cum ait: *Non sum missus nisi &c. domus Israel*, ut sępè August.

Cætera, quæ sequuntur, probant id quod nemo negat, scil. primùm Judæis ditas fuisse Sacras litteras, ipsosque primò magis dilectos, & privilegiatos, ideoque plus etiam rebelles. Factum tamen ostendit primos fuisse in intentione illos, qui extremi sunt in executione, & denique facti sunt primi, qui erant novissimi, & novissimi, qui erant primi; quia Deus non est acceptor Personarum, cujus voluntas est, omnes homines salvos fieri; sed quommodo? & ad (quod fit per Sacram Scripturam) agnitionem sui nominis venire; quod nomen abolere conati sunt Judæi: *Noli scribere*, inquiunt, J. N. R. J., *Sed quia ipse dixit Rex sum Judæorum*, & clamaverunt: *Nos Regem non habemus nisi Cæsarem*, ideoque cæsi sunt; & magis in æternum cædi merentur. At sigillatim respondendo.

Ad secundum, Materialis Populi materiale nimis illud esse argumentum: lingua enim Populum non

A constituit, quam & extranei addiscere possunt, & profiteri, absque eo quod propriæ definant esse nationis. Nec est uni idiomati Veritas alligata, quæ ad universa transcendit linguarum genera; sumatur ergo Sacra Scriptura formaliter, & in ore Apostolorum posita, unica lingua omnes dabit, ut doceat omnes, & subscribent coacti etiam Judæi, Act. Apost. c. 2. Judæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei; potius autem arguere debent; Alii præter Judæos Sacram Scripturam observant, & credunt, ergo aliis scripta est; siquidem Idioma de materiali est, cum de sua lege diceret Dominus, in corde eorum scribam eam.

Ad tertium Auctores sunt Instrumenta, nec calamus, quo utuntur sapientes, & Sancti, propte-
B reà in se ipso sapiens, aut sanctus est, solùm enim semper est calamus. Inter historias, quæ sunt in Scriptura, prima & præcipua est Creatio totius Mundi, ut ad totum Mundum tota Sacra Scriptura, quæ est Dei epistola directa intelligatur, & ad omnes homines, primi hominis conditio referatur. Cætera verò, vel narrantur ut divina miracula, & insuperabilis divina Longanimitas innotescat, quæ Populum adeò perversum sustinuit, vel ut discant Posteri, omnes non esse similes illis, vel per ea, quæ bona sunt, omnes glorificent Deum, constat enim omninò fuisse a Deo, quæ inter tot mala, bona fuerunt. David, & Salomon, & omnes Prophetæ docent Sapientiam, & Sanctitatem, quæ omnibus occurrunt, non fugientibus illas; Non
C enim est distinctio Judæi, & Græci; nam idem Dominus omnium Dives in omnes, qui invocant illum: Qui autem indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.

Ad confirm. Duo notantur in veteri Testamento genera Præceptorum: cęremonialia videl., & moralia. Illa congruebant illi statui, qui erat figuralis, ideoque adveniente figurato evanuerunt. Alia moralia adaptata ad illum statum; *& hæc cum illo pariter defuncta sunt*, ut loquitur August. *ad Hieron. epist.* 19. Alia moralia absolutè, quæ ad rationis lumen dirigendum præscripta fuerunt, & consequenter ad omnem statum rationalis vitæ data semper durant, & in præsenti vigent magis apud nos, quam apud Hebræos, unde cen-
D sentur ad præsentem statum magis quàm ad alium ordinata. Vigent ergo nunc in termino ad quem tendebant cęremonialia, quatenus apparet ad quid fuerant ordinata, sicut & moralia illis annexa, omnia siquidem erant figuralia, vigent moralia rationalia, cum ad eum devenerimus statum, in quo verè rationalitas perfecta est.

Ultima confirmatio probat id, quod conceditur, nempè quod Populus ille fuit Dei primogenitus, quantum est ex parte Divinę dignationis, sed factum quantum est ex parte Judaicę perversitatis, probat ipsos tantò magis fuisse Filios degeneres, quantò magis ingrati, verum Dei Unigenitum non receperunt, cum in propria hoc est ad ipsos venisset.

Ad hęc denique notandum ex doctrina D. Th.

2. 2. q. 1., & PP. Salm. de Fide ibidem, semper extitisse veram Dei Ecclesiam, sicut & veram fidem. Tempore legis erat apud Judæos; evulgato Evangelio est apud Catholicos, ut notum est, ideoque semper manet inconcussa Conclusio (eamque licet iniquè probant ipsi obiicientes) asserens Ecclesiam seu Fideles, esse finem cui Sacræ Scripturæ; Si enim Ecclesia accipiatur generaliter, & precisivè a diversis statibus, ita & Scriptura. Si Scriptura sumatur secundùm diversa Testamenta, ita & Ecclesia sumitur secundùm diversos status.

ARTICULUS II.

Quis sit Finis effectus Sacræ Scripturæ.

QUid veniat nomine Finis effecti jam dedimus in proœmio hujus capitis; ideo statim ponetur conclusio.

Dicendum est, Finem effectum Sacræ Scripturæ esse Justificationem, & Glorificationem nostram. Hæc Conclusio est de Fide, & nemo de illa dubitat inter Catholicos. Probatur autem ex symbolo Fidei, ubi de Christo Filio Dei dicitur: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis &c. ex quo sic arguimus.

Prob. primo. Si ipsa Divini Verbi Incarnatio, Passio, & cætera ejusdem mysteria sunt propter nos homines, & propter nostram salutem, quod idem est, nihil enim nasci, & hominem fuisse profuit, nisi redimi profuisset, ergò etiam divina illorum revelatio. Ant. supponitur, prob. consequentia. Christi mysteria, & Redemptio nequeunt nobis prodesse nisi credantur, quia sine Fide impossibile est placere Deo, & sine fundamento, ac substantia speratur Gloria, ubi non est Fides, quam definit Apostolus, sperandarum substantia rerum, credere autem non possumus, quæ a Deo non sunt revelata, ergò revelatio est applicatio ad nos, eorum, quæ Verbum Incarnatum præstitit ad nostram salutem, ergo quod dicitur de ipsis Christi Mysteriis ut quod, debet dici de ipsa eorumdem revelatione ut quo, seu ut qua, ergò de illis, & de hac verificatur, quod sunt propter nos homines, & propter nostram salutem: Prius autem adducimus, & nunc, & alias ad probanda, quæ asserimus, quandoque rationem, quam auctoritatem Sacræ Scripturæ immediatam, non quia hæc, & efficacitate probandi, & dignitate non præcedat, quidquid, vel ex ratione, vel ex Conciliis adduci possit, vel deduci, sed quia posita, & aliqualiter pro modulo nostro explicata ratione, quæ occurit, facilius quoad nos percipitur vis eorum, quæ ex Sacra doctrina depromuntur.

Pro hac igitur conclusione tota potest adduci Scriptura: In singulis enim illius partibus facilè apparet summa Dei Charitas ad hominem, quem condidit, dirigendum, reformandum, justificandum, & glorificandum, ita ut hunc ei titulum præfigere possemus, in quem totius tanti Operis venit compendium: *Sic Deus dilexit Mundum*, Jo. c. 3. & hinc secunda probatio ascendit. Si Deus ita dilexit *Mundum*, ut propter ejus salutem Filium suum Unigenitum daret, qui est Verbum ejus substantiale, ergo dubitandum non est, quod Verbum suum scriptum dederit propter eundem finem. Qui enim Filium suum Unigenitum dedit, arguit Apost. *ad Romanos c. 8. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quod si cum illo omnia, ergò multò magis Scripturam ipsam, in qua idipsum manifestatur nobis, ut hoc cognoscentes, a quo omnia, in ipso omnia consequamur. Hic autem est gradus totius ascensionis ad ipsum. Sine fide non est spes, patet ex Fidei definitione, sine Fide, & Spe non est Charitas, quia voluntas non potest ferri in incognitum, sine charitate non prodest Redemptio: *Si enim charitatem non habuero nihil mihi prodest Apost. 1. ad Cor. c. 13.* ergo cum ex revelatione habeatur Fides, etiam consequenter ex revelatione omnia habentur tamquam ejus finis effectus.

Probatur etiam immediatè ex Sacra Scriptura, *Jo. c. 20. Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ejus*, quæ est in terminis ipsa nostra Conclusio, quam coherenter præmiserat idem Apost. c. pr. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus &c.* Adde Paulum 2. *ad Tim. c. 3.* de Scripturis dicentem: *Quæ te possunt instruere ad salutem, per Fidem quæ est in Christo Jesu*, & hæc quidem in re, quæ omni dubio caret sufficiunt.

OBJECTIONES, ET EARUM ENODATIO.

NEminem inter Catholicos reperimus, qui huic Sententiæ vel minimum refragetur, quia tamen aliqua occurrunt, quæ difficultate non carent, saltem apparenter, nos qui ex professo id intendimus, ut nullam effugiamus difficultatem, quæ occurrunt, proponimus & urgemus, ut serviamus veritati.

Obiicies primo Christus Dominus Luc. c. 8. explicans parabolam seminis, quod est Verbum Dei, ait Discipulis suis. *Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei, cæteris autem in Parabolis ut videntes non videant, & audientes non intelligant*, ex quo sic argui potest: Tota Sacra Scriptura abundat parabolis, cum enim hebraico stylo procedat, se se accommodans prisco Regionum illarum mori, qui talis erat, parabolas texit; inquit enim Hieron. *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas jungere;* sed sermo per parabolas habet hunc finem, ut ait Christus, nempe ut videntes non videant, & audientes non intelligant, ergo hic erit finis Sacræ Scripturæ omninò oppositus assignato, ut nec videant homines, nec intelligant, & consequenter nec credant; Fides siquidem tametsi obscura cognoscit quantum sufficit, ut credat &c.

Confirmatur ex eodem loco. Ille modus loquendi: Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei, aliis autem in parabolis, excipit discipulos ab aliis in hoc, quod est nosse mysterium Regni Dei, ergo ipsi soli noscere poterant, & non alii, ergo

Scrip-

Scriptura seu doctrina Christi non est universaliter propter nostram salutem.

Confirm. secundò ex eo quod continetur in explicatione illius parabolæ, scilicet quod perpauci sunt, quibus Verbum Dei verè cum effectu profit ad salutem: Quatuor enim genera audientium ponit, & solùm quarti generis homines sunt, in quibus fructificat, ergo quoad majorem hominum partem non conducit ad salutem, sed potius ad damnationem, quia magis punientur, ex hoc quod audierint Verbum Dei, & auditum non fecerint, Luc. c. 12. *Servus qui non cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis vapulabit paucis &c. Qui cognovit & non fecit, plagis vapulabit multis &c.* ergo cum denominatio sumatur a potiori seu majori parte, potius Sacra Scriptura erit propter oppositum salutis.

Adde, quod finis effectus non est aliud quam effectus intentus ab Agente quamvis non propter se omninò ultimatè, sed propter aliud, unde potius dicetur effectus quàm finis, ergo si in esse effectus non verificatur in majori hominum parte, neq; erit finis, nisi respectu minoris.

Confir. tertio ex eodem cap. *Nemo lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes lumen videant,* ac si dicat, quia sic frustra esset; ergo Sacra Scriptura; quam D. Petr. ep. 2. c. 1. lucernam appellat lucentem in caliginoso loco, si taliter operitur, ut videntes non videant, idem est ac si non esset, ergo dici nequit, quod sic operta, sit propter nostram salutem.

Resp. apparenti huic difficultati co. ma. argum. & dist. sive explic. min. ut videntes non videant clarè, est sensus propositionis; non videant clarè nec obscurè, non est sensus propositionis, & ita etiam quoad intelligere. Fides enim ex August., immò ex Ap. est *credere quod non vides, quod enim videt quis, quid credit?* Si ergo quod videtur non creditur, qui ita loquitur, ut aliquis non videat, ita loquitur ut credat, ut locutio aliquid sit, & aliquid intendat, ideo non ait absolutè, ut nullo modo videant, sed ut videntes (ergo aliquid vident) non videant, ergo aliquid vident, & aliud non vident; Videt namque qui credit, quia cognoscit; non videt, quia claritate caret, unde quia claritas est perfectio visionis, visio obscura dicitur non visio; hoc est declinans a perfectione visionis, a qua secundum modum nostrum loquendi visio absolutè denominatur per analogiam ad oculum corporeum, qui claritate carens, æquè & dicitur carere visione.

Vel etiam intelligi potest in hoc sensu, qui est proprius in sub. materia, videlicet ut videntes ipsam parabolam, & sensum non penetrantes, dicantur videntes quoad illam; non videntes quoad istum, videre enim & non videre de eodem secundum idem verificari non potest, & secundum hoc ponebat differentiam inter Discipulos, & Phariseos, seu Vulgus, quod Discipulis & parabolam dixit, & sensum ejus aperuit, aliis verò solam parabolam, quia talis sensus non spectabat directè ad fidem, sed ad moralem doctrinam, cujus erant incapaces

A auditores illi propter superbiam, crassitiem, & duritiem cordis, ut bene deducitur ex Mat. c. 13. ubi factum idem, quod hoc loco Lucæ, eademque simul refertur & apertè explicatur doctrina, ac solutio præsentis argumenti; ne verò calumnientur iniqui Judæi modum loquendi Christi, assignari breviter ratio potest, cur per parabolas Christus Turbis loqueretur. Primò nempe ex Teodor. in Cat. Aurea D. Th. Quod David in persona Christi prædixerat, *Aperiam in parabolis os meum*, hic Dominus implet &c. loquebatur autem per similitudines, primò quidem ut attentiores faceret auditores, consueverunt enim homines in obscuris se exercere, & spernere manifesta, deinde ut non caperent indigni, quæ illis mysticè dicebantur, additque Origen. ideò signanter dicitur, cum turba

B plurima conveniret, non enim sunt multi, sed pauci, qui per arctam viam incedunt, & qui inveniunt viam, quæ ducit ad vitam; Unde Mat. dicit, quod extra domum docebat per parabolas, sed intra domum parabolam Discipulis explicavit: Secundò ex aliis PP. ideo sensum illis reticuit, ut humiliarentur videntes se nescire, ac optarent inter ejus discipulos numerari, quibus parabolas explicabat, ac sic salvarentur: Ex quo patet & locum istum & factum Christi, & totam ubique Scripturam, tum in eo quod dicit, cum in eo quod explicat, cum etiam in eo quod operit, semper esse propter nostram salutem. Quod si discipulos a cæteris in hoc discernit, quis non videt eam explicationem, non discipulis, ut scirent ad exclusio-

C nem cæterorum; sed potius ut cæteros docerent; factam esse? ut ad id quod sequitur de lucerna in eodem cap. subdit Beda dicens: Quia supra dixerat: Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis; nunc ostendit per eos aliquando etiam cæteris idem Mysterium esse revelandum &c. sicut alibi jussit d. quæ in aure auditis, prædicate super tecta. Per quæ patet ad primam confirmationem.

Ad 2. Confirm. resp. retorqueri posse argumentum, quia hoc ipsum, quod exponebatur, tendebat ad nostram salutem, erat enim ad docendum, quommodo debeat audiri Verbum Dei, ad hoc ut fructificet ad Vitam æternam. Unde ad argumentum respondet ipse Christus ostendens causam, quare in illis tribus generibus hominum non fru-

D ctificet Verbum Dei, scil. Audientium incuriam & malitiam. Unde Hieron. *Quis soli improperat, quod non videat, qui oculos claudit?* Potius igitur ex hoc arguitur magna virtus Verbi Dei, quod solum magno vitio repulsum, desinat fructificare. Nec tenet insulsa illa consequentia, qui cognovit & non fecit, magis punietur, ergo Verbum Dei proficit ad damnationem, non ad salutem, non enim punitur quia cognovit, sed quia non fecit; & quia cognoscens detorquet, ac vertit medium salutis in damnationem, ex propria malitia eliciens ex medicina venenum, justè magis punitur, quod nempè non valeat excusari. Quod verò id contingat in majori parte, non est defectus medii, sed utentium. Certè nequit inferri Via Vitæ non est Via vitæ, quia pauci sunt, qui intrant per eam,

Viam

Viam siquidem non facit qui intrat, vel qui recedit, sed eam uterque supponit, aliter pari modo posset inferri. Beatitudinem æternam plures non obtinent, quia iniquè nolunt, ergo ipsa non est amabilis, non est ultimus finis. Eodem modo patet ad id, quod additur, Finis enim effectus est intentus ab Agente, salva hominis libertate, & ex ejus tantum defectu seu perversitate in quibusdam frustratur ultimatè, diximus ultimatè, nam effectus propriè & proximè intentus Verbi Dei nunquam frustratur, quia in Sacra Scriptura intenditur nostra salus ex parte ipsius exequenda per modum doctrinæ, & ex parte audientium per modum disciplinæ, qui effectus in tota Ecclesia habetur, applicare autem talem Doctrinam ad praxim, ex quo sequitur salutis æternæ consecutio, spectat ad Causam liberam cum auxilio Gratiæ; ideoque soli Agenti libero creato imputatur quod mediis a Deo præparatis ad talem consecutionem abutendo, ab ea infeliciter deflectat. Ex qua doctrina intimè feriuntur omnes objectiones, ut intuenti constabit.

Ad tertiam. Confirm. jam patet ex dictis superius, & nota quod ait Christus ut intrantes videant lumen, non dixit ut intrantes videant universa, quæ latent, vel subtus, vel supra, vel circa lumen, ex cujus qualitate quidem, sed & simul ex oculorum dispositione, & ex attentione intrantis oritur, quod plura vel minora videantur, & magis vel minus percipiantur. Satisfecit igitur Ecclesiæ suæ Divinus Pater familias accendens lucernam scil. Sacram Scripturam omnibus communem, & ponens super candelabrum per publicationem Evangelii, ut omnes intrantes videant lumen Fidei, cognoscere verò absconditos sensus, illis convenit, quibus incumbit, & errores impugnare, & reliquos ad Veritatem erudire, sicque in aliquorum illuminatione tota illuminatur & eruditur Ecclesia. Immò & erudiuntur Doctores docere, & audientes doceri, ut notat Beda ad c. 4. Marci. Discipuli enim interrogantes docent auditores, ut non erubescant, vel pigrescant quærere quod ignorant, & Dominus benignè respondens, docet Doctores ut benignè respondeant quærentibus. Pro doctrinæ hactenus traditæ majori intelligentia videatur Hugo Carens. Luc. c. 8. Chrisost. Beda &c.

Obiicies secundò, ex Ps. 50. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris: ubi videtur, quod David dicat se peccasse ad justificandos sermones Dei, ergo tales sermones non ordinantur ad salutem, nec ad justificationem nostram, quin immò videtur magis oppositum.

Resp. impiam omninò esse hujusmodi intelligentiam, quæ nec litteram sequitur, nec spiritum. Ad intelligentiam autem hujus textus juvare potest, quod ait Hieron. *in c. 11. Hieron. Cumque possit Deus*, inq., *facere, quæ vult, reddit causas ne facere videatur injustè secundùm illud quod scriptum est, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris*. Clarius tamen intelligitur juxta expositionem nostri sapientissimi Doctoris Incogniti super hoc versic. ubi notat, quod David ab initio

A hujus Psalmi imploravit misericordiam Dei post peccata Adulterii, & homicidii, & quia hæc erant nota Populo, putabant homines David esse a Deo propterea reprobatum, & quod promissiones ipsi factæ jam evanuissent, nec essent implendæ, ut puta quòd Messias ex semine ipsius esset nasciturus, & quod Regnum ejus permaneret in perpetuum; ideò confitens Deo peccatum suum, dicebat: *Tibi soli peccavi*, quia cum esset Rex non habens Judicem nisi Deum, verè soli Deo peccaverat, & aggravabat ex hoc peccatum suum, quia coram Deo factum; quæ omnes propositiones reguntur ab illa petitione: Miserere mei Deus: assignat autem motivum, non peccati, quod certè non excusat, dum sic accusat, sed motivum misericordiæ, quam petit per confessionem, unde est sensus:

B Miserere mei Deus, ut ablato peccato meo per misericordiam tuam permaneant, & ad executionem reducantur promissiones tuæ, sicque Justus cognoscaris, dum promissa largieris non Peccatori, qui illa demeruit, sed per misericordiam tuam Justificato, sicque per misericordiam vincas hominum judicia, qui judicant, te iratum velle recedere ab eo, quod promisisti, ex qua intelligentia, quæ legitima est, omnis evanescit objectio. Ita etiam hunc versum intelligit Cajet. in hunc Psalm. in expositione ad litteram. Admittit etiam D. Th. eodem loco, sed & melius addit. *Hoc potest multipliciter legi, sed primò quod magis videtur, dicam. Vt, enim, quandoque ponitur causaliter, quandoque, ut hic, tantùm consecutivè, & tunc est sensus. Malum*

C *coram te feci, & justificeris tu, quia nullus propter peccatum justificatur, sed hoc consequitur ex peccato, quia ex hoc ipso, quod homo peccat, Justitia Dei manifestior redditur, nam ex peccatis ejus apparuit, quod ipsum Deus punivit. Hæc autem punitio consistit in duobus: primò comminatur, secundò infert pœnam; quantum ad primum dicit, in sermonibus tuis, quantum ad secundùm dicit, vincas cum judicaris, idest quando cum aliis in judicio compararis: Frequenter namque Deus ad ostendendam justitiam suam, & nostram, vult nobiscum judicari: Is. c. 5. Judicate inter me, & vineam meam, & in hoc Deus justior invenitur. Job. 9. si contendere cum Deo voluerit, non respondebit ei unum pro mille &c. Vel causaliter, & continuatur cum ly Tibi soli, idest ad Tui comparationem, qui solus es Justus, quod omnes sermo-*

D *nes tui justi sunt: Vel si referatur ad Christum, est sensus. Tibi soli scil. Christo peccavi, quia es Justus, ut vincas omnes homines, cum judicaris, licet judiceris a Pilato:* Ita subtiliter Angelic. cujus doctrinam ideò attulimus, ut data hac occasione tollatur omnis mala intelligentia hujus textus, quæ simplicibus, & litteram materialiter in vulgari sensu attendentibus posset obrepere. Alia etiam plura obiici possent. At quia Deo dante alibi plenius solventur, supersedemus.

A R-

ARTICULUS III.

Quis sit Finis ultimus Sacræ Scripturæ.

Dicendum est statim, Deum esse Finem absolutè, & simpliciter ultimum respectu Sacræ Scripturæ, Christum autem esse Finem ejus ultimum particularem, & principalem. Explicatur breviter Conclusio. Pro Fine ultimo absolutè, & simpliciter tali accipitur Summum Bonum Divinum irreferibile in aliud, & ad quod omnia referuntur: Pro Fine ultimo particulari, & principali accipitur idem Bonum Divinum, in particulari ejusdem diffusione adæquatè repertum, scil. in Incarnatione, & est ipse Christus Filius Dei, Deus, & homo perfectus: Non quia fiat aliqua contractio metaphysica rationis communis ad particularem; sed quia sumitur Persona Divina in Natura assumpta constituens hoc particulare suppositum Hominis Dei, quod fine Incarnatione, in Deo ut Deus est, formaliter, & specialiter non dignoscitur. Sic explicata Conclusio, quoad primam partem supponi potius debet quam probari, cum nullum habeat contradictorem.

Prob. Si enim omne Bonum creatum, cum sit a Deo ut primo generali principalissimo Principio, necessariò est ad Deum ut Ultimum Finem imper transibilem, & ex eo quod est quid Bonum, & ex eo quod habet esse; multò evidentius Sacra Scriptura, quæ est a Deo tamquam a Principio, & Agente specialissimo, qui ex necessitate summæ Bonitatis suæ, omnia propter se ipsum operatus est, erit ad ipsum omni modo specialissimo tamquam ad Ultimum Finem.

Prob. secundò. Constat idipsum ex essentia ipsius Sacræ Scripturæ, pro quo breviter recolenda est aurea illa Doctrina PP. Salm. de Ultimo Fine disp. 2. dub. 5. §. 4., nempè quod ratio terminandi divinam dilectionem, & consequenter finalizationem ultimam, quam Deus exercet erga Creaturas, ex parte ipsarum est diffusio passiva, & participatio divinę bonitatis, quę est in Creaturis, per quam, divinam ipsam fontalem Bonitatem manifestant suo modo; quia Creaturas esse ad Deum ut ad Finem est trahi ad ipsum, sicut Deum finalizare Creaturas est illas ad se trahere juxta illud Jo. 3. *Omnia traham ad me ipsum*, quod prolixum esset, nec hujus loci explicare; trahuntur autem per participationem jam dictam, & ideò illa Creatura debet Deo esse magis unita, quę bonitatem ipsius magis participat, ipsumque proinde magis manifestat; Ad quod facit etiam Axioma, *Amabile quidem Bonum, unicuique autem proprium*, & ita sicut Amor Dei ad Creaturas, ita ejus etiam finalizatio debet habere pro ratione formali in Creatura Deum ipsum participatum, & manifestatum. Hoc supposito sic argui potest in præsenti. Ratio per quam formaliter aliqua Creatura est ad Deum tamquam ad Ultimum Finem est participatio Dei, & ejusdem manifestatio; sed Sacra Scriptura est essentialiter ipsa Dei manifestatio, ergo ipsa ejus essentia in suo esse athomo est ei ipsa ratio formalis respiciendi Deum ut ultimum Finem, ideoque singulariter: Totus discursus ex suposita Doctrina clarè patet.

Confirmatur. Omnes Creaturæ quantumvis perfectę constituuntur in suo esse per genus, & differentiam, per quas quia aliquo modo assimilantur virtualiter alicui rationi repertę formaliter in Deo, dicuntur Dei manifestationes, & ex hoc habent quod a Deo finalizentur: Sola autem Sacra Scriptura habet pro essentia formali manifestare realiter Deum, ut ita loquamur, intransitivè, cum sit ipsa formalis manifestatio (quamvis finita, ut captui nostro accomodetur) divinarum perfectionum per conceptus simpliciter proprios divinę mentis, ergo ipsa ne dum transcendenter, sicut omne ens creatum etiam valdè perfectum, sed essentialiter, & athomè est ipse formalis respectus ad Deum ut ultimum Finem, unde ipsa sibi est formaliter, & id quod & id quo talis respectus, quod in nulla Creatura reperitur, ergo specialissimo, & singulari modo est ad Deum tamquam ad ultimum Finem, ut ejus videlicet vera, & realis manifestatio, & revelatio, usque sensus est nostræ Conclusionis, quam quidem a nemine quem viderimus, invenimus sic assertam; ad hoc tamen, ut ponatur, sufficit, quod sit vera, & efficacissima ratione possit theologicè demonstrari, ut hactenus præstare conati sumus; si quid verò ipsi possit opponi, optamus edoceri, non enim novitati studemus, sed veritati. Advertimus doctrinam illam PP. Salm. fundatam esse, proprieque deductam ex Assertis inconcussis D. Th. p. p. q. 19. a. 2. & 4., & pr. sent. d. 32. q. 1. a. 1., & D. Dion. de Divin. Nomin. c. 4. & iterum D. Th. ibi lect. 9. Aliisque Patribus.

Obiices, si Sacra Scriptura modo explicato respiceret Deum ut Ultimum Finem, vel esset infinita absolutè, vel esset perfectissima inter omnes Creaturas, utrumque est falsum, ergo &c. Prob. seq. ma. Si daretur albedo per essentiam, haberet in se, quidquid habent omnia alba, ut sint talia formaliter, illa esset infinita, quia esset albedo per se subsistens, ut sæpè repetit D. Th. Aliique communiter, ergò si daretur manifestatio Dei, quæ talis esset per suam essentiam, ita ut haberet in se formaliter id quod omnis Creatura habet virtualiter in se manifestativi Dei, ut nos Sacræ Scripturæ tribuimus, illa esset manifestatio per se subsistens, & infinita. Prob. quoad secundam partem: secundùm mensuram suæ perfectionis quælibet Creatura est participativa alicujus divinæ rationis, ita ut idem sit esse Deo unitum, & ipsum manifestare, ut patet ex jam adducta nostra probatione, ergo summa manifestatio, quæ esset essentialiter, & singulariter talis, ita ut omnia vinceret in hac ratione, cum ipsa esset formaliter, quod alia sunt tantùm virtualiter, & consequenter esset summa perfectio, ita ut ultra illam nihil perfectius concipi posset inter Creata, aut etiam creabilia; ergo vel infinita, vel omnium perfectissima, quod ferè in idem venit: Mi. est communis doctrina potissimum apud Thomistas, cum sit impossibile inter Creata, vel infinitum in actu, vel quod dari possit

Crea-

Creatura impertransibilis in perfectione.

Resp. primo ne. seq. ma. Ad probat. pr. part. admitt. ant. & neg. conf. quoniam illa albedo sic descripta careret omni limitativo, & esset forma suprema in infinitum communicabilis sine sui limitatione, essetque proinde forma simplex completa per se subsistens; Horum autem nihil habet Sacra Scriptura, quæ est quoddam Artefactum Divinum, manifestativum Dei per modum doctrinæ & significationis, non secundum esse entis redusplicativè, unde est Compositum quoddam artis divinæ non forma simplex, nec per ipsam alia entia manifestant Deum formaliter, nec virtualiter, quia totum ipsius esse est, ut ipsum Deum significet nobis, sic ergo est evidens disparitas: maximè quia aliud est, esse tale per essentiam, aliud verò quod essentia alicujus rei sit talis secundùm sua prædicata: Primum enim significat esse tale a se, & per modum primi entis; secundum significat quod talis essentia habet talia prædicata per modum termini constituentis suum esse, quia per ea differt a cæteris.

Ad probat. secundæ partis resp. argui quidem ex eo magnam perfectionem, sed non omninò supremam, quia etsi sit ipsa manifestatio formalis, potest tamen esse perfectior, hoc est clarior, sicut est in Visione beata, & simplicior ac per modum formæ, quod non habet; & hoc dumtaxat intendimus in Conclusione & probatione; non enim dicimus, quod in linea entis participet divinas perfectiones super omnia entia, sed quod in linea manifestationis transcendit omne aliud manifestativum creatum, quia habet formaliter, quod cætera præstant tantummodo quasi consecutivè, & argui-tivè, unde in propria linea est singulare artificiatum singulariter a Deo finalizatum ob hanc rationem: maximè quia est tamquam Vicaria luminis Gloriæ ac Visionis Dei, & proinde etiam secundum hanc rationem inter creatas manifestationes, cæteris paribus, est nobilior.

Resp. secundò, Quod sicut Angelus quilibet in sua specie est aliquid secundum quid infinitum, quia totam speciem unus absorbet; ita proportione servata in linea manifestationis, ac revelationis Divinorum, quæ Deus voluit revelare, omnia continet Sacra Scriptura, modo tamen convenienti ad omnes terminos inspectos, & ad hanc viam. Est etiam infinita actu secundum quid, quia continet tot sensus, & conceptus divinos, ut semper sit accipere aliquid extra, sed quia ità illos continet actu, ut tamen actu, & distinctè illos non ostendat, ideò dicitur infinita secundum quid in actu, & infinita simpliciter in potentia, quod in ea nullam arguit imperfectionem, sic enim congruit statui Viatorum, qui prout talis ex natura sua est potentialis, cum sit status viæ, immò impropriè status, & eodem modo dicimus ad secundam partem.

Secundo prob. Conclusio quoad eandem pr. ejus partem, de qua nunc. Deus habet singularem curam de permanentia & custodia Sacræ Scripturæ, ita ut magis curet de verbis suis, quam de omnibus simul Creaturis, scilic. de Cælo & Terra, A propterea inquit Mat. *cap.* 24. *Cælum & Terra transibunt, Verba autem mea non præteribunt, & donec transeat Cælum & Terra, jota unum, aut unus apex non præteribit &c.* & alibi: *Verbum quod mandavit in mille* hoc est *omnes generationes*: Magis autem Apoc. *c. ultimo. Contestor omni audienti Verba Prophetiæ libri hujus; si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro Vitæ, & de Civitate Sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto dicit, qui testimonium perhibet istorum etiam; Venio cito, Amen*, & ad significandum quis sit iste testis subdit: *Veni Domine Jesu*; sed unumquodque ita curatur, sicut diligitur, & ita diligitur ut Finis B ultimus postulat, ergo uti singulariter curatur & diligitur a Deo Sacra Scriptura, ita singulariter a Deo fine ultimo suo finalizatur.

Confirmatur: *Gloriam meam alteri non dabo dicit Dominus*. Isa. c. 4. Sed hoc nequit intelligi de Gloria, quæ est Beatitudo, hanc enim Deus verè communicat suis Electis, de qua dicitur Psal. 83. *Gratiam & Gloriam dabit Dominus*, debet ergo intelligi de gloria, quæ resultat ex ejus manifestatione, seu revelatione, quæ etiam propriè gloria est, Gloria enim est clara cum laude notitia; hanc igitur gloriam sibi Deus simpliciter reservat, & curat, & finalizat, ergo eodem modo etiam divinam revelationem, ex qua immediatè talis notitia resultat, cumque hæc sit Sacra Scriptura pro formali, clarè jam sequitur quod eam Deus singulari-C ter in ratione finis ultimi finalizat.

Probatur nunc secunda pars Conclusionis, quod nempe Christus Dominus sit ultimus Finis principalis in particulari Sacræ Scripturæ, modo explicato in ipsa Conclusione; & apertè constat ex ipsa Scriptura: Ait enim Apostolus *Rom. c.* 10. *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti*, ubi notandum, quod juxtà communem, latamque significationem nomine Legis venit tota Sacra Scriptura, unde ex hoc loco concluditur de utroque testamento simpliciter, quod nempe utriusque Finis, modo dicto, est Christus. Prius tamen & specialiter concluditur de Veteri Testamento, nam de novo non videtur disputandum. Lex itaque in rigore supponit pro Veteri Testamento, status enim illius, erat status legis, & cum esset Lex terroris, & valdè du-D rum jugum imponeret, quod inq; Petrus, nec nos, nec Patres nostri portare potuimus, magis exprimit munus coactionis Legalis; Propterea Christus Dominus sic appellat Testamentum vetus Jo: c. 15. dicens *ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est; Quid odio habuerunt me gratis*, qui textus legitur Ps. 24. & 118. Item pr. Corinth. c. 18. *In lege scriptum est, quoniam in aliis linguis, & in aliis labiis loquar Populo huic*: Is. c. 28. Unde habemus quod nomen legis stat pro Psalmis, & pro libris Prophetarum, ac denique pro toto Veteri Testamento, de quo Apost. Hebr. c. 7. *Lex ad perfectum nihil ducit &c.* ergo cum dicitur Finis Legis Christus, propriè & in rigore intelligitur, quod sit Finis Veteris Testamenti. Quod autem sit Finis principalis, & ultimus, ut supra facilè

 osten-

ostenditur. Nam est Finis, ergo ultimus & principalis: patet consequentia, cum enim nihil possit assignari, ad quod Christus ordinetur, nisi Deus ipse, juxta Apost. *pr. Chor. 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, ipseq; Christus sit Deus, manifestè sequitur quod si finis est, est etiam finis ultim. princip. particularis.

Confirmatur. Ille revera est Finis principalis particularis Sacræ Scripturæ, ad quem ipsa principaliter, & in omnibus respicit, hic autem est Christus: ergo &c. Prob. mi. August. *in explicatione Tituli Ps. 4. & in epist. Jo. 2.* unde & concludit: *Quidquid Scripturarum est, sonat Christum, si aures inveniat*. Et Chrisost. *hom. 20. in Mat. Ego qui lego Evangelium, & video ibi testimonia de Prophetis solùm Christum considero, sic vidi Moys., sic vidi Prophetas, ut de Christo intelligerem loquentes &c. Etiam vita illius Populi Prophetia erat, & figurabat Christum* Aug. *contra Faustum* &c.

Iterum probatur ex Apost. ad Chor. c. 10. *Bibebant autem de spiritali consequente eos Petra; Petra autem erat Christus*: sic concludit, postquam ostendit, *quod omnia in figura contingebant illis*, quod frequenter demonstrat, ne dubium maneat, ad Christum omnia illa velut ad figuratum respexisse: Et denique toto suo Opere P. Didac. Baeza, quod est de Christo figurato in Veteri Testamento, id eruditè ostendit, nam procul dubio in Sacramentis, in Sacrificiis, in Cæremoniis, immò in ipsis Justis afflictis, impugnatis, occisis, ab Abel Justo usque ad Zachariam filium Barachiæ, de quo in Evangelio, adumbrata sunt Christi Sacramenta, ejusque vera oblatio, & Sacrificium tum cruentum in Cruce, cum incruentum in Altari. Umbram enim habens Lex, cessit adveniente luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.: Et ideò in Transfiguratione astiterunt Christo Moyses, & Elias in testimonium, quod ipse erat, quem Lex, & zelus Legis, & universa, quæ in Vet. Testam. contenta sunt, respiciebant. Ita communiter Patres.

Tertio Prob. Dicitur in Vulg. *Gen. pr. In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*. Ubi Paraphr. Caldaic. legit. *Be Kidovin*: Be apud Ebr. significat *propter*, unde *Gen. c. 29.* Jacob ad Laban, *Serviam tibi aliis septem annis, Be Rachel*: Item apud Cald. *Kodam*; à quo descendit *Kidovin*, seu *Kodmin* significat *offerre*: Mich. 6. c. *Quid dignum offeram Domino, quid dignum Kodam Domino*; unde sensus *Be Kidovin*, vel *Kodmin* est *propter offerendum*, & quia nulla oblatio facta fuit tam digna, quam illa, quæ offerebat Deo Patri Filium suum, nulla tam voluntaria, quam Omnipotentis se ipsum subiicientis spontaneè, suæ Creaturæ, nulla tam heroica, tamque pia, quam quæ fiebat amore Inimicorum; nulla tam pretiosa, quam quæ Deo infinitè offenso satisfaciebat ad æqualitatem, deque toto rigore justitiæ, nulla tam plena, quam quæ offerebat Offerentem ipsum, & in Victima Sacerdotem, & Immortalem in mortem, nulla tam digna, ut propter ipsam crearetur Mundus, quam quæ Mundum redimebat, ideò eum significatur, Mundi creationem fuisse propter offerendum, de

A necessitate debet intelligi *propter Christum*; Cumque oblatio ejus fuerit, & adeò perfecta & sublimis, & principalissima inter omnes, ut ostensum est, utque Universa fecit Creatura, Ipse utique Christus fuit, & Principalis Finis Factorum, & multò magis narrationis cujuscumque Factorum, qualis est potissimum ipsa Sacra Scriptura; ideoque eam ipse ut finis ultimus, & Primum Principium inchoavit, & consumavit ut Efficiens, & ut Patiens, sicut ipse postremo anhelitu testatus est, cum moriens conclusit, *Consumatum est, & tradidit Spiritum*, ne amplius littera occideret, quæ tunc occidua fuit, cum suum occidit Auctorem &c. His subscribit Rup. *l. p. de Gloria Trinit. c. 20. Religiosè dicendum, reverenter audiendum, quia propter hunc hominem, gloria, & honore coronandum, creavit*

B *Deus omnia*; & infra, juxta illud Apost. cui enim aliquando Angelorum dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te, subdit: *Rectius dicitur, non homines propter Angelos, sed Angelos propter quemdam hominem esse factos, & cætera omnia*, quod si omnia sicut per ipsum, ita propter ipsum facta sunt, cur non omnia, quæ a Deo specialiter dicta sunt, propter ipsum dicta sunt. Maximè cum Deus plus diligat humanam naturam assumptam a Verbo Dei in Persona Christi, quam omnes Angelos, omnesque simul Creaturas. Vide D. Th. p. p. q. 20. a. 4. &c.

Conformiter: ad hoc exponitur illud Judæ *pr. Commonere autem vos volo scientes semel omnia* (idest in unico Dei Verbo) *quoniam Jesus Populum*

C *de Terra Ægypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit*; hoc enim potius verificatur de Christo, quam de Josue, quippe qui non perdidit eos, qui non crediderunt, nec verè Populum salvavit, sed solum jussu Moysis eduxit: Quod si de Josue intelligitur, hic solum sensus esse potest, quod ob Christum tamquam finem, ita operatus est in virtute ejus, in cujus Sanguine salvantur omnes, qui est Agnus, qui occisus est ab Origine Mundi, non solùm in figura Abel, sed in acceptatione divina; Propterea Apost. *ad Col. pr.* ait: *Qui est imago invisibilis Dei, Primogenitus omnis. Creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa, in Cœlo & in terra, visibilia omnia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes &c. omnia in ipso, & per ipsum condita sunt, & ipse est ante omnes*; Quia

D & si non possit dici, Christus fuit homo ab æterno, illa tamen est vera, Iste homo (significando Christum) fuit semper, & ab æterno: D. Th. *3. sent. d. 22. q. 1. secundò ad 15. & ad Rom. lect. 3. finali*; Si ergò eorum quæ facta sunt Finis ultimus peculiaris modo dicto fuit Christus, quomodo non eorum, ut dicuntur, & manifestantur? ad consequenter totius Sacræ Scripturæ, quæ specialiter in illis celebrat gloriam ejus.

Confirmatur denique: Radix, Troncus, Cortex, Rami, Folia, Flores, omnia sunt specialiter propter fructum, ergò & tota Sacra Scriptura, & quidquid in ea continetur plantatum a Deo, qui Agricola est hujus Vineæ, omnia peculiariter sunt propter Christum, qui est fructus Terræ sublimis, ex Terra illibata, quæ nunquam mota est,

Terra

Terra autem in æternum stat, verè progenitus Homo Deus: *Benedictus fructus ventris tui* Luc. pr. Unde pulchrè D. Th. *Christus erat, sicut in spica, in fide Patrum Legis naturæ, sicut Farina in doctrina Legis, & Prophetarum, sicut Panis in incarnatione, coctus igne, idest formatus a Spiritu Sancto in clibano Uteri Virginis, in Sartagine per labores in Mundo, in Craticula idest in Cruce*; Ita p. 2. q. 102. a. 3. qui videri potest eo loco a q. 96. & deinceps.

Contra hanc secundam partem. Conclusionis, non militant nisi Judæi, ut se ipsos destruant sine fine, qui finem omnium Christum crucifixerunt: Rationem aliam non habent, nisi quod voluntariè sistunt in umbra, immò nec in umbra; quia corpus tollentes, & caput, scil. Christum & Ecclesiam, cujus umbra erat Vetus Testamentum, consequenter ab ipsa pariter umbra recesserunt, & sistentes in imagine negant exemplar, ut ita nec homines verè dici possint, non enim sistit, sed in imagine pertransit homo, sed & frustra, hoc est fugientes a vero Fine Christo, frustra inquam conturbantur: Quamvis autem soli ipsi ex professò huic veritati adversentur, militat tamen sub eorum turpi Vexillo etiam nequissimus Hæreticus Theodor. Mop- A suestenus, & etiam aliqui nomine solo Christiani, qui Rabbinorum commentariis decepti sunt, ut refert præter alios Ludovicus a Tena in sua Isag. hoc loco qui sic arguere præsumunt contra hanc veritatem. Ad hoc ut verificaretur Christum esse Finem Ultimum Veteris Testamenti, deberet ex Veteri ipso Testamento constare, hoc tamen nequit ostendi, quia in toto Veteri Testamento, inquiunt, in quo maximè Littera attenditur, cum traditum esset Carnali illi Populo, nihil habetur de Christo ad litteram, sed tantum per aliquam accomodationem aliqui ejus textus a Christianis, ipsi Christo applicantur, ergo sine fundamento, ita asseritur contra ipsius veteris Testamenti testimonia, quæ vim habent in Littera.

Resp. Hunc errorem ut tollamus de medio, necesse est; quæ dicta sunt de Christo in Vet. Testamento brevi saltem intuitu a longè scrutari, quod & si breviter exequamur, fieri non potest, quin Tractatum unum absorbeat: Sit ergo per modum Parenthesis utilis digressio, quæ & veritatem consequenter concludat, & arescentem disputandi, ac speculandi methodum interrumpens, levet Lectorem.

Necessaria Digressio.

TRACTATUS III.

DE HIS QUÆ IN VET. TESTAMENTO DICUNTUR DE CHRISTO AD LITTERAM.

CAPUT PRIMUM

De his, quæ in libro Genesis, ad litteram de Christo intelliguntur.

SEnsus litteralis Sacræ Scripturæ, ut suo loco, Deo dante videbimus; Alius est litteralis proprius, alius litteralis metaphoricus, iste tamen non coincidit cum sensu spirituali sive Mystico, ut aliqui universam Sacræ Bibliosophiæ confundentes doctrinam, somniarunt; Quam distinctionem pro nunc cum benè sentientibus, & supponimus, & notamus, ne si fortè locus aliquis litteralis inter eos quos de Christo uti verè litterales adducemus, fortè cum aliqua dicendi translatione, aut etiam figura procedat, arguamur tamquam a proposito declinantes, a littera videl. ad Spiritum: Planè non est dubitandum, quod secundùm sensum spiritualem, ac Mysticum totum Vet. Testamentum in qualibet sui parte multipliciter præsignificat Christum, quem semper respicit, quæ est PP. communis sententia; Videatur Aug. contra Faustum, & D. Th. p. p. in princ. & p. secundæ a. q. 98. & infrà, nec Judæi id negant, quia nesciunt, seu nescire pertinaciter volunt; sed quia, & Opus esset immensum, immò impossibile omnes sensus spirituales, qui sunt de Christo in Veteri Testamento rimari, & quia id non exigit argumentum, cujus occasione hanc Aream ingredimur, & quia denique carnalis Populus ille, quem impugnamus, *non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*, secundùm Apostolum, ideo solum de sensu litterali, qua brevitate licebit, disseremus.

ARTICULUS I.

An sit de Fide, quod in Vet. Testamento plura sunt de Christo, ad litteram.

UT congruenti methodo procedamus præcedere debet hoc latius, & generale Quæsitum, cui statim ex communi Catholicorum sententia respondemus procul omni dubio esse de fide.

Prob. clarè constat ex Quinta Synodo Generali, & ex Romana sub Vigilio Papa, quę habetur in Bibliotecha Vatic., in quibus ex Professò damnatur error oppositus, & meritò quidem. Ex eo siA quidem tollitur potissimum caput impugnandi Judæos, immò & convincendi, quo utuntur Apollo, Porchet. Adrian. Finus, Galatin, aliique complures, omnesque Controversistę; & Conclusionem hanc negare, est fovere obduratam Judæorum perfidiam; & hęc est sufficiens probatio Conclusionis.

Ut autem ex ipsa Sacra Scriptura eadem Veritas elucescat, occurrit Illuminator Princeps Apostolorum Petrus *Epist. p. c.* 10., & in eadem frequenter, & *c.* 10. *Act. Apost.* ubi disertè ait, *omnes Prophetas testimonium perhibuisse de Christo*, ex quo clarè sequitur conseq., ergo ad litteram; nam testimonium verè, & rigorosè tale propriè non perhibetur per sensum mysticum, qui multiplex est, ac diversitatem admittit intelligentię; testimonium autem ut probet, debet esse secundùm unum sensum veritatis, quia Veritas est una, & taliter proponi debet, ut sit regula Judicantis, & concludentis, quod præstare nequit, ubi varietas sensus ad unum non cogit. Nec per hoc detrahimus sensui Mystico, qui quantum est ex se certè probaret veritatem, ubi constaret eum esse sigillatim B intentum a Spiritu Sancto, sed quia quoad nos id non semper, & apertè dignoscitur, ideò non potest dici sine addito, & universaliter, quod valeat ad testificandum, quod pro nunc satis est, ejus enim explicationem, & dignitatem suo loco reservamus. Iterum autem probatur conseq. ex eo quod testificari Populo illi materiali, & carnali, ad quem Prophetæ prius mittebantur, fieri certè non poterat per sensum spiritualem, quem ignorabant, debuit igitur esse per litteram, ne haberent postea excusationem, si Messiam reiicerent, se videlicet non intellexisse, quæ occulto tantum sensu, ignoto veluti idiomate de ipso fuissent prænunciata. Accedit etiam Philippus *Jo. c.* 2. dicens Nathanaeli. *Quem scripsit Moys. in Lege, & Prophetæ &c. invenimus Jesum a Nazareth Filium Joseph.* Quo loco certè loquebatur Philippus ex suppositione communis sententiæ, quæ tunc vigebat in illo Populo, expectante Messiam secundùm litteralia judicia, quę ad eum discernendum ex Sacra Scriptura uniquè litteraliter intellecta, vulgata erant. Immò ipse Christus *Luc.* 12. *Necesse est*, inquit, *impleri omnia*,

nia, quæ dicta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me, quod utique intelligi debet de dictis in sensu litterali, tunc enim alloquebatur Christus discipulos adhuc carnales ante adventum Spiritus Sancti, quibus proinde diceret: *Adhuc & vos sine intellectu estis?* Conclusio igitur certior, & clarior est, quam indigeat probatione, eum autem propterea nemo bene sentiens eidem valeat refragari, ipsique, & Judæi, & Hæretici damnati sint ab Ecclesia, nullaque ratione procedant, non est ulteriori locus disputationi.

Colligitur ergo ex dictis, primo, quod absolutè, & simpliciter verum est, ac de Fide, plura in Vet. Testamento, ad litteram constare de Christo, secundò quod prædicta potissimum continentur in Lege, seu Libris Moysi, in Prophetis omnibus, & in Psalmis; ex prædictis ergo libris aliqua seligemus, pro modulo nostro, ad intentum. Si quæ verò ex libris Sapiencialibus, vel historialibus facilè occurrerne, non præteribimus, Nomine siquidem Legis, Totum venit, sicut supra advertimus, Vetus Testamentum.

ARTICULUS II.

An in primis Capitibus Libri Genesis, aliquid dictum sit de Christo, ad litteram.

QUia Fini Principium correspondet, cum Finis legis sit Christus ad Justitiam &c. meritò quærimus; An & quommodo in sensu præsentis disquisitionis, Principium Sacræ Scripturæ pr. videl. cap. Libri ejusdem pr. respectum ad Christum innuat explicitè, hoc est litteraliter.

Dicendum est, ne dum prima Cap., sed prima primi Cap. verba litteraliter Christum signare. Prima igitur Sacræ Scripturæ dictio est. In Principio, hæc autem sicut in præcedentibus dictum est, & Legie Caldæ: Paraphr. idem est, ac propter offerendum, ergo indicat litteraliter Christum. Prob. conseq. Cum enim nequeat concipi aliquid Deo offerendum, quod tantæ sit in se dignitatis, bonitatis, & meriti, ut propter ipsum omnia forent creanda, nisi pro *Offerendo* intelligatur ipse Filius Dei, de ipso utique expresso cum futuritione intelligi debet, quod in ea dictione prænuncietur Venturus, & *Offerendus*, & cum alias non appareat possibile quod Filius Dei æqualis Patri & verus Deus se se offerat nisi in humanitate assumpta, ipse utique Christus Futurus, & Offerendus a se ipso: Oblatus enim est, quia ipse voluit, de necessitate concluditur in tali dictione sigillatim prænunciatus.

Confirmatur. Ad hoc enim facit, quod & primus Liber Vet. Testamenti, & primum Caput Evangelii Joan. inchoantur eadem dictione: *In Principio*. Unde quodammodo ut explicaret Joannes principium libri Genes., quod in prima dictione reassumebat, addidit statim: *Erat Verbum*; illud utique, de quo post pauca eodem capite subdit, *& Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*.

Consonat etiam, quod Vetus Testamentum in

A principio habet, *liber Genesis*, Novum verò, quod ab Evangelio Math. sumit exordium, in sui initio habet: *Liber Generationis Jesu Christi*, & quidem congruentissimè, cum in ipso & per ipsum & propter ipsum, nedum omnia creata, sed & renovata ac quasi recreata & perfecta sint, ex quo Cald. Paraphras; Sensus de Christo confirmatur & illustratur, & explicatur, quis fuerit ille *Offerendus*, de quo pr. dictum est *Propter Offerendum*.

Ad hoc etiam facit, quod Auctor Glosæ Magnæ Tom. pr. in Gen. exponens primam ejus dictionem, ex præclarâ SS. Patrum catena ostendit, ly In Principio debere intelligi litteraliter de Filio Dei, hoc est in Filio, sive per Filium, quo posito

B si admittimus (cum nihil obstet) intelligi posse litteraliter, ut legie Caldæ: *Propter Offerendum*, manifestè in prima illa dictione prænunciatus est Christus. Unde relativè & cohærenter ad eandem intelligentiam concludit Apostolus loquens de Filio Incarnato ad Hebr. cap. pr. *Locutus est nobis in Filio, quem constituit Hæredem Universorum, per quem fecit & sæcula*. Et quamvis nobis videatur aliqualiter obscura hujuscemodi prænunciatio, quia oritur sensus ejus, seu ejus explicatio ex Linguæ Caldaicæ Dialecto plurimis ignoto, Judæis tamen, qui magis Caldaicè & Syriacè, quam hebraicè loquuntur post Babilonicam captivitatem, ut sæpe Hieron. cæterique SS. Interpretes notant, esse non debet quasi exotica, sed connaturalis intelligentia, nec nobis videri potest aliquo modo

C impropria, si attendamus rerum, ac magis Scripturarum connexionem; Unde inter non obscuras prænunciationes litterales de Christo, hanc meritò collocamus: maximè quia Christus & totius Mundi Salvator est, & Caput hominum, & Angelorum, ad quem universa respiciunt, ac in principio congruebat, ut sicue ipse unicum est Verbum Patris, unicum etiam esset, hoc est pr. verbum Divini sermonis.

ARTICULI EJUSDEM PARS ALTERA.

NObilem exhibet Christi prænotionem ad Literam c. 3. Genes. ubi Deus comminatus est serpenti, eumque justâ damnavit Sententia, dicens ad ipsum: Inimicitias ponam inter te, & mulie-

D rem, & inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Quem locum communis Fidelium intelligentia sumit ut claram de Christo ex Virgine nascituro, totius humani Generis Redemptore prædictionem; Inter alios autem Patres, quorum nemo de hoc dubitat, præclarè Rupertus *de Victor. Verbi Dei l. 3. c. 9.* locum hunc illustrat. Ad cujus intelligentiam prævertit *l. 2. c. 16.* Deum usque ad prædicta verba, in illo capite semper direxisse sermonem ad eum, de quo loquebatur, in hoc autem, cum loqueretur de muliere, non ad mulierem locutum fuisse, cum diceret, ipsa conteret caput tuum, & rationem assignat, *quia*, inquit, *non ad Evam, sed ad Mariam Virginem, & Filium ejus intendebat, & meritò non ad mulierem malè me-*

ritam

vitam Auxiliatricis Gratiæ, facta est repromissio, sed potius ad serpentem hostilis & bellica comminatio. Et quidem quod mulier aliqua contriverit caput Diaboli, sive hoc sit, unde ipse incæpit malus esse, scilicet superbia, sive hoc sit, ejus intentio perdendi totum Genus humanum, & Dei imaginem abolendi in homine, nec Diabolus sentit, nec Judæi valent imaginari, nisi & ipsi tale Victoriæ privilegium omninò supra naturam mirentur in Matre Dei, quæ humilitate concepit, inq; Bernardus, *enim qui ad debellandas aereas Potestates propriæ naturæ vigore humiles venit, & ut Dei imaginem reformaret in homine, ipse substantialis Dei imago, Deum hominem fecit.* Absciderat Diabolus caput hominum per mulierem, quia Adam peccando amisit dignitatem Capitis, ut notat Angelicus, ipseque quasi Caput hominum, qui peccatores essent, se constituerat. Nulla mulier adumbrari poterat, quæ tale Caput contereret, nisi quæ verum novum Caput pareret Naturæ & Gratiæ, ex quo Diabolus; qui Caput se esse ostentabat, vix calcaneum obtineret, per inutiles lambendum insidias. Plura Epiph. Aug. Bern. & totus SS. PP. Chorus quotidiè canit ad divinæ hujus victoriæ gloriam.

Dices, hæc potius moraliter sunt deducta, quam litteraliter in Textu contenta; ergo ad rem non faciunt.

Resp. Sensum litteralem eum esse, qui non ex rebus per verba significatis, sed ex verbis ipsis exurgit, & directè intuitur, quod in præsenti verificari consideranti patebit, ac propterea sensum hunc sic expressum, litteralem esse habetur in terminis apud SS. Patres; Vid. Abul. in c. 3. Gen., & Cornel. a Lapide eodem cap.

Idipsum magis confirmatur: Nam in Hebr. Cod. ut legit S. Leo Papa, & ex eo Lippom. non dicitur, *ipsa, sed ipsum* (idest semen mulier) conteret caput tuum: Item etiam 70. & Cald. vertunt, ipse (scil. Filius, Mulier;) Vulgata verò, Aug. Chrisost. & alii legunt, ipsa; Nullamque ex his versionibus reiiciendam esse constat, quia data opera videtur ibi Moys. in Hebræo Verbum masculinum cum pronomine fæminino commiscuisse, ut significaret tam Mulierem quam semen ejus, ut & Virgini & Christo, vel Virgini per Christum, victoria hæc adscribatur. A Christo enim, & Eva pænitens, & Maria innocens, & nos ipsi virtutem accepimus, ut super aspidem & basiliscum ambulemus &c. & conteramus Satan sub pedibus nostris, unde de credentibus in Christum dixit idem in Evang. *In nomine meo Dæmonia eiicient, serpentes tollent*, quod a solis Christianis, & in nomine ac virtute Christi fieri videntes Judæi clarè cognoscunt veram ac litteralem fuisse de Christo Prophetiam, ac ipsum solummodo, ac Corpus ejus mysticum, realem scilicet veramque Ecclesiam, ac prius Immaculatam Virginem Christi Matrem, cum dictum est, ipsa, vel ipse conteret Caput tuum.

Obiicies: Totus iste textus nequit litteraliter intelligi secundùm regulam vulgatam Augustini, de qua suo loco; quod videl. sensus litteralis ommittendus est, cum ex eo sequitur aliquod inconveniens, plura enim ex hac littera, litteraliter intellecta, sequi videntur inconvenientia, quod sic potest ostendi. Vel serpens hoc loco secundùm litteram sumitur materialiter, hoc est pro vero materiali serpente, vel formaliter, ut videtur sumi debere secundum regulam contextus, scil. pro Diabolo: neutrum verò subsistit, ergo sensus litteralis hoc loco falsum inducit: Prob. mi. quoad primam partem, Talis locus importat sententiam inflictivam pęnę; Serpens autem animal, nec est capax pęnę, nec illius pęnę, quia est irrationale Animal, quod nec peccat, nec punitur, & insuper jam habet a natura inimicitias cum Muliere & semine ejus, & quod gradiatur super pectus suum, unde ab initio propriè dictus est serpens, quod nomen naturæ est ex proprietate ipsius desumptum, non verò pœnæ; ergo quoad hanc partem non subsistit litteralis sensus, nisi dicamus, Deum punire Animal incapax culpæ, ac pœnæ, & puniendo non punire, cum talis pæna nihil afferat novum supra id, quod dimanat a se, ipsius natura, ac propterea caruit vera ratione pænæ, quæ debet esse contra inclinationem naturæ. Quoad secundam partem etiam patet, quia Diabolus est incàpax novi peccati, cum sit in termino immobilis, nec mereri potens nec demereri, ideo non fecit novum peccatum, tentando, & decipiendo Evam, ergo nec novam debuit habere sententiam, aut pænam.

Resp. hæc quidem ita sincerè proposita, non carere difficultate, ea tamen æquè sincerè solvi potest. Dicimus igitur illam potius Prophetiam fuisse, quàm condemnationem. Nam misericors Deus etiam in puniendo Hominem lapsum recordatus est misericordiæ suæ, & ne homo, justè a Deo abjectus desperaret, se metipsum, hoc est Filium suum in illius Redemptionem venturum promisit, Christi prænuncians victoriam per serpentini Capitis contritionem: Eligimus igitur secundam partem dilemmatis, quia ut benè notat Abulensis, inconveniens esset omni alio majus, quod Deus cum irrationali loqueretur, quod sicut nec peccare, ita nec intelligere, nec obedire, quod est obsequi auditis, nec formaliter audire potest (quod si nimis rigidè hoc modo sumi videatur hæc littera, dici potest nullum esse inconveniens, quod Animal damnetur suo modo, quasi materialiter particeps delicti humani, sicut nullum fuit inconveniens, quod etiam Animalia jejunarent in Conversione, & pænitentia Ninivitarum, sed hoc ad abundantiam addimus, cum etiam prima pars dilemmatis eligi possit.) Resp. autem ad probationem secundæ partis, quod etsi Diabolus novum peccatum non committat rigorosè ob rationes adductas in argumento, tamen reverà ab initio Diabolus peccat, dicit Scriptura, quatenus eadem semper peccaminosa voluntas, quam habuit ab initio obstinata, eadem perdurat invariabiliter, & quia in illa perversa voluntate voluit & elegit quodcumque malum ac peccatum in hominibus causare, & in genere & in specie & in individuo prout potuit prævidere saltem in connexione Causarum, quod quantum est ex se tunc intulisset, si connotata non defuissent, ideo cum talia connotata ponun-

ponuntur, caufalitas illa prædictæ malæ voluntatis consumatur etiam ex parte effectus, non per novum ipsius actum liberum, sed per efficaciam, seu melius malignitatem illius primi. Ad eum modum videl. proportione servata, quo species in intellectu Angelico ab initio inditæ sunt repræsentantes totum ens naturale, quod ejus conceditur comprehensioni, & tamen species illæ (vel una sit, vel plures) non semper repræsentant, vel. repræsentarunt in actu ens naturale futurum, quandiu naturaliter est in nihilo, sed illo posito tamquam connotato species illa ipsum actu repræsentat, tunc enim rectum, suum conceptum exercet, eum complectur per id quod expectabat: Sic dicimus etiam de primo Angeli peccato, & voluntate perversa omnis mali; quæ explicatio ad breves terminos reducitur si dicas. Peccatum Adæ a Tentatore causatum, non fuit novum Luciferi peccatum, sed effectus antiqui, ac veluti ejusdem extensio, unde non mirum, si & prior sententia contra primum Angeli peccatum lata extendatur, & novum effectum pœnalem inducat in detestationem novi effectus, verè peccaminosi & ex parte tentantis, quia oritur ex ejus primo peccato, in quo perseverat; & ex parte consentientis, qui consentiendo, novum, hoc est primum respectu sui peccatum committit. Qua ratione igitur tentatio ejus peccatum est, vel cum peccato coalescit, ea ratione punitur, & eadem ratione sententia est verè sententia: Unde & objectio soluta manet, & id quod obiici poterat, nempe hanc de qua nunc agitur fuisse sententiam verè pœnalem; Dixit enim Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus eris; hoc enim satis ex dictis intelligitur. Nullum itaque sequitur inconveniens, si totus textus ad litteram sano modo accipiatur. Immò gratis sic obiicitur, contra id quod ex commumi PP. sententia statuimus. Sufficit enim quod verificetur litteraliter in sensu explicato propositio illa; *Ipsa conteret caput tuum* relatè ad B. Virginem, & Filium ejus, contra Diabolum tamquam caput omnis mali, vel contra caput Diaboli, quod competit Lucifero, cujus semen sunt alii Angeli mali, quorum peccatum ex Luciferi peccato, modo Angelico genitum est, quod est consecutivum quoddam sententiæ, non ipsa sententia, & ideò est quædam prædictio ad consolationem, & spem hominis; vel illa fuerit sententia, vel non, quod ad rem præsentem non facit.

Quod si adhuc obiicias Diabolum, nec Terram physicè, ac litteraliter comedere, qui nec comedit, nec ferri gradiendo super pectus suum, qui corpus non habet, ex quo videtur concludi locum illum in sensu litterali non verificari.

Resp. pr. Transeat locum illum, quantum ad hanc partem explicari debere in sensu mystico, non propterea tollitur, quod asserimus, nempe priora verba continere litteralem sensum de Christo; hoc etenim frequenter accidit in Scriptura, ut nempe aliqua pars alicujus pericopæ litteraliter accipi debeat, altera mysticè tantum possit intelligi. Vel

Secundò. Resp. co. ant. ne. conseq. Cum enim Diabolus sit Spiritus, non debet corporaliter de illo aliquid verificari, sed spirituali modo, ideoque ille erit sensus litteralis, eum de ipso agitur, qui ennunciat de illo aliquid verificandum spiritualiter, quod autem expressio ipsa litteræ directè videatur aliquid corporeum innuere, hoc solùm convincit, quod sit locutio metaphorica, qua necessariò utimur, cum de spiritibus agimus, quia, & ipsos spiritus, & ea quæ de ipsis dici possunt, intelligere nequimus pro hoc statu nisi ad modum corporum, ideoque neque explicare, nisi ad modum corporalium rerum respicientes, quod si officeret sensui litterali, nullus sensus litteralis esset possibilis, cum de spiritibus agimus: Res clara est, ideò satis.

ARTICULUS III.

An & quomodo Promissio Benedictionis, a Deo Abrahæ facta, ad litteram de Christo fuerit.

Dicendum est statim intelligi debere de Christo ad litteram celebre illud Juramentum a Deo Abrahæ factum: Gen. 22. *Per me metipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti Unigenito Filio tuo &c.* & concluditur: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes Terræ.* Explicatur: Aliud siquidem est, quod Isaac fuerit mysticè Christus, scil. ejus Figura, aliud verò, quod divina locutio jurata, Christum futurum in se ipso respexerit, & expresserit in hoc, quod dixit, *in semine tuo*, illum enim non dicimus esse sensum litteralem, qui manifestè mysticus est, sed istum, qui clarè Christum manifestat futurum ex semine Abrahæ Hominum Redemptorem, ex quo omnis Benedictio vera, & æterna realiter dimanavit. Ita sentiunt Fideles omnes, quia ita sentit Scriptura. Math. c. pr. *Liber Generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham, Abraham &c.* Idque clarius constabit ex dicendis toto hoc articulo. Quod ut præstemus, prius referendus est, & reiiciendus oppositus error. Aliqui ex Judæis videntes claram Messiæ promissionem in his verbis, quæ vocantur firmissimum Dei Testamentum, quia jurata a Deo, dantque nomen, & vim Testamenti omnibus libris, qui Vetus Testamentum conficiunt, ac Christi figuram ubique portendunt; Insuper non valentes negare, quod Christus fuit ultimus Abrahæ Filius, ac propterea cum proprietate dictus Semen Abrahæ, quia in ipso stetit Semen Abrahæ non transiens ad Filios, quos carnaliter non genuit, videntes etiam Benedictionem omnem, ac fælicitatem in Christiano Populo reperiri, tamquam complementum illius Promissionis, eludunt hujus textus litteram, dicentes talem benedictionem in hoc executam esse, & consistere, quod Judæi volentes alicui benedicere dicebant: Benedicat tibi Dominus, sicut benedixit Isaac. Sed quam futilis sit hujusce modi expositio, quam refert Abulens. hoc loco, ex eo apparet, quod textus dicit: *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes Terræ.* Gentes autem Terræ, quæ nec unum Deum cum Hebræis colebant, nec sciebant Scripturas, non poterant sic benedicere; & post-

& postquam cognoverunt Deum, cognoverunt etiam, & de facto consequuntur realem effectum Benedictionis in Christo, ideò hujuscemodi benedictione, qualem Judæi somniantur, Gentes non utuntur, sed omnis benedictio procedit per Crucem Christi ex usu Ecclesiæ, in signum quod in Christo dumtaxat omnis repromissa benedictio donata est, ut omnes Catholici sentiunt, ergo omninò falsa, & voluntaria, ex facto ipso convincitur expositio Judæorum. Unde de illo Populo nequam, viris sceleratis, merito ait Psalmista, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, & alibi, induetur sicut diploide confusione sua.

Quod verò intelligatur directè de Christo ad litteram hæc repromissio, adeò certum est apud Catholicos, ut tale assertum supponant potius, quam ponant Sacri Expositores, cum sit de Fide, non enim est pia meditatio Doctorum, sed expositio in terminis, a Spiritu Sancto per Apostolum facta *ad Galat. c. 3.* ubi: *Christus autem nos redemit de maledicto Legis factus pro nobis maledictum* (utique apud Judæos) *ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret, in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus acciperemus per Jesum.* Hic est proprius sensus Spiritus Sancti, & prosequitur, *secundùm hominem dico tamen Testamentum Hominis confirmatum nemo spernit, aut superordinat, Abrahæ dictæ sunt Promissiones, & semini ejus, non dixit, & in seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, semini tuo, quod est Christus.* Quid clarius?

Quæres hic primo. Quænam est hæc benedictio, qua prædictum est benedicendas fore Gentes omnes Terræ in semine Abrahæ, quod est Christus?

Resp. Evangelista describens diem Judicii extremam, ultrà quam nulla expectanda remanet Benedictio in hoc sæculo. *Et congregabuntur*, inquit, *a quatuor Ventis omnes Tribus Terræ, & tunc parebit, signum Filii hominis*, scil. Crux, ut omnes intelligunt cum Ecclesia: Hoc enim signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad judicandum venerit: Vocat autem se Christus Filium hominis, relativè ad illud quod dicitur semen Abrahæ; Signum igitur S. Crucis est benedictio omnium Gentium Terræ. Sed pergit Evangelista, ut id ad litteram magis exponat. *Et dicet his, qui a dextris erunt: Venite Benedicti Patris mei*, quod vel intelligatur de Patre Deo, vel de Patre Abraham, in idem recidit, quia Filius ipse Dei est, & semen Abrahæ, & ea Benedictio a Deo promissa est ipsi Abrahæ futura in semine ipsius. Hæc itaque est promissa Benedictio, qua benedicentur omnes Gentes Terræ exclusis nequissimis Judæis in die Judicii extrema Mundi, unde canebat Sapientissima Virgo Luc. *c. pr. Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini ejus usque in sæculum*, quia sæculum tunc terminabitur.

Dices, seu Quæres secundò, Quommodò hæc benedictio spectat ad omnes Gentes Terræ, cum tot Gentes pereant sine Fide, immò & tot pereant de his qui Fidem habent, ut dicitur in Evangelio: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Resp. Testis certioris scil. Prophetici visus Joa. in Apoc. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare* A *nemo poterat ex omnibus Gentibus, & Tribubus, & Populis, & Linguis stantes ante thronum Dei, in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:* Sufficit autem, ut verum sit, quod benedicantur in semine Abrahæ omnes Gentes terræ, quod ex omnibus Gentibus sint innumerabiles, sicut arena Maris, & Stellæ Cæli (quæ fuerat altera repromissio facta Abrahæ de Electis) illi qui salvantur; & quidem innumerabilis multitudo, pauci dicuntur in comparatione ad meritum Christi infinitum, ad voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes homines, & ad Beatitudinis magnitudinem, tanta quippe est ea, quæ uni confertur, ut satis esset, si dividi posset ad beatificandos omnes homines, unde quia major est ipso homine, cui con- B fertur, non dicitur intrare in hominem, sed quod potius homo intrat in illam: *Serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.*

Quæres tertiò, quommodò benedicentur in Filio idest in semine Abrahæ omnes Gentes Terræ, si Filius ipse erit, qui benedicet dicens: Venite benedicti Patris mei?

Resp. partic. In, in Sacra Scriptura frequenter accipi pro Principio effectivo, ut egregiè probat Glosa magna, super prima dictione c. primi Genes. sicque idem erit Benedicentur in semine, ac benedicentur a semine.

Resp. secundò. Quod benedicentur a Filio in Filio; dicet enim se fuisse in Electis, & Electos in ipso: *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; & alibi *manete in me, & ego in vo-* C *bis.*

Resp. 3. dici posse, quod verè benedicentur in Filio, non enim dicet, ego vos benedico, sed potius, quod sunt benedicti a Patre, quod si a Patre utique in Filio, idest propter Filium, sicut Glos. super citata, vel in Filio verè, ut ipse alias exposuit dicens: *Nescitis, quia Ego in Patre, & Pater in me est.* Vel denique quod Opera Trinitatis ad extrà sunt a tota Trinitate, quamvis uni, vel in una fieri Persona ob caracteristicam ipsius proprietatem attribuantur.

Ad quæsitum autem principale propositum in titulo Articuli, quod cætera complectitur, additur alia responsio, quæ primam non tollit, sed complet. Pro qua notandum, morem fuisse Populo Dei Testamenta condere per benedictiones (ut con- D stat in Gen. de Isaac, & passim in Vet. Testam.) in quibus exprimebantur Hæredes, & prædilectio Testatoris ergà aliquem, unde nomine benedictionis venit hæreditas: idem igitur fuit, Deum dicere Abrahæ: Benedicentur in semine tuo omnes Gentes, ac disponere Testamentum, quo Deus in hæreditatem suam vocaret omnes Gentes in semine, idest in ultimo Abrahæ Filio, qui futurus erat Christus, ut secundùm Apostolum ad Rom. *essemus Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, quem Deus Pater in illa benedictione constituit Hæredem universorum; & propterea hanc Hæreditatem admittet Christus in Judicio, eamque Regni sui participem, & cohæredem sui declarabit dicens: Venite Benedicti Patris mei, benedicti utique passivè, idest mihi dati in hæredita-

tem

tem a Patre meo, percipite Regnum, cujus cohæredes meos vos constituo, & respiciens ad Abraham cui ut transmittenda per semen ejus Christum, tamquam Fidei Commissario (Fidei enim Pater fuit) jurata fuit talis hæreditas, quia idem Abraham hospitio Deum susceperat, & paraverat ei mensam ideò in declaratione benedictionis suæ Christus subdet. *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: Hospes eram, & collegistis me*, ex quibus apparet, & nobilis Divinorum proportio, ac relatio Mysterium, & certum ex omni parte, quod de Christo intelligitur ad litteram Benedictio Abrahæ, quæ omnia congruenter accipi debent.

Obiicies tamen: Per hoc quod dicatur in semine tuo benedicentur, non est necesse intelligere Christum futurum, siquidem nomine seminis Abrahæ intelliguntur omnes Judæi; & propterea dicebat Apost. 2. *ad Corinth.* 11. *Israelitæ sunt, & ego, semen Abrahæ sunt, & ego*, potius igitur dicendum erit sensum hujus dictionis, & benedictionis litteralem communiter omnes Judæos respicere, qui Abraham vocant Patrem suum, ut ex utroque Testamento habetur: Adde quod, & ipse Christus de Zacheo dixit *Luca c.* 19. *eo quod, & ipse Filius sit Abrahæ*.

Confirm. Per semen Abrahæ Verior Interpretatio intelligit Fidem, quia credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & ex hoc vocatur in utroque Testamento Pater Fidei, quæ est semen Vitę ęternę, quia sine Fide impossibile est placere Deo; & ita intelligitur, cum dicit Christus *Jo. c.* 8. *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum.*

Resp. Quod confirmatio responsionem objectionis includit; Dicebantur enim Judęi semen Abrahæ per Fidem, sed hic sensus non est litteralis proprius; verus autem litteralis, & primarius ille est, quem exposuimus, & defendimus. Quod si insistas, etiam litteraliter omnes Judæos esse semen Abrahę, quatenus ex Filio ejus descenderunt duodecim Tribus, materialiter verum est, at non in eo sensu intelligitur ly semen; nam ut supra explicuimus ex Apostolo, propriè per semen intelligi debet ultimus ejus Filius, ex quo nulla alia naturalis proles genita fuit: Qui enim alterum generat, superinduit relationem Paternitatis ad Filium, ideoque in ipso relatio Filiationis ad Patrem, & Proavos quodammodo absconditur per proximiorem respectum, & superiorem Paternitatis ad Filium, qui verò alterum non gignit, semper simpliciter, & formaliter solummodo Filius est; nec habet talis respectus, a quo abscondatur, vel offuscetur; & quia juxta hebræam phrasim, semen significat simpliciter, & propriè Filium, ideò sicut nomen Filii, ita & nomen seminis per se primò, & magis propriè intelligi debet de ultimo, qui solùm Filius est, & non Pater per naturalem alterius generationem; Nec refert quod Christus sit Pater omnium Fidelium, qui propter ipsum, & ratione ipsius dicuntur Filii Abrahæ. Filiatio enim per Gratiam est adoptiva, & spiritualis, sicque alium ordinem inchoat, de quo non agimus in præsenti.

Quod si subtilem hanc licet verissimam intelligentiam gratis omitteremus, concedendo etiam Judæos dici posse realiter semen Abrahæ, adhuc negaremus sensum benedictionis illius respexisse ad Judæos, propter evidentem rationem ex facto ipso. Nam ad hoc ut in omnibus Judæis benedicerentur omnes Gentes, certè deberent ipsi Judæi esse benedicti; constat autem experientia palpabili, ipsos potius maledictos, hoc est exhæredatos, vagos, & profugos super terram, sine Patria, sine Regno, sine Sacerdotio, sine Templo infelicissimè vivere, ac infelicius mori. Oportet ergò concludere cum Apostolo; *Non dixit in seminibus, quasi in multis, sed in semine, idest in uno, qui est Christus*; quippe quod unum dicitur, vel de primò ante quem nullus, vel de ultimo post quem nullus, quod utrumque competit Christo, qui est primus, & novissimus, qui ait in Apoc. *Ego sum Alpha, & Omega, Principium, & Finis.*

Ad confirmationem dicimus, nos hic agere non de spirituali, aut improprio, sed de litterali, & propriissimo sensu, secundùm quem intendit textus exprimere veram, & naturalem Christi descendentiam ex Abraham; aliter Christus, nec posset dici semen Abrahæ, si per semen intelligitur Fides, quia Christus non habuit Fidem, & tamen Judæi admittebant ipsum, ut Judæum de Tribu Juda, & Filium David, quod erat, ex origine Abrahæ descendisse: Ad complementum præsentis Intelligentiæ addendum, quod legit Hebr. *Semine tuo benedicent se omnes Gentes*, quod magis convincit Judæos de Adventu Messiæ jam executo, quia ex tali textu docentur illum esse Messiam, de quo verificatur, quod ipso benedicunt se omnes Gentes, nullam autem invenient in Gentibus benedictionem, nisi in nomine Christi, ideoque in Ecclesia omnes Orationes, quæ sunt quædam benedictiones, terminantur per Dominum nostrum Jesum Christum; & Apost. 2. *Corinth. c. pr. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri J. C.*, idemque infinities in suis Epistolis replicat nomen Jesu, ac denique 1. *Chor. c.* 10. docet, *sive manducatis, sive bibitis &c. omnia in nomine Domini nostri J. C. facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*; Inexcusabiles igitur sunt ex omni parte Judæi, & ipsa sua hebræa littera, in quam fidunt, damnantur.

Quæres denique ob connexionem materiæ præsentis, quommodo verificatum fuerit in Abraham, quod Christus dicit *Jo. c.* 8. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus est?*

Resp. Aug. *credens utique exultavit sperando, ut videret intelligendo diem meum: Incertum autem esse potest, utrum dixerit temporalem diem Domini, quo erat venturus in Carne, an diem Domini, qui nescit ortum, nescit occasum: Sed ego non dubito Patrem Abraham totum scisse: Ait enim servo suo, quem mittebat accipere Uxorem Filio suo: Pone manum sub famore meo, & jura mihi per Deum Cæli &c.* Item idem Aug. exponens hunc textum *Oratione contra Paganos, & Arianos, & Judæos c.* 3. explicat, *quod vidit Abraham diem Christi, quando tres vidit, & unum adoravit*. Sed advertendum, quoad diem, quæ nescit occasum scil. æterna, intelligi

debet August., quod quando Christus loquebatur, Abraham talem diem viderat præcisè in Fide, & gavisus fuerat, quod appropinquaret in jure, & in re; nam per visionem claram tunc nundum aliquis viderat talem diem, quia nundum ascenderat Christus.

Consentit August. contra Paganos, *Tunc diem Domini Abraham vidit, cum in Figura Trinitatis tres Angelos hospitio suscepit*. Aliter Chrisost. diem suum dicit, diem Crucis, quem Abraham in immolatione Isaac, & Arietis præfiguravit, per hoc ostendens, quod non invitus ad Passionem venit, & ostendens eos alienos esse ab Abraham, si in quibus ille exultabat, hi dolent &c. Vel etiam quod ferè in idem recidit, dici potest tantum fuisse Abrahę fidem, ut exultaret, quasi videret cum adhuc tantummodo crederet. Vidit autem Incarnationem, quia ipsi revelata fuit, cum reverà fuit &c. Vel quando vidit Isaac liberatum, sentiens eximium gaudium, & ex eo coniiciens quantò majus futurum erat gaudium, videre liberatorem omnium, exultavit ut videret gaudens, vel in desiderio. Vidit tunc in speculo, scilicet Isaac, diem Christi, & gavisus est, quamvis enim Fides in comparatione ad claram Dei visionem, visio non dicatur, tamen secundùm se, cum substituatur loco illius, cum magna est, mutuato nomine dicitur visio: Unde Apostol. *Videmus nunc per speculum*, tamen dicit videmus, qui ergo sic vidit, eadem etiam proportione admodum gavisus est, in quo sensu ait August. *Tract. 43. in Jo. Quale autem gaudium fuit cordis videntis Verbum manens, splendorem piis mentibus refulgentem, apud Patrem manentem Deum, & aliquando in Carne venturum, non de Patris gremio recessurum!*

ARTICULUS IV.

Agitur de Principali Textu Gen. c. 49. Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux &c. An sit de Christo ad litteram.

QUod Abrahæ juraverat Deus, in semine ejus benedicendas fore omnes Gentes Terræ, quantum est ex parte divinæ Benignitatis impletum fuit immediatè eo ipso, quod sic Deus ipse juravit; quod enim sic Deus dixerit, fuit maxima benedictio, ex qua omnis benedictio in effectu ipso manavit; quantum verò ex parte rei prædictæ, eam exequi cæpit Jacob nepos Abrahæ saltem verbaliter, in suorum Filiorum benedictionibus prænunciando apertius Christum venturum, & de futura Tribu, tunc præsentis Filii sui Juda, ex tunc præconceptum dicens: *Non auferetur sceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium &c.* Clarior sanè Prophetia de Christo, & magis concors præcedenti, vix in toto Vet. Testamento se offert; hæc enim, ne dum Venturum Messiam apertè prædicit de stirpe Juda, eumque a Gentibus expectatum, quæ in ipso erant benedicendæ ex jurata Dei promissione, atque omninò eundem esse, qui postea fuit a Deo missus Filius Dei; sed etiam

A tempus missionis ipsius ex parte Termini, signo quodam certo, tempus discernente prædefinit. Hoc textu jugulatur Judæorum prędura perversitas, qui inde coguntur; vel negare quod prędicant, scilicet veritatem & unitatem Veteris Testamenti, vel concedere quod mordicus negant, scilicet venisse Messiam, vel fateri quod celare conantur, se se ex improba dumtaxat voluntate negare Messiam, & ad propriam damnationem damnare literam Veteris Testamenti, cujus reverà non sunt Heredes. Ex eo autem maximè convincuntur, quod notat Burgens. in Scrut. p. p. c. 13. quod nempe jam olim Summus Sacerdos ingressus Sancta Sanctorum primò orabat pro incolumitate Sancti Regni Juda, & pro adventu Regis Messię juxta illud vaticinium: Non auferetur Sceptrum de Ju-

B da, ergo ablato jam Sceptro de Juda (quod vident ipsi ac fatentur) & Duce de femore ejus, tenentur gratias agere Deo de fine suę Orationis, quæ prius Deum rogabant, obtento, videlicet de Messia jam misso, quem Gentes agnoscunt, & adorant a tot Seculis præsentem, & de consumatæ sui Redemptione gloriantur, expectantque venturum Judicem totius Universi: Et quidem supposita hac desitione, & quod Christus de Abraham, per Isaac, per Jacob, indeque per Judam descendit, ut constat ex Evangelio, & neque Judęi negarunt, cum ipsum dicerent Filium David, nihil remaneret addendum ad claritatem hujus Prophetię, quę ad sensum de Christo ne dum ad litteram fuit, Teste adeo palpabili ejusdem implemen-

C to.

Verum quia sicut niti in vetitum durę Cervicis, ita offuscare claritatem, obscuratę perversitatis ostentum est, conantur velis, remisque Judęi hanc subvertere, vel saltem turbare veritatem, nequid igitur desit in eo, quod aggredimur cum distinctione, quę lux est Veritatis, breviter ostendemus Primò. Quod de Christo specialiter dictum fuit, qui mittendus est. Secundò qualiter fuerit expectatio Gentium. Tertio satis verificatam fuisse prędictionem illam in ipso, de ablatione terreni Regni de domo Juda, Primum in pręsenti Articulo, reliqua in sequentibus exequemur.

Quoad prim. notandum est, ex D. Th. p. p. qu. 43. ar. 2. ubi agit de missione Divinarum Personarum, quod missio triplicem admittit conside-

D rationem: Prima fit per imperium, qua missione Reges, Ministros mittunt, & Domini, Servos: Altera per consilium, qua Sapientes mittere dicuntur nescientes; Tertia per naturalem productionem, sicut Arbores dicuntur mittere radices, flores, fructusque quos producunt de sua substantia. Hoc autem tertiò modo missionis dumtaxat mitti possunt Divinę Personę, quę procedunt; Unde Magnus Dionisius, Personas productas flores divinos appellat, non ut alii legunt flores Divinitatis, quia nec Filius, nec Spiritus Sanctus propriè dicuntur a Divinitate procedere, sed Filius a Patre, ab utroque Spiritus Sanctus, Deus de Deo; Aliis verò modis mitti, nullo modo potest competere Divinę Personę, cum sint simpliciter ęquales: Mittitur ergo Filius per processionem, &

sicut

sicut hæc est æterna, ita, & missio, quamvis autem hæc sit æterna nihil implicat, quod posito connotato, ac prædefinitis a tota Trinitate circumstantiis se se extendat in tempore ad communicandam Humanitati proprias subsistentiam, & existentiam, & consequenter naturam, non enim fit immutatio in supposito, sed assumptio passiva in effectu: Cum igitur hæc sit divina, & nobilior, æquè, ac substantialis missio se se explicans in Christo, dicenda est missio suprema, & exemplaris, cui proinde cum proprietate per se primò, & simpliciter congruit ratio missionis, & quia nomen Messiæ, ut patet, a Missione dicitur, soli Christo convenit nomen Messiæ, & consequenter etiam denominatio illa mittendi, antequam talis missio ex parte hujus effectus extensivi appareret; jam ergo sine controversia notum est, ly mittendus, qui prænunciatur in benedictione, quam tractamus, alium esse non posse quam Christum verum Filium Dei, & hominem, ad quem tota ex ima calamitatis abysso suspirabat Natura; Dicit autem mittendum sine dubitatione, vel addito, quia ejus futuritio ex jurata promissione Dei ad Abraham vulgò absque hæsitatione supponebatur.

Confirmat legitimam hanc intelligentiam Caldaica, quæ legit, donec veniat Messias, & Paraphrast. Cald. hoc loco, qui vertit, donec veniat Christus, ut benè notat Ludov. de Thena ad hanc difficultatem.

OPPOSITIONES JUDÆORUM.

Senserunt vim hujus textus Judæi; hinc sicut ref. Eugub. in Commentar. ad hunc locum, conati sunt maximè post translationem Hieronymi qui pariter legit, qui mittendus est, eum corrumpere, unde tot sunt versiones, lectiones, & involucra apud Hebræos quoad rem hanc, ut mentem confundant, inq. Doctiss. Acosta ad hunc textum, ex eo vero talem confusionem inducunt, quia cum dictio illa mittendus scribatur in Hebræo per *Seilloh*, quod verbum apud ipsos solet diversimodè punctuari, sicut propterea potest referri ad diversas radices, ita & ad diversas trahi significationes, & interpretationes saltem apparenter a Violatoribus sinceræ veritatis. Hinc nequiss. Julian. Apostata pro *Scilloh* intellexit Nabuchodonosor, in quo ait, defecit Regnum, & Reges Juda. D

Sed contra insulsam hanc nequitiam res ipsa clamat, nam ille, nec fuit de Juda, nec Gentium expectatio, sed potius destructio, nec ullo prorsus nititur fundamento hujuscemodi imaginatio, quia falsum est, ut infra ostendemus defecisse tunc sceptrum de Juda &c. Accedit quod Hieron. peritiss. Linguæ Hebraicæ, imò Græci, & Latini Doctores pro *Scilloh* intelligunt, & legunt legatum, seu missum, quod munus certè non accomodatur Nabuchod. Regi Babilon. Notata igitur punctatione magis acceptata ab ipsis Hebræis, usque ad tempus Hieron. ut advertunt Eugub. & Cornel. Alap. hoc loco legendum est, & intelligendum ex communi sententia, & scientia, *qui mittendus est*, quod apertè præindicat Christum.

A Alii non minus vanè pro *Scilloh* intelligunt locum, in quo fuit Arca Domini pr. Reg. c. 10. ut vaticinium referant ad Saulem, qui in Regem fuit unctus in *Scilloh*; quod falsissimum est, quia primus de Juda, qui regnavit, fuit David, successor Saulis, & unctus fuit in Masphath. pr. Reg. c. 10.

Alii pro *Scilloh* interpretantur Jeroboam filium Nabal de Tribu Ephraim, quem Regem secutæ sunt decem Tribus recedentes a Roboam Filio Salomonis 3. Reg. c. 12., tunc enim Regnum videtur defecisse de Juda: sed falluntur, quia verè Roboam regnavit etiam discisso Regno, in Juda, & Beniamin, & fuit Rex Jerusalem, ubi servabatur oleum, quo Reges ungebantur, & Templum erat tamquam in capite totius Regni Populi Dei, & regalia insignia ibi erant, ut habetur 2. Paralip. c. 10. & 3. Reg. c. 12. & 15. B

Non desunt tamen, & ex Hebræis, & ex Catholicis, qui diversimodè interpretentur hunc locum, sed ad rem nostram, & ad veritatem denique accedunt: Septuaginta mutatis punctis legunt, *donec veniat, cui repositum est*, relatè *ad sceptrum*, & ita antiqui Patres, qui versionem 70. sequuntur, quod quantum ad sensum concordat, cum *mittendus est*. Leo de Castr. libr. 3. in Apolog. pro *Scilloh*, aliis punctis legit *Sailach*, & sic dat, *donec veniat promissum ei scil. Messias Abrahæ promissus*. Per hoc autem, quod dicit promissum; fortè respicit Verbum Dei, de quo Gabriel ad Virginem, Lucæ pr. Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius C Dei. Rabbi David Kimchi *Scilloh* vertit *Filium*, quia Scil. significat *Filium*, unde *Scilloh* ille est, cui *Ps.* 2. ait Pater, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*.

Ommissis aliis Cornel. a Lap. magis approbat legentes *Sciloach* per *Chet*, idest *Legatus missus*, vel *mittendus*, a radice *Scalach*, hoc est *misit*; ad quod alludens Christus, ait Cæco illuminato: Vade, & lavare in natatoria *Siloe*, *quod interpretatur Missus* idque in Hebræo dicitur *Sciloach*, Jo. *c.* 9. & frequenter cum Pharisæis se dicebat *missum*, eum, quem *misit* Pater: In quo dicendi modo utramque lectionem admittebat, & uniebat eam, nempe, quæ legit *Filium*, & eam quæ dicit *missum*, vel *mittendum*: & hæc satis; si quæ verò ex Galatino ad majorem rei declarationem requirentur, in calce sequentium Articulorum addemus.

ARTICULUS V.

Quomodò verum fuerit, quod Christus esset Expectatio Gentium.

Ratio dubitandi, qua plures detinentur, & si multiplex, ut ex dicendis apparebit, præcipua tamen est, quod Gentes expectare non poterant expectatione formali eum, quem nesciebant, ut clarum est: Expectatio siquidem voluntatis est, cum sit quædam spes, & desiderium, voluntas autem ferri nequit in incognitum. Quocirca plures sunt opiniones, & modi dicendi, quos si placet, videre quisque poterit relatas ab eruditiss. P. Corn. a Lap. hoc loco, & aliis Expositoribus. Nobis in quæstione ex se prolixa,

M 2

lita, ne gravemus studiosos, satis erit aliqua prælibare.

Ad rationem igitur dubitandi, simul, & ad quæsitum potest responderi primò, ex Doctrina ejusdem Cornelii, qui probat ex interpretatione dictionum hebraicarum, per quas exprimitur hæc expectatio, ipsam non esse referendam ad Gentes, quasi expectantes Christum, sed ad Christum expectantem Gentes, qui sensus admittendus videtur, non præcisè attenta interpretatione vocum hebraicarum, quæ etiam aliter ab aliquibus leguntur, sed ratione, & auctoritate Evangelii: Nam in ipso Christo verè fuit & desiderium, & expectatio Gentium, ait enim de se ipso. Venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat; & majora miracula operatus est adhuc vivens ad curandas Gentiles Personas, ut suo loco ostendimus, & constat ex Evangelio, quod frequenter pergebat ad loca Gentilium.

Nec refert quod posset obiici, & videtur proprium hujus loci, ubi agitur de misso, quod cum rogaretur a Gentili Cananea, pro Salute Filiæ, respondit, non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt Domus Israel, & similes Text. Nam alibi respondimus, ex communi doctrina distingu. missus est ad Judæos Christus quoad munus quasi primarium in exercitio, & quoad factum ipsum, quia ex eis; & inter eos natus conc., quoad ordinem intentionis, & munus misericordiæ nec; non enim Deus respicit Personas, nec Judæorum tantum Deus est, sed & Gentium, immò & Gentium ait Apost.; ad quod exprimendum in hoc vaticinio ait Jacob, *donec veniat, qui mittendus est*, ad Judæos utique, sicut factum testatur, at ne Gentes excluderet subdit, & ipse erit expectatio Gentium.

Iterùm etiam ostendi potest veritas hujus intelligentiæ ex Evang. Jo. c. 15. *Non vos me elegistis*, inquit Christus, *sed ego elegi vos*; ergo nec vos me expectastis, sed ego expectavi vos, nam electio præcedit expectationem; sicut explicat Apost *ad Rom. c. 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit*. Cum igitur prædestinatio sit electio, quæ præcedit totum cursum justificationis, & ipsa vocatio signum sit expectationis & inquisitionis, jam patet Deum ex sua dignatione Gentes expectasse saltem, quoad modum nostrum intelligendi, & in sensu, qui ex Scriptura deducitur, non in eo quem exaltant ex proprio marte Auctores quidam scientiæ mediæ, cui Sacra Scriptura non suffragatur, sano modo intellecta.

Ne verò effugiant Judæi, Novum Testamentum negantes, addi possunt plura ex Veteri ad hanc intelligentiam firmandam. Præcipuus tamen locus est *Ps.* 2. ubi ait Pater ad Filium, utique *missum*: *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & ne* pro Gentibus accipiatur Judæorum multitudo, ut aliquando ipsi interpretantur, subdit, *& possessionem tuam Terminos terræ*; non enim termini terræ, scilicet totus Mundus, Judæorum unquam fuit, vel Patria, vel habitatio, ideòque tantum de Gentilibus intelligi potest; Constat autem hujuscemodi locutionem ad Filium, supponere in ipso desiderium regnandi super Gentes; ipsasque inducendi in Regnum æternum, & quidem sic ait: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*, satis firmat, quod dicimus, quia non hæreditas Filium, sed Filius expectat hæreditatem.

Quamvis autem hujuscemodi intelligentia, ut ostensum est, possit sustineri, non quietat animum, propter id quod sequitur apud Paraphrasten, quo utitur Ecclesia, *& desideratus earum*, quæ locutio passiva afficit Christum, ideoque non videtur omninò cohærere, quod Expectatio Gentium significet Christum expectantem Gentes, & altera pars potius innuat Christum a Gentibus expectatum & desideratum; si autem intelligatur quod Christus expectaverit Gentes, & quod è converso Gentes eundem desideraverint, tunc solvenda est ratio dubitandi; quommodo potuerint Gentes desiderare quod ignorabant? Communior itaque & magis litteralis expositio intelligit expectationem activam ex parte Gentium.

Gentes igitur expectaverunt multipliciter Messiam. Primò Quia Veritatem & Beatitudinem naturaliter omnes desiderant, ut notissimum est ex Philosopho, & Seneca de Vita beata, in princip., cum autem sicut experientia didicerant Gentes, Beatitudo ab antiquis Philosophis adinventa, esset deficiens & quoddam figmentum; quia si vera fuisset, unica tantum, non in diversas discissa opiniones extitisset, unicam & veram, & quæ animum impleret expetebant, quæ sola est, quam docuit, & largitus est Christus, hanc igitur expectabant, & votis omnibus desiderabant.

Dices: Christus docuit veritatem supernaturalem, & supernaturalem pariter Beatitudinem promisit, atqui Gentes nihil de supernaturalibus noverant, & consequenter nec expectabant.

Resp. Quod cum desiderium sit de Bono futuro, quod non videtur, ideo sufficit ad desiderandum, cognitio aliqua confusa, quod possit dari aliquod bonum latens superius ad naturam, ut in tale bonum feratur, & expectet illud a Deo utiquam ab Auctore omnis Boni cogitabilis, aut etiam in se ipso, præ sui magnitudine non comprehensibilis, unde Apost. narrat, quod cum pervenisset Athenas, præteriens (inquit Act. c. 17.) *simulacra eorum*, invenit *Aram, in qua scriptum erat Ignoto Deo*; subditque, *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*, ex quo apertè colligitur; ad rationem dubitandi initio positam, & ad præsentem responsio, nempè ad adorandum quod est supra nos, ideoque & ad desiderandum, & expectandum non requiri explicitam cognitionem ejus, qui colitur, ait enim Apost. *quod ignorantes colitis*, in quo igitur sensu ipse dixit, quod ignorantes colitis, in eo etiam nos dicimus Christum ab Ignorantibus expectatum. Quam intelligentiam si brevitas concederet pluribus firmare facile esset, at quia eam non invenimus expressam apud Doctores, non immoramur, ejusq; certitudinem meritò suæ probationis committimus.

Secundò. Expectaverunt Gentes Messiam virtualiter, ut innuit A Lap. quatenus cum venit, eum receperunt avidissimè, quasi expectatissimum, tanquam

quam

quam eum in quo semper posuissent spem suæ salutis æternæ, si cognovissent: qui modus dicendi valdè rationabilis apparet; & quidem non esse locutionem hanc Scripturæ sumendam in sensu omninò grammaticali ac materiali, certum est, si enim sic accipitur quod esset expectatio Gentium, debuisset esse expectatio sui, ac propterea venisset, antequam venisset.

Ad hunc modum dicendi accedit, quod plures subdunt nempè fuisse expectationem, & desiderium pro indigentia, sicut dicitur Terra desiderat imbrem, & quia inter tot errores misera Gentilitas, summa Veritatis penuria laborabat, quæ latè per Christum, effusa est, sicut summè indigebat, summè expectabat. De hoc autem suo loco cum de paraphrasibus Sacræ Scripturæ agetur, constabit.

Addunt aliqui cum præcit. A Lap. Quod Gentes cæperunt expectare formaliter, facta promulgatione Evangelii; sed hoc non videtur rem tangere, nam ex Evangelio cognoscitur jam venisse, ipsque Expectationis est terminus; & expectatio Messiæ, promulgato Evangelio, evidens est, quod constituit Judaismum, ideò intelligenda potius hæc sententia est de secundo Christi Adventu ad Judicium, quem Gentes noverunt per Evangelium, & firma Fide venturum Judicem præstolantur, quem Adventum etsi iniqui vereantur; tamen Justi desiderant, quod sufficit ut dicatur, *& desideratus earum*; loquitur enim de Gentibus vocatis, redemptis, & sanctificatis a Christo. Nec omittendus in re tam gravi subtilis quidam modus intelligendi, nempe sicut David in Psalmis quandoque dicit, se clamare, quia Deus exaudivit, assignans pro causa suæ Orationis, eam esse exauditam, quasi prior sit exauditio, quam precatio, ita Christus Gentes prævenit Expectantes, idest antequam expectarent, venit, tanto amore susceptus, quanto omni expectatione dignissimum Bonum suscipi consuevit, ut dictum est in secundo modo explicandi.

Sed forte melius attenta lectione, quam ex Hebræo adducit Acosta, pro eo quod dicitur. Ipse erit expectatio Gentium, leg. Ipse, *erit Osculatio Populorum*, quo significatur perfecta Redemptio, Hominis videlicet reconciliatio cum Deo, quæ per osculum ostendi consuevit; Unde Judæ osculanti ait Christus: Amice ad quid venisti? in quo ostensum est mysticè Passionem Christi, veram fuisse reconciliationem Hominis cum Deo, quippe quæ ab osculo cæpit, ut esset ipsamet deosculatio. Sic & Sponsa in Canticor. Initio, Christum desiderans Redemptorem, ad Deum clamat: Osculetur me osculo oris sui, ac statim meminit mortis, quam consumavit dilectio Salvatoris; quia inq; Fortis est ut mors dilectio: Explicat autem profundè Hieron. hunc Textum, cum hac eadem lectione *Ezech. c. 8., & contra Ruffin.* Osculatio, inq; est honor Latriæ soli Deo debitus, & ideo in hac etiam parte Vaticinii prædicitur Messias ut Deus, quia erit *deosculatio Populorum*, adoratus nempe a Populis per signum divini honoris. In qua lectione cessat ratio dubitandi, ut patet.

Vel etiam ut legit Abulens. ex Hebr. Et ipse erit aggregatio Gentium, qua via procedendo cessat

A etiam ut in priori omnis difficultas, quia revera fuit hoc completum post Christi Resurrectionem, & Ascensionem prædicata Gentibus veritate, cui major pars Gentium credidit, & adducta fuit ad Christum, foras remanentibus ex majori parte Judæis, qui in sua pertinacia perseverant: *Ad Rom. c. 11. Cæcitas ex parte contigit Israel, donec intraret plenitudo Gentium.* Et quia Aggregatio importat unitatem, ideò hoc loco prænunciata fuit Ecclesia Gentium, immò Ecclesia Christi, quæ est Congregatio Fidelium sub uno Capite Christo, absque distinctione Judæi, & Græci; & in ea extat unum Corpus Christi secundùm Apost. Una Fides, unum Baptisma &c. estque hic textus secundùm hanc lectionem idem cum articulo Fidei; Unam Sanctam Catholicam, & Apo-
B stolicam Ecclesiam, & Fidelium Communionem.

ARTICULUS VI.

Qua ratione verificetur de Christo hæc Prophetia quoad tempus, & conditionem illam Ablationis terreni Regni, ac Ducatus de domo Juda.

TRactatum non Articulum exigit solemnis hæc difficultas, in ea tamen cum inveniamus Doctissimos hæsitare, Expositores diffundi, nec facilè convenire, ac Patres quibus semper manum damus, breviter pertransire, a plena discussione munus Prælibantis, quod exequimur, & brevitas, ad
C quam tenemur, absolvit. Qua propter opusculum, quod hac de re paravimus, vel aliò reservandum, vel reticendum esse, ex prudentum consilio satius duximus. Quæ verò necessaria videntur ad veritatis ostensionem negare nequimus. Ac primò ne videamur effugere difficultatem notandum est, unicum quod nobis incumbit, ac proponitur non esse loci: hujus expositionem tradere ex professo, sed ostendere, quod agit de Christo ad litteram, idque satis ex eo constabit; quod secundò notamus.

Not. secundò. Duo contineri in hoc textu satis distincta, Primum est, Promissio Messiæ cujus adventus absolutè considerati certitudo tanta erat in loquente, ut supponeret potius, quam promitteret eum esse venturum, quod apertè constat ex ipso loquendi modo, dum dicit, *donec veniat qui mitten-*
D *dus est;* mittendum ergo supponit absolutè absque dependentia ab aliqua conditione, hoc autem supposito convertit mentem, & sermonem ad Regnum Juda, illudque prædicit divina Bonitate largiendum illi Tribui intuitu Messiæ futuri de progenie Juda, tunc enim, & multò post usque ad Saul nomen Regni, ac Regis ignorabatur in Populo Dei, additque tale Regnum, seu munus, & potestatem non auferendam ab illa Tribu, donec veniret Messias, ad quem tendere debebat tale Regnum, eique conservari, ut veniens ipsum Regnum acciperet, ac faceret æternum. Non putent ergo Judæi vim hujus textus infringere, etiamsi probare possent (quod tamen nequeunt) multò ante adventum Christi defecisse sceptrum de Juda. Nam adventus Christi supponitur in hac littera, antecedenter

denter ad quodcumque limitativum, nec pendet ejus Veritas ex adjectis, sed potius adjecta ex ipso, nempe defitio regiæ potestatis in Juda quando evenerit, venandum est ex præsentia Messiæ. Immò etiamsi consideretur simul ista connexio (absque prædicta distinctione) inter defitionem regiæ Potestatis in Juda, & adventum Messiæ, illo uno & eodem tempore, est prædictio, quæ potest verificari in destructione Sinagogæ per novam Christi legem, quia reverà per hanc ablatum fuit omne Dominium, & Potestas regia etiam similitudinaria, a Judæis, quatenus pro Juda quandoque intelligitur totus ille Populus secundùm 12. Tribus, & tunc destructa fuit Jerusalem, quæ erat Caput Regni Juda, & Israel simul. Sicque fuit cessatio totalis, ex qua evidenter, & ad sensum colligere possunt, quod certè venerat jam Messias. Modus siquidem dicendi, *non auferetur*, designat violentam ablationem, & destructionem simpliciter talem, & in re, & in jure, & in spe rationabili, non defitionem utcumque, aut interuptionem materialem, qualis multoties jam contigerat, sive ratione captivitatum, sive in pœnam Regiæ successionis Deo rebellis, durante semper jure, ac titulo, immò, & exercitio legali per Vicarios, ejusdem summæ Potestatis debitæ Tribui Juda, ut constat ex ipsis Hebræis, quos infra dabimus.

Not. 3. Ne autem vim aliquam, vel apparentem excusationis habeant objectiones Hebræorum, contra adventum Messiæ, notandum est tertiò. Quod cum adventus Messiæ ponatur tamquam mensura defectionis Regni in Tribu Juda, ad proportionem qua venire incipiebat Messias, etiam sceptrum ipsum incipiebat deficere, ut verificaretur quando jam Messias venerat, quod Regnum ipsum defecerat totaliter: Poterat etiam sine diminutione aliqua Veritatis, a Jacob prænunciatæ, multò prius Regnum deficere, quam Messias perveniret, non enim ait, prædicens: Non auferetur sceptrum de Juda, donec perveniat, qui mittendus est, sed donec veniat; hæc autem est manifesta diversitas inter ista duo, quod venire consistit in dispositione causarum, ex quibus sic vel sic dispositis dignoscitur, quod expectatus appropinquat, & non tardabit, quod tamen admittit latitudinem; pervenire autem, ut clarum est, importat existentiam præsentis, expleto causarum omnium influxu. Modus verò suavis divinæ Providentiæ non statim destruxit, quod denique fuerat totaliter destruendum, sed cæpit a longè disponere, sicut cum captivati, vel occisi fuerunt Reges Juda, & cum ablatis cæteris Principibus, vel torpentibus, Machabæi, nomine Regiæ Tribus, bella Domini susceperunt. Ex quibus benè ponderatis ut in facto, liquidò constat eas Regni interruptiones, quas obiiciunt Judæi, nosque brevitati consulentes pro nunc ommittimus, nihil prorsus evincere, & quaquaversum respiciant Judæi, ut propriam saltem abscondant ignavissimam perversitatem, ex omni parte convinci. Alios quidem dicendi modos ad rem hanc appositissimos in Opusculo nostro, & non mediocri studio elaboratos, ne nimium diffundamur, pro nunc præterimus, cum videantur ista

A sufficere, at ne cui videatur nos speculationi nostræ nimium fidere, clarissimam Gallatini doctrinam, qua totum hoc negotium absolvitur, ad compendium redactam rudi minerva (sapientibus enim, & insipientibus cum Apostolo debemus) adiicimus.

Galat. ergò l. 4. a c. 4. hac de re luculenter, & eruditè, Judæos plura fingentes ad distorsionem præsentis textus, impugnat: legit autem ipse secundùm hebraicam veritatem: *Non recedet sceptrum de Juda, & Scriba, sive Legum lator de medio pedum ejus, donec veniat Sylò idest Messias, & illi erit Congregatio Populorum, idest Gentium.* Ne autem idem sępius repetamus, quia quę fingunt Judęi ad interpretandum, ly *Sylo* supra dedimus, ea nunc a Galatino hoc loco, posita ommittimus, ab extremis dumtaxat incipientes.

B Alii inq. pro *Sylo* dicunt designari Jeroboam, qui tempore Roboam Filii Salomonis super decem Tribus regnavit; tunc igitur a Tribu Juda recessit sceptrum, & venit ad Ephraim, & sic intelligitur, donec veniat *Sylo*, idest Jeroboam coronandus in *Sylo*.

Sed contra: Nam Jeroboam non in *Sylo*, sed in *Sychem* coronatus fuit, & illic ad eum 10. Tribus confluxerunt 3. Regum cap. 12. nec tunc regnum recessit a Juda, nam per successionem ex ea domo semper Reges fuerunt usque ad Captivitatem Babylonis, per annos 490., & illi soli veri Reges erant, quia in Jerusalem, quia uncti in Templo.

C Exponunt alii de tempore Nabuchodon. cum interfecto Sedechia, & filiis ejus, regnum Juda omninò defecit.

Respondeo, nego assumptum, nam etsi Nabuchodonosor occiderit filios Regis, non occidit omnes de Sanedrim, qui erant capita Judęorum, & adhuc in captivitate ex Regis consensu judicabant. Hoc enim dicunt Rabbini ferè omnes, & *Mydras Serassirim, & Thargum*: Immò ex ipsa Scriptura, Zorobabel, qui populi in reditu, captivitatis Princeps fuit, erat de Tribu Juda, ut constat Matth. cap. primò, & Zach. c. 4., & Aggæi, cap. primò, similiter, & alii omnes usque ad Machabæos, sicut tradunt ipsi Talmudistæ. Porrò Machabæi usque ad Herodem Ascalonitam principantes, etsi de Tribu Levi ex Patre, tamen de Juda, ex Matre, erant ex commixtione Regiæ Tribus, & Sacerdo-

D talis, 4. Regum cap. 11. & hæc omnia in libro Sanedrin in cap. Dinè Mamonoth, idest de Judiciis divitiarum; deinde probat sigillatim, ex Targum Ancklos cald. versione, ex aliisque pluribus, *Sylo* esse Messiam. Item ex Rabb. Kimki, in libro Serafserim, ubi sic. Porrò donec veniat *Sylo*, idest *Filius ejus*, exponitur fæminini generis, & est prophetia de Messia, derivaturque *Sylo* a vocabulo *Sylia*, quod est sacculus quidam, in quo manet infans, in utero Matris, qui aliquando in Scriptura pro embrione in matrice sumitur. Hæc omnia ex Rabb. Kimki, ex quo apertissimè liquet, quod Sylo idem est, ac filius mulieris, unde palam est, Prophetam dixisse, donec veniat Sylo, ut ostenderet Messiam ipsum de Matre, absque Patre nasciturum fuisse.

Sequitur

Sequitur Prophetia, & Scriba de Fæmore ejus: Ibi sunt Sanedrin sedentes in consistorio Gazith, ad judicandum judicia animarum in parte Judæ, qui non cessabunt, nisi cum venerit *Sylo*, idest *Messiam*. Ita ex Traditionibus Hebræis. Idem Galat., & prosequitur. Porrò idem Sanedrin erat consilium magnum 71. seniorum a tempore Moysis, numerorum c. 11., & quos Judæi *Sanedrin*, nos Judices ordinarios dicimus. Dicebantur quoque *Mechokekim*, idest Scribæ, seu legum latores, quia quidquid tradebant, tamquam lex habebatur. Et horum Collegium, sceptrum datum a Spiritu Sancto domui Juda repræsentabat, & in ipsis sceptrum ipsum pendebat; & nullo etiam extante Rege, dominabantur: Præstantes erant, præsentia, ætate, & scientia septuaginta linguarum, & incantationum, ut incantatores convincerent, & occiderent. Hi habebant potestatem ad quatuor mortes, lapidare, comburere, ferire, strangulare, cum judicabant aliquem occidi debere, die illa tota, nihil gustabant. Hæc autem omnia defecerunt, cum Herodes Ascalonita (sub hoc Herode natus est Christus, anno regni ejus 31. regnavitque annis 37. sub ejus Filio Herode Antipatro decollatus Joannes Baptista, & occisus est Christus, cui successit Herodes Agrippa) primus Rex Alienigena, ex Patre Antipatro Ascalonita, & Matre Cypride Arab. teste Josepho, a Romanis, Judæorum regnum accepit, ut tributis præesset: Servus hic fuerat Machabæorum, & tamen neptem Hircani Sacerdotis magni, qui Alexandræ Judæorum Reginæ filius fuit, ex Machabæis originem trahens ausus est uxorem ducere, seque circumcidit ob amorem Regni: sed tandem Hircanum, cui regnum debebatur, occidit, cum Antigono ejus Filio, qui magno Sacerdotio, & Regiæ potestati successerat, & quotquot de Regia stirpe interemit, propter illud: Deuter. cap. 17. *de medio fratrum tuorum pones super te regem*, hinc & omnes libros Regiæ Genealogiæ combussit, & virum sororis suæ Salome occidit, ac iterum secundùm ejusdem virum, & totum Sanedrim, idest omnes consilii magni Doctores interfecit. Ita omnes ipsi Thalmudistæ affirmant: quamvis autem alii Judices, seu Rabbi, instituti fuerint, Herode permittente, hi tamen non erant legitimi, quia nec erant de Tribu Juda, nec fuerant instituti per impositionem manuum 70. eum prius omnes fuissent occisi, qui erant de vero Sanedrin. Ideoque Christus, dum de his Judicibus loqueretur, qui ea tempestate de Scribis, & Pharisæis eligi solebant, inq. Math. *cap. 23. Super cathedram Moysi, sederunt Scribæ, & Pharisæi*; sederunt dixit, & non sedent, ut manifeste demonstraret, quod eorum tunc jam cessaverat Potestas, quod & ipsi confessi sunt dicentes Pilato, *nobis non licet interficere quemquam*, cum a nobis ablatum sit judicium sanguinis: & tunc ob falsum judicium, in sanguinem Christi prolatum, de Consistorio Gazith expulsi fuerunt, anno ante ultimi templi excidium 40., & postea jussu Romanorum, cælestis quoque vocis persuasu, omnes denuò interfecti, quod etiam Thalmudistæ affirmant, & apertè docent Rab. Sichim, & Rab. Abdimi: & hæc satis, ut legitima contra adversantes Judæos, ex ipsis eorundem, aliisque Doctoribus; Textus hujus quoad omnem sui partem appareat intelligentia, & facilis responsio ad hominem, adversus quamcumque calumniosam hujus Prophetiæ distorsionem.

ARTICULUS VII.

An in eodem libro, & cap. Genesis alia reperiatur prophetia de Christo ad litteram.

CElebris est textus eodem cap. 49. Genesis ad Christum litteraliter tendens, quo & aliorum plurium declaratur sensus, & præcedentis intelligentia confirmatur. Benedicens siquidem S. Jacob, Dan Filio suo, ex cujus Tribu, ut sentiunt plures nasciturus est Antichristus, ne tot prævidens mala ab eo Ecclesiæ inferenda, statim deficeret mens ejus, de Antichristo, ad Christum respiravit exclamans: *salutare tuum expectabo Domine*. Quo prophetico desiderio, seu invocatione clarè expressit futurum Christi adventum ad Redemptionem, & salutem mundi, sivè referatur ad primum, sivè ad verum Christi adventum, quando percutiet Antichristum gladio oris sui, & Israel salvabitur. & quod ita se habeat textus iste facilè quisque concludet, qui advertat ly expectabo. Nam expectatio, cum sit actus spei, non est de re tantum possibili, sed certè futura, & promissa, unde remanet dumtaxat ostendendum, quod per salutare Dei, ita intelligatur Christus, ut nulli alteri absolutè prolatum hoc nomen possit propriè convenire, in hoc saltem, aliisque similibus textibus, in omnibus siquidem, vel directè, & propriè, vel saltem relativè, eumdem indicat sensum. Est itaque conclusio: Præsens: Textus est de Christo ad litteram, Probatur pr. Præcursor Domini *Luca cap. 3.* adducit locum Isaiæ *cap. 40.*, ut Christi adventum concludat, ubi sic: *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*, quamvis autem in his terminis procedat Propheta, attamen Evangel. in ipsa citatione textum explicans, qui procul dubio est de Christo ad litteram, inquit, *Videbit omnis caro salutare Dei*, ergò clarius exprimitur Christus per salutare Dei tamquam per nomen magis proprium, quam per nomen Verbi, quod os Domini loquitur, quod tamen quoad rem ita primariò convenit soli Christo, sicuti esse ipsissimum Patris Verbum, vel saltem hæc sequitur consequentia, quod sicut esse Verbum Patris absque omni addito soli competit Christo, ita etiam esse salutare Dei.

Probatur secundò: Communis sententia Catholicorum est, Sanctissimum Jesu nomen significare Salvatorem, quod idem est, ac salutare, & quamvis alii in Scriptura hoc nomine fuerint appellati secundùm aliquos (quod tamen superius de nomine Auctoris agentes cum Galatino negavimus) fuit tamen figura non veritas, unde tales non poterant dici salutare Dei, quia per hoc exprimitur salus substantivè, & plenè, non figurativè; propterea, comparans figuratum, & Figuram. Bernardus ait: non

A non sic meus iste Jesus nomen vacuum, aut inane portat, non est in eo magni nominis umbra, sed Veritas: sicut enim nemo unquam fuit, aut erit purus homo, qui taliter se humiliet, sicut Jesus, cum sit impossibile, quod in puro nomine sit humilitas infinita, in quo nequit verificari, quod Persona Divina in homine se subiiciat, ideò neque potest intelligi, quod tali nomine præmietur, dicit autem Apostolus. *Humiliavit se metipsum factus obediens &c. propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu &c.* ergo nomen Salvatoris, quod est ipsissimum nomen Jesu, ita Christum præsignificavit, ut simpliciter acceptum nulli alteri competere possit.

B Idipsum expressit Princeps Apostolorum, cum in virtute nominis hujus, illius claudi bases consolidavit, addiditque, *Viri Israelitæ, notum sit vobis, quod in virtute nominis hujus hic adstat coram vobis sanus: nec enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri:* ecce salutare Dei, quod est ipsum nomen Jesu, & importat universam salutem per modum expressionis substantialis. Quod si non de Jesu ad litteram dicebat Jacob, cum ait *salutare tuum expectabo Domine*, de quo ergo dicebat? quid expectaret mox moriturus, vel mortuus ab aliis simili nomine nuncupatis, qui nec vivis, nisi in nomine præfigurati veri Jesu aliquam salutem afferre potuerunt? expectabat ergo eum, qui postmodum descendens ad Inferos eduxit sedentes, ipsum Jacob, aliosque Patres, in tenebris, & umbra mortis.

Sed dices: neminem Jacob tunc expectabat, vel desiderabat, sed auxilium Dei implorabat ex tunc pro tot malis evitandis, quæ prævidebat, vel quia erat proximus morti, quo in discrimine potissimum invocare consueverunt homines adjutorem.

Sed contrà subsumet respondens, ergo respiciebat Christum, eum enim Jacob, in benedictione Judæ ipsum prævidisset ut Salvatorem mundi, & Messiam ab omnibus expectatum, optimè norat, per ipsum dumtaxat, salutem posse obtineri, ac proinde auxilium in malis imminentibus, ac solatium, universaliter, & viventium, & morientium, juxta sensum Divi Petri, *non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

D Confirmatur: Jacob morti proximus, ut indicat res ipsa adumbrat Simeonem mori cupientem. Suscepit iste in ulnas suas eumdem, qui in fæmore illius prius latuerat. *Hinc & nomen ejus sciens, & nominatum gestans, ibi omnia bona, divino quodam more, brevi sinu complectens, mori cupiebat, ne magis moreretur, si è manibus deponeret vitam*, ut innuit Augustinus 17. de Civitate Dei cap. 4. Clamavit ergo: *nunc dimittis servum tuum Domine &c. quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Sciebat Jesum esse, & vocabat Salutare, quia idem omninò est, nec alterutrum alteri, nisi soli, quem expetebat Jacob, quem tenebat Simeon competere poterat litteraliter, & in sententia Symeonis, qui experiebatur, ne dum litteraliter, sed ad sensum Jesum esse salutare Dei.

Ad rem pariter in Psalmo 118. Augustinus ad illum versum: *defecit in Salutare tuum anima mea. Commune hoc fuisse videtur Patribus desiderium: laborabant enim omnes Patres eodem desiderio videndi hoc salutare Dei*, & subdit Ambrosius, *si autem absentia sit dilecti eo ipso quod absentem desiderat patitur, qui concupiscit defectionem animæ suæ.* Unde S. Patriarcha post invocatum Jesum salutare Dei, quasi statim anima defecit, & colligens pedes suos, hoc est in unum omnia desideria sua, mortuus est, cujusque Filius David cecinit pro ipso, defecit in salutare tuum anima mea, & pro ipso explicans, quod hoc salutare Dei est ipse Jesus, Verbum Dei, subdit, & in Verbum tuum supersperavi.

Satis jam sit pro omnibus, quæ se se offerunt in re tam clara, id quod omnium sapientissima, immò Sapientiæ Mater asseruit, quæ & ipsum præ omnibus præcupierat, & præ omnibus intimè tenuit, visceribus complexa, ac prior inter homines ejus nomen Jesu & audivit, & dixit, quippe quæ & tulit, & protulit: Hæc utique Sanctissimi sui Atavi phrasim retinens, & mysterium explicans, quem audivit ab Angelo vocari Jesum, eumdem ipsa apellat *salutare Dei* Lucæ cap. primo, hoc uno vocabulo, & Angeli annunciantis periphrasim, & Jacob desiderantis, commentata est vaticinium, dicens, *exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*, meo, inquit, quia verè suus, quia Filius; dixerat Jacob salutare tuum Domine, dicit Maria, salutari meo, ut noscatur verissima C Mater Dei, cujus idem Filius est, idem Jesus, qui & Dei, & Virginis tantum, dicitur salutare *Jesus*.

Concludendum denique ex Paraphrasi, seu Translatione Caldæa: *Expectabo salutare tuum Domine*, idest *Domine non expecto ego Gedeonem, qui fuit Salvator contra Madianitas nec expecto Sampsonem, qui fuit Salvator contra Philistæos, sed expecto salutare tuum, idest Messiam de Tribu Juda.*

C A-

CAPUT II.

Quærens, quæ de Chriſto ad litteram in reliquo Pentateucho.

ARTICULUS UNICUS.

An ſit de Chriſto ad litteram, quod ait Moyſes Deut. cap. 18. Prophetam de gente tua, & de Fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, ut petiſti.

EA dumtaxat, quæ præcipua ſunt prælibantes omiſſis aliis, quæ plura occurrunt, locus iſte invitat, qui cum aliquibus videatur communis pluribus Prophetis, qui Moyſi ſucceſſerunt in populo Dei, non videtur ſigillatim Chriſtum inſpexiſſe, de quo tamen nobis non eſt dubitandum, ut conſtabit, & eſt argumentum in primis, ex Jo. cap. 5. ubi arguens Chriſtus Judæorum incredulitatem, inquit, *ſi Moyſi crederetis, crederetis forſitan, & mihi, de me enim ille ſcripſit, ſi enim illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Hinc SS. Expoſitores quærunt, quis ſit in Pentateucho locus, ad quem litteraliter reſpiciat dictum Chriſti, quamvis enim certum ſit, quælibet ſcripta in toto Pentateucho, ad Chriſtum ſaltem figuraliter, & myſticè tendere, quià tamen ſenſus myſticus ignorabatur a Judæis, ad quos Chriſtus loquebatur, & quia ex genere ſuo non eſt efficacis probationis, ut ſuo loco videbimus, ideò quærendus eſt locus in ſcriptis Moyſis, qui litteraliter Chriſtum tangat, quique proprium importet dictum Moyſis, non præcisè referentis (ſic enim, quæ hactenus allata ſunt relata a Moyſe, qui Geneſim ſcripſit, ſufficerent) ſed verè loquentis, & prænunciantis. Porrò, ut benè notat Abulenſ. nullibi invenitur, quod Moyſes modo dicto aliquid ſcripſerit, quod ad litteram poſſit rectè, & firmiter intelligi de Chriſto, niſi Deut. cap. 18. ubi ait ad populum. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies &c.* Neceſſe ergo quiſque concludet, prædictam prænunciationem intelligendam eſſe de Chriſto ad litteram, & Probatur ſive explicatur. Hæc ſola prædictio ſcripta eſt a Moyſe de Chriſto, ergo de ſolo Chriſto eſt. Probatur conſequen. nam ſi eſſet æquè de Chriſto, ac de aliis Prophetis, non eſſet illa, quam de ſe aſſerit Chriſtus, ſiquidem poſſet ipſi opponi, de aliis intelligi, ideoque ad rem non adduci de ipſo, quaſi aliquem textum ſingularem, juxta illud, de quo tunc agebatur, non enim tunc reprehendebantur Judæi, quod aliis, & Chriſto ſimul non crederent, ſed quod non crederent ipſi Chriſto, unde non placet quod ait Abulenſ. nempe, & de Chriſto, & de aliis Prophetis hunc locum debere exponi, cum enim idem ipſe concedat, aliud niſi quod hoc loco notatur, ſcriptum non eſſe a Moyſe de Chriſto immediatè, & ad litteram,

A non videtur ſibi plenè conſtare, aſſerens hoc ipſum de aliis etiam intelligi, vel ergo aliquid aliud inveniat, in quo Moyſes ſermonem habeat ſpecialiter de Chriſto, ſicque neget, quod primo aſſerit, vel de aliis non exponat, id quod unicè competit Chriſto, ut ſalvetur veritas infallibilis Chriſti loquentis in ſubjecta materia reprehenſionis Judæorum, eo quod non crederent Chriſto; ne tamen doctiſſimum virum damnare abſolutè videamur, in ſequenti probatione patebit, qualiter ejus concluſio ſalvari poſſit.

Probatur ſecundò. In hac promiſſione, aliqua ſunt communia Chriſto, & cæteris Prophetis, aliqua verò, quæ ſoli Chriſto conveniunt. Unde ſicuti in ſpecie, differentia ita determinat prædicata Generica, ut in ſpecie realiter non ſint amplius
B generalia, ſed contracta ea, quæ ſi in abſtracto conſiderentur ſunt communia, ita proportione ſervata in præſenti ea, quæ alias generalia ſunt, ſeu communia cæteris Prophetis, ita ſunt determinata, ad ſignificandum Chriſtum tantum, ut hæc tota promiſſio Chriſtum ſimpliciter reſpiciat, ergo ſtat pro ipſo dumtaxat ſimpliciter, ita ut aliis nequeat applicari, prout ſcribitur determinatè a Moyſe. Oſtenditur antecedens. Nam ibi dicitur. Prophetam de gente tua, ſive ut infra, de medio fratrum tuorum &c. ponam verba mea in ore ejus: hæc alias poſſent intelligi etiam de aliis Prophetis, patet, ſed per hoc quod dicitur in ſingulari, *Prophetam*, & per additum, *ſimilem tui, & ſicut te*, ſignificat, & determinat cætera ad illum unum, qui
C poſtmodum, cum venit plenitudo temporum, fuit ſingulariter Propheta, ideo ſecundum hanc intelligentiam exponentes hunc locum Turbæ de Chriſto ſigillatim in Luc. cap. 7. *Propheta magnus*, elamabant, *ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam*, ita pariter, & per additum illud ſimilem tui, quod ſoli Chriſto competere poteſt, ipſe ſingulariter fuit ſignatus, quia nullus fuit poſt Moyſem, niſi Chriſtus, cui adeò perfectè conveniret, aut familiaritas cum Deo, aut legis promulgatio, aut cura populi, immò, & totius humani Generis, & ſumma manſuetudo; quæ erant Moyſis prærogativæ, & in ipſo fulgebant, velut in umbra, & figura, in Chriſto autem ſicut in eminentiſſimo, & perfectiſſimo figurato, ergo omnia, quæ in hac promiſſione dicuntur, ad Chriſtum littera-
D liter ſignificandum ſingulariter determinantur. Ne autem ſcrupulus ſuboriatur, quia Prophetam dicimus Chriſtum: Prophetam dicimus Chriſtum, in eo ſenſu, in quo talis dicitur in Evangel. loco nuper citato, Prophetam verè, quia futura clarè, & plenè videbat, quæ eſt eminens prophetia, & non ex parte, ſicut in aliis, ideoque verè Prophetam, quia demptis imperfectionibus; ſequitur, de gente tua, quia de Stirpe David; de medio Fratrum, quia inquit Joan. cap. pr. *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*, verè medius, in ſublimiori ſenſu, quia mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, *qui ſtans in medio diſcipulorum*, qui verè fratres, Evangelica phraſi dicebantur, dixit eis. *Pax vobis &c. ſuſcitabit*, quia Phariſæi dicebant, hunc autem neſcimus, unde ſit; vel ſuſcitatus, quia puta-

putabant eum occisum in strage Innocentum, ex computo annorum ætatis suæ, & tamen quasi suscitatum audiebant eum loquentem, & mirabilia patrantem videbant, quæ nullus alius fecit: suscitatum, quia doctrinam cælestem, & divina mysteria prædicabat, quasi homo rediens è Paradiso: suscitatum, quia inquit pro ipso, David, zelus domus tuæ comedit me, & miracula ubique patrabat, & peccata dimittebat quæ solus Deus inter homines facere potest, ac propterea suscitatus, hoc est supra humanam conditionem elevatus apparebat. Vel denique quia ut ipse prænunciaverat, post tres dies a mortuis surrexit. Hęc quis non videat, quam singulariter conveniant Christo, qui multis modis dici debet singulariter Propheta, singulariter de medio Fratrum, & singulariter suscitatus? ergo ad litteram de ipso specialiter tota illa promissio ennunciata est, quod si aliis Prophetis ex ipsius participatione, quia ipsum adumbrabant, aliquid ex prædictis, quasi similitudinariè, deficienter tamen videbatur competere, non propterea de ipsis stat prædictio, quæ non est de figura, sed de figurato.

Confirmatur: Princeps Apostolorum, Act. cap. 3. intellexit, & asseruit hanc promissionem ad litteram, & singulariter fuisse de Christo, nam probare volens in concione ad Israelitas, per Moysen Christum fuisse promissum, hunc textum singulariter protulit dicens. *Moyses quidem dixit: Prophetam suscitabit Dominus Deus vester &c.* ergo &c.

Dices. Christus non fuit similis Moysi, sed potius Moyses fuit similis Christo, nemo enim dicitur similis suę figurę, quę non est principium similitudinis, unde quamvis creatura rationalis, sit similis Deo, non tamen propterea Deus est similis illi, quantumvis perfectè, ut sępè docet D. Thomas, ergo si hoc loco promittitur Propheta similis Moysi, hic erit alius a Christo.

Respondeo, ex hoc ipso planè confirmari, quod hęc prędictio singulariter respexerit Christum, in quo singulare quid est, id quod aliis potest esse commune, & ideò nec exprimi potest adęquatè, nempe esse Deum, & ex dignatione esse similem homini, inquit enim Apostolus, *Humiliavit se metipsum &c. formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: ut igitur tanta ejus humilitas, quantam nemo hominum habere potest (cum nullus pręter ipsum sit homo Deus, nostra suscipiens, & propria non amittens) designaretur, tamquam quid admodum notabile, & solum in Christo singulare, expressit, similem mei, vel tui &c. nunc ad argumentum distinguo antecedens. Christus secundùm divinitatem non fuit similis illi scilicet Moysi, concedo antecedens, in alia qualibet consideratione, nego antecedens, & nego consequentiam. Ait siquidem ipse in Apocalipsi: *ego sum primus, & novissim.* & Isaię c. 53. *Vidimus eum, & non erat aspectus, novissimum virorum &c.* Patet ex se responsio, nec potest tergiversari Judaica perversitas.

CAPUT III.

Quæ in Psalmorum libro, de Christo ad litteram prædicta sunt, prælibantur.

JAM satis superque probatum est, quod assumpsimus, plura videlicet in veteri Testamento reperiri, de Christo ad litteram testimonia, quæ alteri nisi soli Christo nequeunt applicari, plurima tamen adhuc supersunt, quæ nec omninò omitti, veritas, nec plenè tractari patitur multitudo: Omnia, & singula exponere opus est supra vires, & institutum; nulla adducere, vel oblivio, vel dissimulatio, vel socordia est: quid ergo? Mediam sequemur viam ad mediatoris obsequium, ne si fortè aliter procedamus nos simul cum euntibus in Emmaus increpet. O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ scripta sunt in Prophetis, & Psalmis de me: ipse cæpit a Moyse, & nos sic cæpimus, prosequutus est per Psalmos utique, & omnes Prophetas, sic & nos prosequemur, at sicut ipse in via, ita & nos transeunter, duce potissimum Augustino, qui libro 17. de Civitate Dei cap. 15., & oratione contra Judæos, & Paganos. *Si velim* inquit *ex lege, & Prophetis omnia, quæ de Christo sunt colligere, facilius me tempus, quam copia deseret.* Sit ergo.

ARTICULUS I.

Quæ Psalmo secundò, de Christo ad litteram dicuntur, inquirens.

DAvid Rex Propheta, ęquè, & Rex Prophetarum, homo secundùm cor Dei, Deum gerens in corde, quia ex abundantia cordis os loquitur, ad Deum hominem, qui ab ipso dignatus fuit descendere frequentius, quam alii simul omnes Prophetę festivus ascendit, ipsumque ita pręsensit, ut veluti propherico lumini suo pręsentem adamussim descripserit; ipse igitur quia omnimodis prior, prius brevi saltem intuitu inspiciendus est. Et quidem Psal. pr. ad Christum se tendere manifestè declarat, ut facilè quisque deprehendet; qui unicè beatus vir, comprehensor videlicet simul, & viator, super quem requievit Spiritus Domini, Spiritus fortitudinis, sapientię, & timoris Domini, qui plantatus est secus decursus aquarum, in ipso Immaculato Virginis utero, quę nedum aquarum multitudo, sed Maria, omni mari major, secunda nominis syllaba producta nuncupatur, cujus folium non defluit, ait enim Cęlum, & Terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, quia tamen in eo Christus describitur tamquam sanctitatis exemplar, cujus delineamenta, sicuti ibi exprimuntur, in aliis Graphicè ex ipsius derivatione coruscant, in secundo potius Psalmo sistendum: primò, quia hic est verè primus inter Psalmos, qui titulo suo dicit se a David fuisse compositum. *Psalm. David*, ut notat Magister in Glosa, secundò quia ita ad litteram

teram totus est de Christo, ut de alio nequeat intelligi; & hæc est conclusio præsentis articuli. Dices, quare secundus, & non primus? Respondeo, quia & in hoc respicit Christum, qui humilis venit, & non tamquam primus; venit enim ministrare non ministrari; vel quia idem ipse est secunda in Trinitate Persona.

Probatur assertum, primò contra Judæos. Rabbi Salom. magnus doctor Ebræorum in principio Glosæ hujus psalmi scribit. *Antiqui Doctores Ebræorum exposuerunt hunc psalmum de Rege Messia*, cum autem Ebræi, antiqui potissimum, mysticos sensus Sacræ Scripturæ, nec a longe salutarint, sistentes semper in littera, sic Deo disponente, aut permittente, ut litteram nobis intactam, quantum contra tot sæculorum injurias fieri poterat conservarent; si senserunt de Rege Messia agi in hoc Psalmo, utique senserunt de eo agi ad litteram, & non mysticè.

Probatur secundò contra Hæreticos, novum Testamentum admittentes: Principes Apostolorum senserunt hunc Psalmum procedere ad litteram de Christo, ergo &c. Probatur antecedens. Petrus *act. cap. 4. Domine*, inquit, *qui Spirito Sancto per os David pueri tui dixisti, quare fremuerunt gentes &c. Convenerunt enim nunc in Civitate ista adversus sanctum puerum Jesum; Herodes, & Pilatus, cum Gentibus, & Populis &c.* Paulus autem volens ostendere, quod Christus major est Angelis utitur hoc Psalmo, *cui enim unquam Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Dices, ex his non habetur, quod ad litteram Psalmus hic sit de Christo: poterant enim Principes Apostolorum illum sic adducere, spiritualiter exponendo:

Respondeo nego antecedens, & probationem, quia Petrus tunc agebat contra Judæos, Paulus verò contra Infideles omnes in gentibus: sensus autem spiritualis nullam fundat probationem, potissimum in rebus Fidei, ut advertit Augustinus *de Civitate Dei libro 17., & contra Vincentium Donat.*, & alibi pluries, nec possumus per ipsum convincere Infideles, nisi fortè ad hominem arguendo, sed solum aliquid suadere fidelibus, ut usus est in concionibus; non potest igitur aliter intelligi a prædictis Apostolis, quàm litteraliter. Idque clarius constabit, textum psalmi aliqualiter meditanti. Quid enim est: quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania adversus Dominum, nisi quod David ex tunc vidit, quæ nunc in Evangelio legimus, nempe quòd audiens gentilis Herodes a Magis, natum Christum, turbatus est, & omnis Jerosolima cum illo, & talis fuit fremitus, ut denique inaudita a sæculis feritate omnes infantes occideret, sed frustra, nam unus tot inter funera impunè Christus tollitur, ideò notanter ait *meditati sunt inania*, quia frustrà, quia non est consilium contra Dominum: astiterunt Reges terræ, idest Magi, interrogati ab Herode, & tunc Principes convenerunt in unum: nec minus convenit locus iste Passioni Domini, quia tunc ipsi Reges, scilicet Herodes Rex & Pilatus, qui præsidebat loco Romani Imperatoris, & Principes Judæorum, inter quos, qui erant de Tribu Juda censebantur de semine Regio, & Principes convenerunt in unum, quia in illa die, Herodes, & Pilatus, qui prius erant inimici, fecerunt amicitias, & gentes fremuerunt, quia Judæi clamaverunt, crucifige, etsi enim Judæi non dicantur Gentes, tamen tamquam Gentiles, a Deo rebelles esse voluerunt apertè, in illo judicio dicentes; Nos Regem non habemus nisi Cæsarem, sed hæc omnia inaniter, nam finis eorum erat extinguere nomen Christi, quippe dicebant, ecce mundus totus post eum vadit, & tamen revera post ejus passionem mundus totus ad Christum conversus, post eum abit, quòd ipse prædixerat, dicens *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet*, & clarius, *ego cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.*

Prosequitur porrò David exhortans Judæos, ut hæc vincula iniquitatis Patrum suorum & Gentilium disrumpant, credentes manifestę veritati, quam in Persona Christi deprædicat dicens. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion Montem Sanctum ejus, predicans præceptum ejus*, scilicet charitatis. *Hoc est præceptum meum &c.* Joan. 8. in quo universa lex comprehenditur, & Prophetæ; & prosequitur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Dominus* idest Pater, *dixit Dominus Domino meo &c. dixit*; quia productio Filii in Divinis, nominatur, & est vera dictio; ad me, exprimitur relatio Paternitatis ad Filium, deinde Filii ad Patrem, Filius meus es tu, & quia hæc generatio est æterna, subdit: *Ego hodie genui te*, nam *hodie* signat præsens, *genui* præteritum, quia sola æternitas indivisibili, & infinito modo, præsens in se concludit & præteritum. Futurum autem non expressit, quia futurum, aliquam importat potentialitatem, quæ a Deo omninò abest, cum sit actus purissimus, præsens verò, & præteritum dicunt potius actualitatem, quia præteritum aliquando fuit præsens, unde quamvis formaliter dici nequeat de æternitate; quæ est unum indivisibile præsens, aliquo tamen modo exprimit ejus actualem extensionem infinitam a parte ante, secundum nostrum concipiendi modum, & quamvis sit infinita etiam a parte post, ambiens omnem futuritionem, expressio tamen futuri in se ipsa, ut a nobis concipitur, magis distat ab actualitate, quia eam numquam gustavit.

Explicata Christi divinitate, eumdem prænunciat hominem Deum, dicens: *postula a me, & dabo tibi gentes Hæreditatem tuam*, nisi enim etiam homo esset, postulare non posset pro se ipso, postulans siquidem, id non habet quod postulat, cum oratio sit loquutio inferioris ad superiorem, Filius autem Dei, præcisa humanitate ęqualis est Patri, atque ideò nullatenus indigens, & ęternaliter Dominus omnium, Deus; si ergo pręcipit ei ut postulet, jam in hoc ipso homo describitur, in qua consideratione, sicut quamvis Deus ęternus, natus est in tempore, & prius potuit dici nasciturus, ita quamvis Dominus omnium, potest postulare, eique promittitur futura hęreditas: *dabo tibi gentes Hæreditatem tuam, & possessionem tuam ter-*

minos terræ, qua Christi humilitate abutens super-bus Satan, quasi æmulator Æterni Patris, ausus est ei ostendere omnia regna mundi, & gloriam eorum, eique promittere superba Echo hujus psalmi. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Ficta tamen divinitatis usurpatio, vera Dei hominis fuit potestate calcata, irrisa, abjecta, cum Satan apellatus est, qui Deum personabat, *vade retro Satanas: Scriptum est; Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Quod autem prædicta loci præsentis intelligentia sit litteralis, ex eo patet, quod revera postulavit Christus a Patre, ut daret ipsi gentes hæreditatem suam, & obtinuit: Postulavit, cum ait Jo c.17. postquam rogaverat pro Apostolis: *Pater non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per Verbum eorum in me*, & obtinuit, cum in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, ecce possessio Christi, termini terræ, dixerat enim, *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, cui universalitati hæreditatis suffragatur admiratio ipsa Judæorum cum usque ab initio nascentis Ecclesiæ mirabantur Judæi, quod etiam in gentes Spiritus Sancti Gratia effusa est, & multo magis eorum infælicitas, cum exhæredati usquequaque pererrant, quia non populus meus vos, dicit Dominus, ubi de gentibus, dicitur Gens sancta, populus aquisitionis.

Sed dices, saltem versus sequens, Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringeas eos, non potest intelligi litteraliter de Christo; semel tantum legimus, quod fecit flagellum de funiculis, non de virga ferrea, & ejecit profanantes templum Dei, non quidem Gentiles, sed Judæos, non enim in templo illo Gentiles sacrificabant, aut emebant, vendebantque offerenda, quæ vel ignorabant, vel irridebant, quandonam ergo Christus rexit in virga ferrea sibi subditos, aut eos confregit sicut vas figuli, qui legem amoris constituebat, qui dicebat, *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde?*

Resp. nego antecedens, ad cujus probationem dicimus, aliud esse, quod aliquis locus Scripturæ intelligatur omninò materialiter, ut videtur intelligere in præsenti sic arguens, aliud quod litteraliter, hoc est non mystice; concedendum est quod numquam Christus materiali virga ferrea sit usus, & quod ejus jugum suave, & onus leve, & lex, est amoris, at quia non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum, Crucifixi amoris in schola nihil cruce suavius, quæ Christi beatificat sectatores, dum eos annectit, & configit Redemptori, hinc virgam ferream, passiones videlicet innumeras, vel ipsi desiderant, & quærunt, ne doctrinam ejus, quem Doctorem, & Patrem sequuntur, abjiciant, vel ne dissimiles sibi degenerent, eamdem amantissimus ipse Pater, suis largitur. Hinc dicitur Ezech. cap. 9. Signa Thaù, hoc est crucem in frontibus eorum, & interrogans Joann. de multitudine beatorum, qui sunt isti, aut unde venerunt? Responsum audivit, *hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni*: Ita suos Christus erudivit ad Justitiam, per passiones: flagellat enim omnem filium, quem re-

A cipit, quia qui parcit virgæ odit filium, & vera hæc est lex amoris, quos amo, corrigo, & castigo, lex unica amoris crux, de qua Petrus: *Christus passus est pro nobis* (hac major charitas haberi non potest) *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*; in hoc enim commendat Deus charitatem suam: sic autem virga ferrea est, ut fiat pretiosior auro, quia tamquam aurum in fornace probat Deus electos suos. Divinum planè inventum, ut tota castigatio sit temporalis, & fruitio æterna, & virga apparenter ferrea, irrigata divino sanguine pullulet in sceptrum, ut ea subtrahantur, quæ bona non sunt, quæ fugiunt sequentes, ne cadamus cum labentibus, & sub his deprimamur, quæ sunt infra nos. Quam desiderabilis, quam suavis, & pretiosa sit hæc virga, qui disce-

B re cupit, legat, quæ scripserunt eloquentissimi crucis præcones. Sancta Mater Nostra Teresia, ac S. P. Noster Joannes a Cruce, nobis hoc satis. Exponit autem hunc locum noster Incognitus dicens, explicatur hic Christi potestas, scilicet ad præmiandum bonos, & malos puniendum, & ideò subdit, & tamquam vas figuli confringes eos, quia sicut vas figuli, semel confractum non potest teuniri, ita in inferno nulla est redemptio. In quo sensu, licet videatur aliqualiter reviviscere objectio, nihil tamen evincit, quia quod lex Christi sit lex amoris non obstat justitiæ, qua puniet denique transgressores, & rebelles, & simul superexcedenti præmio, & amore eriget justos, ac Filios, quod si exponatur de præsentis status regimine, hoc ip-

C sum maximè amorem ostendit, erigit enim virgam ferream, sed minatur ne feriat, terret, ut dum timetur, fugiatur punitio per observantiam mandatorum; ut liberentur electi tui ait Psalmista, *dedisti eis significationem, ut fugiant a facie arcus*. Vel secundùm Originem, Christus ipse est virga malis, flos bonis. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, quæ expositio, licet mystica videatur, tamen est litteralis, quia locutio metaphorica, non facit mysticum sensum. Eusebius Cæsariensis pro virga ferrea intelligit Romanos, qui in pœnam mortis Christi Judæos ejusdem auctores, & Jerusalem deleverunt.

Apprehendite disciplinam, legit Cajetanus, *Osculamini Filium*, in qua lectione, clara est prædictio

D venturi Filii Dei, qui antonomasticè Filius, sicut enim a Patre omnis Paternitas, ita etiam a Filio omnis filiatio in cœlo, & terra nominatur. Ex quibus omnibus clarissimè patet veritas asserti. Hæc autem, quæ dicta sunt, ferè communem omnium Patrum, ac Expositorum sententiam, & doctrinam continent, ut videre est apud Lipomanum hoc loco, & Cajetanum, cęterosque, non enim nominatim citandi erant, ut confusio, & prolixitas vitaretur, quod alibi etiam prętabimus. Nec a nobis hic exigi debet alterior totius Psalmi expositio, quę ad pręsens non spectat, nec specialem ingerit difficultatem.

A R-

ARTICULUS II.

Psalmus 44. ad litteram de Christo, & Ecclesia consideratur.

QUO respiciat Psalmus iste, facilè titulus iste declarat, qui est *canticum suo dilecto*, Echus nempè præpropera ejus, quod de filio dixit postmodum Pater in Evangelio: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite: porrò Psalmus indicat, quid debeat fidelis audire, dum incipit *Eructavit cor meum Verbum bonum*, bonum ut diligatur, verbum, ut audiatur, vel dicit bonum ad denotandum, quod Filius habet a Patre, & naturam, & virtutem spirativam eamdem, per quam cum Patre spirat Spiritum Sanctum, qui procedit ut amor ratione infinitæ divinæ bonitatis. Subdit autem in Persona ejusdem Patris, *dico ego opera mea*, quia verè Pater dicit Filium, & ex tali dictione Filius accipit divinam naturam, cum Paterna, re, & numero eamdem, ex quo indivisa sunt a tota Trinitate opera Dei ad extra: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Joan. c. 5.* Dicit opera sua Filio, ad significandum, quod Filius procedit intelligens, & per intellectum, non enim aliquis dicit, quidquam etiam secundùm nostrum concipiendi modum, nisi ei, qui intelligit, dicit autem illi, *qui constitutus est Rex ab eo super Sion: Psalm. 2.* Scilicet Christo; & notà expressionem Dei hominis, nam ab æterno Verbum semper dicitur a Patre, sine humanitate, sed cum humanitate sumpta, eidem Verbo Pater dicit, idest dat humanitatem ipsumque idem in duplici natura suppositum filium suum dicit, sicque constituitur Deus homo, Rex regum, & Dominus Dominantium; similem huic notationem habet hic Magister in Glosa, sed de hoc plenius scholastici. Quod enim prælibavimus, in tam sublimi Mysterio ommittendum non erat, sed ulterius procedere, vel in Theologicis subtilitatibus, vel in totali expositione Psalmi, nostrum non est. Sufficiet igitur, quod suggerit Augustinus *libro 17. de Civitate Dei cap. 16.* ubi totum hunc Psalmum ponens usque ad Versum: *ex quibus delectaverunt te Filiæ Regum in honore tuo*, subdit. *Quis non hic Christum, quem prædicamus, & in quem credimus, quamlibet sit tardus, agnoscat? cum audiat Deum, cujus sedes est in sæcula sæculorum, & unctum a Deo utique, sicut ungit Deus non visibili, sed spiritali, atque intelligibili chrismate? Quis enim tam rudis est in hac Religione, vel tam surdus adversus ejus famam longè lateque diffusam, ut Christum a chrismate, hoc est ab unctione appellatum esse non noverit? Agnito autem rege Christo, jam cetera, quæ hic dicta sunt, quomodo sit speciosus formâ, quis gladius, quæ sagittæ ejus, & cetera isto modo non propriè, sed tropicè dicta, jam subditus ei, qui regnat propter mansuetudinem, & justitiam inquirat ex otio. Deinde aspiciat Ecclesiam ejus tanto viro suo, spiritali connubio, & divino amore conjunctam, de qua dicitur in his quæ sequuntur: astitit regina a dextris tuis &c.* hic ponit reliquum Psalmi, & subdit. *Non opinor quemquam ita desipere,*

A *ut hic aliquam mulierculam prædicari credat, atque describi, conjugem videlicet illius, cui dictum est: sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui &c. Dilexisti justitiam &c. & post pauca, ostendens dicta esse de Ecclesia Gentium vera Christi Sponsa, repudiata Judæorum iniquitate, addit de Judæis: ad ipsos enim veniens, & ab eis Christus occisus, magis aliorum factus est, quos non vidit in carne, unde per cujusdam psalmi prophetiam dicit ipse Rex noster: Eripies me de contradictionibus populi constitues me in caput gentium. Populus, quem non cognovi, servivit mihi in auditu auris obedivit mihi; Filii alieni inveterati sunt, mentiti sunt mihi. Populus ergo iste Gentium, quem non cognovit Christus præsentia corporali, in quem tamen sibi annunciatum credit, in auditu auris obedivit, quia Fides ex auditu,*

B *iste inquam Populus additus est veris, & carne, & Fide Israelitis, civitas est Dei, quæ ipsum quoque secundùm carnem peperit Christum, quando in solis Israelitis fuit; Inde quippe erat Virgo Maria, in qua carnem Christus, ut homo esset, assumpsit, de qua civitate Psalmus alius ait, Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus: quis est iste Altissimus, nisi Deus? & propter hoc Christus Deus, antequam in illa civitate per Mariam fieret homo, ipse in Patriarchis, & Prophetis plantavit eam &c. & hoc videmus impletum. Concludit autem, procul dubio, quidquid in istis Tropicis locutionibus subobscurè dictum est, quoquomodo intelligatur, debet his rebus manifestissimis convenire.* Hæc ex Augustino adduximus, tum,

C quia rem quam tractamus declarant, & fulciuntur, tum quia aliqua etiam ex aliis Psalmis, quos brevitatis ergò non vacat exponere, explicando, præsens assertum in hac parte confirmant.

Sed interea, ut tacitæ occurramus objectioni, notandum est ex Cajetano, hoc loco, ubi & ipse asserit manifestissimum ministrari, de Messia, ejusque divinitate, nec non de Ecclesia præsenti testimonium, in toto hoc Psalmo, quod & si aliqua, vel hic, vel alibi, tropis metaphorisve exprimantur, non tamen faciunt sensum mysticum, sed litteralem, aliud enim est quod modo tropico aliquid exprimatur, aliud verò, quod sensus ipse sit mysticus, qui & alias dicitur tropicus, ob similitudinem, quam habet talis sensus, cum significatione metaphorica; ad discernendum, namque qualis sit sen-

D sus, etiam sub metaphora expressus, observandum est, an sit primò intentus a Spiritu Sancto, an verò rem aliquam repræsentet, per quam aliud satis diversum significetur, quod clarius suo loco ostendemus, cum de sensibus Sacræ Scripturæ agemus.

Ne tamen videamur, quasi oscitanter præterire omnia, quæ in hoc Psalmo de Christo peculiariter prædicuntur: ad confirmationem præcedentium stat Paulus, ad Hebræos capite primo, qui Psalmum hunc de divinitate Messiæ conscriptum supponit, cum inquit: *ad Filium autem: Tronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui &c.* & prosequitur; immò, contra non stant Hebræi, qui fatentur hic de Messia tractari, unde in Tharg. vers. 2. *Pulcritudo tua o Rex Messia major quam*

quam filiorum hominum, & vers. 7. *At tu o Rex Messia, quoniam dilexisti justitiam*. Laudat igitur hic propheta Messiam a pulcritudine, sed, & insimul a fortitudine, ut predicet dignum Deo miraculum, quod in eodem ambæ hæ dotes uniantur in summo gradu; quamvis enim pulcra sit fortitudo in viro, fortis tamen simul pulcritudo esse non consuevit, idque notum est in viris, nec ad nos attinet hujuscemodi academica disceptatio, qui ex vocatione nostra, ut simus fortes, abscondimur, utramque in Christo, uniri certum est, in quo pulcriot omnis dilectio, invincibilem vincit mortem verè fortior morte, ob quam, & mori elegit, & morte perfundata resurrexit. Sanè pulcritudo est proportio partium, cum suavitate coloris; mediator autem Dei, & hominum primus proportionatum fecit hominem Deo, cujus est participatio, eum ipsi reconcilians per sanguinem suum, in cujus fortissima suavitate reconciliavit deperditam pulcritudinem universo, & ideò fuit pulcherrima fortitudo, quia utraque in eo substantialis fuit, non cum suavitate inanis coloris, sed veri amoris, qui solus æquè pulcher est, & fortis, attingens a fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, hinc pacem dedit, qua nihil pulcrius, cum fortis armatus, & amator possedit atrium suum, videlicet mundum, qui tantæ vix, atrium est majestati: hæc denique verè pulcra fortitudo, fortis pulcritudo; ostendit eis manus, & pedes utique vulneratos, & dixit eis Pax vobis, faciens utraque unum, amare, & pati, pulcrum esse, & fortem. Et quia aget, nec floret, nec fructificat, nisi torqueatur, ideò, inquit, *pulcritudo agri mecum est*. Describitur autem pulcher, & fortis, ut quo major pulcritudo, major item appareat fortitudo, cum describit eum Propheta, *vidimus eum, & non erat aspectus ejus*, quia factus erat pro nobis peccatum, *novissimum virorum, virum dolorum*, cui applaudit Bernar: quanto pro me vilior, tanto mihi carior &c.

Aliam etiam expositionem ad propositum habet Augustinus *oratione contra Judæos: apertissimè ibi*, inquit, *Christus (Psalmo nempe 44.) ostenditur speciosus forma &c. qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo &c. ad Philipenses cap. 2. ibi ei dicitur, accingere gladio tuo super femur tuum, quod in carne esset hominibus loquuturus. Per gladium quippe sermo, per femur caro significatur, quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ut ille per divinitatem speciosus forma, etiam illud fieret per infirmitatem, quod de illo alius Propheta Isaias nempe cap. 53. ait, vidimus eum, & non habet speciem, neque decorem, sed vultus ejus abjectus, atque deformis positio ejus. Ibi ei de Ecclesia dicitur. Astitit Regina a dextris tuis circumdata varietate, ubi significatur linguarum varietas in omnibus gentibus, quarum tamen una, & simplex fides est. Omnis enim pulcritudo filiæ regis, intrinsecus, quam Psalmista alloquitur, audi Filia, & vide: audi promissum, vide completum, & obliviscere populum tuum &c. Sic nova implentur, sic vetera commutantur: quoniam concupivit Rex speciem tuam, speciem quam fecit ipse in te per se, non invenit in te &c. quoniam ipse est Dominus Deus tuus: ne formam ser-*

A *vi spernas, ne potentis infirmitatem, excelsique humilitatem derideas, ipse est Deus tuus: in eo quod parvus apparet, magnus latet, in umbra mortis sol justitia, in contumelia crucis, Dominus gloriæ, quamvis eum persecutores necent, infideles negent, ipse est Dominus Deus tuus, per cujus corpus immutantur, quæ antea per umbras figurabantur*. Hæc ferè Augustinus. Jam ergo quoad hunc Psalmum, jam plenè explicatum ab Augustino, remanet tantum levis difficultas, ex qua fortè conantur Judæi, ad aliam interpretationem trahere aliquam Psalmi partem, eaque est circa versum illum: Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent, in corda inimicorum regis, quomodo videlicet legatur, sive construatur, ex varietate namque constructionis diversus sensus

B exurgit. Collocant aliqui hæc verba sicuti reperiuntur, claudendo tamen intra parenthesim, *ly populi sub te cadent*, & sic clarus est sensus, quia per sagittas sumuntur verba Redemptoris nostri, de cujus ore vidit Joan. in Apocalypsi, *exibat gladius utraque parte acutus, gladius autem spiritus, explicat Apostolus, quod est verbum Dei*, sed hic gladius, est simul sagitta, sic dicta quasi sapiens ictus, quia sapientissimo, & acutissimo ictu tangit corda inimicorum Dei, imprimens eis amorem; unde & Psalmi titulus est, *pro iis, qui commutabuntur* (idest per amorem) *canticum pro dilecto*; & quia ex hujusmodi ictu superbi humiliantur, & gentiles conversi cadunt adorantes, ideò dicit, populi sub te cadent. Optima expositio, quæ saltem, quoad substantiam potest dici communis. Nec mirum, quod

C intelligatur parenthesis, ubi non solet ab impressoribus poni: si enim secundum regulam Augustini in lectione Sacræ Scripturæ, supplendum est quandoque seu subintelligendum aliquod verbum, ut fiat integer sensus, non videtur præsumptio, parenthesim subintelligere, ubi ex ea fit clarior, veriorque sensus.

Aliter, sed quasi in idem recidit noster Incognitus: dicit enim sic collocandas esse dictiones, *sagittæ tuæ acutæ, cadent in corda inimicorum regis, & ideò populi sub te*: Sagittas autem dicit Verba Christi, vel Apostolorum qui predicatione sua converterunt populos ad adorandum Messiam. Vel etiam quod faciat istum sensum: *inimici Regis, scilicet Judæi sentient ex invidia, & odio, sibi esse sagittari, ex eo quod videant populos cadere, scilicet*

D *humiliari sub Christi suavissimo jugo, ideò quasi definiens, quid sint sagittæ istæ acutæ, subdit: populi sub te cadent, ideò eorum conversio erit sagitta penetrans corda eorum*, & tunc legitur versus absque ulla mutatione, prout extensus apparet.

ARTICULUS III.

Adducitur Psalmus 109. ad litteram, de divinitate Christi.

MYsteriorum potius, quam Psalmorum, utcumque servantes ordinem, prout se se offerunt illa, istos tractamus, nec propterea ulla incidit deordinatio, non enim eo ordine, quo facti sunt Psalmi, sed quo inventi, disponuntur in

Psal-

Psalterio, ut cum Hieronymo communis admittit A opinio. Quod si in aliquibus brevius, quam in aliis immoramur, non inconsequentis methodi vitio vertendum est, nam eum non in singulis eadem, vel difficultas sit, vel obscuritas, brevitatem amans prælibator, non æqualiter singulis debet insistere. Huic autem, & si cæteris breviori, specialem debemus articulum ob materiæ dignitatem, & ob id quod statim subdimus.

Venerabilis præ cæteris hujus Psalmi doctrina est, quem ipse Christus ad litteram de se ipso exposuit, disputans contra Pharisæos. Quod si opponas ad convincendum Judæos nihil operari hujuscemodi expositorem, quippe qui Christum negant, respondebimus, si negant expositorem, certè negare non possunt expositionem ipsam, seu argumentum in ea inclusum, ad probandum Christi divini- B tatem, id ergo nos illis opponimus, quod Pharisæis Christus objecit, cum ad ipsos simul congregatos sic arguit. Math. *cap.* 22. *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt ei, David.* At reassumit Jesus, *Quomodo ergo David vocat eum Dominum dicens. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos &c. Si David vocat eum Dominum, quomodo Filius est?* Supponit enim Christus, quod ex ipso naturæ lumine norunt omnes. Patrem habere potestatem dominativam in Filium, non è converso, unde didicit vulgus filiorum, appellare Dominum eum, qui est Pater, qui certè secundùm ordinem naturæ, & tempore, & dignitate inter homines, semper per se loquendo major est Filio, unde convicti silentio C respondèrunt concedentes, seu saltem negare non valentes, quod Christus intendebat, nempè quod Pater eius erat Deus, & consequenter ipse Filius Deus. Quod si adhuc dura cervice Judæi surdescant, Verbum Dei nescientes, vel potius nescire volentes, audiant se, contra se, videlicet Rabbi Joatan, Filium Oziel auctorem Caldaicæ translationis, ipsis adeò veneratum, qui quod Christus intendit arguens ut supra brevi dictione perstrinxit, legens primum Psalmi huius versiculum hoc modo. *Dixit Dominus verbo suo, sede a dextris.* Certè nec Abraham, nec David, ad quos hunc Psalmum violenter distorquent, possunt dici verbum Dei; sicut nec de ipsis intelligi potest, quod sequitur, *Tecum principium, in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te,* D res evidens est: ergo Messias est Deus, utique Christus ipse, in quo Psal. cum Evangelio concordat, per quod Deum hominem adoramus, ne autem videamur coniicere, PP. damus.

Sic exponit Hieronymus in Math. cap. citatum; *Dominus David erat Christus, juxta illud, quod natus est de Patre, secundùm quod, fuit semper præveniens ipsum suâ carnis Patrem; dixit Dominus Domino meo, idest Pater Filio:* non enim *hoc dixit vocali sono vocis, sed potius re, ipsum Verbum æternaliter generando.* Hinc & Augustinus *de civitate Dei, libro 17. cap. 17. Sedere Christus ad dexteram Dei creditur, non videtur, ejus etiam inimicos poni sub pedibus eius nondum apparet, id igitur apparebit in Fine, nunc hoc verè creditur, post* *videbitur. Verùm hoc quod sequitur: virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum, ita clarum est, ut non solum infideliter, & infeliciter. Sed etiam impudenter negetur. Et ipsi quidem fatentur inimici, ex Sion missam fuisse legem Christi, quod Evangelium nos vocamus, & eam virgam virtutis ejus agnoscimus: Dominari verò in medio inimicorum suorum, iidem ipsi inter quos dominatur, dentibus suis frendendo, & tabescendo, & nihil adversus eum valendo, testantur, deinde quod paulo post dicit, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum &c. quibus verbis immutabile futurum esse significat, quod adjungit: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, ex eo quod, jam nusquam est sacerdotium, & sacrificium secundùm ordinem Aaron, & ubique offertur sub Sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraham, quis ambigere permittitur, de quo ista dicantur? Ad hæc ita manifesta, referuntur, quæ paulò obscurius in eodem Psalmo dicta sunt.* Ita Augustinus, ex quo jam satis superque colligitur litteralis intelligentia totius Psalmi; quantum spectat ad præsens, nec superest specialis aliqua difficultas, vel objectio, qua detineamur. Cumque assumptum præsentis tractatus jam perveniat ad evidentiam, quoad loca Psalmorum, properanter eodem Augustino manuducente cætera, quæ hic liber præcipua ministrat de Christo ad litteram, testimonia percurremus.

ARTICULUS IV.

Psalmos tangens, qui de Christi Nativitate, & Passione Prophetant: disputat potissimum contra Judæos.

De Christo absolutè, ac de ejus nativitate agit ad litteram Psalm. 71. ita ut de aliquo alio non valeat littera ipsius intelligi, qui incipit, *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis.* Cum enim justificari nequeat in conspectu Dei omnis vivens, quod evidenter intelligitur de puro homine, si deprecando prædicit Messiæ dandam esse à Patre judicandi potestatem, & omne Judicium, ut habetur Jo. cap. 5. *Pater omne Judicium dedit Filio &c. quia Filius hominis est,* quod certè plus est, quam justificari in conspectu Dei judicantis, jam clarè sequitur, quod Messias futurus erat homo Deus, verus Rex, & filius summi Regis, qui eamdem cum Patre haberet, sicut essentiam, ita potestatem; & regnum, quod breviter innuit dicens, *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis.* Hinc eò obtento gloriatur Apostolus. *Non enim habemus Pontificem* (quia Judex) *qui non possit compati infirmitatibus nostris* (quia verus homo) *probatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato,* quia verus homo Deus. Prosequitur Inde Psalmista, plura describens mysteria, & magnalia, quæ impossibile est alteri posse adaptari, quam Christo: sicut enim non Salomoni, non cuipiam alteri ex Regibus, sed soli Christo nascenti cecinerunt Angeli, gloria in Altissimis Deo, quæ est summa Justitia, & in terra

terra pax hominibus, quæ est effectus reconciliationis, & redemptionis æternæ, ita de solo Christo potuit prædici. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis*, sicut, & illud *omnes gentes servient ei*, quod nunc cernimus de Christo, qui in propria venit, & sui eum non receperunt, sed Gentiles, qui ipsi subesse, & gloriantur, & voce corde, & sanguine protestantur; Ita & quod sequitur: *ex usuris, & iniquitate redimet* animas eorum, quia nullus redemptor nisi Christus, qui factus est sicut homo sine adjutorio. inter mortuos liber. Quippe & mortuus est, quia voluit liberè, & liberè mortuus adhuc non tenebatur lege mortis, quam vicit resurgens, qui denique omnes solus sine adjutore servavit, ut loquitur Ambrosius. Quod dicitur: *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, coram illo procident Æthiopes*, evidenter in Christo postmodum a Magis adorato evenit, quod faciat quis mirabilia solus, soli planè concedi potest Christo, qoamvis enim plures alii, & fecerint, & faciant mirabilia, nemo tamen facit illa solus, sicut Christus, sed qui faciunt, per ipsum, & ex ipso habent quod faciant, immò ipsi verè non faciunt, nisi moraliter, quatenus eorum intuitu, & propter gloriam snam, quam & ipsi quærunt, facit illa Deus; denique procul omni dubio, de illo dumtaxat, qui Deus est, & homo, concludi potuit: *Replebitur majestate ejus omnis terra, fiat, fiat*. Siquidem Majestas, sive Majoritas, nullius talis fuit, aut erit, nisi immensi, qui de se ipso per Prophetam ait, cœlum, & terram ego impleo, & de quo Apostolus, qui descendit ipse est, & qui ascendit, ut impleret omnia, additur autem *fiat, fiat*, ut sic innotescat, qua ratione implet omnia, impinguit enim per creationem, cum ait, fiat, & hoc est Verbum ejus semper idem quod est Christus; & quia cum per peccatum declinassent universa ad nihilum tendentia (phrasis est Doctoris Angelici, ubi agit de potentia peccandi, prima secundę) per aliud fiat, omnia reparavit, cum respondente Immaculata Virgine ad Angelum, qui nunciabat ei Verbum, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi &c. Verbum caro factum est, ut reficeret universa per redemptionem, eàdemque misericordia sua repleret, ideo fiat duplicatur. Et hęc prelibanti satis. Pro his verò speciales PP. auctoritates non adducimus, tum quia sufficit communis Ecclesię intelligentia, & usus, cum in nocte natalis Domini, & Æpiphanię hunc Psalmum, ad Mysteriorum illorum explicationem, aut potius claram descriptionem assumat, tum quia SS. PP., ac Expositorum chorus, huic veritati concorditer accinit, ac plaudit, & ita esse vel docet, vel supponit.

De Passione, ac consequenter de Resurrectione Christi, sex Psalmi ad litteram, immò ad sensum latè tractant, pręter cęteros, quos brevitas abscondit. Psalm. 3. *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Ps. 21. *Deus Deus meus respice in me*. Ps. 25. *Judica me Deus*. Ps. 63. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor*. Psal. 68. *Salvum me fac Deus*. Psal. 108. *Deus laudem meam ne tacueris*, qui omnes, Evangelia potius videntur esse, quam prophetię, ideoque cum se ipsos in facto tam clarè

A exponant, eos declarare esset, actum agere: Aliqua igitur tantum addemus ex Augustino libro supracitato cap. 17. *In illo* (inquit) *Psalmo* (agit de 21.) *humilitatem Passionis suæ per prophetiam Christus eloquitur dicens: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Quibus utique verbis, corpus in cruce significavit extensum, manibus, pedibusque confixis, & clavorum terebratione confossis, addens etiam: diviserunt sibi vestimenta mea; quæ prophetia quemadmodum impleta sit, evangelica narrat historia: tunc profectò, & alia intelliguntur, quæ ibi minus apertè sunt dicta, cum congruunt his, quæ tanta manifestatione claruerunt*, pręsertim quia, & illa, quę non transacta credimus, sed presentia contuemur, sicut in eodem Psalmo leguntur tanto ante prędicta, ita nunc exhibita jam toto orbe B terrarum cernuntur; ibi enim paulò post dicitur: *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ Gentium, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium*: idem etiam August. adversus Judęos cap. 5. de alio Psalmo agens. *Psalmus 68. habet in titulo, pro his qui commutabuntur, & cantatur ibi Passio Domini nostri Jesu Christi transfigurantis in se, quasdam etiam voces membrorum, hoc est Fidelium suorum: ibi scriptum est, & prænunciatum, quod in Evangelio legimus factum: dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Per hunc ergo immutata sunt vetera, quę Titulus Psalmi prædixerat immutanda.*

Sed obiiciunt nobis Judęi, si tantę auctoritatis, C & veritatis est apud vos vetus Testamentum, cur Sacramenta, & præcepta ejus non observatis? Respondet ibi Augustinus: *non observamus quæ mutata sunt, mutata sunt autem, quæ mutanda fore prænunciata sunt, & in eum credimus, cujus revelatione mutata sunt. Isti autem, qui hæc nobis obiiciunt, adhuc amari sunt ex parentibus suis, qui dederunt in escam Domino Fel, & adhuc veteres ex aceto, quod ei potandum obtulerunt, & ideò non intelligunt, quia in eis impletur quod sequitur: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum, ipsi enim Fel, & acetum facti sunt, Felleas, & acidas pani vivo epulas ministrantes. Quomodo enim hæc videant, de quibus ibi prædictum est, obscurentur oculi eorum, ne videant, & quo modo sint recti, ut sursum corda habeant, de qui*D*bus prædictum est, & dorsum eorum semper incurva?*

Hæc Augustinus, in quibus novam aliam probationem inducit præsentis argumenti. Probat enim subiiliter, plura ad litteram in Psalmis dicta esse de Christo, ex eo quod Judæi non credunt, quia ne dum illa prædicta fuere de Christo, quia de illo verificantur in facto quoad ipsum, sed etiam quia verificatur id, quod prædictum est de Judæis, quod scilicet illa non crederent, sicut revera non credunt, quasi sic arguat. *Tenentur Judæi credere, quæ fuerunt de Christo prænunciata in veteri Testamento, quod ipsi profitentur, nunc vel credunt, vel non, si credunt veteri Testamento, ergo cum videant, verificari, quæ in illo prædicta sunt de Messia ipsum tenentur admittere, si non credunt, ergo adhuc convincuntur veram esse prophetiam veteris Testamenti de*

Christo,

Christo, quia hoc ipsum de Christo prædicitur, quod ipsi illi non credent, quod reverà in se sentiunt. Quamvis enim modo quasi optativo dicatur. *Obscurentur oculi eorum ne videant*, tamen hæc est figura dicendi, non votum est, sed prophetia, ut cum Augustino communiter Sacri Interpretes docent, & Periti Sacræ locutionis omnes advertunt.

Sed obiciés, retorquendo instantiam: ad quid contra Judæos sic arguitur? vel credunt, vel non, veteri Testamento; si credunt, cum videant verificari, quæ in illo scripta sunt, credent etiam Messiam venisse, sicque non erunt Judæi, vel omninò inconsequenter contra se ipsos, ex duobus necessariò connexis, alterum concedent, alterum negabunt, quod est de facto non credere; si non credunt, nec utique hoc credent, de se ipsis videlicet prædictam fuisse hujusceemodi infidelitatem, aut talem esse eam, quam pertinaciter nutriunt.

B Confirmatur vel possunt induci ad credendum, vel non, si primum, non verificabitur prophetia Psalmi, obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva, hoc est incurvabitur, quæ tamen frustari non potest: si non possunt, ergo non poterunt induci ad videndam hanc cæcitatem, qua laborant, si enim viderent se esse cæcos, eo ipso & viderent, & cæci non essent: immò nedum viderent cæcitatem, sed etiam lucem; videre enim hanc lucem veritatis, idipsum est, ac videre, quod falsum est oppositum ejus, & quod cæci sunt, qui opposito adhærent, & è converso ut patet.

C Resp. ex doctrina ejusdem Augustini, arguimus contra eos, ut si non consentiunt saltem sentiant, & sic inexcusabiles fiant, quia sic convincuntur se ex perversitate pravissimæ voluntatis, non ex defectu lucis, velle omnino gratis falsitatem. Hinc dicebat Christus *Psal. 118. Principes persecuti sunt me gratis*, & quia sciebat, quale supplicium persecutores suos maneret, quam terribile, addidit, *& a verbis suis trepidavit cor meum*, innuens quantum ipsi ad quos illud spectabat, timere deberent. Ad instantiam, dicimus dari quodammodo medium, quia quamvis non credant, tamen possunt, & debent credere propositam veritatem, ac se ipsos cæcos esse, quia volunt, & certè argumentum est ad hominem contra ipsos, si homines esse vellent, ut possunt. Sic enim arguuntur: per vos vera sunt, quæ in lege, seu veteri Testamento scripta sunt de Messia, qui tunc erat venturus, ergo quando hæc ad sensum patebunt jam esse impleta, tunc per vos verum erit venisse Messiam, atqui nunc omnia, quæ taliter, ut supra prædicta sunt, patet ad sensum fuisse impleta, & vos ipsi eadem verificatis in vobis, ergo per vos venit jam Messias.

D Ad confirmationem quatenus potest opponi præsenti solutioni, resp. posse induci, quia revera aliqui inducti sunt, quod habemus ex Evangelio, quandoquidem plures, ex tenebris, cæterisque prodigiis, quæ in morte Redemptoris facta sunt, revertebantur percutientes pectora sua: & videns Centurio ait. Verè Filius Dei erat iste: immò cum etiam in præsentiarum, justa manu miserentis Dei, tot modis percutiantur, ut resipiscant, signum est

A eos posse converti; difficultas tamen major videtur esse in consequenti, ergo potest non verificari prophetia; Sed negatur absolutè, quia ut vidimus, prophetia non est de omnibus, quod apertè constat ex eo, quod asseverat Apostolus, quod nempè in fine sæculorum, cum intraverit multitudo Gentium, tunc Israel salvus fiet, & sicut si in fine mundi, aliquis ex Judæis persistens in infidelitate, periret, non propterea deficeret dictum Apostoli, quod non sumitur cum tota universalitate, ita nec è converso, per hoc quod aliqui ante illud tempus convertantur, evacuatur veritas prædictionis Psalmistæ, indefinite eorum ruinam prænunciantis. Unde Augustinus: *Per hunc filium hominis, idest Christum Jesum, & de suis reliquiis idest Apostolis, & de aliis multis, qui ex Israelitis in Christum Dominum crediderunt, accedente plenitudine Gentium vinea sancta perficitur*, sufficit ergo ad veritatem prædictionis, aliquos remanere propria culpa prævisa induratos cæcos, & curvos. Adde hujuscemodi prædictiones, esse veluti declarationes pœnarum, prioribus delictis debitarum ex justitia, intrinsecè tamen, seu implicitè afferrè conditionem respicientem misericordiam Dei, & vertibilitatem humanam, & hic dicendi modus in eo fundatur, quod resipiscentia a peccato, est effectus gratiæ, quæ non est ex meritis, si est gratia: unde prædictio talis fundata in justitia, semper est vera etiam data conversione cujuscumque Judæi, quæ non fit ex justitia, sed ex gratia.

Sequendo tamen priorem viam dices: saltem de illis qui non convertentur, verum erit eos non posse resipiscere, quia si & ipsi, jam omnes, si omnes converterentur, prophetia non verificaretur, ergo sicut necesse est prophetiam verificari, ita necessè est aliquos saltem ex Judæis non converti.

Respondetur negando antecedens, quia prævisio neminem cogit, juxtà Catholicam Doctrinam, quam efficaciter defendunt ubique Augustinus, & S. Thomas ac tota ejus Schola, nam implicat in terminis, quod sit, ut revera est prævisio actus liberi, & quod ad illum cogat, nec tenet hæc consequentia. Possunt omnes converti, ergo potest prophetia frustrari, quia non est prædictio potentiæ, vel impotentiæ ad conversionem, sed de ipsa actuali libera induratione, quæ in se prævidetur futura, & eggressura a libera voluntate, unde sicut quando est actu, ita est, ut potuerit non esse, & tamen ex suppositione, quod est, necessariò est, ita comparatione ad prophetiam, quæ eo modo concernit futurum, quomodo futurum regulatur per suum presens, quod reverà presens est prophetiæ, eo modo prædicitur futurum, quomodo se habebit, cum erit præsens, & non aliter, quod si aliter, jam non illud prædicitur. Quamvis autem solidissima, & vera sit hæc doctrina, quia tamen mysterium magnum includit, quo torquentur invicem Scholæ, quodve nunc examinare non vacat, alibi fortè de ea sermo redibit.

ARTICULUS V.

An de Christi resurrectione agat Psalmista.

RESpondet statim Augustinus de Civitate Dei loco citato *cap.* 18. *De Resurrectione ejus nequaquam psalmorum oracula tacuerunt. Nam quid est aliud, quod in Psalmo 3. ex persona ejus canitur. Ego dormivi, & somnum cepi, & exurrexi quia Dominus suscepit me? An fortè quisquam ita dessipit, ut credat velut magnum aliquod nobis indicare voluisse Prophetam, quòd dormierit, & exurrexerit, nisi somnus iste mors esset, & evigilatio resurrectio, quam de Christo sic oportuit prophetari?* Post pauca transit ad psalm. 40., *cujus versiculum ponit ab illo, inimici mei dixerunt mala mihi,* usque ad illum, *numquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?* Indequè subdit. *Superiora quippè demonstrant mortem ipsius cogitasse, & disposuisse inimicos ejus, & hoc actum esse per eum, qui aggrediebatur, & ingrediebatur ut videret scilicet Judas; quia ergo facturi erant, quod moliebantur, idest occisuri erant eum, attendens illos vana malitia frustrà occisuros resurrecturum. Sit adjecit, velut si diceret: quid agitis vani? quòd vestrum est scelus, meus somnus erit, numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat? & tamen eos non impunè facturos, tam immane scelus, sequentibus indicat. Miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis: quis hoc jam neget, qui Judæos post mortem, & Resurrectionem Christi, de sedibus suis bellica strage, & excidio funditus eradicatos videt?* Hæc Augustinus.

Sed dicunt Judæi: esto quod mors suavis naturaliter ex naturæ defectione proveniens justis, qui pacato sunt animo in adversis, dici possit somnus, hoc tamen nemo dicet de Morte per violentiam illata, dormire siquidem importat quietem, quæ opponitur violentiæ, quæ nequit contingere nisi per vigorosam contranitentiam naturæ, & resistentiam passi, ut patet, cum ergo Christus crudelissima morte, ac violenta obierit, ejus mori dici nequit dormire, ergo si hic psalmus intelligitur de Christo, dormitio, & consequenter resurrectio, aliud importat longè diversum a morte, & resurrectione, vel hoc saltem convincitur, quod psalmus iste non est de Messia, immò si Messias est Deus, de ipso non verificatur dormitio.

Respond. neg. suppositum, saltem in sensu opponentium, nam falsum est, quod Mors Christi fuerit ex omni parte violenta, quamvis enim ex parte Judæorum fuerit violenta, tamen ex parte patientis fuit voluntaria, tum ex parte rationis, tum etiam ex parte hujus naturæ, quæ cum rebellionem a superiori, & suprema parte habere non posset, qualis contingit in nobis, sentiebat quidem, sicut cæteri homines sentirent, & magis ob temperamenti perfectionem, & non recedebat, subdita Deo, & rationi: Oblatus enim est, quia ipse voluit, & occurrit quærentibus se ad mortem, immò ait Petro jam ferienti ad defensionem: pone gladium tuum in vaginam, quia illa erat A resistentia Petri, non Christi, ideo ait gladium tuum: an putas non possum rogare Patrem meum? idque melius intelligitur, si orantem in horto consideres, ibi namque ut probaret se tormenta apprehendentem, & sentientem secundum veritatem, & conditionem humanæ naturæ, ipsi permisit timere atque tristari, at statim rationis imperio sentientem coercuit appetitum cum ait: Pater si possibile est transfer calicem hunc a me, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Prima fuit locutio partis sentientis, in cujus signum ait, si possibile est, ac si nesciret Dei Omnipotentiam, cui cum nihil sit impossibile, absque conditione erat possibilis talis impeditio mortis, vel translatio calicis, nec ad partem præcisè sentientem, spectabat in sua linea distinguere eam translationem B absolutè esse possibilem, in sensu tamen composito decreti, atque præcepti a Christo acceptati esse impossibilem. Statim ergo pars superior, seu rationalis, hæc omnia pro munere suo discernens subdidit, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu, ubi ly *ego* stat pro parte sentiente, sed ut conjuncta rationi, sicut ly *transfer*, est oratio ejusdem, in sua linea, ex rationis concessione sistentis, quæ omnia intelligi debent juxta doctrinam Divi Thomæ, tertia parte, quæst. 46. per totam, Dormire itaque dicitur de Christi morte, non quia non senserit mortis dolores, sed quia superior fuit dulcissima vis amoris, quiescens, non reluctans in tolerantia tam diræ passionis pro amato. Sed, & dormire dicitur, quia in duratione mor- C tis, quæ brevis fuit, visus est quasi dormiens, qui post aliquod tempus excitatur a somno suo, sicut ipse Christus dixerat de Filia Archisinagogi defuncta, de qua, quia paulo post mortem, ab ipso fuerat suscitanda ait: *non est mortua puella, sed dormit*, vel in alio sensu dictus fuit dormire, quatenus non intelligentes illi vim summi amoris, qua dolores acerbissimos, & mortem ipsam vincebat, cum videretur impossibile in tot tormentis persistere, quorum quodvis satis esset ad mortem, eum dicere debebant similem dormienti, qui ut talis non sentit. Vel denique, quia cum esset Deus, qui certè poterat se ipsum liberare a morte, & occisores suos anichilare, dum permittebat eosdem ad placitum inhumanæ crudelitatis sævire, videbatur quasi obdormire occultando potentiam suam, ne cæ- D laret amorem, & Deus quidem non dormit, nec moritur, sed homo Deus, ut nasci, sic & vivere elegit, dormire, mori, & evigilare. Prosequitur verò explicationem suam Augustinus, additque. *Judæi autem quem sperant Christum, moriturum esse non sperant; Ideò quem lex, & prophetæ annunciaverunt, nostrum esse non putant, sed nescio quem suum, quem sibi, alienum a mortis passione confingunt: ideò mirabili cæcitate, ac vanitate, verba quæ posuimus non mortem, & resurrectionem, sed somnum, & evigilationem significare contendunt.*

Sed impugnari possunt ad hominem, antequam eos deterreat Augustini responsio: quia secundum præsentem providentiam (aliam hic ipsi non norunt) qui dormit, & evigilat, mortalis est, nisi enim indigeret corpus quiete, & reparatione, nec

somnus

somnus daretur, porrò qui quiete indiget, & reparatione, signum est, quod subjacet motui, & primarum qualitatum contrariarum actionem sentit, & reactionem, & consequenter passionem, & repassionem, ex quibus oritur corruptio, & mors. ipsa, quæ a primo incipit motu, & illius continuatione ita debilitatur homo, ut denique cedat, & recedat è vita, quia natura non est principium motus infiniti, sed definitur : principium motus, & quietis ejus in quo est, & cum vita consistat in motu, ejus denique quies, mors esse debet, si ergo concedunt suo imaginario Messiæ somnum, & vigiliam, perperam mortem ei possibilem negant, maximè quia ineffabile Incarnationis mysterium (vel possibile quidem) ignorantes, & Trinitatem in Deo nescientes immò negantes, suum somniatum Messiam, Deum, & hominem fore non noverunt, cui divinitas conferre valeat immortalitatem, non enim necessitatem habet Deus homo, sed potestatem ponendi animam suam : Fortius tamen contra eos insurgit Augustinus loco citato dicens: *sed clamat eis etiam psalm. 15. Propter hoc jucundatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabit Sanctum tuum videre corruptionem ! Quis in ea spe diceret requiescere carnem suam, ut non derelicta anima sua in Inferno, sed citò ad eam redeunte, revivisceret, ne corrumperetur, sicut cadavera corrumpi solent, nisi quia die tertio resurrexit. Quòd utique dicere non possunt de Rege David, aut de Propheta quovis alio, quos novimus nec tertia nec alia quavis die ab ipsorum morte hactenus, fuisse suscitatos.*

Clamat & 67. Psal. Deus noster. Deus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. Quid apertius diceretur ? Deus enim salvos faciendi Dominus est Jesus, quòd Interpretatur Salvator, sive salutaris : nam ratio nominis hujus hæc reddita est, quando prius quam ex Virgine nasceretur dictum est : paries Filium ; & vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ; in quorum peccatorum remissionem, quoniam sanguis ejus effusus est, non utique oportuit eum, de hac vita exitus alios habere quam mortis ; ideò cum dictum esset: Deus noster Deus salvos faciendi, continuò subjunxit, & est Domini exitus mortis, ut ostenderetur moriendo salvos esse facturus ; sed mirando dictum est Domini Domini, tamquam diceretur, talis est ista vita mortalium, ut nec ipse Dominus aliter ab illa exiret, nisi per mortem. Hæc luculenter semper idem, sapientissimus Augustinus. Verum quia difficultas est non modica in hoc emistichio, & Domini Domini exitus mortis, breviter plures dicendi modos, qui fortè quierare valeant mentem ex opusculo nostro, ubi diffusè rem hanc tractamus excerpere, opere prætium jobet. Relictâ igitur lectione Cajetani, qui legit, *& Deo Domino suppetunt morti exitus*, ex qua major suboritur obscuritas, quam ex vulgata ? placet primò explicatio, quam aliqualiter insinuat noster Incognitus: quod nempe quia prius Psalmista dixit *Deus noster Deus salvos faciendi*, explicat statim qualiter salutem nostram sit executus, excludendo videlicet oppositum salutis, mortem,

A per redemptionem quæ fuit expulsio, & exitus mortis, cumque ea fuerit infiniti valoris, bis replicat Domini Domini, ut sit sensus Deus noster, idest Christus verè Deus noster, quia Deus homo, Deus salvos faciendi, quia ratione divinitatis infinitam obtulit pro salute nostra Deo offenso satisfactionem, & denique negotium redemptionis perfecit cum moriens clamavit *consummatum est*, isque fuit exitus fælix mortis Domini, redemptio Domini, verè Domini, quia de suo offerendo, nos redemit. Secundo, vel ut iste sit sensus : Deus noster Deus est salutis. Dii verò Gentium sunt Dii mortis, sic ergo nos a Deo nostro habemus exitum salutis, quod dicit in prima parte versiculi, Idolatræ verò a Diis suis, quibus tamquam Dominis serviunt, habent exitum mortis, & ideò
B dicit in singulari Deum, cum respicit salutem, in plurali verò *Domini Domini*, cum considerat exitum mortis, qui sensus concordat cum Evangelio: nemo potest duobus Dominis servire, & cum illo Exodi. Audi Israel. Deus Deus tuus unus est, dicit enim utique Deus Deus, ob pluralitatem personarum, sed in numero singulari ob unitatem essentiæ.

Tertio vel dicit, *Domini Domini*, quia bis post mortem venturus erat ad exercendum Dominium, scilicet per resurrectionem, & ad Judicandum. Quartò, fortè melius intelligetur hic locus, si consideremus diversitatem mortis Domini a morte aliorum; moriuntur enim cæteri, ex necessitate, & quamvis martyres offerant se morti voluntariè,
C & libenter, eam tamen mortem acceptant, quam aliquando evitare nemo potest ; quis enim est homo, qui vivit, & non videbit mortem, ait Psalmista ? at Christus ex dignatione elegit mortem, quia erat Dominus vitæ, & mortis, ideoque bis Dominus, qui eligere poterat, & vitam, & mortem, sed hanc elegit, unde dicit exitus mortis, est itaque sensus iste, exitus Domini, scilicet mors Domini, est exitus Domini mortis, qui dominium habebat supra mortem, non necessitatem, ideòque alibi ait. Voluntariè sacrificabo tibi. Congruit huic modo dicendi, immò & ei, quod sæpè in Sacra Scriptura legimus, quod mortem Christus moriendo devicit, & destruxit, *absorpta est mors in victoria*, inquit Apost., *pri. Chorin. cap. 15.* quasi nempe speravit mors, se victuram Christum,
D cum illum aggressa est, quamvis volentem, sed absorpta est mors in hac victoria, quia mors mortua est in ligno quando mortua vita fuit, & nedum mortua, sed & decepta, nam mortua ipsa est. eum Christo, Christus tamen surrexit, non mors, quia Christus exurgens ex mortuis jam, non moritur, mors illi ultra non dominabitur, ipse autem semper est Dominus mortis jure victoriæ suæ, unde insultat morti Apostolus: *ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus ? stimulus autem mortis peccatum est*, idest stimulus, quo quasi urgebat Christum, ut moreretur, quia mortuus est propter scelera nostra, at quia moriens peccata delevit, ideò moriens fregit stimulum mortis, ipsaque sine stimulo, sicut apes sine aculeo, mortua est.

Sed dices nec nos hujusmodi locum Apostoli adducere

ducere possumus, nec consimilem ipse Apostolus, A ait enim *fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria*, porrò nullibi in Sacra Scriptura reperitur, quod scriptum sit; *Absorpta est mors in victoria*.

Respondet Angelicus Doctor, ad eumdem Apostoli locum, negans, quod nullibi in Scriptura ita scriptum reperiatur, quia quamvis in nostra vulgata non habeatur in terminis litteralibus, habetur tamen satis in sensu litteræ, Oseæ *cap.* 13. ubi dicitur. *O' Mors ero mors tua*: verba autem illa *absorpta est mors in victoria* leguntur eodem loco in translatione 72. Interpretum, ad quam respiciebat Apostolus.

Quinto. Intelligunt aliqui hunc versiculum relatè ad illud Evangelii, seu Christi dictum. *Non omnes qui dicunt mihi Domine Domine intrabunt in regnum Calorum, sed qui fecerit voluntatem Patris* B *mei*, ut sit sensus, qui divinæ se subtrahentes servituti, mentiuntur dicentes *Domine Domine*, qui audientes Deum nostrum, Deum esse salvos faciendi, vana freti fiducia, non faciunt voluntatem ejus, sed suam, putantque sibi sufficere, si dicant Domine Domine, isti habebunt exitum mortis, idest bis morientur, quia cum è corpore recedet anima, colliget eos mors pejor, mors secunda; Sexto. Noster Incognitus, hanc admittit expositionem, quam tangit supra August., & Magister in Glosa, *quasi dicat, ipse est Dominus salvos faciendi, sed ne dicas, cur ergò morimur? Dominus Deus noster ipse habuit exitum mortis, quamvis esset Dominus omnium, & Dominus vitæ, & mortis. Vnde Gregor. lib.* 14. *Mor. cap.* 17. *Redemptor noster suscepit mortem, ne mortem timeremus, ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. Addit Vgo Carens. hoc loco, dicere posset Judæus, vel Infidelis, quomodo est Deus salutis, qui se ipsum non potest salvum facere? ideò dicit Domini, qui potuit mori de libera voluntate, Domini qui potuit resurgere pro libera voluntate, est iste exitus mortis: vel bis Domini, quia secundum Apostolum, Rom. cap.* 14. *in hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut vivorum, & mortuorum Dominetur, & ideo sive vivimus, sive morimur Domini sumus*.

Denique notant alii, duplicem esse exitum mortis, nam quidam salvantur, quidam pereunt, & Christo utrique subduntur, ideoque dupliciter Dominium exprimitur: Deus enim est salvos faciendi, D sed etiam justus Dominus, quia ut sequitur, verticem capilli confringet perambulantium in delictis suis. Non peribit capillus de capite Justorum, sed nec erit capillus, qui non examinetur, & confringatur eorum, qui perambulant in delictis suis, ut talis deambulationis exitus denique sit exitus mortis; Et hæc satis, nec superfluere dicta putamus, qui ex more nostro, propositas etiam identidem, & data occasione difficultates, nisi quiescat animus, dimittere non consuevimus.

ARTICULUS VI.

An de Gloriosa Christi Ascensione ad litteram agat Psalmista.

Visis jam Psalmorum locis, in quibus litteraliter, & prædicitur, & describitur tum Passio Salvatoris, cum & Resurrectio respectivè, si non omnibus, his saltem quos nostræ brevitatis permittit angustia, & quos sublimis Doctor Augustinus sufficere arbitratus est, ad evertendam in hac parte durissimam pervicaciam Judæorum, nunc superest psalmos, qui de Christi ascensione ad litteram exultant, breviter intueri, ut hanc opusculi hujus partem concludat fælix clausula totius itinerarii Filii Dei. Id autem brevisimè præstabimus, quia & in ipso mysterio, videntibus ascendentem Apostolis, statim cum adhuc intuerentur, nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Præcipuus porrò psalmus agens de hoc mysterio, tam clarè, ut potius hystorica descriptio triumphalis, quam prophetia videatur, est, psalm. 46. *Omnes*, inq; *Gentes plaudite manibus, Jubilate Deo in voce exultationis &c.* Additque, *ascendit Deus in Jubilatione, & Dominus in voce Tubæ*. Etsi tamen Christianis tam clarus appareat, & sit; Judæis nihilominus ænigma videtur, quod, quid sit, non videtur, dum audiunt, Gentes ad divinæ Gloriæ solemnitatem vocari, eo ascendente, quem ipsi nesciunt, qui tamen Deus hic dicitur, sed ipsis C ignotus, sicut & eisdem invisus, ut dicebat illis idem ipse, Joan. *cap.* 8. *nec me scitis, nec Patrem meum scitis*. Sed jam ne divagemur cum vagis, & profugis successoribus Cain, qui occiderunt innocentem Fratrem suum, certè vel credant necesse est, vel aliquem assignent, de quo ibi agat secundum litteram, quam solam sequuntur, Psalmista. Hic autem de necessitate, vel erit Deus tantum, vel homo tantum, vel simul homo Deus. Non Deus tantum, quia cum Deus in excelsis cælorum habitet, in summa incomprehensibili infinitate ac Majestate altissimus, sitque simpliciter immensus, & incircumscriptus indefinitus a loco, vel ad locum, non potest concipi, quomodo possit ascendere, cum enim altitudo, in qua est, sit summa, ad aliam altitudinem ferri non potest, nisi ad aliquam inferiorem ea, in qua est, sicque descenderet, non ascenderet, ergo hic, de quo nunc agit Psalmista, non est Deus tantum, sed nec homo tantum, quia qui est homo tantum, non ascendit propriè ascensione simpliciter dicta, hoc est ad summum, sed elevatur. Tum etiam quia de eo, qui dumtaxat homo est, dici cum veritate non potest: ascendit Deus, ergo ille, de quo hoc loco agit David, non est homo tantum, ergo cum nec sit Deus tantum, & tamen sit Deus, evidenter sequitur, quod sit homo Deus, ille utiq; qui ascendit super omnes cœlos, quia primum descendit humilis, in inferiores partes terræ, scilicet ad sepulcrum per mortem, quam crudelissimè ipsi Judæi, ipsi innocentissimo inflixerunt, juxtà prophetias usque modo inspectas, & exinde inspiciendas, ipsamque etiam humanam, & Genti-

lem

A lem historiam, de quo alibi. Ille planè qui exultavit ut Gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus (& inde ad rem præsentem firmandam) & occursus ejus usque ad summum ejus. Ast qui descendisse negant, nil mirum si negent ascendisse. Concedunt igitur, quod cum venerit Messias, in fine ascendet, sed quod factum fuerit, negant, inconsequenter tamen omninò procedunt, quia cum non credant, Messiam illum suum, futurum esse Deum, & hominem, cum Trinitatem Personarum pervicaciter ignorare velint, adhuc redit contra eos argumentum, quo ipsos coarguimus, ostendentes evidenter, quod nequit esse homo tantum, nec Deus tantum, sed insimul veraciter homo Deus, Filius Dei. Immò cum ex toto hoc tractatu convincantur ex propriis litteris, quod B jam venit, utique tenentur asserere, quod jam ascendit, cum non valeant eum ostendere in præsentiarum, hic in terris versantem. Expectent igitur, sed sicut nos, quod veniat videl. ad Judicium, Sicut prædicitur in secundò versu præsentis Psalmi: *quoniam Dominus excelsus terribilis Rex magnus super omnem terram:* benignissimus quidem Filius Virginis, qui dicebat, & docebat mansuetudinem, & amorem. Discite a me quia mitis sum, & humilis corde, qui tamquam agnus coram tundente se obmutuit; quo prius amabilior, eo post terribilior, præcedente igne, qui inflammet in circuitu inimicos ejus, judicabit orbem terræ in veritate sua, quod replicat hic. Psalm. Quoniam Dominus excelsus terribilis Rex; additque in fine Psalmi. C *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dii fortes terræ, vehementer elevati sunt.* Quæ u. ima pars versiculi intelligitur de Judæis, teste Incognito, qui dicuntur Dii, vel quia primò ad eos sermo Dei est factus, & Deos dixit, explicat Christus, ad quos sermo Dei factus est, vel ex oppositione, quam habent ad Deum, quem hominem factum occiderunt, qualem nec ficti gentium Dii, nec eorum sectatores habuerunt. Fortes terræ, quia spiritum, & cœlum ignorantes, soli terræ, ac soli terræ adhærent carnales nimis, idest dicti, Dii fortes, ironicè, de quibus proinde prædixit Spiritus Sanctus, qualiter judicabuntur, *&* *ego* inquit *in interitu vestro ridebo*, & subsannabo vos, cum nempè irruerit super eos finalis repentina calamitas.

D Sed dices obiter, si per Deos intelliguntur Judæi, qui minus sunt, quam homines, quia solum carnales non percipiunt ea, quæ sunt Spiritus Dei, videtur infringi vis argumenti, in principio facti, quo probavimus illum, de quo hic agit Psalmista debere intelligi, quod sit homo Deus, ex eo quod dicat, Ascendit Deus. Respondeo per Deos intelligi posse homines, siquidem per Deos intelliguntur etiam Idola, quæ certè minus sunt, quam homo, quia, ut ait Apost. Idolum nihil est, per Deum autem in singulari, & sine addito positum, in toto veteri Testamento, solum verum Deum intelligi posse, nisi inferatur manifesta violentia textui; persistit igitur argumentum, nec in sola nititur dictione, sed significati veritate, ut clarè constat ex ipso Psalmi hujus contextu.

Plura quidem de glorioso hoc mysterio, in aliis quoque Psalmis ad litteram dicuntur, sed adeò ad litteram, ut non sit opus explicatione. Sufficiat igitur hoc sic prælibato, cæteros Prophetas cursim, an aliquid ad litteram de Christo protulerint clarè, & sine controversia, nè opus nimis excrescat, percunctari.

CAPUT IV.

Sapientiales libros prælibans.

ARTICULUS I.

An de Christo ad litteram, aliquid offerat Salomon.

DAvidi patri suo concordat Salomon, uterque Evangelio. Quæ in libro Sapientiæ Christum prænunciarunt, ejusque passionem, hic non notamus, ubi Salomonem interpellamus. Auctor siquidem libri Sapientiæ absolutè non fuit Salomon, etsi vulgus illum ipsi adoptet, de quo fusius suo loco, Deo dante dicemus. Libros igitur, qui procul omni dubio Salomonis sunt inspiciamus.

Proverb. pr. clarè describitur consilium Judæorum contra Christum: *insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contrà innocentem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem &c.* de quo textu inquit Augustinus *l.* 17. *de civitate Dei cap.* 20. *Non ita obscurum est, ut de Christo, & possessione ejus Ecclesia, sine laboriosa expositione possit intelligi. Tale quippe etiam Dominus Matth. c.* 22. *per Evangelicam parabolam, ostendit dixisse malos colonos. Hic est Hæres, venite occidamus eum &c.* Notandum verò, quod etsi Judæorum consilium, in Concilio, sub aliis terminis referatur in Evangelio, quia tamen præsens prophetia, & sensum ipsum judaici consilii, & factum seu effectum simul prædicit, ex eo, quod per factum se prius sensisse, & machinatos esse ostenderunt, prædicit sub figura consulentium, quidquid mente insidiosa prius statuerunt, & frustratam eorumdem malitiam simul describit perfectissimè, epilogum includit prophetiæ.

Proverb. *cap. 9. Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum &c.* non multis ibi est opus, ubi clarè admodum agnoscimus Dei sapientiam, hoc est Verbum Patri coæternum, in utero Virginis, qui est amplissima civitas Dei, domum sibi ædificasse, corpus humanum, & huic tamquam capiti corpus, Ecclesiam coaptasse, victimas Martyrum immolasse, mensam pane, & vino instruxisse, corpore videlicet, & sanguine suo, prout decebat eum, qui erat verè Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech &c. quæ quamvis videantur potius interpretata fuisse, quam dicta, revera tamen bene considerata ad litteram petunt sic explicari, cum prophetica sint, ideoque ad litteram, de aliquo ejusque factis prædicta, quæ nulli alteri præterquam Christo convenire posse, compertum est.

Ecclesiaste cap. 5., & 7. aliisque in locis observat Augu-

Augustinus multoties commendari mensas, earumque delicias, manducare, bibere, epulari, satiari, in quibus ne sibi contradicat qui prius dixit. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*, aliisque in locis, ubi commendat Scriptura Jejunium, & Flagellum Dei, contra edaces Judæos in deserto describit, sicut in Exodo, & in Psalmis: cum escæ eorum adhuc essent in ore, seu ut alii legunt, in dentibus ipsorum, venit ira Dei &c. Cum Nazarços extollit jejunantes, & sobrios a vino, cum Moysen, & Eliam ad divina mysteria, per jejunum quadraginta dierum pervenisse proponit in exemplum, quærentibus divinorum intelligentiam, cum Sampsonem, ac prius Samuelem jejunii filios exaltat, ne inquam in his, ac similibus, quæ passim in Sacra Scriptura occurrunt sit contradictio, ad ea, quæ Ecclesiastes loco citato collaudat, qui certè concionem suam exorsus est, ex eorumdem detestatione, dicens, *vanitas, vanitatum &c.* oportet necessariò concludere, quod cum mensas, cibum, potum similesque delicias delicatorum extollit, respicit ad Eucharisticam mensam, omni divinæ Sapientiæ, ac charitatis, veluti conatu paratam fidelibus suis, ut sensit idem Augustinus, de Ineffabili hoc Sacramento admirans, Deus, cum sit summe sapiens, plus dare nescivit, cum sit omnipotens, plus dare non potuit, ideoque in eo verum fuit, quod cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, quasi ibi sit finis seu terminus, nostro intelligendi modo, divinæ interminabilis dilectionis.

De toto vero libro cantici canticorum concludit idem Sapientissimus Pater. *Jam verò canticum canticorum, spiritalis quædam Sanctarum, est voluptas mentium, in conjugio illius Regis & Reginæ, quod est Christus, & Ecclesia; sed hæc voluptas allegoricis tegminibus involuta est, ut desideretur ardentius, nudeturque jucundius:* tantam igitur cogimur deserere jocunditatem, brevitate urgente, quam debemus, ne quamvis spirituali, multum voluptati indulgentes, ipsa, quæ tales instituit delicias, quæ æternitatem suspirant, accusante sapientia, tamquam voluptuosi potius quam studiosi damnemur. At quia si omninò jejunos dimittat, deficiemus in via, per paucas quidem, sed suavissimas, ecce propinat situlas Immaculatus fons ipse sapientiæ, liberalis Domina Tesaurorum Dei sui, superdilectissima Virgo Maria.

ARTICULUS II.

Festivè prælibans cap. 4. v. 7. cantici canticorum, Immaculatum textum, de B. Virgine ad litteram, relatè ad Immaculatum Filium ipsius.

PRosilit cor, exultat calamus, propriæque nigredinis obliviscuntur, cum occursu suo mundissimo prælecta divini candoris mater, universa, invincibili super nivem candore, perfundit: disgregat candor visum, amorem congregat, disgregatur hic visus, ut multiplicetur, qui unus numquam sufficit tam immensam apprehendere innocentiam: congregatur amor, ne minor sit, si dispersus accedat, ardentique nive refrigeratur visus, cor exardescit, mensque, & spiritus superexultando fæliciter deficiens, quominus sentit, magis sapit, & desinens quasi esse, beatur. Ast quorsum hæc? ne damnet quæso Sapiens, quod amor concedit, ne spernat legens, calami levitatem identidem quasi evolantis; sic movetur, exultat, volat, quia vellet, ah nimium, sed numquam satis audax, immaculatis candidissimæ columbæ pennis, ut demum beatè quiesceret, immisceri. Canit interim ei sponsus, canit, cecinit, canet semper Virgini Spiritus Sanctus: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Pulcram dixit, non pulcherimam, ut semper haberet, quod adderet huic laudi in æternum, si enim pulcherimam dixisset, unico laudem suam voluisse concludere, suspicari quis posset, elogio, quod statim pervenisset ad summum. Pulcram dixit, ut ad id, quod sequitur animum traheret audientis, in quo tota divini Encomiastis triumphat invincibilis energia. Pulcram dumtaxat, quia tota summaque pulcritudo, immaculato ejusdem supervestita candore, gaudet delitescere, sicque ne umquam delitescat abscondi. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Littera hæc est singularis, quæ non occidit, eam quippe annunciat, quæ numquam occidit. Littera est superabundans spiritu, eam enim prænunciat, in quam, super quam, ne dum venit spiritus, sed supervenit. Repleverat eam jam ante interius, *gloria* videlicet *filia regis ab intus*, eoque excrevit impletio, ut superveniret exterius, & totam pulcram sine macula, ut maculosis Filiis Adam, tantum ferre non valentibus immaculati candoris splendorem, absconderet, umbris supervestivit divinis, eodem videlicet, quo Deus ipse paludamento, qui lucem habitans inaccessibilem, posuit tenebras latibulum suum, dixitque, ut habitaret in nebula; decebat namque tantum opus ineffabilis Incarnationis delineari, similibus umbris, ut divina ex umbra disceret Virgo, Deo corpus effingere. Immò sic immaculatum celebratum est opus, cujus prima linea fuit Virginis præservatio, umbra quædam divinitatis, ut inde digno sibi, circumdaretur corpore Deus, eademque linea protracta est ab Immaculata Matre, ad Immaculatum Filium Dei, ut ad Matris exemplar, in ejus utero meditaretur emundationem totius humani Generis ab omni macula, cum novo quodam nascendi genere postmodum non a tenebris sicut cæteri ad lucem, sed a mundissima luce singulariter prodiret ad tenebras mundi hujus, tenebrarum harum. Hæc & innumera propemodum supra nos omninò elevata mysteria recinit Sponsæ suæ Spiritus Sanctus, cum dicit. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te:* ne autem quis putet panegyrim nos hic texere extra præsentis operis morem, & institutum, prætiosissimam quæso, æqua si valet lance libret Spiritus Sancti sententiam, qua nos feliciter supra nos rapimur, & id suppleat, quod nobis deest. Videat, an ex hactenus dictis intenta sequatur assertio, quod videlicet ad litteram de sola Virgine Dei illibatissima Matre relatè ad Christum hujuscemodi præconium sumptum per modum absolutæ sententiæ possit intelligi. Positivo igitur more procedendo, sic facilè probatur, quod jam

certè

certè supponere debemus, ne ipsa apparens dubitatio, quam fingit Theologus in veritatibus manifestis, ut disputet, sit in præsenti imaginariæ quædam maculæ species, quam eliminandam omninò a tota pulcra constanter tuemur. Canit igitur Spiritus Sanctus de Immaculata Deipara *tota pulcra es amica mea, & macula non est in te*, ibique certè in Deipara respicit litteraliter Christum, si enim caro Christi, ut notat Augustinus, est caro Mariæ, mutuantur sibi invicem Mater, & Filius encomium, communisque utrique illibata laus, utrumque exaltat in alterutro, vel in utreque tamquam in uno. *Tota pulcra:* totum componitur ex partibus invicem coaptatis: Porrò Filius primò conceptus, est pars Matris, ergo qui Deus est, fuit pars Mariæ, ne pulcriorem umquam imagineris. Quale totum, cujus Deus elegit partem esse? quæ aliarum Virginis partium coaptatio ad invicem esse debuit, ut huic parti, quæ plusquam totum est omnis boni, valerent adaptari, ut idem esset, & bonum, & pulcrum, quod secundùm philosophum sæpe coincidit. Minus igitur, quod dici potuit hoc fuit, quod dictum est. *Tota pulcra es amica mea &c.* Fortene ergo ubi tanta, & tam inexplicabilis pulcritudo est, macula erit? Fortè macula in ea, ad quam solus ille, qui lucem habitat inaccessibilem omnibus, prætermquam Mariæ, ad quam, in quam; & in qua sola, tam intimè Deus accessit? Si ipse pars ejus, pars mea Dominus dixit anima mea, si inquam pars ejus secundùm leges, ad quas spectat, maculas, & peccata discernere? Si in ea macula, ergo macula in toto, quod ex partibus constat, eisque tribuit, quod sint, sicut ab ipsis, & ex ipsis, & cum ipsis est, totum: Si ita est, quis jam concedat Filio, quod sit speculum sine macula, speculum utique in se habens, & ostendens partes omnes sui totius, & imago bonitatis illius, utique Patris, utique & Matris, verè quippe secundùm Fidem ortodoxam, utriusque naturalis est Filius?

Gratia plenam invenit Angelus, qui ei dixit *Ave gratia plena*, ergo tota, aliter quomodo plena exclusione peccati (gratia siquidem, ut norunt omnes, exclusio peccati est) si in aliqua parte admisit maculam? Tota ergo pulcra, tota amica, tota sine macula: si aliquando vacua, jam numquam plena, hoc enim ei defuit, quo constituitur plenitudo, quæ si aliquando non fuit, numquam est; si cæpit, replebilitas fuit, non plenitudo, & certè gradum non habet, quod essentialiter importat adæquationem, Ave gratia plena; hoc est nisi vera fuerit in omni instanti a parte ante tota exclusio turpitudinis, & maculæ, vel in re, vel in jure, quæ est totalitas, & plenitudo pulcritudinis, quę totam pulcram, quando est, constituit, neque verum fuit, quod salutante Angelo plena gratia supponi deberet, saltem ex hoc; quia non plena est cui deficit primum, sicut nec totum, quod aliqua parte caret.

Confirmatur: consonat namque Angelo Apostolus: ille inq. Ave gratia plena, hic explicat plenitudinem: at ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere: Fit ergo ex

A muliere, quæ est gratia plena: qua plenitudine, plenitudine temporis, cui si deficit vel instans minimum, vel primum illud sit, vel aliud, non est plenitudo, quæ vacuum quid admisit, nec umquam reparabitur similis defectus plenitudinis, quia tempus quod transiit, nulla suppletur potentia, quæ ad præteritum nulla datur. Ne dicas. Gratia excludit peccatum, non maculam, sic enim petis principium, iterum autem sic respondemus Verum est, si dicis de gratia secundùm se ordinaria utcumque. Ast ubi repletiva est formaliter, nihil vacuum gratia, esse potest; ubi plenitudo Gratiæ adæquata est (sine vel addito, vel diminuente, ut in nostro casu, cum omninò absolute profertur) ibi concurrit cum plenitudine temporis, sicque æternitas ambiens utramque eodem Immaculato sinu, maculam omnem

B excludit, quæ si fuisset, jam extra æternitatem tempusque fuisset, quod est impossibile, & ratio est, quia certè macula supponit aliquod peccati genus, ex quo relinquatur: constat autem, quod ubi explicata dominatur gratiæ plenitudo, nullum vel minimum tempus, aut instans relinquitur peccato, ergo eodem contextu, quo gratiæ plenitudo, quia fuit, & temporis plenitudo, peccatum arcuit in omni instanti, & maculam pariter prohibuit in omni instanti. Quis enim nesciat, quod plenitudo simpliciter talis consistit in indivisibili ex parte rei repletæ, vel anima sit, vel tempus? crescere quidem potest in qualibet parte, quam replet, sed replet antequam crescat, & ubi repleta crescit, super replet, ut notat Bernar. super missus: crescet itaque

C Gratia, non formaliter in se plenitudo, si plenitudo est, ergo tota pulcra, semper pulcra, semper tota, semper sine macula, amica, immaculata; semper Virgo ante partum fuit Immaculata, nemo fidelis refragatur, ergo quando concepta; quandò ante partum, ambit omne quandò, quod partum præcessit: Virgo Immaculata in partu, ergo semper, quia partus ejus semper est partus, quia æternus Filius æterni Patris, non quidem quod ipsa illum pepererit semper, sed quod ratio quare fuerit Immaculata fuit partus ille, qui semper est, ideoque semper ratio fuit, est, & erit, quod ipsa semper fuerit Immaculata in ipso, immò magis Immaculata, si dicere liceat, fuit antequam esset, quam cum fuit, tunc enim erat Immaculata in ipso, de quo dicitur tenebræ in eo non sunt ullæ. Virgo

D Immaculata post partum, ergo semper ipsa, siquidem cum sit creatura, semper fuit posterior eo, qui est partus ejus, quique increatus est Filius Dei, primogenitus ante omnem creaturam, ergo tota, & semper in sensu plenissimo jam explicato: si enim assignatur aliquod prius, in quo non erat Immaculata, hoc fuit extra æternitatem partus sui, si aliquod prius imaginaris, in quo Immaculata non erat, ergo nullum datur posterius in quo fuerit, nam carentia maculæ secundùm se non mensuratur a tempore, sed a perpetua exclusione peccati, sive in re, sive in jure, ecce ergo quam pulcrè, quam semper tota pulcra, amabilis, amica, Gratia plena in æternum: Hæc (jam clarissimè constat) de sola Dei Matre, electissima Virginum, æterna Virgine. Æterni Matre sola verificantur, & quia

rela-

relativa sunt simul natura, & cognitione, si hæc ad litteram de Matre dicta sunt, eadem ad litteram, amantissimum indicant Filium ejus: Ita sentiunt PP. & cum ipsis Ecclesia, unde Augustinus *lib. dr Natura, & Gratia cap. 36. rxrepta Sancta Virgine Maria, dr qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus Gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum &c.* ac similia habet Concil. Triden. sess. 6. can. 23. ipsaque Virgo, qua nullum excellentius testimonium, hoc de se ipsa fatetur canens, Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo, ac prius apud Isaiam, ut bene notat. Petr. Galat. l. 7. *de arcanis Catholicæ veritatis cap. 5.* sic dixerat: *Gaudens gaudebo in Domino* (gaudium est de bono possesso) *& exultabit anima mea in Deo meo* (hæc quidem de futuro, sed nota, quod sequitur est de præterito, quia antequam esset, jam fuerat præservata) *quia induit me vestimentis Jesu, & indumentis Justitiæ circumdedit me*, ubi pro ly *salutis* Hebræi legunt *Jesu*, ob hoc insigne mysterium, quia nempe Maria induta semper fuit vestimento Filii sui, scilicet Maternitate Dei, cujus dignitas eam circumdedit totam ex omni parte, sicut vestimentum, ne, sic quasi divinitate indutam, macula auderet attingere.

Nec refert si primò opponas plures ex PP. sentire, locum hunc ad litteram intelligi de Ecclesia Sponsa Christi, quam ipse sibi elegit non habentem maculam, neque rugam, juxta phrasim Apostoli ad Eph. cap. 5. hoc enim non obest, quis enim nesciat plures etiam litterales sensus in eodem loco Scripturæ reperiri, quod & nos suo loco ex professo ostendemus? Adde eam PP. interpretationem quoad hunc locum, mysticam esse de Ecclesia, ut intuenti constabit, at de Virgine litteralem, quia propheticam, immò, & historicam, enunciat siquidem æternam ejusdem præservationem, quæ etiam tunc præsens erat, eaque duratio pars erat plenitudinis temporis, & totalitatis superius explicatæ, cui convenit; *Tota pulcra es, & macula non est in te*, maximè quoad hanc secundam partem, quia quæ negativa sunt, superant tempus, si absolutè pronunciantur, ut in præsenti cum dicitur, *& marula non est in te*, ast demus Ecclesiæ litteram hujus loci, ex hoc ipso fortius inferemus, ergo potius stat pro Virgine, atque adeo PP. omnes de Virgine ipsum intelligunt, etiam qui de Ecclesia eumdem interpretantur: clara est illatio, nisi enim Beata Virgo talis esset, nec Ecclesia talis esset, immò per ipsam est Ecclesia, quæ est ejus Filia, & quia Filia ejus, est hujuscemodi digna encomio; constat, nam illa est Mater corporis, quæ est Mater capitis; Beatissima Virgo est vera Mater capitis sive triumphantis, sive militantis Ecclesiæ, scilicet Christi, ergo totius Mater est corporis, ergo in ipsa prius tota fuit Ecclesia, quam in se ipsa, ergo prius ipsa Virgo tota pulcra, tota sine macula, idest non habens maculam, neque rugam vetustatis, nam propter quod unumquodque tale, est illud magis.

Confirmatur: maculam hanc habuisset Ecclesia, si Beatissima Virgo ipsius Mater non prius tota pulcra, tota immaculata fuisset, quod nempe maculatam Matrem haberet, ex qua adhuc intimior macula argueretur in ipsa Ecclesia, quia ubi Mater maculata est, facilè in similitudinem Matris, maculari solet, & Filia, quæ in similitudinem Matris procedit, unde sicut nos Filii prævaricatoris Adam, & peccatum ejus cum aura ipsa haurimus, & iterum in similitudinem Patris peccatoris, peccata alia committimus præter illud, quod ex traduce in nos descendit, ita & Ecclesia Filia Virginis, ut ostensum est, nisi eadem omninò immaculata fuisset, & maculam matris ferret, & ex ea ferretur in reliquas, quibus deturpata, monstrum esset, quia corpus maculosum, sub immaculato divinoque capite Christo, quæ omnia omninò absurda, vera fides orthodoxa non tolerat.

Sed dices contra omnia hactenus a nobis deducta, & probata, ac potissimum adversus hanc illationem, & confirmationem, retorquendo instantiam: certè ex communi sententia, cui nemo refragatur; Beatissima Virgo matrem habuit originali culpa maculatam, ergo quæcumque hactenus intulimus evidenter corruunt, & retorquentur. Respondemus negari non posse antecedens, & magnam difficultatis apparentiam, quà quidam non modicum terrentur, sed absit, ut immaculatæ conscientiæ veritatis, timendo derogemus, negamus igitur, & propositam, & omnem in ea contentam paralogisticam consequentiam, est enim diversitas summè notabilis, inter Virginem comparatam ad Christum, & Ecclesiam (qui respectus ab ea præscindi non potest, cum sit ex præordinatione æterna, & substantiali titulo Matris Dei, completè considerato secundùm omnia, quæ exigit ex suo conceptu antecedenter, concomitanter, & consequenter) & inter progenitores ejusdem: Usque ad Annam nulla assignari potest interruptio noxæ originalis, sive propagationis ejusdem, nullum enim principium hujuscemodi interruptionis valet assignari: ast inter Annam, & Mariam mediat Incarnationis decretum, quod nempe ex ipsius individuali, ac omninò sibi proprio sanguine, Spiritus Sanctus psalmaret corpus Filio Dei: Mediat Filius Dei, sibi eligens, & formans aptatam sibi seque dignam matrem. Mediat Pater mittens Filium suum, & intransitivè eumdem constituens Filium Virginis, ex Virgine; mediat tota Trinitas, novum ordinem rerum, hypostaticum videlicet, incboans, in ipsius Virginis substantiæ productione, quæ immediatè ministraretur ipsi Verbo Dei, & transiret in ejusdem suppositi, quod Deus est essentialiter, unitatem: Ecce quam impertransibilis distantia inter Virginem, & Annam, inter Virginem, & peccatum, ecce quam nulla inter Annam quando concipiebatur, & peccatum, quod nulla hactenus interruptione detentum, nondum ordinis hypostatici inchoata executione, debaccabatur. Dicamus igitur clarè ad instantiam: Beatissima Virgo se habuit tamquam principium passivum, ex quo, & in quo incipere debebat ordo hypostaticus, ideò tamquam aliquid

verè

verè superius ad ordinem, & naturalem, & supernaturalem, commensurari non debuit quoad sui Immaculatam superioremque perfectionem, cum naturali Matre, quæ in altero infimoque statu quoad se recensebatur, sed potius cum Filio, qui solus inter omnes Filios, Matrem antecessit æternitate, ac divinitate, vel ex parte effectus, cum Gratia ordinem hypostaticum præparante, per hanc enim potius, quam per deficientem naturam formabatur, & elevabatur ad rationem principii ineffabilis ordinis prædicti. At Ecclesia ideò respicit Virginem tamquam propriam Matrem, quia tamquam verè Matrem proprii capitis, videlicet Christi, a quo totam habet dignitatem, & Gratiam, ideò cum ejus perfectione commensuratur, cum sit in superiori ordine Filia ipsius, non variando, non interrumpendo, non incipiendo novum ordinem, sed sistendo in proprio. Evidens igitur diversitas, & assertionem firmat, & probationem, cui insistimus.

Probatur secundo magis unitur Christus cum Beatissima Virgine, quam cum Ecclesia, atqui ratione unionis Christi cum Ecclesia, hæc dicitur ab ipso electa, non habens maculam, neque rugam, ergo magis propriè hoc dicitur de Beatissima Virgine. Prob. major. Unio Christi cum Matre fuit naturalis, tamquam veri Filii cum vera Matre; ideò fuit unio accipientis ab ipsa naturam, quam assumpsit, & caro quæ in Incarnatione cæpit esse Christi, ea est, quæ immediatè ante erat verè caro Mariæ, magis quam in alia qualibet generatione, & singulariter, quia sumpta fuit de sola Virginis substantia, nulla alia creatura, quidquam proprium ministrante, aut quomodolibet participante in ista ministratione, quod non contingit in cæteris Filiis, respectu matrum, cum solus Christus conceptus fuerit de Spiritu Sancto absque humano Patre, & non per creationem novæ Materiæ, ut fingebant Hæretici, sed per veram communicationem, & ministrationem purissimi sanguinis Virginalis proprii solius Virginis individualiter, sicut sentit Ecclesia, & statutum est in Concilio Ephesino, sicut & prius in Niceno: unio verò Christi cum Ecclesia, est vera quidem, sed mystica, & permodum influentis per Gratiam, assistentis, & docentis per illuminationem, & Fidem, & communicantis Spiritum Sanctum, adhoc ut in similitudinem quamdam mysticam, sicut B. V. concepit de Spiritu Sancto filium suum naturalem, ita Ecclesia Spirituales quotidiè filios adoptionis parturiat, ergo multò major est unio Christi cum Virgine, quam cum Ecclesia, ergo magis dedecet macula quævis in Virgine, quam in Ecclesia: sicut enim peccatum separat a Deo, & quo majus, eo magis separat, ita proportione servata, macula, quia vestigium quoddam peccati est, quo major, magis, & semper absolutè arcet a summa uniformitate cum Deo, quoad exclusionem videlicet deformitatis, ideoque & ab intimiori unione cum Deo, ad quem macula non appropinquat, ergo quo major unio, eo distantior macula est, eo & major pulcritudo, quæ contradictoriè & omnem, & aliquam quamvis minimam

A anichilat deformitatem, ergo qui dicunt hunc textum ad litteram esse de Ecclesia, eo ipso probant, cum majori proprietate, divinæ, summæque Immaculatæ semper Virgini convenire.

Confirmatur: Apost. ad Corinth. loquens de Sponsis; erunt, inquit, duo in carne una, subditque, *mysterium hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, nempe quatenus Ecclesia est Sponsa Christi, quam propria nutrit carne in Sacramento Eucharistico, ex quo sunt, quasi duo in carne una per Mysterium, & Sacramentum, in cujus presignationem in Cana Galileæ, cum vocatus esset ad nuptias, aquam vertit in vinum ipsa Virgine prærogante, veluti hujus pronuba Sacramenti: unde canit Ecclesia hujuscemodi celebrans Mysterium: hodie cælesti Sponso juncta B est Ecclesia: atqui non per Mysterium dumtaxat aut Sacramentum, sed per veram, & physicam realitatem prius verificatum est de Verbo Incarnato ex Virgine, in Virgine, quod erant duo in carne una, cum nempe Virgo Christum concepit; & qui nutrit Ecclesiam, nutriri prius dignatus est Virgineo sanguine, & lacte, ut ex eo adolesceret, quo postmodum Ecclesia Sacramentaliter pasceretur, ergo a fortiori, & potiori ratione, de Virgine dictum est, quod de Ecclesia prædictum asseritur. Hinc SS. PP. describentes Ecclesiæ corpus, caput Christum, collum Beatam Virginem mysticè adumbrarunt, ut noscamus cum Bernardo, quod Deus totum nos habere voluit per Mariam, & cum Ambrosio, quod si caput mulieris vir, caput C Virginis Deus: ergò nihil in hoc toto, Deo ejusque Influxui, ex quo omnis Innocentia, & Gratia, proximius est, Sanctissima Immaculata ejusdem Matre, ut per ipsam ad nos transiens Dei Gratia connaturali sibi modo per ejusdem Innocentiam, ad nos deferat Sanctitatem. Accedit ad hæc quod Præter PP. qui hunc textum dicunt intelligi litteraliter de B. V. relativè ad Christum, sicut Rupert. Ugo Victor. Galat., & alii, etiam PP. qui non negant de Virgine, sed de Ecclesia asserunt intelligi, eas adducunt rationes, quæ omnes per se primo Virgini cum proprietate conveniunt. vide, quæ Hieron. l. 8. in Ezech. August. lib. primo Retract. cap. 19. Theodoretus, Justinus: Orgiletan. ad hunc locum; Ambros. lib. primo de Virginibus. Aliqua tantum prælibamus, ne D opusculum nimis excrescat. Ambros. loco citato. *Pulcritudinem, quis potest majorem æstimare, decore ejus, quæ amatur a Rege, probatur a Judice, dedicatur a Domino, consecratur Deo, semper Sponsa semper innupta, ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor: hæc profecto vera pulcritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire a Domino. Tota es formosa proxima mea, & repræhensio non est in te:* an magis Virgini, an Ecclesiæ, de qua hæc dicuntur conveniant, Judicet Lector. Theodoretus verò: *Immaculata* inquit, *& pulcra evasit Sponsa, quia propinqua Sponsi effecta est, atque ita omnes splendores suscepit, & lucida ex ipsa luce reddita est.* Ita Theodoretus ad hunc locum, quæ si Beatissimæ Virgini, quæ Filia est Dei Patris, Mater Dei Filii, Sponsa Spiritus Sancti applicentur, vix

minimum quid, de ejusdem Immaculata totalitate contingunt. Pulcrè inter cæteros, de pulcritudine ista concludit Rupertus ad hunc locum, cujus sensus est, Verba hæc esse Christi ad Virginem dilectissimam Matrem suam, quibus pulcritudinem ipsius, manifestissima prædicatione promulgat post Ascensionem suam ad Gloriam Patris, quamvis enim Beatissima Virgo semper tota pulcra, & Immaculata fuerit, hoc tamen magis apparuit, post Christi Ascensionem, quia complementum ipsius pulcritudinis fuit, quod Christus ejus Filius, cum tanta Gloria sedeat ad dexteram Patris, ex hoc enim magis constat, quomodo ipsa pulcra, ipsa sine omni macula fuit, quæ tam intimè tam proximè summo Patri, communi etiam sibi, appropinquat, adhæret in Filio. Quod si tantum ex dignissimo Filio Deo, ex quo processit tanta gloria Matris, procedere potest ejusdem Immaculatæ Sanctitatis præconium, parce humilima, parce summa, parce super omni amore superdilectissima Mater, si pollutis labiis, immaculatam te audeac peccator asserere, hoc enim timere debuit, ne purissimæ rationes ex divino haustæ fonte, quas prælibavimus, per maculas transeuntes scribentis, obscurent id, quod concludunt, id quòd omnibus cordibus imprimere, si vel sanguine daretur summum foret privilegium semper Generosi, at semper imparis amoris nostri. Hæc pro nunc, sed non satis.

ARTICULUS III.

An sit ad litteram de Christo, libri Cantic. cap. 3. Vers. 11. Egredimini Filiæ Sion, & videte &c.

ORdinem potius mysteriorum, quam capitum, seu locorum servantes a cap. 4. Cantic., ad caput tertium regredientes progredimur. Ubi occurrit elegantissimi cantus regale Mysterium. *Egredimini*, inqu., *Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* De Christo hanc litteram esse communis supponit intelligentia, de quo autem Christi facto, seu mysterio procedat, non omnes concordant. Primum ex eo patet, quod hæc littera certè, vel Salomoni debet convenire, vel Christo, at non Salomoni, ergo Christo. Major ex ipso contextu clara est, prob. minor, quia nec Salomon hoc diceret de se ipso, immò ex ipso dicendi modo, refertur ad alium, nec invenitur quando, aut quomodo Mater ejus Bersabee Salomonem coronaverit, in die desponsationis illius, ergo non de ipso hæc littera est, sed de Christo, cui qnoad omnia congruit in facto, secundum DD. unde Salomon cum hic sumni nequeat pro Salomonis persona, non sumitur tamquam nomen proprium, sed appellativum, idest Rex pacificus, quod per se primo competit Christo, ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum: Hoc posito quod primum, ut quòd occurrit referamus, ad satisfaciendum secundæ parti quesiti. Non incongruè immò

A rationabiliter dicimus, quod hæc littera respicit cum proprietate passionem Christi, quam describens Evangelista ait: *Egressus ergo est Jesus portans coronam Spineam, & purpureum vestimentum, dixitque eis Pilatus: ecce Rex vester*: Postmodum autem, cum ducerent illum ut crucifigeretur, videntes eum Judeæ Mulieres, crucem suam bajulantem, de qua dictum fuerat per Prophetam, cujus imperium super humerum ejus, & spinea corona compunctum, muliebri quadam pietate, ut moris est fæminarum, in clamores, & lacrymis profundebantur: quibus Jesus, quasi dies illa esset dies lætitiæ, amoris, & cordis ejus, si non corporis, diesque desponsationis, ad quam respexerat in nuptiis Canæ Galileæ, cum respondit Matri suæ, nundum venit hora mea &c. lamentationem illis

B prohibuit, & fletum dicens: *Filiæ Jerusalem nolite flere super me, sed super vos, & super Filios vestros.* Tunc igitur verificatum est, quòd egressæ sunt Filiæ Jerusalem, sicut hoc loco invitabantur, ut viderent Regem Salomonem in diademate.

Sed dices, in eo quod præcipuum est hæc deficit intelligentia, quomodo enim spinis coronavit eum Mater sua, Amantissima Virgo, cujus animam doloris gladius pertransivit, cum spinea corona Filii caput afflixit? quæ peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, oh quam longè ab ea, dolus ille fuit, cum nequissimi rebelles clamabant, *Regem non habemus nisi Cæsarem*, cœlum autem Jesum spinis coronabant? Respondeo quod nemo Catholicus hoc dicit, quod blasphemum

C est, & tamen intelligentiam litteræ, quæ optima est, ut cæpimus, tenemus. Ad cujus intima, subtiles spinæ penetrantes, nos ducunt. Ita namque immanissimę spinæ, divinum caput terebraverant, ut jam sanguine plenè imburæ cujus copiam erudeliter exsuxerant, ac ebiberant, potius corona sanguinea quam spinea viderentur: Si enim ut plures autumant, Marinis intexta erat juncis, quorum natura est rrahere, ac ebibere humorem, quem tangunt, ejusque colorem induere, sanguineum caput, sanguineum erat diadema, sanguine gemendum, sanguine undequaque gemens, & quia sanguinem illum purissimum ex Matris suæ regiis immaculatisque venis assumpserat, ideò videbatur illud ipsum diadema, quo coronaverat eum dulcissima Mater sua, in die desponsationis illius, cum

D sibi videlicet in Incarnatione humanam despondit naturam, quæ fuit ipsi totique naturæ, & gratiæ verè dies lætitiæ, quia natus erat Deus homo in mundo, quia Immaculata proximius delectabatur Matris suæ puritate, quia Angeli tum cecinerunt Gloriam in excelsis Deo, & in terra pacem Deo cum hominibus, quæ eatenus incognita exulaverat, quia pastoribus annunciatum erat gaudium magnum, ex eo quod natus esset Salvator Mundi: Quamvis autem sensum hunc sub hac expressione in terminis, apud PP. nondum invenire licuerit, implicitè tamen, & per partes apud ipsos, & in revelationibus Sanctæ Brigittæ, & in ipso textu non obscurè latere videtur, uti studiosus inveniet: ne tamen huic tantum cogitatui nimis fidere videamur, breviter alios quorumdam PP.

PP. dabimus sensus. Tertull. de corona milit. prope finem, pro Matre, quæ Christum spinis coronavit intelligit Sinagogam, cujus secundum descendentiam Christus Filius fuit, eumque plures sequuntur; qui sensus reverà non est mysticus, sed litteralis, ut patet ex addito. Bernar. ferm. secundo de S. Epiphan. Matrem hanc dicit esse humanam naturam peccatricem, qui sensus aliqualiter a litterali consurgit. Athanaf. Oratione de Passione, & Cruce Domini pro hac Matre accipit terram, olim damnatam, ad spinas, & tribulos producendos, & hanc assignat causam lætitiæ cordis ejus, quod videlicet sic delebat maledictionem illam, per quam damnata fuerat terra ad spinas germinandum. Sed & rursus in alio sensu plures accipiunt hunc locum, quamvis voce de Christo, non referentes ibi dicta ad spineam coronam, sed ad humanam naturam, qua coronavit cum Mater eus in die Incarnationis, quia factus est de semine regio, Filius David, unde prævidens tam grande miraculum, ut est Deus homo Rex noster, exclamavit hic Sponsa. Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem &c. Ita Athanasius in Synopsi, agens de hoc libro. Ambros. *libro de Institutione Virg. cap. 16.* dicens. *Beatus Mariæ uterus, qui tantum Dominum coronavit, quando formavit; coronavit, quando generavit, quia etsi eum sine aliqua sui operatione humana formavit, tamen hoc ipso, quod ad omnium salutem eum concepit, & peperit, coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit, ut per Fidem credentium fieret omnis viri caput Christus*: similiter Philo, Cassiodorus, Beda, & Gregorius Magnus, qui hoc loco sibi opponit: *cum diadema pro Gloria assumatur, in humanitatis autem susceptione non gloria Verbi Dei, sed humilitas esse cognoscatur, quomodo humanitate nostra, quasi diademate Christus coronatus dicitur? Respon. eum ipsa Christi Incarnatio verè gloria nostra fuerit, quia membra ejus sumus, propter communionem corporis diadema membrorum, benè capitis corona esse prædicitur*. Bernar. *in serm. Epiphan. ad Angelos* ait. *Ecce Rex vester, sed in corona nostra, in corona, qua coronavit eum Mater sua, sed his deliciis usquemodo caruistis, habetis sublimitatem ejus, sed humilitatem ejus non vidistis. Egredimini ergo.* Consultò autem similibus aliisque expositionibus non insistimus, quia quamvis sint ad litteram tamen mysticæ videntur. Quæ verò in hoc textu Eucharistiam intelligi contendunt, aut alia mysteria, prolixam exigunt indaginem. Videantur, si placet Expositores.

CAPUT V.

Prophetales libros prælibans.

CUM non sit præsentis propositi, quæcumque in Veteri instrumento, de Christo ad litteram dicta sunt, examinare, sed prælibando præcipua quędam excurrere, nil mirum, si alios Sapientiales libros omittimus, quos tamen non vacuos similibus prędictionibus certò supponimus. A diligentiori inquisitione, quoad Sapientales libros, nos excusat ipsa Sapientia in Evangelio, cum ait, plura de se scripta esse in libris Moysis, Psalmis, & Prophetis. Priora vidimus, nunc a Prophetis vocamur.

ARTICULUS I.

De Prophetia Isaiæ in genere, & quoad aliquos speciales Textus, an sint de Christo ad Litteram.

SI studii, ac temporis angustia, si presentis instituti limes concederet, universa quę de Christo ad litteram prænunciata sunt perscrutari, aliquam eloquentissimi hujus prophetæ sententiam, preterire piaculum esset: unicum hoc ęnigma in tota ejus apparet prophetia, quod prophetia dicatur, quę revera quoddam prevangelium Christi, sublimi stylo predicat, & declarat, ex quo explicatum intelligitur illud Apostoli, *Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula. Ad Hebr. cap. 13.* nam Evangelium ejus, & antequam esset, scilicet heri per Isaiam, & hodie per quatuor Evangelistas, & in sęcula semper, per omnes simul insonuit, insonat, insonabit. Hinc merito Doctor Maximus *in proæmio ad Isaiam*, sic inquit, *exponam Isaiam, ut illum non solum Prophetam, sed Evangelistam, & Apostolum doceam. Ipse enim de se, & de cæteris Evangelistis ait. Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona, & ad ipsum quasi ad Apostolum loquitur Deus. Quem mittam? & quis ibit &c., & ipse respondet; ecce ego mitte me.* Quid ergo? ut breviter simul, & luculenter, ac efficaciter probemus intentum etiam in hac parte, unicum ponimus assertum. Totus ferè textus Isaię, de Christo, ejusque Mysteriis, aut ipsum, ipsąque prenunciando, immò pronunciando, & describendo, aut infideles Christo Judęos arguendo; ad litteram est. Hujus autem prima probatio est ipse textus, secunda est auctoritas Ecclesię, quæ toto tempore adventus illo utitur ad celebrandam divinę expectationem Incarnationis. Tertia Auctoritas Doctoris Maximi, superius adducta, ejusdemque expositio, in qua sicut promisit, ita fideliter ipsum exposuit, veluti quoddam prevangelium. Pro quarta verò probatione, stabit prelibatio, seu potius commemoratio unius, aut alterius celebrioris vaticinii, ex pluribus de tota hac tam insigni prophetia delecti.

ARTICULUS II.

Quinque Capita Isaiæ brevi intuitu excurrens.

CAp. primo Vers. tertio. *Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit.* Ita Precursoris Precursor ipsum prevenit, & ubi ille viam Domino paravit in Eremo, hic eidem Domino presepe paravit in antro,

antro, illique libero pede prçcurrit, qui se indignum fassus est solvere corigiam calceamenti ejus, jumenta facilè perduxit ad Dominum, cui alter genimina viperarum subiicere conatus est. Prævidit ergo Isaias in medio duorum animalium jacentem Dominum Angelorum, Dominum Cçli, & terræ, ideò ad Cçlum, & terram omniaque in eis, clamavit. *Audi Cælum, & auribus percipe terra: cognovit bos &c.* collibravit sic Jumentis populum Israel, isteque comparatus jumentis insipientibus inventus est, utinam saltem minus habens, sed quod pessimum est, nec id habens humanitatis, quo posset eisdem rationabiliter comparare. Hinc quia videlicet Israel non cognovit, multitudo confluxit cælestis exercitus laudantium Deum, & dicentium. *Gloria in excelsis Deo*: Erubuit enim rationabilitas, in solis jumentis posita sibi confinia humanitatis, ubi ad humanitatem divinitas descendebat. Alitu suo vix natum Verbum muta fovebant animalia, & interim turbabatur contra imbellem Regem tota Hierosolima cum Herode, illa spiritum suum toto cordis conatu, nato Deo devovebant, cui spiritum auferre hæc machinabatur, & vitam. Sic videbat Isaias, ideò summo exardescens zelo, scintillas, aut potius fulmina, ex cçlesti corde vibrabat: *Israel autem me non cognovit. Veh veh genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, Filiis sceleratis*, indeque toto capite, ea plane minatur, intentat, pcçtigit, quæ populo omnium iniquissimo postmodum evenerunt, & eveniunt usque in finem: quibus completis subdit: *post hæc vocaberis civitas Justi*, idest Christi, *urbs Fidelis, Sion in Judicio redimetur*, quæ plane Christum intuitu respiciunt manifesto, juxtà quod eadem intelligit, explicatque Hieron:; vel ejus Ecclesiam, & ita communiter interpretes Sacri.

Cap. 2. Vers. 2. Et erit in novissimus diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium &c. usque ad illud, *quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem*. Totum hunc locum multoties adducit Augustinus, contra Judços, & potissimum *oratione secunda cap. 7. Ipse Dominus postquam resurrexit, loquens ad discipulos suos; & ostendens prædicta divinorum eloquiorum in se esse completa, quoniam sicut scriptum est. Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis die tertio, & prædicari in nomine ejus pænitentiam per omnes Gentes; incipientibus ab Hierusalem*, ecce quod prophetavit Isaias, dicens. *de Sion exibit lex & Verbum Domini de Jerusalem &c. Ite nunc ò Israelitæ secundum carnem.* Ità etiam Hieronymus: hçc dicta declarat de Christo, & Ecclesia, sed & in Jerusalem primo fundata Ecclesia, totius orbis Ecclesias seminavit. Egredietur, inquit, ut de illo fonte omnes nationes doctrina Dei significet irrigandas. Addi etiam potest. *De Sion exhibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem*, quia cum verbum Domini exivit de Jerusalem, (nam extra portam crucifixus est Christus) tunc de Sion exivit lex, quia videlicet lex cessavit, & cæpit Evangelium: ad quod significandum clamavit Christus in Cruce, *consumatum est*, hoc est vetus testamentum, & omnes victimas hircorum, taurorum, cçterorumque Animantium, unica Christi implevit oblatio, sicut communiter PP.

Prosequitur verò hoc eodem cap. Propheta, describens pacem, quæ fuit in adventu Christi. *Non levabit Gens contra Gentem gladium &c.* ubi Hieronimus: *cum prima est in orbe terrarum facta descriptio, & Evangelicæ doctrinæ pax, Romano Imperio præparata, tunc omnia bella cessaverunt, & impletus est Angelorum ille concentus: In terra pax hominibus.* Ita consequenter in reliquo ejusdem capitis procedit respectus litteralis ad Christum, & Ecclesiam. Nec refert, quod elegantissimus Propheta in pluribus prophetiæ ejusdem locis, elevato indulgens stylo, qui quantum valet intelligi, altissimis congruit mysteriis, quæ describit, videatur potius mysticam, quam litteralem præseferre, vel exhibere intelligentiam, sic enim videtur illis dumtaxat, qui non discernunt sensum litteralem, vel metaphoris, vel figuris expressum, a Mystico, qui rebus componitur pro verbis, uti sæpè notavimus, & suo loco clarius ostendemus, nec in hoc, cum res clara sit, immoramur.

Cap. 5. v. pr. cantabo, inquit, *dilecto meo canticum Patruelis mei, vineæ meæ*, ubi Hieronym. Quod Christus dicatur dilectus, atque charissimus, 44. Psalmi nos docet inscriptio, quæ est *canticum pro dilecto, & Psal. 67. Dominus dabit Verbum Evangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti dilecti &c.* Hic ergo dilectus canticum lugubre fecit vineæ suæ, quod ego cantabo dilecto, at miserabili populo meo, vel ita intelligendum, cantabo Omnipotenti Deo Patri canticum Christi, qui est Patruelis meus, idest ex eadem mecum gente generatus. Sed hæc patent, ad ea igitur transeundum, in quibus quia præcipua includuntur mysteria, nos sistit aliquantulum Judaica perversitas.

ARTICULUS II.

Pertractans difficultatem capitis 7. ejusdem Prophetę v. 14. Propterea hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel &c.

QUia Hebræi hoc loco, veritatis evidentia convicti, quasi solis nimia percussi claritate cæcutientes manu tentant, ut infęliciter a propriæ salutis, quam tenaciter abhorrent, periculo liberentur, cumque effugere non valeant, calumniantur in litteris sapientiam, & dicunt non ibi legi nomen Virginis, sed pro: *ecce Virgo*, scriptum esse, ecce Juvencula, vel adolescentula pariet Filium, Ridiculum planè miraculum, ac si numquam fœmina peperisset, nisi anus. Dictum ibi fuerat Achaz, *pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra, & dixit Achaz non petam. Sed ipse Dominus Deus ipse dabit vobis signum &c.* certè si bene arguit Achaz, signum illud, quod daret Deus loco duorum signorum, quæ ipsi petenda proposuerat ipse Deus, debebat esse majus, quam quodlibet signum

in

in profundum inferni, sive in excelsum supra, vel debebat saltem utrumque in se uno concludere, sed quod fæmina non virgo pariat, est signum naturale, seu potius effectus ordinarius, naturæ competens sine signo, hoc est sine miraculo, immò potius videretur miraculum, si nulla fęmina parturiret, cum oppositum sit exigitum a natura corruptibili, ut perseveret, nec est in profundum inferni, nec in excelsum supra, sed in terra, immò debitum ex Justitia, ad executionem pęnæ ordinarię, quam Deus inflixit mulieri, cui dictum est, multiplicabo partus tuos, & ęrumnas tuas, dicamus igitur necesse est, quod si hoc signum debet superare duo proposita, vel illa continere, debet intelligi de inaudito, & inassueto partu Virginis, & non de Virgine tantum, sed de hac Virgine, de hoc partu, qui fuit in excelsum supra, quia Virtus Altissimi obumbravit Virgini, *& vocabitur Altissimi Filius*, inquit Gabriel ad Virginem, unde, & ipsa eadem Virgo mater cecinit. *Magnificat anima mea Dominum &c. & in profundum inferni*, quia idem Virginis Filius descendit ad Inferos, & portas ęreas confregit, verè partus, in profundum inferni, idest contra profundum Inferni, quod est superbia, tunc enim Virgo concepit, cum humilis respondit: Ecce Ancilla Domini; ipseque Filius, humiliavit semetipsum usque ad mortem, in qua ait per Prophetam. *Infixus sum in limo profundi &c.* vel contra profundum Inferni, quia redemit, inferni profundo destinatos, & fortem inferorum devicit, ac optima quęque ejus vasa diripuit; ex quo obtinuit nomen grande, super omne nomen dictus Emmanuel, nobiscum Deus, Jesus Salvator, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cęlestium, terrestrium, & infernorum. Ecce in excelsum supra, quia cęlestia declinant, & genuflectunt, ecce in profundum Inferni, nam, & inferna ipsa, si ad tanti nominis majestatem genuflectunt, planè descendunt infra profundum sui, cum sint ipsa profundum. Hoc ergo signum (nam, & nomen signum est) unum utrumque concludit: verè signum, nam positus est hic in signum, cui contradicetur, de Jesu Simeon ait. Signum in excelsum supra, quia dedit illi nomen, quod est super omne nomen, quia exaltavit humiles; in profundum inferni, quia deposuit potentes de sede. Quantum autem ad Hebręi, quod allegant, idiomatis expressionem, eam scrutatur Hieron. illius linguę peritissimus, & denique concludit, quod licet reverà non habeatur in textu, materialis ille terminus Virgo, ita tamen scribitur etiam apud Hebręos, ut de sola Virgine possit intelligi, etiam ab ignorantibus mysteria Fidei, directè enim scribitur abscondita, & alibi etiam talis dictio ponitur pro Virgine, ac ubique, si phrasim Scripturę spectemus, significat incognitam, quod enim absconditum est non cognoscitur, unde sicut cognoscere significat oppositum Virginitati, cum de viro dicitur relativè ad fœminam, ita esse omninò incognitam idipsum est, ac esse simpliciter Virginem, quę a nemine cognita sit, quod clarum est attentis terminis, & eorum usu apud Hebręos, nec mysterio caret, quod Virgo Dei Mater sic explica-

A tur, cum, & ipse Deus dicatur, Deus absconditus; sic enim, vel ipse dicitur, quia Filius a Matre hoc nomen accepit, vel ipsa ita dicitur, quia a Filio nomen derivat, cumque hoc ipsum absconditę nomen a Filio habeat, per quod exprimitur Virginitas, arguitur mirabilis illa connexio Virginitatis, ac Maternitatis divinę, quę nec primam similem visa est, nec habere sequentem: singularissima Virgo, Mater illius, qui solus est essentialiter singularis, ut idem omninò sit Virgo Mater, ac Dei Mater verè abscondita, & ita abscondita, ut Judæis ignota, ex quibus progenita, ut dignoscatur gratiæ potius Filia, quam naturæ ea, quam Gratia adorat, & adornat; & natura, hoc est gens unde nata est, adeo hebes ignorat: ah desinant cæcutire, & credant, nam adhoc, ut sola

B Fides ad tantum pervenire posset mysterium, ideò, quæ & Mater Dei fuit, & abscondita, non carne, sed spiritu intelligi tantum potest, quippe spiritus rimatur etiam abscondita, hoc est occulta Dei, ideò illam populus carnalis ignorat. At quid amplius dubitent Judæi, dum quod nesciunt, legunt se nescire, & causam nesciendi legunt, si enim abscondita, ergo incognita, & immundæ, ac carnali plebi ignota, sic autem clare videntes se nescire Virginem, quia abscondita est, videbunt, quid est hoc, quod nesciunt, quod nempe abscondita illa ipsa est Virgo, quæ concepit, & peperit Filium Deum, quem ipsi in mundi medio crucifixerunt. Credant ergo, nam sicut inter notum, & ignotum quodammodo mediat absondi-

C tum, ita inter scientiam, & nescientiam, quoadmodum stat fides certior scientia: Accedant: inveniant, abscondita siquidem est, ut quæratur, ut ametur, ut etiam non visa nos adjuvet: abscondita, ne majestate, ne luce, si reveletur, opprimat accedentem: abscondita, quia quidquid de ipsa cognoscitur, aut dicitur, minus ipsa est secundum Augustinum, ita est ut ipsa sua sublimitate nostram excuset abjectionem, qui quod non possumus fęliciter debemus, quo magis conamur laudare dignissimam: abscondita denique, sed in mysterio, quia latet in ea, quod majus omnibus est, Unigenitus Filius Dei, & quia ipsa latet in nihilo, quia, inquit, respexit nihilitatem Ancillæ suæ. Verè ipsa signum in excelsum supra, quæ celsissimum cooperit, ac ideò supra. Sed ne am-

D plius ignota sit, erigant oculos, qui eam quærunt, & videant quid est, quod eam abscondit, signum quandoquidem magnum apparuit in cęlo, mulier amicta Sole, quia ipsum circumdedit, ab ipso circumdata est, inquit Bernardus ipsum coronavit, & ab ipso vicissim meruit coronari. Pergit porrò Hieron. & hebræa rimatur penetralia, in quibus est abscondita Virgo. *Dictio enim illa, quæ hic scribitur, significat, etiam apud Hebræos, alma, & hoc ipsum coincidit, cum abscondita sive secreta, quæ numquam virorum patuerit aspectibus, sed omni vigilantia custodita latuerit:* subdicque, *lingua quoque punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè Virgo, alma apellatur, & ut risum præbeamus Judæis nostra quoque sermone, alma, Sancta dicitur, omnium enim penè linguarum verbis utun-*

tur

tur Hebræi , & quantum eum mea pugno memoria numquam me arbitror (scilicet in lingua nulla) alma in muliere nupta legisse, sed in ea, quæ Virgo est, ut non solum Virgo sit, sed Virgo junioris ætatis, & in annis adolescentiæ. Potest enim fieri, ut Virgo sit vetula, ista autem, quæ hic exprimitur Virgo erat in annis puellaribus, ut tamen nubilis esset, denique in Deuteronomio, sub puellæ, & adolescentulæ nomine, Virgo intelligitur ab omnibus. Hæc Hieron. in hunc locum.

De hac verò dictione, quod sincerè Virgo Mater per ipsam prænuncietur, non dubitat Ambros. sed claram esse de eadem ejusque divino partu prophetiam supponit, ut patet *ex tract. de Symbolo Apostolorum cap. 16.* ubi de hoc loco disserens concludit, *de quo signo ; & B. Apostol.* ait : *Judæi signa petunt , & Græci sapientiam quærunt , nos autem prædicamus Jesum , & alibi Dei virtutem, quæ abscondita est in Mysterio.* Idem *de Fide contra Arium l. 5. Generatio hæc inquit Christus , Generatio nequam est , signum quærit &c. signum utique datur non divinitatis, sed Incarnationis, denique de Incarnatione dicturus ait. Pete tibi signum a Domino Deo tuo &c., & concludit. Veh misero mihi , impie disputare audemus , quam dignè rogare non possumus.*

ARTICULUS VI.

Quæstiunculis circa eumdem textum satisfaciens.

ABsoluta quidem sufficientibus numeris præsentis vaticinii videtur declaratio, ac supra institutum nostrum abundans. Sed ubi naturali quodam nexu exurgit obvia interrogatio non est detinenda responsio. Hæc autem est difficultas, seu potius objectio: certè cum sic prophetabat Achaz apud Isaiam, agebatur de Samaritanis, & Assyriis minitantibus populo Dei, a quibus liberari orabat Rex Achaz, qui ergò dabatur pro signo liberationis futura Incarnatio Verbi ex Virgine, quæ complenda erat post tot sæcula, oportet igitur, ut aliqua appareat consequentia, ad aliud factum, signum illud referre, ut non intelligatur de Incarnatione dictum, sed de Ezechia Filio Achaz, ut plures ex Judæis interpretantur.

Resp. diffusè admodum in hac quæstione procedunt DD. Nos tamen breviter respondemus, Incarnationem Verbi ejusque Matris integerrimæ Virginitatem posita fuisse pro signo liberationis de manibus Phaceæ, & Rasin; eo proportionali modo, quo serpens exaltatus fuerat in deserto, in signum salutis, non quidem præcisè significativum, sed causativum, ut nempe sicut aspicientes serpentem sanabantur, ita credentes, & Fidei oculo aspicientes futuram, & tunc propositam Divini Verbi Incarnationem ex Virgine, liberarentur, ut ex tunc Virgo Sanctissima, etiam futura liberaret sperantes in eam, Deducitur hæc intelligentia ex Hieronymo hic cap. 8. *promittitur*, inquit, *Virgo paritura Filium , qui vocetur Emmanuel , nobiscum Deus , qui si crebrò fuerit invocatus, & Samaria subvertetur, & Syria.* Concludit autem generaliter

A. ter Nazianzenus. Mihi enim, & omnibus Christi amatoribus firmissimum, est nullam in illo etiam populo salutem obvenisse, nisi in virtute Salvatoris, sensum damus non verba, vel ulterius considerandum, quod dicit Propheta *v. 16. Quia antequam sciat puer reprobare malum , & eligere bonum, derelinquetur terra a duobus regibus*, nempè in signum, quod tunc Deus parabat liberare eos ab inimicis, ostendit voluntatem liberandi eos a majoribus inimicis, scilicet per Redemptionem, quasi arguens a fortiori. Hinc persistens in proposito signo ait, tam brevi eveniet liberatio, quam breve tempus intercedet inter nativitatem pueri, quem de Virgine nasciturum promitto, & tempus locutionis ejus, qua primò consueverunt pueri vocare

B Patrem, & Matrem, quo modo, & prædicit Christum, & redemptionem a captivitate peccati, & liberationem tunc imploratam de duobus regibus, & tempus talis liberationis, & causam, ut primò dictum est, quia omnis salus etiam tunc a venturo Salvatore, præhabito in Fide, derivabatur. Quod autem somniantur Hebræi de Ezechia filio Achaz, impugnat evidenter Hieronymus, nam factis computis, ut ipse ostendit eo tempore, quo hæc dicebantur, Ezechias jam erat octo annorum ætatis, & in nullo sensu dici de ipso potuit, quod esset Filius, vel puellæ, vel Virginis, vel absconditæ, vel incognitæ, nec dictus fuit Emmanuel, nec liberatus est populus, antequam Ezechias sciret loqui. Objectiones autem, seu potius deliramenta Calvini contra hunc textum, eum non feriant id, quod

C propofuimus, scilicet textum hunc inter alios, Christum quoad litteram etiam respicere quamvis in nostro opusculo confutemus, pro nunc controversiis, relinquimus brevi interim quæsito morem gerentes.

Quæres hic, occasione data. Quarè Filius Dei, ex Virgine nasci voluerit? Respon. plures quidem a PP. assignari, ac quasdam duntaxat, in tanti mysterii obsequium, brevitas quam debemus, concedit prælibare rationes. Prima est, Bernar. & cæteris etiam Patribus obvia, quia nempè Deum decebat nova, & purissimo Deo digna: Generatio, quia nascebatur homo Deus, qui etsi humilis, ipsius tamen humilitatis, exaltator, & præmium est. Secunda Theodori Ancirani, *in Concilio Ephesino, Oratione 2. Incorruptionis largitor, corruptionem non inducit, nihil, incorruptionis auctor corrumpit.* Tertia Nazianzeni

D in *Carmine*, verè tanto digna Theologo, *Sanctissima*, inquit, *Trinitas, est prima Virgo, mente generat Deus Verbum, & tum ipso producit Spiritum Sanctum, quæ processiones sunt per actus purissimos Intellectionis, & Spirationis. Si ergo Filius in Incarnatione, id quod erat permansit, debuit semper esse Virginis Filius purissimus, etiam in carne, quod non esset verum nisi in utraque generatione esset Virginis Filius.* Addere hic possumus totidem, quæ ex Patrum lectione collectæ, memoriæ hæserunt. Quarta. Qui præceperat Filiis, ut Matrem quantum possent, honorarent, prævicit exemplo, & facto legem firmavit, nam summo honore condecoravit, in hoc ipso, quod ipsam elegerat in Dei Matrem, hunc addidit honorem, ut Mater esset, & Virgo, sine

sine proprii honoris læsione, sic enim etiam vulgaris obtinet sensus, ut Virginitas in Fœmina idem sit, ac honor. In hoc ipso ostendens nihil laudis, honoris, & gloriæ satis de Immaculata concipi posse, gratia enim, & singularitas supremi decoris, quam Deus contulit Matri suæ, & decreto prius, quam in rerum natura conciperetur Maria, & postmodum facto, tantum (servata proportione possibilitatis) vincit quidquid boni Filius quivis, qui Deus non sit, vel præstitit unquam, aut præstabit, aut præstare poterit propriæ Matri, quantum distat homo verus Deus, in divino supposito, ab homine puro, quod planè magnificum argumentum est, quo præter cætera prope infinita convincimur, ut Immaculatam omni excogitabili modo supra omnem conceptibilem finitam gratiam, & puritatem, ac privilegium, Sanctissimam Virginem Dei Matrem pleno corde, & ore asseramus, ne detrahamus, vel Patri mittenti Filium, vel Filio eligenti Matrem, vel Spiritui Sancto adumbranti Virginem, vel toti Trinitati, Vicariam sui, in tam suprema divinaque redemptionis administratione ab æterno prædestinanti, ac præparanti, ac si aut non posset, aut nollet eximiam, in qua primò appareret, & exerceretur, & amor Omnipotentis Dei, & Amantis Dei Omnipotentia. Immò nec audemus ejus præservationem cæteraque dona supra omnem eatenus factam communicationem longè majora, privilegium, vel privilegia nuncupare, cum sic postulaverit lex naturæ relatà ad suum auctorem, non quidem propriæ subditum legi, sed se subiicienti, in eo quod naturam concernit, quam assumere ab æterno decrevit, & exequi dignatus fuit in tempore. Quinta. Ut ex vi suæ originis excluderet originalem culpam Redemptor, quæ per carnalem Generationem communicatur Maris, & fœminæ, novam ex sola fœmina (ideoque, & Virgine, quia sola) quæ ab omni culpa, nævo, umbra, Virgo esset, nullamque Filio infligeret, nec eam, quam imaginari possumus, quasi resultare in relatione ex sui termini qualitate: novam hanc in cujus descriptione fœliciter deficimus instituit Generationem. Sexta. Ad reparandum Virginitatis decorem, quam Eva peccando fœdaverat, erat enim Virgo; quando peccavit, ut sic iisdem passibus homo rediret ad vitam, quibus lapsus erat in mortem. Et videquam sapienter. Constat nobilis hæc creatura anima, & corpore, & sicut per hoc descendit, ita per illam ad Angelica, immò & divina (Spiritus enim est Deus) ascendit confinia; ut ergo repararet lapsum, eam etiam partem, qua descendit, assimilavit ei, quæ ascendit, per Virginitatem, qua sola etiam corpus ipsum, Spiritum sapit, spiritum exprimit, & imitatur, spiritu mirabilius, cui non convenit materiali macula posse fœdari. Hæc fuit prima elevatio, qua humanam naturam Deus exempliter exaltavit in Virgine, utque magis appareret, eam suo junxit opposito, Virginem simul constituens, & Matrem, ex quo ipso argueretur humanam posse Deo uniri naturam in unitate suppositi, cum in una eademque materia corpore videlicet Virginis Immaculatæ, Virginitas Spiritui consimilis, & vera Maternitas hominis uniretur.

Alias, & quidem non apparentes, sed robustas eaque dignas rationes, de qua dicuntur, eisque a quibus afferuntur, pro hac eadem re, apud SS. PP. invenies, has infælici exiguitati nostræ, satis sit indicasse ad Venerationem dulcissimæ Matris, etsi enim præsentis instituti non esse videatur, hæc prælibare, ubi tamen ejus occurrit memoria, aliud quodcumque studium silet, nec fieri potest, ut de Verbi Matre sileant Filii, ne vel mortui deputentur, vel non filii, cum scriptum sit, quod ea occurrente surrexerunt Filii ejus, & beatissimam prædicaverunt; Sic enim scriptum est, ut sciamus, nos jacere, cum de ea silemus, ne ab ejus umquam laude cessemus, sperantes, & post mortem, & post resurrectionem eam fæliciter sola consumandam esse æternitate. Interim qui plura voluerit videat Michaelem Caranza in l. de Virginitate Mariæ, Canisium de B. V. Nostrum P. Joseph a Jesu M. in hystoria B. V., ac primum SS. PP., quorum nec unus defuit præconio Immaculatæ Virginis, ne deesse videretur, & Filio ejus, & Fidei, & sibi ipsi. Concludat nunc Bern. *Serm. tertio in Vigil. Nativitatis, de Tribus Mixturis. Tres mixturas fecit Omnipotens illa Majestas, in assumptione nostræ carnis, ita mirabiliter singulares, & singulariter mirabiles, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem, Deus, & homo, Mater, & Virgo, Fides, & cor humanum.* V. quæ sequuntur.

ARTICULUS V.

Celebris Textus Hieremiæ cap. 31. Christum respiciens prælibatur.

Sanctificatus in utero Hieremias, antequam lucem videret, pinxit Joannem Baptistam; sanè sanctificatus, vel quia ex tunc jam propheta, & plusquam propheta, sensit Christum in Virgine, vel quia futurus Virgo, Virginem Matrem, adhuc ex Matre prænunciare meditabatur. Hinc cap. 31. arguens Judam, quia non Virgo, sed infæliciter prostituta (sicut eam ante descripserat) Virginem alteram dissimili nimis expectatione sperabat, clamans: *Usquequò deliciis dissolveris Filia vaga: quia creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum.* Ubi nota, *præsenti*, *præterito* simul usus est, *& futuro*, consilii opus æterni significans, quòd omnem temporis ambit periphrasim. *Novum*, præsens est. *Creavit*, præteritum, *circumdabit*, futurum, vel juxta communem Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, Crisostomi, ac cæterorum doctrinam PP. ponit præsens, & præteritum pro futuro ob certitudinem Prophetiæ, quæ nullo umquam tempore evacuatur. Vel loquitur in persona admirantium inexcogitabile humano lumini Incarnationis Mysterium, quia illud videntes exclamaturi erant: Novum creavit Dominus super terram, vel hoc modo expressit viri nascituri divinitatem æternam, secundum quam dicitur Christus heri, & hodie, Christus & in sæcula, idemque ipse ait. Priusquam Abraham fieret,

fieret, ego sum, ergo & prius quam Hieremias, A qui successit Abrahæ per tot sæcula. Vel ut sit sensus, si novum umquam aliquid fuit a Domino super terram. Hoc erit, cui numquam simile quidquam præcessit, quia fæmina circumdabit virum. Vel hoc fuit semper novum, quia numquam plenè comprehensum, quod fęmina circumdet virum: vel creavit Deus mulierem Evam Virginem, at ex tunc novum semper fuit, quod Virgo omninò integrè talis perseveret etiam desiderio, quia in illo populo fæcunditas laudabatur, Virginitas plangebatur, sicut legimus de Filia Jephte, sic ergo, quod semper fuit novum in mulieribus hoc erit in Virgine, undequaque Virgine, cujus novitatis miraculum erit eadem perfectissima Virgo, ac Mater adeò fæcunda, ut ne dum puerum pareret, sed B virum circumdaret, vel sicut postmodum eadem Virgo cecinit, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, hoc est nihilitatem, ita & Hieremias prævidit, ideoque usus est termino creationis, quæ est ex nihilo, ipsaque secundum Bernardum, humilitate concepit, quæ secundum eamdem Virginem nihilitas fuit, hinc ait Propheta. Novum creavit Dominus, hoc est Deus hanc habuit ideam novæ creationis, eaque ad opus descendet, cum sua humilitate captum fæmina circumdabit virum. Ita & quidem satis rationabiliter, ut clarum est dici potest. At Patrum, Sacrorumque Expositorum præferimus intelligentiam hujus loci, ex his autem, quæ hactenus allata sunt, & quę addemus, apertè constabit locum hunc non nisi de Christo ad litteram sumi posse, quòd assumpsimus. Sic pa- C raphrasticè hoc loco Hieronymus, *Rrſpirr* inq; *quid dicturus sim, & unde tibi tanta beatitudo expectanda sit, diligenter attende. Audi quod numquam ante cognoveras. N ıvam rem creavit Dominus super terram absque viri semine, absque ullo coitu, fæmina circumdabit virum gremio uteri sui, qui juxta incrementa quidem ætatis, per vagitus, & Infantiam proficere videbitur sapientia, & ætate. Sed perfectus vir in ventre fæmineo, solitis mensibus continebitur.* In qua expositione, quidquid prius posuimus, si benè ponderes, continetur. Simile quid Cornel. a Lap. Patrum pedissequus, sic exponens: *Dico ergo planè, & genuinè: novum hoc, est novus homo, scilicet homo Deus ex nova Virgine nova Matre, nova generatione, scilicet absque viri semine, sola Spiritus Sancti creatione productus, sicut hic dici- D tur. Fæmina idest Beata Virgo circumdabit, & utero suo claudet virum. Hebraicè Gheber, idest fortem, potentem Heroem, & nomine, & nuncio a Gabriele prædictum. Gabriel namque fortitudo Dei: Idrò virum &c.* Pluribus hanc novitatem explicat Augustinus *Serm. de Natali Domini: Homo factus est hominis factor, ut suggeret ubera regens sydera, ut esuriret panis, fons sitiret, dormiret lux, ab itinere via fatigaret, & (post plura) Virtus infirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur.* Similia habet Bernard. *Serm. secundo supermissus, novum hoc* dicens *multa nova complectitur, quia in eo agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens,* ac denique concludit: *Porrò Deum decebat hujusmodi Nativitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur, talis congruebat, & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum.* Eamdem etiam novitatem miratur Fulgentius, *Serm. de laudibus Virginis*, additque: *Crevit partu integritas, & Virginitas ampliata est potius, quam fugata &c.* Qui plura voluerit adeat Cornelium hoc c.: Placet autem ex effusa ubique doctrina PP., locum hunc medullitus penetrare. Fęmina circumdabit virum: acutè ponitur hoc sub novitate: alię enim fęminę, utcumque circumdant infantem, sed novę non sunt, quia nec Virgines, ideoque nihil in illis novi est, nec explicatur eorum conceptus per creationem, sed per ordinariam generationem, quę cum vetustatem supponat materię corruptę, omninò est dissimilis creationi. Et quidem etiam sic, circumdant illę infantem, non virum, quia infans caret rationis usu, & virtute, unde Vir. Omnia igitur è converso in hoc ineffabili apparent Sacramento, Noviter, nova fæmina, idest Virgo, circumdat incomprehensibilem virum, qui Deus, & Virtus Dei est, ideò vir Altissimus, Altissimi obumbrante virtute, qui magnus immò, & maximus exultavit, ut G gas ad currendam viam, ideo vir tamquam sponsus procedens de thalamo suo, ideo vir. Circumdabit virum, idest circulum faciet, quo Deum cinget, circulus perfectio, circulus integritas Virginalis; quæ finem unit principio, & ideò junxit fini principium, mortalem generans Immortalem, in tempore Deum; inq; Trimegistus *Deus circulus est, qui habet punctum ubique, circumferentiam nullibi*, ideoque novum omninò est, quod circumferentiam invenit, immò sibi fecit in Virgine. Quæris quommodò? nempe quia sicut ipsa dixit, respexit nihilitatem ancillæ suæ, sicque circumferentiam sibi faciens in Virgine, adhuc verè circumferentiam habuit nullibi, hoc est in nihilitate, quæ ideò talis fuit, ut sic caperet locum, quod in sola nihili infinitate, habet, quo circumdari possit. *Fæmina circumdabit virum*: Filius, qui patrem hominem habet, non circumdatur verè a fæmina, quia in illo pars potissima Patris est, ideò clauditur quidem a fæmina, sed formaliter non circumdatur, cum non sit circum idest ex omni parte suus; sola igitur Virgo circumdat eum, qui Patre homine caret, & humanam substantiam, ex ipsa sola, nulla interveniente creatura suscepit: in prima hominum conditione Virgo Eva a solo Adam non ab alia muliere, quæ nusquam erat, aut fuerat, educta est, cum tulit Dominus unam de costis ejus, & ædificavit eam ipsi in mulierem: peccavit uterque, corrigi debuerat, sic redemptio per resolutionem usque in primum illud principium rerum devenit. Si ergo tunc homo circumdedit fæminam, quæ ab illo solo educta est, de substantia ejus, nunc fæmina circumdat virum, qui ab ipsa dumtaxat sine homine Patre conceptus, circumdatus, & natus est. Sed dignetur Electissima Sapientiæ Mater, ut de ipsa subtilius humana conetur ignorantia contra inimicos ejus.

Fæmina circumdabit virum, quare non hominem dixit, vel quid majus? dicere possumus, to-

tum

tum plus dixit, cum dixit novum, ut ex hactenus prælibatis apparet. At satius Resp. quia voluit Virginem dicere; olim Eva virago dicta est, quia de viro sumpta est, hæc ergo virum circumdare dicatur, quia verius quam Eva, virago est: Virgo dessumpta ab eodem viro, qui vir ideò fuit, quia, de ipsa, quæ Antonomasticè Virgo est, sumptus est, vel Virgo, quia de illo, qui ab ipsa sumptus est, sumpta fuit sui Mater creatoris, quę ipsum quem genuit, adoravit. Vir nomen virilitatis, potius de Sponso diei consuevit, quam de Filio, ut notissimum est in Scriptura, sicque eam prædescripsit Propheta, ut Virginem scires, quæ sicut sola peperit hunc virum, ita in ipso solo omnia habuit, Filium, Patrem, hominem, Sponsum, virum, Deum; Denique ita dictum est, quia ex tunc prædicabat Propheta Virginem Dei Matrem, non hominis tantum; si enim circumdedit virum, cujus humanitas considerata præcisè a Divino supposito, nec vir fuit, nec Filius, ergo circumdedit Deum, verissime Mater Dei, circumdare enim est Matrem esse; aliter nec ullo modo Mater, a qua nihil subsistens gigni, circumdari, prodire, intelligi potest, si quod præcipuum est, non concluditur intra se a circumdante. Circum; ergo nihil extra, nihil supra, nihil infra Virginem mansit de eo quòd est idem hic, qui circumdatur Christus. Appagè ergo impudentissima Nestorii, Elvidii, ac cæterorum Hæreticorum impietas, satis est, te prævenit, damnavit, alligavit, conculcavit, torsit hoc circulo Hieremias; novum, inq; Propheta, quia Hæreticus idipsum negaturus erat, quia novum, ut convinceretur, se ideò negaturum fore, quia non erat negandum: Creavit Dominus, ne in sola carnali animalique generatione, quam non creat Dominus, sed facit animal, detineretur impurus Elvidius, tamquam sus natans in volutabro luti; super terram, nè cæleste corpus, & impassibile, ideoque nec filium hominis, somniaretur Sabellius: fæmina circumdabit virum, ne quid esset in Christo, quòd a Virginē tamquam a Matre verissima non nasceretur, verissima pariter nativitate, quod negans plebs altera Erebi, delirat, ad quos ipse prædixerat Christus, *Vos ex Patre Diabolo estis*. Concludat jam Augustinus. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Natus est Christus, Deus de Patre in Cælis, idem natus est homo Deus, de Matre in terris, de Patris Immortalitate, de Virginis integritate, de Patre, sine Matre, de Matre sine Patre, de Patre sine tempore, de Matre sine semine, de Patre principium vitæ, de Matre finis Mortis, de Patre ordinans omnem diem, de Matre consecrans istum diem, quo parvulus datus est nobis, & Filius natus est nobis*. Augustin. *De Nativitate Domini*.

ARTICULUS VI.

Alios textus Hieremiæ ad rem nostram inspiciens.

Servato, ut nostri moris est ordine potius mysteriorum, quam locorum Sacræ Litteræ in eodem cap. Hieremię sistimur voce lamentationis, ex quo postmodum retrocedentes ad cap. 12. Redemptoris mortem celebramus. Prius igitur occurrit ex eodem cap. 31. Flebilis agnorum belatus, ubi dicitur, *vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari, quia non sunt*. Qui locus tametsi de Christo ad litteram immediatè non agat, eum tamen tam propriè respicit, quando ut eum occideret Herodes vix natum, secundum quod exquisierat a Magis, occidit omnes pueros in Betlehem, & finibus ejus a bimatu, & infra, ut pręteriri non possit. Sanè hanc historiam potius quam Prophetiam, etiam prima fronte inspiciens concludet (ut dictum est de Isaia) etiam Hieremiam in aliquibus Evangelistam potius, quam Prophetam exhibuisse, nisi futuritio dictorum, Prophetarum cathalogo eundem junxisset. Hac tamen evidentia non obstante, non desunt inter DD. qui hanc litteram aliò divertant, cum Hieronymo hoc loco: nos tamen, etsi debitam. PP. venerationem servemus, Evangelio tamen in primis deferendum censemus, cumque a Matthęo cap. 2. Vers. 18. hęc Prophetia applicetur, sive declaretur impleta in occisione Innocentium, ambigere nequimus hanc litteram, ad hoc factum verè litteraliter, & primario respexisse, quia sensus mysticus, ut sæpè advertimus, etiam ex eodem Hieronymo non adducitur ad probandum, nec revera dicitur impleri, cum hoc non sit necesse ad ejus verificationem, quippe qui non est sensus dictus, sed in dictionibus rerum, seù melius in rebus dictis latens.

Nec refert si dicas, prædicta verba Hieremiæ, nemo negare potest, intelligi posse litteraliter de excidio Hierosolimitano, ergo cum rectè quadrent etiam occisioni infantium, ob similitudinem luctus, hic secundus erit mysticus sensus. Resp. primo ex doctrina Augustini, quam suo loco expendemus, duplicem sensum litteralem, non repugnare eidem litteræ, unde non sequitur, quod sensus iste cum alio conjunctus in eodem loco de necessitate sit mysticus, nec umquam concedi potest, Hieronymum. Evangelistæ, sibique in hac re contradicere. Addi etiam potest responsio Cornelii, qui hoc loco, Hieronymo non acquiescit, *non enim* inq; *Judæi ducti in Babilonem ob sua scelera possunt dici typus infantium Innocentium, & Martyrum, qui non in Babylonem, sed in Cælum conscenderunt*: fortè tamen non advertit Alap. quòd Infantes, seù melius eorum animæ, non in cælum ascenderunt, sed in lymbum SS. PP. descenderunt, ubi & ipsæ expectabant Christi Passionem, & Ascensionem, qua primò cælos aperuit. Constat igitur, quòd etsi consequens verum sit, nempè, quòd sensus iste non est mysticus, non tamen illatio bona est ex defectu Antecedentis.

Secundò Cornelii impugnatio, seù responsio est, quòd Scriptura seù Prophetia non dicitur impleri in simili, aliter diceretur Hieremiæ Prophetiam, de excidio Hierosolimitano, impleri in Constantinopolitano: sed etiam si verum sit Prophetiam non impleri in simili præcisè, aliter impleretur in omni simili; attamen in eo simili, de quo ratio dictat,

dictat, vel auctoritas probat simul cum Typo, aut priori alio simili fuisse prævisum ac prædictum a Propheta, non potest negari, utrobique Prophetiam simpliciter impleri. Tale est quòd ibi prædicit Hieremias, quod secundum Matthæum, & communiorem Intelligentiam immediatè tangit SS. Innocentes, & æquè saltem immediatè probabiliter intelligitur de excidio, & captivitate Judæorum, ut vult Hieronymus, & nihil officit veritati. Et quidquid sit de hoc (non enim libenter Magistros Fidei in Judicium vocamus) nostrum non est, nisi id quod posuimus, sustinere, videlicet hic Hieremiam ad litteram de SS. Infantibus prophetasse, ut constat ex alleg. loco Matth. nec ullo modo concedi posse, Matthæum hunc locum per quamdam accommodationem allegasse, hoc enim non subsistit, ut optimè etiam Cornelius concludit, quia sensus accommodatitius ut talis, non est primò intentus a Spiritu Sancto, sed tantum significat, quamdam Analogiam rei, cui applicatur ad rem, de qua per se primò fuit expresè dictus, & vel fundatur in sensu mystico, vel et similem inducit intelligentiam, sed de hoc agemus, cum Deo dante, de sensibus Sacræ Scripturæ ex professo disseremus. Restat nunc quòd proposuimus incipere: occurrit autem cap. 11. *Et ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia super me cogitaverunt consilia dicentes: mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius*, ubi Hieronymus. *Omnium Ecclesiarum, ait, iste est consensus, ut sub persona Hieremiæ a Christo hæc dicta intelligantur, & ipse quasi Agnus ductus ad victimam non aperuit os suum, & non cognovit, subaudi, peccatum, juxta illud, quòd ab Apostolo dicitur, qui cum non cognovisset peccatum, pro nobis peccatum factus est, & dixerunt: mittamus lignum in panem ejus, crucem videlicet in corpus Salvatoris, ipse est enim, qui ait, ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi: & eradicemus eum, sive conteramus de terra viventium: hoc enim scelus, animo cogitaverunt ut nomen ejus deleretur in perpetuum*. Tam clarus textus, tam limpida explicatio ulteriorem non admittit indaginem. Sed nihilominus opponunt aliqui, non esse de Christo ad litteram, sed in sensu mystico, quia dicebat hęc Hieremias, qui erat figura Christi. Resp. aliud esse quod Hieremias fuerit figura Christi, aliud esse quod loquatur in Persona Christi, per figuram dicendi, inducens sic Christum de se ipso loquentem. Qui enim loquitur sic in Persona Christi, dicit Christum sic loqui, & tunc ad sensum, litteralis elucet intelligentia. Qui autem accipitur ut figura Christi, non dicit Christum sic loqui, sed eumdem re vel facto repræsentat, notissimum namque est, quod sensus mysticus sumitur a rebus significatis, non a figura locutionis, & est benè notandum, quia facilis est in hac re æquivocatio, cum simul, & Hierem. in factis propriis sit figura Christi, & hic loquens, loquatur in Persona Christi: non itaque negandus est sensus litteralis, ex eo quòd in eodem textu subsit etiam Mysticus, sed per se primò consideranda est littera, quam certè cognoscimus esse Christi per prosopopæiam, quatenus in Christi persona loquitur Hieremias, indeque ex factis ejusdem Prophetæ ab ipso relatis, ubi locus sit, eruendus est sensus mysticus. Ne autem subsit scrupulus, ibi esse litteralem sensum de Christo breviter probamus: nam frequentissimus est hic Propheta in assumendo personam Christi, sicut attentè legens deprehendet: porrò si intelligeretur semper litteraliter loqui de se ipso, falsa diceret, nam quantum spectat ad præsens, supposito quod tamquam Propheta prædictive loquatur, verum non prænunciaret; ipse etenim non fuit crucifixus, quod prædicitur in hoc, quod dicit. *Mittamus lignum in panem ejus*, nec ipse certè fuit Salvator Mundi, ut alibi loquitur, nec Agnum se mansuetum ostentaret, semetipsum extollens, qui humilis etiam ante purificationem labiorum clamabat. *Ah Ah Ah Domine, quia puer ego sum, & nescio loqui*. Stet ergò ad litteram hæc de Christo tantum, & per se primò debere intelligi, maximè ob communem Ecclesiarum consensum, cui refragari impudentis pertinaciæ foret.

Clarius, & absque controversia loquitur, *cap. 14. Expectatio Israel, Salvator ejus, in tempore tribulationis, quarè quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Explicat Hieron. vel potius recitat clarum sensum hujus loci, qui agit manifestè de futura Christi dispensatione, quod futurus sit, quasi peregrinus in terra, & paruo tempore, ejus usurus hospitio, & quasi vir pertransiens, & robustus, relicto Israel tendere ad Gentium multitudinem, ut de loco ad locum, de populo ad populum, de templo transeat ad Ecclesiam, unde sequitur: *Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum invocatum est super nos: qui apud Judæos, quasi advena futurus es, & viator, & vir vagus, antiquam deserens mansionem, in nobis habitas, & nomen tuum invocatum est super nos, ut appellemur Christiani, idcircò ne derelinquas nos, & ne obliviscaris nostri, quibus de futuro adventu tuo, omnia prophetarum ora cecinerunt*. Hæc Hieronim. hoc loco, quibus maximè confirmatur, quòd in præsenti tractatu contendimus, quod de Christo, ut Judæi omninò essent inexcusabiles, omnium Prophetarum ora cecinerunt, utique & totum vetus Testamentum, quod per Prophetas accipitur, & ad litteram utique, quia Judæis carnalibus, qui non nisi litteram inspiciebant, prædicatum, immò & decantatum fuit de adventu Christi, ac taliter expressæ fuerunt adamussim omnes circumstantiæ, actiones, & mysteria, ut cum adveniret, sola posset irrationalis, & excæcata perversitas, negare præsentem. Ita intelligunt etiam Raban., Ugo, Liran., & Tertullian. l. 3. contra Marcion cap. 6. Ambros. l. 3. in Symbol. Apost. c. 30., & communiter PP.: Sentiunt aliqui Christum in Eucharistia hic a Propheta describi, qui peregrina veste, scilicet speciebus panis, & vini vestitur, & quasi viator, quia viaticum &c., & consumptis speciebus, quodammodo secedit ab illo loco; de hoc, & similibus videat, cui vacat Cornel. hoc loco. Porrò alia, & quidem plura testimonia ex eodem Propheta, ad rem nostram supersunt,

sunt, tum ex ejus prophetia, cum etiam ex Trhenis, & Baruch, sed brevitatis ergò aliqua eorum, cum Augustino commemorare sat erit.

Ad 4. c. Trhen. respiciens August. *de Civitate Dei l. 18. cap. 23.* concludit. *Prophetavit ergo de Christo Hieremias. Spiritus*, inquit, *oris nostri Christus, captus est in peccatis nostris*, *sic breviter ostendens, & Dominum nostrum Christum, & passum esse pro nobis.* Item alio loco: *Hic Deus meus*, inquit, *& non æstimabitur alter ad eum, qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*, quod Testimonium quidam non Hieremiæ, sed scribæ ejus attribuunt, qui vocabatur Baruch, sed Hieremiæ celebratius habetur. Rursus idem Propheta *cap. 23.* De Christo: *Ecce*, inquit, *dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet Judicium, & Justitiam in terra: in diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* De vocatione autem Gentium, quæ futura erat, & nunc impletam videmus sic locutus est, cap. 16. *Domine Deus meus, & refugium meum in die malorum. Ad te Gentes venient ab extremo terræ, & dicent: verè mendacia coluerunt Patres nostri simulacra, & non est in eis utilitas: quia verò cum non erant agnituri Judæi, a quibus occidendus erat, sic idem Propheta significat. Grave cor per omnia, & homo est, & quis cognoscet eum. Hujus est etiam illud*, prosequitur idem August. *quod in libro 17. posui de Testamento novo, cujus est mediator Christus, ipse quippe Hieremias ait, ecce dies veniunt dicit Dominus, & consumabo super domum Jacob Testamentum novum, & cætera, quæ ibi leguntur.* Quantum ad primum testimonium, etsi aliqui illud exponant de Regibus Juda, ut refert Hieronym. tamen distorta expositio est, nec sunt audiendi, quia ubi ponitur in Scriptura Christus, idest unctus, nisi aliter cogat textus, intelligitur ille, qui est Antonomasticè Christus, & propriè propter unctionem substantialem, quæ est ipsa unio Hipostatica secundùm Theologos, ideò etiam hoc loco procul dubio consentiunt Hieronym. cæterique PP. S. Clemens, Irenæus, Justinus, Mart. Origenes, Tertullianus, Ambrosius aliique, quos refert hic Christoph. de Castro. Quoad locum Baruch consentiunt omnes universaliter, quos proinde frustraneum esset referre, quod verè sit de Christo ad litteram, & propriè, de ipso Deo homine Filio Dei, qui est Sapientia ipsa substantialiter; qui ergo videbat Christum, videbat Deum hominem, qui in terris visus est, & cum hominibus conversatus. Unde Cyprianus *de Ascensione, quid amplius vis ò homo; prius dicebatur Deo, tuus est homo, nunc dicitur homini, tuus est Deus. O homo sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* Et August. *serm. 26. de temp. Deus sequendus erat, qui videri non poterat, homo sequendus non erat, qui videri poterat, ut ergò haberet homo, & quem videret homo, & quem sequeretur homo, Deus factus est homo.*

Ad locum cap. 23. concordant omnes Catholici

A de solo Christo ad litteram esse, qui solus absque addito dicitur *Justus*, quia impeccabilis, & natus, ac conceptus Sanctus Sanctorum. Indeque canit Ecclesia. *Tu solus Sanctus. Hic faciet Justitiam.* S. Thomas, & Lyran. explicant *faciet legem Evangelicam, quæ pleniorem docet Justitiam, quam Scribæ, & Pharisæi.*

ARTICULUS VII.

Ezechielis Prophetiam excurrens, quæ ad litteram de Christo.

TAlis est obscuritas hujus libri, ut eum legere prohiberentur apud Hebræos, qui non erant Præsbyteri, idest Seniores, ut notat Hieronym. in
B prologo ad eumdem, qua propter, & quia per simbola procedit, ac maximè sensus mysticos fovet, qui non sunt præsentis indaginis, hunc præterire animus erat, sed inter tot obscura, adeò clarè loquitur, aliquando de Christo, ut ejus oblivisci, sit gratis cæcutire. Pauca igitur, & breviter, quæ quasi sponte ministrat, accipimus.

C. 34. cum continuero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi, suscitabo eis germen nominatum: sed prius, *& suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, & erit eis in pastorem &c. & faciam eis pactum pacis &c. & non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt opprobrium Gentium, & scient, quia ego Dominus Deus eorum*
C *cum eis, & ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus.* Sanè nihil ibi obscurum, nihil quod Christo non conveniat, vel non soli Christo. Ipse enim ait de se ipso *Jo. cap. 10. Ego sum Pastor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis &c.* Iterum *Ego sum panis vivus, accipite, & comedite, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus &c.* Ita dignatus est Christus textum præallegatum exponere de se ipso.

Sed dices: Propheta ad litteram nominat David, ergo si intelligitur de Christo, sensus erit mysticus. Respon. significationem nominis David magis in Christo, quam in David verificari, & certè cum nomine David, futurum appellet, non loquitur de præterito, quod necesse fuisset, ut fieret sensus mysticus, ut patet: unde Ambros. *l. 2. Epis.*
D *47. David utique Rex jam defunctus erat, & ideò verus David, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis, Dei Filius, hoc annunciatur nomine:* Ita etiam Augustinus lib. de octo quæst. Dulcit. q. 5. Ita etiam Hieron. hoc loco lib. 11. qui prosequitur. *Qui David proficientibus pecudibus in rationale animal, nequaquam pastor vocabitur, sed Princeps in medio eorum, de quo scriptum est. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Tunc ponet in eis pactum pacis, quia factus est in pace locus ejus, pacis Christi, quæ exuperat omnem sensum, qui dicit pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis &c.* & post pauca: *Et suscitabo eis germen nominatum, sive plantationem pacis, quæ loquitur in Evangelio. Ego sum vitis vera, & non erunt ultra imminuti fame, nec amplius opprobriis Gentium subjacebunt, ut*

dicant, ubi est Dominus Deus eorum? & scient, quod Dominus est cum eis, qui dicit in Evang. ad Apostolos. Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus &c. & ne dubitemus, an de ovibus, an de nobis loquatur, ipse solvit enigma. Vos autem oves meæ, homines estis &c. Quin & ipsi Hebræi hunc textum Ezech. referunt ad Messiam, unde R. David; pro hoc pastore intelligit Messiam pastorem unum omninò diversum a tot pastoribus, qui præerant, ita & alii. Pro germine nominato 70. legunt *plantam pacis*, Cald. *plantam in nomen*, idest a cujus nomine appellantur Christiani, & planta significat Deum factum hominem, ait, Vatabl. Vide August. loco citato de Civitate Dei cap. 34.

C. 37. *Et Rex unus erit imperans omnibus, & non erunt ultrà duæ gentes, nec dividentur in duo regna, nec polluentur ultra in Idolis suis, & abominationibus suis, & in cunctis iniquitatibus suis, & salvos eos faciam de universis sedibus suis, in quibus peccaverunt, & mundabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero illis Deus, & servus meus David Rex super eos, & pastor erit unus omnium eorum.* Lectio est August. Textus verò cum similis sit præcedenti, eadem gaudet intelligentia. C. 38. describit Propheta bellum Gog., & Magog. contra Jerusalem in novissimis mundi. Qua in re incredibile est, quam varia sint Doctorum placita, conantium explicare, quid, vel quis sit Gog., & Magog., & hac insigni varietate, quæ magnam parit confusionem magis exponunt, & repræsentant confusissimum illud prælium, omnes simul, quam quilibet in particulari proprium loci sensum attingat. Quod ab omnibus erui potest, hoc unum est, videlicet conformari hunc locum, cum illo Apocalypsis, in quo Joan. explicat bellum Antichristi, contra Jerusalem, quod perpauci, & sine sufficienti ratione negant, & quod *Gog.* erit Dux magni exercitus Antichristi, qui congregabitur ex Gentibus Aquilonis, aliisque, & vocabitur *Magog.* quasi exercitus *Gog.* tunc enim, sicut ex plurium lectione colligimus, communior fert opinio, magis conformiter ad Scripturas, quod ex omni orbis parte congregabuntur Fideles Jerosolimam, ut audiant Enoch, & Eliam prædicantes contra Antichristum, effugiantque universales, extremasque calamitates, a sæculis inauditas, & quod Antichristus, congregato innumerabili exercitu Antichristianorum, maximè verò Judęorum, omnes Christianos simul invadet, diripiet, percutiet, & multos pervertet, ea verò, quę inde sequentur, & finis regni Antichristi describuntur in Apocalypsi clarius, quam a pluribus Expositoribus. Et hęc quidem tangere sic breviter oportuit, tum quia Christum inferunt, tum quia studiosorum nostrorum laborem pręvenire nostrum erat, ne in discusione apparentis hujusce difficultatis studium terant, cum illam offendunt, hoc loco, aut alio Ezechielis, sive in Apocalypsi, nihil enim in tanta opinionum varietate concludent, nisi ad simplicem veritatem denique reducantur, quę textui utrique magis sit connaturalis, ut brevissimè pręlibavimus.

ARTICULUS VIII.

Daniel. cap. 2. & 7. ubi littera Christum prænunciat, degustans.

Hieronym. *proœm. in Daniel. Illud*, inquit, *in præfatione commoneo, nullum Prophetam, tam apertè dixisse de Christo: non enim solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris, sed etiam quo tempore venturus sit docet, & Reges per ordinem digerit, & annos ennumerat, ac manifestissima signa prænunciat. Tanta dictorum Fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrare præterita.* Hęc Hieronym. cujus auctoritas intento nostro sufficeret, quibus dumtaxat assumptum probare, & quę occurrunt difficilia pro modulo nostro evolvere incumbit, nisi in tam eximia claritate aliquid, ex nimia forte luce obscurum sese offerret, sicut declaratio Hebdomadarum, in qua & SS. PP., & universa Expositorum studia desudant usque hodie, quo planè convincitur, eos rem hanc plenè statim, & sine difficultate non attigisse, quod nos sequenti articulo reservantes, pro nunc faciliora tractabimus. Occurrit igitur, quod habemus cap. 2. *in diebus autem*, ait, *regnorum illorum suscitabit Deus cæli, regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: Comminuet autem, & conteret omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum, secundùm quod vidisti, quod abscissus est lapis de monte, sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum &c.* Omnes quotquot videre licuit, exponunt manifestè hanc prophetiam fuisse de Christo, & regno ejus æterno, & Rabbini ipsi Hebræorum non dissentiunt, quamvis subdolè, hinc enim infæliciter conantur arguere delirium suum, ut videbimus.

Sed dices ex terminis ipsis apparet, Prophetiam hanc esse symbolicam, ideoque mysticè, tantum exponi posse de Christo, & regno ejus, significat enim id quod prædicit, per res, scilicet per statuam, & lapidem, ac rerum visiones, non ergo ad litteram est de Christo. Respon. utrumque hic intimè reperiri, & litteralem, & mysticum sensum, sed iste per reflexionem litteræ fit litteralis, ubi notandum est attentè, quod quamvis propheria hæc sit symbolica, & per res, ipse tamen Propheta, rerum significationem exponit, unde nos non adducimus pro sensu litterali id quod explicatur, sed explicationem ipsam, & ita litteram explicationis assumimus in proprio sensu, atque ideò somnium regis, & res ab eo visas supponimus, explicationem verò a Daniele factam proponimus, quæ clarè Christum prædicit; unde Hieronym. quem omnes sequuntur, sic exponit; *In fine autem omnium regnorum abscissus est lapis, dominus atque Salvator, sine manibus idest absque coitu, & humano semine, de utero Virginali, & contritis omnibus regnis, factus est mons magnus, & replevit universam terram.* Addit Ambros. *serm. 70. lapis sine manibus est Filius Dei a Patre natus sine creatione, sicque ex tunc Daniel contra Arianos pugnabat.* Iterum Hieronym. pro-

prium

prium sensum confirmans, *Epist. ad Eustoch. de custodia Virginitatis, manus* ait *sumitur pro opere nuptiali*: Notat verò Theodoret. *ortum supra naturam, solere lapidis excisionem nominari.*

Sed arguunt Iudæi regnum Christi debet conterere omnia regna prædicta, quæ sunt regna Caldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, sed quamvis priora sint contrita, Romanum tamen imperium adhuc viget, ergo lapis iste qui est Messias nundum venit. Resp. verè carnales Judæos nimis errare, omnia accipiendo materialiter sine spiritu, & mente; certè quomodo regnaturus erat Christus, ipse de se exposuit dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*, si enim, ut hic habetur ex Daniele, regnum ejus debebat esse æternum, non poterat esse de hoc mundo, qui finem habet, & omnia in eo caduca nesciunt perennitatem, sola anima rationalis est æterna, principaliter ergo hoc intelligitur de regno animarum, & quia ea regna hominum, quæ hic vidit Daniel, suis erroribus animas seducebant, expectabatur regnum salutis animarum, quod ea contereret in hoc, quod cum regno æterno animarum pugnabat, scilicet quoad errores, non quod regnum Christi, animarum sit tantum, cum sit Rex Regum, & Dominus Dominantium, a quo omnis potestas in cęlo, & in terra, sed quia perfectissimum regnum in eo magis elucet, quod perfectius est, & quia æternum, in eo quod est æternum, scilicet in animabus, immò quia perfectissimum est, animas regit, quarum quælibet corpus regit, & dirigit secundum rationem; unde est regnum æternum, animarum, & corporum, quæ enim corpora rectæ rationi parverint, animabus suis post resurrectionem conregnabunt. In hoc igitur, humana regnum Christi regna contrivit, quod per Evangelium animas, quas regna illa perdebant, ad se traxit, simul, & corpora, quæ cum animabus illis peribant in æternum. Nec aliter dici potest, nisi fiat violentia textui, dicit enim: *in diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli, regnum, quod in æternum non dissipabitur*, ergo potest, & debet hoc regnum aliquo tempore aliis regnis ibi descriptis coexistere, & nihilominus esse regnum æternum, ergò hoc regnum non est mundanum, temporale, terrenum, ut materiales Judæi delirant, duo enim, vel plura summa, & perfecta imperia, simpliciter monarchica, & ejusdem ordinis in terrarum orbe simul esse non possunt, aliter simul essent, & non essent, ut clarissimum est; unde commentator Lucii Flori Senecæ, in principio, id eleganter declarans, probat ex sententia magni Alexandri, dicens, *Dario nunciari jubet Alexander, mundum, nec duobus solibus, nec duobus regibus regi posse*. Hæc igitur esse debet intelligentia, sicut ex Scriptura ipsa, Doctoribus, & facto ipso deducimus: *in diebus regnorum illorum*, idest Romani Imperii, quod dicitur omnia regna, quia omnia sibi subjecerat, & possidebat, durabatque sub Romano Imperio, quando venit Christus, *suscitabit Deus cœli, regnum, quod in æternum non dissipabitur*, ideò autem dixit, *Deus cœli*, ut innueret regnum hoc esse cæleste, & non sicue alia regna, quæ subsunt quidem Deo, sed quia terrena sunt, ex illis

A denominatur, Deus terræ. *Psalm.* 23. *Domini est terra, & plenitudo ejus, qui calum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, unde & Psal. 67. *Regna terræ cantate Deo*, hoc verò regnum, *in æternum non dissipabitur*, nam immobilis est Ecclesia, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, & quod ipsa sit regnum cæleste, concludit ipse Christus, subdens Petro, *& tibi dabo claves regni cælorum, & tale regnum non tradetur alteri populo*, cum enim Ecclesia Catholica sit, & universalis, implicat, quod verè sit populus, multitudo illa, quæ est extra illam. Sequitur: *comminuet autem, & consumet omnia regna*, quæ conclusio, & prædictio, difficultate non caret. Opponunt enim Judæi, Maumetanum Imperium, quod plurima ambit regna, Ecclesię infestissimum, & alia infidelium

B regna, quę nec conteruntur, nec comminuuntur ab Ecclesia. Oportet igitur Deo concedente, & adjuvante hujusœmodi prædictionis sensum rimari cum in hac indagine, non admodum immorentur Interpretes. Potest ergo intelligi multipliciter. Primò satis verificatur, si dicas, quod semper durante, interim illæso, & immutato, hoc dumtaxat regno, cætera desinent, ideò dicetur illa consumere, quod innuit littera, dicens comparativè, ipsum stabit in ęternum. Secundò conteret, & consumet, quia convertet ad Fidem, ideòque sic comminuet Idola, & eorum crura confumet, quod est comminuere, sive evertere hujusmodi regna, quoad id in quo, divino huic regno veritatis, opponuntur. Tertio hoc regnum adeò ex-

C cet, ut in comparatione ejus, omnia alia videantur destructa, & comminuta, vel cętera comminuet, quatenus suprema dignitas, & potestas Ecclesię, omnem mundi superat potestatem, eique omnia regna subduntur, & obediunt. Quartò, quia docebit humilitatem, & contemptum mundi, ut patet ex toto Evangelio; ideò sectatoribus Christi, nihil sunt omnia regna, unde & Apocalyp. cap. 4. Seniores mittebant coronas suas ante trhonum Dei, & agni, ipseque Christus, ut ostenderet humani regni debilitatem, ait August. *domuit orbem non ferro, sed ligno*. Erexit vexillum crucis, & ait, *omnia mihi tradita sunt a Patre meo, & ego cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, ac denique *data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra*, eamque exercuit, cum Apostolis suis dixit:

D *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, sic ergo contrivit omnia regna. Quintò. Quia Rex iste constitutus est Judex vivorum, & mortuorum, & princeps omnium Regum terrę. Hęc autem est lex hujus summi Regis, & regni: vel credent regna mundi, & ita servient regi Christo, ut salventur, & cum eo regnent in ęternum, non regno terrę, sed regno, & glorię ejus, & sic non erunt sicut prius reges, nec regna terrę; vel non credent, & sic eos puniet tamquam Judex omnium, & auferet reges, & regna in pœnam, etiam in hoc mundo, sicut accidit in ipsis Judęis, & ante, & post ipsos in Gentibus, ergo ex omni parte verum est, quod hic Rex, & regnum ipsius consumet, & destruet omnia regna mundi. Sextò, ubi notà, etiam in sensu adversantium,

tiuim, quod non dicit Propheta, quod statim comminuet omnia regna mundi, nam hoc, ut vidimus, non potest stare cum littera, sufficiet ergo quod aliquando; & hoc erit, cum percutiet Antichristum, & in eo omnia regna terrę, & tunc ipse sedebit in Judicio exercens regiam potestatem super omnes tribus terrę, & qui cum eo erunt a dextris, cum ipso regnabunt in ęternum, post universalem scilicet resurrectionem. Sic patet multipliciter ad argumentum. Cap. 7. Aspiciebam &c. *in visione noctis, & ecce in nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, Tribus, & linguæ servient ei. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Quia verum semper consonat vero, pręsens testimonium explicatio est pręcedentis, & eorum, quę hactenus ad ejus intelligentiam obtulimus, ut intuenti constabit. Non ergò est ambigendum, quin de Christo ad litteram loquatur. Ait, *in visione noctis*, quia agit de Judicio, cujus dies tenebrarum erit, & caliginis, quasi nox, & noctem horrore suo superabit, ecce cum nubibus cęli, idem ferè, ac dixit Christus, Marc. c. 13. *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cęli*, si enim in nubibus, ergò & cum nubibus, addit verò, *quasi Filius hominis*, non quia non sit Filius hominis verè, sed quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, quia ut notat Isaias *cap.* 53. *Vidimus eum, & non erat aspectus &c. novissimum virorum, virum dolorum*, vel quia cum agat de gloria ejus, phrasim Joan. 15. *cap. primo*, prævenit dicentis, *vidimus Gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. Quantum verò locus iste quadret cum præcedenti, declarat expositio Hieronymi hoc loco, ubi ait, qui lapis scribitur abscissus sine manibus, & crevisse in montem magnum, & comminuisse testam, ferrum, & argentum, & aurum, nunc sub persona Filii hominis introducitur, ut assumptio carnis humanæ significetur in Filio Dei juxta illud, quòd in actibus Apostol. legimus: viri Galilei, quid statis aspicientes in Cælum. Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum.* Hinc prosequitur idem Hieronym: Sed res clara est ex se, & manifestè probat, quòd in Evangelio habemus. Pater omne Judicium dedit Filio, & potestatem dedit ei, Judicium facere, quia filius hominis est: Postmodum ex verbis hujus testimonii arguit Hieron. contra Porphirium, & Arianos, qui ponunt, hunc locum intelligi de Juda Machabæo, qui vicit Antiochum. *Si hoc dices, quommodò cum nubimus Cæli, veniet, quasi Filius hominis, & offeratur vetusto dierum, ut detur ei potestas, & regnum, & omnes populi, Tribus, & Linguæ serviant ei, & potestas ejus æterna sit, quæ nullo fine claudatur? quæ omnia si hæresis Arianorum, pio vellet advertere sensu, nequaquam Filio Dei calumniam inæqualitatis moveret &c.* Reliquum verò hujus capitis est descriptio eorum, quæ spectant ad Judicium, & concordant omninò cum his, quæ habentur in Apocalypsi, ideò alterum constat ex altero, & se se invicem ponunt, & exponunt.

ARTICULUS IX.

Hebdomadas Danieli a Gabriele prænunciatas ad Christi adventum, abbreviatas recensens.

Dixit. Danieli *cap.* 6. Gabriel. *Tu ergò animadverte sermonem, & intellige visionem: Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem Sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ erunt, & ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est, & civitatem, & sanctuarium, dissipabit populus, cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una, & in dimidio Hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium.* Quod prænuncietur hoc loco litteraliter adventus Christi ejusque mors, Judaica ipsa perversitas negare non valet, quàpropter ad id, quòd intendimus, textum recitasse sufficeret, quia tamen tantæ conscientia difficultatis reclamans, abeuntes cogeret retrogredi, ad loci hujus qualem qualem intelligentiam, quantum ab alto dabitur (utinam non frustrà) conabimur. Ast quis doceat? Quis scit, & laudabimus eum? Sanè divinum illud Ecclesiæ lumen, & Ingeniorum Apex Augustinus, hujus rei aliquando vix meminit, & lib. 18. de Civitate Dei cap. 34. difficultatem pertransit, dicens. Daniel etiam tempus, quo venturus fuerat Christus, atque passurus, numero definivit annorum, quod longum est, computando monstrare, & ab aliis factitatum est ante nos. Sed magis terret, quod Doctor Maximus, in hac difficultate sic loquitur. *Si Danieli dicitur. Attende ut audias, & intelligas quod vides, quid nos facere oportet, quorum oculi ignorantiæ tenebris, & caligine vitiorum obcæcati sunt? &c. Scio, de hac quæstione ab eruditissimis viris variè disputatum, & unumquemque pro captu Ingenii sui dixisse, quod senserat. Quia igitur periculosum est, de Magistrorum Ecclesiæ judicare sententiis, & alterum præferre alteri, dicam quid unusquisque senserit, lectoris arbitrio derelinquens, cujus expositionem sequi debeat. Hinc de Verbo ad verbum aliquorum dicta, vel de sensu ad sensum, aliorum, qui nimis prolixè scripserunt, opinionem, merus relator transcribit, proprium cælans judicium, & sententiam, nisi quod aliqua videtur reicere, aliqua quasi approbare, de neutris verò, nec de re ipsa concludere.* Moderni omnes, qui rem tractant, ita incertam relinquunt, ut ex omnibus id solum erui possit, sempec latere quod quærunt. Quid ergò? labor est sine fine, vel est actum agere, vel numquam

quam agendum tentare. Prælibemus: satis erit, A quæ certa sunt quoad rem hanc breviter referemus, nedum verò fermè inextricabilem, fide potius, quam scientia dissolvemus.

Primò igitur concordant omnes benè sentientes, quod istæ sunt hebdomades annorum, non dierum, & quamvis Hebræi computent tempora per annos lunares, qui minores sunt quam solares, tamen, quia singulis tribus annis numerant in uno anno 13. lunas juxta Embolesmales regulas, denique in idem recidit utraque computatio. Secundò concordant in hoc, quod omnes valido utuntur argumento contra Judæos, ex hoc loco. certum est enim, quod vel ab uno, vel ab altero termino incipiant computari hebdomades istæ, jam sine dubio transierunt, ergo venit Messias, cumque ad sensum, B omnia, & singula ab Angelo prædicta, verificata fuerint, quoad Christum, ipse necessariò est Messias. Quo argumento potissimum utitur Lyran., qui & ipse fuit natione hebræus, & inter eos etiam ante conversionem eruditissimus legis Doctor. Tertiò, quod hebdomada annorum, ut certò hic est supponendum, non dierum, per similitudinem ad currentes dierum hebdomadas per septem annos non per decem, ut quidam inertes Judæi absque fundamento somniantur, computatur, sicque septuaginta hebdomadæ constituunt annos 490. difficultas porrò est apud plures, a quo anno cœperint currere hujusce modi hebdomadæ, sed reverà in hoc puncto non est difficultas, cum Textus apertè dicat, quod incipient ab exitu sermonis, ut ædificetur Jerusalem, de quo infra aliquid innuemus ex Galatino. C Illud autem, quod statim subdit, & ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, est significatio temporis, quod consumetur in ædificatione, quam prædicit, non est mutatio aliqua hebdomadarum, nec talis ædificatio est hebdomadarum initium, sed exitus sermonis, qui egreditur de tali ædificatione. Adde quod nunc ex facto, & termino ultimo jam transacto potest, fieri computus annorum, retrogrediendo, unde nunc non est difficultas præcipua quoad terminum, a quo cæperunt, erat quidem in illis qui expectabant, sed in nobis non, qui ex verificato termino ad quem prophetiæ, possumus initium hujus temporis scrutari ex præterito, & scire quandonam cæpit esse futurum, nisi obstet, quod subdimus; radix itaque difficultatis est duplex, prima est varietas historiarum, quæ D non omninò concordant, ex quo tanta varietas oritur sententiarum, aliqui enim computant per annos, & successiones Regnorum, vel Persarum, vel Græcorum, vel Romanorum, alii per eventus nationum, alii per Olympiades, in quibus omnibus concordiam indivisibilem invenire impossibile esse, experientia ipsa docemur. Alia radix est, obscuritas primæ partis prædictionis, scilicet 70. Hebdomades abreviatæ sunt, quia si clarè id intelligimus, eodem modo possumus etiam explicare, quomodo dies temporis Antichristi sint abreviandi propter electos, de quibus in Evangelio, nisi abreviarentur dies illi, non fieret salva omnis caro, vel enim, quantum spectat ad præsens, abreviatio hebdomadarum facta est, quia ad minorem numerum, quam qui præscriptus fuerat, redactæ sunt, vel abreviatæ sunt, quia qualibet hebdomada facta, fuerit minor, vel abreviatæ, ex eo quod sint ablatæ, ut ex gr. si futuræ erant ducentæ, ab eis demptæ fuerint septuaginta. Sicut enim in horologio Ezechiæ, retrogressio facta est per tot lineas, ad addendos annos vitæ ipsius, ex sua oratione, ita è converso abreviari potuerunt 60. hebdomadæ ex oratione Danielis, ad velociorem adventum Salvatoris.

Sed dices, hoc nihil facit ad difficultatem præsentis controversiæ, nam quomodolibet abreviatæ sint, verificatur id, quod postea prædixit Gabriel, usque ad Christum ducem hebdomades 7., & 62. *erunt*. Respon. quod cum Gabriel abreviatas dixerit hebdomades 70., in quibus contineri possunt istæ 69., & altera media, quæ mox assignatur, nisi sciamus, quænam & qualis hæc fuerit abreviatura, non possumus computare fixa methodo hebdomadas 69. cum dimidia, unde quamvis verum sit quod totidem hebdomadæ dicentur, tamen quia talis abreviatura potest facere quod hebdomades minori singulæ mensura annorum componantur, vel quod alio modo, ex prædictis, sint abreviatæ, semper superest difficultas numeri annorum, & insuper non constat an talis abreviatura, quærenda sit, in hebdomadibus, quas Gabriel subjungit, an in aliis incognitis, quæ secundùm aliam providentiam prius fortè præscriptæ fuerant, maximè, quia non potest dici, quod talis abreviatio in hoc contigerit, quod 70. hebdomades redactæ sint ad 69., quia mox, ut dicit 69. addit, & aliam, in cujus medio deficiet hostia, & sacrificium, sicque adhuc sunt 70. Ad tollendas hujusce modi difficultates, quæ profunde considerantibus non sunt exiguæ, plures plura dicunt, nobis qui brevitatem conamur cum veritate conjungere placet audire, & exhibere eruditissimum Galatinum lib. 4. cap. 14. ubi in simili resp. & quod secundùm hebraicam veritatem, ubi dicitur in nostra vulgata, abreviatæ, ponitur nethach., quod idem est, ac præcisum, cum a verbo hebraico Hathach veniat, quod idem est, ac propriè incidere, seu præcisè adamussim statuere, ac determinare, unde ly abreviatæ, significat, determinatæ, ita ut alterari nequeat tale decretum, vel abbreviatæ idest consistentes in indivisibili, sicut res, quæ abreviari nequit, aut mutari, quia puncto insistit, vel sicut decretum regium, quod aliquando dicitur abreviatura, aut pontificium, quod breve nuncupatur, ex quibus, ut patet, non indicatur hoc loco aliqua abreviatio temporis, quæ sit materialis, sed potius præfixa stabilitas, unde difficultas, quoad hanc secundam partem evanescit. Quo supposito tota difficultas reducitur ad tempus, quodnam sit illud, a quo istæ annorum hebdomades cæperint ennumerari, quæ duplici via evacuatur, & quia contra Judæos potissimum agimus primo ad hominem sic. Sinè secundùm prophetiam, quam tractamus, computari incipiunt hi anni ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem: hic autem sermo nusquam prius, aut expressius invenitur exisse, quam Hieremiæ cap. 29. ubi sic. *Dicit Dominus, cum fuerint completi in Babylone 70. anni*

anni, visitabo vos, & statuam, vel erigam super vos verbum meum bonum, ut reverti faciam vos ad locum istum &c. & post. *Et congregabo vos de universis Gentibus &c.* & denique; *sic dicit Dominus, ecce ego convertam requietionem tabernaculorum Jacob &c. & ædificabitur civitas super excelso, vel aggere suo, & templum juxtà Judicium suum sedebit* (nota quod utimur pro nunc versione Galatini) at quandonam hoc Verbum, ab Hieremia eggressum sit, constat cap. 28. ejusdem, quod ita incipit, *& factum est in anno illo, in principio regni Sedechiæ regis Juda in anno quarto, mense quinto &c.* Quartus autem Sedechiæ annus fuit 12. Nabuchodon. nam Sedechias regnavit annis 11. 4. Reg. cap. 24., & Jerem. 52. cum capta, & combusta est Jerusalem, & templum, anno scilicet Nabuchodon. 19. Si ergo pronunc, ut arguamus eos ad hominem, stemus Talmudistis, qui in l. meghila cap. primo, ex Sacræ Scripturæ verbis colligunt ab illo anno 4. Sedechiæ, Nabuchodon. regnasse adhuc annis 34., addendo istis alios 23. quibus Evilmerodach filius ejus regnavit post ipsum, 57. annos habebimus, quibus addendo tres Balthassarris, filii Evilmerodach, jam 60. habemus. His quoque si duo anni Darii, & 30. quibus Cyrus ejus nepos regnavit, accedant, erunt 92. quibus adde annos 14. Assueri, & 6. Darii sub quo templi structura consumata est, certum erit, quod a prædicto eggressu verbi Hierem. usque ad secundi templi completionem, secundùm Scripturas Judæorum fluxerunt anni 112. Quibus si addantur anni 420. quibus templum secundùm constitisse indubitanter asseritur ab eis, habebuntur ab eggressu verbi, ex ore Hieremiæ de populi reditu, & de ædificatione templi, ac Jerusalem, usque ad ejusdem excidium anni 532. de quibus si 42. qui post Christum passum præterierunt subtraxeris, anni 490. remanebunt, qui 70. hebdomades Danielis constituent, unde ex propriis convincuntur Hebræi, prophetiam hanc in Christo omninò fuisse completam, nisi propria tollant ipsi principia, ex quibus licet perperam conantur ad falsum declinare. An autem etiam catholica sit hæc probatio affirmare tenentur hi, qui cum Hebræis computant annos totius cronologiæ, vel etiam cum 72. Interpretibus. Immò etiam Martyrologium Romanum, quod cum illis sentit, cum annunciat Christi Nativitatis solemnitatem ad diem 25. Decembris, ideò nec potest omninò negari, nec multò minus damnari, nisi accedat Ecclesiæ correctio, & stabilis determinatio. Varietas siquidem explicationum harum Hebdomadarum, ut supra notatum est, ex varietate historiarum, ex una parte hebræarum, ex altera verò Græcarum, & Romanarum resultat, quæ fidem humanam faciunt, non divinam: in hoc porrò diversitas est, quod Hebræi a quarto anno Sedechiæ, usque ad Christum passum, secundùm suas historias numerant annos 486. ac menses 6. ut vidimus. Secundùm verò tam græcas, quam latinas a prædicto anno ad Christum passum numerantur anni 611. Item juxtà illorum documenta, Templum secundùm, duravit annis 420. juxtà nostras verò duravit annis 559., si ergo nostras sequi volumus

A historias, aliter, & aliunde debemus inchoare numerationem harum hebdomadarum. Sit ergo ex eodem Galatino.

EXPLICATIO SECUNDA.

QUI numerare incipiunt ab eggressu sermonis, ut ædificetur Jerusalem, qui sermo prodiit ex ore Jeremiæ, de quo hactenus, non videntur simpliciter rem attingere; Ille enim non fuit sermo, ut ædificaretur Jerusalem, sed prophetia futuræ ædificationis. Verius igitur hunc sermonem accipiunt ferè communiter DD., eum fuisse, qui egressus fuit de ore Artaxersis Longimani Persarum Regis, anno 20. regni ejus, qui talis fuit, ut habetur Nehemiæ *cap. 2. Factum est in mense*
B *Nisan*, idest Martio, *anno 20. Artaxersis Regis, & vinum erat ante eum, & ego &c.* & denique petiit Nehemias, & obtinuit de ore regis facultatem ædificandi civitatem, & templum, & ad hoc missus fuit, quamvis a Cyro prius libertatem redeundi, & ædificandi accepissent, non tamen condendæ firmiter urbis, & Templi, immò Templum, quod Zorobabele Principe erigere cæperant, erat imperfectum, unde dici nequit, quod eggressum fuisset verbum regium, de ædificando, & perficiendo, & benè notandum, verbum illud ab exitu sermonis, quo denotatur non præcisè sermo, sed exitus sermonis, & ejus executio, sive saltem efficacia ad executionem perfectam, unde concludit idem Galat. *ab hoc igitur anno 20. Artaxersis Longimani*
C *juxta Angeli Instructionem, incipit vera numeratio hebdomadarum, quæ in Christo passo perfectæ fuerunt juxtà Græcam, & Romanam Historias, idque ostenditur sequenti cronicho. Post eggressum sermonem, Artax. adhuc regnavit annis 20. Post eum Xerses secundus duobus mensibus, inde Sogdianus mensibus septem, post quos Darius secundus, qui dictus est Nothus, id est Spurius an. 29. Artaxerses Mnemon, qui & Assuerus, & Arphaxad dictus est an. 40. qui fuit maritus Esther; ejusdem filius ex Esther, Artaxerses Ochus regnavit an. 27. Arsan Ochi filius post patrem suum regnavit an. 4. Darius Tertius Arsani Filius, in quo defecit regnum Persarum regnavit ann. 6. & sic ab eggressu sermonis, ut iterum ædificaretur Jerusalem, & templum, usque ad finem regni Persarum, habentur anni 126. minus tribus mensibus. Post Darii mor-*
D *tem, Alexander Magnus in regno Græcorum regnavit annis 6. cui successit Ptolemæus Lagi Filius, qui regnavit annis 40., cui successerunt Ptolemæus Philadelphus, qui regnavit an. 38. Ptolemæus Evergetes primus, & regn. an. 25. Ptolemæus Philopator, & regnavit an. 16. Ptolemæus Epiphanes, & regnavit an. 24. Ptolemæus Philometor, qui regn. an. 35. Ptolemæus Evergetes secundus, qui regnavit an. 29. Ptolemæus Phiscon, qui regn. an. 17. Ptolemæus Alexander, qui regnavit an. 10. Ptolemæus Soter, qui regn. an. 8. Ptolemæus Dionysius, qui regnavit ann. 30. Denique Cleopatra, in qua Græcorum regnum finem accepit, regnavit ann. 22. A morte igitur Darii Tertii, usque ad finem regni Græcorum numerantur anni 299. seu quasi 300., hinc Octavianus Augustus post mortem, Cleopatræ, translato*

in

in Romanos regno Græcorum, imperavit in Romanorum Monarchia annis 43. cui Tiberius successit, cujus anno 18. passus est Christus. Ab obitu ergo Cleopatræ usque ad Christum passum habentur anni 61. quibus si addantur 300. regni Græcorum, & 126. minus tribus mensibus regni Persarum, habemus ab egressu sermonis, de ore Artaxeris Longimani anno 20. regni ejus usque ad Christum passum, annos 487. minus tribus mensibus, qui 70. hebdomadas complent, minus tribus annis, & tribus mensibus, nam in dimidio ultimæ hebdomadæ, Messias occidendus erat. Et hæc videtur clarissima textus hujus adeo reclusi expositio, quam tradit sapienter Galatinus. Verum quia Galatino moderniores non conveniunt in hac Cronologia, nec admittunt, quod computandæ sint hebdomades istæ a decreto Artaxers. ut ædificaretur Jerusalem, & Templum, sed ab exitu primi sermonis de ædificanda Jerusalem, qui habetur Esdræ primo cap. 7. ubi dicitur quod Esdræ proficiscenti in Jerusalem, de Babylone concessit Rex fieri, quidquid Esdras petebat, in negotio, cujus resolutio non ex ratione, sed ex facto, non ex præciso textu, sed ex cronologiæ antiquioris intelligentia pendet, non audemus soli Galatino deferre. Videantur Alphonsus Salmeron in prolixo tractatu de hebdomadis tomo primo, in Evang., & Corn. a Lap. hoc loco, ne verò quid desit, breviſſimè sensum modernorum hac in re sic exhibemus. Exitus sermonis, a quo incipit hæc numeratio habetur Esdræ cap. 7. & fuit anno 7. Artaxerxis, ut patet ex regio diplomate, ibidem registrato, quod congruè dicitur, *exitus sermonis*, scilicet cum primo exiit sermo, ut ex propria phrasi intelligunt Hebræi, & constat quia cap. 9. Idem Esdras orans dixit. *Et nunc in servitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram Rege Persarum, ut daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extrueret solitudines ejus, & daret nobis sepem in Juda, & Jerusalem*, patet ergò tunc verè exiſſe sermonem de ædificanda Jerusalem. Insuper jussit Rex constitui civicas leges, & judices, Judæis reversis de captivitate, quod esse nequit nisi actum esset de ædificanda civitate, leges enim, & ordo civilis sunt ipsa forma, & perfectio civitatis, quod autem Nehemias tardaverit ædificare, nihil interest, quia Gabriel incipit computum ab exitu sermonis, non ab executione decreti. Hinc ergo, sive computemus ascendendo, sive descendendo, non inveniuntur hebdom. 69. sive anni 483. nisi ab hoc exitu sermonis, usque ad Christum ducem, scilicet quando in ejus baptismate declaratum est, ipsum esse ducem populi, per vocem illam, *hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*, & in medio alterius sequentis hebdomadæ Christus crucifixus est, & resurrexit, & confirmavit pactum multis illa una hebdomada, scilicet pactum, quod pepigerat cum Abraham, & Jacob, quod in ipso benedicerentur per redemptionem omnes Tribus terræ, vel confirmavit pactum sanguine suo, secundùm phrasim Apostoli, pactum, hoc est omnes promissiones, quæ de ipso erant in veteri pacto, unde & ait, *consumatum est*. Ratio autem hujus computi est, quia annus 7. Artaxerxis Longimani concurrit cum anno 4. Olympiadis 80. & cum anno Romæ conditæ 297. Baptismus verò Christi fuit anno 4. Olympiadis 201. & anno Romæ conditæ 781. quod tempus intermedium absorbet annos 483. qui sunt hebdom. 69. Favent huic intelligentiæ, S. Joan. Chrisost. & Joseph Hebræus apud a Lap. & plures moderni, & nobiliores Cronologi, qui verò aliam sequuntur cronologiam, eam debent ad Scripturæ Sacræ amussim examinare, cui si minus concordet, error erit, habemus enim firmiorem propheticum sermonem, quam humanas indagines.

Sed quæres, an possit uterque dicendi modus concordari, ut fixa statui possit intelligentia, & sententia in re tanti momenti. Respon. parum interesse ad concludendum contra Hebræos, nam utrovis ex his modis fiat computus, certum est, quod venit Messias, & omnes facti circumstantiæ comparatæ ad prædictionem Gabrielis evidenter ostendunt eum fuisse Christum, ipsaque continua perversitas Judæorum negantium Christum, apertè convincit implementum prophetiæ totius, in negativo maximè, quod semper durat, ait enim, *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est*, quod si velimus cronologias unire, quæ quoad præsens non multum discrepant, videtur dici posse, quod qui dicitur ab Esdra cap. 7. annus 7. Artaxerxis in una consideratione, dicatur 20. a Nehemia secundùm alium respectum, quia videlicet regnavit Artaxerxes, cum Patre suo Xerxe, ita ut qui erat annus 7. Artaxerx. esset annus 20. Xerxis, & ideò posset etiam dici annus 20. Artaxerxis, sed certè ad hæc non cogimur, cum clarum sit cronologias sæpè diffidere, factum verò evenisse procul omni dubio omnes norunt. Utrumque verò dicendi modum, ex professo proposuimus, ut inde sic argui possit, cum veritas una sit, alter ex his modis allucinatur, quoad numerationem indivisibilis temporis, & nihilominus ex singulis concluditur verificatam fuisse prædictionem Gabrielis, ergo non excusantur Judæi, si non credant venisse Messiam cumque esse Christum, causantes errorem cronologiæ. Hęc non modico sanè studio, ex antiquis hausimus, & modernis, qui plura voluerit, adeat præcitatos Salmeronem, & A Lapide, Qui nullum non movent lapidem, ut legitimam statuant hujus textus verificationem; sic, & Burgens. & cæteri Expositores, quos cum viderit, si adhuc scrupulus superſit, quoad apices cronologiæ, & similia, audiat Augustinum *Epist. 46., cum ea, quæ legis non intelligis, crede.*

CAPUT VI.

Prophetas minores, Christum litteraliter prædicentes excurrens.

Quia prophetiæ omnes istorum Prophetarum, unicum librum secundum canonem conficiunt, & quia, quæ de Christo prænunciarunt, vel coincidunt, cum jam adductis, ex quatuor majoribus, vel ex illis eorumque prælibata expositione

facilè intelliguntur, ideò ex his pauca, & sub uno A capite breviter recenseamus.

ARTICULUS I.

Tres priores ex prædictis prælibans.

Occurrit primò Oseas, de quo Augustinus *De Civit. Dei lib. 18. cap. 28. Oseas Propheta quanto profundius quadam loquitur, tanto operosius penetrantur, & erit, inquit, in loco quo dictum est eis, non populus meus vos, vocabuntur & ipsi Filii Dei vivi. Hoc testimonium propheticum, de vocatione Gentium, quæ prius non pertinebant ad Deum, etiam Apostoli intellexerunt &c. Postmodum cap. 3. ait, diebus multis sedebunt filii Israel, sine Rege, sine Principe, sine Sacerdotio, sine manifestationibus &c.* B *Quis non videat nunc sic esse Judæos? sed quid adjungat audiamus. Et postea revertentur Filii Israel, & inquirent Dominum Deum suum, & David regem suum, & stupescent in Domino, & in bonis ipsius in novissimis diebus. Nihil est ista prophetia manifestius, qua David regis nomine significatus intelligitur Christus, qui factus est, ut dicit Apostolus ex semine David secundum carnem; prænunciavit etiam iste propheta, tertio die Christum resurrecturum esse sicut prophetica altitudine prænunciari oportebat, ubi ait sanabit nos post biduum, & in die tertio resurgemus, cap. 6.* ità August. Addit, quæ de Amos, *Amos quoque de talibus sic prophetavit, præpara te, ut invoces Deum tuum Israel, quia ecce ego formans tonitruum, & creans spiritum, & annuncians in hominibus Christum suum, & alio in loco, scilicet cap. 9.* C *In illa die, inquit, resuscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo, quæ ceciderunt ejus;* ubi ne mireris, de varia fortè lectione a vulgata, nam August. sequitur 72. *Succedit Joel, & cap. 2. sic congratulatur de adventu Christi. Filii Sion exultate in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ, & descendere ad vos faciet imbrem serotinum, & matutinum.* Id enim SS. PP. Rupertus, Remig., Albert, cæterique communiter intelligunt dictum de Christo, juxtà illud Isaiæ *cap. 55. ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*, ipseque Christus ait Math. cap. 23. *unus est enim Magister vester &c.* nec alteri, quam soli Christo, sine addito id, competere potest, tum quia ipse est substantialis sapientia, tum quia ex D præcedentibus id indicatur, nam de nullo alio intelligi potest, quod pro ejus adventu tam singulariter sit exultandum, ideòque simili modo alii etiam Prophetæ invitant Sion, & creaturas omnes ad singularem exultationem, pro adventu Dei sui, ut constat passim ex Isaia, ac Psalmista, qui psal. 149. concludit Psalmum, & Filii Sion exultent in rege suo, ac similibus. Prophetavit Joel. cap. 2. etiam de adventu Spiritus Sancti, unde August. *lib. citat. cap. 30. Joel autem omnia, quæ prophetat, multis verbis compellit exponi, ut quæ pertinent ad Christum, & Ecclesiam dilucescant. Unum tamen, quòd etiam Apostoli commemoraverunt, quando in congregatos credentes, Spiritus Sanctus sicut a Christo promissus fuerat, desuper venit, non prætermittam.* *Et erit (inq;) post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt Filii vestri, & Filiæ vestræ, & Seniores vestri somnia somniabunt, & Juvenes vestri visiones videbunt, & quidem in servos meos, & ancillas meas in illis diebus effundam de spiritu meo. Hæc sunt verba Patris, qui postquam promisit Christum, ut doctorem justitiæ, & cum eo omnia bona, ut ait Apostol. ad Romanos cap. 8. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? promisit consequenter etiam Spiritum Sanctum &c.* sensus idem est Tertull. contra Marcionem cap. 4. 8., & 17. Vatabli, & Chrisostomi hom. 5. in act. Apostolorum, & notà quod bis dicit effundam de spiritu meo, sicut enim non a solo Patre procedit Spiritus Sanctus, sed a Patre & Filio, ut contra errorem græcorum sancta definit Ecclesia, ità etiam mittitur ab utroque, quod per repetitionem illam congruenter exprimitur, & quod hæc sit prophetia de Missione Spiritus Sancti, & ad litteram, sentit Princeps Apostolorum (ad quod respiciebat Augustinus) qui actor. 2. usus est hoc testimonio contra Judæos, qui repletos Spiritu Sancto, ebrietatis calumniabantur, & eum sensum sequuntur omnes PP. quos prolixo cathalogo recensent hic Expositores.

Sed quæres primò, quid in hoc testimonio intelligatur, nomine omnis carnis. Respond. intelligi omnem hominem, cujuscumque sexus, & conditionis, sicut idem Propheta exponit, de senibus, de Juvenibus, de Filiis, atque Filiabus, de servis, & ancillis, & planè eodem modo intelligitur, sicut cum dicitur Gen. cap. 6. omnis caro corruperat viam suam, sicut enim omnis caro corruperat viam suam per carnem, sive quia caro est, sicut ibi, non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, ita spiritus ut omnem carnem corrigeret, & viam spiritualem manifestaret effusus est, & sicut tunc aquæ diluvio deleta est omnis caro, ita nunc diluvio spiritus, uti quodam baptismo flaminis vivificata est, unde Joannes Matth. cap. 3. *Ego quidem baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est, baptizabit vos Spiritu Sancto, & igni.*

Quæres secundò, an talis promissio solis Judæis facta sit, an verò, & Gentibus. Resp. Rupertus, etiam gentibus, quæ exprimuntur per servos, & ancillas, Judæi autem, per Filios, & Filias. Rufinus tamen, & Montanus cum aliis, volunt solis Judæis factam esse, & per servos, & ancillas intelligunt Apostolos, & discipulos ac sanctas fæminas. At melius dicemus, ex Apostolo ad Rom. cap. 15. Judæis quidem antiquas promissiones convenire tamquam ex pacto, quia erant populus Dei, Gentibus verò ex misericordia, sic enim ait *Apostolus, dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones patrum, Gentes autem super misericordia honorare Deum.*

Prosequitur Propheta, *& dabo prodigia in Cælo sursum, & in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem &c.* Hunc locum PP., & quidem plures cum Cyrillo, Remigio, Aimone, & Hierony., intelligunt de Passione Christi, at quia Propheta, se expo-

exponit, quod dicit de die Judicii, ideò Hieron. *in fine* A *hujus capitis ; locus hic*, inquit, *difficillimus est, & multiplicem recipiens explanationem , ut sub tropologia, omnia quæ dicta sunt, ad illa tempora referamus, ad quæ Petrus, & Paulus Apostoli retulerunt , hoc est quando passus est Dominus , & resurrexit , neque enim fieri potest, ut superiora in tempore passionis, & quæ sequuntur intelligamus in die Judicii , maximè cum sequatur , quia ecce in diebus illis , & in tempore illo &c. , & iste versiculus præcedentibus inferiora connectens, uno dicat cuncta tempore perpetrata* : hæc Hieronymus . Quod verò difficultatem facit, est, quod Petrus actor. 2. totum hunc textum recitat , ad propositum suum, agens de Missione Spiritus Sancti, & Paul. ad Rom. 10. de priori adventu Christi accipit illa verba , per quæ ibi Joel concludit, omnis quicumque invocaverit nomen B Domini salvus erit . Communior itaque sensus est , hanc litteram agere de die Judicii , ità Tertull. de resurrectione carnis cap. 22., & alibi sæpè , Origenes tractat. 30. in Math. Chrisost. actorum 2. S. Thomas in catena 24. Math., & alii communiter . Ad difficultatem verò propositam , quatenus etiam contra communiorem opinionem exurgit , dicunt quidam per quamdam accomodationem , vel in mystico sensu, eumdem locum, ad diversissima etiam referri posse mysteria.

Sed adversus hæc omnia oppones : ea quę Apostoli sumunt de veteri Testamento, ea intelligunt, & adducunt in sensu litterali : sed D. Petr. act. C 2. totum hunc locum adducit , volens probare prædictum , multò ante a Propheta adventum Spiritus Sancti , ergo ad litteram locus iste est de tali adventu, addit enim etiam prodigia , de quibus nunc, idque, ut vidimus , difficultatem parit Hieronymo , & aliis , maximè quia Porphyrius calumniatur Apostolum , quòd abusus sit audientium imperitia , & simplicitate , quasi eos decipiens, & etiam de Paulo est respondendum.

Respon. quod eamdem connexionem , quam in se habet tota hæc prophetia , habet etiam in verbis Petri , non enim inquit Petrus , ea quæ dicuntur de Judicio , non esse intelligenda de Judicio, quasi de solo adventu Spiritus Sancti dicta, essent privativè , sed ea relicta in proprio sensu, addidit, quia corroborabant, ab ipso propositam veritatem , probatam clarissimè per primam par- D tem textus allegati. Ast dices, quæ corroboratio, quæ connexio est : Respon. quia ostenso tali summo beneficio, magis timere debebant Judicium Dei terribile ingrati calumniatores, quia quantò magis crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum, convicit ergo eos de veritate per primam partem, terruit eos de malitiosa calumnia, per secundam , sic enim ejus exigebat assumptum , in illis circumstantiis, sicque etiam Paulus docuit prædicatorem, argue, increpa, in omni patientia, & doctrina , non in ea tantum quæ immediatè , & quasi materialiter probat assumptum , de verbo ad verbum , sed in omni , quæ cum fine intento habeat proportionem . In formà igitur conc. majorem, & distin. minorem , adducit Petrus totum hunc locum servato proprio ejusdem loci sensu , concedo minorem, eo variato, nego min. Sic autem intellectus sermo D. Petri, ut revera est , nemini potest facere rationabilem difficultatem , sicque confunditur iniquus Porphyrius, convictus de imperitia rationalis discursus , & de calumnia emendicata a propria iniquitate, & ignorantia. Ad locum Pauli dicendum , quod sicut Propheta ostenso diè Judicii, concludit per propositionem generalem , quæ non exprimit peculiarem aliquam circumstantiam spectantem præcisè ad Judicium , sed potius ideò potest dici de Judicio , quia omni tempori congruit , Ita liberum est cuique eam assumere , & applicare cuilibet tempori , cui ex proprio litterali , & primario sensu est applicabilis, non enim nomen Domini invocatum salvat solum in Judicio , sed ubique & semper , quia talis virtus ipsius Jesu est , non est Judicii ; *neque enim est aliud nomen sub Cælo datum hominibus , in quo oporteat nos salvos fieri*, ait Petrus act. c. 4. immo ipse Joel id non applicat Judicio , tamquam tunc invocandum sit nomen Domini ad salutem, quia tunc non erit amplius tempus , sicut Angelus juravit Joanni , Apocalip. cap. 10. Sed potius ejus sensus est , quod illi salvi erunt in Judicio , qui prius sanctissimum nomen salutis, prout oportet, invocaverint , quod notans Apostol. eam sententiam applicat primo Christi adventui , ut ex illo homines incipiant invocare Jesum, ut postmodum salvi fiant.

ARTICULUS II.

Abdiam, & Jonam attendens.

ABdiæ cap. unico, *Et in monte Sion erit salvatio , & erit Sanctus , & possidebit Domus Jacob eos ; qui se possiderant &c.* ubi Theodoretus . *Reducam eos ex captivitate , & Sanctum templum reædificabo , pronunciat salvationem exortam ex Sion , & sanctificationem inde in orbem terrarum profusam per ecruem Salvatoris* . Albertus etiam & plures, alii, inter quos Rupertus : *vera salus in Sion erit , quia vera esse non potest nisi sit æterna*, id ad litteram compleri cæptum est , quando secundùm Templum , & urbem instaurarunt , in quòd introivit verus Salvator, & Redemptor Jesus Christus, ex quibus , & ex intima perpensione textus , patet hanc litteram Christum respexisse, non alium , vel alios , quis de nemine constat, ex tempore hujus prophetiæ, quod salvationem induxerit in montem Sion, & fuerit Sanctus absque addito , nisi de illo, qui sub hoc nomine annunciatus est , cum ait Gabriel ad Virginem , Lucæ c. primo *quod enim ex te nascetur, Sanctum vocabitur*.

Obiicies ex Hieronymo , Cyrillo , Remigio , & Ugone, in annotationibus ad hunc locum, hæc intelligi de reditu Judæorum è Babylone, ut prædicti Doctores putant, quasi supponentes hæc ante Christi adventum fuisse impleta, quamvis id definire non præsumant , unde Hieron. *hoc utrum factum sit, Deus viderit , potest enim ex parte per annos 500. ante Christum* esse completum, quo posito

 sic

sic oppones; certa regula est, quod ille est sensus litteralis, quem verba propriè accepta reddunt, sed verba hæc Abdiæ, propriè significant fælicitatem Judæorum temporalem, post reditum è Babylone, ergo perinde se habent ad Christum. Respon. primò ex Augustino *De Civit. Dei l. 18. cap. 31.*, ubi ait; *Tres Prophetæ de minoribus, nec sua tempora dicunt ipsi, nec in cronicis Eusebii, & Hieronymi, quando prophetaverint, invenitur*. Si ergo nescitur, quo tempore prophetavit Abdias, quomodo certò potest ex historia constare, quod antiquis illis temporibus impletum sit, de eo quod prædixit? Respon. secundò, contextum bene ponderatum indicare potius veram sanctitatem, & fælicitatem, quæ in temporalibus non consistit. Regula verò adducta stat pro nobis, quia cum probari nequeat prædictam fælicitatem temporaliter evenisse, constet autem spiritualem realiter datam esse per Christum, ut certa sit prophetia, debet sumi de Christo, & hic sensus uti primus, & certus, contentus in verbis, est propriè litteralis, si enim dubius est sensus litteralis temporarius, ut vidimus, ei innitendo dubius etiam esset sensus mysticus, quia hic in illo fundatur, nec est per se intentus, quamvis prævisus, si ergo sensus hic de Christo non est dubius, quippe certò videmus impleta per ipsum, quæ hic prædicuntur, jam non est spiritualis, seù mysticus, sed verè litteralis: sic etiam intelligit Augustin. loco citato, *de Christo agnoscere possumus*, quod ait inter cætera. *In monte Sion erit salus, et erit Sanctum, et paulo post in fine prophetiæ, et ascendent, inquit, resalvati ex monte Sion, ut defendant montem Esau, et erit Domino regnum. Apparet quippe, id esse completum cum resalvati ex monte Sion, idest ex Judæa credentes in Christum, qui præcipuè agnoscuntur Apostoli, ascenderunt, ut defenderent montem Esau. Quomodo defenderunt, nisi per Evangelii prædicationem salvos faciendo eos qui crediderunt, ut eruerentur de potestate tenebrarum, et transferrentur in montem Dei, quòd consequenter expressit addendo, et erit Domino regnum? Mons enim Sion Judæam significat, ubi futura erat prædicanda salus, et sanctum, quòd est Christus Jesus. Mons verò Esau est Idumæa, per quam significata est Ecclesia gentium, quam defenderunt, sicut exposui: hoc obscurum erat antequam fieret, sed factum quis non fidelis intelligit?* Secunda pars, *et possidebit Jacob eos, qui se possidebant*, eodem modo exponitur, quia Fideles per Christum acceperunt potestatem super omnia Dæmonia, a quibus prius possidebantur: aliter non potest verificari prophetia, quia temporaliter, & materialiter Jacob non possedit Egyptios, nec Assyrios, nec alios quoscumque, a quibus fuit ante possessus: sed etsi temporaliter accipiatur prophetia, adhuc respicit litteraliter Christum, jam enim videmus, quod vera Fides, & confessio veritatis Christi, quos prius hostes habebat, teste tot Martyrum sanguine, nunc habet adoratores, juxtà sensum Psalmistæ, *venient ad te qui detrahebant tibi, et lambent vestigia pedum tuorum*. Vel denique secundum Lyranum, & Rupertum, intelligitur totus textus, de die Judicii, tunc enim verè instau-

A rabitur Davidicum Regnum, & sic ex omnibus conversis ad Fidem, fiet Domino unum Regnum Ecclesiæ militantis, ac post diem Judicii, Ecclesiæ triumphantis, nam ut ait Apostol. prima Corin. cap. 15. cum subjecta fuerint Christo omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit Patri, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

Ex Jona Propheta nullum dictum apertè ad litteram de Christo habemus, sed factum potius speciali quodam modo, ideò solo sensu mystico, Christum videtur prænunciasse, attamen si benè ponderemus, distinguentes sensum mysticum a litterali figurato, qui certè non amittit rationem litteralis, ex eo quod eum associetur, & elevet figurà dicen-
B di, etiam litteralem in eodem, de Christo adstruemus. Breviter igitur notamus, quæ dicit Jonas cap. 2. orans cum ait, *& sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus*. Hoc enim dictum est in persona Christi, per respectum ad ejus resurrectionem, quod ex eo patet, quia cum ait David Ps. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, facit eumdem, aut similem sensum; cum igitur attenta communi intelligentia, hoc intelligatur dictum a David propheticè in persona Christi, eodem modo censetur & Jonas locutus. Nec dici potest in toto rigore factum Jonæ facere sensum dumtaxat mysticum de Christo, tum quia debet sumi cum explicatione facta, tum ab ipso, cum a com-
C muni intelligentia, & quod plus est a Christo Domino, tota enim Scriptura unicam habet veritatem, adde quod sensus præcisè mysticus, non est intentus per se primò a Spiritu Sancto, & tamen scimus, in hoc casu intentum fuisse Spiritus Sancti, quod Jonas devoraretur a pisce, & post tres dies, ab eo quasi resurgens è sepulcro exiret, & hoc narraret, adhoc ut Christus, nedum expectaretur futurus, & moriturus, ut liberaret populum, doceretque pœnitentiam, & crucem, sed etiam ut resurrecturus, ideoque ipse Christus hoc supponens dixit de Pharisæis Matth. cap. 12. *Generatio prava, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ sicut &c.* & hoc ipsum dici potest de Jonæ prædicatione, de qua idem Christus, *& plusquam Jonas hic*. Unde August. *de Civitate Dei l. 18. cap. 30. Jonas autem Propheta, non tam sermone, quam sua quadam passione
D Christum prophetavit, profectò apertius, quam si ejus Passionem, Mortem, & Resurrectionem voce clamaret; ideò quamvis non ad litteram eo modo, quo alii, tamen peculiari, & singulari modo, quoad fundamentum litteræ, & ipsam rei expressionem, Christum prophetavit, aliter littera ejus potius historica, quam Prophetica esset, narrat enim, quæ sibi evenerunt, & quod prophetavit de subversione Ninivè fuit comminatio, non prophetia, ut eventus ostendit, qui ergo prophetam ipsum dicimus, in ejus littera invenire debemus prophetiam, & dicere, quod sicut in facto, ita & in dicto, in persona Christi locutus est, & adhoc fuisse assumptum, ideoque ex intento Spiritus Sancti*; hæc ex Augustino, qui quoad nos auctoritate prævalet, quoad Judæos ratione, ipsi enim, & sciunt,

& fateu-

& fatentur, Jonam verè, & quoad litteram Prophetam fuisse &c. Jam ergo satis.

ARTICULUS III.

Mychea, Naum, & Abacuch litteram prælibans.

MIchæas cap. 4. *Et properabunt gentes multæ, & dicent: venite ascendamus ad montem Domini, & domum Dei Jacob, & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus, quia de Sion eggredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem*, & prosequitur de Ecclesia Gentium, ac de Christo &c. Hic textus expositus est Isaiæ cap. 2. ubi primo iisdem prope terminis exultat. Eadem prophetia, duplex Propheta, ad quod fortè respexit Christus, cum ait, *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*, hoc est ipse Christus. Convenientia sunt testimonia, duo testes, & annunciant omne verbum, etiam sub hac ipsissima expressione, & verbum Domini de Jerusalem, & quamvis Christus primò exierit a Betlehem, tamen etiam tunc verbum Domini exivit de Jerusalem, ubi erat mons Sion, quia Magis adventantibus, & interrogantibus, ubi est qui natus est &c. responderunt Judæi, & tu Betlehem terra Juda &c. quæ est prophetia ejusdem Micheæ, & ita primum verbum manifestativum verbi Dei, exivit ex Jerusalem, at quia exitus magis propriè designat quid ultimum, intelligimus fortè melius pro hoc exitu ex Jerusalem illum, quando Jesus bajulans sibi crucem exivit de Jerusalem in eum, qui dicitur Calvariæ locus: tunc enim simul de Sion exivit lex, quia Christi sanguine deleta, antiqua lex timoris, apparere ulterius erubuit, ubi nota, sicut cum primò in Sinai data fuit, terror, tonitrua, fulgura, & voces eam annunciarunt, ita cum exivit de Sion, ut tolleretur, terra tremuit, & obscuratus est sol, immò & petræ scissæ sunt, sicut petras hoc est tabulas lapideas tunc fregit Moyses, & tenebræ factæ sunt, ne amplius appareret, ut eadem solemnitate, qua ingressa fuerat, eggrederetur, sicque firmatum est, quod ait Apos. quod omnia in figura contingebant illis, quod prophetici terrores in Sinai, horrendum Judæorum scelus in Calvario perpetrandum, rerumque omnium sensum, ac dolorem in Christi morte futurum prædicebant, cum fracta postmodum fuit petra, in qua lex omnis sculpta erat, scilicet Christus, petra autem erat Christus. Nec tamen per hoc negamus, quod plures SS. Interpretes intelligunt (plures siquidem sensus etiam litterales habet quandoque idem textus Sacræ Scripturæ, ut pronunc supponimus, & suo loco ostendemus) qui videlicet sic explicant de Sion exibit &c. quia in monte Sion congregatis advenit Spiritus Sanctus, & inde exivit lex amoris, scilicet Evangelica, & verbum Domini de Jerusalem, quia illic incæpit prædicatio, cum Petrus exposuit testimonium Joelis, & in omnes Gentes gratia, & lex Gratiæ diffusa est, quia audiebat unusquisque proprio sibi idiomate loquentes Apostolos, & Paulus, actor. cap. 13. intelligens dictum de Apostolis

A illud Isa. cap. 49. *dedi te in lucem Gentium* &c.
dixit: *vobis primum hoc verbum missum est, sed*
quia &c. ecce convertimur ad gentes, sic enim præ-
cepit nobis Dominus, Isaia cap. 49. Dedi te in lucem
Gentium, sic etiam Lyran. Montan. Ruper Dio-
nys., & alii plures hoc loco, prior autem expo-
sitio, & ipsa suo nititur fundamento, quia lex
magis videtur stare antonomasticè, & in commu-
ni sensu pro veteri Testamento, quam pro novo,
immò uterque dicendi modus concordat, quia cer-
tum est, quod adveniente nova lege, vetus reces-
sit, idemque qui fuit exitus, & recessus veteris,
fuit exitus, idest accessus novæ, ideoque qui stant
pro secundò dicendi modo, debent pariter adduci
etiam pro primò, & hoc denique indubitatum est,
quomodocumque intelligamus, hanc litteram verè
B Christum legislatorem, & Ecclesiam ejus respicere;
sic enim ait. *Et tu Betlehem Ephrata, parvulus es*
in millibus Juda, ex te mihi eggredietur, qui sit do-
minator in Israel, & eggressus ejus ab initio, a die-
bus æternitatis. Adeò clarè de Christo loquitur hęc
littera, ut nec ipsi Judæi ausi sint de hoc dubitare,
unde ut supra notavimus, ipsi ex hoc testimonio
Magos docuerunt, ubi Christus natus erat, ut pro-
prio se ore damnarent inexcusabiles, in terra enim
ipsorum Magi requirebant Christum, quem ipsi in
sua esse non agnoscebant, & tamen esse asserebant,
ab initio huc usque se ipsos impugnantes, & de-
struentes. Hac evidentia convictus Herodes, certo
odio procedens, innocentes a bimatu, & infra,
in Betlehem, & finibus ejus occidit, Matth. cap.
C 2.; & Joan. cap. 2. Quidam è plebe dicebant,
nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de
Betlehem castello, ubi erat David, natus est Chri-
stus? quapropter omninò futile commentum est,
quod somniarunt quidam Judæi, tempore Chri-
sostomi, ut ipse refert in cap. 2. Matth., & Theo-
philat., & alii, videlicet hanc prophetiam fuisse de
Zorobabel, qui certè natus fuit Babylonę, unde
nomen ejus Zorobabel, idest *Semen Babel*, cui si-
mile est, quod alii intelligunt de Ezechia, qui jam
erat adultus, tempore istorum prophetarum, ut
communior sententia tenet, & natus fuit Jeroso-
lymis, non Betlehem. Nullus igitur dubitandi lo-
cus, vel ipsi remanet invidię, contra sensum uni-
versalem, quod hęc littera solum respicit Chri-
stum. Variant solum Expositores, quoad verbo-
D rum materialem intelligentiam; attentis diversis
versionibus, quod ad rem nostram non facit in
pręsenti. Breviter ergò cum Hieronymo Haimon.
Remig. Isydoro, cęterisque communius, tam Grę-
cis, quam Latinis, sic intelligi debet. *Tu ò Bet-*
lehem Ephrata, parvulus quidem es viculus, ut non
possis, quoad hoc comparari tum magnificis tot, tan-
tisque urbibus Juda, at ex dignitate, quam habe-
bis ex duce illo expectatissimo, qui ex te proditu-
rus est, nequaquam minima, sed omnium maxima
censeris, & in hac paraphrasi continetur, quid-
quid ex varia lectione, seu translatione resultat,
omnis enim versio, eumdem hunc sensum, & re-
spectum ad Christum includit, at quia dicit, ex te
mihi eggredietur., dubitant aliqui ad quem refera-
tur, ly mihi. Sed Apost. loquens de Verbo Dei,

seu

seu Filio Dei Incarnato, respondet dicens, *qui factus est ei, ex semine David*, ergo Deo, nec tamen displicere debet, quod alii referant ly mihi, ad ipsum Prophetam, quatenus ut talis stabat pro populo &c. Ita Albertus. Et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis: Sanctus Noster Cyrillus super hanc prophetiam, per egressum accipit duos Christi exitus, a Patre in mundum per assumptam humanitatem, & a mundo ad Patrem, per Ascensionem, sicut *Jo. cap. 13. Sciens quia a Deo exivit, & ad Deum vadit, & cap. 16. Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*, & Psal. 120. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc, & usque in sæculum*. Plenè id explicat Hieron. hoc loco dicens. *Ac ne putes eum de genere David tantum esse, carnis assumptio divinam non impedit majestatem; de me enim natus est ante sæcula omnia, & idcircò egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*: & infrà, *qua de Betlehem egressus est Christus, & egressus ejus non eo tantum fuerat tempore, quo visus in carne est, sed ab initio æternitatis, sive ab initio sæculi, quia semper ipse locutus est per ora Prophetarum, & sermo Dei factus est in manu eorum*. Ex quibus, & ex doctrina Augustini, oratione contra Judæos, & alibi, ac ex communiori sententia, ibi exprimitur divinitas Salvatoris, ac æterna Verbi origo, quod enim prius dixit egressurum ex Betlehem, est homo, qui ab initio a diebus æternitatis, Deus declaratur, quia dies de die, lumen de lumine, Deus verus, de Deo vero, unde dies diei eructat Verbum, & nox scilicet humanitas, quæ operit diem, scilicet divinitatem, nocti idest omnibus hominibus indicat scientiam æternitatis: nec moveat, quod dicit ab initio, quod in æternitate non invenitur, nam per hoc non significatur, quod æternitas habeat initium, sed quod ab ipsa incipiant omnia, vel per ly ab initio, significat initium humanitatis Christi, per id verò, quod sequitur, scilicet per dies æternitatis, respicit divinitatem.

Ex prophetia Nahum, perpauca August. *de Civ. Dei l. 18. cap. 31. Nahum verò prophetam audi, sic per illum Deus; exterminabo inq. sculptilia, & conflatilia ponam sepulturam tuam, quia ecce veloces super montes pedes Evangelizantis, & annunciantis pacem. Celebra Juda dies festos tuos, redde vota tua, quia non adiicient ultrà, ut transeant in vetustatem, consummatum est, consumptum est. Ascendit qui insufflat in faciem tuam, eripiens ex tribulatione*, sic cap. primò. *Quis ascenderit ab inferis, & insufflaverit in faciem Juda, hoc est Judæorum discipulorum, spiritum recolat sanctum, qui meminit Evangelium: ad novum enim Testamentum spectant, quorum dies festi inespiritaliter innovantur, ut in vetustatem transire non possint. Porrò per Evangelium exterminata sculptilia, & conflatilia, idest Idola Deorum falsorum, & oblivioni tamquam sepulturæ tradita jam videmus, & hanc etiam in hac re prophetiam completam esse cognoscimus*. Hæc August. Quamvis autem Cornelius a Lap. hoc loco August. mysticè asserat interpretari, quia sensus litteralis, ut ipsi videtur, hujus prophetiæ, est contra Senacherib., attamen, & quia nihil impedit ejusdem loci duplicem esse sensum litteralem, & quia hic S. Thomas apertè procedit per sensum litteralem, dicens hic impleri prophetiam in nostra Ecclesia; sicut realiter impletur, quod prædictum est, ita debet intelligi realiter prænunciatum, quia realiter non spiritualiter prophetia impletur, quamvis res per quam impletur, Spiritualis sit, non spiritualitate sensus, sed rei, & facti, nec in hoc immorandum esse censemus, cum nihil efficax ad suadendum, quod ibi asserit adducat Cornel.

Nunc pauca abrevianda sunt, quæ Abacuch de Christo ad litteram prænunciavit *cap. 2. scribe visum &c. quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta illum, quia veniens, veniet, & non tardabit*. Quidam veteres cum Theodoreto, Adamo, & Montano, hoc intelligunt de excidio Imperii Babylonici, post 70. annos, & liberatione populi Judaici per Cyrum &c. sed hoc non videtur ad rem, quia visus procul, & apparebit in finem, aliquid plus quam dictos annos importat; & Apost. ad Hebr. cap. 10. Hoc testimonium adducit de adventu Christi, *adhuc modicum*, inquit, *aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit. Justus autem meus ex Fide vivit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ &c*. ergo ad litteram loquitur Propheta de Christo, ac propterea ita intelligunt Eusebius de demonstratione Evang. Haymo, Remigius, Rupert. hic, & Hieronymus, qui ibi manifestè, inquit. *In his, de adventu Christi, prophetia est, unde & proposita quæstio solvitur, quod donec ille veniat, iniquitas dominetur in mundo, & Judicium non perveniat ad finem &c.* & ita concludit, postquam, quod intendimus, manifestè probavit. Caput tertium orationem Habac. continet, quæ tota ad litteram, tam evidenter procedit de Christo, ut nemo possit, qui sincerè legat, aliter etiam, textum distorquendo, sentire, unde Hieron. respondens quæstioni, in principio hujus capitis, an decens sit orare cum cantico, dicit, *orare dicimus Prophetam pro adventu Christi, & ipsum cum delectatione, Psalmis, & cantico prophetare, ut in eo, quod oratio est deprecatur Patrem, & in eo, quod canticum, Patris qui miserit Filium, & Filii qui venerit, laus dicatur*. Prius autem in prologo: *manifestissimam*, inquit, *prophetiam de Christo in octavo Propheta; idest in resurrectione Domini numero differamus &c.* ita sentiunt August. loco nuper cit. Cyprianus l. 3. contra Judæos cap. 21. Eusebius l. 6. demonstr. Evang. cap. 17. Theodoret. Euthim., Theophilus, Haymo, Rupert., Titelm. cæterique communiter. Prophetam ergo, se exponentem, propriæ relinquamus claritati.

ARTICULUS IV.

Novissimos 4. Minores Prophetas, de Christo interrogans.

QUO magis ad proprium, quem intendit finem accedit, tantò clarius emicat prophetia; ex Sophonia omissis, quæ cap. primò, & secundò

secundò non sunt clarè de Christo, sed potius futuram tum, concernunt Judæorum captivitatem, Caput tertium apertè prænunciat Christum, ejusque mysteria, præcipuè verò judicium, dicens. *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis mea in futurum, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei, in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis labium clectum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno &c.* Ubi Hieronym. postquam hunc locum exposuit, de die Judicii, *possumus*, inquit, *hunc locum exponere de primo Christi adventu, quando omni errore sublato, dæmonibusque calcatis, unicum confessionis redditum est labium &c.* Consultis autem omnibus Interpretib., & Expositorib. Cornel. a Lap. *communis*, ait, *sententia Græcorum, & Latinorum quin, & Hebræorum est, hæc tam augusta promissa, ad tempora Christi pertinere, ab eoque esse completa in primo adventu, ac multo magis complenda esse in secundo. Vocat ergò primò diem resurrectionis, diem tertium quo Christus a mortuis resurrexit, secundò resurrectionem universalem, qua dicitur Christi, quia per ejus gratiam, & virtutem omnes resurgent, nam resurrectio Ecclesiæ, quasi corporis, fit per resurrectionem capitis, & etiam quia resurrectio Christi, in Judicio apparebit toti mundo &c.* Ita etiam sentit August. loco supracitato.

Jam ad Aggæum attende, quam pulcrè ait *cap. 2. Spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere; Quia hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria &c. Magna erit gloria Domus hujus novissimæ, plusquam primæ.* Sentiunt omnes sine controversia, locum hunc indubitanter ad litteram esse de Christo: ast dices si de Christo, ad quid primò dicit de Spiritu, quam de Christo, cum missio Spiritus Sancti non fuerit ante Christum? Sed dicere possumus, non de sola Spiritus Sancti missione sensum esse, sed quia verè Spiritus Domini semper fuit cum Christo, unde ei Petrus: verba tua, spiritus, & vita sunt. Magis verò peculiaris intelligentia est, quia primum Incarnationis initium fuit annunciatio facta B. V. cui dictum est Spiritus Sanctus superveniet in te &c. ex quo conceptus est Christus, ideò summum hoc mysterium a primò velut gressu describens, prænunciat Spiritum Sanctum, immò ne de hoc dubitemus, verbis eisdem, vel similibus utitur Gabriel, & Propheta; hic dicit, *nolite timere*, ille, *ne timeas Maria*.

Quæres quomodo commotum est cęlum in Christi adventu. Respon. Cornel. a Lap. hoc loco. *Prima commotio fuit, cantus Angelorum, gloria in altissimis Deo &c.* poterat prius assignari missio Gabrielis ad annunciandum Virgini Immaculatæ filium Deum, cum nedum descendit Angelus, sed & Dominus Angelorum. Trinitas tota, Pater Filii sui maternitatem impertiens Virgini, Filius assumens ex ipsa carnem: Spiritus Sanctus obumbrans, & formans conceptum. *Secunda*, inquit, *commotio fuit, stellæ apparitio, quà Magos vocavit. Tertia, quia Augusto Cæsari præter alia signa cælestia, quæ ipsi facta sunt, ratione hujus adventus, apparuit B. Virgo divinum Infantem in ulnis gestans, in Capitolio, cum antè, ipse Apollinis oraculo edoctus natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium imponebat, eidem in Capitolio aram erexisset. Hoc titulo. Ara primogenito Dei, qua ratione postea Constantinus Imperator, in memoriam Dei Genitricis templum construxit, quod nunc dicitur: Ara cęli.*

Quæres secundo, quænam commotio facta est in terra? Respon. primò, magna illa commotio, quando exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Secundo alia commotio facta est digna Deo, ignota mundo, nempe de bello ad pacem, quia nempe advenit toto orbe in pace composito, quod superat & mores hominum, & naturam, cum teste Job, militia sit vita hominis super terram. Alia tamen notabilior commotio facta est, cum placidissima, & mitissima pacis Mater Immaculata Virgo, ad Gabrielis visum turbata est, summæ humilitatis miraculo, quo super omnia exaltabatur depressa, ut ei occurreret, qui humiliabat tunc semetipsum, formam servi accipiens, ex forma ancillæ, ne ab initio Filius esset dissimilis Matri, aut Mater Filio. Hæc fuit turbatio, hæc commotio, ascenderunt ima, descenderunt summa, & quo magis infima ascenderunt; eo magis & descenderunt, quò plus summa descenderunt, eo & plùs elevata sunt, unde & facta est mirabilis illa compositio, qua & summa, & infima steterunt in medio; Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus. Mediatrix Judicis, & peccatorum, nunquam peccatrix, innocentissima Virgo Maria. Alia plurima describit Orosius, quæ commotionem hanc ostendunt l. 5. cap. 2., & l. 7. a c. 2. Pluraque etiam cæteri, vide Alap. hoc loco. Concludit verò omnia August. *l. citato de Civitate Dei cap. 35. Movit Cælum, Angelorum, & syderum testimonio, quando Incarnatus est. Movit terram ingenti miraculo, de ipso Virginis partu, movit mare, & aridam, cum & insulis, & in toto orbe Christus annunciatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad Fidem: Et veniet desideratus cunctis gentibus; de novissimo ejusdem expectatur adventu. Ut enim desideratus esset expectantibus, prius oportuit eum dilectum esse credentibus.* Sic August., & quidem contra se ipsos fassi fuerunt Judæi, ipsum esse Christum, cum eum accusantes dixerunt de ipso, *commovet universam Judæam*, & iterum, *ecce mundus totus post eum vadit*, & denique, in quo pariter nescientes prophetaverunt, dicentes *venient Romani, & tollent locum nostrum, & Gentem*, ipsi quidem conditionatè sic dixerunt, sed revera erat absolutè decretum, & facto ipsi senserunt, & quotidie sentiunt.

Quæres tertio, quomodo verificatur, quod dicitur: *major erit Gloria Domus hujus novissimæ, plusquam primæ. Respon.* confunduntur hic Judæi, non invenientes majorem hanc gloriam Domus Domini, quæ hoc loco prædicitur. Carnales siquidem nudam litteram materiali modo sumentes, admirantur, & quærunt hanc gloriam, quæ cum destructum sit Templum Salomonis, & illud quod reædifi-

dificatum est post captivitatem, deficiente ipsa Domo esse amplius non possit, nec æqualis nec minor gloria, ac prius erat. Ast videant denique, si possibile est eorum pervicacissimæ cæcitati ingredientem Dominum Jesum verum filium Dei, in Templum, vel cum oblatus est a Virgine Matre, & receptus a Simeone, vel cum disputat, & interogando docet, vel eum eiicit vendentes, & ementes a Domo Patris sui, vel cum quotidie apud ipsos docet, & mirabilia operatur, quæ nemo facit nisi solus Deus. Discant venisse expectatum, eumque, qui prius in templo apparebat in nube, denique in eodem apparuisse personaliter in carne, sicque concludant, quam major sit gloria Domus hujus secundæ plusquam primæ. In primo siquidem Salomonico Templo, numquam fuit nisi in mysterio, in figura, & per Angelorum ministeria, in secundo ipsemet Deus in carne, & quidem realissime in carne, ut carnalis populus nihil haberet amplius, quòd optaret, sed in propria propriissimè venit, & sui eum non receperunt.

Resp. 2., & non minus propriè, domum hanc secundam, esse Ecclesiam, primam verò Sinagogam. Quantò autem major sit gloria Ecclesiæ, quam Sinagogæ, ipsimet Judæi ad sensum quoad omnia, velint, nolint, palpant, & sentiunt. Ad quem sensum respicit Hieronym. hoc loco dicens, *verè postquam ille venit, impleta est gloria Domus Domini, & quantum Dominus distat a servo, tanto Domus Domini melior est, cui præest Dominus, a Domo priore, cui præfuit servus.*

Hinc quasi in Echo hujus gloriæ, vocat nos Zacharias ad exultationem, pauca quidem ex ipso damus de Christo ad litteram, sed talia, ut clamante nunc facto nequeat surda perversitas excusari. Ait itaque cap. 9. ipsumque sic legit August., & explicat loco nuper citato. *Exultà valde filia Sion, Jubilà filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi, justus, & Salvator, pauper ascendens super Asinam, & pullum ejus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus, usque ad fines orbis terræ. Hoc quando factum sit,* subdit August. *ut Dominus noster Jesus Christus in itinere, jumento hujus generis uteretur, in Evangelio legitur, ubi & hæc prophetia commemoratur ex parte, quantum illi loco sufficere visum est &c.* cum ergo sic referatur factum in Evangelio Matthæi cap. 21. jam de fide est eam prophetiam fuisse de Christo ad litteram, & de hoc nemo dubitat ex Catholicis. Judæi verò prophetiam negare nequeunt, & factum sciunt, quo impleta fuit, ideòque ad Christi contemptum, similem, temporibus Origenis, ut narrat Eusebius, cum psalmis, & ramis olivarum celebrabant processionem ad ludibrium, improperia in Christum evomentes, sic perversitate conscientiam reprimentes, quæ posita prophetia, & implemento ejusdem, semper in eis remurmurat, & eos damnat nequissime, ac voluntariæ incredulitatis. Alteram verò partem prophetiæ, quæ fidei prædicit universalitatem, impletam scimus, & perficiendam denique in sæculi consumatione speramus.

Sed quæres quomodò fieri poterit, ut Christus sederet super Asinam simul, & pullum. Respon,
A Abul. q. 13. in c. 21. Matth. sedit super utrumque, sed uno post aliam usus fuit ad mysterium servandum Sinagogæ, & populi Gentium, Alii quidem aliter respondent, sed rationabilius Abulen. quia magis conformis sententiæ PP. Prosequitur idem Propheta *eodem c. v. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Non inveniunt Judæi, de quo fingant loqui Prophetam, nec lacum assignare possunt cum proprietate, nec personam, quæ vinctos suos è tali lacu emiserit, & quamvis conentur de solutione captivitatis Babylonicæ id explicare, nequeunt hunc sanguinem invenire, de quo dicitur, *in sanguine testamenti tui*, ex quo, & ex facto ipso indubitanter hanc litteram, Christum constat
B prædixisse, qui in triduo mortis suæ, cum descendit ad Inferos eduxit vinctos suos, idest PP., antiqui testamenti, de lacu illo, in quo non erat aqua ulla refrigerans, ut dulciorem absorberent, quam postmodum ministravit Filius Mariæ Christus Jesus ad eos eruendos triumphaliter accedens. Ideò Hieron. hoc loco dicit, hanc esse vocem Patris ad Filium, sicque explicat, tu qui in sanguine passionis tuæ, eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est misericordia, tua elementia liberasti. Denique postquam Dominus resurrexit, hi qui peccatis Adam, & mortis vinculis tenebantur, cum eo resurrexerunt, & apparuerunt in Sancta Civitate. De hoc sanguine etiam ipse, futuram indicans passionem, ad discipulos loquebatur. *Hic est enim Calix novi testamenti in sanguine meo.*

C Cap. 11. vers. 12. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos &c. Arbitrantur aliqui hunc locum agere ad litteram de Christi venditione, immò Prophetam in persona Christi hoc dicere: at si contextum sincerè advertimus, apparet oppositum, quia triginta argentei, hic narratur, quod dati fuerunt Zachariæ, tanquam merces sui operis, cum esset pastor, non quia venditus fuerit, quod non legitur, sed quod contemptum fuerit opus ejus, in modicitate mercedis, sive hoc Zacharias historicè recitet, sive in hoc ipso per factum, & eventum, ut moris est prophetici, aliquid morale, vel reale futurum indicet in illo populo, quod ad Christum vix trahi potest. Quamvis autem in modico hoc tractatu ea dumtaxat, & quidem pauca, quæ sunt de Christo ad litteram prælibemus:
D hunc etiam locum breviter proponimus, quia specialem habet difficultatem, alibi quidem tractandam, sed nunc non fugiendam: difficultas autem in hoc sita est. Si non agit hic Propheta de Christo ad litteram: cur Evang. Matth. cap. 27. hunc locum recitat de Christo, dicens, *tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem, & acceperunt 30. argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a Filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

Respondebis fortè nullam esse difficultatem, non enim Math. locum refert Zachariæ, sed Jeremiæ; At contrà est, quia iste textus non invenitur in Hieremia, immò nec in tota Scriptura aliquid simile invenitur, nisi hoc loco Zachariæ, ubi ex parte legitur, ut patet, idque frequenter advertit Hierony.

ronymus, ac in Epiſtola, ſeù potius Apologia contra Auguſtinum, hanc velut inſignem opponit difficultatem quoad veritatem Scripturæ defendendam contra mendacium officioſum, de cujus protectione arguebatur Hier. ab Aug., & utinam ex illa concertatione, ſicut difficultas exagerata eſt ita etiam ſoluta fuiſſet, adhuc ergo urget difficultas hujus loci, vel Evangeliſta voluit Zachariam referre reipſa quoad primam partem, & poſuit Hieremiam, ex quod in hujus prophetia omnia, quæ ad Chriſti paſſionem pertinent inveniuntur explicata ex profeſſo, initium verò dumtaxat in Zacharia; vel Zacharias fuit Binomius, ut volunt aliqui, vel textus ab aliquo corruptus fuit, ac nondum correctus, vel in Zacharia, vel in Hieremia, vel in Matthæo, vel tandem cum alibi id non legatur niſi ſaltem initiativè, & ſimilitudinariè in Zacharia, cum Evangeliſta talem textum recitet, jam ab initio ille textus fuit de Chriſto ad litteram, aliter Evangeliſta eum non recitaret, ſicut alibi oſtendimus ſupra.

Reſpon. quod brevitati conſulendo, data operà diverſas opiniones, quarum neutra ſatisfacit, retulimus, ut brevius ſine offendiculo, modicum, quod invenimus, promamus. Nec placet, quod Alap. hoc loco reſpon. nempe Zachariam, quaſi comædiam recitare, in eaque perſonam Chriſti agere: ad hoc enim verificandum deberet oſtendere Propheta, ſe venditum fuiſſe ad mortem, quod non facit, & hoc adhuc dato, quod non eſt, aliæ difficultates propoſitæ adhuc vigent. Non modicam quidem probabilitatem addit Hieronym. in præſenti, opinioni aſſerenti hanc prophetiam fuiſſe de Chriſto, ſed ibi difficultatem ortam ex textu Evangelii non pertractat. Reſpondent ergo Tertull. adverſus Marcion. c. 39. Origen. tractat. 35. in Matth. Hieron. in Matth. Rupertus, & Cajet. in. prophetiam a Matthæo allatam eſſe Hieremiæ, ſed in alio opere, quod nunc non habemus, cum certum ſit, (de quo alibi) libros aliquos Sacræ Scripturæ periiſſe, occulto Dei Judicio: & ratio iſtorum eſt, quia concordant omnes tranſlationes Evang. Matth., in hoc maximè, quod eadem omninò citetur ſententia, & pro ipſa citetur Hieremias. Addit autem Hieron. in cap. 27. Matth. legi nuper in quodam volumine hebraico, quod hebræus quidam ſecta Nazareus mihi obtulit, Hieremiæ apocriſum, in quo hæc ad verbum ſcripta erant. Aliter reſpon. Auguſt. de conſenſu Evang. ut refert Divus Thomas in catena aurea ad c. 27. Matth. *cur ſic locum hunc adduxerit Matth. prima cauſa eſt, quia ſic inſinuatur, ita omnes Prophetas uno ſpiritu locutos mirabili inter ſe conſenſione conſtare, ut hoc multò amplius ſit, quam ſi omnium verba Prophetarum, uno unius hominis ore demonſtrentur, & ideò indubitanter accipi debent quæcumque per eos Spiritus Sanctus dixit, & ſingula eſſe omnium, & omnia ſingulorum &c.*, & proſequitur id palpabili oſtendens exemplo. Subditque, *eſt & alia cauſa, nam eſt apud Hieremiam qui emerit agrum a Filio fratris ſui, & dederit ei argentum, non quidem ſub hoc nomine pretii, quod poſitum eſt apud Zachariam triginta argent., quod autem Prophetam de triginta argenteis adhoc interpretatus ſit Evangeliſta, quod modo de Domino completum eſt, manifeſtum eſt, ſed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto, quod Hieremias dixit &c. ut ſic admoneatur lector utrumque conferre, & inde ſenſum enucleare Propheta, quomodo pertineat ad hoc, quod in Domino completum eſt, nam illud, quod ſubdit huic teſtimonio Matthæus, cum ait, quem appretiaverunt a Filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus, nec apud Zachariam, nec apud Hieremiam invenitur, unde magis ex perſona Evangeliſtæ accipiendum eſt, & myſticè inſertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit, & ad hanc rem, quæ de Chriſti pretio facta eſt hujuſmodi pertinere prophetiam*: Hæc Auguſtin. ex quibus apertè concluditur, Zachariæ quidem litteram ad Chriſti paſſionem reſpexiſſe, ſed myſtico potius ſenſu; Matthæum vero eam quidem retuliſſe, ſicut & locum Hieremiæ reſpexiſſe, ſed in hoc potius revelationem ſenſus ſibi factam a Deo, quam nudam litteram ad probationem attuliſſe. Et hæc in graviſſima hac difficultate ſufficiant, ne in ſcopulos incidamus, ſi quid proprio Marte contendamus eruere, ubi Sapientiores non audent.

Concludat jam totam hanc diſquiſitionem noviſſimus Prophetarum, qui tamen omnes vaticinio prævenit, Malachias. Præter alia invenies apud illum c. 3. *Ecce ergo mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Hunc textum intelligi directè de Chriſto ad litteram, ita ut in prima ejus parte Malachias Præcurſor ſit Præcurſoris, in ſecunda verò Chriſti prædicator, nullus dubitat inter Catholicos, cum ita, & in prædicto ſenſu eum Chriſtus idem expoſuerit Matth. cap. 11. Lucæ cap. 7., & Marci cap. primo, dicens de Joanne, *hic eſt de quo ſcriptum eſt, ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Solum eſt apparens difficultas. Oppones igitur, quod hoc loco dicitur præparabit viam ante faciem meam, & Chriſtus dicit præparabit viam ante te, vel ante faciem tuam. Variatio eſt perſonæ. Reſpon. primò, per hoc non tolli ſubjectum litteralis ſignificationis ejuſdem utrobique; immò per locutionem Chriſti exprimitur prædictio facta, & impleta de Chriſto: unde Hieronym., *ita de ſe, quaſi de altero loquitur &c.* alter plane non erat a ſe ipſo, ſed alter a Spiritu Sancto, qui utrobique diverſa idipſum exprimens figura, loquebatur. Reſpon. ſecundò, juxtà regulam Auguſt., & Hieron. ſæpius repetitam, ac ſuppoſitam; in Teſtamento novo, non rarò textus veteris recitari, vel notari quoad rei prædictæ veritatem, ac prædictionis ſubſtantialem ſenſum, non ſervatis iiſdem omninò verbis, cum a tali identitate, ejuſdem ſemper infallibilis auctoris auctoritas non dependeat. Reſpon. tertiò, utrobique idem ſignificari, ſcilicet Chriſtum, itaut preclarum, juncto utroque textu, innuatur myſterium Trinitatis. Chriſtus enim eſt, & facies Patris, cujus eſt imago, & facies Trinitatis, in qua ipſe ſolus rationem habet imaginis

ex vi suæ processionis, & est facies hominis idem A ipse, qui est & Dei, in similitudinem hominum factus &c. Nisi dicamus, sic Christum exposuisse, ut iotelligamus Patrem ita locutum ex tunc fuisse, cum ipso Christo, qood planè melius exprimitur, dicendo ante faciem tuam. PP. verò alios non addimus, quia Christus stat pro omnibus, qui docuit omnes, & tota Ecclesia expositionem sui summi Doctoris adorat. Immò nec inter Hebræos invenitur diversitas opioionum, quoad directam textus intelligentiam, & si ad alium Messiam, quem somniantur, intendant. Ex quibus omnibus etsi rudi Minerva digestis, prout patitur brevitas in tam celebri argumeoto, apertissimè jam probatum manet, quod proposuimus, nempè vetus Testameutum, contrà blasphemiam Mousspesteni, cæte- B rorumque Accatholicorum, plura litteraliter præclamasse de Christo, idque clarissimè elucescere, quod ait Christus de semetipso, nempè & Moyseo, & Psalmos, & Prophetas, verè scripsisse de ipso, ex quibus pariter concluditur, Christum esse finem ultimum totius Sacræ Scripturæ modo, quo explicatum est in præcedenti tractatu, & conclusum in isto. Notandum verò est, non ex eo, quod paucos, qui supersunt, libros veteris Instrumeoti insalutatos relinquimus, ideò eos de Christo litteraliter non egisse concedimus, sed brevitas, & clamor eorum, quæ ad ulteriora, scribentes vocaot, ad eos taotum libros applicuit, quorum meminit Christus, quæ autem de eodem testimonia in cæteris libris eum manifestè præcurrant, identidem apparebit.

TRACTATUS IV. APPENDIX,

DE QUARTA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ PER SUOS EFFECTUS.

INvisibilia Dei, inquit Apostolus, *per ea quæ facta sunt visibilia conspiciuntur*. Virtus enim imprimitur effectibus, cognitionem secum trahendi ad suam causam, quam per proprium esse manifestant; quia verò tot genera effectuum sunt, quot causarum, & juxtà dictum Apostoli nequit, cum causa sublimis est cognosci nisi per effectus; qui de causis Sacræ Scripturæ jam egimus, jam ipsam, ut effectum descripsimus, in quo ipso, quidquid ipsa causat, ex necessitate doctrinæ prælibavimus, non enim ipsa, ut quod agit, sed ut quo, videlicet, ut Dei instrumentum per eam loquentis, quapropter animus erat nihil de effectibus ejus, super ea, quæ jam disputata sunt, inoovare. Ne tamen hoc specialiter neglexisse videamur, brevissimum hunc tractatum, seù potius caput uoum appendix subnectimus.

CAPUT UNICUM.

De effectibus Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

Quærens effectus generales Sacræ Scripturæ.

IN principio erat Verbum: Ex hoc Dei Verbi principio, principium Verbi Dei scilicet Evangelii sui sumpsit Joanoes, & quia principium semper est alicujus, quænam ex eo orta, subdit, dicens cap. primo eodem: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Sanè & dictum, & scriptum Verbum, est verè, & propriè Verbum Dei, ut ergo sciamus effectus utriusque, omnia dixit per ipsum facta sunt, om- C nia per verbum Dei substantiale, quod est Deus, omnia per Verbum scriptum, & revelatum, quod est Dei, omnia intellige, quæ in mundo magno per illud primum, omnia quæ io parvo, videlicet homine, qui est Microcosmos, per secundum, scilicet per Verbum scriptum facta sunt, immò, & ipsum Verbum scriptum, per Verbum dictum, & ipse homo, ad quem est Verbum scriptum: propter hominem enim, qui solus inter inferiores creaturas verè dirigibilis est, Verbum Dei scriptum est. Scriptum autem, quia cum homo vertibilis sit, ut verè subsisteret, debebat regi, & reduci ad aliquid fixum, quod est Scriptura, & ita videtur intelligendum dictum Joaonis, referendo ad idem subjectum utramque dicti partem, quia non intelligitur, hoc nihil, quod factum est, nisi in homi- D ne reperiri, quatenus reiicit, vel offendit, refugitque Verbum Dei scriptum, peccaodo, sicut explicat August. eodem loco. *Peccatum*, inquiens, *nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant*, nempe & fiunt, & faciunt nihil, ac superbè æmulantes Dei asseitatem, ast semper infæliciter, & faciunt se, & fiunt a se quantum ex ipsis est, infælicissimum oihil. Ex hoc igitur clarum est, effectum proprium Sacræ Scripturæ, (qui & dicitur proprius, quia ipsi dumtaxat competit modo superius explicato io propositione tractatus, & dicitur generalis, propter sui uoiversalitatem, ut sic respondeamus quæsito) esse omnia, scilicet bona (malum enim cum nihil sit, inter omnia non computatur) hominis, qua homo est, immò hominem ipsum in ea coosideratione, in qua hominem defi-

oit

nit Ecclesiastes cap. ultimo in fine, dicens, *Deum time & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo*, quod etiam ex eo patet, quia oppositum ipsius est malum, videlicet morale, quod deffinitur, esse contra rationem, nempe contra hominis constitutivum, ut homo est, ut patet ex tota morali Philosophia, & ostendunt Theologi cum Divo Thoma, prima, & secunda secundæ. Malum verò ut vidimus nihil est, quod opponitur omni & bono, cum igitur Sacra Scriptura, quantum est ex se, impugnet, & tollat omne malum, ad dirigendum, formandum, firmandumque hominem, in eo, quod ipsum decet esse, sequitur manifestè, effectum ejus esse omne bonum, verè bonum, hominemque ipsum in esse hominis, immò plusquam hominis, cum referat ipsum in Deum. Propterea manifestum est, quod qui explicare vellet ex omni parte, effectus proprios Sacræ Scripturæ, omnia quæ ad moralem ordinem pertinent, deberet afferre, quæ videlicet ad media, quæ ad finem, hæc enim duo membra totam exhauriunt bonitatem, omnia quæ ad præcepta, ad virtutes, ad vitia, ad humanam quamvis operationem, sive intellectus, sive voluntatis, quibus insudat, tamquam opus sit interminabile, usque in finem mundi, Theologia viatrix, quæ nec vacat, generaliter prælibare. Satis ergo sit asseruisse, atque ut potuimus probasse, quod hæc omnia effectus sunt Verbi Dei scripti, ex quo docemur, & inducimur ad omne verum, & bonum utique verum, & instruimur contra omne malum, & quidquid scimus, siquid scimus, docere docemur. Hæc quidem universa sigillatim prout oportet describere solum potest, ex quo eadem procedunt, Verbum Dei, quod ex eo, qui est omnia, novit originem, ubi è contra Verbum hominis, quia ex eo procedit, qui ex nihilo factus est, ex suo nihilo omnia didicit ignorare, & quantum ex ipso est, nihil novit attingere. Ast ne iterum nihil faciamus, dicentes nihil, conabimur ex ipsa Sacra Scriptura, ac SS. PP. aliquid haurire, ut saltem constet in umbra, hoc omne, quod omnes realiter ignoramus, atque ut saltem partem detur attingere, distinguemus.

ARTICULUS II.

De præcipuis effectibus Sacræ Scripturæ.

QUia Verbum Dei ad suum semper ducit originem, quæ suprema est, & supernaturalis, magisque pro hoc statu credenda, quam scienda, speranda quam pro nunc possidenda, semper tamen toto amore hic, & ubique ab omnibus, & super omnia diligenda. Ideò dicendum est, quod principales effectus Sacræ Scripturæ, sunt Fides, Spes, Charitas. Prob. prim. Doctrina Augustini *lib. pr. de Doctrina Christiana cap. 39.*, vel potius cum ipso, ex Sacra Scriptura. *Homo*, inq; *fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos, adeò ut per hæc tria multi etiam in solitudine, & sine codicibus vivunt*, Sentit ergo S. Doctor hæc tria esse effectus proprios Sacræ Scripturæ, causa enim tandiù indigemus, quamdiù non habemus effectum, unde de eisdem Scripturis ibidem subdit, *quibus tamen quasi machinis, tanta Fidei, Spei, & Charitatis in eis surrexit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ex quo sunt ex parte non quærant, perfectum sanè quantum in hac vita haberi potest*. Explicat inde, probatque assertum dicens: *Quapropter cum quisquis cognoverit, finem præcepti esse charitatem, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, omnem intellectum divinarum Scripturarum, ad ista tria relaturus, ad tractationem sacrorum librorum securus accedat, cum enim diceret charitas, addidit, de corde puro, ut nihil aliud, quam id, quod diligendum est, diligatur. Conscientiam verò bonam subjunxit, propter spem, ille enim, id quod credit, & diligit, perventurum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest; Tertiò & fide non ficta, inquit: si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc & non diligimus, quod non est diligendum, & rectè vivendo, id, quod diligendum est, speramus, ut nullo modo spes nostra fallatur*. Hæc August. in quibus probat ex Apost. connexionem harum virtutum inter se, & cum Sacra Scriptura, ex qua cognoscuntur, & diriguntur, & ad ejus intelligentiam disponunt, ad quam pariter subsequuntur, & ex qua perficiuntur, ejusque veri effectus sunt in subjecto disposito, sicut etiam, & clarius conclusit supra *cap. 38. Hæc inquam tria sunt, quibus & scientia omnis, & prophetia militat, Fides, Spes, & Charitas*, unde etiam *cap. 37.* inq; *Titubabit autem Fides, si Sacræ Scripturæ vacillat auctoritas, porrò fide titubante languescit charitas; nam si a Fide quisque ceciderit, a charitate etiam necesse est cadat, porrò si credit præceptis, obtemperando id efficit, ut etiam speres &c.* Idem *lib. 2. cap. 9. In iis, quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, scilicet spem, atque charitatem*.

Probatur secundò, Sacra Scriptura doctrina est Verbi Dei, scilicet Christi, qui per ipsam nos docet, ducit, & trahit, unde Petrus ad Christum, Domine ad quem ibimus; verba vitæ æternæ habes &c. & consequenter, quod facit media Sacra Scriptura, eidem Sacræ Scripturæ attribuitur, tamquam medio, quod ipse elegit, posuit, & elevavit. Sed idem ipse, de se ait. *Ego sum via, veritas, & vita, Joan. cap. 14.* ergo idipsum dicendum est de Sacra Scriptura, sed veritas est causa fidei, quæ divinæ nititur veracitati, via est causa spei, quæ tendit ad futuram beatitudinem, vita est causa charitatis, quæ amor est, qui enim non diligit, manet in morte. Ideò August. *cap. 34. ejusdem libri, ego, inquit, sum via, veritas, & vita hoc est per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur*, & concludit *cap. 35. Omnium igitur, quæ dicta sunt hæc summa est, ut intelligatur, Legis, & omnium divinarum Scripturarum plenitudo, & finis esse dilectio*.

Probatur tertiò, Sacræ Scripturæ effectus est Ecclesia ordinata per doctrinam Christi, unde Apostolus *ad Ephes. cap. 2. non estis hospites, & advenæ, sed cives sanctorum, & domestici Dei super ædificati, super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*

rum ipso summo angulari lapide Christo Jesu; atqui sine tribus hisce virtutibus non est Ecclesia, quæ per fidem discernitur a Sinagoga, & ab omni congregatione gentilium, hoc est per fidem veram, & vivam, quæ tamen sine operibus mortua est, ideoque etiam operatur, & simul sperat, cum Fides, sit sperandarum substantia rerum, & quia credit, & sperat, & operatur, certissimum est quod diligit, fides enim per dilectionem operatur, immò quia vera Ecclesia est, hoc est Fidelium congregatio, certè ut talis constituitur in esse Ecclesiæ per glutinum charitatis, & unionem amoris, ergo potissimi effectus Sacræ Scripturæ sunt Fides, Spes, Charitas.

Confirmatur primò, ex D. Bonaventura *opusc. 2. De Luminaribus, ad illud Apostoli primæ ad Timoth. cap. 3. Ecclesia Dei vivi, columna, & fundamentum veritatis, Ecclesia sic dicitur, & quia mentis illustramentum, & quia virtutis stabilimentum, quia venientes ad illam, illustrantur per Fidem, & stabiliuntur per virtutis constantiam, & hæc duo facit lex divina, unde est columna filiorum Israel, per cujus motum apparent omnia, quomodo agendum, & quomodo quiescendum, in hoc enim omnes Ecclesiæ concordant*, ut custodiant legem Dei, ut olim totus populus, motum nubis aspiciebat.

Confirm. secundò, Ecclesia congregata est per Spiritum Sanctum loquentem per Apostolos, & Evangelistas, quod idem est, ac per Sacras Scripturas, unde Apost. *Ephes. cap. 4.*, ait, *& ipse dedit, alios Apostolos, & Evangelistas, & Doctores in ædificationem corporis Christi*, ergò tota Ecclesia est effectus Sacræ Scripturæ, ideò ipsa in symbolo Nicæno confitetur, *& in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui locutus est per Prophetas*, ac statim subdit effectum hujus locutionis, *unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, & alios etiam distinguit effectus, scilicet, *unum baptisma, remissionem peccatorum, & vitam venturi sæculi*, idest æternam beatitudinem, in quibus omnibus exprimuntur hæc tria, ut clarum est, scilicet fides, spes, charitas, & consumatio charitatis, quę est beatitudo, per quam Ecclesia nunc militans, fit triumphans, ergo melius assignari nequeunt, quam per dicta, effectus proprii Sacræ Scripturæ, quidquid enim dicatur, ad hæc tria denique redit, quod etiam clarius patebit ex his, quæ ad doctrinæ complementum mox subjiciemus.

Tertiò probatur, Sacra Scriptura causat in nobis sapientiam Divinam, quam continet, & exhibet nobis, sicque nos generat Filios Dei, per ipsam, ad imitationem naturalis filiationis in divinis, ubi Filius est ipsa substantialis Sapientia, atqui nequit intelligi Filiatio Dei adoptiva in nobis, nisi adsit gratia, quam indivisibiliter consequuntur, fides, spes, charitas, ut in tota Theologia in omni scholâ notissimum est, ergò hoc ipso præcipui effectus Sacræ Scripturæ, sunt tria prædicta. Major constat, quia Sacra Scriptura est ipsa Dei doctrina, procedens per altissimas causas: disciplina autem differt a doctrina præcisè secundùm modum, non secundùm sapientiam, & veritatem, quæ utrobique est eadem, ut alias probavimus, & probabimus, ex D. Thoma, Min. est principium in Theologia, quia gratia se habet per modum supernaturalis naturæ, divinam formaliter participantis, cui proinde competit, intellectus supernaturalis, per modum primæ potentiæ, ac proprietatis, quæ est fides, & appetitus proprius ipsius naturæ supernaturalis, sive concupiscentiæ quædam similitudo, appetentis bonum divinum, ut bonum proprium suppositi beatificabilis, isque est spes, ac denique voluntas supernaturalis, quæ est charitas, perfectam formans amicitiam, cum summo bono, summè dilecto, ergo mirabili nexu Sacra Scriptura in nobis causat sapientiam divinam modo dicto, quæ infert filiationem adoptivam Dei, quæ per prædicta tria formalissimè constituitur, & integratur, atque perficitur, sequitur ergo evidenter assertum.

Confirmatur; ait enim Apostolus *ad Romanos c. 8. Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater*, porrò Spiritus Filii Dei, est Spiritus Sapientię, & intellectus, ut ait Isaias: isteque communicatur nobis per Sacram Scripturam, quę ad hoc data est, ideoque Sacra Scriptura ex omni parte dicitur testamentum, quia Filialem statuit nobis hęreditatem, quia *si Filii, & Hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Hęc autem omnia, ut probatum est, sine fide, spe, & charitate non possunt intelligi, ex naturali consequentia, & ordine, & in charitate consummantur, quę est finis omnium, ergo

Confirmatur secundò, ex illo *Ecclesiastici cap. 3.* ubi concluditur hoc totum; *filii*, inquit, *Sapientia, Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia, & dilectio*. Et Joan. *cap. primò, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt &c.* Filiatio hęc igitur, quæ est Sapientię Generatio, est eo ipso per fidem secundùm Joannem, per spem, & charitatem, ut testatur Ecclesiasticus, nam obedientia importat spem, & fidem, quia obedientia, est ob audientia, unde ex Apost. *Fides ex auditu*, & multum audire, idest ob audire, est per fidem, & opera procedere in id obtinendum, quod fides promittit, & hęc est spes, & omnis hęc natio seu generatio perficitur per charitatem, *natio illorum, obedientia, & dilectio*, dilectio enim, ait Bonaventura loco superius citato, nascitur ex legis impletione, ac denique tota Sacra Scriptura, in hoc uno compendiatur, ait veritas ipsa, Matth. cap. 22., scilicet charitatis precepto, ex quo universa lex pendet, & Prophetę, ac exemplariter in Deo, ex Sapientia procedit amor, quia Pater, & Filius, qui unica sapientiâ sapiunt, spirant amorem, scilicet Spiritum Sanctum, ergo de primo ad ultimum, omne bonum, ad quod procedimus per sapientiam communicatam nobis ex Sacra Scriptura, a qua sapientia oritur, est fides, & spes, & potissimum charitas, quę totam adęquat legem, ipsaque Dei Filiatio, per quam sumus Heredes Dei, omnia, inquam, quę in nobis sunt, effectus Sacrę Scripturę, satis & plenè afferuntur per hoc quod dicimus nempe, quod precipui, ac generales simulque speciales effectus Sacrę Scripturę sunt fides, spes, charitas, Quamvis autem modus, & ordo quo omnes effectus Sacrę Scripturę ad hos reducuntur, sive in his continentur,

satis

ſatis conſtet, ex dictis, quę hauſimus ex ipſa Sacra Scriptura, attamen prout a PP. etiam explicatum, quatenus omnes ad unam reducuntur charitatem, ſeu amorem, qui eſt virtus omnium unitiva, ſive prout ad cętera extenditur idem unus effectus, breviter ſic notatur. Georgius Ederus aurei ſui operis partitionum Theologicarum *l. primo, quæſt.* 8. *primæ partis, tab.* 16. effectus Sacrę Scripturę, ex Patribus ſic colligit. *Divinæ hujus,* inquit, *ſcientiæ vis, & efficacia cognoſci poteſt, ex vero Sacræ Scripturæ uſu, qui conſiſtit ex Hieronymo cap. primo, epiſtolæ ad Galatas, non tantum in verò ejus ſenſu, & intellectu, qui medullam, & radicem exprimit rationis, multo minus in verbis, & ſuperficie, quæ ſunt quaſi folia Scripturarum, ſed potius in exercitio, ſeu perfectione voluntatis, quæ his litteris expreſſa eſt: hut reſpiciens D. Paulus Roman. cap.* 2. *non auditores legis, juſtos eſſe apud Deum, ſed factores legis docet juſtificari. Colligitur etiam ex aliis effectibus, qui tot ſunt, quot non tantum libri, ſententiæ, aut verba, ſed quot omninò ſyllabæ, litteræ, & puncta, ut tamen paucis complectamur. Multa parit Sacra Scriptura, in primis notitiam divinæ voluntatis, notitia timorem, timor reverentiam, reverentia amorem, amor, peccati odium, odium peccati, contritionem, contritio pœnitentiam, pœnitentia remiſſionem peccatorum, peccatorum remiſſio conſolationem, conſolatio tranquillitatem conſcientiæ, tranquillitas conſcientiæ, ſpem vitæ æternæ conſequendæ, ſpes autem non confundit, ſed ſalvos facit, Rom. cap.* 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

Colligitur tertiò, ex utilitatibus; Apoſtol. 2. ad Timoth. cap. 3. *Omnis Scriptura utilis eſt ad docendum, quæ verſantur circa dogmata, quæ de rebus divinis aut aſſeruntur, aut comprobantur: ad redargutionem, quæ ad confutationem falſorum dogmatum pertinet: ad correctionem, quia reprehenduntur, vitia, ut faſtus, ambitio, avaritia, deſidia, hæreſes &c. ad inſtitutionem, quæ eſt ad juſtitiam, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus,* ita accuratiſſimus Doctor, quę omnia propterea Patribus attribuimus, quia quidquid ſuccoſo laconiſmo exaravit in prędicto opere Georgius, totum regulariter in Patrum operibus, extenſum quotidie occurrit. Hęc autem propterea omninò ſecuri retulimus, quia doctrinam Angelici Doctoris adamuſſim comprehendunt. Siquidem S. Doctor in citatum locum Apoſtoli paragraſo 3. in fine ait verè Angelicè: *effectus hujus Scripturæ eſt duplex, ſcilicet, quia docet cognoſcere veritatem, & ſuadet operari juſtitiam Jo. cap.* 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus docebit, ſcilicet cognoſcenda, ſuggeret operanda. Eſt enim ratio ſpeculativa, & eſt ratio practica, & in utraque ſunt duo neceſſaria, ſcilicet quod veritatem cognoſcat, & errorem refellat, hoc eſt enim opus ſapientis, ſcilicet non mentiri, & mentientem refellere, quoad primum dicit, utilis eſt ad docendum, ſcilicet veritatem: Pſalm.* 118. *bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quoad ſecundùm ſubdit, ad arguendum, ad Titum prima, ut ſit potens exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Item quantum ad practicam, ſunt duo neceſ-*

A *ſaria, ut reducat a malo, & ducat ad bonum. Pſal.* 33. *declina a malo, & fac bonum, & hæc omnia Sacra Scriptura facit Eſ. cap.* 8. *in manu forti erudivit me: Sic ergo quadruplex eſt effectus Sacræ Scripturæ, ſcilicet docere veritatem, arguere falſitatem, quantum ad ſpeculativam, eripere a malo, & ducere ad bonum, quantum ad practicam; ultimus ejus effectus eſt, ut ducat homines ad perfectum: non enim qualitercumque bonum facit, ſed perficit. Hebr. cap.* 6. *ad perfectionem feramur, & ideò hic dicit, ut perfectus ſit homo Dei; perfectum enim eſt, cui nihil deeſt; tunc ergo homo eſt perfectus, quando eſt inſtructus, id eſt paratus ad omne opus bonum, non ſolum ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed etiam ad ea, quæ ſunt ſupererogationis: bonum autem facientes non deficiamus ad Galat. cap. ultimo,* & hęc ſatis, nihil

B enim addendum, ubi Angelicus loquitur.

Obiicies tamen, non videtur ſenſus Angelici cohęrere Sacrę Scripturę; Ait enim Apoſtol. ad Hebr. cap. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex,* ex quo ſic arguitur: pręcedens mandatum reprobatum eſt, quia infirmum, & inutile, atqui etiam pręcedens mandatum, Sacra Scriptura eſt, ergò nequit concludi univerſaliter, ut concludit Angelicus, Sacram Scripturam efficacem, & utilem eſſe. Secundò ex eodem textu Apoſtoli, *ſi nihil ad perfectum adduxit lex,* & nomine legis accipitur etiam tota Sacra Scriptura, quę totam continet Dei legem, quomodo dici poteſt cum Angelico, ultimus effectus Sacrę

C Scripturę eſt, ut ducat homines ad perfectum, ſanè quidquid ſit, de acceptione prędicta nominis, Legis, ſaltem hoc nequit verificari de veteri Teſtamento, quod verè Sacra Scriptura eſt.

Reſpon. facilè, neg. antec. ad probationem, ſe ſe defendit idem S. Doctor. in c. 7. *Epiſ. ad Hebr. cit., ubi ſic ſibi opponit, non reprobatur niſi malum, Eſ. cap.* 11. *Vt ſciat reprobare malum, illud autem mandatum non eſt malum. Rom. cap.* 7. *lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum. Reſpondeo dicendum, quod non erat malum ſecundum ſe, ſed ut inconveniens tempori, non enim ſervanda ſunt, in novo ſacerdotio, quæ fuerunt in antiquo. Pſalm.* 39. *Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, ecce venio, & ideò dicitur, quod hoc reprobatur propter infirmitatem, & inutilitatem. Il-*

D *lud autem dicitur infirmum, quod non poteſt exequi effectum ſuum; proprius autem effectus legis, & Sacerdotis eſt juſtificare, hoc autem non lex potuit facere Rom. cap.* 8. *nam quod erat impoſſibile Legi, in quo infirmabatur ſecundùm carnem &c.* idipſum dicit de utilitate, ſubditque, *ſed tamen ſuo tempore fuit utilis, in quantum diſponebat ad fidem, ad Hebr. cap.* 11. *juxta fidem omnes defuncti ſunt, non acceptis repromiſſionibus, quare autem ſit infirmum, & inutile, oſtendit, cum dicit, nihil enim ad perfectum adduxit lex, unde erat imperfecta, ſed perfecta fuit per Chriſtum.* Ita Angelic. ubi duo notanda ſunt, primum, quod dum in pręſenti diſcurrit, ubi utilitatem aſſerit Sacrę Scripturę, loquitur, ſicut & nos, de tota Sacra Scriptura, ut olim inchoata per Moyſen, nunc autem perfecta per Chriſtum,

quomodo

quomodo certissimè utilis est, ut probavimus. Secundùm quod vetus Testamentum, prout continet moralia, & sapientiam, non est reprobatum, sed perseverat, & in hoc sensu semper immutabiliter utile fuit, & de eo sic accepto loquitur Apost. ad Rom. cap. 7. cum ait *Lex sancta &c.* quantum verò ad ceremonialia, quibus protestabantur venturum, qui nunc venit, clarum est, quod ejus tota utilitas erat pro tunc, & secundùm ordinationem ad præsentem statum, unde ejus perfectio erat, ut nunc cederet, nunc autem adhuc utile est secun- A dùm eamdem partem, speculativè, ut divinam in tali præparatione cognoscamus sapientiam, & ex eo certificemur eum venisse, qui perficit omnia, & eò dulcius feramus legem amoris, quo durius erat illud jugum, quod dimisimus, ecce igitur ex omni parte vera, quæ ubique asserit Scriptura, quoad hunc articulum, & quidquid exponit Angelicus ad Scripturæ declarationem, & ad assertionem utilitatis ejus, sicque patet in terminis ad utramque objectionem, & confirmatum inconcussè, quod asseruimus, ad evidentiam.

TRACTATUS V.

DE QUINTA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ PER EXTRINSECAS PROPRIETATES, QUÆ DICUNTUR NOTÆ.

CUM primarium scientiæ munus sit, proprietates de essentia, quam uti proprium objectum respicit, demonstrare, nobis, qui conamur, saltem similitudinariè, materiam hanc ad instar scientiæ reflexo studio, quippe quæ ipsa scientia est scientiarum, pertractare, præcipuè incumbit, ejusdem nempe Sacræ Scripturæ proprietates, quæcumque illæ sint, ad majorem ipsius notitiam comparandam rimari, quod non tam brevi intuitu, nec tam facili studio, ut desiderare ea, ad quæ ulterius vocamur, præstari potest, cum præcipua quædam in hoc involvantur, quæ omittere, doctrinæ piaculum foret. Ut tamen proprietates intrinsecas, ab extrinsecis, quæ similitudinem habent dumtaxat proprietatis, & potius Notæ dici debent, discernamus: Notandum est, & supponendum primo, ex communi Philosophorum Doctrina, juxta intelligentiam Coll. nostri Complutensis. Tomo primo, disput. 8. in principio, quod proprium, significat aliquam qualitatem necessariò connexam cum essentia, quæ cum ea convertitur, eique soli, omni, & semper convenit, per se loquendo: quamvis enim Plato, pro proprio accipiat optimum, quæ acceptio non abest in præsenti a veritate rei, quam tractamus, cum & res ipsa optima sit, & optimæ omnes ejus qualitates, tamen quia de hoc non est ambigendum, nec disputandum, cum evidens sit, quòd sicut cum pluribus loquendum est, ità communi etiam acceptione verborum est utendum; Addendum etiam ex communi Doctrina, proprietates verè esse, quæ toti conveniunt ab intrinseco, ratione formæ, cum enim materia sit, quid communissimum, proinde ratione ipsius, nihil toti convenit, quod non sit æquè ac ipsa commune, forma verò, sicut ipsam determinat, & per suam differentiam dat toti speciem, ita exigit qualitates tali determinationi convenientes, quæ differentiam, a qua originan- B tur, sua proprietate manifestant, hinc clarè sequitur, quòd ubicumque est aliqua peculiaris essentia, sicut adest ibi pariter aliqua peculiaris forma, ita & peculiares proprietates, necessariò sint assignandæ ad quod in præsenti tendimus, agentes de Sacra Scriptura. Quod mirum non est, quamvis enim ipsa sit aliquod artefactum, tamen quid omnino divinum est, a Deo, & ad Deum, ac specialissimam obtinet quidditatem. Ex his apparet, & secundo notandum est; quod affectiones istæ, de quibus in præsenti tractatu sermo erit, cum non sint omninò intrinsecæ, aut quid rigorosè physicum, dici nequeunt philosophicæ proprietates, cum verò in Sacræ Scripturæ cognitionem *ducant*, quod munus est proprietatis, dici possunt muneraliter proprietates, & revera Notæ Sacræ Scripturæ. Et quia Sacra Scriptura, ideo constituta est a Deo Auctore suo, ut cognita, divinam manifestet veritatem; speciali quodam modo, eum proportione ad talem essentiam, dicenda est ejus proprie- C tas, quæ est ejus Nota, quia tamen specialis est rei hujus series, philosophico rigore omisso quoad dimanationem, & inhærentiam, & quidditatem accidentalem, Satis nobis erit pro modò, cum majori proprietate has apellare Notas, quam proprietates, idque ne terminos, & præsentis, & sequentis tractatus confunderemus, necessè fuit exponere.

CAPUT I.

De primis Sacræ Scripturæ Notis.

NUnc non accipimus Notas, sicut quidam Controversistæ pro signis quibusdam, rem cujus Notæ sunt, significantibus, signa enim, vel naturalia sunt, & ita habent rationem effectus, quòd in Notis, de quibus nunc agimus, potius est ad

ad oppositum, vel sunt ad placitum, sicque realem, cum re cujus signa sunt, connexionem non, habent, nisi fortè secundum quid, & in sensu alias supra a nobis explicato, Notæ autem, quas nunc tractamus, sunt quædam reales affectiones Sacræ Scripturæ, quæ ipsi competunt ante omne placitum humanum. Nota igitur prout spectat ad præsens, est id, quod, cum jam notum sit, id cui convenit notificat, ut ab aliis diversum, sive id quod deservit ad manifestandam differentiam, & dignitatem ejus cui convenit, sic enim ex doctrina Augustini D. Thomas p. p. q. 32., ar. 3. proportione servata, notionem Divinarum Personarum vocat, rationem propriam cognoscendi Personam, Divinam. Plura autem sunt, quę hoc modo explicata, Notę Sacrę Scripturę dici possunt, in esse videlicet cognoscibili, strictius tamen, & verius illę dicuntur Notę Sacrę Scripturę peculiares, & proprię, quas referemus, sigillatim eas desumentes, ex Doctrina D. Thom. passim, & Scoti 2. q. prologi, primi sentent. Michaelis de Medina l. 2. de recta in Deum Fide; Ludovici de Thena Isag. l. primo, Georg. Hederi l. pr. Economię, seù partitionum Theologicarum, tab. 50., & SS. Ecclesię Doctorum, aliorumque, quos fortè inter agendum dabimus. Hoc tamen placuit recensere, ut constet, ex nostro sensu nos non abundare, nec quidquam novitatis ostentare, quòd ubique cautum volumus, sicque certò sciat lector, quod ubi etiam citationes ad brevitatem, & claritatem retieemus, doctrinam tamen Sanctorum, insigniumque Doctorum exhibemus, quam semper, & profitemur, & discere, docendo, gloriamur.

ARTICULUS I.

Nota prima; quæ est dignitas specialis summique auctoris Dei.

QUod Sacra Scriptura, peculiari, ac speciali Auctore gaudeat Spiritu Sancto, satis ostensum est, cum de causa illius efficienti principali ageremus, quòd verò ipsa sit taliter opus Dei specialissimum, ut ipsi soli in propria ratione, & non alteri dignitas ista conveniat, quòd maximè importat proprietas Notę, ęquè breviter, & efficaciter demonstratur sequenti discursu: si alteri ab ipsa conveniret hæc dignitas, infallibilis Ecclesia id declararet, cui nullatenus deest, aut deesse potest promissa Spiritus Sancti assistentia, in iis, quæ spectant ad Fidem, si autem id, de aliqua alia Scriptura declararet, jam illa Scriptura esset pars Scripturæ Canonicæ, de qua nunc agimus, implicat ergò in terminis, quod hæc Nota, seu dignitas conveniat alteri. At quia si rem hanc intimè consideremus, duò in hac nota involvuntur, alterum nempè ex parte effectus, quod ipsa videlicet in hoc, quod habet, sit specialissimum opus Dei, aliis creatis rebus comparatum, alterum verò, quod comparatione ad Deum operantem, specialissimum sit opus Dei operantis, quatenus ipsemet Deus in ipsa loquitur, locutione reali formali, quod in aliarum rerum productione non æquè apparet, ideò

A ad ea, quæ loco citato dicta sunt, aliquid addendum est, ex quo facilè concludi possit, secundùm, utramque rationem, hanc notam, Sacræ Scripturę convenire.

Probatur primò, quæ hominis sunt certè (præter Deum) non novit nisi spiritus hominis, ergò multò magis, quæ Dei sunt, non novit nisi spiritus Dei, ergò quæ Dei sunt, non revelat nisi spiritus Dei, quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? cum igitur Sacra, Scriptura sit ipsissima Dei revelatio, ab ipso solo, speciali modo ex parte ipsius Dei, & ipsa sola, (quippe quæ continet singularem, & proprium sensum Dei) ideoque omni modo, specialissimum, opus Dei, est.

Probatur secundò, certum est, quod in veteri B Testamento ad novum comparato, omnia in figura contigebant, illæque figuræ maximè Christum venturum respiciebant, & conabantur adumbrare, cum ipse sit finis legis, eodem modo pariter certum est, quod Verbum Dei Incarnatum, scilicet Christus, conceptus est de Spiritu Sancto, absque humano opere, sola Immaculata Virgine, & consensum, & materiam ministrante; figura modo quæritur hujus inauditæ novitatis, quæ fuit finis totius creaturæ, quaque nulla umquam specialior novitas, aut contigit, aut continget. Plures quidem assignantur, sed umbræ erant remotissimæ, quæ verè figuræ dici non valent, cum proprietate, nam figura, delineamenta præsefert figurati, quod solum in spirituali, ac mystico valde sensu deprehen- C ditur, in figura qualibet assignabili, aut excogitabili Incarnationis Verbi Dei. Porrò hæc sola propinquior, ac vividior, quod videlicet ex eodem, Spiritu Sancto loquente conceperint, ac pepererint propheticæ mentes Divinum Verbum, absque opere humano principaliter concurrente, solam materiam ministrando, in qua, & ad quam reducitur locutionis multiplicis, & humanæ limitatio, quę apparet in Scriptura, ergo cum primum in unoquoque genere sit mensura cæterorum, cumque nihil magis accedat ad summum Dei opus, scilicet Verbi Incarnationem, qua nihil specialius esse potest, quippe quę Deum ipsum involuit, quam Sacra, Scriptura, ut ostensum, & clarissimum est, jam, patet evidenter, quod de ipsa sola verè, & propriè dici potest, quoad omnem rationem, ipsam, D esse specialissimum opus Dei.

Obiicies primò, falsum est, quod sola Scriptura sit opus Dei specialissimum: hoc enim attributum propriè convenit Angelis, & primò homini, & cęlis, primęque creaturæ; hæc siquidem magis specialiter sunt opera Dei, quæ ipse per se immediatè creavit, nullo usus Instrumento, quod non videmus, in productione Sac. Script., quam Deus condidit, per Sacros Scriptores: adde, quod quando Deus locutus est Adę, & Moysi &c. illa locutio specialiori modo fuit a Deo, quam ea, quę est in Sacra Scriptura, quia tunc loquebatur per se ipsum.

Confirm. primò. Deus creando Angelos, & Cęlum locutus est: inquit enim: Fiat; *fiat lux, & facta est lux, Gen. cap. primò*. Sicque dicendo fiat, primam universam condidit creaturam, ergò quod

loquendo

loquendo condiderit Sacram Scripturam, non est A aliquid singulare, per quod ipsa dici possit specialissimum opus Dei.

Confirmatur secundò. Deus creans Angelos, ita fuit peculiaris illorum auctor, ut non potuerint in primò instanti peccare, juxta celebrem Angelici Doctrinam, quia prima operatio, quę incipit cum esse rei, attribuitur auctori particulari ejusdem rei, sicut in generatione animalis, ob eamdem rationem, primus motus cordis animalis geniti, tribuitur generanti, ergò potius de Angelis, quam de Sacra Scriptura verificatur tale attributum.

Respon. neg. antecedens, ad cujus probationem dicimus, creationem quidem esse peculiarem Dei operationem, quoad modum, qui est incommunicabilis creaturę, non verò quoad substantiam, ut B quędam productio est, aut quoad rem productam, cum possit terminari etiam ad materiam, qua nihil communius, quamvis autem creatio sit opus modo dicto speciale Dei, in ea tamen Deus processit, ut auctor generalis, & auctor naturę universi, ea ponendo, quę recensentur in objectione, quod verò in creando, nullo usus sit instrumento, non fuit ob particularitatem operis, aut operati, sed propter implicantiam ex parte modi operandi, quia nec instrumentaliter creatura creare potest, cum solius sit infiniti Agentis, agere in nihilum, creatura verò, quantumvis perfecta quomodolibet agat, semper supponit subjectum suę actionis transeuntis, & semper est potentialis, nec umquam actus purus. Nulla igitur est objectio; nec aliquid facit, quod in condendo Sacram Scripturam usus sit instrumento, quin C potius hoc arguit operis specialitatem, quia maxima dignatio est, quod Deus faciat per causam secundam, quod potest facere per se ipsum, & quid specialissimum est, quod Deus in exprimendo proprios conceptus, dignetur se se hominibus attemperare, & per homines, ad homines loqui, qui sicut per se ipsum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ita potest etiam proprios conceptus, per viam immediatę illuminationis communicare. Ad id quod additur. Respond., communiter DD. cum D. Thoma sentire, quod Deus in veteri Testamento ad homines loquebatur per Angelos, saltem regulariter, quod si per se ipsum aliquando id pręstitit, usus tamen est specie aliqua sensibili proportionata statui audientis viatoris, sed quidquid sit de hoc, quod hujus loci non D est examinare, certè uti, vel non uti instrumento, de materiali est quoad Deum, qui vel eo utatur, vel non, attingit quemcumque proprium effectum, immediatè immediatione virtutis, & suppositi, ipseque auctor, & Dominus est, & Instrumenti, & effectus. Magis ergo attenditur specialitas hujus operis, de quo nunc, in eo, quod sicut qui loquitur, & scribit proprium conceptum, est certè causa particularis, & specialissima talis locutionis, ita & de Deo exprimente per Sacram Scripturam suos conceptus, potiori ratione hoc dici debet, quia hoc ipsum prębet, dempris imperfectionibus, quod alii, suo quisque modo, & addita insuper dignatione, qui utitur hominibus, tamquam instrumentis, quod nequeunt alii.

Ad primam confirmationem dicendum, quod locutio illa, qua dixit, fiat, creans universa, non fuit locutio rigorosa, & exterior, similis nostrę, sicut est illa, quam habemus in Sacra Scriptura: Deus enim agit ad extra, actione formaliter immanente, quę quia infinita est, ac fęcundissima, est etiam virtualiter transiens: sic autem exprimitur, Gen. primò, ad explicandum, quomodo per Verbum suum substantiale creavit omnia, quod exponit Joan. cap. primò dicens, *in principio erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt*, &c. ad significandum imperium Omnipotens, & efficax Dei, subdit, quod nihil sit, immò nec ipsum nihil, quod divinę resistere valeat voluntati; *sine ipso factum est nihil*, quod exponitur *Psalm. 148. ipse dixit, & facta sunt*, at quomodo? *ipse mandavit, & creata sunt, statuit ea in æternum*; videatur hac de re Glosa magna, ubi ex nobili PP. catena explicatur, & ornatur hic locus. Sed etiam dato antec. confirmationis, neg. conseq. aliud est, loquendo aliquid producere, aliud est producere locutionem, uti terminum per se intentum, sicut videmus in Sacra Scriptura, hoc enim procul dubio est aliquid singulare, ac specialissimum, uti supra ostendimus, produci vero per locutionem, competit omni enti creato.

Ad secundam confirmationem clarè constat; plures enim Angelos produxit Deus, unicam verò dumtaxat Sacram Scripturam. Vel etiam 2. Resp. dist. anteced. fuit causa particularis, negativè, conc. anteced. positivè neg. antec. revera enim fuit auctor generalis, quia produxit eos, ut auctor naturæ: dicitur autem particularis negativè, quia nulla alia causa particularis, media fuit inter Deum producentem, & Angelum productum, quod sufficit ad intentum Doctoris Angelici. Sed quoad Sacram Scripturam, non fuit auctor naturalis, sed supernaturalis, nec particularis hoc modo, sed positivè quatenus particulares suos conceptus expressit, nulla alia causa principali mediante, sed tantum instrumentali, ex dignatione, quia implicat; quod conceptus proprius alicujus primò procedat ab alio tamquam a causa principali, quod idem omninò est etiam de locutione formali, quia hæc formaliter sumpta est ipse conceptus.

Obiicies secundò, quod Sacra Scriptura procedat modo dicto a Deo, non est plusquam denominatio extrinseca, quæ nihil est in re, ergo non est proprietas, quæ importat realem qualitatem, nec Nota quomodolibet explicata, quia id, quod est nihil, nec notum est, nec cognoscibile, nec multò minus inducens in cognitionem rei alterius. P. antec. tum quia causa efficiens ex suo genere est extrinseca effectui, tum quia ejus munus est, producere entitatem effectus, qui a sola sua causa formali speciem sumit. Tum quia, ubi causa efficiens est æquivoca sicut in præsenti, nihil tribuit effectui diversum ab eo, quod ei tribueret alia causa, ergo &c. Confirmatur: de ratione proprietatis est, quod subsequatur ad essentiam, quam afficit, sed quod aliquid sit a Deo, coincidit cum ipso produci, nec sequitur ad rem productam, nisi dicamus, quod res sit antequam sit, quod est, esse, & non esse simul, & se-

& secundùm idem, & pro eodem priori tum temporis, cum naturæ, ergo hujusmodi dignitas nec est proprietas utcumque, nec Nota.

Confirm. secundò, proprietas aliquo modo talis debet convenire toti ratione formæ, sed taliter esse a Deo, non convenit Scripturę ratione formæ, ut patet, sed ex voluntate agentis: agens autem non est forma, sed formam præcedit, quippe eam producit, ergo.

Resp. videtur sanè difficilis hæc objectio, sed revera nihil officit veritati, quamvis enim augeatur ex hoc, quod Deus non agit actione formaliter transeunte, quæ recipiatur in passo, & sit recepta medio motu tamquam subjecto, quo denominetur passio, ad quam proinde possemus recurrere, ut assignaremus aliquam realitatem huic Notæ: adhuc tamen neg. antec. quia ipsa Sacra Scriptura, prout est terminatio passiva divinæ productionis, est ipsa sua realitas, sub reali modo talis productionis specialissimæ, sicut enim ex generali modo producendi Dei, de quo tantum procedit objectio, quilibet ejus effectus est ipsa passiva terminatio divinæ operationis, ita in productione speciali, debet modus aliquis essendi reperiri, in quo tamquam in terminatione passiva modali, reluceat peculiaris illa productio; at quid est iste modus? Respon. non rectè quæri, de modo, quid sit eum non sit quid, sed quo. In præsenti autem diei potest, quod sit specialis aliqua relatio ad Deum, quæ est relatio mensurabilis ad mensuram, & fundatur in ipsa Sacra Scriptura, sive in ipsa, ut est terminatio talis passiva, & virtualiter passio. Sicut enim ipsa actio divina formaliter immanens est virtualiter transiens, ita res producta est ipsa terminatio passiva, & est virtualiter passio, quatenus æquivalet effectui, & passioni, si ergo divinum hoc artefactum sumatur in esse rei peculiariter productæ, resultat in ipso relatio fundata in passione virtuali; si sumatur in esse peculiari veritatis, resultat relatio mensurabilis ad mensuram, ad divinam veracitatem, quæ certè specialissima relatio est soli Sacræ Scripturæ propria, ut clarum est, & post pauca magis elucescet; unde similes relationes possunt suo modo dici proprietates, quæ resultant ab essentia, & differentia propriissima rei productę, non a solo agente, utcumque ut agens est, per quod patet ad objectionem, & primam confirmationem, immò, & ad secundam. Ad hanc enim, sistendo in eadem doctrina, respon. neg. minorem, aliud enim est, quod agens sit forma, aut proprietas rei, quod nec imaginabile est; aliud verò, quod proprietas orta ex tali forma, ut tali, & taliter producta, consistat in respectu ad agens, quod verum est, ut ostendimus, & necessario concedendum in præsenti, quia Sacra Scriptura, cum essentialiter sit locutio Dei, ipsi ex propria ratione formali athoma convenit respectus ad loquentem, qui eam ut talis producit, unde quamvis aliis effectibus, respectus ad agens conveniat tantum ex ratione generali, & transcendentali entis creati, ipsi tamen Sacræ Scripturæ id convenit specialissimè ratione sui essentialis formalis conceptus, & ita intelligi debent superius hactenus dicta.

Respond. secundò, hanc Notam, ut dictum est, esse dignitatis, quatenus æstimabilitas causæ, ut talis redundat in specialem effectum proprium ipsius, quæ est proprietas majoris propinquitatis ad Deum, cui nihil proximius, quam suus conceptus, & ejus expressio, ipsum communicans, quatenus igitur conceptus Dei continet, intimum opus est divini intellectus, & veritatis æternæ, quatenus talium conceptuum communicatio, divinæ radius est voluntatis, & bonitatis, quo quid realius? transeat igitur instantia objecta, ad effectus creatos generales, quæ in specialissimo vim nullam habet. Exemplum sit in actu vitali, in quo, quia essentialiter hanc sibi præfixam exigit causam, ideò vitalitas, realis, & intrinseca denominatio est, sic ergo proportione servata, & Sacra Scriptura, quia essentialiter Dei locutio est, ex suis prædicatis petit, uti suum speciale principium, ipsum Deum; cumque ex hoc oriatur, & summa veracitas, & sublimis affinitas ad Deum, quo nihil dignius, aut æstimabilius, ideò hæc dignitas indistincta ab ipsius merito, cujus est declaratio, dicitur ejus Nota realis, seu proprietas ipsi debita ratione formæ, per quod patet ad totam objectionem.

Obiicies tertiò, ex deliriis Manichæorum, & Calvini: non omnis Sacræ Scripturæ pars est a Deo, ut auctore particulari, ergo nec tota, ergo hæc non est Nota Sacræ Scripturæ, quæ maximè una esse debet, cum una sit veritas. Prob. antec. primò. Precepta ceremonialia veteris Testamenti; immò & aliqua Judicialia, quæ habentur in Pentateucho, non fuerunt a Deo, siquidem nunc ita cesserunt, ut sint mortifera, quod implicat cum Verbo Dei, quod est Verbum vitæ, & salutis, cujus veritas manet in æternum: secundò aliqui libri nunc sunt canonici, & verè acceptantur, uti Verbum Dei, qui prius tales non erant, ergò nunc sunt, & prius non erant, ergò numquam fuerunt revera Verbum Dei, cum hoc sit immutabile, ac proinde nunc sunt, & non sunt, quod semper repugnat Deo attribui.

Respond. neg. antece. ad probationem respond. August. *oratione contra Judæos*, ut jam observavimus, tractatu præcedenti, dicens, *non observamus, quæ mutata sunt, mutata sunt autem, quæ mutanda prænunciata sunt, & in tum credimus, cujus revelatione mutata sunt. Data sunt ergo a Deo præcepta illa pro illo statu, qui erat præparatorius, non fixus, erat umbra, non veritas, adveniente ergo veritate, recessit umbra. Illa verba Dei erant, & numquid non Verbum Dei est, quod prædicitur, non accipiam de domo tua vitulos &c. holocaustum, & pro peccato non postulasti, aures autem perfecisti mihi, nempe ut audirem, & crederem, & non ambularem amplius in vetustate litteræ, sed in novitate Spiritus sanè dictum est: Verbum Domini manet in æternum, & quidem semper verum est, quod Deus tunc ita præcepit, & pro tunc, & hoc nemo negat Fidelium, sed non dictum est, quod semper eadem duraret obligatio, quin potius Hierem. cap. 3. Ecce dies venient dicit Dominus, & consirmabo, super domum Jacob Testamentum novum non secundùm Testamentum, quod contuli patribus eorum*: nihil clarius. *Jota unum*, inquit Christus, *non præteribit a lege*, sed quomodo, quan-

quando: *donec omnia fiant*, & facta sunt; ea quia erant figura, transierunt, nunc ergo esset mortifera eorum præceptorum observatio, quia esset protestatio Judaicæ falsitatis, negantium venisse Christum, quem per talem sui erroris observantiam expectant. Ad secundam probationem conc. antec. neg. conseq. semper enim illi libri fuerunt Verbum Dei, quamdiu fuerunt, sed non semper eodem modo cogniti, nec propositi; non mutata est Fides, nec Verbum Dei, sed propositio, & declaratio olim suspensa, nunc prodiit. At quare? Respon. D. Thomas 22. q. 1. ar. 7. ad secundum: *Magister, qui novit totam artem, non totam eam tradit discipulo a principio, sed paulatim condescendens ejus capacitati; & hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem &c.* Sed de hoc suo loco, scilicet cum de libris canonicis agetur, Deo dante, dicemus.

ARTICULUS II.

Nota secunda, quæ est antiquitas, commemoratur.

ANtequam de hac Nota aliquid proferamus, quædam notissima prænotare, seu potius recolere, operæ pretium postulat. Primò igitur distinguere oportet. Potest enim considerari Sacra Scriptura, vel quoad formales conceptus divinos, quos continet, vel quoad eorumdem manifestationem scriptis consignatam, in qua consideratione sumitur ipsa adæquatè, vel quo ad res manifestatas, quæ sunt quodamodò subiectum, & conceptuum prædictorum, & manifestationis eorum. Antiquitas autem, vel sumitur a parte ante, ut magis communiter solet intelligi, vel prout ambit omne tempus præteritum, præsens, & futurum. Porrò duratio, quæ constituit antiquitatem quomodolibet acceptam, præcisivè considerata, ad triplicem quasi descendit differentiam; alia enim est duratio rei corruptibilis secundùm substantiam, & secundùm accidentia, quæ constituit tempus, alia duratio rei incorruptibilis secundùm substantiam, & variabilis secundùm aliqua accidentia, quatenus non est actus purus, & hæc constituit ævum. Tertia, eaque omnium summè prima, est duratio rei omninò invariabilis secundùm omnia, exclusa qualibet imaginabili potentialitate, quę res una est scilicet Deus, & hæc est æternitas. Hæc autem etsi supponantur scita a primis artium incunabulis ex doctrina Philosophi, seu potius D. Thomæ, ac PP. Complut. in Logica, & Phisyca, ac Salmat. prima par. passim, recoli debuerunt ad claritatem, sicut, & ea, quæ mox breviter subiiciemus, tempus enim, quod continuatum, est ipsa duratio rerum corruptibilium, cum sit species quantitatis, quæ est accidens commune competens toti, ratione materiæ; non potest dici in rigore proprietas, quia tamen ejus continuatio quandoque exigitur a nobilitate formæ, quæ prædominatur materię, ejusque compescit appetitum ad alias formas, sicque informando exigit continuationem, & persistentiam, poterit dici aliquo modo proprietas, porrò ex rei duratione, aliquod accidens resultat secundùm do-

A ctrinam D. Thomæ ex Philosopho, enucleatam a nostris PP. Complut. in Logica de prædicamento, quando, quod accidens constituit proprium prædimentum, estque velut reale vestigium continuatæ durationis, ex quo veluti etiam ex duratione dignoscitur exigentia, quam habet forma ad persistendum, & informandum, quæ quidem Philosophica sunt, sed aliquale præferunt lumen Theologicæ etiam indagini. His suppositis certum est, quod si sumatur Sacra Scriptura, quoad divinos conceptus formalissimè, ut divini sunt, sicut Deus immutabilis est, & æternus, ita & tales conceptus æterni sunt, & Sacra Scriptura hoc modo considerata debet dici æterna, hæc autem non est revera antiquitas Sacræ Scripturę, sed præcisè conceptuum, B quos continet de hac igitur antiquitate non agimus, eam verò innuimus, quia maximè explicat ejus perfectionem, sicque est quædam eminentissima ejus Nota. Item si sumatur, quoad res manifestatas, quæ sunt subjecta, & conceptuum, & manifestationis ipsorum, quia divinas maximè perfectiones concernit, quæ æternæ sunt, etiam sic æterna dici potest, sumpta denominatione a potiori, quod est in ipsa, quia verò etsi respectiva speciem sumant ab objectis inspectis, non tamen ab eisdem desumunt durationem, hoc arguit quidem maximam ejus perfectionem, & ideò etiam hoc modo antiquitas, est eminens ejus Nota, non tamen ipsi, ut quædam manifestatio est æternorum, ex hoc convenit, tamquam ejus proprium prædicatum, æternitas. Sumamus igitur eam in communi acceptione C secundùm quod, est doctrina infallibilis, manifestativa divinorum conceptuum, scriptis consignata, & inquiramus breviter aliquid, de ejus antiquitate, ut cognoscamus, quomodo hęc ejus antiquitas dici possit Nota propria illius.

Dicendum est primò, quod si accipiatur antiquitas pro duratione futura, hæc dicenda est æterna, seu melius perpetua, numquam desitura, & etiam quoad hoc antiquitas est nota Sacræ Scripturæ. Prob. prima pars conclusionis, communis, & PP. intelligentia, & omnium, est, ipsaque ratio naturalis dictat, illa tantum scribi, quæ scribens intendit, ut semper durent, unde commune proloquium emanavit: dicta transeunt, scripta manent, immò in ipsa Sacra Scriptura, expressio scriptionis est vera significatio perpetuitatis ut osten- D dit, in Biblia Reg. Tom. pr. Apparat. doctissimus Arias Montanus, ideo de peccato Juda, quòd non erit in oblivionem, scriptum est Isa. cap. 17. *peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino*, & Job desiderans sapientiam, quam ex tribulatione hauserat, in perpetuum durare, clamabat *cap. 19. quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei, quis mihi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celtè sculpantur in silice?* &c. ipsaque præcepta naturalia semper mansura, scripta fuerunt digito Dei vivi, in tabulis lapideis &c. Deus autem voluit nedum talia præcepta, sed omnia, quæ in Sacra Doctrina continentur, describi, sicut in omni ferè libro ejusdem exprimitur, ergo voluit, & vult Sacram Scripturam durare in æternum.

Con-

Confir. communis, & plana intelligentia illius visionis Apoc. *cap.* 5. cum vidit Jo: in cælesti Senatu librum legis signatum sigillis septem, pro illo libro accipit Sacram Scripturam signatam sigillis septem, idest abscondita continentem mysteria Verbi Dei, & in æternum confirmatam, septem enim numerus est universitatis ex Augustino, sicut cum de numeris agemus, Deo dante, videbimus, sigillum autem firmitatem apud omnes significat. Ita D. Bonav. opusc. primo. Ugo Vict. l. primo cæterique communiter.

Prob. secundò magis immediatè, ex Sacra Scriptura, psalm. 116., *& veritas Domini manet in æternum*, & Isaiæ *cap.* 40. *Verbum autem Domini nostri manet in æternum*, & Math. *cap.* 24. *cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, quocirca certam supponimus regulam Augustini, quod ubi nullum sequitur absurdum; verba Sacræ Scripturæ intelligi debent primo in sensu litterali proprio, atqui ex reali afferta perpetuitate in futurum Sacræ Scripturæ nullum sequitur inconveniens, ergo cum passim habeamus in Sacra Scriptura, quod verba Dei semper manebunt debet hoc intelligi sine hæsitatione, de Sacra Scriptura, realiter accepta modo in conclusionis præambula notatione ultima explicato.

Confirmatur; Ecclesia certissimè æterna est, de qua ait Christus, *portæ Inferi* (quæ æternæ sunt) *non prævalebunt adversus eam, Matth. cap.* 16., idem igitur sentiendum est de Scriptura, in qua fundatur, regitur, & perficitur, si enim portæ Inferi quæ sunt ignorantia, & perfidia, prævalerent adversus Scripturas, prævalerent utique adversus Ecclesiam, & è converso.

Dices, ex his probatur quod omnes supponere debent, nempe perseveraturam esse Sacram Scripturam usque in finem mundi, at quod duratura sit post finem temporum non apparet, ergo non in perpetuum. Antec. totum, constat ex prima Corinth. cap. 13. ubi ait Apostolus *cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quòd ex parte est, nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, videmus enim per speculum, & in ænigmate, quod est ipsa Sacra Scriptura, in qua seu per quam videmus ænigmaticè, ut ibi D. Thom., & alii, ergo etiam Sacra Scriptura tunc tolletur sicut evacuabitur Fides.

Confirmatur, Sacra Scriptura se habet per modum medii, adhoc ut per ipsam credamus, & credentes, ac operantes, quæ docet, vitam habeamus æternam, atqui post finem adeptum, cessant omnia media, & frustranea sunt, ergo cum Deus nihil agit frustrà, tunc erit auferenda, maximè quia Fides ex Scriptura, & Augustino, est credere quod non vides, visio autem omnia manifestat, quæ nunc in Sacra Scriptura obvelantur.

Confirmatur secundo: Sacra Scriptura, Pr. Petri, cap. 1. *est lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies illucescat*, ergo cum elucescet dies, lucerna hæc extinguetur. Talis siquidem dies erit, ut vidit Jo: in Apoc. *cap.* 21., *&* 22. *quæ non egebit lumine lucernæ, neque lumine solis aut Lunæ, nox enim non erit illic, & lucerna ejus est agnus*, ad quid igitur in

A æterna illa die propheticus sermo, ad illustrandam caliginem institutus.

Respon. quod quamvis hoc assertum non invenerimus apud DD. Sacros expressum, cum hac de re non consueverit quæstio agitari, quia tamen probatur ex Scriptura ac ratione, & illatione erui potest ex doctrina PP., ac potissimum D. Thomæ, ex eo quod difficile quid obviet, non est deserendum, neque enim majorem illi tribuimus firmitatem, quam probatio ipsa mereatur, neque novitatem diligimus, sed veritatem: sed nec imaginamur, quod simul esse queat, fides obscura, & visio clara Dei, quod solum impugnat Apost. locis in objectione citatis, nec dicimus Sacram Scripturam duraturam semper esse, sub munere regulæ, visionis beatæ, quia hoc falsum est & impossibile,
B cum divina essentia intimè unita, & clare visa, sit prima adæquata, & indefectibilis regula cujuscumque regulabilis, sive quoad intellectum, sive quoad voluntatem, quod solum concludit Jo: in Apoc. loco citato, sicque objectio contra nos non militat, nisi apparenter aut quasi rethoricè, Explicatio igitur conclusionis erit ejusdem fortis probatio, qualis in similibus haberi potest. Hoc ergo solum dicimus, quod sicut in beatis secundum sententiam notissimam D. Thomæ, & plurium Theologorum, datur ultrà visionem matutinam, qua omnia vident in Verbo, etiam visio Vespertina qua plura vident extra Verbum, ita per eamdem videre poterunt, & videbunt, quamvis clarè ea, quæ in scripturis continentur, quoad nos obscura, & ob-
C scurè contenta, & hoc in præmium peculiare fidei, qua prius eadem quæ fuerant velata speciali veritatis divinæ obsequio crediderunt, maximè namque delectat, cum ea clarè cognoscimus, quæ prius in ænigmate proposita fuerant, iterum ænigma illud recolere, & velamen illud, in quo pulcrè veritas abscondebatur, recognoscere, sic enim exprimitur quidam veluti triumphus de obscuritate, & dulcescit menti sapor gratissimus claritatis, nec aliquid obstat, quin immò, cum status ille sit bonorum omnium aggregatione perfectus, cur ei bonum hoc, & perfectio denegetur, sanè aliud est cognoscere cum obscuritate, aliud verò cognoscere obscuritatem sed revelatam, primum, quidem abest a patriæ claritate, secundum verò, sine ratione, immò contra rationem denegatur, uti modo
D ostendimus, & mox magis constabit. Etenim si juxta Thomisticam doctrinam optimè fundatam; certum est, quod habitus Theologiæ, immò, & scientiarum naturalium aquisiti in via retinentur a Beatis in patria, & per conjunctionem ad lumen gloriæ perficiuntur, & de Theologia, quia potest esse apparens difficultas, dicimus nos Thomistæ, quod quamvis in fieri pendeat essentialiter ex principiis Fidei, tamen quia Fides hic nobis datur tamquam vicaria luminis gloriæ, non pendet ex illis in facto esse, ut obscuris, sed ut veris, & infallibilibus, quæ per se primò spectant ad scientiam Dei, & beatorum, ideoque concludimus, quod unita Theologia lumini gloriæ cui subalternatur, perficitur, & aquirit statum scientiæ, quo carere solet scientia subalternata in absentia subalternan-

ris. Si ergo res ita se habet in Theologia, cur & idipsum non dicetur de Sacra Scriptura, sive servata, & descripta in mentibus beatorum, qui eam didicerunt, vel (& quidem omnium) qui eam servaverunt, sive in propriis voluminibus considerabili, modo proprio beatorum.

Iterum autem sic discurrimus: signum crucis erit in Cælo, cum Dominus ad Judicandum venerit, nemo negat, quin immò ut notat Ven. Beda ad locum *Ezech. cap. 9. signa Thau in frontibus eorum, signum crucis erit impressum in frontibus omnium beatorum post resurrectionem in signum, & gloriam Redemptionis*; adde, Christus Dominus, in æternum gloriosas in corpore suo servabit cicatrices, quas in se ipso post resurrectionem Apostolis suis ostendit, ut communis Fides facilè infert ex Evangelio, cur ergo insigne fidei nostræ, quæ est primum æternæ salutis initium, testimonium infallibile veritatis æternæ, proprium opus Dei, thesaurus divinorum Judiciorum, delineamentum triumphantis Jerusalem, lex illa per cujus observantiam ædificata est Civitas Dei, Sacra Scriptura, ibi realiter non erit.

Confirmatur denique ex *psal. 47. sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Dei nostri, in monte Sancto ejus*, loquitur David in persona beatorum, & quidem, quæ hic audimus, & credimus, ea sunt, quæ in Sacris litteris continentur, si ergo sicut hic audiuntur, sic eadem in patria videntur demptis imperfectionibus, ut supponit natura status perfecti, sic illic videntur, sicut continentur in ipsa, & quidem planè nostro saltem modo concipiendi, veritatis perfectio id videtur exigere, ut dictum, ex Textu, coram & apertè conferatur, ad pleniorem veritatis undequaque comprehensionem, & accidentale gaudium, de omnibus modis, firmata veritate, non ex indigentia, sed ad perfectissimam concordiam veritatis, & complementum, unde subdit, *Deus fundavit eam in æternum*. Notandum verò, & benè tenendum, quod qui arguit ex indigentia, vel utilitate, nihil concludit de bonis patriæ, ubi certissimè sicut perfectissimus finis possidetur, ita cessat omnis utilitas formaliter sub hoc munere, & quod prius utile erat, transit (si statui illi non adversatur) in corollarium, & ornamentum perfectissimi status. Talis igitur arguendi modus non ascendit, sed subsistit hic infrà in via, ubi est indigentia omnis boni, & quæritur utilitas, quæ finis supponit privationem. Ex his & manet roborata conclusio quoad primam precipuam partem, & clarè patet responsio ad objecta, & ad ea, quę obiici possent, absque eo quod in re tam clara diutius immoremur; solum addimus, ex doctrina pariter Thomistica, & nostra Salmaticensi, quę eadem est, quòd adhoc ut aliquid non repudietur tamquam frustraneum, sufficit quòd aliquando suam operationem seù finem aut munus impleverit; constat autem in pręsenti etiam materia; ad quid enim servantur in sacris voluminibus pręcepta ceremonialia legis antiquę, quorum observatio mortifera esset in pręsenti, tamquam protestatio falsitatis, quippe quę Christum signant venturum, ad quid vetus Testamentum seù libri Moysis, qui umbram con-

A tinent venturi Messię, cum certum sit jam venisse, & umbram, ac figuram abiisse, ad pręsentiam veritatis? si advenit, quod perfectum est, cur non evacuatur, quod ex parte, immò nec ex parte est, cum pars corporis non sit, umbra? Hinc etiam conclusa, & probata manet secunda pars conclusionis; si enim Sacra Scriptura ex propria ratione, seù taleitate, ęternam exigit permanentiam, scilicet ratione veritatis ęternę, ac perfectę, & eorum, quę ejus formam constituunt, jam hęc permanentia est ejus proprietas quędam, nedum Nota utcumque, quippe quæ eam distinguit a qualibet alia Scriptura, quæ quantumvis de æternis sit, uti sunt scripta naturalium scientiarum, de ęternis, & certis, & necessariis, tamen ęterna non est,
B quia nec ad ęternitatem beatam ducit, nec est opus specialissimum Dei, nec lumini glorię subalternatur; hęc ergo antiquitas à nobis descripta, & probata, quę minor non est ęternitate, debetur, ut jam patet clarissimè, Sacrę Scripturę, ratione formę, & eam distinguit ab aliis, & sui, & diversi generis, & eam notificat ut distinctam, & in se perfectissimam, & nedum competit illi soli, & semper, sed est ipsum, semper, ipsius proprium, quia veritas Domini manet in ęternum: Ita ut etiam in sensu hujus conclusionis intelligi possit, & verificari de Verbo Dei scripto, id, quod canit David Psalm. 118. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo*, quia tamen in iis, quę spectant ad hanc materiam, nihil novum, nihil sine communi
C PP. consensu tenaciter asseverandum censemus; assertum hoc potius adductis probationibus, quam Judicio nostro commisimus.

ARTICULUS III.

Antiquitatem Sacræ Scripturæ a parte ante examinans.

QUanta sit antiquitas Sacrę Scripturę a parte ante, resolvit Psalmista, principium (inquit Psalm. 118.) verborum tuorum veritas, q. d. verborum Dei, unicum principium, veritas est: in rebus quidem, quę falsitati, ac incostantię subesse possunt, verificatur inceptio ad mensuram temporis, ex quo quęritur earum principium, at Verborum Dei tota mensura, ac principium sola veritas est; nec fundamento caret hujusmodi intelli-
D gentia; ut enim intelligi possit de principio durationis, subdit, in ęternum omnia Judicia justitię tuę. Si ergò quęrimus, quandonam cæperit, ipse respondet, quod ejus *quando*, est veritas, cujus *quando*, est ipsa ęternitas. Sic & Jo: primo ait: *In principio erat Verbum*, quod est ipsa veritas, & quia Verba a Verbo incipiunt, plura enim verba ab uno verbo incipiant necesse est, ideò, dicit, principium verborum tuorum veritas, idest verbum ęternum, quod ęternitate sua ambit omne tempus, unde benè respondet quæstioni de principio durationis, per æternum principium. Ita quidem: at quia jam supposuimus, quod si sumatur Sacra Scriptura quoad divina, quæ continet, & quoad veritatem, ęterna est, ideò nunc dicta ad hujusmodi sup-

suppositionem explicandam deserviunt, adhuc tamen quæstioni, quæ Scripturam considerat, uti continentem, non verò quoad ea quæ continet, ut supra notatum est, respondendum est. Porrò adhuc dupliciter potest institui quæstio, primò quęrendo quando nam primò scriptio illius incęperit, in quo ex professo laborat P. Eusebius Nieremberg. toto opere de origine Sacrę Scripturę. Secundò an doctrina omnis quam continet, primò per ipsam tradita fuerit; an verò ante ipsam similis aliqua doctrina scriptis consignata, in quo Doctores Isagogici, & Controvertistę licet sub alio quęstionis titulo, versantur.

PRIMÆ QUÆSTIONI SATISFIT.

COncluſ. pimus Scriptor fuit Deus, Scriptor quidem Sac. Script., non ex eo dumtaxat, quod fuerit causa specialis, eorum etiam, quę per Moysen, & Prophetas conscripsit, at specialissimo modo, ita ut nec humano in prima Scriptura usus fuerit instrumento; sic habemus Exod. cap. 24. Dixit autem Dominus ad Moysen: ascende ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi Tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quę scripsi, ut doceas eos. Scripserat ergo jam Deus tabulas lapideas digito suo, antequam Moyses ascenderet in montem Sinai, illic per 40. dies cum Domino demoraturus; idipsum habetur Exod. 31. ubi conclusivè dicitur, deditque Dominus Moysi duas tabulas scriptas digito Dei, quod etiam repetit, Deut. cap. 9. Et quod ad litteram ita sit, sensit August. q. 166. super Exodum, & q. 15. super Deuteron. *Priores*, inquit, *tabulas, & Deus fecit, & Deus scripsit*; cum igitur non inveniamus aliquam Sacrę Scripturę partem, ante prędictas tabulas conscriptam, quod planè scriptura ipsa non pręteriret, si esset, sicut de his primis tabulis peculiarem illam circumstantiam notavit, quod essent scriptę digito Dei, certum est, ex ipsa Scriptura, Deum absolutè fuisse omni peculiari modo primum, ac singularem ejusdem Scriptorem; ideoque ita sentiunt, cum August. Raban. l. 4. in Exod. cap. 10. Ugo Cardin. cap. 9. Deuter. Rup. l. 3. de Vict. V. Dei, cap. 21. & 22. aliique cumplures.

Obiicies tamen, Exodi cap. 24. citato, antequam diceret Dominus Moysi, quę supra retulimus, ideoque antequam reciperet tabulas legis, dicitur prius: *venit ergo Moyses, & narravit plebi omnia Verba Domini* (ea utique quæ prius a c. 20. usque ad 24. audierat) *atque Judicia, respondítque omnis populus una voce, omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus*, subditque statim, *scripsit autem Moyses universos sermones Domini, & mane consurgens &c.* & mox infra: *assumensque volumen fœderis legis, audiente populo &c.* quis ergò non videat Moysen prius scripsisse verba Domini, quam Dominus insceriberet tabulas? si antequam mentio fiat tabularum, dabatur volumen fœderis legis, & narratur quod scripserat Moyses sermones Domini, ergò prior Scriptor Sacræ Scripturæ fuit Moyses, ne Scripturam ipsam tollamus.

Respon. difficilem quidem primò aspectu appare-

A re objectionem, sed revera non esse, si enim quæ quandoque per prolepsim, sive præocupationem dicuntur, ita accipiantur, ut dicuntur, ac si idem omninò fuerit ordo in facto, qui est in dicto, plura passim incompossibilia occurrent in Scriptura, quæ & mentem, & veritatem invertent, ut frequenter notat August. dicimus ergo scripsisse Moysen omnes sermones Domini, totumque Pentateuchum, in quo continentur, quique dicitur volumen fœderis Domini. Sed sicut impossibile est, ut bene probat Abulens. in commentariis ad hunc locum, quod paucis horis totum Pentateuchum scripserit, ita etiam quod priusquam Tabulæ legis scriberentur, eas ipse describeret tamquam habitas, ut hic, & alibi legitur in Pentateuco. Ac propterea subtiliter notat August. *q. 99. super Exodum*, hoc

B ipsum dicens: *Et advertendum librum Testamenti, cum sanguine hostiæ recitari, in quo Libro istas justificationes conscriptas debeamus accipere: nam decalogum legis in tabulis lapideis fuisse conscriptum, postea manifestum est &c.* debet igitur hic liber posterior esse in facto ad scriptionem tabularum, si decalogum continet, quippe qui per se primò ipsa lex est, & forma voluminis fœderis legis, unde idem August. q. 103. sequenti, statuit regulam ad intelligentiam similium locorum, dicens: *Per prolepsim, hoc est praeocupationem anticipat Scriptura, quod postea factum est, omnia quippe ista, posteaquam facta sunt, scripta sunt, ac per hoc, quando factum est, quomodo commemoratur, quia quando scriptum est hoc jam fuerat factum*; ideò arguit loco citato Abulensis, Rabi

C Salomonem ridiculè asserentem, quod totum Pentateucum scripsit Moyses, minori spatio, quam diei unius, hoc loco sed male intellecto subnixus, ubi dicitur, *scripsit autem Moyses universos sermones Domini, & manè consurgens obtulit sacrificium*, quod si materialiter intelligatur, innuit Moysen spatio unius noctis scripsisse universos sermones Domini, quod plures involuit contradictiones, ut evidens est.

Responderi potest secundò. Transeat quod scripserit Moyses volumen fœderis inchoativè, quatenus ea registravit nocte illa, quę dicta fuerant præcedenti die a Domino ad Moysen, & populum, adhoc ut lex ore prolata statim manu descripta, per fœdus a populo acceptaretur, at ex hoc non sequitur, quod tabulæ legis fuerint scriptæ post scrip-

D tionem illius voluminis: quod enim post fuerint datæ, nihil nocet conclusioni nostræ, idque solum ex littera ad summum videtur deduci; quod autem post fuerint scriptæ, non cohæret cum Scriptura, prius enim quam dicatur, scripsit Moys. &c. dicit in priori parte capitis Deus ad Moysen: *ascende ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata, quæ scripsi; ut doceas eos*, certè prius, quam hoc diceret Deus ad Moysen, jam scripserat, ut dicit, quæ scripsi; atqui prius etiam hoc dixit, quam quod Moyses scriberet, ut statim legitur, ergò multò prius quam quod Moyses scriberet, scripserat jam Deus. Evidens est argumentatio; constat igitur Deum fuisse primum Scriptorem Sacræ Scripturæ. Ratio autem quare Deus ita dignatus fuerit, ea fortè est, ne videretur im-

impossibile hominibus, si postmodum audirent totam Sacram Scripturam esse verba propria ipsius Dei, si enim per se ipsum scripsit, cur non & per alios? vel ad celebrandam Sacræ Scripturæ dignitatem, & veritatem, quæ a Deo cæpit, cujus proprium est, opus quod cæpit, perficere, quia Dei perfecta sunt opera. Nec refert, quod plures diffusè disputant in præsenti, an ipse Deus immediatè, an mediante Angelorum ministerio, Tabulas legis conscripserit, ut videre est in Isago. P. N. Anton. prælud. 1. digress. 1. quidquid enim dicatur, non obest conclusioni, quia in eo sensu dicimus, Deum fuisse primum Sacræ Scripturæ Scriptorem, in quo dicit Scriptura Tabulas legis fuisse scriptas digito Dei, ad exclusionem digiti hominis, quia etsi demus, quod Angelus in Scriptura quandoque dicitur Deus, quia Deum repræsentat uti nuncius, & quidquid præstat, Deo cum proprietate attribuitur, saltem verum erit in hoc sensu, quod Deo attribuitur prima illa scriptio, titulo quodam singulari, ipseque Deus hoc de se attestatur: adde quod si ad nos spectaret hunc resolvere articulum, diceremus (quidquid dicant alii) scriptionem illam primam tabularum fuisse omninò immediatè a Deo, tum quia Sacra Scriptura magis in hoc inclinat, dicens, *scriptas digito Dei*, creatura siquidem etiam Angelica, non dicitur digitus Dei, cum nec metaphoricè ita sit Deo annexa, sicut digitus manui hominis, nec modum proprium operandi Dei attingit, sicut digitus significat, qui vel omnipotentiam indicat, vel specialissimi effectus creationem, unde dicitur *Exodi* 8. *Digitus Dei est hic*, & *Psalm.* 8. *quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti*, tum quia intelligit ita, etiam August. in qq. super Exodum loco citato, *digitus Dei Spiritus Sanctus est, etiam secundùm Evangelium*. Tum quia nullum sequitur inconveniens, si litteram in primordiali sensu accipimus, licet formali, & metaphorico, prout est posita ad significandam immediationem causæ, tum denique quia, cum Abulensi, loco superius citato dicere possumus, Tabulas sic scriptas creatas fuisse a Deo. Iterum autem advertendum, quod etsi Angelus fuerit, qui nomine Dei loqueretur, dicens *dabo tibi Tabulas quas scripsi*, adhuc non convincitur, quod Angelus eas scripserat, sed optimè potest cohærere, quod Deus illas prius scripserit per se ipsum, & quod Angelus illas dederit, nomine Dei, ut patet, unde ex nulla parte cogimur ad asserendum, quod Angelus, & non Deus illas primò descripsit. Prima igitur quæstio, quoad eum, a quo primò scripta est Sacra Scriptura, quantum saltem ad aliquam sui partem, manet resoluta; altera verò pars quærit quandonam cæperit, & quia scriptio Tabularum, & traditio, & continuatio scriptionis, ut patet ex Scriptura, loco citato, eodem ferè tempore sibi successerunt, etiam hæc secunda pars quæstionis facilè solvetur, si statuamus quis primus inter homines Sacram Scripturam inchoaverit, & quando, quod statim præstamus.

Ex his, quæ de causa materiali Sacræ Scripturæ dicta sunt huc spectantia, clarè constat resolutio

A etiam quoad hanc partem, ne tamen aliquid in præsenti desideretur, dicendum est Moysen primum fuisse inter homines, qui Sacram Scripturam inchoavit. Ita sentire videtur Evangelium, Joannis c. pr. dicitur, *lex per Moysen data est, Gratia, & veritas per Christum &c.*, & c. 5. quasi unicum legis scriptorem solum nominat Moysen ipse Christus, quod saltem de primo debet intelligi, & hæc quidem adeò communis sententia est, ut non habeat contradictorem, atque ita certa, ut neque nomen Moysi, velut primi Scriptoris, qui nullum habet a quo distinguatur, primis quinque libris, quos prior ipse conscripsit, affixum legatur, quippe quod debet omninò supponi.

B Infinitas propemodum ejus laudes congerunt SS. PP. quæ brevitas nostra absorbet. Unica laus sit, ut spectat ad præsens, quod nomen proprium non indidit Pentateucho, hoc enim ideò siluit, vel quia humilis, maximam, quæ inde ipsi resultaret Gloriam, abdicavit, vel quia sapiens, novit illud opus, suum non esse, sed Dei, ex quo inferri possit, quot latent in quolibet verbo Dei divina mysteria, si & in omissione nominis auctoris scribentis, tot valent inveniri: De laudibus Moysis scribit Ecclesiasticus, cap. 45. ut verè probatus sit, quippe quem Deus commendat. Ut autem sciamus, quando scribere cæperit. Notandum est ex Augustino (vel quisquis sit auctor libri de mirabilibus Sacræ Scripturæ) l. p. c. 35., quod vita Moysis dividitur in

C tres quadragenas 40. annis in Egypto in Domo Pharaonis, ab infantia didicit litteras. 40. annis exul ab Egypto, in Domo Sacerdotis Madian fuit, licet non semper, 40. annis per desertum populo ducatum præbuit. Communior autem opinio, quam refert Corn. A Lap. in principio Pentateu. de encomiis Sacræ Scripturæ, asserit, quod Moyses non cæpit scribere, nisi post egressum populi de Egypto, & tunc solum post receptas a Deo tabulas; non enim legitur, quòd ante illud tempus fuerint in usu, vel lex, vel litteræ apud Hebræos: cum autem eggressus est Israel de Egypto, numerabatur annus a creatione mundi 2454., a diluvio 707. ut optimè idem Corn. deducit ex l. Genes., & Epist. ad Galat. quo verò tempore post prædictum egressum, Moyses Tabulas receperit a Deo, notat

D August. *q.* 70. *in Exod.*, *non data*, inquit, *est lex, statim post peccatum &c. sed die quinquagesima ab exitu Israel de Ægypto, quæ tertia fuit mensis Junii*, itáque solum post talem diem cæpit Moyses scribere primum librum Pentat., qui est l. Genes. &c. ita etiam Theodoretus, Beda, Abulensis, hoc loco, & Euseb. l. 7. de præparat. Evangel. c. 2., nec aliud certius etiam sollicito studio potuit inveniri; complevit autem tale opus in deserto, ubi & mortuus est.

Sed quæres, quare non prius data est lex aut Scriptura? Respon. primò, ex Glos. ad Galat. c. 3. *Ut experti homines arbitrii libertatem, ad salutem non sufficere, eò minus superbirent, & legis necessitatem eò proclivius agnoscerent, ac libentius observarent.*

Respon. secundo quia per peccatum, legem ipsam naturalem, & divinum præceptum homo abjecit,

jecit, demeritus fuit legem, vel quia tot Dei beneficia, sicut creatio mundi, ac ipsius hominis, erant tunc propinquiora, & quasi præsentia, ideò ex illis incitabantur ad observantiam legis naturæ, absque alterius legis jugo, ac terrore; cui rationi concordat Augustin. in l. quæstionum veteris testamenti c. 3. assignans quarè tunc solum, scilicet post annos 2454. scriptus fuerit Lib. Genesis dicens, *tunc scilicet, cum crevisset error eorum, qui de creatione mundi dubitabant, necesse fuit eam ostendere, ut error tolleretur*. Tertia ratio comprehendens utramque, habetur ex Edero: *partis. Theol. l. 2. tab. 15. Legis divinæ summam traditurus Moyses, ejus primum ostendere debuit latorem, quo cognito, & facilius quisque intelligat, quid, tum de ipsa lege, cum de ejus auctore, & credere, & sentire debeat; Deum autem homo facilius nequit apprehendere, quam ex opere creationis, & ordine sapientissimo rerum creatarum, in quo exemplar elucet, & lex quadam ordinis rationalis*. Alia etiam ratio addi potest, scilicèt ob nimiam distantiam, inter tempus illud primum, & adventum Christi: lex enim illa erat umbra legis Christi, qui vir oriens dicitur, porrò sol oriens, non facit umbram, quæ totum occupet, etsi eam protrahat oblungam, sed denique de utroque concludit: Idem, quarè scilicet prius nec lex, nec scriptura data fuerit, *quia nondum erat sufficiens capacitas in hominibus ad utramque. Habet enim Ecclesia ætates ferè quinque, Infantiam, hoc est initium a primis illis parentibus nostris Adam, & Eva, usque ad tempora Noe, Pueritiam, a Noe usque ad tempus Abrahæ, & sub Abraham, usque ad Moysen. Adolescentiam a tempore Moysis, qua propterea Ecclesia sub lege, uti adolescens sub tutoribus, & Magistro degere debuit, usque ad inductionem populi Israel in terram promissionis per Josue, & Judices sequentes, & Reges, & Prophetas, ac propterea Apostolus legem vocat pædagogum. Juventutem, ab inductione prædicta, usque ad Salvatoris nostri adventum, quo tempore licet a cura pædagogi nondum exisset, accepit tamen a Prophetis. qui tunc extiterant, clarissimas de Christo ejusque regno, & universis Fidei nostræ mysteriis revelationes. Denique perfectam ætatem: ubi enim venit plenitudo temporis, de qua Apostol. ad Galat. cap. 4. agit, misit Deus filium suum unigenitum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, qui talem sibi congregavit Ecclesiam, qualis in veteri testamento, præfigurata fuerat, & adumbrata in Sinagoga, in Tabernaculo, in Sacerdotio*. Has vero rationes, ut potuimus studiosè collectas, uti verè sunt conjecturæ, exhibemus, veram enim ac primariam hujuscemodi dilationis rationem, solus novit ille, qui distulit, qui certè congruam novit temporibus omnibus abhibere medicinam, ut SS. PP., cum Augustino, & Gregorio. Sistendum igitur, ne altiora quærentes dessipiamus.

Contrà superius dicta, Obiicies. Videtur quod Moyses non sit auctor Pentateuci. Non enim cohæret, quod vera sint in eo scripta, & quod ea scripserit Moyses. Narratur enim ibi virtus mansuetudo, & humilitas Moysi, quæ si ipse narrat de se ipso, per hoc ipsum a veritate deficiunt, quia jam non est humilis, ideoque nec justus, de

A quo scriptum est, *quod est accusator sui in principio sermonis, proverb. c. 18., & 2. Corin. c. 10. non enim, qui se ipsum commendat ille probatus est*, & passim in Scriptura, homo se ipsum laudans damnatur, tunc autem omninò inexcusabile signum præbet superbia, cum super alios singularitatem usurpat, sicut Pharisæus in Evangelio. Dicitur autem, de Moyse, præter alia, *Numeror. c. 12., & Deuteron. c. ultimo, & non surexit ultrà Propheta in Israel sicut Moyses; quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis, atque portentis*.

Confirm. eodem cap. Deuteron. narratur mors Moysis, & sepulcrum ejus, quæ non apparet, quomodo scripta sint a Moyse. Genes. etiam c. 14. urbs Lais vocatur Dan, cum diù post mortem Moysis, tale nomen acceperit, non ergo Moyses B scriptor est Pentateuchi. Responderi posset objectioni, quod videtur laborare supposito, quia supponit, quod Sacer Scriptor, proprio Marte inveniat, aut componat ea, quæ scribit, sicut qui in Epistola, vel in dicto, animi sui sensum revelat, quòd supra omninò reprobatum est. Nulla igitur est implicantia in eo, quod Moyses illa scripserit, quæ Deus in laudem Moysi, per ipsum locutus est, sicut enim non incongruit, quod Deus, in persona peccatoris pænitentis, dicat per David, Psalm. 50. Miserere mei Deus, quasi docens, quid orare debeat pænitens, ita nec incongruum est, quod utatur Moyse ad laudandum Moysen, & hoc modo probatus est Moyses, quia Deus commendavit ipsum, non ipse se, juxta regulam Apostoli loco C citato, per quod etiam, proportione servata, patet ad confirmationem.

Ad confirmationem nempe dici potest, quod sicut prophetæ descripserunt futuram post tot sæcula mortem Christi ita potuit, & Moyses eodem spiritu, scribere de futura morte sua: nec refert, quòd eam scripserit per modum historiæ, & tamquam rem præteritam narrando, non prophetando, non enim est novum, quòd ad exprimendam infallibilem certitudinem prophetiæ, ponatur in Sacra Scriptura præteritum pro futuro, cum id passim inveniatur in Psalmis, cæterisque prophetalibus libris, nec propterea desinit esse prophetia, per hoc quod superinduat modum historiæ: Deus enim est, qui loquitur, qui tales limites, æternus ipse non admittit, & modus ille historicus quan- D doque, est potius figura, quam substantia narrationis, quæ certè non impeditur, quin simul sit prophetia, & narratio. Ità quidem videtur posse sustineri, & hoc modo magis certificamur de Scriptore Sacro Pentateuchi, aliter in ea parte, in qua diceremus, Moysen non scripsisse, cum nesciatur quis sit, qui de Moyse talia scripserit, aliqua erunt apocripha, quæ tamen Ecclesia recipit, ut certi auctoris, cum in canone non inveniatur illa distinctio, nec in titulis vulgatæ, quam elegit, & aprobavit Ecclesia.

Secundo Respond. At quia uti tenet A Lap. in argumento pentateuchi, aliquibus videtur, quædam in pentateucho reperiri addita a Josuè, immò ipsum Josuè quinque libros scripsisse ac disposuisse, prius a Moyse per modum annalium descriptos, resp. probabile esse ea, quæ ad laudem Moysi pertinent,

tinent, & àd mortem ejusdem, addita fuisse a Josuè, vel a quovis alio, ut dicit A Lap. nec propterea incertus est absolutè auctor Pentateuchi, quem scimus, in majori parte, a Moyse conscriptum, cum denominatio sumi debeat a potiori, nec nomen auctoris, qui fuit tantum causa instrumentalis, præjudicat certissimæ veritati Sacræ Scripturæ, ut patet in aliquibus ejusdem sacri voluminis libris, qui, etsi ignoretur certus eorum auctor seù scriptor, adhuc tamen in canone continentur. Sed quidquid sit de hoc, nobis sufficit in præsenti, certissimum esse, & probatum, quod Moys. cæperit scribere primus Pentateuch. ut inde etiam æquè certum sit, quandonam cæperit Sacra Scriptura, ad certam ejus antiquitatem definiendam a. parte ante, in sensu quæstionis, alia autem cursim tetigimus ex more, ut etiam occasionaliter oblata difficultas aliquam lucem acciperet.

Nunc restat, ut secundæ quæstioni satisfiat, in qua quærebatur, an doctrina quam continet Sacra Scriptura, primò per ipsam tradita fuerit, an verò similis aliqua, ex qua deduci potuerit, scriptis consignata extiterit ante ipsam, quod maximè concernit nedum antiquitatem, sed & divinitatem Sacrę Scripturę, pro qua sit conclusio.

Dicendum est: doctrinam seù notitiam, quam continet sacrum volumen, tum in Pentateucho, cùm in alia quamcumque sui parte, non fuisse scriptis prius ab aliquo alio commendatam: hæc conclusio non aliter, quam auctoritate probari potest, ut patet. Aliquas igitur, quæ pro pluribus sufficiant, adducemus. Ita sentit in primis universalis Ecclesia, quæ hujusmodi sacrum volumen, Spiritui Sancto signatè, ac peculiariter attribuit, de eo dicens in simbolo, *qui locutus est per Prophetas*, quod est commune nomen Scriptoris canonici, in veteri Testamento. Porrò quis, aut quid antè Spiritum Sanctum sic loqui potuit? adde quod in Concilio Tridentino, in canone sacrorum librorum, ii solum Libri, ut canonici recensentur, quos Sacra Scriptura vulgata continet, constat autem, quod si in alio priori, alterius, vel similis tituli libro, prius talis doctrina tradita fuisset, ille ut protocanonicus deberet præponi, doctrinam siquidem & veritatem, Spiritu Sancto ducta probat Ecclesia, non quid materiale, ergo &c. Nemo igitur fidelis de hac conclusione potest dubitare, salva fide, sed & infideles, sequentibus auctoritatibus convincentur. Constantin. Magnus *in sua Oratione, apud Euseb. c.* 17. de Moyse, inquit; *Qui etiam tantum illis, qui ipsum ætate antefuerant, sapientia præstitit, ut sapientes, & philosophi a gentibus plurimum prædicati, ejus sapientiæ æmuli, & imitatores extiterint. Pithagoras enim, ejus sapientiam imitatus usque eò propter modestiam, omnium sermone celebratur, quod Platoni homini planè modestissimo, ejus continentiam, tamquam exemplar ad imitationem proponeret*. S. Justin. Martyr in admonit. sive parænesi, ad Gentes, diffusè docet, græcos ab Ægyptiis, Ægyptios a Moyse sapientiam didicisse, & Dei hausisse notitiam, & primo dicit, *cum quidam, ut ipsi fatemini, Deorum oraculum consuleret, quos tandem homines, religioni deditos aliquando esse contigisset, hoc responsum esse dicitis. Solis Caldæis sapientia cessit, Hebræi ingenitum Regem, mente, Deumque colunt*. Post quæ addit, *Moys. suam historiam hebraice scripsit, cum græcorum litteræ nundum essent inventæ. Has enim postea Cadmus primus, ex Phenicè allatas, Græcis tradidit &c. unde & Plato scripsit in Thimæo &c.* Indeque subdit, ex Diodoro diligentissimo historico, Orpheum, Homerum, Solonem, Pichagoram, Platonem, Sibillam, & alios, cum in Ægypto fuissent, suam de Deorum pluralitate mutasse sententiam, quia a Moyse, per Ægyptios cognoverunt, unum esse Deum, qui in principio creavit cęlum, & terram. Hinc Orpheus cecinit. *Juppiter est unus, Pluto, Sol, Bacchus, & unus, est Deus unus in omnibus, hæc bis cur tibi dico? Te testor cælum magni sapientis Origo Teque Patris Verbum, primum quod protulit ore, cum propria mundi machinam ratione creavit*. Et concludit Justin. quod Plato cognovit ex Moyse, Deum unum esse, quem vocat *esse*, seu *quod est*, sumpta phrasi, ex Moyse, qui retulit Dei nomen, *ego sum qui sum, qui est, misit me ad vos &c.* Item & creationem mundi, Verbum Divinum, resurrectionem corporum, Judicium, pænas impiorum, præmia justorum, Spiritum Sanctum Deum, quem, ex errore, non intelligens Moysis sapientiam, Plato dixit *Animam mundi*. Noster S. Cyrillus l. 1. contra Julianum summa diligentia, per cronologicam demonstrationem, consultis, & colligatis omnibus priscorum historiis, evidenter ostendit, quoiquot Gentilis antiquitas venerabatur, ut sapientes, post Moysen extitisse, nullumque præcessisse, ne dubium, neve minima supersit suspicio, ab alio, quam a Deo, Moysis sapientiam sumpsisse principium, quo pariter evidenter concluditur, Deum locutum fuisse per Moysen, cum ea dixerit, quæ ab homine scire non potuit. Videatur cronologia Cyrilli, eam enim referre, nobis improprium est, qui brevitate prælibantis coarctamur. Ita sentiunt Gregor. Nissenus, in libro de Moyse. Ambrosius de benedictionibus Patriarcharum, Clemens Alexandr. lib. pr. strom. Tertull. ad gentes, aliique complures, quos refert, & sequitur noster P. Domin. Bibliot. Theolog. l. 3. sect. p. c. 4. id probans ex eo, quod refert Euseb. loco cit., nempe ex duplici secta antiquorum philosophorum, quarum altera Italica dicebatur, altera Jonica, ex quibus cæteri imposterum Philosophi hausere doctrinam: Primæ sectæ princeps fuit, Pheracides Syrus, cujus discipulus Pithagoras. Alterius Thales Milesius, cujus primus discipulus, & successor, Aneximander. hi omnes floruerunt circa Olympiadem quinquagessimam: Moyses autem scripsit multò ante quam inciperent Olympiades, quæ initium habuerunt anno 408. post excidium Trojæ, ante quod tempus Moyses jam scripserat, sicut idem Doctor probat in sua Cronotaxi cap. 63. & facilè constat, ex computo, secundùm sententiam Eusebii in cronico, & Divi August. l. 18. de Civitate Dei c. 8. unde Theodoretus *l. 2. de cura Græcorum*; *cur nos*, inquit, *Moysen Oceanum Theologiæ transimus, a quo, ut poeticè dicam, fluvii, & maria omnia derivantur? Illic enim, & Anaxagoras, & Pithagoras, & Plato*

to post eos, parva quadam veritatis lumina, quadamque initia desumpserunt. Constat igitur apertissimè antesignanam omnis doctrinæ, divinam primi hujus voluminis esse sapientiam, eamque fontem omnium rivulorum Philosophiæ etiam Gentilis, qui tametsi (quia per furtum abstracti) per terrenas fæces, malitia plurium deducti, corruptas ebiberint qualitates, proprio tamen fonti non præjudicant, qui perenniter verus, & verax excurrit, quod si prima omninò, & a solo Deo, hæc fuit sapientia, de aliis pariter ejusdem Scripturæ libris; ex eadem sede Dei, & agni immediatè manantibus, judicandum est, divinam scilicet, ac primam continere sapientiam, diversis quamvis ex inde temporibus distributam, quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, Deus autem non est, sicut homo transiens, aut quasi Filius hominis, ut mutetur; sibiquè certè cohærent perpetuo fœdere utriusque fœderis paginæ, quia una est veritas, una Fides, unus Deus, & hæc satis, qui plura voluerit ad rem aptissima, videat D. Bonaventuram opusc. primo, pag. 6. ac per totum &c.

ARTICULUS VI.

An Sacra Scriptura aliquando tota perierit.

AD antiquitatem Sacræ Scripturæ spectat, numquam interrupta durationis ejus integritas. Si enim fuit aliquando destructa, etiamsi postmodum omninò eadem fuerit reparata, illius antiquitati deest illud tempus, medians inter destructionem, & reparationem, quod planè irreproducibile est, etiam attenta Dei omnipotentia, quæ ad præteritum non est, ne sibi, tollendo rerum essentias, contradicat; articulum hunc diligentissimè discutiunt inter cæteros, Doctores nostri, quos infra dabimus, ideoque in eo nobis non est insistendum, ne actum agamus, aliquid ergò vix afferemus ad lucem veritatis, ne omninò, quæ hic solent inquiri, negligere videamur, ac prædictorum stylo morem gerentes, diversas quę hac in re militant opiniones, claritatis gratia prius referemus, ut quid rationabiliter sentiendum sit, securius eligamus.

Totam Sacram Scripturam penitus periisse, affirmant Anton. Sibelli l. 3. Salmeron lib. primo, proleg. 9. can. 4. Xistus Senens. l. primo Biblioth. V. Esdras; Lyran. super Esdram l. primo cap. 7. Sanchez, ad cap. 40. Ezech. num. 10. aliique complures. Ita opinantur aliqui inter PP. ut Irenæus, Chrisostomus, & Hilarius, quos refert Noster P. Anton., prælud. primo, dub. 6. num. 102. &c. Moventur prędicti auctores primo, ex cap. 25. libri quarti Regum, ubi dicitur, quod *Nabuzardan succendit Domum Dei, & Domum Regis, & Domos omnes Jerusalem &c.* si enim omnia combussit dux infidelis, certè sacris codicibus non pepercit. Secundo, ex *Libri quarti Esdræ, cap. 14.*, ubi Esdras ad

A Dominum dicit, *positum est sæculum in tenebris, quoniam incensa est lex tua*, ergo si solę tenebrę remanserant, cum lex sit lux, tota lux, tota scilicet Sacra Scriptura per ignem perierat, & quamvis liber citatus non sit canonicus, est tamen non modicę auctoritatis, cum eo SS. PP. utantur, & Ecclesia ipsa in Missis Sanctorum. Tertio; saltem tempore Antiochi Epiphanis Regis Ægypti, omnes libri sacri fuere combusti, ut ex primo Machabęorum, cap. 1. ubi & libros legis Dei conscissos legimus, atque combustos eosque apud quos inveniebantur sacri codices, trucidatos juxta Regis edictum.

B Negant verò Abulens. in c. 9. l. 2. Paralip., corrigens, quod prius asseruerat, Pereyra pręfat. in Genes. Torniel. ad annum 3447. Salian. eodem anno, Nieremberg. de origine Sacrę Scripturę, Bonfrer. Bocan. aliique permulti apud eumdem P. Anton. ubi supra num. 105., & apud Nostrum P. Dominicum in Biblioth. l. 3. sect. prima, cap. 12. Accedunt etiam Baronius tom. 2. ann. Christi 180., cui nihil mendacius dici posse videtur, quam quod omnia sacrorum librorum exemplaria perierint. Ruva controv. 2. dub. primo, conclusione prima, oppositam opinionem apellans ridiculum, planè commentum, ac Bellarm. lib. primo de V. D. oppositum refellens tamquam improbabilem.

C Prob. primò. Si Sacra Scriptura aliquando tota periit, vel hoc accidit tempore excidii Hierosolymitani, per Babylonios, scilicet per Nabuzardan, quod fuit anno mundi 3447. secundum Salianum, ante Christum, 606., vel tempore Antiochi, ut dictum est, anno videlicet mundi 3887. ante Christum, 166., juxta eundem, at neutrum subsistit, ergo &c. Prob. minor, quoad primam partem. Si enim fuissent destructi in excidio priori, certè non omnes fuissent, siquidem post illud tempus durante captivitate illa, multi Prophetę prophetarunt, quorum proinde libri tunc nondum erant, & sicut Hieremias Arcam, & Tabernaculum ab incendio eripuit, 2. Machab. 2. facilius eripuisset sacros libros, quin immò reverà eripuit, siquidem in Arca servabatur juxta mandatum Domini, liber legis, unde planxit destructionem urbis, & aliarum rerum, non verò sacrorum codicum, quę magis fuisset deploranda, adde, verosimile esse, quod alii etiam Prophetę tunc viventes, libros le-

D gis servaverint ab incendio, Ac propterea Daniel 70. annis post illam devastionem, antequam nasceretur Esdras, c. 9., citat libros Moysis, & Hieremię &c., aliaque his similia proferunt prędicti auctores argumenta valdè efficacia. Prob. minor quoad secundam partem; post prędictam Antiochi devastationem, quę sanè fuit post Esdrę mortem pluribus annis, dicitur primò Machab. c. 3. quod Judæi in Maspha expanderunt libros legis, & c. 12. Jonathas ad Spartiatas scribens ait, cum nullo indigeremus, habentes solatio sanctos libros. Immò ante adventum Christi, verba legis, & Prophetarum, per omne Sabbatum legebantur, ut inquit Jacobus, in Concilio Hierosolymitano, Act. c. 23. Iterum autem probant, quia Antiochi dili-

gentia non potuit pervenire ad omnia loca, ad quę erant dispersi Judæi, qui tamen in omni Sinagoga servabant sanctos libros, quos per omne Sabbatum legebant, & etiam dato, quod eos combusserit, qui erant apud duas tribus in Judæa existentes, remanebant adhuc exemplaria, quæ erant apud alias decem Tribus, nam Moyses singulis Tribubus suos libros tradiderat, ut refert Genebrard. lib. 1. An. 3555. Plura addunt præfati auctores, quæ prolixum nimis esset referre, cum jam satis, & ultra probabilitatem, ex dictis probetur, numquam interrupta sacrorum librorum persistentia.

Tertia opinio medium arripit, ut priores litigantes conciliet, dicens, sensum primæ sententiæ esse, quod nulli Codices Sacrę Scripturę integri remanserint, sed omnes mutili, conscissi, & separati, per partes enim ex flammis fuerunt erepti, immò etiam siqui fortè servati sunt, integritatem non servarunt, sed ex incuria Sacerdotum, multi in eis errores irrepserunt: Idque sic appingit, ut detur locus communiori placito asserentium, Esdram, Sacram Scripturam coagmentasse, ac afflatu Spiritus Sancti in puritatem propriam restituisse. Ita sentit Anton. Perez in Pentateu. fidei, vol. 3. d. 3. c. 4., & cum eo Sanctius, & Lombard. super Esdram q. 6. præambul. in quam inclinat Chrisost. hom. 8, super ad Hebræos, affirmans Esdram ex reliquiis Sacræ Scripturæ, eam iterum composuisse, & Theodoret. præf. in Psalm. d. Scripturam veterem depravatam tempore captivitatis, ab Esdra fuisse restitutam.

Sed hanc opinionem refellit N. P. Anton. loco citato, quia non probat omnes absolutè Codices fuisse depravatos, aut destructos, sed potius supponit: cui addimus, non apparere in hoc opinandi modo probabilitatem, nam si omnes absolutè fuere corrupti, vel aliqualiter trunchi, ita ut nullus integer remanserit, nullibi gentium omnium, quis aut quomodo probare poterit eos fuisse restitutos omninò, sicut prius erant, si nullum erat exemplar purum, & intactum, ex quo posset cognosci, cætera corrupta exemplaria usque ad minimum apicem fuisse restituta. Hoc quidem esse potuit per divinam Omnipotentiam, idem enim Dei Spiritus, qui Sacros libros primo conscripsit, potuit, & secundò dictare, sed eadem Sacra Scriptura, quæ primum asserit, hoc secundùm non dicit, nec est necessitas, ut ad miracula recurramus, ut humanum placitum sustineamus, multoque probabilius est, aliquod exemplar incorruptum, & in sua integritate mansisse, hoc enim magis congruit divinæ providentiæ, quæ in re tanti ponderis certè non defuit. Et quidquid sit, de similibus aliquorum Doctorum meditationibus, & conjecturis, hoc indubitatum est, nunc veram Sacram Scripturam existere, cum id declaret Ecclesia in Tridentino, loco supra citato, unde cum ipsa sit, & fuerit in possessione suæ certitudinis, existentię, & integritatis, in dubio, pro ipsa præsumendum est, etiam quoad ea, quę circa ejus priorem permanentiam, etiam ante Concilium, disputantur, ut Hęreticos fortius deprimamus.

Accedit etiam, quòd in eodem Canone sacrorum A librorum, solum duo libri canonici attribuuntur Esdræ; si autem ante ipsum tota Sacra Scriptura periisset, vel realiter per amissionem omnium Exemplarium usque ad unum, vel formaliter per totalem depravationem, eamque Esdras ad integrum refecisset, magis attribueretur Esdræ tota Sacra Scriptura, quam suis primis Scriptoribus, si enim periit, nihil nobis eam nasci quandoque, profuit, nisi eam restitui profuisset. Sententia itaque, cui subscribimus, quæ terminos superat opinionis, ea est, quæ negat Sacram Scripturam, aliquando totaliter periisse, hæc enim fortioribus nititur fundamentis, eamque fundet efficacissimè, Approbatio canonica Tridentini, qua posita sic argui potest.

Certum est de Fide, Sacram Scripturam quam B habemus esse veram Sacram Scripturam conscriptam a Spiritu Sancto, per Moysen, cæterosque Scriptores Sacros, sicut in ipsa passim innuitur. Sed ad hoc ut sit vera Sacra Scriptura, necesse est ut numquam tota perierit, ergo numquam de facto periit. Major est infallibilis. Prob. minor. In re tam gravi ut Sacrum Concilium definiret, certum est, quòd prius diligentissimè, & prudentissimè processit, examinando fundamenta traditionis, & rem totam, cum assistentia Spiritus Sancti, qui denique docuit, eam idipsum continere, quòd ipse locutus est, & eo modo substantiali, quo locutus est, constat autem, quòd hoc examen ab initio debuit consistere in conferendo Sacram Scripturam, cum vero exemplari, eaque collatio fuit fundamentum C immemorabilis traditionis, in quo insigni labore diù noctuque insudavit Doctor Maximus, cæteriq; Prisci PP. ergò necesse est, quòd ab immemorabili semper extiterit hoc verum exemplar, aliter ablato semel per interruptionem, eo respectu, interrupta fuisset etiam traditio, & ad tempus Concilii irrefragabilis non pervenisset, numquam enim fieri poterit, ut Spiritus Sanctus Ecclesiam suam, in præcipuo fidei fundamento errare permittat.

Hinc jam constat, argumenta oppositæ sententię nihil concludere, & sigillatim respondetur ad primum, quod locus citatus libri Regum, nihil dicit de Sacra Scriptura: certum est autem, quod cùm ipsa in ęstimatione Judęorum pretiosior haberetur omni thesauro, Psal. 18. Desiderabilia super D aurum, & lapidem pretiosum multum, & Psalm. 118. Dilexi mandata tua super aurum, & Topazion, si periisset, pręcipuam de tam grandi jactura mentionem fecisset Sacer textus, unde potius ex eo loco concluditur, non periisse. Ad locum ex lib. 4. Esdrę dicendum, quod etiam dato, librum illum, etsi non canonicum, tamen nec falsum esse, ex eo non probatur intentum, quia ut dictum est, adhuc in aliis tribubus exemplaria Sacrę Scripturę supererant, non enim omnes simul idem subiere discrimen: immò poterat vera esse illa Esdrę propositio, etiamsi aliqua, vel etiam unum tantum exemplar Sacrę Scripturę combustum fuisset, in opprobrium legis, & cętera fuissent abscondita, quia etiam hoc modo populus fuisset in tenebris, qui nec combusta haberet, nec abscondita, quibus pos-

posset illuminari: deinde retorquetur in adversantem idem textus, nam ibi dicitur: dixerunt Esdrę Scribę, ut afferret librum legis Moysis, attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine, & legit in ea apertè &c. numquid jusserunt afferri, quod non erat, vel ipse volumen legis in momento creavit?

Ad tertium apertè constat ex dictis pro secunda opinione, ubi impugnatur deductio illa ex libris Machabæorum. Addendum est tamen, quod certè, ut infra videbimus, aliqui libri, seu partes Sacræ Scripturæ, tunc etiam apud Hebræos canonicę, perierunt, sed illi nec fuerunt ab aliquo reparati, nec ad nos, quia pro præsenti rerum dispositione necessarii non fuerant, pervenerunt; dicemus igitur, cum P. nostro Antonio, loco citato, cæterisque pluribus, rem hanc pertractantibus, Esdram collegisse exemplaria sacra dispersa, vel abscondita, eaque reformasse, ea saltem quæ fuerant corrupta, ad verum exemplar conferendo, aliquas tamen partes, Deo sic disponente non fuisse inventas: attribuitur nihilominus rationabiliter magno Hebræorum magistro, ac duci Esdræ, totius Sacræ Scripturæ reparatio, quia cum Judæi in Babylonica captivitate detenti, ac in vastissimis regionibus illis, quaqua versum dispersi, proprium ita corrupissent Idioma, ex consuetudine Caldæorum, ut jam non intelligerent, puro Hebręo idiomate conscriptam legem, nec possent Hebræas dictiones, & accentus, aut in memoriam reducere, aut propositas proferre, magnus Esdras, divino nutu caracteres, ac modos exprimendi, mixto illi idiomati congruos adinvenit, eisque quasi in aliud idioma translatam legem exposuit, quæ non in re, sed in accidentali intelligentia ita deperierat, ac si jam non esset, ac proinde deperditam, quoad ipsos legem, inspirata divinitus diligentia reparavit, res notissima est, propterea auctores non damus; qui plura desiderat adeat Isagog. Patris nostri Antonii loco citato, ubi eruditè, ac prudenter quæstionem hanc numeris omnibus absolvit.

ARTICULUS V.

De tertia Nota Sacræ Scripturæ, quæ est certitudo Prophetiæ.

CUM idem, & auctor sit prophetiæ, & eorum, quæ prædicuntur Dominus, & Conditor universorum, qui sibi est sua veritas infallibilis, & invariabilis, nil mirum, si quæ futura dicit, facit futura, ita ut facilius sit, impossibile fieri, quam id non fieri, quòd ipse prædicit; cælum, inquit, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Æternus est, nec eum tempus effugiet, in æternum dicit, & substantialis veritas ab eo dicente in æternum procedit, ipseque, & procedens, & a quo procedit, veritas ipsissima est. Hinc ab æterno hoc principio tempus erumpit, fælici undequaque conclusum clausulà æternitatis. Hinc in principio creans, dixit, & facta sunt omnia, ut omninò infallibile sit, quod quæ videt dicitque futura, eo ipso infallibiliter sunt futura. Dicere ergo omninò divinum est, quod dum prænunciat, causat futura. Hæc est igitur

A verissima divinæ locutionis Nota, quod ea, quæ ex tali locutione, futura prædicuntur, semper quo modo futura prædicta sunt, eo denique occurrunt præsentia, ex quo scientifico more deducitur, tamquam ex proprietate, quidditas, & divinitas videlicet Sacræ Scripturæ, & iterum ex jam probata superius ejusdem divinitate, arguitur tamquam ex quidditate proprietas, certitudo infallibilis Prophetiæ; soli siquidem divinæ locutioni debetur tam, quam proprietas, similis inimitabilis certitudo, quia ad rem ipsam defert futuritionem, quam prænunciat. Quo discursu satis apertè jam constat, supponenda potius, quam ponenda conclusio in præsenti, nempè certitudinem prophetiæ esse proprietatem, nedum Notam, sed notissimam Sacræ Scripturæ, quia ita necessariò cum ipsa connectiB tur, sicut veritas, & fidelitas, cum Deo loquente, non quod Deus futuris omnibus inferat necessitatem (libera enim sicut liberè, & tamquam libera verè prædicta sunt, ita liberè ponuntur in esse, etsi infallibiliter) sed quod necesse est, Deum ab æterno futura practicè præcognoscere, quæ futura dicit in tempore, quia in respectu ad ipsum, cui omnia præsentia sunt, ab ejus cognitione æque non distat futurum, ac præsens, & præteritum. Hinc Isaiæ c. 41. dicitur: *annunciate quę in futurum ventura sunt, & sciemus, quia Dii estis vos, bene quoque, aut male, si potestis facite &c.* non quia præcisè prænunciare futura divinum sit, hoc enim faciunt, & Pseudoprophetæ, & Astrologi, qui vel falsò, vel probabiliter, vel conjecturaliter, sub C ratione futuri, non certò futura, ideoque nec verè futura prænunciant, aut præsumunt, sed quia hoc unum divinum est, prædictione efficacem involvente præcognitionem, futurum, & facere, & dicere intransitivè, hoc enim indicium est summæ potestatis, quæ prædicendo futurum, suam manifestat voluntatem, a qua omninò pendet, quod illud aliquando sit præsens. Ideò non inquit Propheta, annunciate ventura, vel futura, sed ea, quæ ventura sunt, quæ futura sunt, quod veritatem indicat spectantem ad esse, quod est complementum, & certitudo infallibilis prædictionis.

Sed dices; verum esse, & clarè constare generale assumptum, quod nempè certitudo Prophetiæ est insignis proprietas divinæ locutionis, quod tamen adamussim in omnibus, & singulis Sacrę ScripturD rę partibus, id appareat, hoc opus, hic labor est.

Resp. in duplici genere esse, quę in Sacra Scriptura prędicuntur, alia quorum futuritio, & prędictio evacuata est, ex rei pręsentia, quę quoad nos, qui posteri sumus ad eorum tempus, jam pręterita nunc dicuntur, alia verò, quę tempus adhuc nobis futurum, ac finem temporum respiciunt, & hęc quidem secundi generis futura, ita certissimè adstruimus futura esse, tempore sibi prędordinato, sicut ea, quę spectabant ad primum genus, quę vel pręterita certissimè novimus, sicut prędicta fuerant, vel pręsentia pari modo evidenter videmus, & ad sensum palpamus. Porrò quod omnia, & singula, quę prędicta fuerant, & assignata tempori, quod nunc nobis prętęritum est, certissimè evenerint, adęquatè ad prędictionem de ipsis factam, non potest

sigillatim unico calami tractu ostendi, sed totum hoc qualecumque opus, cui insistimus, huic muneri insudat, & jam ex præcipua parte completum supponimus, in eo quod ostendimus supra, quę prędicta sunt in veteri Testamento ad litteram de Christo, qui est finis legis continens omnia, adamussim impleta consistere, cujus rei unica declaratio est, liber quatuor Evangeliorum, & tota Catholica Fides, si quę verò adhuc examen desiderant, identidem suis locis curabimus enucleare, non quod dubitari possit, an evenerint, quę pro tempore nobis prçterito fuerunt prędicta, sed quod intelligentia prędictionis, in obscura divinę locutionis majestate abscondita, studium parat, & petit, Egreg. S. Prosper toto opere de divinis prędictionibus, ac promissionibus, earumque implemento laboravit, & noster P. Cherubinus novissimus tom. primò summè Criticę Sacrę, disputat. 5. artic. 7. hanc materiam eruditè pertractat, sicut & alibi sępè in toto opere magno. Nobis autem pronunc satis erit, & prędictos indicasse, & aliqua quę communem subeunt disputationem, sequenti articulo prelibare, pro nunc verò Notę, quam in pręsenti pertractamus insistentes, ex ea tamquam ex firmissimo nostrę fidei fundamento deducimus, inexcusabilem omni ex parte reddi infidelitatem potissimè Hçreticorum, si enim in Scripturis sanctis, adeò inevitabiliter convicit nos Deus, se verum dicere, quoad ea quę nondum sunt, ea faciendo quod sint eo tempore, & modo quo fuere prędicta, qua ratione dubitari poterit, an verum sit, quod dicit, dum dicit ea, quę sunt de se ipso, & sine quibus non possent verificari hçc eadem, quę extrà ipsum prius ab ipso promissa, nunc in se videmus impleta. Porrò ea quę sunt, & quę credenda proponuntur sunt Unitas, & Trinitas, Omnipotentia, Immensitas, Infinitas, ac cętera divina attributa, eorumque connexio, effectus, & Mysteria, sine quorum veritate Deus non esset, & consequenter, nec prçstare valeret, quod quę futura prędicit, infallibiliter evenirent, ergò convicti de impletis prędictionibus futurorum, de tota Fide convincimur. Hanc autem propterea hic illationem inserimus, quia cum Sacra Scriptura sit Fidei, & Ecclesię regula, doctrina, & Epilogus credendorum, ex hoc potissimum cognoscitur ejusdem essentia, ex quo maximè Fides nostra fundatur, & regulatur, ideoque infallibilitas prophetię, quę fidem adeò fundat, ac roborat, est singularis quędam Nota, ac proprietas Sacrę Scripturę, quod pręsentis articuli assumptum est, ideò verò prçter morem, formam arguendi, hic prçtermittimus, quia cum idipsum, quod dictum est, fuisset pro explicatione repetendum, conquereretur brevitas, quam profitemur.

Confirm. ex vulgato August. loco 12. de Civitate Dei, ubi de Sacra Scriptura dicit, *vera se narrasse præterita, ex his, quæ futura prænunciavit, cum tanta veritate implentur, ostendit*, ergò si verificatio futurorum, convincit de veritate prçteritorum, cum ipse futurorum eventus pręsens sit, ut sit verus, jam adęquata veritas omnium universaliter, & specialiter, quæ in Scriptura dicuntur, omninò convincitur ex implemento eorum, quæ

A prædicuntur, nihil enim dicibile, has effugit durationes, scilicet præsens, præteritum, & futurum, ergo certitudo prophetiæ est Nota omninò propria Sacræ Scripturæ, per quam vera, & infallibilis necessariò cognoscitur in omnibus, ad quæ se extendit, qua ratione ab omni alia Scriptura secernitur, quæ non sit specialiter a Deo, sicut ipsa.

OBJECTIONES, ET EARUM SOLUTIO.

Objicies primò, quod futurum prædictum impleatur, non est effectus prædictionis, quia potius, ideò certò prædicitur, quia certò futurum esse prædicens cognovit, ergò certitudo prophetiæ non est Nota, aut proprietas Sacræ Scripturæ, siquidem proprietas non præcedit, sed subsequitur,
B Nota verò cum debeat esse manifestativa ejus, cujus est nota, etiam ipsa subsequitur id, cujus est manifestatio.

Resp. primò, quod certitudo prophetiæ præcisè, & quasi objectivè sumpta, est omninò intima Sacræ Scripturæ, nec eam causat, nec ab ipsa causatur, sumpta verò formaliter est extensio ad esse rei prædictæ, prima autem a posteriori dignoscitur, per secundam porrò argumentum videtur procedere ex sinistra rei hujus intelligentia, non enim dicimus, quod v. g. prædictio futuræ destructionis Jerusalem fiat certa, ex eventu destructionis ejusdem, cum posita est, quæ tamen certissima erat, etiam priusquam eveniret, sed quod positis tot prædictionibus antecedentibus de aliis rebus, quæ ut præ-
C dictæ sunt, sic evenerunt, deducimus etiam hanc prædictionem in particulari esse certissimam, & infallibilem, ideoque concludimus certissimè prædicta est, ergò eveniet, unde formatur hoc principium; quidquid in Sacra Scriptura prædicitur, certissimè evenict, & in hoc consistit hæc Nota causata ex intima, & infallibili veritate Sacræ Scripturæ.

Resp. secundo distin. antec. implementum futuri non est effectus prædictionis, nec prædicentis, neg. antec. non est effectus prædictionis præcisè sumptæ admittitur: ad id quod additur, neg. causalis, nam Deus per suam præscientiam causat, quod scit, & est impossibile, quòd a scito aliquo modo causetur, dicimus ergo ex celebri Doctrina Divi Thomæ p. p. quam PP. nostri Salmat. mirificè tractant, De scientia Dei, & alibi sæpè, quod prædicta scien-
D tia est vera causa rerum omnium, quæ ejus proinde sunt conclusiones, quantum verò ad earum futuritionem, sicut eam Deus causat per eamdem scientiam, connotato libero decreto suæ voluntatis, ita ea manifestat, per scientiam ipsius manifestationis, connotato pariter eodem decreto, quia idem est, ea manifestare, ac scire seù causare talem manifestationem, & quia id, quòd subest tali manifestationi, simul cum ipsa continetur in decreto suæ voluntatis, cum spectet ad existentiam, ideò est idem, quod Deus futurum prædicat, ac quod præsentem circa illud, suam indicet voluntatem, absolutè igitur negatur illa propositio, quatenus videtur innuere aliquam dependentiam divinæ cognitionis, etiam ut prædicentis, ab illo futuro, ac subindè concludimus, quod cum divina Scriptura sit

sit ipsa Dei locutio, ideoque se habeat, ut quo Deus prædicit, includit in suo conceptu, ut quòd adæquatè accepto, ipsum Deum causantem ea, quæ loquitur.

Sed dices: ideò certa dicitur prædictio futuri, immò & præcognitio, quia futurum evenit, nam si non eveniret, procul dubio incerta, immò & falsa, vel fallens diceretur, ergo dependet aliquo modo ab illo eventu, quem prædicit.

Resp. ita quidem a nobis intelligi per cognitionem a posteriori extrinsecè, & quoad nos, revera tamen non ita est a parte rei, quin potius oppositum verificatur, nam ideò certè evenit, quod prædictum fuit, quia prædicens sua scientia illud certum fecit, ac certissimè eventurum. Responsi patet ex dictis, nec insistimus, ea supponentes, quę PP. nostri Salmaticenses locis citatis ac passim, egregiè docent.

Obiicies secundo; non omnis Scriptura prophetat, nec ejus veritas aliquo modo pendet ab aliquo ejus effectu, etiam quoad nos, & modo nuper explicato, ergo certitudo prophetiæ non est Nota Sacræ Scripturæ. Patet conseq., & antecedens constat ad sensum, nec enim libri historiales, nec libri Sapientiales Prophetici sunt.

Resp. primo, quòd omnis Scriptura saltem lato modo prophetat, si pro prophetia intelligatur manifestatio divinæ veritatis, sive expressio canonica divinæ locutionis, quo modo sumpta prophetia, nec futurum concernit, nec præteritum, sed hoc quòd est procul fari, ut consuevit interpretari D. Thomas, & hoc procul fari, est veritates in Deo latentes revelare, prescindendo a qualitate materię, circa quam versantur, unde idem S. Doctor 2. 2. q. 171. articulo ultimo, in corp. inquit *Prophetia est quædam cognitio intellectui Prophetæ impressa, ex revelatione divina, per modum cujusdam Doctrinæ; hoc autem ut patet, competit omni locutioni divinæ in Sacra Scriptura existenti*, & hoc modo certissima est, & infallibilis, *quia*, sicut idem subdit, *veritas cognitionis, est eadem in discipulo, & in docente, quia cognitio discentis est similitudo cognitionis docentis, & per hunc etiam modum dicit Hieronymus, quod prophetia est signum divinæ præscientiæ*, nec inde ullo modo argui potest, quod certitudo prophetiæ rigorosè sumptæ non sit Nota Sacræ Scripturæ, quin potius sequitur oppositum, nam ex eo quod certissimè eveniant, quæ in ea prædicuntur, confirmamur in Fide, de his quæ vel historialiter, vel doctrinaliter, nobis in eadem Scriptura offeruntur, probata siquidem infallibili veracitate dicentis, ejusque certa præscientia, quis de ejusdem sapientia, & veritate, quæ in indivisibili consistit, poterit umquam rationabiliter dubitare?

Secundo. Resp. ex eodem D. Thoma, *de veritate q. 12. art. 2. Omnia quorum cognitio potest esse utilis ad salutem, sunt materia prophetiæ, ea fortè ratione, quia ex illis, & per illa, ad futuram nobis æternam beatitudinem ordinamur, eaque intimè includunt hanc prædictionem, quòd salvabuntur, qui talia exequuntur, atque ideo in illis aliquod initium salutis habemus, quia viam nobis Deus non ostenderet, nisi ad terminum nos vocaret &c.* Iterum autem ad ar- A gumentum, idem S. Doctor q. 171. *supracitata artic. 3. arg. sed contra. Quædam*, inquit, *prophetia est de præterito, ut Gen. primo, in principio creavit Deus Cælum, & terram, secundum Gregorium, super Ezechiel.*, & alibi etiam idem S. Doctor observat, quòd in historialibus Sacræ Scripturæ intermiscentur aliqua, quæ ad veram, & propriè dictam pertinent prophetiam, & ideò ex hac parte sunt supra historiam, quòd in eo fundatum putamus, quòd ait Apost. omnia in figura contingebant illis, certum est autem, quod figura ut talis aliquid prænunciat de figurato, ad quod ordinatur. Adde ex eodem S. D. *ad Rom. 11. lectione prima; Liber Regum principaliter est scriptus ad notificanda dicta, & facta Prophetarum, ideò numeratur inter libros propheticos &c.* Ac denique *secunda secundæ q. 174. art. primo in corp. objectum prophetiæ est id, quod est in cognitione divina, supra humanam facultatem existens*. Sed non est necesse, ad hæc recurrere, etiamsi verissima sint, quia ad salvandum,

B quod ibi intendimus, non requiritur, quod tota Sacra Scriptura in omni sui parte sit rigorosa Prophetia, ut in priori responsione ostensum est, sufficit enim quod aliquæ in ea sint prophetiæ, ipsæquè certò impletæ, tempore sibi præfixo, ut clarè deducatur infallibili illatione, eam in omni sui parte certissima veritate pollere, secundum modum, qui singulis partibus competit in suâ linea, nam etiamsi diceremus certitudinem prophetiæ esse rigorosam proprietatem Sacræ Scripturæ, non propterea teneremur ostendere, eam sigillatim, ac eodem modo ubique in Sacra Scriptura

C reperiri, tum quia ejus essentia magna varietate conflata, id non exigit, tum etiam quia, etsi hominis proprietas sit Visibilitas, tamen non semper ridet, nec quia simul est risibilis, & admirativus, simul, & semel cum admiratur, ridet. cum hæc ferè numquam conjungi in actu contingat: sufficit ergo quod talis certitudo constet quoad nos, ex infallibili ejus eventu, quando hic habet locum.

Obiicies tertio non omnes divinæ prophetiæ implentur, immo ex eadem Scriptura constat aliquid fuisse prædictum, ac simul non fuisse impletum, ergo conclusio laborat in supposito, & simul infertur veram non esse scripturam, si certa est prophetia, si enim certa est prophetia, ergo falsum

D est quod dicit narrans non evenisse si autem certa est dum id narrat, incerta fuit, dum illud quòd impletum non est, prophetavit, antec. facilè ostenditur ex prophetia Jonæ, aliisque non paucis. Ad hoc ut respondeamus huic objectioni novum articulum instituere oportet.

ARTICULUS VI.

An Prophetia aliqua Sacræ Scripturæ, formaliter fuerit non impleta.

Ne idem pluries repetamus, quantum satis erit ad præsens, pauca nunc prælibabimus. Pro quo notandum est, quòd ad hoc ut prophetia formaliter non impleatur, requiritur, quòd in eo sensu for-

formali, in quo prolata est, deficiat, seù non complicatur, quod tamen est impossibile in divinis prædictionibus, ob rationes articulo præcedenti allatas, immò est repugnantia in terminis, quòd omnipotens, & essentialiter veritas & Fidelitas, prædicat, & prædictum non eveniat, sicut quod immutabilis, idem formaliter simul velit, & nolit, siquæ igitur difficultas occurrit in hac materia, non est quoad veritatem stabilitæ immò suppositæ, ac semper supponendæ conclusionis, sed quoad intelligentiam prædictionum, ideòque reducitur totum hoc negotium, ad peculiares quosdam textus propheticos Sacræ Scripturæ, in quo sensu singulos eorum protulerit Deus, cum in aliquo nobis apparente sensu videantur non impleti, idque Deo dante, suo loco, prestabimus, cum de Regulis agemus occasione tamen data ultimæ objectionis. B

Dicendum est cum D. Thoma 22. q. 174. ab art. primo, ferè per totam, & 4. sent. d. 46. q. 2. ar. 3. q. 2. ad tertium, & alibi sæpè. Prophetiam quamcumque Sacræ Scripturæ, in quolibet genere ea sit, eo sensu, modo, & tempore, quo prolata est, infallibiliter adamussim semper impleri.

Præter adducta superius, probatur; si de aliqua Prophetia an verè impleatur, dubitari posset, maximè de comminatoria, aut de promissoria, quas sub uno divisionis membro concludit Angel. Doct. loco citato, articulo primo ad secundum, sed hæc in eo sensu, modo, & tempore, quo, vel pro quo profertur, semper infallibiliter impletur, ergo omnes, & singulæ &c. Major est certa apud omnes, minorem probat, & declarat Angel. D. 22. C q. 174. ar. pr., ubi notat, quòd aliqua prophetantur, secundum quod sunt in sua causa vertibili, scilicet humana libertate, saltem quoad aliquid de præsupposito requisitum ad positionem eventus, & tales sunt Prophetiæ comminatoriæ, ut putà, prophetia Jonæ, cujus hic erat sensus, stantibus rebus, ut stant, idest vobis persistentibus in eadem perversitate, ac demerito, post 40. dies Ninivè subvertetur, cum enim talis subversio, ut prædicebatur, esset infligenda per modum pænæ, quæ pænitentibus non datur, cum in Scriptura dicatur, *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, ideò clarum est, quòd pęnam annuncians loquebatur in eo sensu, quod videlicet culpa perdurans sic mereretur, & quia hoc pendebat ex libertate Ninivitarum, hac variata per pænitentiam, variatus D etiam fuit eventus, qui sanè attentis omnibus, ut variabilis, fuit prophetatus. Vera igitur fuit prophetia, & in quo sensu dicta, in eo certissimè fuit impleta: maximè quia ex ipso rerum statu, & supposita divina bonitate, ea prophetia sic enunciabatur, ut eventus ille, qui prædicebatur, arceretur, ad quid enim eos terreret, nisi ad hoc ut per pænitentiam fugerent a facie arcus? vel etiam addit idem Angelicus ex Augustino in 4. sententiarum loco citato. Evenit certè, quòd prædictum est, non enim subversio murorum intendebatur, sed cordium, eaque evenit, subversa ergo est civitas Ninive, quia mutata, & humiliata, versa fuit sub se, in cinere, cilicio, & jejuniis, cui addi potest, quod etiam materialis ipsa subversio post tempora evenit, cum obliti pænitentię, ad priora rediere delicta, quod si fuit post annos, certè fuit post 40. dies. Sed ad hoc necesse non est recurrendum, cum prius allata PP. doctrina satis superque, & rem explicet, & firmet intentum. Constat igitur minor argumenti, cęterisque similibus prędictionibus, sive comminatoriis, sive promissoriis, quarum eadem ratio est, proportione servata, facilè accomodabitur.

Sed dices; ex hoc ipso sequitur, nullam esse certitudinem prophetię, quis enim novit, an sit comminatoria, ac conditionalis, an absoluta.

Respon. quod per regulam contextus, quam sępè, & quidem merito magnificat August. facilè dignosci potest, attendendo videlicet, & quę dicuntur, & quę prędicuntur, & quę circumstant, numquam enim sibi veritas deest, quod si obtusissimę mentes id non percipiunt, non culpa est veritatis, sed ignorantię calumniantis. Attendat qui nescit, advertat, quod veritas una est, semperque sibi concors Sacra Scriptura, cum igitur non discernit, an prophetia sit conditionalis intrinsecè, an absoluta, consideret, an intelligentia, in quam inclinat, repugnet veritati Sacrę Scripturę, in alio clariori loco, aut sensui, quem tenet Ecclesia, quę in similibus errare non potest, eamque ad hanc amussim infallibilem corrigat, id certissimum, & experientia, & ratione supponens, quod Sacra Scriptura, nec sibi, nec Ecclesię, sed neque Ecclesia, aut Sacrę Scripturę, aut sibi contradicere potest, qui pretiosus circulus corona est verè divinę, ac regię veritatis. Et per hęc clarissimè patet ad ultimam objectionem prioris articuli.

Obiicies tamen adversus hactenus dicta, quòd non modicam pręseferre videtur difficultatem. Habemus Isa. cap. 38. quod idem prophetavit Sancto Regi Ezechiæ, *hæc dicit Dominus. Dispone Domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*, ubi notabilis est illa additio, & non vives, sic enim vitam absolutè desperatam prænunciavit, ut enim aliquid operetur illa additio, supra ly morieris, certè intelligitur, quòd ita decretum erat ut moreretur, quòd ex nullo capite spes remanebat effugiendi prænunciatam mortem. Et hæc quidem prædictio esse non poterat promissionis, quia erat mortis, quæ potius est de genere pænæ, nec comminationis, quia Rex ille Sanctus erat, ut patet ex 4. Regum, & ex tota Sacra Scriptura, & magis eodem capite, ex ejus cantico; erat igitur dumtaxat prophetia prescientiæ, quæ est absoluta ex genere suo, cum ex nullo exteriori pendeat divina prædifiniens scientia &c., & tamen eodem Sancto Rege orante, mox idem Propheta oppositum prædixit, ac prius, idque evenit, dicens. *Hæc dicit Dominus Deus Patris tui David; audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, ecce ego adiiciam super dies tuos, quindecim annos*, ergo aliqua prophetia, quæ non est comminatoria, aut conditionalis, sed absoluta, non fuit impleta, ut patet ex ipsa Sacra Scriptura, ex quo sequitur, quòd innuebatur præcedenti articulo, non esse Notam veritatis Sacræ Scripturæ certitudinem Prophetiæ, eidem enim Sacrę

Scrip-

Scripturæ credimus, prophetiam aliquam certam non fuisse.

Respon. Prophetiam hanc evidenter fuisse conditionalem, ut probavit eventus, scilicet, si non oraveris, sentiebat Rex graviter se infirmari, ac morti propinquare, ad quid ei Propheta suaderet, quod sentiebat, nisi adhoc, ut orando miraculum impetraret? Fuit non quidem rigorosa comminatio, sed comminationi similis admonitio; idem, qui Ninivitas ad Jonæ prædictionem voluit pœnitentes, etiam Ezechiam, ad Isaiæ prædictionem, humiliorem voluit, & fervidiorem. Quæ ergo hic illicque diversitas? prædixerat Deus Abrahæ, & Isaac Filio ejus mirabilem generis propagationem; promiserat Davidi Deus futurum per continuationem successionis Regiæ, Salvatorem: Ezechias autem Filius David per Achaz, prole carebat, cum Isaias ei mortem intimavit. Probavit Deus Abrahæ Fidem, eidem præcipiens, ut Isaac immolaret, sicque spem prescinderet promissæ successionis, probavit ergo & Fidem Ezechiæ adhuc prole carentis, prænuncians ei, quod certò tunc interiret: Fidelem utrumque invenit, ideoque, & ei Filium servavit, & huic vitam: contradictio igitur nulla est in Ezechiç sanitate, si nulla fuit in Isaac liberatione, sed mirabilis utrobique probatio, mirabilius divinæ fidelitatis exemplum. Vel cum Doctore Angelico 22. q. 171. ar. 6. ad secundum, dicimus; quod divina prçscientia respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in seipsis, in quantum scilicet ea presentialiter intuetur, & secundum quod sunt in suis caussis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus, & quamvis contingentia futura, prout sunt in seipsis sint determinata ad unum (respectu scilicet ad Deum) tamen prout sunt in suis caussis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire, & quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino conjungatur, non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica, quia impressio agentis non semper virtutem ejus adequat, unde quandoque revelatio prophetica, est impressa quędam similitudo divinç prçscientię, prout respicit futura contingentia in se ipsis, quoad rem & esse, & talia sic eveniunt omninò, sicut prophetantur, sicut illud Isa. cap. 7. Ecce Virgo concipiet. Quandoq; verò prophetica revelatio est impressa similitudo divinę prçscientię, ut attingentis ordinem causarum ad effectus, & tunc quandoque aliter evenire videtur, ac prophetatur, nec tamen prophetię subest falsum, nam sensus prophetię est, quòd inferiorum causarum dispositio, sive naturalium, sive humanorum actuum, hoc habet, ut ad talem tendat effectum, nisi a potentiore impediatur, & secundum hoc intelligitur Prophetia Isaię dicentis ad Ezechiam, Morieris tu, & non vives, idest dispositio corporis tui hoc exigit, ut ex hac infirmitate decedas, cui certe non obstat, quòd Omnipotens, ad orationem ejus, vitam ejusdem protrahat ulterius, idque simul per eumdem Prophetam, perfecta suę prescientię impressione prçnunciet. Hic sensus est, & ferè verba Angelici, ex quibus plenè, & pluribus modis patet ad objectionem, & ad totam hanc materiam, ideò satis.

CAPUT II.

De Nota IV., & V. Sacræ Scripturæ, quæ est sublimitas, & obscuritas.

O Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! ita posset Sacra Scriptura definiri: si per hoc, quod sic exclamat Apostolus, non exprimeretur eam indefinibilem esse, propterea idem addit. Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Hæc igitur verior ejus Nota est, quæ demonstrat, eam satis nullatenus posse comprehendi, per hoc enim ab omnibus humano intellectui perviis scientiis satis distincta, sublimissimo propriæ dignitatis latet in trhono. Pro explicatione hujus Notæ, quoad primam ejus partem, stant omnia, quæ hactenus, & a cæteris, & a nobis scripta sunt, ad Sacræ Scripturæ divinitatem, ejusque arcanorum qualem qualem intelligentiam, ea quippe hoc unum planè ostendunt, eam adeò sublimem esse, ut quantumvis erigantur homines, & turrim moliantur (etiam præter confusionem linguarum) cujus culmen pertingat usque ad cælos, ejus altitudinem, quoad, an est, vix cæcutientes prælibent. Quæque igitur, vel ab aliis, magna doctrinæ majestate exarata, vel a nobis rudi modulo, quasi compendio coacta sunt breviter, ut res inexplicabilis patitur, eam explicant, sed brevius, ac dignius, præallegato epiphonemate Apostolus. Conantur quidem DD. aliquid addere, & præ cæteris D. Bonaven. opusc. primò. Sed melius tanta sublimitas, dum se abscondit, quanta sit, immò quod quanta non est, innotescit, uti quæ melius, quam a se ipsa, a nullo inveniat testimonium. Hinc & regius Psaltes, *Psal.* 110. *Magna opera Domini* (quis enim nesciat, quod libri alicujus, dicuntur opera illius?) *exquisita in omnes voluntates ejus*, quas quis comprehendit? Meritò igitur, ejusdem ingenio, ac ratione eruditi, sublimitatem per obscuritatem, utramque jungentes describimus, quippe quæ sibi invicem Notæ sunt, & se se declarando abscondunt, quæ se pariter, abscondendo, declarant. Itaque ut sublimitatem a longè veneremur, obscuritatem de prope venemur, ut quæ sit, quæ nos fugit sublimitas, saltem quantum nos fugiat, cæci, fæliciter, manu tentantes, deprehendamus.

ARTICULUS I.

An Sacra Scriptura sit obscura.

COntra ipsum articuli propositum, sic ex re ipsa obiicies: nec videntes, nec cæci, rationabiliter quærere possunt, an aliquid omnibus pervium, sit obscurum; Videntes enim, cum impedimentum suæ visionis offendunt in objecto, utique si objectum non vident, hoc tamen vident, quod

tale

tale objectum, vel invisibile est, vel obscurum in semetipso. Caeci verò, hoc solum vident, aut melius norunt, nempe sibi lucem ipsam, invisibilem esse, & obscuram, vel melius, se se luci esse invidentes, & sicut non sunt competentes Judices colorum ex sententia adagii, caecus non judicat de colore, ita nec ad eos quidquam pertinet, vel de luce, vel de nocte dignoscere, quibus idem est semper utrumque. Quis ergò est, qui nunc quaerit, an Sacra Scriptura clara sit, an obscura?

Respon. extra casum nostrum procedere objectionem, quae rationabilem supponit tantummodo disputatorem, advertat ergo obiiciens, monstrum quoddam inveniri, quod voluntariè caecum est, & videre se fingens, ut videntes decipiat, claritatem pingit in obscuris, ut protegat, & abscondat tenebras suas. Haeretici videlicet, qui ut Fidem tollant, quae sua hic meritum nutrit obscuritate. Fidem, hoc est Sacram Scripturam, Fidei regulam, claram conantur ostendere, suos nempe errores ex scripturis, ubi non sunt, se eruere ostentant, ideò claram, & facilem eam deprædicant, tum ne videantur errare, si dicant, quod clarum supponunt, se haurire ex obscuro, cum ne deprehendantur a scrutantibus Scripturas, nemo enim tanto studio, intelligendis illis insisteret, si claras, & faciles, nulloque eas negotio se apprehendere posse supponeret.

Hinc contra Haereticos, Theologi pariter, & Controversistae hanc excitant disputationem, de obscuritate Sacrę Scripturę, ut concludant sincerè, quod vident, ideoque licet breviter, interminatam hanc materiem, in qua satis fidunt Etherodoxi. Catholicè praelibantes, & nos, concludimus.

Dicendum est, Sacram Scripturam esse obscuram. Haec conclusio, nedum doctrinalis, sed planè experimentalis, ac propè palpabilis, stat directè contra Lutherum, qui in prefatione assertionis suorum articulorum, & in lib. de servo libero arbitrio, summam facilitatem jactat exponendi Sacram Scripturam, quia (inquit) ipsa clarior est quocumque commentario, & ita ejus Sectarii, aliique similis gregis, etiam Scismatici, Sanctę Sedis judicium declinantes.

Ad probandam verò conclusionem satis est, quod ipsis opponitur ad hominem; ideò inter se dissident Heretici in intelligentia Scripturarum, ut ipsi Lutheri Sectatores, nec cum eo conveniant, nec inter se, ut passim in eorum libris, & dictis apparet, idque ipsi fatentur, & ostentant, hoc autem ideò solum esse potest, vel quia si adeò clara est Scriptura, ut sibi fingunt, ipsi claritatem, aut non vident, & sic falsò asserunt, quod non vident, aut voluntariè deturpant assertam claritatem, eamdem facto impugnantes, quam sequi affectant: Veritas enim una est, & ubi clarescit, non patitur suam celari, aut discerpi unitatem; vel hęc diversitas ex eo oritur, quod Scriptura est obscura, ipsique sine lumine, ac proinde obscurior eorum interpretatio, quę dum scinditur in tot opinandi modos, non est interpretatio, sed impugnatio veritatis, quę veritas non esset, nisi esset una, cum neque per divinam potentiam, idem secundùm idem, possit simul esse,

A & non esse, quod quidem non ex Scriptura, sed ex principiis luminis naturę, evidenter quisque cognoscit. Unicum sanè est, quod clarissimè novimus ex Evangelio; dicente Christo, Lucę cap. 11. *omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet:* porrò regnum Dei indivisum est &c., quę & sententia doctrinalis est, & sententia judicialis contra Hereticos, & prophetia subversionis eorum.

Confirmat. Lutherus ipse de solis verbis illis, *Hoc est corpus meum* (quę licet eam servent obscuritatem, quam tanti mysterii majestas, & sublimitas exigit, tamen sensum habent fidei pervium) fatetur, se octo, easque invicem diversas expositiones notasse in libro: quod verba hęc, *hoc est corpus meum*, adhuc firmiter manent, & quidem B multo plures sunt quam octo, & simul ęque minus, ac nulla, cum a verò aberrent, vel ergò, tam multipliciter exposuit, quia locus ille erat exponendus, ideoque non clarus, ac multò minus non omni clarior commentario, ac proinde certè obscurus, vel quia pessimę voluntati, nulla veritas, nulla claritas, nulla obscuritas sapit, nisi sit error, & novitas, quę claritatem, dum adstruit, tollit, vel obscurat, ut statuat contra auctorem suum, verè obscuram esse Scripturam, & ad Ecclesiam Sanctosque Patres spectare, ejusdem declarationem, & expositionem.

Secundò Probatur conclus. 2. *Chorinth. cap.* 12. descripto suo raptu, Apostol. subdit, *quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana, verba, quae* C *non licet homini loqui:* hic locus sanè difficilis adeò, & obscurus, ut necesse sit eum Luthero ignotum fuisse (maximè cum agat de Paradiso), quando tenaciter, & universaliter asseruit, totam Sacram Scripturam claram esse. Quommodò enim Paulus, cum esset homo audivit verba, quę non licet homini loqui? si audivit homo, & intellexit, quod est sibi ipsi dicere, ergò alicui licuit, & talia dicere, qui erat homo, ergò, & ipsi licebat aliis, qui homines sunt similia edissere, maximè cum missus esset ad docendum, & ad portandum ineffabile nomen Jesus coram gentibus, & Regibus, & Filiis Israel, actor. cap. 9. cui tamen instantię, quę apparens est, nos, qui Sacram Scripturam fatemur obscuram, ex PP. Doctrina, & juxta Ecclesię sensum pro nunc respondemus. Paulum ea verba non ab homine, sed a D Deo audisse, qui se communicat cui, & prout vult, vel facit hunc sensum, se raptum (ideoque saltem transeunter in superiori statu) audisse verba, quę viatori non licebat aliis viatoribus patefacere, hi enim solum homines sunt, beati verò per transformationem, ex vi luminis, ac beatę visionis, quę est identitas intellectualis, dii apellantur, eos quippe dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem quidem locum non adducimus, ut eum exponamus, quod non est pręsentis propositi, sed sic, ex eo supposito arguimus.

Divus Paulus in raptu, juxta expositionem D. Thomę hoc loco, & communem Doctorum intelligentiam, vidit divinam essentiam, & divina mysteria, quę ex se, & in se sublimia, arcana sunt, & abscondita, quę tamen clarè intuentur beati in

pa-

patria; non enim est intelligibile, quod plus vidérit Paulus in raptu, quam quod semper vident comprehensores, & quia ea clarè vidit, & audivit (quę est expressio revelationis) subdit, *quæ non licet homini loqui*, scilicet loqui clarè, sicut audivit; nam obscurè ea loqui, & possibile certè est, & licet, sicut quotidie Doctores præstant in Ecclesia, ergò hoc clarè vidit, & audivit Apostol., quod homini non licet clarè loqui, quia nec potest, cum hic careat lumine glorię; atqui eadem arcana Dei, & mysteria continentur in Sacra Scriptura, quam quotidiè audimus, & meditamur, ergò falsum omninò est, quod in ea clarè pateant, & non obscurè prout exigit status vię. Probatur minor. in Sacra Scriptura continentur omnia ea, quę credimus, ea autem omnia, quę credimus eadem sunt, quę beati videbimus, est enim Fides, hic in via, vicaria luminis Glorię, & ut probat. D. Thom. p. p. a q. 12., & 2. 2. a q. 4. Idem est utriusque objectum salva diversitate clari, & obscuri. Patet totus discursus, qui sic breviter concluditur, ea, quę Apostolus clarè vidit, non clarè dicuntur hic in via, solum enim dicuntur prout licet, & convenit statui vię, prout à statu patrię differt, sed quæ in Sacra Scriptura continentur ea sunt, quę vidit Apostolus in raptu, ergo nec clarè dicuntur, nec dici clarè ea patitur status Fidei, & vię.

Dices hoc convincit de aliquibus, quæ in Sacra Scriptura dicuntur, non tamen de omnibus, ut ad sensum patet.

Respon. quod quia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, & ideò ea, quæ dicuntur in Scriptura possunt quidem sumi secundùm se, & quasi materialiter, in quo sensu aliqua certè sensibus patent, sed eadem, ac simul omnia formaliter nequeunt denudari ab ordine, quem habent ad divina mysteria, & ad Deum dicentem, & ad finem ipsius dicentis, ac ad unitatem veritatis supremæ, in quo sensu, ut patet, nequeunt hic clare dici, & ita latent sicut ipse dicens, ac finis ejus, & connexio prædicta, nec de hoc dubitari potest.

Confirmatur: Si Sacra Scriptura esset clara, falsum esset, quod ait Apostol. *prima Chorinth. cap. 13. Cognoscimus nunc per speculum, & in ænigmate*, quod omnes SS. Patres, & Expositores intelligunt, de cognitione, quam hic de Deo, & de divinis habemus per Fidem, & Sacram Scripturam, & per creaturas sive effectus Dei, quæ certè obscura est: patet sequela, nam si Sacra Scriptura esset clara, non esset cum ænigmate, quamvis enim cognitio per speculum, non sit omninò ex genere suo obscura, est valdè tamen deficiens, & remota a penetratione objecti, ut explicat ad prædictum locum Apostoli D. Thom. siquidem qui videt aliquem per speculum, non videt illum per immediatam similitudinem ejus, sed per similitudinem similitudinis, quia prius debet adesse similitudo ejus in speculo, & illa similitudo format aliam similitudinem in oculo, quæ reverà, & immediatè est potius similitudo similitudinis existentis in speculo, quam hominis existentis in se ipso, quod ex eo clare patet, quod si speculum ex defectu, vel studio artis, hominis recti curvam, vel distortam

A ostendat similitudinem, species quæ est in oculo, non rectum hominem, ut est, sed curvum prout in speculo apparet, repræsentat, cui postea si addatur ænigma, hoc est obscuritas, & difficultas abscondens ipsum objectum, & similitudinem ejus, nulla claritas ibi imaginabilis est, ergò stare non potest, quod Scriptura sit clara, ut asserunt, & quod per eam videamus Deum tamquam per speculum, & in ænigmate. Videatur D. Thomas loco citato, lect. 4. per totam.

Dices: ipsa Scriptura clara est, sed nos ejus claritatem non penetramus, in omni saltem ejus parte, unde ænigma est ex parte nostra, non in ipsa, sicut cum absente luce, quis speculo se præsentat, ideò se non videt, quia caret luce, non quia speculum non sit clarum, & hoc in nostro casu patet,

B nam Deus est suum esse intelligibile, & suum esse intellectum, cum sit actus purissimus in omni linea, & tamen intellectus noster pro hoc statu, Deum non videt, ob sui imperfectionem, scilicet ob carentiam luminis ex parte intellectus.

Respon. primò, quod hæc instantia petit principium, supponens, quod probandum est, immò supponens, quod nescit: quis enim umquam vidit hanc claritatem, ut eam asserat, in re omnibus æquè pervia, & obscura? si hoc ipsum, quod dicit Apostolus, eam scilicet esse obscuram, obscurum est, ut necesse sit Patribus idipsum explicare? Rursus quo lumine videri potest hæc claritas? non aliud hic in via assignari potest, nisi vel lumen naturæ, vel lumen Fidei, non videtur per primum, cum sit

C modus supernaturalis manifestationis, per quam regulatur Fides Theologica, quæ procul dubio est habitus supernaturalis, nec per secundum, quamvis enim claritas, vel obscuritas non sit objectum Fidei, est tamen modus per quem Fides distinguitur a visione beata, & ratione cujus ei subalternatur, accipiens ab illa principia per revelationem, uti passim Theologi, cum D. Thoma; ergò si Fides cognosceret hanc claritatem in sua regula, non esset amplius Fides, habens regulam claram, ejusque claritatem attingens, ex qua uti objectiva claritate sibi correspondente, necessariò resultaret in ipsa Fide claritas formalis, sicque esset, & non esset Fides, clara, & obscura, visio, & non visio, respectu ejusdem essentialis objecti, ex quo apparet summa, & nequissima versutia, aut potius inscitia

D Hæreticorum, qui destruunt Fidem per infidelitatem, dum fingunt ipsi addere claritatem.

Adde ex ipsa instantia, si non cognoscitur a nobis hæc claritas, ex defectu luminis, jam frustranea est, & quidem si non cognoscitur, jam nec ab eam afferente cognoscitur, Vanitas est ergò Hæreticorum, non claritas Scripturarum. Ad probationem adductam. Respond. manifestam esse disparitatem, nam in primis, Deum esse, infinito modo suum esse intelligibile, & intellectum, probatur efficaciter a Theologis, cum D. Thoma prima parte, & passim, ex ratione actus purissimi, summæque immaterialitatis, dari autem hanc claritatem in Scripturis, nedum non probatur, sed oppositum, clarè convincitur ex sola meditatione Sacræ Scripturæ, ejusdemque, ac rationis auctoritate; rursus

illa perfectio in Deo est completissima, quia de facto Deus se ipsum æternaliter comprehendit; & posito connotato, ex parte creaturæ intellectualis, scilicet lumine, & intellectione, divina essentia, exercet suum munus, scilicet speciei impressæ, quæ est intelligibilitas, & speciei expressæ, quæ est ipsum esse intellectum objecti: hæc autem somniata claritas, nihil illuminat, nihil facit, cum non sit, nec ens rationis, sed est claritas solium erroris.

Declaratio Catholicæ sententiæ adversus hæreticorum errorem, ad vim probationum manifestandam.

NE miretur lector, si præter morem, hac in re diutius detinemur. Parvi enim apparet momenti, sed gravissimi est, in hac enim claritate fundata, libere, a veritatis regula aberrans, Hæreticorum protervia debaccatur. Nunc ergò priusquam plures, quæ ex Sacra Scriptura, & PP. doctrina, ebulliunt nostri probationes asserti, prælibemus, videndum est quomodo sensum suum explicent Hæretici, quoad hunc errorem, super quem cæteros superstruunt. Satis sit ad hoc, quod Lutherus loco supracitato, scilicet in præfatione assertionis articulorum, a Leone X. damnatorum, dicit: Oportet, inquam: *Scriptura Judice hanc sententiam ferre, quod fieri non potest, nisi Scripturæ dederimus principem locum, in omnibus quæ tribuuntur Patribus, hoc est ut sit ipsa per se certissima, facilima, apertissima sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans, & illuminans*, ita etiam in lib. supracitato, de servo libero arbitr. contra Erasmum, & alibi sæpè; cum autem hic error inventus sit ad excludendam, & illudendam regulam vivam, quæ est Ecclesia, certè in eo conveniunt, tum cæteri ejusdem Sectarii, cum etiam Calvinistæ. Cum ergò generaliter ut patet, asserat Lutherus cæterique, sine distinctione, quod Scriptura sit facilima, & ex se clara, generaliter etiam probata est a nobis obscuritas, & difficultas ejusdem in eo sensu, in quo, de tota hoc dici potest, & aliquas etiam solvimus instantias, hujusmodi hæreticis familiares. Verum quia pressi rationibus Catholicorum, & rei evidentia, ut errorem suum nihilominus tueantur, respondent, aliquam sanè difficultatem, & obscuritatem, quandoque occurrere in Sacra Scriptura, sed ea est primò, vel ex grammatica, seu dictione, & non propter res, quæ dicuntur. Secundò, vel est obscuritas interna legentis, non autem posita in ministerio Verbi. Vel tertiò non per se, sed per accidens, ob legentis imperitiam, & cæcitatem, ex pravo affectu enatam, vel ob phrases, & proprietates alienæ linguæ, ut puta Hebreæ, & Græcæ. Quartò, & denique, tota quę reperitur obscuritas non tangit dogmata, sed res alias, quæ Fidem non concernunt, ut ad regulam aliquam vivam propterea sit recurrendum. Quintò, maximè quia, si aliquid in uno loco minus limpidum apparet, in alio clarissimè elucescit, ideoque concludunt, Scriptura per se clara est, & in omni quod continet ita aperta, ut cum fructu, etiam ab indoctis legi, & intelligi possit. Sic habet Vvitacher. Cal-

A vinista controversia prima, q. 4., cap. 1. Quę omnia ad hoc reducuntur, nempe res omnes, & dogmata, quæ in Sacra Scriptura continentur, esse facilia intellectu, clara, & aperta, quia quod obscurum est in uno loco, clarescit in alio, sicque tota simul sumpta Sacra Scriptura clara est, ideò aliquid addere oportet.

Sed appage ista hinc, prima propositio impugnata est ex Apostolo prima Chorinth. cap. 12. in terminis, ut vidimus, quia ibi D. Paulus sanè loquitur de dogmatibus, & iis, quę ad dogmata pertinent, non enim raptus est ad cęlum, ut ei ostenderetur immediatè, vel Olophernes in Conopęo, vel canis Tobię abblandiens redeunti, seorsim hęc considerando, sed arcana verba, quę hic credimus ex Scriptura, & illic Deo dante videbimus, quę

B ergo claritas ista dogmatum, ad quam percipiendam necesse est lumen Glorię? Secunda propositio, quę est causalis, petit principium, quamvis enim verum sit, quod unus locus Sacrę Scripturæ, alteri lucem præfert, propter unitatem veritatis, tamen lucem præferre non potest, quam non habet, lucem itaque præfert, sed ænigmaticam, ignorantiam corriget, non faciet evidentiam, ne fidem tollat, qui sensus est illius regulæ, qua qui utuntur nimis liberè, & universaliter, errant, & decipiunt, non enim reverà utuntur regula, sed proprio dictamine, quo inducuntur ad judicandum in rebus gravibus esse immediatam, ac mutuam connexionem, ac expositionem, quæ non est, & an sit nec ne, ad Ecclesiam, & PP. spectat declarare, non

C ad particulares Doctores, quibus, nedum non est de Fide, quod Spiritus Sanctus assistat, sed potius, quia sic ab Ecclesia recedunt, de Fide est non assistere.

Rursus autem potest sic impugnari, hæc adornata responsio, quia locus difficilis Scripturæ explicatur per alium clarum, sequitur quod tota Sacra Scriptura simul considerata facilis debet dici, & clara, ergo ad asserendum, quòd tota obscura est (quamvis non inexplicabilis, vel in intelligibilis) sufficit, quod quæ clara in ea apparent, nexum habeant cum eo, quod obscurum admodum, & latens est, sicuti est tota coordinatio ejusdem unius veritatis in tota Scriptura; & iterum, ad hoc ut sit obscura, satis erit, quòd considerata tota Sacra Scriptura, aliquis locus adhuc remaneat

D obscurus; porrò ad hominem convincuntur dari similes textus, ut in principio jam ostensum est, & nunc magis intimè ostenditur, ex facto ipsorum. Negant ipsi subiici Ecclesiæ, & ejus capiti, cujus infallibilitatem irrident, nunc sic, vel illi textus, qui talem Petro potestatem, infallibilitatem, & successionem concedunt, sunt clari, vel obscuri, sunt enim textus dogmatici, & fundamentales; si clari, ergo hæretici negant lucem, inexcusabiles, & iterum si clari, cur illos tam lividè, & impropriè interpretantur? quo fructu ipsi, & indocti eorum Sectatores eos legunt? si obscuri, vel clarescunt ex aliis locis, & sic redit instantia, si obscuri, & ex aliis locis non clarescunt, ergo habemus intentum.

Arti-

ARTICULUS II.

An ex Sacra Scriptura, & PP. eadem veritas specialiter confirmetur.

CUM sicut advertimus, gravissimi momenti sit assertio, etiamsi probata sit, operæ pretium postulat, ut eam roboremus, ex ipsa Scriptura, & PP. cum latinis, cum Græcis, & generaliter, & peculiariter aliqua loca in sensu dicto, obscura, quo brevius fieri poterit, prælibando, & quidem idipsum quotidiè memoramus, nam Psalm. 118. dicitur: *da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, & iterum eodem Psalmi. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, & similia &c. B si adeò clara lex Domini scilicet Scriptura, ad quid intellectum petis, ut eam omnibus perviam scrutetur, qui divino adeo lumine, se noverat illustratum, ut diceret Psalm. 50. *incerta, & occulta sapientiæ tuæ, manifestasti mihi.*

Dices: petit Psalmista majus lumen, ut mirabilia in se consideret, non ut ea mirabilia esse cognoscat, quia hoc clarè habetur in Sacra Scriptura, quidquid igitur in ipsa dicitur, clarum est.

Sed contra, si clarum est, quod sunt mirabilia, jam clarum est, quod sunt scrutabilia, & recondita, ideò eodem Psalmo dicitur: *mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea*; hinc Hæreticorum superbiam retundens prosequitur: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*: Exponit verò hunc locum noster Incognitus *dic. nemo enim secreta, & occulta Scripturarum scire potest, nisi Christus revelet oculos suos, qui dicit Matth. cap. 11. Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare? ad ipsum ergo supplices accedamus; dicentes: revela oculos meos*, ecce quanta facilitas Scripturarum.

Propterea Hieronymus, eadem Psalmi verba pertractans. *Epist. ad Paulinum, de institut. Monachorum. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos parvulos, & penè lactentes putas in scitiæ nocte circumdari?*

Accedit Isaias *cap. 29. Et erit*, inquit, *vobis visio omnium* (pendè omnium) *sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras dicent, lege istum, & respondebit, non possum, signatus est enim.* Hæc est definitio omnium, quæ in Sacra Scriptura continentur. Id enim Origen. Philocalp. cap. 2., & cum eo communiter PP. non solum de libris Isaiæ, & Apocalyp. dictum intelligunt, sed de universa Scriptura, *quæ* (subdit Origines) *apud eos, qui possunt divina oracula percipere, plena est ænigmatibus, & parabolis obscurisque sermonibus, aliisque variis obscuritatum formis, humanæ menti ad concipiendum difficilimis*. Aliqua tamen præ cæteris magis latent, quorum sola obscuritas notissima est, & quidem.

Danielis Hebdomadas, ut evoluant, insudant universi, ex quarum noticia, maximè pendet veritas temporis adventus Christi, ad convincendum A Judæos, nec alium fanè locum inveniunt, ex quo unica saltem sententia, quæ apud omnes clarescat, eruatur, de tali tempore, sed innumeræ adhuc quæstiones agitantur.

In novo Testamento, de Genealogia Salvatoris, & cohærentia ejusdem, cum cæteris omnibus prædictionibus, ac libris veteris Testamenti, quam certè credimus, ad inveniendam aliquam claritatem talis adæquatæ cohærentiæ, adhuc disputamus, & locus clarus, & declarans, quæ latent, in tota Sacra Scriptura, non elucet, quamvis plures Controversistæ, & cum eis Eminentissimum Capisucchius, in sua hac de re controversia, non modicum laboraverint.

Matth. cap. 13. Christus loquitur in parabolis, B sicut, & alibi in Evangeliis, ut non omnibus æquè clarescat sui sensus intelligentia, ideo nec discipuli capiunt, qui propterea dimissis turbis rogant: Edissere nobis parabolam Zizaniorum agri, & ita prophetatum de Christo, qui ut Deus auctor est Sacræ Scripturæ omnes intelligunt, cum Evangelista, illud Psalmi 77. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

Dices hinc juvari adversarios, nam parabola obscurà per explicationem Christi claruit, sicque constat, quod ubi Scriptura obscura est, ex alio loco declaratur.

Respon. neg. antec. numquid enim omnes parabolas Christus exposuit? & numquid omnibus? certè quas exposuit solis Apostolis declaravit, ut eos C apertè ab aliis discerneret, ideò ait illis: Vobis datum est nosse Mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant. At quarè hoc? quia volebat intelligi, quòd ad Apostolos spectat scire, quæ aliis abscondita sunt, quia ipsi Apostoli, scilicet Ecclesia, dati sunt in lucem gentium, ideò erudiebat eos, ut alios ipsi docerent, ideoquè aliis abscondebat sensum suum, non eis quasi invidens veritatis noticiam, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed ut ad Apostolos, & ad Ecclesiam recurrerent, quibus, seù cui ipse edisserit omnia, ad quòd perficiendum, post se misit Spiritum Sanctum, ut doceret eos omnia, & suggereret, quæ prius ipse dixerat, siquæ fortè ex eis obscurè tantum, etiam explicata perceperant, & hæc ut patet est natura- D lis intelligentia illius loci, cui assentiuntur omnes Catholici.

Adde quòd ipsa explicatio Christi, quamvis parabolam elucidet, adhuc tamen in se spectat ad Fidem, ideò aliquam retinet obscuritatem, propter meritum Fidei; unde Gregor. super parabolam de Verbo Dei, per semen &c., quæ fuit explicata a Christo, inq; *si nos diceremus, spinas esse divitias, forsitan ad credendum mens vestra dubitaret, maximè cum illæ pungant, istæ delectent*, ergo adhuc in se aliquid retinet obscuritatis ipsa parabolæ explicatio, cui propterea non obstante obscuritate assentimur, quia Christus dixit, qui est Fidei processus, & resolutio. Ex quo sic argui potest, si ea, quę in ipsa Scriptura explicata sunt, adhuc Fidei proportionantur, quæ est de obscuris, quan-

rò magis ea, quæ non sunt explicata. Si explicatio ipsa credenda est, eique firmiter assentimur, quia Scriptura canonica est, quam proponit, & docet Ecclesia, quid de cæteris sentiendum. Hinc ad majorem hæreticorum confutationem.

Joan. cap. 5. Idem Christus inquit Judæis: *Scrutamini Scripturas*. Ubi Chrisost. hom. 40. *Dominus relegavit Judæos ad Scripturarum non simplicem, & nudam lectionem, sed ad scrutationem quam diligentem, Scrutamini dicens Scripturas, idcircò scrutari profundius jubet, ut quæ altè delitescunt, invenire queant, non enim rem in superficie, & in promptu positam, effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur, & qui hujusmodi quærit, nisi summam diligentiam adhibeat, nunquam quæsita inveniet*.

Alia, & quidem plura Scripturæ loca, ad rem congerunt hic communiter DD. sed nobis ista sufficiunt; quæ sic expensa, & ponderata, assertum, immutabili stabilitate firmitate. Ad PP. ergo brevi via transeamus.

Ex Latinis Hilarius, prolog. in Psalm. Ambros. in Psalm. 118. ad illud, justificationes tuas doce me; & Epistol. 44. *Mare est Scriptura Divina habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum*.

August. *de utilitate credendi, ad Honor. Est autem magna temeritas sine Magistro velle Sacram Scripturam addiscere*. Idem *de Doctrina Christiana cap. 6. Epistol. 3. & 119. In ipsis inquit Sacris Scripturis, multa nescio plura, quam scio. Et lib. 12. confess. mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies, blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*.

Hieronym. Epistola ad Paulinum, omnes Scripturæ libros recensens, in singulis magnas, & plures ostendit difficultates reperiri, quas nemo solvere valeat sine magistro, ideoque eos, qui ex se discere, & capere Sacram Scripturam præsumunt, vocat Autodidactos, & Enthæos, idest a se ipsis doctos. Isa. cap. 6., & Epistol. 27., & 51.

S. Doctor Angelic. *quodl. 7. qu. 6. art. 10., ad 15. Utiliter est a Deo dispositum, ut veritas in Sacra Scriptura cum difficultate manifestaretur &c.*

Rupertus *l. 7. super Genesim cap. 10. Putei quos foderunt Patres Christi Dei, omnes Scripturæ Sacræ sunt, quas condiderunt, Moyses, & Prophetæ, & Apostoli servi Dei; hos puteos Hæretici numquam obturare potuerunt*. Idem *cant. c. 5. nigræ dicuntur Sponsi comæ, propter obscuritatem, & caliginem Scripturarum*.

Iterum August. *tractatu 15. in Joannem, ad illud cantic. cap. 4. Fons signatus, puteus aquarum viventium. Est idem puteus, & fons, omnis enim puteus est fons, sed non est idem fons, & puteus, Scriptura fons est ob scaturiginem, puteus ob profunditatem*.

Glos. interlin. *Psalm. 17. Tenebrosa aqua in nubibus aeris; idest obscura doctrina in Prophetis*.

Beda, & Rupertus: *Apoc. cap. 5. liber signatus sigillis 7. idest omnibus obscuritatum involucris abstrusus, Sacra Scriptura est*.

A Denique Gregorius, Isidorus, Rabban., Lyran. omnesque DD., & Expositores nostri, ita sentiunt, communi mente, quibus nedum ob doctrinam, sanctitatem, zelumque sinceræ veritatis, sed vel maximè ob experientiam hac in re tota Fides debetur.

Ex Græcis Iren. *lib. 2. adversus hæres. cap. 47. Si ergo, & in rebus creatis, quædam quidem eorum adjacent Deo, quædam verò, & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in Scripturis quæruntur, universis Scripturis Spiritualibus existentibus, quædam quidem solvemus absolvere secundum Gratiam Dei, quædam autem Deo commendemus, & non solum in hoc sæculo, sed & in futuro; ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ*

B *sunt a Deo*: Quibus in verbis S. Doctor obscuritatem, ac difficultatem Scripturarum astruit simul, & probat, quia nempe spirituales sunt, ideò latentes, & quia a Deo immediatè sunt, & ad Deum, & quia sola Dei Gratia valent intelligi.

Justinus Mar. *in dialog. cum Judæo. Scis, Prophetas, omnia quæ dixerunt, ac fecerunt similitudinibus, ac figuris adumbrasse, ut non facilè plurima a quibusvis intelligi possint, occulta eorum veritate, ita ut etiam ii, qui eam quærunt multum operæ in ea invenienda, discendaque consumant?*

Origenes lib. 7. contra Celsum. Alii quoque Cordati viri, scrutando Scripturam, multo cum labore intellectum ejus invenire potuerunt, licet

C reverà adhuc sit multis in locis obscura. Chrisost. *hom. 44. in c. 23. Math. operis imperfecti*, sic temperatè infert. *Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, ut cum labore inveniantur, non autem clausæ, ut nullo modo inveniantur*. Ita, & Clem. Alexand. l. 5. Stromat. c. 6., & alibi. Athanas. de Synodo. Basilius de Spiritu Sancto; Nazianzenus in Apolog. Epiphanius Hæres. 55. Cirillus l. 3. in Joan. cap. 36. Joan. Damascenus libro 4. de Fide Orthodoxa cap. 13. Theodoretus in cantica, cæterique communiter, ut jam superfluat eos ulterius recensere, ac denique Magnus Dionisius *de cælesti Hierarchia, cap. pr. non aliter* inquit *fas erat infirmitati nostræ lucere divinum radium, nisi sacrorum velaminum varietate opertum*. Hæc est igitur ejusdem Sacræ Scripturæ de se ipsa sententia, hæc

D communissima SS. PP. assertio, ita ab ipsis doctè, ac temperatè probata, ut prudenter nemo valeat dubitare: Cavendum enim est, ne, dum nimiam ab Hæreticis assertam claritatem Scripturarum impugnamus, nimiam eidem appingamus obscuritatem: difficilem igitur asserimus, & obscuram, non tamen veritatem a proprio fonte quærentibus, clausam, non studio, ac labori humilium imperviam, non impossibilem; volentibus sapere ad sobrietatem. Perfectior autem horum intelligentia pendet ex cognitione fontium, & rationum talis obscuritatis, de quo infra ex professo, in hoc eodem capite agemus. Nunc igitur, ne inauditam partem damnare videamur, fit.

ARTI-

ARTICULUS III.

Argumenta Hæreticorum, eorumque solutionem concernens.

PRimo ex Scriptura arguunt Hæretici, ut sibi, inquiunt, ipsa propria authoritate suffragetur. *Deuteron. cap. 30. mandatum hoc ait Moyses, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere, quis nostrum valeat in cælum ascendere, ut afferat illud ad nos &c. Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, ergo cum hic loquatur Moyses de tota lege, quam jussu Dei populo dederat, quidquid eatenus dixerat, nec erat quid supra illos, ut non possent intelligere etiam triviales homines, nec erat procul, ut non possent facilè illud videre; nec quid celeste, sed humanum, quòd quisque eorum, etsi rudis, sine labore ita posset capere, sicut id, quod quisque habet in ore proprio, & in corde, ergo divina lex, scilicet tota Sacra Scriptura aperta, facilis, & clara est omnibus &c.

Respondetur, fieri in hoc argumento sensibilem transitum a præcepto ad doctrinam, & mysteria, quæ talia non essent, si sicut præcepta paterent, certè Tertullianus l. 4. contra Marcionem, Origenes, Ambrosi. Chrisost. aliique PP. ad hunc locum, & Abulens. cæterique Expositores ibi dictum intelligunt, ut reverà sonat, scilicet de facilitate observandi præceptum, non de facilitate intelligendi Scripturas, unde potius est contra Hæreticos, qui docent impossibilem esse observantiam mandatorum Dei, & tantum abest, ut ex eo inferatur claritas Scripturarum, quod potius eumdem Apostolus ad Rom. cap. 10. secundùm August. in quæstionibus, quæst. 53. intelligit, de Fide, nec enim ad hoc ut per eam homo initium habeat justificationis, indiget in cælum ascendere, ut Christum reducat, eumque videns, salvetur, sed sufficit, ut credat, eum esse Deum, & de cælo propter hominem descendisse, & a mortuis surrexisse, nec opus est, ut ad Inferos descendat; ut indè Christum reducat, sed quod credat eum ad Inferos descendisse, & a mortuis surrexisse &c. & ideò loco citato dicit Apostolus. *Prope est Verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum Fidei, quod prædicamus*. Hoc autem, quod utrobique dicitur. Prope est Verbum in ore tuo, & in corde tuo, juxtà communem intelligentiam significat: Præceptum satis tibi fuit intimatum, ut possis illud repetere ore tuo, & in corde, hoc est in memoria retinere, vel in ore tuo, quia dixisti te illud intelligere, & in corde tuo, quia tibi inest libertas, & potestas ad ejus observantiam.

Respond. 2., quod quando Moyses sic populo loquebatur, nondum publicata erat Scriptura; nec liber Genesis est mandatum, nec constat, quod tota Scriptura Pentateuchi tunc esset nota, & canonica, præter præcepta Decalogi, de quibus loquitur Moyses loco, qui opponitur, quæ cum sint naturalia bene dici potest, quod non sunt su-

A pra nos, immò sunt secundùm substantiam clara, & observabilia, non igitur, quæ in hoc capite dicuntur, trahi possunt ad totam Sacram Scripturam.

Addimus etiam, quod nec nos, nec aliquis Catholicorum negat ea, quæ in Sacra Scriptura continentur, postquam explicata sunt ritè, ab habente potestatem, esse clara, quantum sufficit ad quietandum animum, etiamsi doctrinalia sint, & non tantum moralia; quod ad summum probatur per quamdam proportionem ex loco, qui nobis opponitur, quatenus videlicet mandatum, de quo ibi, ideò clarum erat, & observabile, quia a Moyse explicatum, & intimatum erat, & ea, quæ continentur in Scriptura, ideò nobis pervia sunt, quia ab Ecclesia proponuntur, & explicantur. Ex his au- B tem, aliisque, quæ brevitati donamus, & corruit intentum hæreticorum, & apertè constat, perperam ab illis opponi nobis hunc textum, qui si clarus esset, ut ipsi supponunt, non tot admitteret expositiones, si enim ipsa expressio claritatis declarari debet, ipsa ergò nec clara absolutè est, nec facilis.

Secundò Arguunt. Habetur Psalm. 118. de Sacra Scriptura, *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, & *Psal. 18. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, sicut autem nomine legis venit vetus Testamentum, ita nomine præcepti, Novum, de quo Christus *Joan. cap. 15. Hoc est præceptum meum &c.* Item 2. Petri, cap. primò, *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè* C *facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Si ergò Deus hanc nobis lucernam accendit, inconsequens est, quod eam sub modio posuerit, ne luceret, quæ prout sic, certè nihil juvaret ne caderemus, sed solum, ut essemus in lapsibus nostris excusabiles, immò sic fecisset, quod faciendum negavit, dicens Lucæ *cap. 11. Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio*. Adde, si ipse, ut habetur Joan. cap. primò, est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non est locus obscuritati in eo, quod cognoscere indigemus, ne decidamus ab ejus Filiatione, ad quam dedit nobis potestatem perveniendi. Hoc autem quid est nisi Sacra Scriptura, lucerna pedibus nostris.

Respon. quod Sacra Scriptura verè est lucerna, D de qua loquuntur, & Psalmista, & D. Petrus locis citatis, sed lucerna pedibus, & semitis, quantum sufficit ne erremus, & simul per Fidem mereamur, & quidem super candelabrum posita est, idest super Ecclesiam, quæ est columna Fidei, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, scilicet in ipsa Ecclesia, quæ est domus Dei, cui ipse est bonus Pater familias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera, idest secundùm Augustinum, novum, & vetus Testamentum, non autem, ut luceat illis, qui extrà domum sunt, nempè Hæreticis: vel lucerna est super candelabrum, ut non qui regrediuntur, sed qui ingrediuntur lumen videant, quia illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc modo, scilicet ostendendo, quænam sit Domus ejus illuminata, ut ingredientes lumen videant,

nam

etiam & nascente Christo stella apparuit, de qua canit Ecclesia, cujus splendor illuminat mundum, & tamen soli Magi Christum invenerunt, quia soli ex Gentibus venerunt ad Domum, ubi puer erat, & quia ingressi sunt, invenerunt puerum, cum Maria Matre ejus, & non superbi, sed procidentes adoraverunt eum. Ubi obiter Nota, quod signa, quæ fecit Christus spectantia ad cælum (ad decus obscuritatis) fuere nocturna, ubi conceptus, virtus de cælo obumbravit Virginem Matrem, eadem nascente, stella apparuit; transfigurato, ecce nubes lucida, & obumbratus est; ipso moriente, obscuratus est sol, & tenebræ factæ sunt super universam terram, ipsum verò ascendentem nubes lucida suscepit ab oculis eorum: veniet ad Judicium, sed quomodo? videbitis, inquit, filium hominis, venientem in nubibus cæli, cum potestate magna, & tamen ipse ait, *Joan. cap. 8. Ego sum lux mundi, lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem &c.* Hæc omnia planè non concordabimus, nisi dicamus, quòd ipse lux est, & Verbum ejus lucerna, sed non omnes tenebras destruens, sed lucens in tenebris, ut inquit Joan. cap. primo, quia sicut lucem suam temperavit, eam carne cooperiens, cum venit in mundum, ita omnibus lumen suum, tenebris nostris sic attemperavit, ut lux esse dignosceretur, sed tenebris vestita, ideoque ait loco citato, *credite in lucem, ut filii lucis sitis*, si credere debemus in lucem, ergo lux est, & obscura, nam nec clarum quid credimus, nec in clarum; claritas quippe ad visum spectat, non ad Fidem.

Sic ergo Scriptura, prose ipsa respondet, quod, quæ de ipsa dicuntur sub nomine lucis, lucem quidem significant, sed obscuram, cum proportione ad hunc statum, qui semper clamat ad lucem. Illuminare Domine, his qui in tenebris sedent: si enim Christus, qui est Verbum Dei substantialiter, & verum lumen de lumine, Deus, de Deo vero, in hoc mundo prius umbris prænunciatus in veteri Testamento, in novo fuit lux, sed inter tenebras, quantò magis Sacra Scriptura, quæ est Verbum Verbi Dei, & tertia quædam lux, quia creata est, & lux ejus, qui est lumen de lumine, & orta per illuminationem Spiritus Sancti nobis communicati ad docendum, quæque per mentes hominum transiit, & ad mentes hominum missa est, jacentes in loco tenebrarum, scilicet corporeo; quanto magis erit lux, sed obscura? Credite ergo in lucem, ut filii lucis sitis, hanc enim potestatem Deus dedit his, qui credunt in nomine ejus, non his, qui se jactant videntes, & cæci sunt, ac Duces cæcorum, qui nati sunt ex sanguinibus &c.

Hæc quidem responsio Scripturalis est, sed satis esse debet, argumento Scripturali, maximè pro his, qui adeò claram esse dicunt Scripturam, ut ipsa sibi, sine explicante commentum sit.

Adde distinguendum esse inter obscuritatem, sive umbram, & tenebras: tenebræ enim sunt totalis privatio lucis, umbra autem sive obscuritas est quædam diminutio lucis, quæ verò adducuntur in argumento, probant in Sacra Scriptura, tenebras non esse, obscuritatem tamen umbramque concludunt, non negant; ut ex terminis patet. Adde secundo quòd lucerna quam Ambros. definit esse modicum lumen, lucem habet diminutam, ea quidem, quæ circumstant, illuminat, sed ex parte, quæ verò dissita sunt indicat obscurè, non demonstrat, & quia, quæ ad mores spectant circa nos sunt, ex omni parte, ideò in illis Scriptura clara est, & aperta, supposita Ecclesiæ applicatione, quia verò ea, quæ ad Fidem spectant, quo superiora nobis sunt, eò magis distant, ea indicat, non demonstrat in se ipsis, ea nempe notificat, quoad an est, non quoad quid est, ideò lucerna est; per quæ superabundè patet ad argumentum.

Tertio arguunt ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, in quibus asseritur Evangelium esse apertum, & revelatum, *ut secun. Chorin. cap. 4. quodsi etiam opertum est Evangelium; in his qui pereunt est opertum, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes Infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Item *Apoc. cap. 5.* ubi describitur, quomodo agnus aperuit librum, & solvit signacula illius, nempe vetus Testamentum quod Isa. cap. 29. dicitur liber signatus, nunc ergo liber apertus, & signacula soluta per Christum. Immò in ejus passione velum templi scissum est in duas partes a summo, usque deorsum, ne vel de supremis, vel de infimis aliquid amplius obvelatum maneret.

Respon. quod sicut explicat S. Doctor, loco citato, 2. Chorinth. Apostolus respondet in illis verbis cuidam tacitæ objectioni, posset enim dici sibi ab aliquo; tu dicis, quod non deficis in manifestatione veritatis Christi, sed hoc non videt ur, quia multi contradicunt tibi, quod non esset, si fungereris munere tuo: cui respondet Apostolus, si Evangelium est opertum, idest non manifestatum, non est opertum omnibus, sed illis tantum, qui pereunt, scilicet præbendo impedimentum, ne illis manifestetur, prima Chorin. cap. primo, verbum crucis pereuntibus stultitia est, loquitur ergò Apostolus non de Evangelio secundùm se, sed de prædicatione, manifestatione, & declaratione Evangelii, ex quo potius sequitur, Evangelium debere declarari, ut credatur, & quia jam satis prædicatum, & ab Ecclesia declaratum est quoad præcipua ejus mysteria, ideò non dicitur amplius opertum. Hæc est doctrina Angelici, a qua non recedimus, uniendo tamen omnia loca, quæ hic opponuntur, & illis similia.

Communis respons. est, quod in illis fit comparatio status novi, ad statum veteris Testamenti, & quia in veteri non manifestabatur, sed tantum prænunciabatur Christus in umbra, & figuris, quæ in novo, adveniente scilicet figurato desierunt, ideò dicitur apertum, quod prius erat clausum, nempè comparativè, & quoad mysterium Incarnationis, quod tamen adhuc spectat ad Fidem, cum sit obscurum, & ineffabile. Ideò ergò Moyses faciem suam tegebat, cum loquebatur ad populum, nunc autem hoc velum scissum est in morte Domini, per quam consumatum est, quod prius in figuris

figuris latebat, & quasi incipiebat. Ideò inquit Petrus, *nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes*, & *Joa. pr. vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Sed certè aliud est, quod mysteria ista in effectu evacuaverint figuras veteris Testamenti, aliud verò, quod Scriptura absolutè omninò facilis, & aperta sit in eo sensu, in quo eam talem dicunt Hæretici, sed probare non possunt. Quin immò ipsa mysteria, per quæ impletæ fuerunt veterea figuras, aperta sunt comparativè ad illas figuras, in se tamen adhuc spectant ad Fidem, si enim Christus præsens Apostolis, adhuc erat objectum fidei ipsorum, quoad divinitatem suam, ita ut idem ipse diceret Thomæ tangenti vulnera sua, *quia vidisti me Thoma credidisti*, & Petro confitenti, ipsum esse Fillum Dei, *Beatus es &c. quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*, quanto magis quoad nos, qui ipsum nec vidimus, nec palpavimus, omnia Christi mysteria, ipsaque consequenter tota Scriptura, quæ ad ipsum refertur, & de ipso est, erit obscura in se, & Fidei objectum, taliter ut nisi Ecclesia ea nobis sufficienter proponeret, & declararet, quantum patitur, & requirit humana imbecillitas, nec crederentur.

Nec defectus aliquis argui potest, vel in Scriptura, si ea, quæ dicit, indigent declaratione, vel in Ecclesia, si aliqua adhuc supersint in Scriptura, quæ difficilia sint, & obscura, quæ enim necessaria sunt ad salutem, sufficientem, & prout oportet ad Fidem, jam habent declaratinnem, & quæ adhuc latent, convenientissimum est ea latere, ob rationes, quas dabimus in sequentibus. Nec debebat clarius loqui Scriptura, ut Ecclesia suo munere fungeretur, nec Ecclesia plus declarare, ut & Scriptura majestatem, & Fideles humilitatem, ac meritum Fidei, & veritatis studium sic enutrirent. Quod autem Hæretici dicunt claram esse Scripturam ex se, & absque Ecclesia, evidens superbissimæ ignorantiæ, voluntarie cæcutientis indicium est, qui enim plus studuerunt, & cognoverunt, plus etiam ad ejus abyssum obstupescentes, ejus Sacram venerati sunt, & confessi obscuritatem; Jam audivimus Augustinum, & passim in ejus operibus planè divinis, audimus eum, & expetere, qui doceat, & se quasi gloriari nescientem. Ita & insignis Origenes, qui sæpissimè, & sigillatim *hom. 27. in Num.* fatetur: *& adhuc, & adhuc semper in Evangelica, & Apostolica Scriptura plura sunt, quæ nos latent:* hinc meritò Hieronymus ad Domnionem, & superbos Hæreticos, qui sibi solis fidunt, dicebat, *stultus ego, qui me putaverim, hæc sine philosophia scire non posse, & ut humana contemnam sine causa Gregor. Nazianzenum, & Dydimum, in Scripturis Cathechistas, habui. Nihil mihi profuit Hebræorum eruditio, & ab adolescentia usque ad hanc ætatem quotidiana in Prophetis, Evangeliis, Apostolisque meditatio; Inventus est homo, absq; præceptore perfectus*.

Quartò. Arguunt ex SS. PP. prolixa nimis Elenchn auctoritatum, quam referre, nec opus est, nec operis nostri brevitas patitur. Sanè hoc non est nisi arguere inconsequentiæ sapientissimos PP. qui disertè, ut vidimus, cum ea temperie, quam præsens veritas requirit, Sacram Scripturam, &

A fatentur, & venerantur obscuram. Si quid ergò innuunt SS. PP., in quo ejusdem facilitatem, ac claritatem extollant, cum grano salis accipiendum est. Vel enim intelligendi sunt, quod clara sit post declaratinnem factam ab Ecclesia, & quoad ea, quæ necessariò credenda sunt ad salutem, vel loquuntur de superficie sermonis, in aliquibus locis, quod proprium est ænigmatum, quæ sub claritate verborum, celant sententias admodum scrutabiles, vel dicunt apertum esse, videlicet, vetus Testamentum declaratum esse per novum, cessantibus nunc figuris, vel intelligendi sunt de humilibus, qui petunt a Deo auxilium, ab Ecclesia oraculum, a PP. explicationem, a Magistris doctrinam, corde sincero, quibus facilè juxta Christi confessionem *Matth. cap. 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis*, omnia redduntur intelligibilia, quippe qui divinum callent idioma, Dei enim cum simplicibus conversatio est. Vel de exercitatis assiduo labore, oratione, ac studio, vel certè loquuntur de aliquibus tantum locis, vel moralibus, vel historialibus, eisque seorsim, ac in superficie consideratis, quæ prout sic non excedunt naturale lumen scientis litteras. Non verò, vel de sententiis, quæ ubique scrutabiles sunt, vel de rebus etiam simplicibus, acceptis prout stant sub coordinatione occultorum Dei, vel ordinantur ad altissima mysteria ex intentione dicentis, & exigentia finis. Hinc Augustinus *ad Volus. Episto. 3. modus, quo Sacra Scriptura contexitur, quamvis omnibus accessibilis, paucis tamen penetrabilis est, nam quæ apertè continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor Doctorum, & indoctorum loquitur, quæ verò in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio erigit superbo, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed omnes humili sermone invitat, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate; hoc in promptis, quod in reconditis habet. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodamodo renovantur, renovata suaviter intimantur, prava corriguntur, & parva nutriuntur, atque magna oblectantur ingenia*. Hæc ex Augustino libenter obtulimus, tum quia Sacram Scripturam graphicè describunt, tum ne dubitetur, quæ sit mens Patrum, omnes enim æqualiter sentiunt, & discretissimn temperamento, claritatem cum obscuritate in Sacra Scriptura componunt.

Unum tamen est, quod videtur ingerere difficultatem: idem enim August. *lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 6.* dixit, *Magnificè, & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus, fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non plenissimè, dictum alibi reperiatur &c.* Hoc enim locn Augustinum sibi favere putat Lutherus ubi supra.

Respon. tamen in primis, S. Doctorem, dum dixit aliqua aperta, aliqua clausa esse in Scriptura, si dixit aliqua, ergò non omnia dixit aperta, ut vult Lutherus, si autem locus per locum declaratur, numquid hoc intelligi potest sine Doctore, aut a Doctore sine Eccl.? ubi tam ita desipuit Sapientissimus?

Adde

Adde primò, non esse universalem regulam illam (ideò dixit ferè) quod locus obscurus explicationem habeat perviam, in alio clariore, quamvis enim hoc aliquando contingat, tamen in multis non valet, ideoque ipse August. alias regulas tradit (ut suo loco diximus) quibus utamur ad venandam veritatem, quando unus locus per alium quemcumque nequit intelligi.

Adde secundò, quod non dicit, locum obscurum omninò per alium planissimè explicari, sed quod eruitur de illis obscuritatibus, quod indicat sensum aliquem, qui medio studio eruitur, qui an sit sensus proprius Scripturæ, ex alio loco, in quo res non ita obscurè tractatur, debet deprehendi, sed hoc, quo studio? quo labore, quo adjutore indiget? Ergo ne hinc concludi potest perviam, ac notissimam lippis, & tonsoribus sine Ecclesia patere Scripturam? Demum id, quod omnes experimur, & nos asserimus, id est quod ait Chrisost. *hom. 8. ad c. 3. epist. 2. ad Timotheum. Ne temerarii simus in scrutanda profunditate Scripturarum, id intelligentes multos latere in ea locos semper difficiles.* Sanè & August. ubi supra, & sæpius fatetur, *de Scripturis plura se nescire, quam scire*: nec credendum est ingenium, tam sublime, cum tanta Dei Gratia, quam sicut defendit ita, & abundanter obtinuit, minus valuisse ad intelligentiam tam claræ Scripturæ, ut asserunt Hæretici, ac valeat quisque indoctus de rudi vulgo. Nec certè Ambros. (si res adeò clara esset) ita laborasset, ut prius vitam dimitteret, quam studium Scripturarum, quem teste D. Thoma super secunda ad Timotheum cap. 4. Mors invenit exponentem Psalmum 47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, quem commentatur in æternum. Nec ipse Angelicus, nisi simili studio insudasset, simili morte in canticis canticorum exponendis, suavissimam, animam, priusquam totum canticum exposuisset.

ARTICULUS IV.

Rationes Hæreticorum de claritate Sacræ Scripturæ referuntur, & solvuntur.

URgent adhuc Hæretici, ad suadendum errorem suum, in quo cardinem versari totius seductionis suæ non ignorant. Hinc etiam ad rationum munimenta confugiunt, sed hoc semper verè concludunt, se cæcos esse, qui cæcos omnes putant, quos videre non vident, ideòque conantur probare claritatem, ibi reperiri, ubi si esset, non ratione opus esset, sed visione deprehendi.

Arguunt primò. SS. PP., & Declamatores sacri, immò ipsa Ecclesia probant sententias suas, ex Scripturis, ergo ipsæ sunt notiores, utique, & clariores dictis PP., & Ecclesiæ ipsius: patet conseq; Nihil enim probatur per ignotius, aut declaratur per obscurius; antecedens autem supponitur, quia experientia patet.

Respon. quod quantum spectat ad Ecclesiam non probat ipsa suas declarationes, principia enim non probantur, sed quia ejus declaratio non ponit in numero cum Sacra Scriptura, in ratione

A principii, applicat enim Scripturam ad se ipsam, ipsaque ejus declaratio est Scriptura applicata, ac declarata, ideò Scripturam cum propria declaratione connectit ex omni parte, ex quo certè non sequitur, Scripturam seorsim sumptam clariorem esse, quam assertiones Ecclesiæ, Scripturam proponentis, & declarantis, ex qua doctrina plures evanescunt insidiæ Hæreticorum. Si quam ergo apparentem vim habet instantia, ad PP. asserta reducitur. Quoad hanc partem igitur respondemus. Distin. Anteced. SS. PP. probant sententias suas ex Scripturis, probant quoad veritatem, & certitudinem, & hoc ex Scripturis applicatis ab Ecclesia, & declaratis, conced. antec. Probant sententias suas ex Scripturis, quoad claritatem, idque ex Scripturis magis latentibus neg. antec., & consequen. Patet
B responsio: Notissimum est, & ideò notius omni alio asserto, undequaque proveniente, Sacram Scripturam in omni sui parte veriorem, atque certiorem esse omni humano asserto, eaque satis constat post Ecclesiæ approbationem, ac declarationem, quoad necessariò credenda, unde nil mirum, quod ejus auctoritate, SS. PP. utantur, ne videantur aut falsa, aut nova, ideoque suspecta de veritate comminisci, ideoque ex instantia simili tantum infertur, ergo Sacra Scriptura verior, ac certior est dictis PP. clarior autem ex hoc non probatur, nam veritas, & certitudo sanè quid diversum omninò sunt, a claritate, & evidentia, ut probant omnes Theologi in tractatu de Fide, quam communiter asserunt longè summèque veriorem,
C ac certiorem omni scientifica demonstratione scientiæ naturalis, nihil ergo concludit contra nos Lutherus.

Argum. secundo; in primitiva Ecclesia fideles legebant Sacram Scripturam sine commentis, & expositionibus, & nihilominus erant Fideles, & ita alii etiam successores eorum, qui nunc veteres, & antiquissimi nobis habentur, ergo nihil Sacræ Scripturæ apponendum est, ut ab omnibus intelligatur, ergo ex se clarissima est. Ita arguunt Sambrandus, & Hunnius.

Confirmat hoc Vitacherius dicens: Major est difficultas, in commentis Patrum intelligendis, quam in Scripturis ipsis, minor siquidem claritas non est in Evangelio Joannis, aut in Epistolis Pauli, quam in tumido Tertulliano, Mystico Ori-
D gine, abstruso Iræneo ac similibus, sicut & in absconditis Ambrosii laconismis, in phrasibus Zenonis, in acutie Crisologi &c. quod si consideremus Scholasticos, major est difficultas in eorum speculationibus, quam in omnibus libris Sacræ Scripturæ, ergo illa per se sufficit, & est satis aperta, nec alio recurrendum, pro ejus legitima intelligentia.

Respond. argumento, quod si sensus est universalis, quod Fideles legerent in primitiva Ecclesia, Testamentum novum, falsum supponit, quia tunc non erant, sed condebantur Evangelia, vel saltem non erant publicata, sicut nunc. Sed supplebat pro ipsis, & pro necessaria intelligentia veteris Testamenti, prædicatio Apostolorum, qui & dicebant, & explicabant, quidquid necessum erat ad salutem, si sensus est, quod Fideles tunc legerent

vetus

vetus Testamentum sine commentariis, falsum est in sensu formali, tum quia vetus Testamentum impletum fuisse in Christo, vel viderant, vel recens memoria suadebat, sicque commentarii loco, erat veritas facti, unde & Joan. dicit in prima Epistola; *Quod vidimus, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt &c.* tum quia habebant Apostolos, ac Christi discipulos, qui Spiritu Sancto imbuti respondebant, vivo commentario singula adamussim declarantes, quòd habetur act. cap. 13. Erant in Ecclesia Prophetæ, & Doctores &c. ubi Lyrinensis Prophetarum nomine intelligit Divinæ Scripturæ tractatores, & Magistros lib. contra prophanas novitates Vocum, cap. 40. Et quia Spiritu Sancto erant repleti hujuscemodi prædicatores, non est dubium, quin pro indigentia illius status, infantis Ecclesiæ haberent gratiam, & intelligentiam, & interpretationem sermonum, & genera linguarum secundum eumdem Spiritum, cæteraque gratis data, quæ enumerat Apostolus prima Chorin. cap. 12. Et Papias de se ipso id testatur apud Eusebium, lib. 3. historiæ, cap. ultimo. Clemens etiam Alexandrinus lib. primo Strom. asserit, se habuisse Præceptores, Partenum, cæterosque discipulos Apostolorum. Hinc autem communicata ex tali fonte doctrina, ne memoria laberetur cæperunt Justinus, Irenęus, & Origenes, Clementis discipulus commentaria scribere ad posteritatem in sacris litteris, sicut recens audierant, erudiendam. Constat igitur, quam inerudité, & temeré arguant Hæretici; quod si tanta postmodum excrevit multitudo Interpretum, numquid hoc indicium est claritatis Scripturarum, & quarè sic excrevit? nisi quia multiplicatæ hæreses coegerunt Sanctæ Fidei defensores, semel, & iterum adversus illorum errores, falsasque, ac subdolas interpretationes, tam multiplici studio decertare? sic enim perpetuò vigilans providentia divina disposuit, quæ sola novit congruam temporibus, ac ęgritudinibus adhibere medicinam, ac peritiam, & multitudinem medicorum.

Resp. ad confirmationem, aliud esse, quod aliqui Expositores, magnificè sapientiam pertractantes, recondito stylo utantur, ad venerationem majestatis divini eloquii, aliud esse, quod Scriptura non indigeat declarante expositione, ut sine errore in ejus intelligentia procedatur; Transeat, quod aliqui PP. & Expositores obscurè loquantur, at congruebat temporibus suis ille stylus, & non ubique eodem modo procedunt, ac denique non omnes tales sunt. Duo luminaria magna Ecclesiæ Augustinus, & Hieronymus, majestatem, sapientiam, claritatemque ita conjungunt, ut nec fortius, nec subtilius, nec sublimius, simul, ac dimissius, ideoque clarius, & evidentius quisquis dicere possit: quid familiarius Chrisostomo? quid Gregorió intelligibilius? quid ergo simili argumento futilius? Addimus tamen, quòd etsi aliqui ex his, quos opponit Viteach. obscuri videntur, id fortè procedit vel ex phrasi, & eruditione eorum temporum, quę nobis inveterata, & abstrusa est, ad ea siquidem tempora devenimus, cum superstitiosę phrases in omni idiomate quęruntur, nova eliguntur, prisca despiciuntur, atque ut ait Martialis, & pueri nasum Rinocerotis habent, quia magis verbis, quam rebus, plus vanitari defertur, quam veritati. Tamen prędicti PP. aliquid semper lucis afferunt sacris litteris, vel propria, vel aliena producendo, etsi non omnibus, doctoribus tamen mirificè prosunt, ad quos spectat parvulos erudire. Nec ullus eorum, qui acceptantur in Ecclesia, spernendus, aut damnandus est ab iis, pręsertim, qui ab Ecclesia ipsa damnantur, nec valent, clariora, & veriora proferre. Quoad Scholasticos nullus certè inter Theologos adeò obstrusus invenitur, ut ex ejus doctrina, si verè catholica est, a callentibus terminos Scholę domesticos, aliqua veritatis lux non eruatur, maximè verò, ex quo tam Angelicè, immò divinè scribens Angelicus Doctor, limpidissima universis effudit fluenta sapientię, ex quibus ebibunt omnes etiam nolentes.

Tertio arguit Lutherus: si Sacra Scriptura obscura est, ad quid nobis tradita? certè finis cujuscumque doctrinæ, quę traditur, est ut intelligatur, ergo ejus, quę omnibus traditur, ut intelligatur ab omnibus; aliter, vel frustranea erit, vel illusoria, porrò quid Sacra Scriptura communius?

Confirmatur: hujuscemodi difficultatem, & obscuritatem astruere, est avvertere homines ab ejus lectione, idque est directè oppositum benignissimo sensui sapientię, quę ut passim habetur in libro sapientię omnes invitat, ac potissimum insipientes, & parvulos, ergo.

Respon. hoc argumentum postulat, ut causas obscuritatis Sacrę Scripturę exponamus, idque propterea pręstabimus sequenti articulo; pro nunc breviter respond. obscuram quidem esse Sacram Scripturam in sensu jam pluries explicato, sed ea obscuritas non nocet veritati, ejusque communicationi; ipse enim, qui eam scripsit, Ecclesię infallibiliter assistit, ne erret in ejus approbatione, propositione, ac explicatione, idemque certiores nos facit, in eadem Scriptura, in locis per se intelligibilibus, disertis verbis talem declarationem esse legitimam, ac omninò infallibilem, cumque talis infallibilitas ab ipso procedat, qui causam non habet, in eo dicente sistit processus resolutionis, a quo ipsa, & Scriptura, & Ecclesia cępit, & regitur. Tradita igitur est omnibus Sacra Scriptura, ut ab omnibus intelligatur, sed ejus adęquata intelligibilitas est Scriptura ipsa, & Ecclesia, quę quoad hanc sufficientem, & legitimam omnibusque communem intelligentiam non ponunt in numero, quod si separetur Scriptura ab Ecclesia, ut eam separant Hęretici, & eum privato sensu superborum hominum componatur, nihil ea sanè obscurius, ut experientia labentium, & lapsorum, qui abundant in sensu suo, infęliciter nimis testatur.

Ad confirmationem magis ex dicendis in sequentibus constabit, pro modo dicimus, quod talis asserta a nobis obscuritas non deterret, nec avertit, nisi superbos, qui renuunt ab Ecclesia illuminari, certè enim constat, quòd iis, qui ab Ecclesia, & PP. lucem petunt, nun superest tanta difficultas, quę dulci labore, ac studio non valeat superari.

Sic enim quisque veritati incumbens, ad fælicia
ejus arcana pertinget, Sanctorum, Doctissimorumq;
virorum præeunte exemplo, qui plures inde thesauros in æternum duraturos effoderunt, & quidem quamvis multo major esset difficultas, quam quæ revera est, pensata hinc inde difficultate, ac utilitate, quæ inde speratur, potius accendi deberent, non viles animæ, quæ ad altiora contendunt, & difficultate potius alliciuntur ad virtutis experimentum, & ad præmii sublimitatem, quæ numquam sine sudore parari potuerunt. Denique hæc est facilitas omnibus pervia, aquirendi sapientiam, quæ se quærentibus, in via occurrit hilariter, hæc inquam, quam docet Apostolus Jacobus cap. primo. *Si quis indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, postulet autem in Fide, nihil hæsitans*: concludimus ergo Sacra Scriptura sumpta simul, cum infallibili declaratione Ecclesiæ ex parte ipsius, & cum humili fervidaque oratione, ex parte legentium, facilis, clara, & omnibus pervia est, ab his separata, obscura immo obscurissima est, sicque patet, quis sit sensus sapientiæ ad se insipientes, & parvulos, tam seriò invitantis.

ARTICULUS V.

De causis obscuritatis Sacræ Scripturæ.

UT ea, quæ hactenus diximus, & quæ mox subiiciemus, facilius deprehendantur, recolenda est communis distinctio, quę in omni oratione, sive discursu notatur, scilicet aliud esse id quod dicitur, aliud verò modum, quo dicitur. Id quod dicitur in Sacra Scriptura sunt mysteria, pręcepta, facta, ac res, quę enunciantur: modus quo hęc dicuntur, sunt verba, figurę, phrases, ipsęque sententię, quatenus specialem expressionis vim pręseferunt: & quidem in his omnibus aliqua reperitur in Scriptura obscuritas, vel difficultas, quamvis, nec ubique, nec ęqualiter reperiatur, ubi est, singula seorsim sumendo, ut alias advertimus. Brevitas autem non patitur, ut de singulis, aut juxta hanc distinctionem sigillatim semper doctrinam applicando procedamus, sed idcircò hoc ibi prenotavimus, ut prudens lector doctrinam, ubi res postulaverit, ęqua lance distribuat. Nunc igitur ad rem nostram.

Initio hujus materiæ, seu notæ junximus sublimitatem, cum obscuritate, quia certum est primum fontem obscuritatis, & difficultatis Sacræ Scripturæ esse altissima mysteria, & quæ refert, & ad quæ ordinat quidquid dicit. Cum raptus est Paulus, vidit, quod arcana Dei non licet homini loqui, qui ergo ea loquitur, Deus est, taliter tamen ea enunciat, ut reconditam retineant majestatem, ut intelligamus ea homini sine speciali Dei lumine æquè impenetrabilia remanere, ac ineffabilia, semper tamen credibilia, & summa veneratione dignissima. Elevatus fuit Isaias, ut talia doceretur, at multò opus fuit clamore, ita, ut statim subdat, *commota sunt superliminaria cardinum a voce cla-*

A *mantis*, nec videre potuit, inq; enim, *& domus repleta est fumo*.

Hæc gloria est Fidei nostræ, quippe si non intuetur, hoc ideò est, quia ad summè distantia ab humilitate nostra, tendit mysteria. Ad solius Angeli (qui tamen creatura est) aspectum, contabuit tremens Daniel, & emarcuit, nec habuit quidquam virium, & similia alia legimus in veteri Testamento, cum nundum visibilis apparuerat Dominus Angelorum. Cum in templum descendebat majestas Domini, nubes implebat Domum: *nubes enim in circuitu ejus tabernaculum ejus, & caligo sub pedibus ejus*, & denique tota Scriptura (in hoc quidem non obscura) clamat, & sublimem hanc propriæ obscuritatis indicat causam ex parte objecti, divinam scilicet sublimitatem, circa quam versatur.
B Hæc igitur prima est generalis causa hujuscemodi obscuritatis.

Secunda causa generalis, est ex parte nostra, quam eo facilius dignoscimus, quò evidentius nostram, & debilitatem sentimus, & ignorantiam. Certè, quod ex natura sua est supra omnem creaturam, ex se etiam intrinsecè, & maximè distat ab omni creato, ideò causa jam assignata obscuritatis oritur ex intima dignitate objecti. Et hoc cognoscimus, sed obscurè. Secundam hanc verò ita facilè percipimus, sicut eam in nobis sentimus; magna siquidem obscuritas propriè cognoscitur, per comparationem objecti ad oculum ex propria infirmitate offusum, & caligantem. Hinc a Paradiso etiam terrestri expulsi, multò magis a cælesti distamus.
C Deo prohibente vidit mulier lignum, concupivit, apprehendit, idcircò retrogrado processu correcta culpa, apprehendere ex nobis ipsis suprema nequimus, desiderare, sed imperfectè relictum est, at videre negatum, tantum credere posse, summa Dei fuit benignitate concessum. Ne opponas, quod subdit Scriptura, tunc aperti sunt oculi amborum; ad quid enim aperti? nempe ut viderent se esse nudos, & operirent operimentum, qui pro se elegerant obscuritatem; denique qui malè agit odit lucem, & quas expetivit tenebras, tenet. Hæc itaque hujus ex parte nostra obscuritatis causa est, quæ priore supposita, facit caliginem, eamque densissimam. Sed jam claritatis gratia distinguendum est, ex priori enim causa orta obscuritas potius dicenda arduitas est, quæ in nobis causat, ignoran-
D tia nostra mediante, difficultatem, quæ autem ex secunda, potius obscuritas, quam arduitas, si propriè loquimur, dici debet. Mirabili tamen divinæ misericordiæ temperamento factum est, ut fidem nobis concederet, quæ ex nostra obscuritate non impediretur, ad divina, & ardua, obscuram, & jacentem erigere nostram mentem, & in Sacris Scripturis, velut in speculo, obscurè quidem, sed certissimè eadem contemplari. Hæc sunt Divinitas, Unitas, Trinitas, Æternitas, attributa Dei, Incarnatio, prædestinatio, reprobatio, Creatio, Redemptio, operatio Dei in nobis, Gratia, auxilia, Judicium, Misericordiæ effectus, & Justitiæ, Gloria, & pœna, quæ ex Scriptura didicimus, Ecclesia per Spiritum Sanctum directa, declarante, & docente, quæ per Fidem (quæ obscura est) credimus,

dimus, non penetramus tamen, nec comprehendimus. A

Modus autem, quo Scriptura hæc indicat, sanè obscurus est, ex eadem dupplici causa, proportionabiliter applicata doctrina, sed cum majori varietate, quia aliquando dispositivè procedit, disponens per naturaliter cognoscibilia ad suprema, ut cum narrat historias, vel proponit parabolas, quarum etsi significatio recondita sit, ipsa tamen narratio facti, vel rei assumptæ; ad fundandam illam significationem, clara est, claritate quidem materiali, cum non sit per se, intenta. Ubi autem obscura est, etiam quoad modum, hoc ex aliis etiam causis immediatè procedit, quæ esse possunt.

Primò. Proprietas Idiomatis, nobis alieni, & ex se difficilis, scilicet Hebraici, aut etiam Græci.

B Secundò. Diversitas versionum, & multiplicitas, ac intertextura figurarum dicendi.

Tertiò. Diversitas sensuum etiam litteralium in uno textu, ac multitudo sensuum spiritualium.

Quartò. Mos dicendi proprius Sacræ Scripturę in omni idiomate, ut Deo dante videbimus, cum de regulis differemus. Magna autem oritur obscuritas, ex peculiari figura, ut notat sæpè Augustinus; cum inopinatò, sermonem convertit a Figura ad Figuratum, & è converso, sicut cum de Salomone aliqua prædicit, quæ partim in ipso, partim verò in solo Christo verificata fuerunt, & tamen indiscriminatim uno contextu utraque complectitur, qui de Salomone solo videtur esse. Ita cum a corpore mystico ad caput venit, & è converso.

C Quintò. Vaticinia, quæ plurima continet, & tempus prædictorum eventuum, est in mysterio, sic ænigmata, & visiones plurimæ, quarum semper scrutabilis est significatio.

Sextò. Est contradictio, quæ aliquandò inter duos textus saltem apparenter apprehensa, non modicum torquet fidele ingenium, sicut cum dicitur Ezech. cap. 18. Filius non portabit iniquitatem Patris, & tamen Exodi cap. 20. Visitans iniquitatem Patrum in Filios, & Genes. cap. primo, & secundò. Creavit Deus cælum, & terram, & omnia spatio 6. dierum, & Ecclesiasti. 8. qui vivit in æternum, creavit omnia simul, sicut & de hora Crucifixionis Christi contradictio apparet, inter Marcum, & Matth. aliæque similes, quibus solvendis suo loco incumbemus.

D Alia denique accidentalis quidem, & ex parte hominis, ac in aliquibus tantum, sed valdè notanda causa est, quæ summam causat difficultatem, & obscuritatem; se sic opponit enim divino lumini, quo solo adjuti possumus, etiam impervia penetrare. Hæc autem est cæcitas oborta ex vitiis. Si enim cor, quo creditur ad justitiam, vel vitiis obtusum, vel sæcularibus curis nubilum, vel carnis implicatum fuerit sordibus, quid quæso mirum est, si quæ sunt spiritus, non intelligat homo carnalis ait Cassianus *de instit. Cænob. cap. 34. Pulcritudo enim divinæ veritatis sic latet, ut solis integro animo, ac sincero perquirentibus patescere possit*, ita & Ciryl. in præfatione thesauri. Id verò, quod plus obstat, & cuncta obscurat, est superbia, ac vanitas legentis, quod plane ostenditur. Beatissimæ Virgini, cur dictum est: ne timeas Maria, non enim est impossibile apud Deum omne Verbum? sane quia humilimo affectu, dum Dei Mater eligebatur, se dixit Ancillam, ergò è converso, etiam illud quod facile est, fit superbis timendum, nimis arduum, & fermè impossibile, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: hinc meritò Hieronymus aliquorum præsumptionem acriter increpat, qui quia nimis superbè sapiunt, nihil sciunt. *Sic prolog. Galeat. ad Paulinum. Agricolæ*, inquit, *Cæmentarii, Fabri &c. & cæteri, qui vilia opuscula fabricantur, sine Doctore non possunt esse, quod cupiunt; quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes vendicant: hanc garrula Anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de Sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor, a fæminis, quod viros doceant, & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immò audacia edisserunt, aliis, quod ipsi non intelligunt, Taceo de mei similibus, qui si fortè ad Scripturas Sacras post sæculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetę, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum, incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem.* Hæc Hieronymus, quæ ideò integrè retulimus, quia ostendunt, & quomodò difficilis sit intelligentia Scripturarum, & radicem aperiunt errorum, quos incurrunt superbi, de se nimium præsumentes: His tamen, quæ hactenus dicta, & deducta sunt non obstantibus, certum est (nec aliud umquam venit in mentem) quod non ex necessitate, sed ex sapientissima voluntate Spiritus Sanctus ita locutus est, apud quem non est impossibile omne Verbum, utique clarius, immò, & clarissimum. Ad pleniorem itaque solutionem argumenti, cujus occasione articulum hunc instituimus, quæres, an deprehendi possit modulo nostro, & saltem imperfectè, cur Deus voluerit Sacras Litteras obscuras esse?

ARTICULUS VI.

An assignari possit conveniens ratio, quare Deus voluerit Sacram Scripturam esse obscuram.

QUærimus rationem convenientiæ, ex parte effectus; primam enim rationem ex parte causæ, hac in re scrutari nostrum non est, ne scrutatores majestatis opprimamur a Gloria: porrò sicut effectus creati, aliquid de divina ratione, in qua ideantur, participant, ita convenientia, quæ eis inest, ut tales, vel tales sint, est quædam umbra divinæ rationis, quæ sapientissimè illos disponit, & modulatur, ac facit quod tales sint, nunc citra scrupulum, quæsito respondemus.

Prima igitur ratio est, quia Sacra Scriptura speciali modo est opus Dei, & locutio ipsius, ita ut esse a Deo non sit illi aliquod extrinsecum, sed proprium ejus intrinsecum, & achomum prædicatum, ut supra Tractatu primò, & secundò explicuimus, ergò suum Auctorem, cum aliqua proportione debet repræsentare: sed Deus est incomprehensibilis, absconditus, & lucem habitans inaccessibilem, sedens super Cherubim, idest supereminens, omni plenitudini scientiæ, ergo etiam Sacra Scriptura sublimis esse debuit, superior ad creatum lumen, difficilis, abscondita, & obscura, proportione tamen servata, & participatione, ex quo fit, doctrinam quam continet attingibilem esse per Fidem, & quamvis non evidentem, certiorem tamen esse omni scientia viatorum, maximè quia locutio etiamsi ordinata sit ad docendum eum, cui fit, primò tamen suum significat auctorem, qui ex ea dignoscitur, unde Philosophus cæcus ad adolescentem ajebat, loquere ut te videam, modus enim dictionis, est modus dicentis, ut usu patet in humana voce, qui ergò ad homines loqui per Scripturam dignatus est, rationabiliter suæ locutioni, ut eam sciremus suam, majestatem indidit, sacramque obscuritatem.

Secunda ratio est, quæ innuitur Isai. cap. 40. ubi dicitur, *loquimini Sacerdotes in cordibus populi*, ac prius, *Deutero. cap. 31. Interroga Patrem tuum, & dicet tibi. Presbyteros tuos, & annunciabunt tibi*. Deus enim, qui sapientissimè ordinem statuit universi, ut eum servaret, voluit omnes aliquando esse discipulos, aliquos verò subindè esse Doctores, qui tamen prius fuerint discipuli: unde & Apostolus, *prima Chorinth. cap. 12. numquid omnes Doctores, numquid omnes Apostoli?* ut ergò debitus ordo servaretur, oportuit obscura tradi, quorum intelligentiam alii ab aliis exquirerent, & inventam communicarent, sicque successione quadam, veritas, & unitas duraret in Ecclesia, & semper esset aliquid docendum, quia semper discendum, quod sane non esset, si Sacra Scriptura esset omninò facilis, & aperta, quam rationem tangit Chrisostom. hom. 44. in Matth.

Confirmatur ex ordine Hierarchico, qui in Ecclesia triumphante resplendet, quique decentissimum est, ut in militante, cum debita proportione servetur, quæ est perpetua doctrina D. Thomæ, sicut ergo Angeli inferiores a superioribus, superiores a supremis, supremi a Deo illuminantur, ita disponi oportuit, & in Ecclesia, quæ peregrinatur a Domino, ut speciem quamdam, & spem præseferat perfectionis, quam habebit in patria, ad levamen peregrinationis suæ.

Tertia ratio est, ita sapientissima æquè, ac suavissima Dei disposuit providentia, ad excitandam legentium industriam, unde August. *de vera religione cap. 17., & de prædestinatione, & Gratia cap. primò. Si* (inquit) *in Scriptura tantum essent, quæ facillimè intelligerentur, nec studiosè quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas, quæ in Sacræ Scripturæ libris certa semper est, nec umquam deesse potest, etsi non facilè, ob magnitudinem rei, intellectus quærentibus occurrat*. Consimiliter Gregor. *hom. 6. in Ezechielem, magnæ*, ait, *utilitatis est, ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod non potest capere otiosus*.

Quarta. Ne facilitate nimia vilesceret: August. *l. 2. de Doctrina Christiana cap. 6. de hac re agens*; hoc totum, dicit, *divinitus provisum esse non dubito, ad edomandam labore, superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt*. Ita & Gregor. loco citato, cæterique PP.

Quinta. Ut tam prudentum, quam simpliciorum habeatur ratio, & ut denique ad se traheret universos. Gregor. *l. 20. Moral. cap. 1. Omnem scientiam, atque doctrinam Scriptura, ipso etiam locutionis suæ more transcendit, ut tateam, quod vera prædicat, quod ad cælestem patriam vocat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur, & in Epistol. ante lib. moral. cap. 4. quasi quidam fluvius est, ut ita dixerim, planus, & altus, in quo & agnus ambulat, & elephas natat &c.* alias etiam rationes apud SS. PP. passim offendes.

Sed obiicies: omnes fermè hæreses ex Scripturæ obscuritate originantur. Si enim clara esset, vel non errarent homines in veritatis notitia, vel statim ab omnibus corrigerentur, & convincerentur, vel non auderent etiam perversi, Scripturas in varios sensus, contra Notam torquere veritatem, ergò obscuritas ista, non est rationabilis, nec a Deo intenta, nec juxta voluntatem ejus, qui tollit, non exhibet scandalum; fortè igitur, & per accidens suborta est, ex imperitia scribentium; vel aliquo defectu, quem nefas est refundere in Deum.

Respon. neg. antecedens: malitia enim hominum perversorum, æquè obscuritate utitur, & claritate, ad inveniendos errores. Claræ sunt leges divinæ, & humanæ, quis omnes perfectè observat? nonne stultorum (hoc est peccatorum) infinitus est numerus? quid naturæ lege, homini vicinius, clarius, & potentius? & huic nihilominus quotidiè resistunt iniqui. Claræ sunt declarationes Ecclesiæ, & tamen ne illis convincantur, Ecclesiam ipsam impugnant hæretici? quid plura? nonne in ipsa Scriptura aliqui textus habentur, qui in se considerati, plani, aperti, & clarissimi sunt? & ipsos indefessè distorquent. Jam ut supra notavimus Lutherus ipse, loco superius citato, de his verbis: hoc est corpus meum se notasse dicit octo expositiones, at ut refert P. noster Dominic. in sua Biblioth. l. 3. sect. prima, cap. 98. apud eosdem Lutheri sectarios, plusquam sexaginta recensentur interpretationes eorumdem verborum, quibus tamen nihil brevius, & apertius, exprimens sensum proprium dicentis. Perversitas igitur hominum impiorum, ignorantia, & superbia, sunt radices hæresum, non obscuritas Scripturarum, de qua jam satis.

ARTICULUS VII.

Ad dictorum corollarium.

QUÆ hactenus diximus in re, quæ fortè aliquibus levis videtur, sed gravissima est, ut prudens quisque deprehendet, plenè convincunt, quòd in principio proposuimus, nempe sublimitatem, & obscuritatem esse verè Notas Sacræ Scripturæ, sublimitatem verò nedum venamur ex objecto, & arcanis mysteriis, quæ in ea continentur, sed per respectum ad Deum auctorem sui specialissimum, ex quo habet Sacra Scriptura insuperabilem auctoritatem, *quippe hæc est orta immediatè* (ait D. Bonaventura *opusculo primo*) *ab inexcogitabili excellentia auctoritatis divinæ essentiæ, quæ nihil est eorum, quæ sunt*, ut dicit Dionis. *de divinis nominibus*, *sed superexistens*, *& superdea*, & post pauca, *Omnipotens Deus, a cujus fonte manat fluvius Scripturarum, si non haberet primitatem inanteibilem, primitatem in essendo, & principalitatem in Dominando, inciperet utique, tam esse, quam habere &c.* Hoc autem diffusè declarato, subdit. *virtus auctoris, & pondus auctoritatis semper æquantis, ejus dignitas est, propter quod dicit August. super Genes. lib. 2. cap. 2. quod major est divinæ legis auctoritas, quam humani ingenii perspicacitas, quamvis anima rationalis capax sit infiniti objectivè, non tantum in affectu per dilectionem, sed etiam in aspectu per apprehensionem. Quamvis autem lex omnis ordinata, causam habeat efficientem, & exemplarem Deum ipsum, qui est ars plena omnium rationum viventium, ut ait August. lex tamen Sacræ Scripturæ peculiarissimo nomine, & prærogativa specialissima dicitur procedere de sede Dei.* Hæc ex Seraphico Doctore. Cum igitur talis sit sublimitas auctoritatis Scripturæ, ut sit impertransibilis ex parte proprii principii, quod nulli alteri competit Scripturæ, jam certè, & Nota ejus est, & proprietas, sicut in principio hujus tractatus ostendimus; idipsum etiam patet non obscurè, de ipsa obscuritate, quæ intimè cum sublimitate connectitur, de quà, quia fortè plus justo actum est, nihil addendum præter enascentis objectionis necessariam solutionem.

Obiicies: obscuritas nullo modo potest dici Nota, vel proprietas; de ratione siquidem Notæ est, quod manifestet differentiam ejus, cujus est Nota, sed obscuritas ex natura sua, potius omnia, quibus applicatur, abscondit, nec cognita est, sed velamen cognoscibilitatis, ergo &c.

Confirmatur idem primò, quia obscuritas est aliquod privativum, ut omnibus notum est, ergo nec nota est, nec proprietas, siquidem proprietas exigitur ab essentia, nulla autem essentia exigit nihil &c. adde, quod si non entis non sunt qualitates, ut Philosophorum, & Juristarum est commune proloquium, multò minus non ens poterit esse qualitas entis scilicet proprietas, nec multò minus Nota, quia non ens, non est objectum intellectus.

Confirmatur secundo obscuritas est defectus intellectus, denominans ipsum intrinsecè ad modum privationis, & extrinsecè objectum, sicut proportione servata intellectio est perfectio intellectus secundum doctrinam D. Thomæ, & ideò esse intellectum est denominatio extrinseca objecti, quia nulla forma creata, cum sit una potest denominare intrinsecè dupplex subjectum, & consequenter nulla etiam privatio, quippe quæ regulatur per formam, ergo non est proprietas Sacræ Scripturæ, nulla siquidem proprietas, vel quasi, imaginabilis est, quæ sit proprietas unius naturæ, & in alia subjectetur.

Respond. facilè ad apparentem difficultatem, quæ nihil concludit, tum quia non agimus de proprietate, & Nota in rigore metaphisico, sed similitudinariè, tum quia si velimus rigorem metaphisicum sustinere, etiam in præsenti, recolendo quæ superius diximus, satis apparebit, quòd arguens allucinatur. Respond. igitur primò, quod quando assignamus tamquam proprietatem alicujus rei, privationem, sensus est, quod res illa ex sibi connaturali positiva limitatione positivè detinetur ne qualitatem, cujus habet capacitatem obtineat, unde potius illa positiva limitatio, cum impedimento positivo ad talem formam, erit proprietas, sed quia res valdè latens est, per notiorem, quæ inde consequitur, privationem, exprimitur.

Respond. secundo neg. anteced. ad probationem, conced. majorem, & disting. minor. si obscuritas sumatur, ut quo, sive qua, conced. min. si sumatur, ut quod sive ut quæ, & per modum quasi emanantis, neg. minorem. Patebit magis responsio ex sequentibus.

Ad confirmationem primam, neg. antec. quia nunc sumitur obscuritas (quatenus se tenet ex parte Scripturæ) pro arduitate, & difficultate orta ex sublimitate, tum objecti, cum principii activi specialissimi, quæ sumpta simul cum distantia, quam ex meritis suis habet ab intellectu viatoris, dicitur obscuritas, tum quia sic apellatur omne distans a clarà intellectione, tum quia sic considerata talis excellentia ex sui conceptu secundario, & quasi consecutivè, connotata debilitate naturali intellectus nostri, importat carentiam claritatis exercitè, ac quia hæc omnia nequeunt uno nomine exprimi positivè, quippe quæ soli Sacræ Scripturæ sine exemplo conveniunt, ideò exprimuntur per illud nomen, quo vulgariter significatur carentia claritatis, sive de nocte, sive de vespere, aut de die valdè obnubilato. Nec id novum videri debet, nam etiam immaterialitas est nomen negativum, quòd ex sua institutione significat carentiam materiæ, & tamen communiter dicitur de Deo, & de Angelis, in quibus cum immaterialitas sit essentiale prædicatum, certè est positiva formalitas, sed quia positivum spiritualitatis, quæ revera est ipsa immaterialitas, non habet proportionem, cum nostro modo cognoscendi Viæ, qui omnia cognoscimus per conversionem ad phantasmata, ideoque per modum quidditatis materialis, ideò sicut facilius intelligitur per exclusionem materiæ, ita per ipsam etiam communius significatur; Quarè autem facilius cognoscatur carentia materiæ, quam spiritualitas, etsi carentia sit non ens,

ac

ac proinde nec objectum directum intellectus, si obiter quæras, pro nunc dicemus, hoc ideò esse, A
quia sicut carentia stat loco ejus, cujus est carentia, etiam per illud cognoscitur, quod competit objecto indirecto intellectus, & quia materialitas est pro nunc objectum proportionatum, & directum intellectus nostri, non verò spiritualitas, ideò facilius cognoscitur carentia materiæ, quam positivum superius spiritualitatis, ita proportione servata dicimus de obscuritate in præsenti, quæ doctrina verè Thomistica est, & PP. Salmaticens. familiaris in tractat. de visione Dei, de scientia Dei, & de Angelis passim; Per quod patet ad primam confirmationem, ejusque additionem.

Ad secundam etiam confirmationem patet, quia nunc sumitur obscuritas in sensu explicato, & prout reverà sumi debet, non prout se tenet ex parte intellectus. Verum est enim, quod in via adest B
etiam defectus ex parte intellectus (qui non est pravæ dispositionis, ut supponitur, sed præcisè carentia majoris luminis) qui magis resplendet, occurrente objecto arduo, ac excellenti, quapropter redundat denominatio obscuri in ipsum cognoscibile, ex simpatia, & connexione, quæ est inter intellectum, & objectum, ex qua etiam oritur sæpè, quod nomen potentię attribuatur objecto, & è converso, sed nunc eum agimus de Nota Sacrę Scripturæ, quæ propterea ipsius est, non nostri intellectus, non potest consequenter accipi obscuritas pro sola carentia se tenente ex parte intellectus, ut patet.

Sed replicabis: obscuritas hic etiam debet sumi, C
præcisè, ut stat ex parte intellectus, ergo &c. Prob. anteced. si ex parte intellectus ponatur lumen Gloriæ, nulla amplius erit obscuritas etiam in objecto quantumvis excellenti, ergò nunc totus defectus, seu tota obscuritas est ex parte intellectus, cumque hæc sit tantum carentia sic sumpta, recurrunt jam allatæ difficultates.

Respon. neg. antec. ad probation. disting. antecec. si ponatur lumen Gloriæ, & simul divina essentia, per modum speciei impressæ, & expressæ conced. antec. si ponatur lumen Gloriæ præcisè, neg. anteced. non sufficit ergò lumen Gloriæ sine proportionata specie clarissimè, & quidditativè repræsentante excellentissimum objectum, seu essentiam divinam, in qua videntur omnia arcana, quę nunc tantum creduntur. Et quidem non mutatur D
divina essentia, nec ammittit suam excellentiam, & arduitatem, quæ semper eadem est respectivè ad intellectum nostrum secundum se consideratum, at impresso lumine Gloriæ, quod cum divina essentia quidditativè visibili, licet finito modo, habet proportionem, & sine tali specie esse non potest, fit per tale medium proportio intellectui, quæ potius est proportio luminis, quam intellectus &c. & hæc satis sint, ad hanc obscuritatem, ut fieri potuit enucleandam, qui plura voluerit, adeat, ut superius innuimus, Controversias.

CAPUT III.

De VI. Nota Sacræ Scripturæ, quæ est sanctitas Scribentium.

ARTICULUS I.

Hanc Notam pertractans.

PRimum canticum, quo novum Testamentum exultat, prima, sanctissima, sapientissima inter omnes creaturas, Dei Mater, & Virgo, divino ejus corde ex abundantia divinitatis Verbum bonum eructante, composuit: nempe Dei Verbo plena silere non potuit, Psaltis regii filia, prima cecinit. Cælestis chori magistra, beatum canticum, ex quo beatam ipsam dicunt omnes Generationes, & divina scilicet, & ipsa Virginea, & omnes humanæ, ut beatitudinem erudiret ad exultationem, gloriosa desumpsit, quam uti Matrem adeò honoravit Deus, uti filiam instruxit David, eodemque præcipiente, ac musicam ordinante, cum juberet, ac replicaret impatiens: Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra, ipsa quasi omnis terra in humilitate sua, quæ erat Regina cęli in dignitate sua, quasi omnis terra, quia Mater Dei, quia Mater omnium, ipsa inquam, paterno devota pręcepto, tympanistria beata cantavit. Cantavit opere canticum novum, cum facto exposuit, quid prædixerat Isaias, cum diceret: *novum creavit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum:* canticum novum, & inauditum, cum Virgo concepit, & peperit Verbum, ex quo audita est, discentibus, ac repetentibus Angelis, Gloria in altissimis Deo: canticum novum denique, & propriè canticum, cum nundum cognitas erupit in voces, à suprema omnium nota incipiens, quę ad Altissimum ipsum, impertransibilis, una pervenit, ipsum justa restitutione magnificans, quem fecit parvulum, ipsum, qui major esse non potest, exaltans, toto cecinit spiritu, qui in ipsam jampridem supervenerat: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo Jesu meo: ita cecinit: ita exultavit sapientiæ Mater, ut musicam disceret, vel mutus Infans Joannes, ideò in utero Matris exultavit, cantico gestibus plaudens, nobili modulo gratias agens, canenti Innocentię: Exultabat ille, canebat ista, exultavit enim, quia audivit canentem, exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: pro Joanne, qui futurus erat vox Verbi, Mater Verbi canebat Maria, dum vox tacebat, vox Joannis. Erat ipsa os Verbi Dei, ex quo illud jam quasi prodibat, planè uti vox ore, sine læsione, ideò eadem etiam facta est os Joannis, sicque ex ipsa, geminato munere, quasi ex ore infantium, Dei laus perficiebatur: hinc adeò perfectam, ac eruditam Tympanistriam prævidens regius ipsius parens, divinę pręcox musicę David, chorum eidem providit, cum eam pręvidit, quem ipsa duceret, earum videlicet, quę sunt sicut Angeli Dei

in

in cælo, quia non nubunt, neque nubentur. Id circò de ipsa Angelorum Regina præcecinit: *adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi* (loquens ad Regem Gloriæ) *in lætitia, & exultatione*, ea utique exultatione, qua exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo. Jam ergò procul omni dubio hæc inter eximias Sacræ Scripturæ prærogativas excellentissima præfulget, quod inter canonicos sui Auctores, Beatissimam Sapientiæ Matrem recenset, ut enim plenè divina sit, quæ est opus Dei specialissimum, hoc habere debuit, nempe quod simul esset opus illius, cujus Deus ipse, si dicere liceat, opus fuit. At dices, quid scripsit? sed Nota, divino planè more processit, dixit quod scriberetur, quia & Deus scribi fecit, quod dixit. De materiali est, quod quis lingua utatur, aut calamo, dummodo quod scriptura est sit propria ejus locutio; quæ novo modo Mater fuit, nova pariter ratione auctrix fuit: Lucas qui ejus corporale delineamentum graficè penicillo expressit, vividius calamo spiritum depinxit, recitans, quod ipsa cecinit toto spiritu exultante in Deum suum, totius Scripturæ Auctorem, David eam adumbravit ita canentem, ac si scriberet, cum ait pro ipsa, lingua mea calamus Scribæ.

Sed ecce obstrepunt jam querelæ. Quorsum ista ad nostrum institutum? quo diffundimur? ubi est Angelici præcepto data Fides in prologo, nihil non necessarium in toto hoc opere addendi. Ubi brevitatis professio, ne claritas veritatis, inutilium ad intentum multiplicitate confusa, delitescat?

Respon. primò quomodò institutum nostrum sine ejus laude subsisteret, quæ cunctas hæreses sola interemit in universo mundo, sicut tam sublimiter canenti recinit viatrix Ecclesia? Nulla limitari potest lege laus ejus, quæ est ipsa lex immaculata Innocentiæ, quæ est Epicheja omnis juris, super omnia jura, quæ ipsum in se sibi obstrinxit legislatorem æternum, pro qua non est ea ex, quæ pro omnibus facta fuit, quam sibi lex non subjecit, quia ipsi subditus fuit ex Evangelio legislatoe, quia justo non est lex posita, cum eam peccatum non noverit, quod tamen Apostolus non novit, nisi per legem. Promissa Fides Angelico præcipienti, melius servari non potuit, quam eidem servando Fidem, recipienti, cum adhuc puerulus, Marianæ Salutationis cartulam (ex qua factus, & dictus fuit Angelicus) plusquam humana aviditate comedit, ut numquam Virgo, vel ab ejus corde, vel ab ejus ore discederet, sicque lactandæ Sapientiæ, quam ex tunc concipiebat, introducta Mater, & Nutrix, eam adolescere cito faceret usque ad summam. Cum occurrit aut memoriæ, aut argumento Mater, numquam cessare, necessitas est, quia & est necessitudo, quæ cogit, ad Verbi Matrem mutum non esse. Brevitatem porrò majorem, præter culpam servare, impossibile est, ubi Virgo æterna proponitur. Equid plura? ipsa prophetando præcepit, ne umquam de ipsius Gloria sileamus, cum nullo apposito termino inquit, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes Generationes: quæ omnes? scilicet tota Sacra ipsa Scriptura, quæ in principio sui, sub omni-

A bus generationibus, comprehendit omnia utique, & semetipsam dicens, hæ sunt generationes cæli, & terræ, ut vereatur quilibet, vel negare proprium esse, vel illud ammittere, se ab omni generatione extrahendo, qui beatam semper non prædicat eam, quam beatam dicent omnes Generationes: & hoc fortè, ipsa de se visa est significare, cum dixit, Respexit nihilitatem Ancillæ suæ, quia enim humillima Virgo, se beatam antea non dixerat, quasi ex tali silentio, nullius reputaretur Generationis, ideò in profundæ nihilitatis chao latere visa est, se non laudans, quam beatam dicent, sine termino temporis, sine fine laudis, sine diminutione venerationis, sine limitatione devotissimi amoris, omnes Generationes.

Secundo. Respon. hoc totum esse efficax argu-
B mentum morale, qualè requiritur in hac materia, ad ostendendum, quod Sanctitas scribentium est specialis Nota dignitatis Sacræ Scripturæ. Sicut enim Beatissima Virgo, omnes puras rationales creaturas gratiæ capaces, etiam simul sumptas, longè excellit in Gratia, meritò, charitate, Sanctitate, & Gloria, ita incomparabilem indicat esse Sacræ Scripturæ dignitatem, & sanctitatem, cui ipsa deservilt, inter Sacros Scriptores omnibus modis prima, quæ & Verbum Dei finem totius Scripturæ, ac principium, substantialiter protulit, & partem hanc eximiam ejusdem Verbi scripti, ipsa composuit. Ita ut etsi inter cæteros Canonicos Scriptores nullus in se, ut persona particularis, sanctitate fulgeret (quod falsissimum est) sola di-
C gnitas, & Sanctitas Virginis satis esset, ut diceremus concludenter, Sanctitas scribentium est vera Nota Sacræ Scripturæ. Sola etenim ipsa tantam habuit, quantam omnes simul & habuerunt, & habere potuerunt, sicque Sanctitas ejus fuit sanctitas omnium. Tanta hinc oritur, asserti similis certitudo, ut supponendum potius fuerit, quam ponendum. Quidquid igitur hactenus in hoc articulo sonat, totum simul, & assertio fuit simul, & probatio, cui nemo cordatus valeat obviare. Asserimus tamen etiam universaliter (quo modo res de facto, quæ metaphisicam notitiam excedunt, sciri possunt) saltem secundum efficacem convenientiam, Scriptores Canonicos, sanctos fuisse, ideoque nihil huic Notæ defecisse. Quinam PP., & Doctores huic asserto suffragentur ex dicendis
D constabit.

Probatur ex hactenus commemoratis de beatissima Virgine. Opus fuit excellentissimum divinæ supernaturalis providentiæ, quod Beatissima Virgo esset tam insignis, ac excellentissimæ, nobisque inexplicabilis sanctitatis, sicuti fuit, ad hoc ut divinum Verbum, Filium Dei conciperet, & pareret, humanitate nostra circumdatum, quia nempe tantum Filium, tanta decuit Mater, ut inde ex consequentia relationis, etiam dici posset tantam Matrem tantus decuit Filius; ergo de eadem supernaturali providentia opus fuit (proportionaliter, & moraliter loquimur) quod ii qui Verbum Dei scriptum proferre debebant; etiamsi tamquam instrumenta viva tantum, tales essent sanctitatis, ut sicut dicit Apostolus, sanctum non vituperaretur

Mini-

Ministerium illud, sed potius dici posset de quolibet; tam Sanctam Scripturam talis decuit Scriptor, & tam Sanctum Scriptorem, talis decebat Scriptura, ergo inter hoc ministerium, & sanctitatem scribentium tanta est connexio, ut sanctitas Scriptorum in sensu explicato dici possit vera Nota, & proprietas suo modo, Sacræ Scripturæ: diximus autem suo modo proprietas, quia in rigore ipsa sanctitas Scriptoris, non est proprietas Sacræ Scripturæ, sed exigentia talis sanctitatis, ipsa verò sanctitas est potius congruens, & moralis effectus, inter quem, & Scripturam mediat Dei Gratia sanctificans, quæ cum sit principium meriti, non potest cadere sub merito eam recipientis, & mediat etiam voluntas hominis, quæ infælici vertibilitate potest illam ammittere.

Sed dices: ex hoc, quod sancti fuerint, sacri Scriptores, nihil arguitur de quidditate vel auctoritate Sacræ Scripturæ, si enim Spiritus Sanctus fuit ejus auctor specialis, in ea partem non habet sanctitas instrumentorum, siquidem Epistolæ, quam ipse Rex scribit, nihil additur, vel minuitur, per hoc, quod calamo aureo, vel vitreo scripta sit.

Respon. ita quidem esse quoad Sacram Scripturam in se ipsa, non tamen ita esse quoad nos. Certè ipsi Sacræ Scripturæ in se nihil additur, vel minuitur, ex sanctitate, vel iniquitate scribentium, ut benè probat argumentum, quoad nos tamen non ita, quibus tanto melius videtur secundùm Augustinum, quod accipimus, a quanto meliore videmus nos accepisse, & hoc sufficit ad rationem Notæ, quæ in hoc a rigorosa proprietate distinguitur, quod satis sit ad ipsam, quod in morali habet æstimatione.

Respon. secundò; sed magis rem penetrando, dici posset, Deum quidem esse specialissimum Auctorem Sacræ Scripturæ, quæ est ejus vera locutio, tamen illa propalatio ejusdem, nihil habet per quod non possit attribui taliter Sacro Scriptori, ut ejus sanctitate, aliquo modo formalizetur. Sanè ipsum instrumentum habet actionem præviam, & consequenter aliquam materialem, & dispositivam rationem in effectu principalis agentis, quæ eidem instrumento principaliter correspondet, sicut in nostro casu, est ipsa scriptio materialis, & formalis extrinsecatio (barbarismus licet ad exprimendum) supra quam reflectit ipsa sanctitas scribentis, quod videtur innuere August. loco citato lib. 18. de Civitate Dei cap. 3. loquens de Christo: hic prius per Prophetas, deinde per se ipsum, & postea per Apostolos, quantum satis esse judicavit locutus, Sacram Scripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis.

Ad confirmationem autem utriusque responsionis adde. Etiam veritati Fidei, aut Scripturæ nihil accrescit in se, per hoc quod Martyres, eam proprio Sanguine asserant, & confirment, tamquam veri, & admodum plures testes, semper tamen ex nova, eaque tam mirabili, & maxima Fidei testificatione, magis cognoscimus meritum veritatis, quam (cum suprema sit) penetrare non possumus, & hoc meritum est infallibilitas ejus, & maxima

A certitudo objectiva, ex qua oritur in nobis, positis tot tantisque testibus, major certitudo formalis, quæ est firma adhæsio intellectus ad verum; ita proportione servata dici potest etiam de sanctitate scribentium, quæ est quædam confirmatio scripturæ veritatis; quamvis enim scribant, ut instrumenta, sanctè tamen agendo, & ea servando, & factis venerando, quæ scribunt, eorum veritatem confirmant, ut causæ principales, & in hoc sensu eorum Sanctitas est realis Nota Sacræ Scripturę. Et ita a contrario sensu patet ex D. Gregorio *hom.* 17. *in Luc.* 10. *ante medium*, ubi ait, *nullum puto Fratres Carissimi, ab aliis majus detrimentum, quam a Sacerdotibus dolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit.*

B Et quia moraliter hoc loco procedendum est: adde, quod sicut pretiosissimus liquor habet proprietatem gratissimi odoris, eumque imprimit canali per quem effunditur, ex qua impressione, quasi vestigio, qualis sit liquor ille dignoscitur, quia vis diffusiva, est boni proprietas, ita proportione servata, ad explicandum per res sensibiles superiora, dignoscitur ex impressione sanctitatis, quam in suis instrumentis relinquit Scriptura, vis impressiva illius, quæ est ejus proprietas, quantum est ex ipsa, & in hoc sensu dicitur, quod sanctitas scriptorum est Nota, & proprietas Sacræ Scripturæ, juxta sensum Sanctorum PP. &c.

Prob. secundo breviter: *Psalm.* 118. dicitur, *mandasti justitiam testimonia tua*, si testimonia Dei
C sunt justitia ex mandato, ergo cum Sacri Scriptores sint viva testimonia Dei, erunt justi, & admodum justi, quòd exprimitur per abstractum illud Justitia, exponit autem se ipsum Psalmista, ne quæras Commentatorem, cum subdit, *& veritatem tuam nimis*, ut id applicet ad testes veritatis primos, quales fuere Scriptores Canonici, quamvis enim divina Veritas, humano non egeat testimonio, tamen supra id, quod necesse est, hoc est nimis, mandavit, hoc est, ordinavit veritatem suam, per sanctitatem primorum testium, qui eam primo exposuerunt, illustrari.

Est tamen difficilis objectio, contra id, quòd indefinitè asserimus, & quod videmur supponere, nempe omnes Scriptores Canonicos sanctitate præfulsisse. Hoc ut de omnibus asseratur, debet con-
D stare de singulis: cum autem res sit de facto, immò de factis pluribus, ac singularibus, in materia ex se occultissima, nec a nobis, nec ab aliis certò demonstratur. Sed adhuc dato, quod saltem negativè constet, quatenus, nemo præsumitur malus nisi probetur, & plures ex Canonicis Scriptoribus jam sunt in possessione cultus, & venerationis. Falluut hæc omnia in Salomone, quem scimus ex præcipuis Scriptoribus Canonicis fuisse, & æquè certè scimus enormiter peccasse, Idolatram fuisse, & scandalum maximum populi Dei, unde secundum allegata, & probata in Scriptura, creditur in ęternum periisse. Fallit ergo assertum in principali.

Confirmatur ex D. Thoma pluribus in locis, at præcipuè 22. quest. 172. articulo 4. ubi ad Gratiam

tiam gratis datam, qualis est Prophetia, ipsaque scriptio Verbi Dei, dicit, non requiri sanctitatem, ruit ergo quęvis nostra probatio.

Respon. nobis, & unicuique Catholico, ubi agitur de veneratione Sanctorum, satis esse debere, judicium Ecclesię, & quidem quoad Scriptores novi Testamenti, qui fuerunt Apostoli, & Evangelistę, ac discipuli Domini, & Apostolorum, ut Lucas, & Marcus, indubitabile est eos vere sanctos fuisse, ac ut tales cultum sibi debitum in Ecclesia possidere. Idipsum tenet Ecclesia de pluribus Scriptoribus veteris Testamenti, qui & fuerunt Martyres, ut videre est in Martirologio Romano, de aliquibus verò, ut puta de Scriptore libri Machabæorum, sicut qui fuerunt non certò sciutur, ita nequit prudenter dici, quod non fuerint Sancti, sed probabilius videtur tales fuisse, argumento ab aliis cognitis sumpto, per quamdam speciem inductionis, & congruentes rationes adductas, & adducendas: hoc autem melius constabit, cum totius Sacræ Scripturæ Epitome delineabimus suo loco, & ex communiori PP. sententia, unicuique, & libro Sriptorem, & Scriptori prærogativas addemus: magis pungere videtur, quod opponitur de Salomone, ast transeat pro modo (quod tamen specialiter post hunc articulum discutiemus) quod finaliter perierit, nihil contra nos, qui indefinitè locuti sumus, in materia contingenti, ex humana vertibilitate pendenti, ut est sanctitas, vel iniquitas, constat autem, quod exceptio unius in tali materia, non facit contradictionem, cum universali affirmativa indefinita, ex natura sua, juxta principia logicalia, immò signum ipsum universale, omnis, in Sacra Scriptura admittit rationabilem exceptionem, ubi alii textus Scripturæ non contradicant, sicut (quod plus est) in eodem contextu patet. Esth. cap. 15. non pro te, sed pro omnibus lex ista facta est &c.

Ad confirmationem dicimus, quod D. Thom. in illo articulo loquitur præcisè, de dono prophetiæ secundùm se considerato, & concludit, quod secundùm se non habet connexionem cum Gratia sanctificante, & charitate, ex dupplici ratione; primò quia tale donum spectat ad intellectum, at quia acutè prævidit instantiam, quod nempè, & simpatia, & connexio connaturalis est inter intellectum, & voluntatem; addit secundam, quia videlicet ordinatur tale donum per se primò, ad bonum aliorum non ad bonum habentis, seu recipientis. Nos autem loqnimur de speciali, ac superiori dono Scriptoris Canonici, quod debet importare auctoritatem etiam ex parte scribentis, in linea morali, quamvis enim ordinetur ad bonum Ecclesiæ, magis tamen cooperatur huic eidem fini, si per prius in ipso scribente operatur sanctitatem, ad quam in aliis causandam ordinatur, cujus enim vita despicitur, hoc unum facilè additur, quod ejus etiam doctrina despiciatur, nec credent homines dicenti, aut scribenti. Hæc dicit Dominus, si Domino contradicentem videant, vel quem Dominum colat, ignorent; & ideò ob eamdem rationem, quam D. Thom. adducit pro assumpto illius articuli, nos quod asseruimus concludimus. Maximè verò, cum factum ipsum, & Angelici doctrina benè intellecta, assertæ cohæreant veritati. Et Scriptores, & Doctores Canonici, & fundamenta Ecclesiæ, fuerunt Apostoli, quibus propterea Deus concessit magnam Gratiæ, & Sanctitatis abundantiam, dicit idem Angel. Doctor. in Epistol. primam ad Chorin. cap. citato, idque cohæret cum sensu ipsius Salvatoris, qui ad Discipulos suos, qui futuri erant Doctores totius mundi, dixit, Matth. cap. 5. Vos estis sal terrę, quod si sal evanuerit, in quo salietur? Quod exponit August. in sensu nostro, seu potius Scripturę, & PP. Aliud ergo est loqui de de dono prophetiæ, quasi metaphysicè considerato, aliud verò de ipso in praxi, ut ministrat Fidei fundamenta, & bonum simpliciter totius Ecclesię concernit, quale est ministerium Scriptoris Canonici, quod ex eo patet, quod revelatio prophetica, orta a Dono prophetię non spectat ad Fidem secundùm se, sed manet extra Fidei objectum, in ratione revelationis particularis, nisi eam Ecclesia acceptet, & declaret esse Fide, Scriptura autem Canonica in his terminis spectat ad Fidem, quamvis enim ad hoc, ut tamquam talis habeatur, requiratur propositio Ecclesię, ipsa tamen ex fine, & auctoritate dicentis meretur sic approbari, ad quod non minimum confert sanctitas scribentis, per quam certior redditur Ecclesia, quod noluit talis Scriptor mentiri, nec prophetavit de corde suo.

Prob. 3. D. Petrus epist. 2. cap. primò asserens, & supponens sanctitatem scribentium, de qua nunc, ait. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, si ergo sancti Dei homines fuerunt, Scriptores Canonici, & Prophetę, qui tradiderunt nobis Scripturas, quid de hoc ambigendum?

Confirmatur, seu probatur a contrario sensu assertio. *Psalm. 49. Peccatori autem dixit Deus, quarè tu ennarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum*, ubi sic arguimus ad sensum, si interdicit Deus peccatori, Verbi sui prędicationem, in qua tamen non condit peccator Scripturam, sed eam ut alienam producit, ex sano textu, & SS. Patribus; suspicandum ne erit, quod contra id, quod ipse declarat se nolle in minori negotio, eligat in majori, & ad Fidem immediatè spectante, impium, uti primum canonicum delatorem suę proprię locutionis, cujus idem, qui est nuncius, a vulgo credi possit auctor, facto negans, vel deturpans idipsum Dei Verbum, quod linguâ producit, aut calamo? Nonne ex hoc ipso, in dedecus veritatis, eam quam tradit, ut credatur, vulgò suspectam proderet, ne rationabiliter admittatur.

Ast quò magis probatur, & elucescit assertio, eò magis, & pungit scrupulus, & crescere videtur difficultas opposita, de salute ęterna animę Salomonis, quem ex eodem capite certè novimus, & fuisse canonicum Scriptorem, & pessimum peccatorem.

Sed ad hoc jam patet responsio, quod nempe propositio indefinita in materia contingenti non æquivalet universali, unde adhuc salvatur dictum

Apostoli, cum ait loco citato, *locuti sunt sancti Dei homines:* quod autem Salomon peccator fuerit enormis, conicere possumus, a Deo permissum, ut aliorum Sanctorum Scriptorum persisteret laus, cum inde argueretur, Gratiam tali muneri concessam non tollere libertatem, sed locum relinquere merito, & voluntati. Tanta autem difficultas in præsenti negotio, magis probat nostrum assertum: tanta enim est certitudo apud omnes de connexione sanctitatis, cum munere Scriptoris Canonici, quod ubi hæc clarè non apparet, monstrum quoddam emergere videatur, ita ut conentur plures evacuare, quantum possunt demeritum evidens Salomonis, ejusq; defensioni indesinenter insistant, eum Sanctorum cathalogo adscribentes.

Hinc orta est tam celebris quæstio, quæ nullam hactenus firmam obtinere potuit resolutionem, nisi quod Deus hoc cælavit, ne vel post tot demerita facilè præsumamus, si salvum putamus, vel fama ministerii tam sancti, ac sublimis decrescat, si damnatus appareat. Arcanum igitur omninò est hoc, & ænigma, cujus difficultatem, cum in præsentiarum occurrat, juxta institutum nostrum effugere non debemus. Resolutionem autem firmam pronunciare ex reverentia, tot heroum sapientiæ, qui hac in re adhuc hærent, suspenso pede, prohibemur. Quæ ergo dixerunt alii, brevi quantum fieri poterit compendio coarctabimus.

Digressio Unica

DE ÆTERNA SALUTE ANIMÆ SALOMONIS.

CAPUT IV.

In ordine, primum, & unicum hujus digressionis.

ARTICULUS I.

Aliqua prænotanda concernens.

ANtequam ad proponenda DD. placita, quamve quis eligat partem accedamus, primo supponimus, ut omnes supponere debent, cum Sacra Scriptura, Salomonem gravissimè peccasse, sivè attendamus ad species peccatorum, putà infidelitatis, & Idolatriæ, quæ ex genere suo peccatum gravissimum est inter omnia peccata, in sententia D. Thomæ, & communiori, & adhuc gravius in Rege, & multo magis in tali Rege, cujus dicta, & facta summum in toto orbe obtinuerant admirationem, & existimationem, auctoritatemque humana majorem, ex qua immanissimum scandalum, & efficax suasio ad infidelitatem, per ipsius apostasiam, ad omnes emanavit, ut satis hoc fuerit, ad secum deiiciendam plusquam tertiam partem stellarum; sive cæteras inspiciamus circumstantias, putà, quia ex amore vili fæminarum alienigenarum, Deum abjecit post corpus suum, quia peccavit, inexcusabilis ratione sapientiæ, qua universis hominibus præcellebat, quia grandævus, unde non poterat eum David dicere, delicta juventutis meæ, quia senex, quasi recedentia quærens peccata, illa commisit, nec multo minus id, quod sequitur, & ignorantias meas ne memineris, quia sapientissimus; ac denique dubitandum non est de gravitate peccatorum ejus, si attentè legatur cap. 11. lib. 3. Regum; at quia (secundo nota) peccator sine pænitentia non salvatur, idem revera est quærere, an Salomonis anima salutem æternam obtinuerit, ac quærere, an verè, & finaliter pænituerit, pendet ergo tota problematis determinatio ex quæstione de facto, cujus certam notitiam habere non possumus, nisi ex Scriptura, ejusdemque interpretatione juxta veriorem, ac communiorem PP. intelligentiam, vel quod prius est, ex declaratione Ecclesiæ: hæc nihil hactenus resolvit: illi ancipites invicem diffident, scriptura malum damnat, pænitentiam non refert. Ideò Abulens. 2. Regum cap. 7. quæst. 13. ait: hæc quæstio est problema neutrum, eò quod certitudo haberi deberet per revelationem propheticam, vel Sacram Scripturam, de quo nihil habitum est: hoc unum igitur restat, ut audiamus Doctiores: ast quid? plures sunt PP. qui asserunt damnatum, alii dicunt quidem pænitentiam fecisse, sed quod finalis ea fuerit non determinant, ideoque pars negans, ejus salutem, videtur probabilior, quia tamen neutra certa est, semper stat problema.

Scrutantur aliqui rem hanc, ex ejus libris, examinantes, an prius illos scripserit, quam peccaret, an postea. Si enim prius, nihil superest, ex quo deducatur ejus pænitentia finalis ex libris ejus, si postea, signa quę in libris ejus fortè apparent pænitentiæ, non probant extremam, aut a Deo acceptatam. Quapropter Augustinus Psalm. 128., & alibi sępè damnatum asserit, & cum eo alii plures, quia asserunt primò libros scripsisse, postmodum verò depravatum fuisse cor illius; Ita & Irę. l. 4. contra Hęreses, hęres. 45. Joseph l. 8. antiquit. cap. 11., & alibi.

Ex opposito Hieronymus, Ezech. cap. 43. inclinat in hoc, quod cantica canticorum scripsit post peractam pęnitentiam, in quod pariter inclinant Cyrill., & Martin. del Rio, in Isagog. sect. 4. An tamen aliquando ęgerit pęnitentiam, quę si fuit, in ultimis tantum diebus esse potuit, quia senex peccavit, disceptatio est.

Negat absolutè Abulens. loco citato, & hoc probat ratione, quę multam pręsefert veri similitudinem, sicut articulo sequenti videbimus, eaque communiter utuntur, qui eum sequuntur, & ante ipsum inclinant valdè, in hanc partem SS. PP. August. ubi supra, & lib. 22. contra Faustum, cap. 85., & in quæst. veteris Testamenti, quęst. 18. Justin. Dialog. contra Triphonem. Irę. loco citato. Tertull. contra Marcionem lib. 5. Origen. hom. 20. in Num. Cyprianus l. de veritate Eccles. & Epistol. ad Rogatianum. Chrisost. hom. 66. ad popul. Antiochen., & alibi: Videtur etiam Hieronym. in hanc inclinare aliquo modo alibi, scilicet lib. contra Jovinianum, & Ambros. Psalm. 118.

Haymon

Haymon Isa. 36. non quidem omnes æqualiter, A nec iidem ubique, sibi ipsis consentiunt, ut patet de Ambros. ipse enim etiam prima Apolog. David cap. 3. Tom. primo. Et Cyrill. Alexand. lib. 8. contra Julianum, & si alias Patroni Salomonis, non audent tamen Salomonem inter SS. PP. recensere.

Sed his non aquiescit Ludovi. de Thena, in sua Isagogè, in fine lib. primi, ubi ex professo hoc problema examinat. Respondet enim, SS. PP. videri quidem reprobare Salomonem, quia reprobant, vel exaggerant ejus delicta, quibus fædavit decorem suum, ejus tamen pœnitentiam non negant. Quò verò ipsum inter Sanctos, verentur recensere, ex hoc detinentur, quia in Fide defecit, non quia, eum non pœnituerit, immò (subdit) Ambros. citato capite, illum vocat Sanctum, vel quasi supponit, dum dicit. Quid de Salomone sancto loquar? cujus posteriora, cum gravi errore non careant, vulgus tamen Judæorum existimat cum venisse pro Christo. Ex quibus patet, hoc unicum certum esse, quod verè problema est, ac suspensa etiam apud Patronos suos, causa hæret, ita ut difficile sit, in quam partem, quis determinate incumbat, statuere. Operæ tamen prætium postulat, ut idipsum, quantum fieri poterit, examinemus, idque breviter, & sincerè, quod reperimus, referamus.

B

Pro nunc autem satis est, hæc generaliter prælibasse, ut statum problematis, ac difficultatem, quisque cognoscat, idque a nobis non requirat, quod nemo præstare possit. Ut autem persistamus in occasione ipsa problematis (digredimur enim, quantum fas est, sed non divagamur) notandum est, & inferendum, quod etiam si prævaleret pars negans salutem animæ Salomonis, nihil contra stabilitam priori capite conclusionem sequeretur: sanctus enim, & ipse fuit, cum scripsit, ideoque merito cum sanctum appellant Doctores, cum ejus uti Canonici, ac Sapientissimi Scriptoris meminerunt, quod si fortè periit, homo periit, non Scriptor Canonicus; ignorans periit, qui abjecit sapientiam, omnis enim peccans est ignorans, & sicut non præjudicat dignitati Sacri Scriptoris, quod homo sit, ita nec quod subinde amissa seu, abjecta sapientia peccator pereat.

C

ARTICULUS II.

D

Instruuntur acies PP. qui dubitent de salute Salomonis, qui eam negent.

Si dubitantium classem, a cæteris secernere aggrediamur, fermè superest nullus, nemo enim est, qui non trepidanter incedat hac in re, sive ad dexteram, sive ad sinistram conetur. Dubitantes igitur eos appellamus, quibus neutra pars placet, qui ne alterutri displiceant, nemini placent, quique passim pro affirmativa, passim pro negativa adducuntur, vel trahuntur. De his prius. Alii tamen explicitè parti negativæ, alii affirmativæ nomen, auctoritatemque dederunt; affirmantes, articulo sequenti audiemus; nunc cæteros, quoad fieri poterit distinguemus.

Dubitantes sive neutri sunt.

Gerson. 4. p. Alfab. 69. lit. O. Hugo de S. Vict. *Hom.* 5. *in Ecclesiasten*, ubi sic. *Utinam tam certum de pœnitentia Salomonis, quam non dubium de culpa testimonium haberemus, nunc autem dubia pro certis affirmare non possumus.* Rupert. citans alios, solo nomine plurimorum, *in fine l.* 3. *Regum*, & *de operibus Trinitatis l.* 3. *c.* 31. *de Salomonis pœnitentia, magnorum plerique Doctorum diversa sentiunt*, & *lib.* 5. *cap.* 2. *Salomon sapientiam in nocte*, & *per somnium, quasi non perseveraturus accepit*, non non loquitur de finali perseverantia. D. Antonin. p. p. titul. 3. cap. 2. præcisè dubitat. Jacobus Pamel. annotat. in l. 2. Tertulli. contra Marcionem, & Francisc. Fevardent. in appendice adversus, hæreses, lib. 1. In diatriba Salomonis, supremæ remittunt decisioni judicium. Concordat Barrada lib. primo, concor. cap. 9. In eodem sensu est Chartusianus lib. 2. Regum cap. 7. qui tamen videtur inclinare in damnationem. At Jo. Picus, Mirand. in sua Apologia 9. quæ est de Origene, citat fasciculum temporum, in quo scribitur Sampsonis, Salomonis, Trajani, Origenis salutem, sine periculo, nesciri ab Ecclesia, ideò ad Judicium Dei appellat: aliqui ut Pineda hoc loco, conantur etiam Augustinum indifferentibus adscribere, sed benè introspicientes verum ejus sensum, ubique contrarium sentiunt, etiam nolentes: Basil. Epist. ad Chilonem, anceps de hac re majus dubium movet. Cyrill. loco supracitato, obscurus, tamen magis vergit ad negativam, concludit enim, *ubi ad finem*, & *occasum venit, defecit simul ætas roboris*, & *mentis, deinde laqueum illi paravit Satanas per mulieres.* Gregor. Nissenus ita suspensus procedit, ut quo tendat, nemo deprehendat, hom. 2. & 3. & 4. Isydor. lib. de vita, & morte Sanctorum, revera anceps, apparenter affirmans: Bern. l. 2. de consideratione, ad Eugenium citatur, ut indifferens. Sed magis negat; *sapiens*, inquit, *David, Sapiens Salomon fuit, sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit.* Joseph quoque Hebr. loco citato, adducitur a quibusdam, ut quasi neuter, vel obscurus, sed magis negantibus annumerandus: *Indignum*, inquit, *ante gestis rebus, vitæ exitum habuit.* Idem sentiendum de Suida, aliisque male tractis hinc inde, nunc in hanc partem, nunc in illam. Chrisost. multoties videtur negare, numquam affirmare, plerumque anceps est, ita tamen processit, ut ab utraque parte possit testis adduci, ut videbimus.

PP. qui negativè adhærent opinioni, eorumque fundamenta.

PP. qui negant salutem Salomonis, recenseri solent. Cyprian. de observanda discipl. *Non statim*, inquit, *consecutio, sed consumatio hominem Deo servat* &c. *Salomon denique*, & *Saul* &c. additque, *recedente ab eis disciplina Dominica, recessit*, & *Gratia*, ubi comparat, quoad perseverantiam finalem, scilicet consumationem boni, Saulem, qui

certo damnatus reputatur, & Salomonem, fine controversia, aut disparitate.

Postremi quinque PP. pro indifferenti adducti, stant verius pro negativa, & maximè August. loco citato contra Faustum, ubi sic: *Improbatus est a Deo, & reprehensus, & ad profundum Idolatriæ lapsus, & demersus est*, & cap. 88. ejusdem libri, comparat David, & Salomonem, oppositum concludens de uno, ac de altero: eodem modo l. 3. de Doctrina Christiana cap. 21. comparat, & resolvit. *At verò in ejus Filio Salomone, non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit, &* 17. c. *bonis initiis malos exitus habuit*, ac denique ubique legimus August. vel negantem reperimus, vel supponentem negatum.

Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2. comparat Salomonem Judæ, & Sodomitis: *a qualitate*, ait *temporis, finis exprimitur actionis: hinc est, quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc, & nocte accepisse describitur*, additque, *quod & Judas nocte tradidit Dominum, & Sodomitæ in noctis fine perierunt*.

S. Prosper fidissimus Augustini Sectator, clarè p. 2. de prædictionibus cap. 27. *Salomon elatus, in senio, fornicatus mente, & corpore, Domino ipsum deserente, malè obiit*.

Teodoret. quamvis non ita clarè, ut Prosper, ubicumque tamen rei hujus meminit, verè illum damnat. Ita 3. Regum, quæst. 32. Psalm. 71. & ad Roman. cap. 10. Eucherius 4. Regum cap. 23. Beda quæst. 29. in libr. Regum, & super Isai. cap. 2. & ibi Glosa, Raban, ab eadem Glosa citat. 4. Regum cap. 23. Sozomen. initio historiar. epistol. ad Theodosium.; Adò in cronic. Etate 4. in fine. S. Joan. de Capistrano, libr. de auctoritate Papæ. Joan. Cognat. de prosperitate, & exitio Salomonis cap. 18. Cantepratens lib. 10. Hypotyposeon, Reg. 25. Andr. Vega lib. 12. in Tridentinum cap. 2. Bellarminus lib. primo cap. 6. Perer. In ad Rom. cap. 8. disp. 27. Maldon. Matth. 2. num. 8. cæterique cumplures, cum Abulensi apertissimo hujus partis Patrono. Nec caret hæc pars argumentis.

Argumentum primum quod tangit Abulens. est hujusmodi. Id quod est tenendum, sive quòd vult sciri, Sacra Scriptura dicit, & ubi in aliquo remanet obscuritas, Ecclesia declarat; Salomonem peccasse Sacra Scriptura dicit, ter quaterque, nempe 3. Regum cap. 11., 4. Regum cap. 13. Ecclesiastici cap. 47., & Esdræ ultimo, sed pænitentiam egisse, nullibi vel leviter insinuat, nec Ecclesia id declarat, cum de eo quod non dicitur, nihil sit declarandum, ergo nullum habemus fundamentum dicendi, quod pæniteurit: quòd argumentum esti videatur negativum, revera tamen tale non est, primo quia mos est Sacræ Scripturæ, immò divinæ clementiæ, facilius narrare, quæ bona sunt alicujus, quam quæ mala, & ubi narrat alicujus peccatum, subdit, pænitentiam, si ea fuit, ut de Achab, & Manasse, nam etsi Achab pænitentia fuerit suspecta, narratur tamen, & ei diminuitur comminata pęna. At quia circa hanc instantiam, sive implicatam objectionem, prolixiori opus esset

A disputatione, secundo & fortius ostendimus vim argumenti ex Doctrina D. Thomę, nam q. 7. de veritate, articulo 8., & alibi etiam in summa notans, quod in Sacra Scriptura nominetur frequenter liber vitę, & numquam liber mortis, assignat rationem dicens: de eo, quòd in libro scriptum habetur, habet aliquis aliquam privilegiatam notitiam prę aliis: unde & respectu illorum scitorum a Deo, liber dici debet, de quibus aliquam specialem, prę aliis notitiam habet &c. bona autem habent aliquam privilegiatam cognitionem in Deo prę aliis, ratione cujus in libro conscribi dicuntur, non autem mala, & ideò non dicitur de Deo liber mortis, sicut dicitur liber vitę, ex quo sic arguitur: juxta sententiam D. Thomę, quę hac in

B re communis est. Bonum meretur specialem notitiam apud Deum, ita ut ad hoc ut cognoscamus aliquid malum esse, sufficiat probare, quod non sit in libro vitę, qui idem est, ac specialis cognitio Dei, ergo ubi Scriptura loquitur de alicujus vita, & moribus, jam certò, & positivè cognoscimus ejus finem malum, cujus non fit specialis mentio, quod sit in libro vitæ ejusdem finis, cujus narratur in libro vitæ principium, subditurque causa mali finis, fine memoria correctionis. Ex quo præclusa manet Abulens. objectio, quam contra se facit, quod nempe inde sequeretur omnes illos periisse, quorum finem Sacra Scriptura non approbat, immò nec narrat, patet enim, hanc illationem verè esse negativam, nihilque concludere, tunc enim solum licet inferre malum finem, quando, de aliquo

C narratur bonum principium, ac deinde peccata gravissima, eorumque pœnitentia reticetur, talis enim dicitur deletus de libro vitæ absolutè, quia narrata tali deletione temporanea, Scriptura reticet (quia certè non fuit) emendationem, idque clarum est, ac magis patebit ex dicendis.

Confirmatur: si pœnitentiam agente Salomone, eam Scriptura supprimeret, majorem ejus, quam exaltare agressa fuit, Gloriam, inconsequenter, quasi eidem invidens aboleret; notabilior enim est pœnitentia in Scriptura, quam Innocentia, juxta illud Luc. cap. 15. *Ita gaudium erit in cœlo super uno Peccatore* (utique magis) *quam super nonaginta novem Justis, qui non indigent pænitentia*, & videtur omninò improbabile, quod Deus, qui Ecclesiastici cap. 8. dicit. *Ne despicias hominem avvertentem se*

D *a peccato, nec improperes ei*, ipse post mortem Salomonis, si pœnituisset, ita despiceret, ut mala ejus dumtaxat exprobraret, ejusque improperium pœnitentiam reticendo, in perpetuum firmaret, cujus antea sapientiam exaltaverat. Adde, quod *charitas operit multitudinem peccatorum*, qua ratione itaque detegerentur illa Salomonis, si aquisita per pœnitentiam charitate operta fuissent, idque a Deo, qui charitas est, qui ait *Ezech. cap.* 18. *si autem impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius*.

Sed dices, Sacra Scriptura, ubi locus erat narrandi pœnitentiam Salomonis, scilicet cap. 11. l. 3. Regum, remittit lectorem ad alium librum, dicens. *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & sapientia ejus, ecce universa scripta sunt*,

sunt, *in libro verborum dierum Salomonis*, fortè ergo pœnitentia ejus scripta est in libris Ahiæ Syionitis, vel Addò videntis, vel Nathan Prophetæ.

Respondere quis posset; Dormientes testes adhibes? (libros qui perierunt) verè ipse magis obdormisti &c. At modestius respondetur, quid determinatè scriptum sit, in libris illis, qui non extant, nescitur, forte enim scriptum est quod non fecit pœnitentiam, sanè notabilior fuisset pœnitentia ejus si extitisset, quam sapientia, quæ ubique in Scriptura prædicatur. Cur ergò si loco lib. Regum citato, dicitur, omnia, quæ fecit, & sapientia, non additum est, & pœnitentia, quis melior, & pretiosior dies Salomonis, quam ille, quo pœnituisset? certè si in libris illis descripta fuisset pœnitentia illius, non permisisset divina providentia illos perire, ne ignoraretur exemplum pœnitentię post tantam notitiam, tam ingentium delictorum in Rege tam noto. Nonne hic major gloria divinæ Gratiæ, ac misericordiæ, & præcox quidam fructus Redemptionis Christi, ex eo proditturi, eluceret? quid ergò suam Deus gloriam operiret?

Replicabis: satis constat ex libris ab eo scriptis, quod pęnituit, sicut multi advertunt cum Hieronymo. *Resp.* sed non satis constat, quód illos scripserit post peccata, quę in senectute commisit, an verò fortè aliquando peccata interrumpens scripserit, eademque reassumpserit, quod quidam suspicantur, ut infra ex Incognito nostro videbimus, difficilè ostenditur, tum quia sana Idolorum numquam diruit, quod certè pęnitens pręstare debuisset, tum quia clarè habetur, Sap. *cap.* 1. *Probata virtus corripit insipientes, quoniam in malevolam animam, non introibit sapientia; nec habitabit in corpore subdito peccatis, Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superveniente, iniquitate*, tum quia hoc unum certò constat ex Scriptura, quod senex peccavit.

Secunda ratio pro hac parte est, quod Salomon fuit primus Invector Idolatrię in Hierusalem, quód maximè exageratur in Sacra Scriptura, quód ędificavit excelsa in monte offensionis, & contra Hierusalem, ita ut deberent Filii Israel adorantes Idola, terga vertere templo Dei, ab eo specialissimè electo, tanteque ęstimationis, ut David ipse vir secundum cor Dei, dignus non fuerit illud ędificare. Quapropter nulla remanet excusatio, vel effugium, quo ostendatur Salomonem non incurrisse, quòd ipsi post tot etiam graves Dei sibi apparentis comminationes, David pater ejus prędixerat, primò paralipom. *cap.* 28. *Si quæsieris Deum, invenies, si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum*, non enim solum reliquit Deum, sed positivè, & contumeliosè cultum ejus abstulit, per Idola, ad eaque populum Dei induxit. Proiici autem in ęternum non potest intelligi de regno terreno, quod non est ęternum, & certè in regno terreno perseveravit Salomon, usque ad mortem, & post eam, in Filio, filiis, & Nepotibus.

Nec refert quod dixerit Deus ad David 2. Regum cap. 7. loquens de Salomone; *quod si iniquè*

A *aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis Filiorum hominum: Misericordiam autem meam non auferam ab eo &c.*, quòd est potissimum argumentum alterius partis. Exponit enim hunc textum Ecclesiastic. cap. 47. ipseque eventus, quod nempe loco citato l. Regum, significetur, misericordiam illam esse faciendam ipsi David, ut in ejus successione duraret regnum, sicut de facto duravit: oportet enim, utrumque textum componere, & verificari, ad quod requiritur, & quod posito tam grandi, ac multiplici peccato Salomonis, projectus sit in ęternum, & quod misericordiam servaverit illi Deus, propter David, cui promiserat durationem, & successionem regni in Domo sua: ideò Ecclesiasticus narratis peccatis Salomonis statim transit ad semen ejus, dicens. *Deus autem*
B *non dereliquit misericordiam suam, & non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet a stirpe nepotes electi sui, & semen ejus, qui diligit Deum non corrumpet: dedit autem reliquum Jacob, & David, de ipsa stirpe &c.* sed de hoc fortè alibi sermo erit.

Confirmatur juxta sensum Abulensis. Quod Salomonem non pænituit, ex eò maximè constat, quòd etiam post mortem ejus, duravit vindicta peccati ejus, quia verè scissum est regnum ipsius, & alia evenerunt eidem comminata, ergo durabat ipso mortuo, peccatum ipsius, id autem stare non posset, si pænituisset.

Respondent patroni Salomonis, etiam peccatum David durasse quoad pænam, post quam pænitue-
C rat, nam in pænam adulterii, mortuus est ejus Infantulus, & hac de re multa habentur exempla in Sacris litteris.

Sed contra est, quia post mortem David, non invenitur, quod duraverit pæna pænitentis, sed meritum virtutis fuit, quod accidit David viventi, quòd enim quis in vita puniatur ab eo, qui non punir bis in idipsum, signum est veniæ æternæ, quod verò post mortem quis puniatur, signum est evidens finalis impænitentiæ. Adeò verò duravit pæna peccatorum Salomonis, eo etiam defuncto, ut in Filium, & Nepotes descenderit, usque ad durissimam captivitatem Babylonis, in qua direptâ & eversâ urbe, Joachim, & Mater ejus, & Principes regni, abducti sunt in Babylonem, juxta prophetiam Ezechielis cap. 45. *Ego*
D *dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos, & nonaginta dies*, quòd impletum est, quia totidem anni transiterunt, a peccato Salomonis, usque ad prædictam captivitatem.

Tertia Ratio. lib. 3. Regum, cap. 11. dicitur de Salomone. *Non erat cor ejus perfectum coram Domino Deo suo, sicut cor David Patris sui*; at perfectum ex propria significatione dicit complementum, & ultimitatem, & ita communiter sumitur in Scriptura sicque orabat David, primo paralip. cap. 29. *Salomoni Filio meo dà cor perfectum, ut custodiat mandata tua*, & idipsum antecedenter dixerat: *custodi in æternum hanc voluntatem*: & lib. 3. Regum cap. 19. de Abia iniquo dicitur, *nec fuit ejus perfectum cor coram Domino, sicut cor David Patris sui*, quia reprobatus fuit: de Asa verò, ad

ad oppositum: *Cor Asa perfectum erat cum Domino*, & ad explicandum quid esset ista perfectio, subditur, *cunctis diebus vitæ suæ*. Etiam ex Hebræa phrasi probatur, quia perfectum a radice salam venit, quòd est purificum, & completum esse, ideòque finem designat, ergo malus finis hoc loco annunciatur Salomonis, unde ejus processus, & sententia conclusa videtur, Matth. cap. 24. ubi ait Salvator, *qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Salomon enim benè cæpit, sed nedum non perseveravit usque in finem, sed prope finem in senectute sua amisit sapientiam, & fecit abominationem in populo Dei, ut notat Isidorus loco superius citato, ergo nec salvus fuit.

Ultimò probant; si pœnitentiam non egit, jam nihil occultatur, sed vel egerit, vel non, ex hoc ipso, quod Deus id occultavit, notificato ejus delicto, facultatem dedit judicandi, quod fuerit reverà damnatus, oppositum enim asserere est divinare adversus ea quæ scripta sunt, idque asserere, quod Deus noluit asseri, si enim Deus hoc occultavit, noluit quòd hoc cognosceremus, ergo noluit ut hoc diceremus.

B

Hi sunt textus, testimonia, & argumenta præcipua, quibus Accusatores, Salomonis convicti judicium assumunt, & eum damnant, & quidem negari non potest eis vis non modica, ad concludendum. Prudens tamen Judex, ea solvi posse considerans, alterius partis audiat, & libret fundamenta, ne præceps erret.

ARTICULUS III.

C

Assertores salutis Salomonis, eorumque fundamenta.

Hieronymus præcipuus est opinionis asserentis Patronus, cum enim ipse hebraicam eruditionem satis coluerit, ex ea quidquid non periculosum vidit, decerpsit, unde sicut Hebræi Salomonem colunt, tamquam certè sanctum, quem inter priscos Judæos aliqui, uti Messiam venerati fuerunt, ita & ipse pænitentem asserit, ae Sanctum fatetur, in eaque est sententia, quòd Ecclesiasten scripserit post conversionem, immò, & proverbia, idque repetit frequenter, at specialiter *Ezechielis cap. 43.* ubi, inquit, *non solum æditui, & cultores templi, sed ipse fabricator ejus Salomon peccavit, & offendit Deum, licet postea egerit pænitentiam, scribens proverbia, in quibus ait, novissimè egi pænitentiam*: & rursus *Epist. ad Salvinam, de servanda Virginitate*, dicit de David, & Salomone. *Victi sunt, quasi homines, ut & ruinæ nobis ad cautionem, & pænitudinis ad salutem exempla præberent*. Ipse denique Ecclesiasten de pœnitentia Salomonis clarè exponit.

D

Ambrosius pariter favet, qui loco supracitato Apolog. ait: *quid de Salomone sancto loquar, cujus posteriora, cum gravi errore non careant, vulgus tamen Judæorum, ipsum existimat venisse pro Christo, ideò ne videretur esse supra hominem, corruit nutu divino*. Subdit autem Ludovic. a Thena, *nec potest dici, vocari sanctum, ob initium, non ob finem, nam* A *hoc modo diceretur sanctus etiam Judas Iscariotes, qui bonum habuit initium, cum esset Apostolus, inter alias autem causas, ideo Deus ita permisit labi Salomonem, ne adoraretur, ut Messias*. Unde Ambros. *& quam multos graves errores offensa revocavit! majori itaque culpa plus profuit, ne supra hominem crederetur, qui vitio caruisset humano. Fuit igitur in eo invidiosa sapientia, & culpæ suasoria, quæ hominem comprobaret*. Et iterum eum dicit sanctum, Psalm. 118. super illud, *in quo corrigit adolescentior viam suam*, & proœmio in Lucam. *Tres illi libri ostendunt, trinæ sapientiæ sanctum Salomonem fuisse solertem*.

Hilarius Psalm. 42. divinæ misericordiæ exempla commemorans, Salomonem, uti verè pænitentem fatetur, sicuti & Petrum, & David, & alios similes.

Epiphan. hæref. 42. damnat Marcionistas dicentes Christum, cum ad Inferos descendit, illic reliquisse Moysen, David, & Salomonem, indeque eripuisse Cain, Chorè, Datan, & Abirron: concludere igitur videtur, ita errasse Hæreticos in asserendo Salomonem apud Inferos relictum, sicut in asserendo Cain assumptum.

Cyrill. Hierosolimit. Cathechef. 2. Inter pænitentes, & salvos, enumerat Salomonem, Achab, & Manassen. Irænεum etiam pro se adducunt, sed ita obscurè loquitur, ut nihil certum de proprio sensu relinquat.

Bachiarius, Augustini coætaneus, *in Epist. ad Januarium*, ubi sic: *an forsitan dices numquam eum lego in Canone, pænituisse, neque misericordiam consecutum? Audi ergo Frater pænitentiam ejus, quæ non inscribitur publicis tabulis fortasse a Deo acceptabilior judicatur, qui non ad faciem populi, sed in secreto conscientiæ teste Deo pænituit: veniam autem consecutum esse agnoscimus*.

Tichonius l. *Regum 4. Quod dicimus de Salomone? cum Deo est, an reprobatus est? non enim dicit Scriptura pænitentiam egisse, ac sapientiam recuperasse. Si reprobatum dixerimus, occurrit vox Dei, quæ dicit, nec terra quidem regnum auferre Salomoni propter David, quid enim prodest David, si propter eum Filius ejus regnum terræ consequeretur, cælestè perditurus?* Quo manifestum est, eum Deo esse Salomonem. Nec refert, quod iste Tichonius fuit Donatista, nam ratiocinium ejus hac in re optimum videtur, eumque August. approbat in pluribus, quoad intelligentiam Scripturarum, ut l. 2. Retractat. cap. 18., & alibi de Doctrina Christiana, acceptans regulas Tichonii, easque commendans.

Citatur etiam pro hac parte D. Thomas lib. 3. de regim. Princip. cap. 8. Sed ibi auctor refert sententiam Hieronymi non suam, illudque opusculum a pluribus creditur D. Thom. suppositum. Quid enim sentiat in simili quæstione Augustini discipulus, quisque concipiet.

Prolixam etiam aliorum Doctorum seriem conglomerant huic parti, tum P. Pineda, cum Ludovi. de Thena, asserentium pœnitentiam Salomonis, in Ecclesiaste apparere: qualis autem illa fuerit ex professo plures describunt: Brevius tamen noster Incognitus

gnitus Pſalm. 88. ubi refert dicta Ambroſ. & Hieronym., & ſubdit: *Item dicunt Hebræi, Salomonem veniſſe in templum, quod ipſe ædificaverat, cum quinque virgis, de quibus quatuor dedit, quatuor legis peritis, ut verberaretur ab illis, qui facto conſilio reſponderunt. In unctum Domini nemini licere manum mittere, unde fruſtratus ſuo deſiderio, ſe ipſum de regno depoſuit. Item (ſubdit Incogni.) hoc ratione poteſt probari, quia ſi auctor reprobatur, conſequens eſt, ut ejus dicta reprobentur, ut habetur, extrà de Hæreticis cap. Fraternitatis: & Greg. dicit cujus vita deſpicitur, hoc unum reſtat, ut ejus etiam prædicatio contemnatur, hom. de Virginibus, cum ergo ab Eccleſia, ſcripta, & dicta Salomonis approbentur, conſequens eſt, ut quia peccata ejus nequeunt approbari, ejus tamen vita finaliter comprobetur. Accedit etiam Magiſter hiſtoriarum, cæterique cumplures.*

Recenſito nunc PP. exercitu, ad vindicandam Regi pacifico beatam Jeruſalem, quibus armis id aggrediantur videndum eſt.

Primò arguunt ex proverb. cap. 24. Quo loco Hieronym. utitur ad intentum, ut vidimus ſuper Ezechiel. loco citato, aſſerens quod ægit pœnitentiam, ſcribens proverbia, in quibus ait, *noviſſimè egi pœnitentiam*, ſed ictus redit, quia non ſic legitur in noſtra vulgata, ubi habemus: *per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ &c. quod cum vidiſſem poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. uſqequò piger dormis? uſqequo de ſomno conſurges?* ubi ſeptuaginta legunt, *quod cum vidiſſem, noviſſimè egi pœnitentiam, reſpexi, ut eligerem diſciplinam.* At vires reaſſumunt, nonne ſatis eſt, quod legant ſeptuaginta, ea lectione frequenter, immo ſemper utebantur priſci PP. Græci, & Latini etiam non pauci. Et quidem nemo prudens negabit ex hoc loco non modicum roborari hanc opinionem, in comparatione alterius, quod enim mortuus fuerit impœnitens, in terminis, ned in vulgata, nec in alia legitima tranſlatione reperitur, quod verò egerit pœnitentiam, in hac ſaltem veneranda omnibus verſione, diſertè prædicatur, nimis tamen procedit, & vim hujus probationis debilitat, qui hinc infert. Si Scriptura ita clarè hoc dicit, ergò eſt de Fide, quod egerit pœnitentiam.

Reſpondere etenim debent omnes, neg. conſeq. Nam quamvis ita legant 70. non concludit Illatio, quia ſolam vulgatam nobis tradit Eccleſia, quæ non eſt corrigenda per alias verſiones, ſed è converſo, inſuper nec in Hebræa, nec in Caldæa, nec in alia verſione ex iis, quæ ad majorem intelligentiam vulgatæ permittuntur (non verò ad ejus Fidem) ſimilis expreſſio reperitur. Adde quod hanc etiam ſolam intuendo verſionem, verba quidem expreſſa ſunt, ſed non Perſona, nam aliqui ſub illo pigro, qui ibi arguitur, intelligunt Salomonem, alii verò hominem pigrum in Generali, quia ille locus, ſicut, & totus ille liber eſt eruditio moralis, & ſapientialis, non verò hiſtorica.

Adde ſecundò, quod ſæpè ipſe Hieronym. corrigit verſionem 70. Interpretum, non quia ſit corrigenda, prout exiit ab ipſis, ſed prout, vel errore, vel malitia quorumdam, [illegible] antiquitate [illegible] protegente, forte corrupta fuit.

Adde tertiò, certum non eſſe, quid intelligatur nomine pœnitentiæ. Alii enim volunt, quod intelligi debeat, virtus pœnitentiæ, per quam deteſtamur peccata, ut Genebrard. in Cronolog. Alii ſolam reſipiſcentiam a negligentia, ut Sotoma. præfat. in cantica, quod docet textus ipſe. Immò ſi conſideretur expreſſio, & Energia, qua Scriptura deteſtatur peccata Salomonis, conſtat, quod conſequenter deberet æquali ſaltem emphaſi ejuſdem deſcribere pœnitentiam, ſi eam modo aſſumeret deſcribendam, uti ſufficientem ad ipſius ſalutem poſt tam inſignia delicta. Siſtat ergò in ſuis terminis, neutra hæc probatio.

Prob. ſecundò. Confirmant etiam ex illo loco *proverb. cap. 20. Verba Congregantis, Filii vomentis. Viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum commorante confortatus, ait: ſtultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam hominum.* Hunc locum exponunt Hebræi de pœnitentia Salomonis, quod pœnitens noverit ſe erraſſe, & ſtultiſſimum fuiſſe virorum fateatur: Ita R. Salom. & R. Levi; ſed minus probabilem hanc reputant interpretationem, Dyoniſ. Chartuſ. & Janſenius, eamque non recipit Lyranus.

Addunt ſeu aſſuunt locum illum, *duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem, & verba mendacii longè fac a me, mendicitatem, & divitias, ne dederis mibi &c.* qui locus videtur exprimere odium Idolatriæ, ac delictorum, quæ patraverat Salomon, & ideò ſic eum aliqui interpretantur, quia quamvis in vulgata noſtra habeatur cap. 30. tamen apud 70. legitur unicum cum aliis textibus ſub cap. 24. & notatur expreſſio illa, *antequam moriar*, quaſi nempè jam ſenex prope mortem, plenus bono ſenſu, præterita deteſtaretur, quæ ut apparet, eſt pia quædam meditatio, nam qui eſt prope mortem, non petit victui, ſed bonæ morti neceſſaria, ſi benè ſapit.

Probatur tertiò ex l. 3. Regum cap. 11. Dormivitque Salomon, cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David Patris ſui. Ex quo loco deducit Bachiarius, & cum eo alii hujus partis aſſertores, juſtum fuiſſe in morte, quia ſepultus eſt inter corpora Regum Iſrael, quod tamen alibi peccatoribus Regibus negatum cognoſcimus, qui ad Finem uſque vitæ ſuæ in perverſitate manſerunt.

At non apparet, quas vires habeat hæc conjectura. Primò quia non dicitur, quod ſepultus ſit in ſepulcro David, ſed in civitate David, quia ut ait Iſydorus, in civitate Betlehem, quæ eſt civitas David, ſepultus eſt.

Secundò. Quia David fuit (poſt Saulem) primus Rex, ſecundus Salomon; nondum igitur moriente Salomone conſtabat de hoc more, excludendi Reges impios a ſepulcro regali Patrum ſuorum, qui mos poſt tempora inductus fuit, ſicut, & nunc perverſi, & excommunicati privantur Eccleſiaſtica ſepultura. Additque Abulenſ. honorem ſepulturæ Salomoni ideò conceſſum, quia fuerat templi ædificator, nec tamen in arce Sion ſepultus dicitur, ubi erat honorificum Regum ſepulcrum propterea hac

hac in re, quam quidam prolixè magnificant, non est immorandum, cum parvi sit momenti, ne tam debilis probationis indiga hæc videatur opinio.

Quartò probatur, estque ratio fortis hujus partis, nam ut supra tactum est dixit Deus ad David, loquens de Salomone Filio ejus *l. 2. Regum cap. 7. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium, qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea &c.* Clarus est textus & posita infallibili fidelitate divinæ promissionis, evidens consequentia de salute æterna Salomonis. Si enim dicatur oppositum, jam non argueretur in virga virorum, sed in virga ferrea, virga Dæmonum, nec in plagis filiorum hominum, sed omnipotenti divini Judicis manu, nec appareret, quæ esset hæc misericordia, quæ discerneret Salomonem, a Saule, quia sic uterque abiiceretur a facie Domini, idest ab æterna Dei visione, qua Deum beati vident facie ad faciem. Patet discursus.

Sed insurgit August. *l. 17. de Civitate Dei cap. 8. Alius*, inquit, *pacificus intelligitur esse promissus, qui non ante sicut iste, sed post mortem David, prænunciatus est suscitandus &c.* & prosequitur clare ostendens ea, quæ hoc loco in laudem Salomonis dicuntur, per modum prænunciationis, nullo modo intelligi posse de Filio Bersabeæ in quo verificata non fuerunt, sed de eo qui fuit plusquam Salomon, & Filius Mariæ, in quo fuerunt perfectè impleta, sicut illud, quod sequitur *stabiliam regnum ejus usque in sempiternum*, quod de nullo alio prædici potuit, quam de Cristo, qui est Rex æternus, *& regni ejus non erit finis*, sicut huc respiciens Gabriel nunciavit Mariæ, cum & cætera, quæ hic prædicuntur exposuit, dicens, *Dabit ei Dominus sedem David Patris sui, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & Filius Altissimi vocabitur.* Cohærenter ad hoc, quod ibi dicitur. *Ego ero ei in Patrem*, & propterea Apostolus *ad Hebræos cap. 1.* explicat; hoc dictum esse de Christo ad litteram. Item illud, quod sequitur. *Ædificabo ei domum fidelem*, & iterum *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum*, certè prædictum fuit de solo Christo. Quomodo enim Fidelis domus Salomonis plena Alienigenis feminis, & Idolatris? denique videndus omnino est Augu. loco citato, ne plura huc transferamus.

Sed incalescit prælium, & reassumit vires hæc opinio, opponens August. Quomodo de Christo intelligi potest, si iniquè aliquid gesserit, qui futurus erat impeccabilis? Esto quædam hic dicta fuisse solum de Christo ad litteram, ut probat optimè August., & ipse eventus, at sufficit huic opinioni, quod aliqua ibi etiam ita dicta fuerint de Salomone, ut nequeant dicta esse de Christo, & hæc certè sunt, quæ concernunt peccatum, & veniam, ac misericordiam. Satis est ad intentum, quod non comparetur ibi Christus cum Saule, quia talis comparatio in solo Salomone locum habere potest, & non in Christo, indè enim apertè sequitur, ut supra deducebatur, misericordiæ, ac veniæ finalis effectus, concessus Salomoni, qui negatus fuit Sauli.

A Hoc est unicum, & verè efficax hujus opinionis fundamentum &c.

Nihilominus adhuc posset responderi, discretionem Salomonis a Saule, fuisse in temporalibus, in quibus sistebant apud illum populum carnalem, & promissiones, & comminationes, ideoque satis fuit ad discernendum Salomonem a Saule, quod Regnum Israel duraverit per sæcula in successione Salomonis, quod tamen cum Saule fuerat extinctum, quoad domum Saulis.

Iterum etiam addi potest, per regulam Tichonii approbatam ab August., ut infra suo loco videbimus, quæ est de Christo, & ejus corpore, quod nempe etiam ubi agitur de peccatis non incongruit locum aliquem Scripturæ sumi de Christo, itaut tamen intelligatur de ejus corpore, quod est Ec- B clesià Fidelium, unde frequenter in Scriptura fit iste transitus, de uno in aliud, de capite ad corpus, & è converso, & nisi utamur sæpè hac regula, plura erunt inexponibilia. Sicque tam solidè constabilita pro hac parte, adhuc aliqualiter suspensa manet victoria.

Quartò probatur, salutem Salomonis infert D. Bonaventura, ex eo quod fuerit Scriptor Canonicus, & quidem ex præcipuis, non enim videtur admittenda similis dissonantia, qualis apparet, inter ministerium Sanctitatis, adeò Deo loquenti immediatum, & ultimam perversitatem, a Deo elungantem in æternum, nec de alio aliquo hoc verificatur, ita ut quasi videatur temerè procedere, qui sine exemplo hoc audeat de solo Salomone affirmare.

C Sed ecce August. præfatione in Psal. 126. *Si illo cedente*, inquit, *quæ per illum dicta sunt delerentur, indicaretur, quia ipse dixerat, non quia per ipsum dicta erant. Optimè igitur etiam hoc agit misericordia Dei, & spiritus ejus, ut quidquid boni per Salomonem dictum est, Deo tribueretur, peccatum autem hominis, homini.*

Replicat tamen hæc opinio, se ex hoc non impugnari, quia dictum Augustini salvari potest, per hoc quod Salomon peccator fuerit, quod nemo negat, ast non convincit, quod propterea impœnitens obierit.

Confirmatur denique scrutando, & exponendo totum librum Ecclesiastæ, qui totus consistit in detestatione peccatorum, quæ commiserat ipse Salomon, sed hoc brevitati concedendum, cum non D sit hujus loci, aut instituti, maximè quia ex hoc non concluditur adhuc intentum hujus opinionis, sed aliqualiter suadetur, quia qui dicunt hunc librum scriptum fuisse antecedenter ad tot delicta, & qui tenent (ut debent omnes) totam Sacram Scripturam esse specialem Dei locutionem, non hominis, & si Deus aliquando se se accomodet occasioni, quam offert scribenti, nequeunt ex adducta animadversione induci ad hanc partem, ut clarum est.

Alias agglomerant probationes, hujus opinionis Assertores, ex aliis conjecturis, & ex revelationibus peculiaribus, uti cum S. Mectildi, hac de re sollicitè admodum, & anxiè sciscitanti, Respondit Christus. *Nolo Filia, quod mundus sciat, quid misericordia mea disposuerit, de anima Salomonis,*

nis, ubi ex modo loquendi, ut patet, insinuat A ejus salutem. De his autem, & similibus videri potest Ludovic. de Thena, & etiam Pineda, aliique, & observare debent qui nam sit sensus S. M. Nostræ Theresiæ hac in re, ejus Filii: nos vero hac in re non moramur; tum quia licet approbatæ in suo ordine revelationes, tamen sunt particulares, quas, cum Sacra Scriptura comparare nemo debet, tum quia non quærimus, quid pietas, & devotio, sed quid ratio, & veritas sentiat, eo saltem modo, quo hujuscemodi sensus est assequibilis.

Pro ultima probatione, posset hic adumbrari, imaginaria illa pœnitentia Salomonis, quam piis quibusdam coloribus, eruditionis ad instar poeticæ, sibi depingit P. Pineda, de rebus Salomonis, in conclusione sui operis eximii, ubi pœnitentis habitu squallidum, magnum Regem Israel, in templum, toto Judaico orbe admirante deducit, ad abjurandam Idolatriam, propriaque delenda delicta, clamantibus populis, plangentibus fœminis, & ejulantibus. Sic rebus dispositis ipse Pineda, sedens pro Tribunali, auditis in gravissimo hoc negotio testibus, Sanctis PP. hinc inde ad Senatus consultum comparentibus, juxtà citationes ab ipso promulgatas, demum in medio concionis, quam Salomon, seu Ecclesiastes congregavit, ipsum Salomonem, generali absolutione, a censura quavis, a quolibet delicto (ad quod tamen, quæ est jurisdictio?) benignus absolvit, & quidem supra omnem legem, non enim nisi satisfacta parte, absolvitur quis a censuris, & nulla absolutione C remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Hoc siquidem est jus naturæ, in quo secundum D. Thomam, & Thomistas, cæterosque cumplures, nec Deus dispensat. Porrò quis non videat? abstulit Salomon debitum Deo honorem, & cultum, quem transtulit ad Idola, & populum ipsum Dei, ab ejus sequela, & obedientia iniquè avulsit. Unum quidem verò Deo, paternis tamen expensis, erexit templum: at quasi facti pœnitens, plura Idolis erexit, in faciem templi veri Dei, ad multiplicem ejus contemptum, eaque ipso mortuo remanserunt, in testimonium sacrilegæ impietatis, ad scandalum, & ruinam universorum.

Ast inq; Pineda. Insignis est declaratio pœnitentiæ ejus, in Ecclesiaste, ubi totum terrarum orbem, Deo conatur congregare, & avellere ab D omnibus mundi illecebris, ab vanitatibus, necdum a peccatis. Sed non valet excusatio, subdit pars opposita: vel enim illa verba Ecclesiastæ, sunt divina specialis locutio, vel specialiter Salomonis: si primum, in illo libro Deus ipse hortatur ad victoriam mundi, & ad omnem virtutem, & pœnitentia Salomonis adhuc remanet probanda, quam ipse propriis verbis, & affectibus promulgaverit, quod requiritur ad veram pœnitentiam; si verba illa sunt Salomonis, ex ejus corde procedentia, quoad significationem pœnitentiæ, quæ simul (est enim liber canonicus) sint verba Dei in persona Salomonis, adhuc retorquetur excusatio: illa siquidem verba sunt, at factum clamat in oppositum. Si excelsa Idolorum, quæ erexerat, non depressit, non destruxit, nec Filio destruenda mandavit, verba illa fuerunt, protestatio contraria facto, nec refert quod dicunt alii: non potuit destruere: senex erat, & populus ab eo, ob ingentia delicta, dilabebatur, non enim apparet, quommodo ipse non posset, recens extructa diruere, quæ post jam in antiqua possessione per tot annos firmata, tollere valuerunt Josias, & Ezechias, & quidem si pænituit eoram omni populo, non reclamante, ergo nec rebellaslet populus, si illa tollerentur, quæ pænitenda cognosceret, absque resistentia: immò si pænituit, & pænitenda perseverare voluit, jam fuit, quantum ad Salomonem spectat, liber ille Ecclesiastes, novum scandalum, fictæque pœnitentiæ testimonium. Quæ verò hic subdit Pineda, sunt piæ quædam meditationes, quæ verioribus argumentis, nec resistere valent, nec obviare. Hæc autem dicimus, non, ut hanc opinionem impugnemus, quam potius libenter attendimus, & optamus induci, ad eligendam: sed potius, quia cum pia hæc pars magis arrideat, eò magis displicet, ipsam insubsistentibus conjecturis; & Rethoricis, vanisque conatibus sustineri; sic enim non obtinetur victoria, sed pingitur, & verosimilis remotè delineatur, non vera proximè stabilitur, quòd est magis favere adversanti, cujus siquidem probatio fingitur, non vera esse pœnitentia demonstratur. Gratias agimus piè sentienti, & eruditè declamanti, sed hic veritatem quærimus, non genium, non apparentiam, & de Salomonis salute (si sciri possit) non de nostro cujusque ingenio disputamus.

Hæc inquam, & plura possent adduci, quæ congerit hic P. Pineda, ne hanc opinionem ejus auctoritate destitutam, quasi nutare permitteremus. Ingenio enim & studio Sacrorumq; peritia, & Rethorices magisterio, ac dexteritate dicendi, ac elegantia, in ipsa sacra eruditione abundans, non minimum floret; ast quia in hoc eodem capite, sect. 3. prope finem, præter rem, de qua agit, beatum tunc Joannem de Capistrano, novo quodam Judicio gratis damnat, notatque superbiæ; quæ damnatio infælicem habuit exitum, quia fælicissimum habuit Joannes, etiam damnante Pineda, sanctorum Cathalogo, toto gratulante orbe, nuper adscriptus. Ideò timendum esset, ne si fortè Salomonis causam Pinedæ tribunali sideremus, ad oppositum vergeret, atque ab aliis judicaretur damnatus, quia ipse absolvit, ne sapientissimi causam, in tantum discrimen adducamus, sibi Pinedam pro hac vice relinquimus, ejus alibi, & fermè ubique eruditionem humiliter venerantes, & Doctrinam suspicientes.

Hæc sunt, quæ Deo dante invenire potuimus, in hac causa potius, & problemate, quam quæstione, & quia invicem ex directo pugnantes partes, singulę, ictus adversantis in decertando retundere student, opus non est, ut novo labore argumenta alterutrius, & mutuas solutiones, quod sine confusione, & prolixitate pręstari nequiret, referamus, manet igitur problema, supremum suspirans judicium.

ARTICULUS IV.

Quis Judex, quave decisio problematis.

QUÆ erudit omnes, quę docet omnia, sola vel Judicem, vel Judicium, vel simul utrunque ad glorię suę defensionem, in tam arduo Sapientię discrimine indicare valet divina semper Scriptura. Et ecce statim, l. 3. Regum cap. 3. *apparuit*, inquit, *Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: postula quod vis ut dem tibi, & ait Salomon. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum &c., & dixit Dominus Salomoni, quia postulasti rem hanc &c., & postulasti tibi sapientiam ad discernendum Judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fueris, nec post te surrecturus sit.* Audita igitur fama Salomonis, quod nemo umquam fuerit, aut futurus sit illo sapientior in Judicando, cum Regina Saba accedamus, ut tentemus eum in hoc etiam ęnigmate; Salomonem sistamus Salomoni; ast quid? opponis; nemo Judex in propria causa, ita quidem, ubi reus habeat superiorem. Simili ac Salomon labe tactus, in Fide reus, qui erat Fidei primus inter homines, & custos, & Judex, Summus Pontifex Marcellinus, voluntaria pœnitentia se subditis subdens, reatum suum accusat in Concilio, judicari rogat, & plecti, miratur Ecclesia; tuo (clamat Concilium) te ore, non nostro Judicio judica, nam prima sedes a nemine judicatur. Proprio igitur ore, proprio judicio Salomon judicet Salomonem; Nec plura: brevitas enim urget. Jam Judicat.

Celeberrimum est Salomonis judicium, eodem cap. 3. lib. 3. Regum; cum diffidentibus duabus mulieribus, super Filio mortuo, & Filio vivo, cujus esset alteruter, veram viventis matrem a falsa, quę mortuo Filio suo, non erat amplius mater, sapientissimo discrevit intuitu: contendebant illę, res de facto erat occulto, quod nemo probaret. Rex ait: *hæc dicit filius meus vivit, & Filius tuus mortuus est, & ista respondet, non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. Afferte mihi gladium, cumque attulissent gladium coram Rege. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri: tunc vera Matris commota sunt viscera, & clamante alterà, dividatur, hac ait, nesciens quid diceret, date illi infantem vivum*, hinc cognita vera Matre, miseranti adjudicavit Salomon causam, *Judicia enim Domini misericordia, & veritas*. Adeò autem superexaltavit misericordia Judicium, ut miraretur universus Israel, videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum Judicium. Hinc prima exurgit moralis illatio, non enim res de facto metaphisicè concludi potest. Si judicium est Sapientię Dei, ubi vincit misericordia, nunc ergo, etiam si reclamet justitia, concludendum est, date illi, idest misericordię Salomonem vivum, sic enim & prius de illo decrevit Dominus, loquens ad David, misericordiam autem meam non avertam ab eo, neque nocebo ei in veritate mea, hoc est in justitia, quis enim nesciat quod nomine veritatis in

A Scriptura (ubi textus aliò non ducit) venit justitia? Non dividatur ergò Salomon a se ipso, judicium judicati, a Judicio Judicantis; sapientissima sententia est, date illi infantem vivum, qui dicitur infans, quia figura ejus, qui coram tondente se, obmutuit; infans, quia novus misericordię Filius, deleta iniquitate sua, privilegium obtinuit innocentię, quam prefigurabat, queque in eo parabatur, ad omnium redemptionem.

At subtilius procedendum, sapientissima enim causa est sapientissimi. Sistatur figura Prototypo. Salomon, se veriori, de quo dicitur, *plusquam Salomon hic*. Audi ergò appropinquantem passioni suæ, unde omnia redempta sunt, Salvatorem; dixerat Salomon, afferte mihi gladium, dixit, & B Christus, *non veni pacem mittere, sed gladium*, ac denique Lucæ cap. 22. jam jam passurus, quæsivit gladium, & ait, *qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, at respondentibus discipulis, *sunt duo gladii hic, ille dixit, satis est*, præmittens, *quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me, & cum iniquis deputatus est*. Acuminis sui indicio, huc nos duxit gladius ille Salomonis, ut liceat inferre, ergò & hoc ipsum præcedere debuit in Salomone, verà Christi figura, quod etiam Salomon cum iniquis deputaretur. Quid est gladius? respondet Apostolus, *ad Ephes. cap. 6. Gladius spiritus, est Verbum Dei*, & quia de ore ejus, ut vidit Joan. Apocalypsis primò, exibat gladius utraque parte acutus, ideò dictum est, sunt duo gladii hic; duo, quia utraque opinio sacris C textibus utitur, & utraque verum dicit. Hæc verior est resolutio. Opinio dicens iniquum reputari verificat, quod cum iniquis reputatus est etiam Salomon, ut hoc futurum esse in Christo præfiguraret. Opinio asserens denique justum (quia certè prius peccavit, figura siquidem in aliquo, immò, & in pluribus differre debet a figurato) verificat, quod etsi iniquus in morte reputatus est ab opposita opinione, tamen id non fuit in re, sed in deputatione, ut in hoc compleretur Christi figura, quem certè, & sine opinione representabat, siquidem Christus, etsi reputatus peccator, quia portavit peccata nostra, super lignum crucis, factus pro nobis maledictum, in se nedum sanctissimus, sed ipsa sanctitas fuit (proportionem figuræ asserimus non paritatem) ex quo in Salomonem tamquam D in sui delineamentum, finalis justitia præredondavit, ne summi Regis in dedecus, ipsius imago traderetur igni inextinguibili. Et hoc videtur de necessitate dicendum; si enim utraque opinio est, ergò quælibet tribuit alteri locum, ex objecto autem rigorosè, & in se secundùm eamdem rationem considerato, non potest intelligi, ac multò minus verificari, quod Salomon salvus sit, & non sit. Oportet ergò adhoc, ut salvetur utraque opinio, alteram sumere reflexè, alteram directè, ut nempe dicamus. Opinio negans Salomonem salvum esse, reflectitur supra se ipsam, & significat illum per talem opinionem reputari damnatum, ut de figura verum sit (scilicet quoad apparentiam) quod in figurato postmodum etiam apparuit, & cum inter gladios captus, & cum inter latrones crucifixus est,

quod

quod eum iniquis reputatus est. Ideò ait, *oportet hoc impleri*, quia nempe ad figuram suam respiciebat, in qua idipsum, quoad reputationem hominum praecesserat, & in ipso debebat impleri. Altera verò affirmans Salomonis salutem, versatur circa id, quod verum est in se (nempe directè procedit) etiamsi reputetur oppositum, & non est dicendum, quod reflectat supra se ipsam, quasi dicens quod salvus dumtaxat reputetur. Sicquidem reputatio damnationis, composita cum veritate salutis complet figuram, ideoque opposito modo omninò se haberet, ac requiritur ad figuram a Christo delineatam in Evangelio, si adesset in ipso, & reputatio, & veritas damnationis, immo si esset verè damnatus, haec non esset amplius reputatio, quoad hanc partem, sed veritas, sicque figura non fuisset. Idque non obscurè habetur in eo, quod subdit Christus, loco citato, dicens; *Etenim ea, quae sunt de me, finem habent*, quia tunc tota implebatur figura, tempore videlicet passionis suae, quando cum iniquis reputatus est. Etiam haec tamen dicitur opinio non absolutè quoad suum objectum, sed comparativè ad reflexionem alterius, quam reflexionem admittit, quae aliud non est, nisi reputatio, & existimatio damnationis, quae optimè stare potest cum veritate salutis, quia utrumque requiritur, ad hoc ut Salomon fuerit figura Christi plenior omni alia, quae praecesserit in veteri Testamento, de quo nemo dubitat. Fuit enim tam perfecta Christi figura Salomon, ut secundùm Ambros. opus fuerit, ne crederetur, ipsum esse figuratum, quem representabat, in aliquibus deformari per culpam, ex qua dignosceretur homo deficiens, non Salvator redimens. Ecce igitur, quam rectum, quam sapiens activè, & passivè judicium Salomonis. Dicatur, *date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri*, etiam ex istis opinionibus, ut subintret misericordia, cui infans vivus Salomon, salvus adjudicetur.

At quia ad eum, qui plusquam Salomon est, causa Salomonis jam appellavit. Audiamus summum hunc misericordiae Principem, qui damnationis Chirographum affixit cruci, trono regni pietatis suae. Quid ergò Christus? haec est sententia ipsius, cui refragari nemo potest. Inquit hic, Matth. cap. 7. *In quo Judicio judicaveritis, judicabimini*. Si ergò ut vidimus, misericordiae adjudicavit Salomon, misericordiae pariter debuit adjudicari. Ita judicavit, ita judicatus est, & uterque, eodem jure, & infans, & Salomon vivit. Petro in horto ad defensionem Magistri sui gladium exerenti, praecepit Christus. Mitte gladium tuum in vaginam: Ut praeobservaret Salomon Christi praeceptum, qui prius quaesierat, sicut & Christus gladium, statim illum recondit, & ait, *date illi infantem vivum:* in quo ergò Judicio judicavit, Judicetur. Ita enim confirmat Salvator, Matth. cap. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, ut certò procedamus sillogismo, Salomon fecit misericordiam, ergo & misericordiam consecutus est, & haec potior fuit misericordia, ut nempè in fine justus esset, aeternae fructum misericordiae percepturus: Ut hic etiam Deo accinat Pater ejus David, *ex ore infantium Deus, & lactentium perfecisti laudem tuam.*

Denique sic Salomon conclusit utrumque Judicium: *date illi infantem vivum*; sed cui? verae matri: illi utique, de qua Siun dicet, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus, ideoque additum est, non occidatur. Haec est enim vera mater ejus, quae est mater vitae, mater ejus, cujus est filia: si haec mater fuit sui Creatoris, quidni & mater sui Progenitoris? produxit prototypum, ut salvaret figuram, Salvatorem hominis peperit, qui factus est ad imaginem Dei, quidni per ipsum, ejus salvaret imaginem, umbram, figuram. Filiam habuit Dei Matrem, satis est, non unam tantummodo genuit Virgo vitam, quę eum peperit, in quo vita erat, & vita erat, ut vitae multiplicis Mater, & Domina, vitas plures haberet, quas diffunderet; numquid ergo, quae justissima, si Immaculata semper fuit, vitam Salomoni non praerogaret, a quo praeacceperat, ut alios vivere faceret. Filiam habuit Salomon Dei Matrem, jam satis est: sic pręobtinuerunt merita ipsius, ut cui datus postmodum est Infans Deus, ei concederetur salvus Pater: *date ergo illi Infantem vivum:* non occidatur pacificus Salomon, qui dixit, *non occidatur:* non pereat Proavus Virginis, quę filium suum obtulit, ut moreretur, resurrecturus, in omnium Redemptionem. Non punit Deus bis in idipsum, portavit Filius iniquitatem Patris, qui ideò illum habuit Proavum, ut portaret iniquitatem omnium nostrum, super lignum. Nec planè dissimulandum. Accedat nunc Legisperitus, & a Christo percunctetur, quis est meus proximus? nonne post descriptum hominis infortunium, qui descendens ex Jericho, inciderat in Latrones, & vulneratus jacebat, quemque transiens Sacerdos, similiter & Levita pręterierunt, at Samaritanus curavit. Ibi definitur, proximum illius fuisse, qui fecit misericordiam in illum, si ergo ad convertentiam dicitur, facere alicui misericordiam, & eidem proximum esse, cur non concludemus. Proximus Christus est Salomoni, hoc est de Fide, ergò Christus fecit cum illo misericordiam. Denique jam non dubitamus, utrumque Judicium, & Salomonis, & de Salomone, sola fęcit misericordia, illud, quia ut dicitur, commota sunt viscera ejus, super Filio: Istud, quia, *per viscera misericordia, & in eis visitavit nos oriens ex alto, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, ut denique cum pace, pacifici salutem asseramus, & gratulemur aeternam. Hęc igitur melior probatio est, quia nempe *superexaltat misericordia Judicium*. Hęc autem sunt, quę Deo dante in re tam ardua, & inextricabili, pro modulo nostro exhibere potuimus. Dicta verò sunt non (absit) ut aliquam ex propositis parvi pendamus opinionem, sed potius, ut veritati, quantum fas est appropinquantes, cum ipsis, sapientiss. Doctorum sensum veneremur, nec aliter quidem judicamus, melius concludi posse, de pacifico Salomone, quam pacificando (si fieri potest) & conciliando, toto cęlo dissitas opiniones, ut denique sentiant, se de pacifico habuisse quęstionem. Jam ergo satis, & de hac, & de aliis Sacrae Scripturę Notis, ne brevitatis oblitum, nimis opusculum istud excrescat.

TRACTATUS VI.

DE SEXTA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ PER PROPRIETATES, COMMUNES ENTIS, QUÆ DICUNTUR TRANSCENDENTALES.

CAPUT PRIMUM.

De tribus primis, tranſcendentalibus prædicatis.

JAM communis doctrinæ uſus obtinuit, ut ſex enumerentur communes proprietates entis. Ens, aliquid, res, verum, bonum, unum; Vulgò id conceditur, ſed non ſapientibus: nimis enim impropriè, quod ad eſſentiam ſpectat, dicitur eſſe proprietas, quæ ex ſuo conceptu, ſemper ſupponit eſſe, a quo dimanat, ſaltem virtualiter. Si ergo dicamus rationem entis eſſe affectionem entis, quodnam eſt hoc ens, quod ſupponit? cum ratio entis ſit primum, quod in re intelligibili concipi poſſit, ita & de *aliquid*, proportione ſervata dicendum, & de *re*. Tria igitur ex iſtis dicenda ſunt prædicata communia tranſcendentia, omne quod eſt, omneſque rerum omnium non fictas formalitates, ſcilicet, ens, aliquid, res. Tria verò (ſaltem ſecundùm rationem) accipi debent, uti quædam expreſſivæ proprietates entis, ſcilicet verum, bonum, unum, quamvis, & hęc, & priora prędicata, tranſcendentalia ſint, in quo tamen eſt ſua diſparitas, quia tria hæc poſteriora tranſcendunt entia completa, non incompleta, priora tamen ad completa, & incompleta deſcendunt. Quæ omnia ſupponimus ex communibus principiis D. Thom. quæſt. prima de veritate, & alibi ſæpè, & ex philoſopho, cæteriſque benè ſentientibus metaphyſicis. Hæc enim nunc examinare non vacat.

Antequam igitur de proprietatibus tum communibus, tum peculiaribus Sacræ Scripturæ agamus, quæ ſpecialiter conſideratæ, ejuſdem naturam, & excellentiam demonſtrant, & ad ejus intelligentiam mirificè conducunt, rectus ordo doctrinæ poſtulat, ut prius hæc ampliora videamus, qualiter videlicet eidem conveniant, communiſſima hæc tria prædicata, ens, aliquid, res, idque præſtabimus hoc capite.

ARTICULUS I.

An, & qualiter ratio entis realis, competat Sacræ Scripturæ.

DE nihilo (notum eſt) nulla eſt quæſtio, quęlibet enim propoſitio, ſive quærentis, ſive aſſerentis, ſuum vel ſupponit in re, vel ſaltem in intellectu, ſubjectum, ſupponimus ergò Sacram A Scripturam non eſſe nihil, idque maximè poſtquam, & ejus nomina, ac excellentiam, definitionem, cauſas, effectus, & Notas in prioribus tractatibus pro modulo noſtro dilucidare conati ſumus; at quia (licet ſine fundamento) ea quaſi moraliter, & ſecundum prudentem exiſtimationem dicta, ſumi poſse, aliqui ſuſpicari conantur, ut eadem realiter, & neceſsariò, aſserta, & probata eſse clarius conſtet, metaphyſicam lucem hanc, eiſdem addere operæ prætium jubet; pro quo dicendum eſt primò.

Prima concluſio: Sacra Scriptura eſt verum ens reale, pro hac concluſione affertur tota ipſa Sacra Scriptura, nec non tamquam ejuſdem veritatis teſtes, omnes, qui eam legerunt, & legunt, qui lumine naturæ docentur, reales effectus, quos in B ſe ab ipſa cauſatos experiuntur ad ſenſum, non poſse niſi ab aliquo verè reali, & actuali ente phyſico derivari. Claritatis tamen gratia poteſt breviter ſic oſtendi.

Probatur; ſi ſumatur pro materiali, nemo dubitat, at neque ſi ſumatur pro formali, ergò evidens eſt, eam eſſe verum ens reale. Prob. mi. pro formali conſiderata, eſt realis, & permanens manifeſtatio divinæ veritatis, eſt realis Dei locutio, qui certè, cum ſic locutus eſt, aliquid dixit, ergò &c.

Confirmatur. Certiſſimè conſtat, quod Sacra Scriptura continet in ſe conceptus divinæ mentis, revelationem divinæ voluntatis, arcana divinitatis, legem, ſapientiam, & Fidei objecta: ſed hæc nequeunt contineri in ente rationis, quod nihil eſt abſolutè, & adhuc in ſua linea rationis, deſinit, C ubi incipit, ſcilicet in intellectu, in quo tantum eſt objectivè, non ſubjectivè, quod, factum eſſe non habet, cum totum ſuum eſſe ſit fieri, & conſequenter, nec eſt capax, ut in ſe realia objecta contineat, nec ſpectat per ſe ad ordinem repreſentativum, qui eſt ordo realis, & tantum denominativè dicitur ordo rationis, ergò Sacra Scriptura eſt veriſſimum ens reale. Nec immorandum, cum evidens ſit.

Secunda, concluſio. Dicendum eſt ſecundò ratio entis realis, ita competit Sacræ Scripturæ, ut in ea reperiatur, peculiari, ac perfectiſſimo modo.

Probatur, hauriendo rationes, ex Thomiſticis, communibuſque principiis: quamvis enim hanc concluſionem non detur invenire in terminis apud Doctores,

ctores, quippe de hac quæstione expresè non agunt, Principiis tamen certioribus tum Theologicis, cum Metaphysicis, firmissimè nititur, ut constat ex supra deductis, cum de causa ejus efficienti specialissima, quæstio erat, nosque eam nunc tractamus non singularitatis fastu, quam abhorremus, sed ad complementum instituti, quod Deo mandante suscepimus in hoc parvo opere, quod proinde obsequium potius, & disciplina est obedientiæ, quam ostentum doctrinæ. Sic autem primò ostenditur assertum, secundùm Angelicam doctrinam.

Cum ens creatum nihil aliud sit, quam quædam participatio, & derivatio passiva primi entis, unumquodque tantum habet realis entitatis, & perfectionis, quantum habet propinquitatis ad ens primum: Quam doctrinam, juxta intelligentiam PP. Salmatic. de ultimo fine, alibi supra jam expendimus. Sed Sacra Scriptura peculiarem habet, & B perfectam admodum propinquitatem ad ens primum, ergò &c. Prob. minor, Sacra Scriptura est ipsa Dei locutio, sed loquenti proximior est sua locutio, quam quilibet terminus, ad quem dirigatur, vel per quem transeat, vel in quo sistat, mediat enim locutio, inter loquentem, & quemvis terminum, immò, & id de quo loquitur, nisi fortè loquatur, dicens, de se ipso, ergo summam propinquitatem ad Deum, dicit Sacra Scriptura.

Dices: Deus ut loquens non exprimit rationem entis, unde nec primi entis. Hæc enim ratio non dicit ordinem ad alium, qualem dicit locutio. Quapropter secundùm Philosophum de prædicamento relationis. Ad aliud constituit novum ordinem per C se primò diversum ab omni alio ordine entis, quia non exprimit entitatem, sed potius conceptum valdè diminutum, ac debilem, qui juxta doctrinam D. Thomæ quam sequuntur, & explicant PP. Salmat. de Trinitate, nullam dicit perfectionem, ergo &c.

Respon. neg. anteced. primò, quia ratio entis in Deo, est ipsissima ratio intelligentis in actu secundo, siquidem constituitur formaliter per ipsum actuale intelligere, juxta D. Thomæ intelligentiam apud PP. Salmatic. de scientia Dei, disput. 4. dub. 2. Constat autem, quod Deus loquens peculiari modo, exprimit rationem actualissimi intelligentis, immò ipsam intellectionem, per quam constituitur, quæ est intellectio divinæ essentiæ, cum Deus sic loquendo manifestet se ipsum. D

Secundo etiam neg. idem antec. quia ratio primi entis, ut primi, formaliter considerata, significat diffusionem ipsius, ad secunda entia, quia sic connotat quamdam dependentiam, & terminationem secundi entis a primo, quæ fundatur in ipsa diffusione primi entis ad secundum; neque hoc est Deum ad alia ordinari, sed potius alia omnia ordinare, & trahere ad se ipsum. Nec ad rem facit doctrina illa Philosophi, aut PP. Salmatic. Loquuntur enim de præcisissimo conceptu ad relationis prædicamentalis, cum qua Doctrina, sicut stat, quod relatio transcendentalis, putà habitus scientiæ, perfectionem dicit in hoc, quod respiciat suum objectum, ita stare debet, quod locutio, quæ exprimit conceptum mentis, & perfectionem habet a loquente, etiamsi ad alium dirigatur, eam non amittat, sed potius diffundat, unde etiam doctrina perfectior est, quam disciplina, etiamsi illa, ad hanc respiciat, & transmittatur.

Prob. secundo: Sacra Scriptura est quoddam artefactum divinum, singulariter adaptatum ad veritatem proponendam, & dirigendam Ecclesiam ad beatitudinem æternam, ergo ratio entis ei convenit peculiari, ac perfectissimo modo. P. conseq. nam antecedens ad sensum patet; In omni opere divinæ artis, realis, & eximia splendet perfectio: Dei enim perfecta sunt opera, ergo magis in artefacto tam particulari, & ad perfectionem Ecclesiæ fabricato, erit realis ista perfectio, ut sicuti in eo magis elucet doctrina, veritas, & bonitas, ita sit, & perfectior entitas.

Confirmatur, seù explicatur ex Doctrina D. Thomæ primo Ethic. l. 1. quam explicant tam verè, quam subtiliter PP. Salmat. de Beatitudine, disput. prima, dub. 1. num. 36., nosque expendimus suprà, de causa formali Sacræ Scripturæ agentes, quod nempe in artefacto etiam externo reperitur quidam rationis ordo ei impressus ab ipso actu intellectus, conformantis se rationali ideę, ad quam respiciens artifex, operatur, est autem adeò perfectus talis ordo, ut possit esse finis ipsius praxis, uti ipsa perfectior; illa enim est de linea voluntatis, hic verò intellectus, estque proinde ordo realis, finis enim est vera causa realis. Hoc supposito prob. a fortiori conclusio: Intellectus creatus, etsi minimæ activitatis ad extra, tamen producit realem ordinem de propria linea, in suo artefacto, qui ordo est præcipua forma artefacti, ejusque actualitas, & perfectio, ergo multò magis intellectus divinus, in hoc artefacto sibi proprio produxit realem ordinem, qui participativè saltem est de linea formali divini intellectus, & consequenter perfectiorem in essendo, omni alia re creata, quæ talem ordinem formalem, & divinum non habet. Patet conseq. nam intellectus divinus est simpliciter operativus ad intra, & ad extra, ut testatur, & ipsum Verbum semper genitum, & omne creatum per Verbum, per quod dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt, ergo cum omnis vera effectio terminetur ad ens in actu, ille utique divinus ordo, quem ponit in hoc artefacto, erit ens perfectissimum, modo dicto.

Confirmatur: quia ordo hujus universi est sigillatio quædam realis, & repræsentatio formalis divinæ Creatricis, & Gubernatricis Sapientiæ, ideò secundum Doctrinam Angelici, quamvis Deus universum perfectius creare possit, ex parte rerum creatarum, tamen perfectius ex parte ordinis, non potest, quia nec potest habere perfectiorem Sapientiam ea, quam habet, per quam talis ordo fit, & exemplatur. Ita non extra chorum ibit, qui dicet, ordinem realem, quem habet divina Scriptura, cum sit repræsentatio vera, & expressa conceptuum divinorum, quia in una divina veritate uniuntur, non posse esse meliorem, ideòque in linea essendi, sibi competenti perfectissimum esse, quòd innuere videtur Augustinus *l. 4. de Doctrina Christiana cap. 6. de sacris libris: ubi eos intelligo,* non

non solum eis, nihil sapientius, verum etiam nihil eloquentius videri potest. Constat autem, quòd & sapientia in ordine apparet, quia sapientis est ordinare, & eloquentia sine ordine, ignavia est, ut ajebat Tullius, ergo cum perfectio entis sumatur ab actu, actus autem sit forma, ita ens reale competit Sacræ Scripturæ, sicut ejus forma, ordo videlicet, indicat, ideòque perfectissimo modo, & divino, in sensu explicato.

Tertio Prob. Sacra Scriptura excellenti modo est entis ens, ergo excellenti modo est ens. Fortè videbitur hoc potius ænigma esse, quam enthymema, sed clarum est & efficax argumentum. Pro cujus intelligentia notandum est, adeò infinitam, & incomprehensibilem esse in Deo, plenitudinem entis, ut in comparatione illius quælibet creata perfectio, nihil fit. Hinc David canebat: *Psal. 38. Et substantia mea tamquam nihilum ante te*, sicut enim adveniente, quod perfectum est, evacuatur, quòd ex parte est, ita in conspectu perfectissimi entis, omnis participatio absconditur, & gloriam sui esse habet non in se, sed in illo, & ratio est, quia quodcumque ens creatum, est manifestatio ejus, a quo est, scilicet plenitudinis, quam participat, ubi autem comparatur, cum suo participabili, quia tunc ipsum participabile se se per se manifestat, cessat in ente participato hoc munus illud manifestandi, ideoque videtur abscondi esse creatum, & substantia ipsa velut nihilum reputatur.

Hinc est, quod ipsa Beatissima Virgo, fulgidior Cælo, & Sole, omnique candidior candore, quæ luci comparata inventa est prior, juxta communem PP. intelligentiam, dicit se fuscam, & non considerabilem: *cant. cap. primo. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me Sol*, quia nempe ipsa Soli, ipsa Deo cunctis proximior, eidem comparata videtur quidem, & summè mirabilis est, at summo illo lumine, & candore lucis æternæ obumbrata, quasi fusca videtur, unde quia Gabriel ei Verbum annuncians Incarnandum; & Deum clarè videbat, & simul Virginis candorem, adhuc ad Dei conspectum aliquod lumen servare, ad eam inquit; *Spiritus Sanctus superveniet in te*, & ex hac supervenientia obumbraberis, *Virtus enim Altissimi obumbrabit tibi*, sic & ipsa, quæ semper Deum numquam palpitante contemplatione, præsentissimum, Sapientia illuminante, quam produxit ad lucem, quasi intuebatur, seque considerabat, ideò ad supremum elevata imperium, se pronunciavit Ancillam, & denique cecinit, propriæ plaudens nihilitati, *quia respexit nihilitatem Ancillæ suæ*, assignans causam, cur sic diceret, quia nempe Deum videbat modo dicto, *ecce enim ex hoc beatam me dicent*, quia beatitudo in Dei visione consistit, ex cujus visione creatura etsi sublimissimas cognoscit se nihil esse.

Nunc autem ad nostra hæc redeamus (licet nec minimum, nisi fortè apparenter discesserimus, veritas enim, ubique semper una est, & quidquid docet Sapientiæ Mater, semper verissima Sapientia est) ex his concluditur, quod omnia, & singula entia creata comparata Deo, etiam secundùm rationem substantiæ, quasi extrinsece tantum videntur entia, scilicet entia entis primi; ac propterea ens revera est analogum, analogia attributionis ad Deum, & creaturas: juxta quam Analogiam, ex Doctrina Phylos., ac D. Thomæ, ens intrinsecè reperitur in solo Deo, in creaturis verò extrinsecè, quia secundùm hanc Analogiam, invicem comparantur in ratione entis, Deus, & creatura, at è contra, quia in Analogia proportionalitatis propriæ, Deus ad se ipsum, & ad se ipsam creatura in ratione entis comparantur, non verò creatura ad Deum, propterea etiam in creatura ens intrinsecè consideratur. Quo posito sic arguitur.

Sacra Scriptura, in utraque proximè data consideratione, excellenti modo est entis ens, quia totum ejus esse, est Deum manifestare, quod est Deum deferre ad notitiam rationalis creaturæ, ideoque est esse imprescindibile a Dei præsentia, ut patet, ergò dum Deum representat ipsa, esse, qualis est revera cognoscitur, quod proprium est speculi, & speculum eam appellat Apostol. *prima Chorint. cap. 15. Videmus nunc per speculum &c.* ergo esse entis ens hoc modo, est quid excellentissimum in ratione entis, siquidem ubi cætera, in præsentia summi entis, quasi nihil apparent, ipsa ex ejus præsentia, cum ejus sit manifestatio, habet potius totum suum esse, & ob quamdam cum B. Virgine similitudinem, ubi Virgo fusca, Scriptura obscura est, ad infiniti Solis præsentiam.

Confirmatur: est entis ens, idest specialissimus summi entis effectus, ut alias probatum est, ergo sicuti primum ens per modum causæ particularis principalis efficientis, eam ponit in esse, ita in ipsa ratio specialissima entis debet peculiari modo inveniri. Patet conseq. quia effectus maximè intentus, ut representet suam causam, sicuti est Scriptura, debet in se habere per quid, secundùm suum esse ducat in cognitionem Ipsius.

Ex quibus sic deductis manet jam satis superque stabilita conclusio, id tamen addi potest ad Coronidem. Quod quia opera Doctorum, dicuntur eorum Filii, opera vestra Filii vestri sunt, & sicut divino, ac humano usu, filii, agnomen retinent Patris, unde & Verbum, quod est Dei Filius, Deus est, & Deus dicitur, & Filii hominum, homines, ideò etiam opera Doctorum, nomina suorum gerunt auctorum, sicque opera D. Thomæ dicuntur D. Thomas, & opera S. Ambrosii, S. Ambrosius &c. ergò & Sacra Scriptura, quæ est opus proprium Dei, qui dixit ad Moysen. *Ego sum, qui sum, hoc est nomen meum sic dices, qui est misit me ad vos. Exodi cap. 3.* cum omni proprietate, tamquam proprio nomine potest, & debet vocari ens; & nedum hac ratione, sed etiam quia est regula Fidei, eique quidquid ipsa credit administrat, sicut Fides dicitur substantia, est enim sperandarum substantia rerum, ita Sacra Scriptura meritò dici debet substantia, & ens Fidei, ens enim per se primò dicitur de substantia.

Contra hanc conclusionem, etsi nihil opponatur, quod præseferat difficultatem, solvenda tamen est quædam

quædam levis objectio, ut detur locus disputationi.

Primò obiicies: Sacra Scriptura in se considerata pro formali, nihil aliud est, nisi quoddam aggregatum entium rationis, ergo elongatur, nedum ab ente excellenti, & perfecto, sed etiam a realitate entis utcumque, consequentia sequitur; Prob. anteced. constat nominibus, verbis, propositionibus, figuris, tropis, similitudinibus, & denique tota componitur significationibus, quæ omnia, ut notum est, sunt entia rationis, nec pro formali existunt a parte rei, ergo &c.

Respon. huic argumento, satis patet ex his, quæ dicta sunt superius de causa formali Sacræ Scripturæ, ad tollendam tamen apparentiam objectionis, neg. antec. ad probatio. dist. maj. componitur &c. præcise de materiali conc. maj. de formali neg. maj., & transeat minor explicanda, & neg. absolutè consequentiam.

Dicimus igitur, quod etsi juxta communem conceptionem, cum enumerata resultant ex intellectu, suum objectum cognoscente, dicantur pro formali entia rationis, ex eo quod intellectus illis utitur ad cognoscendum, quasi essent aliquid, quod non sunt, tamen cum revera sumuntur, v. g. nomina, secundùm quod stant loco rerum, quas significant secundùm hominum institutionem, accipiuntur in esse repræsentativo, quod est esse reale, & ita scribuntur, & permanent, & ita ea intelligimus, cum legimus, unde important aliquod ens rationis fundamentaliter, siquidem ens rationis formaliter non datur a parte rei, sicut talia nomina revera dantur, & in scriptis, & in voce, & in mente: sed quidquid sit de hoc, alibi enim idipsum fusius explicuimus, dicimus quod ea, quæ enumerantur in objectione materialiter, in ipsa se habent, ad hoc ordinata, ut divina veritas manifestetur, pro formali autem consideratur coordinatio propositionum, & objectorum particularium, & ipsa veritas, ac doctrina adeo sublimis, in se connexa, efficax, & sapientissime proposita, divinorumque mirabiliter manifestativa, quæ sanè non sunt entia rationis ficta ex debilitate humani intellectus, sed divinæ rationis artefactum verè divinum important, aliter oporteret omnes scientias, omnemque doctrinam, ac disciplinam, nihil aliud esse, quam aggregatum entium rationis, quod verè chimericum est, & ridiculum. De hoc igitur prædicato jam satis constat, & quod conveniat, & quomodo conveniat Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS II.

An & quomodo Sacræ Scripturæ competat esse aliquid, & esse rem.

CUM nulla hac in quæstiuncula appareat difficultas potissimum, quoad primam partem, statim, & brevissimè resolvi debet.

Dicendum igitur est primò, Sacræ Scripturæ eodem modo convenire sicut esse ens, ita & esse aliquid.

Patet conclusio evidenter lumine naturæ. Im- A plicat enim, quod detur ens, quod non sit aliquid, aut aliquid quod non sit ens, aut quod Idem diverso modo sit aliquod, ac est ens. Idque verissimum est, de aliis etiam transcendentibus, si absolutè, & realiter, ac concretivè sumantur. Verum quia diversitas nominum, quibus singula hæc prædicata significantur, importat diversitatem aliquam conceptuum, quibus ea, etsi inadæquatè, & media tantum distinctione rationis cognoscimus, ipsa diversimodè comparando, datur locus, ut expressiones hujusmodi, distinctè, & absque confusione applicemus pariter, & explicemus. Et quoad præsens D. Thomas loco citato de veritate, in corpore articuli, explicat ly aliquid, dicens, quod significat, rem, cui applicatur, esse aliud quid a cæteris, quo modo esse aliquid videtur coincidere, cum B esse unum, quia unum importat, & exprimit indivisum in se, & divisum a quolibet alio, quod est esse aliud quid a cæteris, at revera non est eadem expressio, nam aliud quid designat alietatem quidditatis, esse autem divisum a quolibet alio designat alietatem quamcumque etiam non quidditativam, ut est ea, quæ contingit per accidentia, ut puta cum dicimus nos Thomistæ, quod divisio numerica procedit ex principiis materialibus, & accidentalibus, & quamvis in re sit eadem cum unitate formali, divisa tamen est ab alia unitate numerica ex propriis meritis, quæ non sunt quidditativa, & formalia. Alia etiam apparet diversitas, quia per aliud quid, exprimitur alietas positiva, per esse verò divisum a quolibet alio, magis expri- C mitur alietas negativa. Denique tres unitates (relativas scilicet) in divinis assignamus, sed tria aliquid inter se comparata, in Deo, cum proprietate dicendi, affirmare non possumus.

Quantum autem ad præsentem quæstiunculam spectat, conclusio duplici via posset probari, vel ostendendo Sacram Scripturam, esse aliud, quid diversum ab omni alio, quod non est ipsa. Alia verò per definitionem, examinando, cum quibus conveniat in genere, a quibus differat per differentiam. Sed prima via, nec necessaria est, nec cum brevitate, quam profitemur, concordat, nec est doctrinalis; quid enim interest eam comparare cum omni ente, nisi prius intimè in se cognoscatur? secunda verò jam explicata supponitur, cum de ejus definitione agebamus, & completa, cum causas ejus- D dem, & Notas nuper examinavimus. Nulla igitur probatio diversa ab illis, quas præcedenti articulo adduximus quærenda est, est enim consequens subsumptum ex illis, eadem quippe ratione convincitur, & quod sit ens perfectissimum, & quod sit aliud quid intrinsecè diversum ab omni eo, cui non convenit tam excellens proximitas ad Deum, quæ est essentialis ipsi Sacræ Scripturæ.

Prolixiorem exigit considerationem secunda pars quæsiti. Potest enim facilè quidem ostendi, quod Sacra Scriptura verè sit res, eodem modo, ac ostensum fuit; eam esse ens, & aliquid, immò jam debet supponi ostensum, quia non utcumque ens esse demonstravimus, sed esse verum ens reale valde perfectum, in quo de necessitate, & imprescindibiliter involvitur, quod sit res, si est ens reale, at

at

at quomodo specialiter expressio rei, Sacræ Scripturæ conveniat, non sine studio, & labore declaratur. Ut ergo adæquatè constet, qualiter sit res, prius oportet applicemus ei rationem rei, quoad expressionem generalem (quod nunc breviter præstamus) postmodum verò, quomodo id specialiter habeat, ostendamus, quod sequentis capitis munus erit.

Secundo. Concludimus, dicendum, seù potius ex dictis inferendum esse, Sacram Scripturam, verè esse rem, sumendo rem secundum generalem hujus nominis expressionem, pro quo notandum est.

Quod quamvis quoad aliquam considerationem possint omnia trascendentia ad invicem connecti, non tamen in omni, ob diversitatem expressionum; non quia valeant secundum rem talia prædicata invicem separari, quasi posset dari a parte rei, res, quæ non sit aliquid, vel aliquid, quod non sit ens, & res, vel è contra, si enim hoc esset, jam tales rationes essent invicem, vera reali distinctione distinctæ, cum non sit majus signum distinctionis realis, quam mutua separatio; quod tamen in his prædicatis negat tota Schola Thomistica, idest verè peripatetica; sed hoc provenit, ex eo, quod diversimodè ab intellectu concipiuntur, quia id exigit diversitas, quæ est inter entia, quibus insunt hujuscemodi prædicata, ex quo ortum est, quod diversimodè etiam talia prædicata generalia absolutè exprimantur, ut possint secundum exigentiam diversorum entium, cum debita diversitate applicari, absque eo quòd invicem confundantur. Hinc est, quòd juxtà verè Catholicam, & Sapientissimam Angelici mentem, omninò conformem Symbolo D. Athanasii, quod servat, & proponit Ecclesia. Non possunt dici in divinis tria entia, tria aliquid, benè verò tres res, quia tam ens, quam aliquid, ex communi modo concipiendi, & exprimendi, important substantiam absolutam, tam in essendo, quam in prædicando, ac proinde non sumuntur adjectivè, unde non conceduntur in divinis, ubi omnia absoluta sunt unum. Tres autem res dicere possumus, in Deo, quia hoc nomen, ex propria expressione, non impeditur; quin sumatur adjectivè, quia est velut abstractum præscindens ab absoluto, & relativo, a substantiali, & consequente substantiam, hoc est essentiam: Non igitur mirum, si & nos inveniamus locum distinctionis, in applicatione hujuscemodi prædicatorum, in præsenti. Porrò hoc nomen Res, trifariam habet expressionem. Prima est communissima ut patet, quod distinguit ens reale qualecumque illud sit, ab ente rationis, quod non datur a parte rei, quòd autem hoc modo Sacra Scriptura sit res jam defendimus articulo præcedenti, contra objectionem illic solutam. Secunda generalis pariter, quòd exprimit ens conceptibile, præscindendo a completo, & incompleto, perfecto, & imperfecto, dummodò habeat realitatem cognoscibilem, & æstimabilem ab intellectu. Nam reor est verbum exprimens æstimationem intellectus, ut patet in communi intelligentia, quæ expressio parum differt a præcedenti. Et quod hoc modo Sacra Scriptura sit res, evidens est, si enim est divina revelatio, & manifestatio divinorum, ne dum cognoscibilis, & æstimabilis, sed ipsa quoad nos cognoscibilitas est, ergo & res simpliciter, & absque aliqua exceptione dici debet, & est. Nec immorandum, cum ex iis, quæ hactenus in præcedentibus tractatibus adduximus, ad evidentiam constet. Tertia, ac propria expressio hujus nominis, ut frequenter innuit Angelicus Doctor, est quod res significat esse ratum, stabile, ac firmum, quòd applicatum Sacræ Scripturæ, specialem exigit inspectionem. Cum enim ipsa Doctrina sit, & Fidei fundamentum, maxima ejus perfectio in hoc elucet, quod tamquam certa, & infallibilis, sit rata, admissa, accepta, & ut talis evulgata, ac legitimè declarata, quòd idem est, ac si dicas, quòd sit canonica. Ad hanc igitur vocamur disquisitionem, pro qua, quia res est studio digna, ac labore non modico, cogimur hunc, quem vix cæpimus tractatum, secare in plures partes, eumdem postmodum reassumpturi. Quòd advertere placuit, ne confusionis, aut inconsequentiæ, aut inversionis ordinis arguamur. Potius enim id rectus ordo postulat, ne aliquid identidem desideretur, ne quæ præcipua sunt, cum doctrinæ ordo ea exigit, remaneant irresoluta. Sit ergo.

TRACTATUS SEXTI

SECTIO PRIMA,

De Libris Canonicis.

CAPUT I.

Quid sit Scripturam aliquam esse Canonicam.

ARTICULUS I.

Quot modis dicatur Canon, & an rectè Sacra Scriptura dicatur, quod sit canonica.

CAnon nomen græcum, diversas quidem, sed invicem valdè affines habet significationes, in hoc tendentes, ut rectitudinem, regulam certam, definitionem justam, ordinem, legem, auctoritatemque significent. Primo enim sumitur pro canna, calamo, aut virgula rectissima, aut etiam pro momento, & æquamento staterræ, ut erudite N. P. Anton. ex Cicer., Joseph Laurent., & aliis, Præłud. primo, dub. 8. Secundo sumitur pro norma præscripta, quam præterire non licet. Hinc Canon Missæ, sacra illa sunt verba, quæ ex præscripto Ecclesiæ numquam immutantur. Qua ratione, etiam dicitur Canon, quælibet Ecclesiastica legitima constitutio, sive sanctio perpetuò duratura, unde & Jus canonicum dictum est, aggregatum, seù collectio, hujusmodi Ecclesiasticarum Sanctionum, quamvis alia etiam ratione, illæ, Canones dicantur, quia videlicet potissimum intendunt rectitudinem, & Sanctitatem, ad distinctionem

ctionem juris civilis, quod virtutem quidem, & justitiam concernit, sed modo, & fine politico, quidquid dicant Juristæ, de quo videnda est præfatio Lancellotti ad Jus canonicum.

Tertio sumitur pro exemplo, sive exemplari, quod proponitur per modum legis, in aliqua arte, sicut & liber, & statua Polycleti, qui in illo præcepta tradidit sculptoriæ artis, & in hac publicè exposita, practicatum exemplar proportionis, & utrumque appellavit nomine Canonis, & Amussis.

Quartò sumitur, non pro regula, & mensura, sed pro regulato, & mensurato, sive taxato aut præfixo, sicut est tributum, quod datur Regi annuatim, & annua pensio, quæ secundum legem, & contractum debetur in censibus, & locationibus, ac similibus.

Quantum verò ad tributa, etsi ordinaria tantum, hoc nomen mereantur, tamen etiam ad extraordinaria extenditur, quæ sunt in duplici differentia, alia sunt oblationes, quæ promissæ sunt Regibus, ad auxilium, seu subsidium, quando oportet. Alia sunt novæ impositiones, quæ dicuntur Indictiones, quæ, ex quo cæperunt esse ordinariæ & fixæ, nomen dederunt Indictioni; unaquæque enim indictio durabat per tria lustra. In primis quinque annis dabatur aurum, in signum Dominii, in quinque sequentibus, argentum pro stipendiis militum, in aliis quinque ferrum ad reparationem armorum, sicut & de Hebræis legitur, Josuè cap. 6. De his plura apud Juristas, aliosque, quos refert P. Anton. loco citato, quod nobis satis est vix innuisse.

Quinto. Canon solet accipi pro Cathalogo, certum numerum Clericorum continente, ad exprimendam obbligationem, quam habent quotidiè ad chorum, & inde sumendam regulam, ad pensiones, seu distributiones quotidianas eis solvendas, juxta certum capitularium annualium redituum numerum, & inde qui in tali Canone describuntur, dicuntur Canonici. Similiter dicitur Canon, Cathalogus Fidelium defunctorum, & Episcoporum, in quo designatur certus numerus illorum: Ita etiam Cathalogus Sanctorum, & quidem magis propriè, dicitur Canon, tum quia sic designatur certa perpetuitas gloriæ eorum, & rectitudo, ac Sanctitas, tum etiam quia sic auctoritas, & perennis duratio declarationis Ecclesiæ, magis exprimitur, illorumque veneratio indicitur, & Gloria ipsa æterna laudatur. Per hæc jam primæ parti articuli factum est satis. Immò ex ipsis (ut sic etiam constet ad secundam) planè apparet, quam merito Cathalogus librorum Sanctorum, quibus Sacra Scriptura constatur, dicitur Canon, omnis enim hujus vocis acceptio, videtur in hac consumari, ut ea voce significetur, & divinus calamus, quo fuere conscripti, & rectitudo, ac sanctitas, quam continent, & exemplar infallibile artis divinæ, qua se homo componat ad Deum, cujus est imago, & sanctæ leges timoris in veteri, & amoris in novo Testamento, & tributa, quæ Deo debentur, secundum præcepta, ac secundum consilia, & promissiones: & liber vitæ in quo describuntur, ac præmiantur electi, ad chorum gloriæ, & divina beneficia, eorumque Judicium, ipsaque Ecclesia tum militans, cum triumphans, totaque cohors, & gloria suprema, ac numquam terminanda justorum, ita ut, qui universa sapientiæ suæ infallibili ratione disponit, hoc nomen videatur instituisse, ut Verbum suum scriptum, quomodo nos capere possumus, adæquata significatione celebraret. Canon igitur maxima cum proprietate dicitur Cathalogus librorum Sanctorum, quos Deus ipse sanctificavit faciendo, & sanctificando fecit, ideoque nedum tota Biblia, & quilibet ejus liber, sed sic appellari etiam debet, quævis pars integralis singulorum, quæ sensum exprimat Spiritus Sancti, qui infinita, & prima regula, idest substantialis Canon est veritatis: antonomasticè tamen, sicut Canon dicitur Cathalogus Sanctorum, quos Ecclesia videlicet declaravit verè Sanctos, ita Canonis Nomenclatura propriè, ac plenè dicitur de tota Sacra Scriptura, seu Cathalogo, & unione librorum Sacrorum, quos omnes, & singulos verè a Deo esse, & verba Dei continere, (quod est librum aliquem sanctum esse) Ecclesia statuit, ac declaravit. Nedum ergo Sacra Scriptura, debet dici Canonica, sed & Canon ipse, ut intelligatur, quòd sicut si daretur albedo in abstracto, infinita esset in ratione propria albedinis, Ita infinito quodam modo, quidquid regula esse potest, certissima rata, & infallibilis, ipsa sola Scriptura est, sic dicta Canon in abstracto, per quod jam satis patet, nedum ad articulum, sed etiam ad motivum hujus sectionis, quod fuit, ut constaret, an Sacra Scriptura verè res dici possit, quatenus hoc nomen res, dicit, & exprimit esse ratum, ac firmissimum, & inalterabile, nam eo modo est, & debet dici res, quo modo est, & dicitur nedum Canonica, sed & Canon; ideoque nulli rei creatæ adeò propriè, & excellentissimè convenit nomen rei, sicut Sacræ Scripturæ debetur, unde, sicut Res, ex modo significandi, est nomen quoddam abstractum, ita & Canon, qui est ipsa Dei Scriptura; quamvis tamen ita revera sit, ut assertum, deductum, & probatum est, ulterius tamen, & intimius penetranda res est, ut magis quiescat animus.

ARTICULUS II.

Quid requiritur a parte rei, adhoc ut Scriptura sit verè Canonica.

Quia brevitas nos urget, ommissis DD. citationibus, quæ totum implerent, & tempus, & Folium, quòd ex communi omnium DD. Catholicorum sensu haurire potuimus, quodque notissimum jam est in communi conceptu, breviter adducemus, & ratione statuemus.

Adhoc ut aliqua Scriptura sit, absque exceptione realiter, & non solum, quoad nomen canonica, duo constat requiri. Primum quod talis Scriptura, verè sit a Deo, tamquam a particulari Auctore, vel quod idem est, id ipsi specialiter attribui possit; ex quo redditur infallibilis veritatis; se-

cundum verò, quod Ecclesia declaret Scripturam hanc talem esse, qualem modo descripsimus. Primum requiritur substantialiter ex parte ipsius Scripturæ, per quòd ipsa meretur Secundum, quòd completivè se habet ad esse canonicam: per primam igitur rationem re ipsa constituitur ut canonica in se, non enim Scripturam esse a Deo, modo dicto, pendet ab Ecclesia, siquidem non ideò secundum rem est a Deo, quia hoc Ecclesia dicit, sed potius è converso, ideò Ecclesia sic dicit, quia revera est, per quod tacita quædam objectio evanescit, secundum requiritur quoad nos, non enim possumus aliter certò cognoscere, quantum sufficit ad Catholicam Fidem, Scripturam aliquam, divinos conceptus, divinaque mysteria continere, tamquam veram Dei locutionem, nisi Ecclesia, aut ejus caput, a quo ipsa pendet, id declaret, ac proponat credendum. Hæc nostra conclusio simul, & explicatio, ex qua articuli plena resultat solutio: Id ergo breviter sic potest ostendi.

Nemo magis cognoscere potest, quis sit auctor alicujus libri, quam auctoritatem habeat ejus doctrina, quam Fidem mereantur ejus dicta, quam ipse libri Auctor, si sit sapientissimus, ac Fide dignissimus, qui nec fallere nec falli possit: sed eo ipso quod Ecclesia dicit, hunc librum, hanc scripturam esse propriam Spiritus Sancti, esse Fidei infallibilem regulam, ac opus propriè divinum, ipse Auctor est, qui hoc ipsum dicit, ergo impossibile est, quod talis Scriptura non sit, hujus auctoris, ac prærecensitas qualitates non habeat, sicut ab Ecclesia definitur, ergo semel posito Ecclesiæ decreto, per quod omninò firmè statuitur hanc Scripturam esse a Deo, ideòque summæ auctoritatis, jam quoad nos certificamur, quod talis sit quoad se, & adæquatè canonicam sine hæsitatione affirmamus. Major ad sensum patet: Prob. minor: eam reducendo ad suam radicem. Nam etiam naturali ratione constat, in omni corpore mystico, ac politia benè constituta, dari aliquod Caput, quod verè gerat munus capitis in ordine ad totum corpus, munus autem capitis est intelligere pro toto corpore, eam veritatem, sine qua corpus dissolvitur, eamque applicare modo requisito, ad conservationem totius, quod maximè conservatur per unitatem, sicut enim pes ambulat pro toto corpore, & totum corpus ambulat in pede, & sic de singulis, ita caput intelligit pro toto, & per modum primi, cum hoc sit esse caput; ergo in Ecclesia, quæ est mysticum corpus, & vera Fidelium congregatio, debet caput pro omnibus sufficienter cognoscere, eam supernaturalem veritatem, sine qua totum hoc corpus discinditur, per errores, schismata, hæreses, & vitia, obliterata charitate, quæ sola est glutinum vitæ. Sed hoc haberi non potest, nisi id, quod caput Ecclesiæ, ut tale, dicit, sit idipsum, ac quod dicitur a Deo, ergo. Prob. hæc minor. si diversa dicit Deus, & caput Ecclesiæ, jam opponitur sibi, ipsum caput, vicem gerens Dei, & a Deo, qui est forma hujus capitis, ejusque veluti intellectus (est enim hæc Dei Ecclesia) dividitur, jamque caput est sine intellectu, ergo stare non potest, quod detur verum Ecclesiæ caput, & quod Deus non dicat idipsum, quòd ipsum caput Ecclesiæ, ejus vice pronunciat. Quę ratio ęquè efficax est & communis.

Secundo. Ostenditur prior illa minor propositio, ex Sacra Scriptura. Dixit enim Christus Apostolis *Matth. cap.* 10. *Cum steteritis &c. nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, & loquens Deus ad Jeremiam. Jerem. cap. primo. In persona capitis Ecclesiæ, inquit, *ecce dedi verba mea in ore tuo*, & quare? statim addit rationem; *Ecce constitui te super Gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*, quod valdè simile est dicto Christi ad Petrum Matth. cap. 16. quamvis, quod ait Petro universalius sit, & quædam expositio ejus, quod dixerat Jeremiæ: ait enim: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: ergò ubi caput Ecclesiæ dicit: hic liber est Spiritus Sancti, posuit Deus verba sua in ore ejus, cum sic dicit, ita ligat, idest obligat Petrus Fidem, ita ligat, & obligat Deus, ita Deus in Petro solvit omne dubium, omnem errorem, & ignorantiam, ita ædificat Ecclesiam, plantat veritatem, errores destruit, evellit nequissimas hæreses, quia videlicet idipsum omninò est, quod Petrus ministrat, & quod Christus ædificat, qui ad Petrum ait, eodem cap. citato. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Sed iterum adverte: certe Paulus Christo non contradicit, quem prædicat, & tamen ait *prima Chorin. cap. 3. fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod est, quod positum est Christus Jesus*, ergò ne sit contradictio pro eodem sumi debet in ordine ad ædificandam Ecclesiam, Christus, & Petrus. Ille quia fundamentum unicum, hic quia petra superquam ædificatur, quod in idem redit ex parte finis, quod si idem Paulus id extendit ad omnes Apostolos, dicens *ad Ephes. cap. 2. Jam non estis hospites, & advenæ, sed cives Sanctorum, & domestici Dei super ædificati super fundamentum Apostolorum &c.* hoc non ideò est, quod singulare non sit Petri privilegium, & munus petræ ad fundandum, sed quia caput, & princeps Apostolorum, cui ipsi Apostoli coædificantur, est Petrus, non ponens in numero, in ratione hac cum Christo, cujus vices gerit, propterea subdit, *ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Stat ergò inconcussa hæc veritas, fundata in lapide angulari Christo, qui facit utraque unum, quem nemo umquam concutiet, nec ipsę Inferi portæ, quas vel descendens ipse, confregit: veritas inquam, ad quam omnia reducuntur Fidei dogmata scilicet, id quod caput Ecclesiæ ut tale, circa Fidem dicit, id Christus dicit, id ipse spiritus Christi, de quo dictum est Jo: cap. 14. *Ipse suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Illa ergo dumtaxat erit vera Scriptura Canonica, vera scilicet Dei locutio, Fidei summa, & regula, quam talem asserit, & credendam proponit, ac præcipit authenticè, caput Ecclesiæ, & Ecclesia ipsa, non quod Ecclesia præcisivè a capite suo, hanc habeat potestatem, sed quia

cum

cum Ecclesia, & ipsa capiti suo adhærens, idipsum eum Capite suo, in quo est tota potestas, hoc dicit quod caput suum pronunciat, practicè ostendit unionem cum capite suo, nec locum relinquit singularium membrorum suorum, aut ignorantiæ, aut consultationi, aut perfidiæ. Hæc autem quamvis spectent ad Theologos specialiter de Fide tractantes, in secundam partem D. Thomæ, & ad Controversistas, silenda non erant in præsenti, ad sinceram, veræ catholicæque Fidei protestationem, ad eam enim confitendam quisque Fidelis tenetur, ut notum est, cum urgenti occasione (qualis se se offert in præsenti articulo) sollicitatur. Ulterius verò non progredimur, ne falcem in messem alienam mittamus. At quia asserta probare, & defendere quisque tenetur, ex generali disputantium lege, qui primò satisfecimus muneri, ut Deo dante pro modulo nostro potuimus, etiam cogimur ad secundum; Quæ ergò obtrudunt hæretici, adversus hactenus ostensam fundamentalem Fidei nostræ veritatem, tenemur repellere, quod quia specialem ingerit difficultatem novum postulat articulum.

ARTICULUS III.

Qualiter solvantur communia objecta Hæreticorum.

QUÆ obiiciunt Hæretici, contrà assertam veritatem, plura quidem sunt, sed inania, ut plurimum, ne igitur plus æquo crescat opusculum nostrum, ea opus erit reducere ad aliquas instantias, in quibus dumtaxat difficultas apparet.

Arguunt primo, ex Apostol. loco mox citato ad Ephes. *Estis cives Sanctorum super ædificati super fundamentum Apostolorum; & Prophetarum*, scilicet fundati in doctrina eorum, ut communis suadet intelligentia, atqui si talis doctrinæ (quæ est ipsa Sacra Scriptura) auctoritas penderet a Pontifice, vel ab Ecclesia, fundamentum nostrum esset potius Pontifex, quam talis doctrina, ergò non stat quod asserimus cum dicto Apostoli. Prob. min. ipsa Apostolorum doctrina, ipsaque tota Scriptura fundaretur in Pontifice, sine cujus approbatione rueret ejus auctoritas, ergo etiam tota Fides.

Confirm. Si vera esset exposita assertio, jam auctoritas Petri, & Ecclesiæ esset supra Scripturam, siquidem eam judicaret, ut clarum est. Insuper verbum Dei non haberet robur, & virtutem, nisi eam, quam ei tribueret Ecclesia, quæ omnia, ut patet, nullus fidelis admittet, ergò nec id, ex quo tam insignia absurda manifestè sequuntur.

Resp. Hoc argumentum jam esse solutum articulo præcedenti, ubi eumdem locum Apostoli proposuimus. Nunc tamen ad abundantiam secundò respon. distin. min. si auctoritas Scripturæ penderet intrinsecè a Petro, tamquam a veritatem ejus constituente, conce. seq. si penderet (ut de facto pendet) extrinsecè a Petro, tamquam ab approbante, & proponente, neg. seq. min. Verissima est ex meritis intrinsecis Sacra Scriptura, in eaque substancialiter fundamur, eamque Petrus ideò approbat, & proponit, quia talem in se esse supponit, non quia talem faciat, facta enim est talis specialiter a Deo, sed inter tot diversas, ac fallaces hominum opiniones, ac Scripturas apparentis veritatis, quis hanc determinatè discerneret, uti verè divinam, cum in se sit obscura, nisi Petrus, & Ecclesia, per approbationem, & applicationem id declararet? potius igitur ministerium a Petro est in hac parte, quam fundamentum, quod certè non facit Petrus, sed supponit, dum approbat, & proponit. Ideò sistendo in hoc munere, Christus non ait Petro, tu ædificabis, sed tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ego Ecclesiam meam, Christus ædificat, Petrus petra est, posita in Christo, qui & ædificator, & fundamentum est, Petrus, inquam, petra recipiens, sustinens (in Christo, & virtute ipsius) & ostendens id, quod ædificat Christus, scilicet Ecclesiam, ac propterea ad hanc ædificationem potissimum spectat, quod Christus hanc, & virtutem, & potestatem conferat Petro.

Ex hoc etiam patet ad confirmationem, neg. enim seq. in sensu dicto, nec potest dici quod Petrus judicet Scripturam, ad hoc enim requireretur, quod Judicaret, an verum, an falsum diceret, Scriptura, quam supponeret divinam, ut advertit Bellarminus, de verbo Dei l. 3. cap. 10. quod tamen non facit Pontifex, nec Ecclesia, cum summa veneratione, credendam tutò, proponens a Deo conditam Scripturam, Ideoque ut a Deo habentem veritatem, virtutem, robur, & auctoritatem, quod est ministerium, & exercitium delegatæ sibi potestatis potius, quam supremum Judicium, supra Dei verbum, ut clarum est &c. ad hoc enim ut esset Judicium, quale sibi fingunt adversantes, deberet posse divinam Scripturam reprobare, quod ex aliis etiam capitibus omninò repugnat.

Secunda, & communis objectio hæreticorum, quam ipsi, ob apparentem difficultatem summoperè magnificant, sic proponitur. Interrogemus Fidelem. Unde habes Sacram Scripturam, puta vulgatæ editionis, esse canonicam, & authenticam, ita ut teneatis ex præcepto Fidei eam amplecti ut infallibilem Dei locutionem, & regulam ipsius Fidei? certè respondebit, quia Ecclesia hoc dixit, proposuit, jussit. Iterum, quare credis Ecclesiæ sic asserenti, & jubenti? nonne, quia Ecclesia est omninò infallibilis in rebus Fidei? ita est, Resp. at unde scis Ecclesiam sive caput ejus, quod in præsenti accipitur pro eodem, esse infallibilem? aliud dicere non poterit, nisi quia Sacra Scriptura pluries hoc testatur, ipsaque numquam sibi contradicit. Tunc sic, ergò prius Fidem adhibes Scripturæ, quam Ecclesiæ, clara est consequentia. At in illo priori, ad declarationem Ecclesiæ, si Sacra Scriptura antecedit tamquam causa, potestatem Ecclesiæ, certè non potest concipi, quod Ecclesia infallibiliter asserat hanc esse Sacram Scriptutam Canonicam, quia quod Ecclesia sit infallibilis, pendet ab ipsa Scriptura, ut concessum est, ergo nihil operatur Ecclesia, declarans authenticam Scripturam, quam supponit exercitè authenticam, & canonicam, ne-

dum ante suam declarationem, sed etiam ante potestatem taliter declarandi.

Resp. hoc argumentum propriam sedem habere in tractatu de Fide, cujus tota doctrina hanc, prevenit, ac tollit difficultatem, & propterea eo remittimus lectorem, ne huc totam illam materiam, nimis onerosè transferamus. At quia, ut sæpè advertimus, hoc nostrum est, qui veritatem quærimus sincerè, ut nullam pro modulo nostro conantes, effugiamus difficultatem, undequaque illa occurrat, hanc, quæ non minima apparet, dissimulare non valemus. Et primò quidem eam sic impugnamus, & frangimus. Interrogemus hæreticum (& ipsi enim Sacram Scripturam defendunt, ut inde suos errores se haurire ostendant) unde habes Sacram Scripturam esse Canonicam, & authenticam regulam Fidei? respondebit, quia spiritus meus particularis hoc me docet, & intimè ita me adigit in conscientia. At quare credis huic peculiari spiritui. Resp. quia est spiritus bonus, & ideò non errat. Cur autem ita est? nempe dicis quia datur a Deo, sed unde scis, talem spiritum dari a Deo? concludit, quia Christus ait Lucæ cap. 11. *Quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se*. Ecce igitur idem omninò argumentum ad hominem, ergò ipsi respondeant, sed prius audiant Angelicum p. p. *quæst. 20. articu. 4. ad 3. Præsumptuosum videtur hoc judicare, quia ut dicitur. Proverb. cap. 16. Spirituum ponderator est Dominus; iniquissimi ergo Judices sunt, & Evangelii, & proprii spiritus, hunc enim non habent, quia caro sunt, & illud blasphemant, quia nolunt intelligere, quis judicare valeat proprium spiritum, an sit verus, & bonus, cum dicat Christus Apostolis suis, a charitate, ob zelum declinantibus Lucæ cap. 9. Nescitis cujus spiritus estis*. Qui igitur tollit charitatem, & unitatem discindit Ecclesiæ, multò magis ignorat, cujus spiritus sit. Ideò amoris Ecclesiastes *Apost. Joan. Epist. 1. c. 4. nolite*, inquit, *omni spiritui credere*; sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Certè si a Deo non est spiritus, bonus non est. At quis iste? Respon. David *Psalm. 142. Spiritus tuus bonus, deducet me in terram rectam*; Quæ terra recta? stemus litteræ, certè terra recta est, quæ habet a quo regatur, non in qua quilibet ostentat se non indigere rectore. Spiritus bonus ille est, qui replevit orbem terrarum, non mentem unius, vel alterius, qui pacem donat, non facit scissiones, denique secundum Apostolum *prima Chorin. cap. 12.* discretio spirituum est gratia gratis data, quam dat Spiritus Sanctus, cui vult, *divisiones enim gratiarum sunt*, ait ibidem Apostol. quomodo igitur omnes, & singuli hunc spiritum habent, se ipsum, & omnia, discernentem? Sed planè spiritu carent, qui se ipsos non judicant, quia jam Judicati sunt, qui enim non credit jam judicatus est. Nunc ad argumentum, dicimus, in primo termino suam secum habere solutionem, cum dicit: Interrogemus Fidelem: si enim Fidelis est, jam habet Fidem, quę utrumque docet, scilicet, & Scripturam in se esse divinam, & quod approbata sit ab Ecclesia, auctoritate sibi a Deo concessa, utrumque igitur supponit Fidelis, & utrumque ex parte objecti resolvit in divinam veracitatem, & ex parte sua, idest ex parte subjecti resolvit, in evidentem credibilitatem mysteriorum Fidei, ut fusè probant PP. Salmatic. in tractat. de Fide, disput. prima dub. 5. & alibi in eodem tractatu, porrò nulla est implicantia, quod unus articulus Fidei alium inferat, & fundet, cum hæc sit fidei unitas, & connexio maxima verorum quæ credit; & quidem multo minor est implicantia in eo, de quo nunc agimus, sibi enim cohærent hi duo articuli in diverso genere causæ, dictat Scriptura talem potestatem esse in Ecclesia, proponendi quæ sunt credenda, & infallibilem esse ejus propositionem; Ecclesia verò non tribuit veritatem Scripturæ, sed tantum eam proponit, tamquam veram Dei locutionem. Nulla igitur in his est prioritas nisi materialis, & in diverso genere, quæ in connexis, ut in plurimum evidenter reperitur. Et satis est, quod uterque articulus in unicam formalem rationem referatur, & resolvatur, ut diximus. Unde in argumento omissa est interrogatio videlicet, quare Fidelis utrumque credat, & Ecclesiam a Scriptura assertam, cum tali auctoritate, & Scripturam ab Ecclesia propositam, & approbatam, sic enim fieret legitima Fidei resolutio, & Fidelis responderet, ad veracitatem infallibilem Dei revelantis, & ad evidentiam credibilitatis omnium, quæ Fides proponit, utrumque reduci, modo superius tacto. Cum autem ista satis superque apparentem argumenti evacuent difficultatem, plura brevitati donamus, quæ in priori scripto exarata rem hanc, quantum in similibus licet, perducunt ad evidentiam. Qui plura voluerit, Videat PP. Salmati. loco citato, nec non Cajetanum. Arauxo. Jo. a S. Thoma cæterosque, quos loco citato adducunt, & examinant prædicti PP. nec non Controversistas omnes, ad quos quæstio præsens potissimum spectat.

Respon. 2. verum quia aliter formari potest argumentum, per examen, non quidem Fidelis, jam in Fide eruditi, sed ejus, qui ad Fidem convertitur. Responderi potest secundò, per solutionem, quæ omnibus clariori modo possit esse communis, quamvis, & præcedens, hac universalitate non careat: Dicimus ergò, quod interrogationi illi, cum dicitur, unde scis Ecclesiam esse infallibilem, & habere hanc potestatem &c. Immò etiam illi interrogationi, quæ supponitur: unde scis debere esse in Ecclesia hanc Scripturam, & similibus, responderi debet, quia sic traditum est a majoribus nostris, ab immemorabili, nec tali umquam traditioni, fuit umquam legitimè derogatum. Ita certè sistit discursus, nec ultra procedere potest argumentum. In traditionem ergo legitimam, notissimam, & miraculis comprobatam, similes disquisitiones resolvuntur, nec propterea negatur, quod Scriptura testetur datam esse a Deo talem potestatem Ecclesiæ, sed sequendo hanc viam, etiam simplicibus patentem, dicemus eamdem traditionem ab ipsa Scriptura confirmari, quæ doctrina magis elucescet, si rem hanc a principio repetamus, cum Doctissimo Alphonso Salmerone tom. primo, l. primo proleg. primo ubi sic sentit.

Certè ab initio per bis mille annos, & eo amplius, A *ab Adam, usque ad Moysen, nullam mundus accepit Scripturam, qua regeretur, sed per majores, & qui velut aliorum erant columna, veritatis disciplina, per traditionem viva voce commendata, ea quæ necessaria erant ad salutem populus docebatur. Tempore autem Moysis tota illius status Ecclesia novit, Deum loqui, & operari per Moysen, unde dicebant, non loquatur nobis Deus, sed Moyses, atque simili modo res processit per succedentes Prophetas, qui, sicut antea Moyses publicaverat Dei legem, & ipsi Dei voluntatem ostendebant, unde post eorum mortem, Sinagoga universalis, quæ tunc erat orthodoxa Ecclesia, eorum prophetias, & doctrinam scriptam, veluti canonicas approbavit, nempe in Canonem redegit: adveniente autem Christo, qui non venerat legem solvere, sed adimplere, continuata est, immo ad perfectum redacta est Ecclesia, quia ea, quæ a Spiritu Sancto per priores prophetas prædicta fuerant, in ipso impleta sunt. Ipseque quia perficit Ecclesiam, eam & Sacris munivit legibus, & ipsi caput constituit, successione perpetuum, cui plenissimam contulit potestatem, ac media omnia, ut traditum sibi gregem erudiret, & servaret, in unitate veritatis, & esset in Ecclesia, unus Deus, una Fides, unum Baptisma. Ex his autem evidenter patet, fuisse semper ab initio veram Ecclesiam Dei, eique, exigente sic natura veræ Politiæ, a Deo fuisse concessam auctoritatem, sicut, & munus docendi, declarandi, & secernendi vera a falsis, idque congrue ad tempora, & status, qui fuere successivè diversi, ut jam vidimus. Sicut ergò ab initio omnis doctrina, a prioribus ad posteriores per traditionem descendebat, sic cum per Scripturam tradita est, ipsam Scripturam successivè semper concomitata est traditio, omnes docens potestatem hanc, & munus, semper fuisse, & perseverasse in Ecclesia, approbandi, & proponendi scriptam doctrinam, idque cum lumini naturæ sit admodum conforme, patere semper potuit, & nunc patet etiam simplicibus, immò ipsis magis, qui quia magis indigent doceri, ipsa natura ducti, ad majores recurrunt, & a factis magis, quam a ratione, exemplar, ac notitiam sumunt faciendorum.*

Nulla igitur vis amplius relinquitur argumento: statque undequaque conclusum, quod asseruimus, cum communi Catholicorum sententia: hinc illa erupit verissima æquè ac plausibilis vox Augustini *l. unico contra Epist. fundam. cap. 5. Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et planè idipsum ac plura, quæ hactenus deduximus, habet idem Augustin. Doctor l. 13. contra Faustum cap. 4., & l. 18. cap. 7., & l. 22. cap. 19. Et lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8., & alibi frequenter. Item Irenæus l. 3. contra Hæreses a cap. 2. usque ad 4., Origenes apud Eusèb. l. 6. cap. 25. Cyrill. Cathech. 4. Medina de recta in Deum Fide, cap. 11., & est Doctrina Thomistica ex omni parte, ut videre est apud PP. Salmat. toto tractat. de Fide. Ut autem magis constent hactenus adducta, & quia id præsens materia postulat, & quia dictum est cum Salmecone, ac cæteris, veram apud hebreos fuisse Ecclesiam, ac proinde Canonem sacrorum librorum, cohærenter sequens excitatur articulus.

ARTICULUS IV.

De prima divisione librorum canonicorum.

Communis Doctrina est, non omnes canonicos libros simul in canonem fuisse relatos. Summa enim diligentia usa fuit Ecclesia, in tam gravi negotio: & quia de aliquibus libris, ex varietate sentiendi Hebreorum, anceps erat quorumdam Catholicorum sententia, opus fuit diligentiori examine, & prolixiori, ad eorum probationem maturè procedere, ut nedum Fides, cui sufficit divina Auctoritas, sed humana etiam prudentia, eos quietè reciperet. Hinc libri Canonici in protocanonicos, & Deuterocanonicos distinguuntur: B dicuntur autem, ut nomen indicat protocanonici illi, de quibus nulla umquam dubitatio fuit, & ab initio ab Ecclesia recogniti, tamquam verum Dei Verbum, in Canonem venerunt, sicut libri Moysis, & Evangelia &c. unde dicuntur Proto, idest primò canonici; Deuterocanonici, idest posterius canonici sunt, qui post debitam discussionem, tempore posteriori in Canonem fuere recepti, sicut liber Ecclesiastici, Sapientiæ Baruch, & alii, de quibus suo loco: Eos tamen, ut notat Athanas. in Synopsi, apud Cathecumenos, legi primum permittebat Ecclesia, deinde teste Ruffino, concessit in Ecclesiis etiam publicè recitari, ad morum instructionem, non ad dogmatum doctrinam, ex quo, ut notat Xistus Sen. in biblioth. C lib. primo. In initio dicti fuerunt libri Ecclesiastici, & denique inter Scripturas canonicas fuerunt legitimè recensiti. Hæc est prima divisio generalis, & extrinseca librorum canonicorum ex qua, ab omnibus æqualiter acceptata, oritur quæstio, an omnes libri canonici, cum Proto, cum Deuterocanonici, quantum est ex hoc capite, sint, vel non, ejusdem auctoritatis.

Asserunt communiter Catholici: negant hæretici, pertinaciter sustinentes, libros Deuterocanonicos, minoris esse auctoritatis, immò incertæ, & fallentis, ex eo quod fuerint aliquando dubii, vel suspecti. Sed facilè ad hominem impugnantur. Quia per ipsos, prædicti libri fuerunt aliquando suspecti, ideò fallunt, nec habent auctoritatem, ergo quia ipsi Hæretici, nedum suspecti, sed cer- D tissimè damnati sunt ab Ecclesia, nempe ab illis, apud quos erat aliquando suspicio aliqua saltem negativa de prædictis libris, nullam habent auctoritatem, nullam eorum dicta continent veritatem, eliminandi sunt, non audiendi, ergo neque hoc, quod nunc dicunt, nempe hujuscemodi libros fallentis esse auctoritatis, aliquam meretur, aut responsionem, aut quæstionem. Hoc obiter posito.

Dicendum est, libros Sacræ Scripturæ Deuterocanonicos, ejusdem ac protocanonici esse auctoritatis. Adeò communis inter Catholicos est conclusio, ut frustraneum sit aliquem referre. Immò ipse Augustinus quem pro se citant hæretici in oppositum, se ipsum destrueret, si non esset pro nobis, qui enim ut vidimus articulo præcedenti dixit, se non crediturum Evangelio, nisi ad id, Ecclesiæ

clesiæ ipsum moveret auctoritas, non considerat A nisi auctoritatem Ecclesiæ, quæ eadem est omni tempore, qua posita, ipsa Veritas a Deo dictata intrinsecè ad Fidem movet. Quod si libro 17. de Civitate Dei, & alibi dicit, magis firma esse, quæ sunt in Canone hebræorum Sacra volumina, hoc apertè intelligit in ordine ad hebræos confutandos, quia ipsi, Deutorocanonicos non admittunt, unde apud ipsos, nec sunt Deuterocanonici, quia nec Canonici, sive ad vetus pertineant Testamentum, cujus non omnes libros recipiunt, sive ad novum, quod totum prorsus eliminant, ut benè Gretserus lib. primo Defensor. cap. 7., & alii &c.

Et ne hac in re, quæ non parvi momenti, est, aliquis remaneat scrupulus, de mente SS. PP. vel B Augustini, vel Hieronymi, qui magis apparenter, quam Augustinus videtur ponere diversitatem inter libros Sacræ Scripturæ materialiter consideratos, quamvis omnes, & primò, & secundò Canonicos formaliter, & reipsa, uti Dei Verbum veneretur. Advertendum est, quòd aliqua ex his, quæ Fides dictat, humana etiam ratio persuadet, quamvis ex diverso motivo, quòd ex eo oritur, quia mysteria Fidei, rationi non contrariantur, licet eam superent, unde quædam ex illis ita congruunt rationi, ut etiam ex hac parte, certissima esse possint, ut putà, quod Deus est, quòd anima rationalis est immortalis, & similia, ad quæ pertingere potuit etiam Philosophus, licet ex alio motivo, & ad quæ respiciens Tertullianus dicebat, sumus quodamodo naturaliter Christiani. Ita ergò C etiam de auctoritate, & certitudine Sacrorum librorum dici potest; eos siquidem ab Ecclesia directi recipimus per Fidem, uti verum Dei verbum, at quia aliqui ex illis ea exhibent, quorum certitudo lumine naturæ, saltem inadæquatè deprehendi potest, ut sunt historiæ, & quædam instructiones morales, quæ virtutibus, & bono rationis maximè quadrant, & similia, ex quibus Philosophi naturalem hauserunt sapientiam, ut supra tractatu præcedenti, de antiquitate Scripturæ, ac prius etiam notavimus, quamvis talis certitudo non sit de veritate supernaturali, quæ totam Sacram Scripturam, ut stat sub motivo Fidei, & unitate ejusdem auctoris, & finis, transcendit, tamen sibi maximè placens humana ratio, facilius ea amplectitur, quæ utrique rationi, & naturali scilicet, & D supernaturali innituntur, quam quæ sola Fide obscura proponuntur, & de illis (licet tantum apparenter, quia certitudo Fidei, omnem aliam etiam evidentem naturalem superat) quasi magis certificari, quam de istis quodamodò apprehendit.

Cum igitur SS. PP. videntur inæqualitatem ponere inter Sacros libros, si benè eorum sensus attendatur, constabit eos loqui, vel respiciendo prædicta, quæ rationi naturali pervia sunt, quæ non in singulis libris, nec æqualiter in omnibus occurrunt, vel ad humanas debiles conjecturas, secundum quas, vulgò, & in humanis fallibilibus rebus putant homines certius esse, id de quo numquam dubitatum est, quam id de quo aliquando suspicio fuit: Ita tamen procedunt, ut denique indubitabilis auctoritatis esse æqualiter, libros omnes Canonicos, & dicto, & facto concludant. Quia enim cum pluribus etiam rudibus loquuntur, humanis quandoque conjecturis, & historiis utuntur, ad ostendendum (quasi præparatoriè ad veram Fidem) verissima omninò esse, in omni consideratione etiam naturali, quæ in Sacris libris dicuntur, ut legens Chrisostomi opera passim inveniet, idque aliquando præstat Hieronymus, & ex professo Augustinus, toto ferè opere de Civitate Dei, & ubicumque se se offert occasio, in aureis suis operibus. Stat ergo SS. PP. nullatenus huic veritati, vel minimum opponi, quam in præsentituemur, immò pro ipsa mirificè insudare. Et quia prolixum nimis esset eorum opera hic specialiter examinare, satis est ea sic generali intuitu perspexisse.

Prob. assertio breviter unica ratione, quæ omnes complectitur. Ea quæ eodem Fidei motivo, æqualiter afficiuntur, æqualiter credi debent, uti verissima, atque certissima; Sed omnes libri canonici, sive primo, sive secundo loco, aut tempore approbati sint, eodem Fidei motivo æqualiter afficiuntur, ergo &c. Prob. min. æqualiter sunt Verbum Dei, infallibili Ecclesiæ testimonio comprobatum, quod enim aliqui prius, aliqui posterius recogniti fuerint, non tollit, quod modo omnes recogniti sint, & approbati, & recognitio supponit objectum, non facit, ergo &c. Maximè quia veritas non potest suscipere magis, & minus, aliter daretur medium inter contradictoria, quòd est impossibile.

Sed obiiciunt hæretici: Ideò æqualis essent auctoritatis omnes libri Canonici, quia ab Ecclesia æqualiter nunc acceptarentur; sed hoc est falsum: prob. min. Innocens, & pœnitens, etsi acceptentur a Deo ad Gloriam, quia tamen formaliter, ut tales, non sunt ejusdem meriti, nec erunt ejusdem præmii, unde & innocentibus datur Aureola, quæ pęnitentibus post lapsum denegatur, & quia inæquabiles sunt ex natura sua, omnis enim simul juncta pęnitentia, numquam ęquabit minimam, ut ita dixerim, Innocentiam, ergo etiam libri, qui aliquando fuerunt dubii, est impossibile, quòd æqualiter acceptentur, ac semper certi, quoniam ad preteritum non est potentia.

Confirm. primò: nulla propositio, manente eodem semper objecto, potest transire de vera in falsam, cum ergo invariata semper manserint objecta eorum librorum, qui nunc solum fuerunt approbati, semper eodem modo se habuit illorum doctrina: porrò si vera, cur tunc rejecta fuit veritas, si falsa, cur nunc approbatur?

Confirm. secundo seù declaratur pręcedens confirmatio: tota vis auctoritatis libri canonici pendet ab acceptione Ecclesię, ergo si auctoritatem libri probat, cum acceptat, nullam ejusdem esse auctoritatem probat, cum de eo dubitat, & non admittit. Sicut enim errare non potest, cum acceptat, nec errare potest, cum recusat, ergo semel a Canone, per non inclusionem rejectus liber, non potest amplius in Canonem recenseri,

quod

quod si recenseatur, inevitabilis est consequentia, ergo vel erravit prius reiiciendo, vel errat nunc acceptando.

Confirm. tertio, ferè eodem modo, vel Ecclesia in Canonem adscribens Sacros libros illuminatur a Spiritu Sancto, vel non, si secundum, ergo non habent Sacri libri aliam certitudinem, quod sint divini, nisi eam, quę ex eorum doctrina argui potest, si primum, ergo non indigent discussione humana, neque dilatione temporis, & consultatione, à quibus certè Spiritus Sanctus non dependet, quod si adhuc his utitur mediis, quę sunt fallibilia, quam infallibilitatem confert libris quos sic approbat?

Respon. verè eamdem semper in argumentis hæreticorum, & impudentiam, & imprudentiam, & falsitatem, sibi ipsi contrariam deprehendi. Stare nolunt auctoritati Ecclesiæ, nisi tota congregetur ad consultandum; si id præstet, quasi indigam consilii calumniantur assistentiam Spiritus Sancti, omni enim via perire conantur, unde nec sunt audiendi; quatenus tamen insultat apparentia argumenti, respond. conced. causal. majo. & neg. minor. ad probationem transeat anteced. & negatur suppositum consequentis: libri enim Deuterocanonici numquam fuerunt dubii positivè, ut supponitur, sed tantum negativè, quatenus sibi relinquebantur, absque determinatione rata Ecclesiæ, de eorum infallibilitate. A posteriori autem colligitur semper fuisse indubitabilis veritatis, quoad se, quia nunc eos tales esse declaravit Ecclesia, ita tamen se habebant quoad nos, ac si tales non essent, unde non fuisset contra Fidem, si contigisset, quod aliquis de illis dubitaret, ex aliqua humana ratione, ut de facto contigit: Adde quod nihil concludunt omnes hujusmodi instantiæ, & argumenti, & confirmationum; cum enim de communi consensu Ecclesiæ legerentur Cathecumenis, quos erudiri oportebat in Fide, jam eos Ecclesia approbabat, nec aliud approbationi deerat, quam solemnitas: quod postea in Ecclesiis etiam illorum lectio concederetur, erat solemnis declarationis initium, quæ fuit adæquatè completa, & confirmata, cum in Canonem sunt redacti: quare est evidens disparitas, inter pęnitentem comparatum cum Innocente, & libros Deuterocanonicos comparatos ad Protocanonicos, quia omnes fuere in re semper innocentis veritatis, licet non eodem tempore solemniter declaratæ: Ratio verò, quare sic quasi gradatim processerit Ecclesia, in eorum acceptatione, potest esse, quia sic suavi quodam modo afficiebantur sensim Catholici, ut faciliter, & cum fructu, eorum denique post approbationem amplecterentur doctrinam, quam prius nossent, sine suspicione novitatis, quam veritas semper abhorruit. Idque tunc etiam necesse fuit, ut aliquorum dubietas paulatim vinceretur, sine subita violentia, quæ turbat mentem: unde patet, quod ab Ecclesia numquam fuere reprobati (nihil interest si aliquibus non arridebant, hoc enim semper passa est veritas, absque sui læsione) positivè. Sed potius semper propositi, & approbati saltem dispositivè, etiam ab initio, & non quidem statim relati in

A Canonem, non quia Ecclesię deesset illuminatio Spiritus Sancti, sed quia potius talis illuminatio dictabat, sic esse procedendum, tum ob dictas rationes, tum etiam ne hæretici præcipitem sententiam, in re gravissima calumniarentur, de qua privatim ab aliquibus quęstio agebatur, eamque interim resolvi convenientius erat, ne vel quid minimum Fides haberet, quod rationi videretur adversum; sic enim facilius humanus intellectus in obsequium Fidei captivatur. Jam igitur patet clarissimè ad argumentum, omnesque ejus confirmationes, sive additas explicationes. Breviter tamen ad istas etiam respon.

Ad primam confirmationem concedimus libenter, primum enthymema; & ad subsumptum negatur suppositum, quia non ostenditur, quod libri

B Deuterocanonici fuerint aliquando rejecti ab habente auctoritatem.

Ad secundam confirmationem, eodem modo constat, quia habens auctoritatem, tales libros semper sufficienter admisit, ne esset legitima aliqua, de eorum veritate suspicio.

Ad tertiam dicimus, Ecclesiam adscribentem in Canonem sacros libros, illuminari a Spiritu Sancto; ad impugnationem, dist. conseq. non indiget, quoad substantiam conc. conseq. quoad modum neg. conseq. vel melius non indiget consultatione, de formali, & attenta vi illuminationis, conc. conseq. non indiget de præsupposito, & quoad nos, neg. conseq. Jam dictum est, quare Ecclesia consuevit in similibus adeò circumspectè procedere, in quo, &

C ad quod movetur a Spiritu Sancto, qui attingit quidem a fine, usque ad finem fortiter, sed etiam suaviter, qui autem sit iste modus suavis, innuitur, eum dicitur, disponit omnia, illuminat enim, sed non cogit, & humanæ se attemperans imbecillitati, sicut dignatur loqui in Sacra Scriptura, idiomatè, & verbis humanis, ita in ejus approbatione procedit, disponendo prius homines ad Fidem, deinde illuminando Ecclesiam, & semper ei assistit, ne erret, vel in mediis, vel in fine: non indiget ergo illuminatio illa, quoad se, humana consultatione, nec Ecclesia prout illam præcisè respicit, aut recipit, sed nostra imbecillitas indiget sic disponi; plenissimè igitur patet ad omnes instantias: aliqua tamen ad majorem explicationem afferri notare oportet, ne detur locus objectionibus, & ne

D præcludatur claritati simul, ac brevitati.

Primò notandum, quod attenta communi intelligentia, librum aliquem esse Protocanonicum, non importat aliquam prioritatem supra alios, vel ex dignitate materiæ, vel ex majori certitudine doctrinæ, & veritatis, vel ex majori sanctitate scribentis, vel ex alio simili capite. Tota enim Scriptura Sacra certissima, verissima, & Sanctissima est, & verè una (sicut suo loco videbimus) attenta unitate, & incomprehensibili dignitate, sui primarii, æternique auctoris, sed hujuscemodi vocabulo, tumtaxat denotatur, aliquem librum prius alio fuisse in Canonem relatum ab Ecclesia, ideò enim ly Proto jungitur, ly. canonicus, quia tota prioritas, vel posterioritas, ita significata, respicit priorem, vel posteriorem acceptationem Ecclesiæ.

So-

Secundò notandum, quod pro Ecclesia in novo Testamento, quantum ad hanc materiam spectat, sumimus, vel caput Ecclesiæ solum, quod est infallibile in rebus Fidei; vel idem cum Concilio, quod ab ipso (cum quo quando est non ponit in numero) habet infallibilitatem, & nihil addit supra talem infallibilitatem, nisi præsuppositam certitudinem, ortam ex sapientissima consultatione; quæ est dispositio, ut Fideles facilius Fidei se subiiciant, ut superiori articulo dicebamus; quæ est purior sententia Catholicorum, de quo videantur Controversistæ.

Tertio etiam notandum, quod Ecclesia circa aliquam Scripturam potest tripliciter se gerere. Vel illam videlicet positivè arcendo a Canone, & tunc ea non est canonica ullo modo, nec quoad se, nec quoad nos: Secundò eam simpliciter in Canonem recipiendo, & ea est canonica quoad se, & quoad nos. Tertio nec approbando, nec reprobando, & ea potest quidem esse Canonica quoad se, & in actu primo, sed quandiù talis non declaratur ab habente potestatem, nec potest dici canonica quoad se, quia taliter dici, ei provenire debet ab Ecclesia, nec est canonica quoad nos; qua in re deservire potest doctrina sacrorum Canonum, nec non Thomistica de Religione, circa adorationem Sanctorum. Explicata nunc primi Canonis divisione, ad secundam vocamur, qua dividitur Canon in Hebræum, & Christianum. Ad majorem autem claritatem dividemus etiam cum Canone articulos, primum de Hebræo, postmodum, & de Christiano agentes.

ARTICULUS V.

De Canone SS. librorum, apud Hebræos.

Hebræum canonem, non ideò Canonem dicimus, quia verè nunc sit talis, terminum enim eumdem habuit, & Sinagoga, & ejus auctoritas. Sed quia alias apud Hebræos erat legitimus Canon, nunc autem permittitur illi hoc nomen, quia est regula quædam doctrinalis, ex cujus antiquis fundamentis juvamur, ad magis percipiendum, quædam concernentia Sacram Scripturam; ad quem finem dumtaxat, de eo tractamus. Sed præmittendum, quod tam apud Hebræos, quam apud Latinos, aliqui libri dicuntur Agiographi, aliqui verò Apocriphi. Agios significat Sanctum: Graphos Scripturam, inde Agiographi, idest libri Sancti. Apocriphi verò, prout notat Senensis, in principio suæ Bibliothecæ, & cum eo plurimi, significat librum, cujus vel ignoratur certus auctor, vel incerta est ejus auctoritas, ac dubia doctrina: aliqui tamen libri sunt, quorum auctor (saltem secundarius) ignoratur, sed certam habent, & indubitatam doctrinam; alii quorum auctor scitur, sed doctrina latens, & obscuræ nimium est veritatis; itaque omnes libri Canonici, sunt Agiographi absque dubio, inter ipsos tamen aliqui recensentur, qui simul sunt Apocriphi primo modo, quorum videlicet Scriptor ignoratur; sed nullus est Apocriphus secundò modo, de cujus doctrina suspicio sit, aut esse possit; Quod ideò advertimus, quia aliquando in Pontificiis Decretis, vox ista, Apocriphi, sonat in malum, tunc enim accipitur secundo modo, sicut cum damnantur libri alicujus certi auctoris, tamquam periculosi, Apocriphi &c. & D. Hieronymus, qui admodum illustris est, in proprietate dicendi, hoc idem nomen aliquando sumit in malum, sicut in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis dicens. Igitur periodos Pauli, & Teclæ, & totam Baptizati Leonis fabulam, inter Apocriphas Scripturas computamus. Si autem quæras, cur aliqui libri, Canonici, hoc est Agiographi sunt, etiamsi illorum Scriptor ignoretur; facilè respond. quod statim, ac liber aliquis est Canonicus, certissimi sumus, eorum specialem auctorem fuisse Spiritum Sanctum. Nomen autem Scriptoris, nec auget, nec minuit talis libri auctoritatem, quod est speciale in Sacra Scriptura; si enim alicujus libri non Agiographi, auctor, seu Scriptor ignoratur, oritur prudens suspicio de ejus doctrina, cujus auctor, fortè quia malè agit, vult abscondi, ejusque liber proinde habetur, tamquam proles exposita, quæ vulgò censeri solet illegitima.

Nunc quantum ad Hebræum Canonem spectat, recolendum est, quod supra ex Salmerone articulo 3. retulimus: Ecclesiam veterem, seu Sinagogam, primò solum per traditionem Patrum ad Filios, uti suppositam, & supponendam sacrorum librorum auctoritatem, absque alio Canone transmisisse, usque ad Esdræ tempus, quo omnes tum Catholici Scriptores, quam Hæretici, ut notat Serar. cap. 8. q. 16. Sacrorum librorum Canonem confectum esse autumant, sive ab Esdra, simul cum Concilio magno, quod dicebatur Bodin, idest domus Judicii, & Keneteth Gedolah, idest congregatio magna, sive a solo Esdra, tamquam præcipuo Consilii illius Doctore, ut vult Abulens. lib. 2. Paralip. cap. 9. quæst. 25. qui appellatur communiter, Canon Hebræorum. Quamvis tamen hoc verum sit de formali Canone, qui tunc solum expressè confectus creditur, de libris Moysis, non est dubitandum, quin specialiter, ac cum primum noti esse potuerunt, habiti fuerint, ut verè canonici, cum legem, & præcepta Domini continerent, quæ fuerant intimata, & per legitimam stipulationem, a toto populo, & singulis acceptata, uti verè divina, ut constat passim ex Deuteronomio, & potissimum cap. 18. in ultimis verbis Moysis, & certè testis erat omnis populus de facto, quod per Moysen Dominus loquebatur.

An autem post Canonem Esdræ fuerit alius Canon, qui Deuterocanon esse, & dici potest, quamvis plures negent, Ratio tamen sufficiens affirmat, quia libri Esdræ, ipsius nomine insigniti, apud Hebræos inveniuntur (saltem aliqui) ut canonici, ipse autem Esdras, illos non perfecerat, quando prior ille Canon conditus est in Concilio, immò necredendum est, quod humilis, ac Sanctus Vir, etiamsi tunc perfecti jam fuissent, eos vellet, aut pateretur in Canonem redigi, se vivente, ergò post illum Canonem, vel alii, vel saltem alius conditus fuit. Concordant alii, & primò Genebrard. *lib. 2. cronologiæ ad ann. 3860. num. 10.* ubi sic: *Synodus Hiero-*

Hierosolymitana secunda de vertendis Scripturis fuit, & mittendis in Ægyptum 72. interpretibus, in qua videtur conditus secundus Canon Hebræorum, nam præter 22. libros Sacros, alii in Ægyptum delati sunt, ut liber Tobiæ &c. Ita etiam Epiphan. lib. de mensuris, & ponderibus; & Ecclesiasticus inter libros Sacros reponitur a Josepho lib. 2. contra Appionem, & tamen in illo primo Canone, Ecclesiasticus non recensetur. Tertiam pariter Synodum Hebręorum refert idem Genebrard. ann. 3952. in qua relati sunt in Canonem, etiam libri Machabæorum, & Judith. Et certè plures illi Canones Hebreorum, quos refert Xistus Senensis loco citato, & alii ferè communiter, non est verosimile, quod eodem tempore conditi fuerint, ut ex additione unius ad alium evidenter patet. Hæc autem notare oportebat, tum ad rei occurrentis veritatem, tum ad Sacrorum librorum antiquissimam auctoritatem ostendendam: diligentissimè enim Hebræi eos conservabant, & eos sic ordinante Deo custodiebant, ut ad nos securius pervenirent (quod sæpè notat Augusti.) & nos crederemus, & possent ipsi a nobis, absque ullo excusandæ suæ pervicaciæ loco, convinci. Tum quia antiquiores Catholici PP. eodem Canone utebantur, ac Hebræi, & potissimum primò, qui juxta numerum litterarum alphabeti Hebraici 22. libros recensebat.

Unde Gregor. Nazianz. in carmine de libris veris, & propriis Sacrę Scripturę partibus; libros canonicos apud Hebręos sub triplici partitione recenset. Et primo ponit 12. Historicos. Secundo quinque carmineos, 3., quinque Propheticos, eujus carmina gręca, sic reddunt latine, apud Senensem loco citato, & Nostrum P. Antonium, ac reliquos hoc loco.

> Suscipe Sanctorum numerum, nomenque librorum,
> Et primum historicos bis senos ordine, quorum
> Est genesis primus, Dein Exodus, atque Levites,
> Et Numeri, legisque iterum repetita voluntas.
> Hoc Jesus, Critęque, & Ruth, Moabita sequuntur.
> Hinc nonus, decimusque tenet gesta inclyta Regum.
> Undecimo annales veniunt, est ultimus Esdras.
> Sunt quoque carminei quinque, horum primus Job est,
> Proximus est huic David Rex, & tres Salomonis,
> Scilicet Ecclesiastes, & proverbia, cantus.
> Post hos Sanctorum mox quinque volumina Regum,
> Ex istis bis sex, libro retinentur in uno,
> Oseas, & Amos, Micheas, Joelque, Jonasque,
> Abdias, & Nahum, Abacuc, & Sophonias,
> Aggęus lętus, Zacharias, & Malachias:
> Hi primum librum, tenet Isaia secundum,
> Post hos Hieremias, Matris de ventre vocatus,
> Ezechiel Domini robur, Danielque supremus.
> Hęc veteris septem, ac ter quinque volumina Pacti,
> Bina, & viginti Solymorum elementa figurant.

Hęc ille, ubi mirantur aliqui, quòd omiserit librum Esther, sed hac omissione indicare voluit S. Doctor, eum apud Hebręos, non fuisse semper canonicum: Nec mirum, nam etiam apud Catholicos diù viguit eadem opinio, ut videre est apud Athanas. in synopsi, & plures eo antiquiores PP. Eadem autem ratio est etiam de libro Judith, & Tobię, & de libris Machabęorum, qui diù abfuerunt, etiam a Catholico Canone. Peculiaris tamen ratio fuit apud Nazianz. de libro Esther, ut notat Senensis loco citato, quia quamvis Hebręus Canon illum admitteret, secundum Hieronymum in prolog. Galeato, tamen quia aliqua, in ipsum intrusa fuerant, ex quibus reddebatur suspectus, & eum Nazianzenus scribebat, nundum erat ab illis expurgatus, illum a Canone etiam Hebręorum, quem ipse Catholicus referebat, putavit jure amandandum.

Plures possent hic subnecti canones Hbręorum, secundum quod, sub modo diverso supputandi, atque partiendi a SS. PP. cęterisque DD. referuntur; sed quia peculiarem aliquam doctrinam non ministrant, non sunt congregandi. Sufficiat igitur, claritatis gratia, aliquid meminisse ex Hieronymo loco citato, cum Georgio Edero lib. primo tabula 19. *In tertio ait ordine inter Agiographos, loco nono etiam librum Esther ponit Hieronymus, sin autem (quod aliqui putant fieri debere) librum Ruth adjectum alias libris Judicum, & Trenorum librum inter Hieremiæ scripta computatum suo loco inter Agiographa collocemus, 24. habebimus libros, qui signantur per 24. Seniores adorantes agnum in Apocalyp. cap. 5. Quidquid præter hos est (enumeratos scilicet a Nazianzeno) id Hebræi extra canonem statuebant, & uno nomine dicebant apocrypha, idest incerta scripta; inter quæ illi numerant Sapientiam, quæ Salomonis inscribitur: librum Jesu Filii Syrach, Judith, & Tobiam, quibus addunt Esdræ posteriores duos, librum Enoch, libros Machabæorum: Insuper orationem Azariæ, & canticum trium puerorum, quod nos habemus in Daniele cap. 3. Item Susannæ, & Belis historiam, quæ duobus ultimis capitibus Danielis continetur, & de libro Esther ea, quæ habentur a cap. 10., & infra.* Hæc Hederus, ex Hieronymo, quod si hæc non cohæreant cum dictis Genebrardi supra relati, nulla est oppositio, quia Genebrardus loquitur de novissimis Canonibus Hebræorum. Hederus verò de prioribus, ac magis communibus.

Sed obiicies: plures, ex Hebræis, cum Abner, Ezra, & David Kimki, asserunt libros veteris Testamenti esse 24. juxta numerum suarum litterarum, quæ sunt 24., ergo absolutè falsum est, in Hebræo canone solum 22. libros recenseri.

Respon. hoc minimi esse, nam & nos nuper advertimus, quomodo possint 24. numerari, quod autem litteræ illius alphabeti, modo 22., modo 24. dicantur, potest stare, si advertas, quòd Hebræi non audentes Dei nomen quadrilitterum, lingua, vel calamo attingere, illud triplicato *Jod* scribunt, & ideò ter ponunt *Jod*, etiam in suo alphabeto, in honorem nominis Dei. Immò quia *Caph. Mem. Nun. Pi. Tsade* sunt litteræ dupplices,

A

quinque etiam libri duplices ponuntuc, videlicet Samuel, qui est pcimus, & secundus Regum, Malachim, qui est 3., & 4. Regum, Paralypom. primus, & secundus, Esdras pcimus, & secundus, & Hieremias, cum Trhenis, quos si enumeremus singulos, & non ponamus sub dupplicitate, jam 27. libri habentur, sicut numerando litteras dupplices eodem modo, ut singulæ faciant duas, sunt litteræ 27. Ast cum ita supputantur, non ponitur triplex *Jod* aliter essent 29., sed ad summum, quia etiam littera *Sin* est duplex, juxta aliquos Hebręos, opoctebit sicut 28. littecæ hoc modo numerantuc, ita etiam dividere librum Ruth, a Judicibus, & librum Esthec supponere in Canone, quo non posito, Nazianz. 22. numerabat.

2. Obiicies, si omnes prædicti libri, apud Hebræos sunt canoniei, quare non omnes, sed solum

B

illi, qui in tectio ocdine ponuntuc, dicuntur agiographi, eum hoc nomen idem significet, ac canonicum; ergo vel male superius explicata est talis dictio, vel solum libri illi 3. ordinis apud Hebręos erant sancti, & canonici.

Respond. ex Ugone, in proæm. lib. Josuè, quod nomine genecis utimuc, pro significando aliquam speciem, quando illa non habet aliquod peculiare nomen ex pcopria differentia, & quia libri tertii ocdinis non habent talem singularitatem, ideò nominantur nomine communi, sicut contingit in Sanctis, quando non sunt, nec Vicgines, nec Martyres, nec Apostoli, vocantuc Confessoces, quòd est nomen commune omnibus, & specialiter elucet, in Apostolis, & in Mactyribus. Sicut etiam

C

Angelos, quorum naturam nominare peculiariter nescimus, vocamus nomine officii communi omnibus, Angelos &c.

Consultò autem hic recensere non curamus, canones illos hebcæorum, hæreticorum, quales erant Saducæi, qui solum pentateuchum admittebant; Nazareni, qui libcos omnes Moysis negabant, cęteris retentis. Intellige de Nazarenis hæreticis, qui fuerunt ante adventum Christi, non de illis, qui fuerunt post ipsum, quique Judaismum, & Christianismum unientes, neutrum obsecvant. Non enim nostcum est, insanorum hominum indicem texere; sed de his, & similibus videat, cui vacat, Origenem, Tertullianum, Hieronymum cætecosque, apud Marium in prolegom: qu. 4. sect. 1., & Epiphan. advecsus hæres. hæresi 5., & tomo 7.

D

hæresi 9. Nos verò intecim ad aliud hujus divisionis membrum ascendemus.

ARTICULUS VI.

Quis, & qualis sit Sacrorum librorum Canon Christianus sive Catholicus.

COntrà omnes simul errores hæreticorum, & veteris, & novi Testamenti, omissis etiam aliis canonibus Christianis, quos habemus, in variis tum Conciliorum, tum Pontificum decretis, qui hæc omnia in novissimo vim suam colligunt, brevitati studentes, unicum venerabile Concilii Tridentini statutum, universa, quæ ad rem nostram pectinent, complectens, præ oculis sempec habendum exhibemus; quod sessione quarta sic se habet.

Sacrosancta Ecumenica, & Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservecur, quod promissum ante per Prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus Noster Jesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis salutaris veritatis, & morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit, perspiciensque hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus tradita ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit Auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione, in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu suscipit, & veneratur.

Sacrorum verò librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur; sunt verò infrascripti.

TESTAMENTI VETERIS.

QVinque Moysis, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Josuè, Judicum, Ruth: Quatuor Regum, duo Paralipomenon; Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum; Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim Prophetæ minores, idest Oseæ, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & secundus.

TESTAMENTI NOVI.

QVatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum, a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli. Ad Romanos una, duæ ad Chorinthios. Ad Galatas, Ad Ephesios, Ad Philippenses, Ad Colossenses, Duæ ad Thessalonicenses, Duæ ad Timotheum. Ad Titum, Ad Philemonem, Ad Hebræos. Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres. Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris, & canonicis non susceperit, & Traditiones prædictas, sciens, & prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via, ipsa Synodus, post jactum Fidei confessionis fundamentum,

fit

sit processura, & quibus potissimum testimoniis, ac præsidiis, in confirmandis dogmatibus, & instaurandis moribus sit usura &c. Sequenti autem decreto, de editione, & usu sacrorum librorum statuit, & declaravit, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu, in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo illam reiicere, quovis prætextu audeat, vel præsumat.

A

Posito hoc decreto cessant infinitæ illæ quæstiones, quibus tot volumina redundant, an hic, vel ille liber sit canonicus, quidquid enim senserint antiqui, nos non movet, ubi Catholica Ecclesia in veritate nos fistit, eum ergo dubitare nemo Fidelis possit, post decretum adeò clarum, & ex omni parte firmissimum, jam hujuscemodi quæstiones, inter Catholicos locum non habent, nisi fortè ad impugnandos hæreticos, qui nulli pareunt, aut claritati, aut veritati. Sed hoc spectat ad Controversistas, nosque pro hac re sapientissimum Theologum Melchiorem Cano de locis Theologicis, toto lib. secundo exhibemus, ne si hanc etiam assumimus provinciam, nec instituto nostro, nec alieno satisfaciamus, ubi tamen, eum de peculiaribus libris, aliquid summatim prælibabimus, aliqua occurrerit difficultas, eam non fugiemus. Nunc ergo ad perfectionem præsentis articuli, satis erit in venerationem adeò gravis, sapientissimæque Sanctionis, quantum conveniens, etiam quoad libros, qui antea non erant canonici, quam benè fundata, quam provida, ex doctrina probatorum sapientum demonstrare, ac primo generaliter, deinde specialiter, utrobique breviter.

B

C

Prima totalis, & verissima ratio est, quia Deus, qui solus novit congruam temporibus, ac ægritudinibus adhibere medicinam, non prius, sed nunc solum ita disposuit, ita dictavit Ecclesiæ, ex quo tanta ejus auctoritas est, ut prius magnum Ecclesiæ lumen Augustin. serm. 129. de tempore, ei qui præter eos libros, quos Catholica receperit Ecclesia, aliquas Scripturas, vel authenticas esse crediderit, vel saltem ut authenticas veneratus fuerit, anathema dixerit, unde potius a posteriori arguendum est: Ecclesia ita statuit, ergo ex omni parte convenientissimum, & sapientissimum fuit.

D

Secunda est, quæ vel mediocri studio meditantibus omnes, & singulos prædictos libros, vel quamlibet eorum partem statim occurrit, ubique enim, & sanctimonia elucet mysteriorum, & concors veræ Doctrinæ Christianæ, quæ in illis viget, veritas, unitas, & certitudo, nihilque aut illi contrarium, aut sibi contradictorium, ut notat Epiphan. contra Audianos, & Augustin. de Civitate Dei l. 18., cap. 41., quamvis ergo Deo sic, sapientissimè disponente; priori ætate aliqui ex libris, quos in Canone recenset Sancta Tridentina Synodus, non essent Canonici, nunc tamen, quia clarius deprehendere licuit, veras in illis esse prærogativas verbi Dei, quas modo proposuimus, convenientissimè sic eos Ecclesia, ne amplius lucerna sub modio delitesceret, declaravit.

Ratione autem magis peculiari probant intentum, Medina de recta in Deum Fide lib. 6. cap. 10., & Georg. Eder. lib. primo tabul. 22. hoc ferè modo.

Valet apud integros Christianos, semperque valuit multum, Ecclesiasticus usus, præsertim Sanctorum PP. auctoritate probatus, quo ex his libris, quemadmodum, & ex aliis Sacræ Scripturæ voluminibus, in divinis officiis, ad instructionem Fidelium, lectiones assumuntur. Cur enim Sanctos Pontifices, qui hujus Sacri ministerii institutores, creduntur. Ambrosium, dico, Gelasium, Gregorium Leonem &c. incertas, & apocriphas Doctrinas, quibus nihil magis formidarunt, & oderunt, instruendis populis proposuisse credamus, præsertim cum multa essent in Sacra Scriptura volumina, quæ illorum loco legi potuissent? Sunt autem in hoc genere tot testimonia, tum in totius anni Lyturgiis, tum in canonicarum horarum lectionibus, capitulis, antiphonis. Responsoriis, ut hæc nonnisi cum maximo lectoris tædio, deduci possint.

Et infrà; *sequuntur in martyrum, Confessorum, Virginum, & Viduarum missis, sub titulo libri sapientiæ, tum ex ipso Sapientiæ libro, tum ex Ecclesiastico, penè omnes lectiones, ex Machabæorum libro, factum illud Judæ memorabile, quo pro his, qui ceciderant in prælio, oblationes, hierosolimas miserat, quemadmodum, & Epistola Paulina recitatur in defunctorum Lyturgia. Tobiam, Judith, & Esther, per mensis Septembris Dominicos Dies, quemadmodum librum Sapientiæ, per eos, qui celebrantur in Augusto, & libros Machabæorum per mensem Octobris; Epistolam Pauli ad hebræos per tres ferias majoris hebdomadæ loco Evangelii, ex vetusta consuetudine legi, cum multorum Episcoporum Concilio docet Gelasius c. Sancta Romana Ecclesia, distin. 15. Apocalyp. Joan. tres Epistolæ sub nomine, & titulo ejusdem B. Joan. Apostoli, Jacobi, Petri prima, & secunda, nec non & Epistolæ Judæ Apostoli, sub horum titulis, per quinque illas hebdomadas, quæ Pentecosten, & Festum Resurrectionis interjacent, uti Divinæ Scripturæ ad instructionem Fidelium, ab Ecclesia leguntur. Librum Baruch Sabbato Sancto, & Susannæ Historiam, Sabbato post Dominicam tertiam Quadragesimæ. Adulteræ historiam eodem Sabbato. Ultimum Marci capitulum ipso sacro Dominicæ Resurrectionis die, quasi Sacræ Scripturæ portiones, quibus tanta mysteria confirmantur, ut oportet, proponis Ecclesiæ. Atque hæc quidem, quæ pro istorum voluminum divinitate afferenda, tum ex Conciliis, & PP. tum ex usu Ecclesiastico protulimus, tanta sunt argumenta, ut neminem quamvis hereticum, & Ecclesiasticæ Doctrinæ infensissimum hostem, eis nisi cum manifesto levitatis indicio resistere posse appareat, ex quibus constat, & quinam sint sacri libri, de quibus olim fuit disputatio, & quam bene de illis semper senserit Ecclesia, & quam sapienter denique Sacra Synodus Tridentina eos canonicos infallibili, & inviolabili decreto a Sancta Sede ex Cathedra confirmato, declaraverit.*

Confirmatur idipsum ex eisdem Dectoribus, adducendo motiva, seu rationes, quæ Ecclesiam permoverunt, ut hujusmodi libros, semper coluerit, ac denique canonizaverit. Qua in re non quidem

quidem arcana Spiritus Sancti, qui Ecclesiam semper regit, & movet, scrutari præsumimus, sed potius PP. consultationes ad decretum prævias venerando, prælibare studemus. Sic ergo iterum prædicti Doctores suggerunt.

Sed jam quæ rationes Ecclesiam impulerint, ut prædictos libros, quasi Canonicos jam tum coluerit, paucis accipias. Invenit in libro Sapientiæ, Jesu Salvatoris Nostri, Mortis, & passionis, non tam prophetiam, quam expressam historiam. Sap. cap. 2. Invenit in Ecclesiastici libro, præter augustissima illa præcepta vivendi, quæ Deum auctorem non obscurè prætendunt, nomine divinæ Sapientiæ divini verbi processum, & humanæ carnis assumendæ manifestum oraculum, aliaque multa, quę universę Reipublicę Ecclesiasticę partibus; Martyribus, Virginibus, Confessoribus, & ante hos ordines, Apostolis ipsis convenire probantur, Ecclesiast. cap. 24.

Invenit in Tobia clarius, quam alibi Scripturarum, alterius vitę fieri mentionem, vitam, inq; illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam numquam mutant ab eo, Tob. cap. 2. Invenit in eodem, præter illum admirabilem providentiæ ordinem, quo, quorsum justi nonnumquam affligantur, instruimur, non modo Angelicos spiritus esse, contra Saducęorum insaniam, sed etiam in ministerium nostrum cęlitus, supremos quosque descendere, quod Paulus scribit, Hebræor. cap. primo. Invenit Demum in eo, nedum nuptias Deo acceptas, quod hæretici negant, sed & easdem Angelico ministerio honoratas, sicut & easdem sua ipse Christus præsentia decoraverat, Joan. cap. 2.

Invenit in Machabæorum libris non tantum futuræ resurrectionis Fidem, sanctissimi Ducis testimonio confirmari, sed & purgatorias pœnas, & defunctorum parentationes statui.

Invenit in Judith historia, Sanctissimæ Virginis, quæ juxtà divinum oraculum caput serpentis contrivit, expressissimum typum, Genes. cap. 3.

Invenit in Baruc prophetia, quemadmodum in Ecclesiastico, Sapientiæ figuram, irrefragabile Divinæ Incarnationis oraculum, hic est, inq; Deus noster, & non reputabitur alius ad eum. Baruch cap. 3. Hic adinvenit omnem viam disciplinę, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hęc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Quo autem evidentius hoc est de Christo testimonium, eò & mirabilius est, quod eximius alias Theologus Ludovicus Caravajal, librum hunc, cum Epistola Hieremiæ, inter apocripha reiiciat, levissimo ductus argumento, quod scilicet, in Hebræo canone non inveniatur, quasi verò Ecclesiasticas Scripturas hebraico canone, aut lingua metiri debeamus, & non potius arguere tales scripturas, ideò ab Hebræis repudiari, quia ex ipsis evidentius, de sua irrationabili pervicacia convincuntur. De his autem dumtaxat libris cationes adduximus, quia hi magis antiquitus in disputationem veniebant. De aliis autem simul, ac de his omnibus unica ratio generalis quidem prima facie, sed specialissima in re, quæ nedum libros, sed capita quælibet, & dictiones afficit singulorum, est consensio, tum dogmaticæ, cum etiam moralis veritatis, cum cæteris jam ab initio

A canonicis libris, quæ unicum certissimè testatur auctorem Deum, cui ut supra notavimus, totus hic qualis qualis labor noster inserviet.

Porrò ad illustrandum Concilii decretum, aliqua breviter addenda sunt, de partitione Sacræ Scripturæ, vera enim discendi methodus, est prius per definitionem, postmodum, & per partitionem procedere, cum ergò quæ sit Scriptura canonica Concilium definierit, nunc est partienda, plurimis tamen omissis, quæ & coincidunt, & novum lumen non afferunt, aliqua breviter subdimus.

Itaque ex Dried. l. 1. cap. 1. de Scripturis Ecclesiasticis, quod passim notat August. lib. 1. cap. 2. de Doctrina Christiana, dividitur ut notissimum est, & docet Concil. Tridentin. in præsenti, in vetus, & novum Testamentum, tamquam in duos B ordines. Primus, qui est veteris Testamenti, continet libros, qui agunt de sapientia, de bonitate, & de justitia Dei: secundus ordo, qui est novi Testamenti, continet libros spectantes ad populum Christianum, collectum in Fide, Spe, & Charitate: de hoc utroque Jerem. cap. 21. *consumabo super domum Israel Testamentum novum, non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti*, de utroque pariter. Sap. 1. tamquam de vero opere Spiritus Sancti. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, per utrumque videlicet Testamentum, propterea subdit, *& hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*, quia videlicet in Scriptura, quæ est scientia vocis Verbi Dei, & vox scientiæ Spiritus Sancti, bona omnia conti- C nentur; in veteri quidem initiativè figuraliter, & transitivè, in novo completivè. Item August. *l. 1. de Genes. cap. 1. Omnis Scriptura, inq. bipartita est, secundum id, quod Dominus significat, Math. cap. 13. dicens: omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini Patrisfamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera, quæ duo dicuntur Testamenta.*

Magis verò particulariter idem August. de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. libros quadraginta quatuor veteris Testamenti, ad aliqua partitionis membra reducit, alios ab aliis secernendo, sicque illos partitur in historiam, continuam, scilicet perpetua temporum serie cohærentem, ut sunt quinque libri Moysis, Jesu Nave, Judicum, & Ruth, qui magis ad regnorum principia videtur pertinere; regnorum quatuor; Paralipom. 2. Et in hi- D storiam discretam, sive promiscuam, tamquam ex diverso ordine, quæ inter se non ita connectitur, cujus partes sunt, Job, Tobias, Hester, Judith, Machabæorum lib. duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, usque ad regnorum, vel Paralipomen. terminatam, ac denique in prophetiam, quæ subdividitur, in prophetiam impropriam, & propriam. Impropria, quæ est sub quadam similitudine, continet libros Psalmorum, proverbior., canticorum, Ecclesiastę, Sapientiæ, & Ecclesiastici. Propria verò habet quatuor Prophetas majores, cum Baruch, & duodecim Prophetas minores, qui omnes verè, & propriè Prophetæ fuerunt, ad id muneris a Deo electi. His autem quadraginta quatuor libris concludit August. ibidem *cap. 9. totius veteris Testamenti terminatur*

aucto-

auctoritas, in quibus omnibus, timentes Deum, & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei, & in quibus inveniuntur omnia, quæ concernunt Fidem, moresque vivendi, spem, & charitatem.

Partitio novi Testamenti, ex se clarissima est, eamque explicant SS. PP. præcipuè verò Gregor. super Ezechiel. hom. 3. August. super Psalm. 86. Hieronym. in Prologis, Ambros. & alii passim, ex quibus sic deducitur. Libri novi Testamenti, alii sunt legales, licet simul historiales, ut sunt quatuor Evangelia, alii merè historiales, ut acta Apostolorum, alii Sapientiales sive Cathechistici, ut sunt epistolæ D. Pauli, aliæque Canonicæ, alii Prophetici, qualis est Apocalypsis. B. Joan. Apostoli. Et ita in quatuor hisce generibus sibi correspondent vetus, & novum Testamentum, & nedum in genere, sed etiam quoad rationes quasdam particulares, quas nunc prolixum nimis esset referre, satis enim hoc concipiet, qui figuram illud esse novit, hoc figuratum, illic umbram, hic rei adumbratæ veritatem, ideoque utrobique delineamentum proportione servata consimile reperiri, ita ut tamen, quò distantior a corpore umbra, eo prolixiores lineas trahat.

Aliam partitionem refert Ederus l. 1. tabul. 37. nam in libris novi Testamenti agitur, de Christianæ Catholicæ Ecclesiæ capite, & fundamento, idest de Christo, & recta in Deum Fide, quorum cognitio, & auctoritas explicatur in quatuor Evangeliis, & de ejusdem Ecclesiæ statu, in quo considerantur, Initia in Actis Apostolorum, progressus in Epistolis Pauli, & aliorum Apostolorum Canonicis, & finis, ut in Apocalypsi.

Supputatio librorum vteris Testamenti, ad numerum quadraginta quatuor ascendit, jungendo Baruch cum Jeremia. Novi verò ad viginti septem, ut inconcussa auctoritas Concilii Tridentini, cujus locum nunc tractamus, demonstrat, & totidem planè numeraverat Augustin. ubi supra, sicque simul omnes sunt septuaginta, & unus.

Nec refert, quod tam inferiorem numerum in suo canone Hebræi recenseant, ipsi enim aliquos uniunt, ut vidimus, alios reiiciunt, sicut & alios detruncant, quia non veritatem quærunt, sed fugiunt, in id unum intenti, ut si fieri possit, propriam, vel abscondant, vel excusent pervicaciam; & quamvis ante adventum Christi, hoc non ducerentur motivo, in varias tamen Sectas divisi, quoad aliquos Fidei articulos, ut de animæ immortalitate, ac similibus, eum quisque librum abhorrebat, qui propriæ contradicebat opinioni, sicque suspensa aliqualiter hærebat Ecclesia, seu Sinagoga, in aliquorum librorum acceptatione Canonica, etsi eos, manifesta veritate urgente venerari cogeretur, sed iis scrupulis, jam ammandatis, purissima undequaque, nunc apud Catholicam Ecclesiam Fides, suffocato Hæreticorum latratu, Canonem, præallegatum, debita notata librorum distinctione, in perpetuum duraturum sanctissimè, sapientissimeque constituit, ut nihil jam hac de re supersit dicendum.

ARTICULUS VII.

An fuerint aliqui libri Canonici (qui nunc non extant) præter enumeratos in Canone Tridentini.

Dicendum est statim, aliquos extitisse libros Canonicos verè tales, quos, quia non extant, necesse non fuit formaliter, in Concilii Canone recenseri, tamen etiam nunc debere dici Canonicos, quia in prædicto Canone, virtualiter continentur; ideoque ponitur hæc conclusio. Nullus est, nec fuit liber Canonicus, qui Canonem Tridentini præterat, sed eo modo omnes libri Sacri fuerunt, & sunt Canonici, quomodo sunt in tali Canone. Hanc conclusionem (licet absolutè, quod plus est) defendit Abulensis, Exodi c. 17. quæst. 7. loquens de libro Justorum, & de libro Enoch, & 2. Regum cap. primo, quæst. 13. & alibi sæpè. Raban. 2. Regum cap. 1. Lorca secunda secundæ, de locis Catholicis, disput. 3. Sanchez primo Regum cap. 10. num. 57. Bellarmin. tom. primo, controv. prima, & lib. 4. controver. 4., & ibi Gretser; Ruva tom. primo, controv. 1. dub. 7. & alii plures, quos citant Serar. & Noster P. Antoni. prælud. primo, dub. 7. num. 121. Nec mirum videatur, aliqnos citari, qui ante Concilium Tridenti. scripserunt, ratione siquidem utuntur, quæ huic etiam quadrat conclusioni, quæ idem Concilium concernit. Probatur autem conclus. sequenti discursu.

Idem est librum aliquem esse Canonicum, ac in vero Ecclesiæ Canone recenseri, sed nunc verus Canon Ecclesiæ Catholicæ est Tridentinus, quippe qui, & legitimus, & novissimus, & ita acceptatus, ut in praxi etiam sit vera Fidei regula, & judicii in hac materia, idque communissimè constat, ergò quilibet liber tantum, & eo modo dignoscitur esse Canonicus, quantum, & quomodo probari potest, in Tridentini Canone contineri, ergo nec ullus liber Canonicus præterit talem Canonem, nec qui illum præterit, quicumque sit, aut fuerit, potest dici, aut esse Canonicus, ergo si libri aliqui, qui non extant, debent hodie dici Canonici, (sicut afferunt præallegati DD.) ita ut vera sit ista propositio, si nunc extarent essent, & dicerentur Canonici, hoc habent a Canone Concilii, in quantum quod in illo saltem implicitè, ac virtualiter, vel mediatè continentur. Non enim aliam regulam habemus, vel habere possumus in præsenti, rebus stantibus, ut stant, ultrà prædictum Canonem; ne fiat contradictio in terminis, dicendo, Canonici sunt, & non sunt in Canone.

Quinam verò sint, vel melius, fuerint libri hujuscemodi, quos tantum fuisse cognoscimus, & qualiter ad hunc Canonem, in quo eos non legimus spectent, breviter ostendemus, cum Michaele de Medina l. 6. de recta in Deum Fide c. 5. & Georgio Edtro lib. primo partit. tabul. 31. & Sixto Senensi, aliisque supracitatis.

Præter jam enumerata legis divinæ volumina, quæ expressius in Tridentini Canone recensentur, alia multa, quæ vel ejus gentis frequentibus excidii,

diis, vel temporum injuria, vel demum (quod magis est credibile) quoad Ecclesiastici regni gubernationem, & civium salutem, pro futuris temporibus, quæ nunc sunt præsentia, necessaria non erant futura, Deo sic disponente, vel permittente, prorsus perierunt, itaut eorum, tantum peculiaris memoria relicta fuerit; eaque sunt partim historica, ut liber bellorum Domini; qui citatur numerorum cap. 21. Liber Justorum, qui citatur, Josue cap. 10., & 2. Regum cap. 1. Liber verborum dierum Salomonis, idest rerum, sub illius regno gestarum, qui citatur lib. 3. Regum cap. 11. Liber verborum Regum Israel, qui citatur lib. 3. Regum cap. 14. Liber Regum Juda, & Israel, qui citatur lib. 3. Regum cap. 15. Partim verò, idest pars altera eorum, est prophetica, uti sunt, prophetia Azaria filii Obed, ad Regem Asa, & omnem Juda, & Beniamin, quæ citatur lib. 2. Paralipom. cap. 15. prophetia Avani, ad eumdem Regem Asa, quæ citatur lib. 2. Paralip. cap. 16. prophetia Michea filii Zemia, ad Achab Regem Israel, & ad Josaphat Regem Juda, & citatur lib. 3. Regum cap. 22. Prophetia Jazielis, filii Zachariæ, ad eumdem Josaphat, & omnem Israel, quæ citatur lib. 2. Paralipom. cap. 20. Prophetia Oded ad universum Israel lib. 3. Regum cap. 12. Prophetia Eliefer filii Dodan, ad Josaphat, citato lib. 2. Paralipom. cap. 28. Prophetia Semeye ad Roboam Regem Juda, lib. 4. Regum, cap. 14. Prophetia Vriæ contra Jerusalem, & terram Juda, quæ citatur Jeremiæ cap. 26. Alia verò sunt promiscua, hoc est tam historica, quam prophetica, ex quibus sunt Libri Samuelis videntis citati lib. primo Paralipomen., cap. ultimo, & simul Prophetæ Nathan, eodem cap. Libri Gad videntis, Nathan Prophetæ, Achiæ Sylonitis, & Addò, qui scripserunt historiam Salomonis, ut habetur ex lib. primo Paralipom. cap. 29., & 2. Paralipom. cap. 9. Ozai Prophetia, cujus meminit lib. 2. Paralipom. cap. 33. Jonadab Rechabitę statuta, de quibus Jeremię cap. 35. & lib. 4. Regum cap. 8. Jehu filii Anani historia Josaphat, lib. 2. Paralipom. cap. 20. Oziæ Regis Juda historia, ab Isaia filio Amos scripta, lib. 2. Paralipom. cap. 36. Descriptiones Jeremiæ Prophetæ 2. Machab. cap. 2. Joan. Hircani liber dierum, primo Machabęor. cap. ultimo &c.

De quibus aliisque similibus, quæ in Sacrorum Bibliorum Scriptura commemorantur quidem, sed nusquam inveniuntur, ita scribit Athanas. in Synopsi in fine.

Qui Nathan, Addò, Achiæ Sylonitę, Semei, & Jehu, in libris Regum, libri esse scribuntur, non habentur: Prophetæ verò, qui, quæ prophetaverunt, scriptis quidem mandarunt, sed non inveniuntur, hi sunt. Psalmorum Davidis trium millium numerus, in Paralipomenis scribitur, è quibus 150. tantum ab amicis Ezechiæ Regis, selecti, reliqui verò absconditi sunt, quinque millia Paræmiarum, a Salomone edita esse, Scriptura in Paralipomenis tradit, nunc verò non sunt nisi Ecclesiastica illa, & cantica, canticorum, ex pluribus, quæ mystica sunt, selectas esse scriptum est, cum & quinque millia canticorum Salomonis fuerint. Et locutus est de arboribus, a cedro, quæ in Libano est, ad hysopum usque, quæ a muro nascitur. Locutus est etiam de Jumentis, de volucribus, de reptilibus, & piscibus; & hac tamen nusquam in hebraicis litteris reperiuntur. Josephus, Prophetam Ezechielem duos Prophetiæ libros scripsisse narrat. Nos verò jam unum dumtaxat inveniri scimus. Itaque hęc omnia propter impiorum Judæorum amentiam, & injuriam periisse manifestum est. Hæc Athanas. loco citato.

Placet autem de hac re, judicium etiam Origenis proferre, qui hom. prima in cantica sic scribit. Operosum est, si velimus nunc inquirere, quam multorum librorum commemoratio fiat in Scripturis Divinis, quorum lectio nobis nulla omnino est tradita, sed neque apud Judæos quidem usum hujusmodi reperimus lectionum, quę sive propterea, quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto, ferre de medio, sive quod quædam essent de Scripturis, quę vocantur apocripha, pro eo quod multa in eis corrupta, & contra Fidem veram invenirentur intrusa, non placuit majoribus, eis dare locum, nec admissi ad auctoritatem fuere Scripturę. Supra nos est de talibus pronunciare, illud tamen palam est, multa vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse prolata, & novo Testamento inserta, quę in his Scripturis, quas Canonicas nunc habemus numquam legimus, in apocriphis tamen inveniuntur, & evidenter ex ipsis ostenduntur assumpta. Ita Origen., sed ut subdit noster P. Antoni. loco citato, Origenes, qnoad hoc impugnatur ab omnibus, quia etiam Prophetæ, & magis Apocalypsis, altissima continent mysteria, & tamen servantur, melius igitur August., qui quæst. 42. in Numeros, fatetur se causam hujus deperditionis non invenire. Fallitur etiam Origen. in hoc quod dubitat libros hujuscemodi fuisse apocriphos, quod sanè admitti non potest, aliter diceremus in libris Canonicis approbari apocriphos, dum eos citant, & adducunt in testimonium Canonicæ veritatis (sumimus nunc, sicut & Origenes, nomen apocriphi in malum) quod certè nemo catholicus concedet. Notandum verò est, quoad hactenus relatam seriem librorum Sacrorum, qui fuerunt, & non sunt, talem seriem fortè in aliquibus redundare, in aliis deficere. Fortè enim redundat, quia aliqua nomina eorum, qui recensentur, inveniuntur in quibusdam exemplaribus, attributa etiam libris, quos nunc habemus, de paucis hoc tamen contingit. In aliis etiam fortè deficit, nam Librum Enoch, qui non commemoratur, reperimus expresse citatum, in Canonica Judæ Apostoli, & fortè alios non hactenus recensitos invenies, sed hoc veritati, quam nunc præcipuè tractamus, nullatenus contradicit.

Ostenso igitur, qua fieri potuit diligentia, quinam sint libri Sacri, qui jam extiterunt (probatum enim est extitisse) si in verè Canonicis, quos habemus, qui errare nequeunt, citantur, breviter etiam ostenditur eos dici Canonicos, ex auctoritate ejusdem Concilii, ex quo probata manebit conclusio. Statuit Concilium, libros Canonicos, quos recenset, acceptandos esse, ut tales, secundum omnem sui partem, atqui in aliqua sui parte prædicti lib. Canonici, citantes alios, qui nunc non extant, eosdem supponunt, admittunt, & approbant tamquam æqualis saltem auctoritatis, ac sunt ipsimet, ergo cum ex eo ipso, quod Canonici sint,

jam

jam fallere nequeant, nec mentiri, id debet veri- A ficari, quod nempe ejusdem sunt auctoritatis, ac ipsi libri Canonici, in quibus citantur, cum verò id habere nequeant formaliter, quia nunc non sunt, hoc saltem habent objectivè, vel mediatè discursus patet, potest tamen claritatis ergò uno practicè exemplo confirmari.

Confirm. lib. 3. Regum cap. 11. Narratis iis, quæ fecit Salomon, saltem generaliter usque ad mortem, ad supplendum pro peculiari narratione, subditur: reliquum autem verborum Salomonis, & omnia, quæ fecit, & sapientia ejus, ecce universa scripta sunt, in libro verborum, dierum Salomonis, ibi ex modo loquendi, ita se gerit Sacer Scriptor, ut supponat, & verum esse id, quod in libro verborum prædicto, de Salomone B dicitur, esseque veluti continuationem, & prosecutionem eorum, quæ ipse hactenus dixerat, sicut auctor alicujus libri suspendit, quandoque, quod cæpit, & censet, se omissis satisfacere, si lectorem remittat, ad alium ejusdem tenoris, ac sententiæ librum, vel ad aliam sui libri partem, in qua nunc cæpta, completè apparent, quòd est idem, ac si dicat, talis liber est continuatio ejusdem argumenti, & sententiæ, quam nunc cæpi tradere, eademque veritas, & Fides, hic initiata illic completur, ergo cum ex decreto Concilii, tale caput, & pars capitis, auctoritatis sit canonicæ, jam ex eodem decreto approbatur etiam id, sine cujus veritate tale cap. nec esset certum, nec verum, ideòque nec canonicum, tale autem non esset nisi id, quod fatetur esse supplementum, & complemen- C tum proprium, eadem cum ipso auctoritate, certitudine, & veritate polleret, ut clarissimum est, ergo unica, & eadem approbatione, qua canonizavit cap. 11. lib. 4. Regum, approbavit etiam Librum verborum dierum Salomonis, ne veritas sit sibi ipsi difformis: maximè quia, ex hoc ipso, quod illud cap. 11. librum illum connotet tamquam sui supplementum, & complementum, jam talis liber, ut patet, evadit pars illius capitis canonici, ergo, & canonicus; declarat enim Concilium, quamlibet partem libri canonici, esse canonicam.

Alias rationes adducunt supracitati DD. ac præcipuè Noster P. Antonius quas brevitati donamus, cum enim, & ipse, & alii quidem diversam teneant viam, quoad hunc articulum, prolixum D nimis esset eorum argumenta, huic nostræ sententiæ, ac viæ accommodare. Denique notandum, hanc doctrinam potissimum respicere libros, qui non extant, & erant veteris Testamenti, nam quoad novum, locum non habet, ut suo loco appartbit. Ubique tamen manet eadem inconcussa conclusio, quod nempe nullus liber sit canonicus, nisi qui, & quo modo in Tridentino canone recensetur.

ARTICULUS VIII.

Quæ specialiter obstent conclusioni stabilitæ.

Conclusioni jam probatæ, neminem catholicorum invenimus refragari, si in propriis terminis, & sensu explicato consideretur: non desunt tamen, qui pietate potius ducti, quam scientia, suppositum ipsius non admittunt. Stapleton. enim lib. 2. contra Vvitacher; & Salmeron. prologomen. 9. cap. 4. negant extitisse aliquos Sacros libros, præter illos, quos nunc habemus. Et quidem sensus, & finis ipsorum est, occasionem hæreticis amputare, ne suos errores incognitis illis libris contineri prætendant. Sed tantorum pace Doctorum, non est neganda veritas, ut tollatur falsitas; dicamus potius cum Augustino, quid dicis hæretice? Dormientes testes adhibes? verè ipse magis obdormisti, qui somniando talia, defecisti. Quæ probatio, si suos fundent errores in eo, quod non est? eadem facilitate, quisque jure negabit, quòd astruunt, qua & ipsi probare nituntur, nam ex nihilo nihil fit, & quidem rationabiliter, & invincibiliter negabit quisque in illis contineri, quòd asserunt, quia si libri illi canonici erant, ut supponunt, eamdem, & unam cum his, quos habemus, continere debuerunt veritatem, quæ si in illis non fuit, sicut in istis est, quos certissimè scimus esse veraces, & divinos, ergo alii sunt a canonicis, eorumque testimonium irridendum. Probant his non obstantibus suam potius pietatem, quam opinionem præfati Doctores.

Primo: non potest probari, quòd aliqui libri exstiterint, habuerintque canonicam doctrinam, ex eo quod citentur in sacris litteris canonicis, quas habemus, alias oportebit inter Sacros libros recensere Epimenidis carmina, cujus testimonium adducit Apostolus, in Epistola ad Titum cap. primo, maximè cum eum dicat Prophetam: *dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri;* insuper sacro canoni adscribemus omnes libros Gentilium, quorum dicta aliquando citat idem Apostolus, ut prima ad Chorinth. cap. 15., & actorum cap. 17. quo quid absurdius?

Respon. distin. antec. ex eo quod præcisè, & utcumque citentur, conced. antec. ex eo quod citentur in Sacra Scriptura, & tamquam libri canonici, vel ejusdem veritatis, neg. anteced. jam constat ex dictis solutio; ipseque textus Apostoli satis se explicat, de Epimenide dicens, quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, si ipsorum, qui Gentiles erant, ergo non erat veritatis Propheta; ejusque testimonium adducit, ut arguat Cretenses ad hominem ex propriis, & quia tale testimonium ex propria conditione suspectum erat falsitatis, debuit Apostolus subdere. Testimonium hoc verum est, ei tribuendo veritatem, quæ in simili teste non supponebatur. Non igitur currit semper eadem ratio in citationibus. Nec possumus ex citatione aliqua absolutè inferre, librum citatum esse canonicum, cum Scriptura citans, in modo allegandi, oppo-

oppositum demonstrat. Illustrat hanc veritatem doctrina Angelici Doctoris, lectione 3. ad præcitatum caput primum Epistolæ ad Titum, *Per hoc*, inq; *intelligimus quod Doctor Sacræ Scripturæ accipit testimonium veritatis, ubicumque illud invenerit. Unde Apostol. in pluribus locis recitat dicta Gentilium, sicut in prima Chorin. cap. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Item actorum cap. 17. In ipso vivimus, & movemur, & sumus: Nec propter hoc approbatur tota eorum Doctrina, sed eligitur bonum, quia verum a quocumque dicatur, est a Spiritu Sancto, & respuit malum &c.* Quod si Scriptura approbat tamquam sui supplementum, librum aliquem, eo ipso declarat illum esse sui generis, ut patet ipso naturæ lumine, non enim ipsa monstrum est, initio divino affuens, humanam, fallibilemque consumationem.

Argum. 2. Ad divinam spectat providentiam, quæ numquam deficit, libros, ad Fidem necessarios, datos a Spiritu Sancto conservare, ergo si non conservati sunt libri, de quibus nunc agitur, signum est non fuisse a Deo, & quidem hoc ipsum patet ex facto, cum enim librum trhenorum, Joachim Rex Juda combussisset, Hierem. cap. 36. curavit Deus, cum iterum ab eodem Propheta innovari, ut habetur eodem cap. num. 31.

Confirmatur, tenetur Ecclesia, divinum depositum sibi a Deo commissum, librorum scilicet Sacrorum, omni cura servare 1. ad Timoth. cap. 6. unde sicut ipsa non esset Fidelis custos, si periret unum Sacramentum, ita si periret unus liber Sacer, cum igitur ipsa certè fidelis sit, cui semper assistit indefectibiliter Spiritus Sanctus, si libri, de quibus nunc agimus perierunt, manifestum est eos non fuisse canonicos.

Respon. distin. anteced. ad divinam providentiam, &c. spectat conservare, pro fine, & tempore, pro quo dati sunt, conc. anteced. præter illum finem, & illud tempus, neg. anteced. clarum est, sicut enim præcepta ceremonialia data fuerunt a Deo, & nihilominus, nunc non sunt præcepta, quia pro illo, dumtaxat figurali statu data fuerunt. Ita proportione servata, aliqui libri Sacri fuerunt necessarii pro primis Ecclesiæ temporibus, & nunc non, ac propterea ille, qui novit congruam temporibus adhibere curam, tunc servavit, nunc non; Non enim debemus divinare, sed veritatem ex his, quæ certa sunt, colligere. Cum ergo, & ex Scriptura habeamus fuisse tales libros, utique præsentibus affines, & concordes, ideòque canonicos, & experientia constet, nunc eos non esse, & Fides dictet infallibilem Dei providentiam, in necessariis, suæ Ecclesiæ deesse non posse, necessariò deducimus, necessarios pro nunc eos non esse, sed pro tunc fuisse, & vana est illatio, non sunt, ergo, non fuerunt, quod verò subditur de libro trhenorum, manifestè retorquetur. Habemus ex Scriptura, & libros illos fuisse, & non habemus reparatos fuisse postquam perierunt, habemus librum trhenorum periisse, & reparatum fuisse, ergo utrumque divinæ congruit Sapientiæ, & liber trhenorum fuit, & est necessarius Ecclesiæ. Illi verò fuerunt, & non sunt necessarii.

A Ad confirmationem conced. antec., & neg. consequ. nam inter curam Ecclesiæ, & librorum amissionem mediat divina dispositio, unde fieri potest, & quòd Ecclesia curet omni sollicitudine, ne libri sacri pereant, & quod nihilominus inscrutabili divinæ sapientiæ judicio, ipsi dispereant.

Tertio Argum. Communis sententia tenet, Esdram reparasse, sive memoriter, sive per collectionem fragmentorum, omnes Sacros libros, qui in tot ærumnis, & direptionibus, illius populi perierant, sed nihil ex supra recensitis libris reparavit, reparatos siquidem non babemus, ergo signum est, quod non fuerunt, vel saltem, qui non sunt nunc, non fuere libri Sacri.

B Respon. quod Esdras, verè restituit Sacros libros, quia codices, post eorum incendium superstites collegit, ut potuit, & mediis aliis exemplaribus saltem partialibus, correxit, Deoque sibi assistente perfecit, & reparavit; sed libri, de quibus nunc, vel (saltem aliqui) fortè multo antè perierant, vel ipsos etiam reparavit; dicit enim ipse lib. 4. cap. 14. (quem Ecclesia veneratur licet nondum in Canonem admiserit) quod libri sic collecti in unum, & rescripti, erant ducenti, & quatuor, qui numerus nunc non habetur, unde necesse, dicendum est, illos post reparationem fuisse ammissos, sed quidquid sit de hoc, jam vidimus, quòd ipse Esdras in libris Paralipomen., verè canonicis, plures de talibus libris, qui nunc non extant, recognoscit, & approbat, ac citat, uti verè tunc præsentes, nam particula illa, qua ipse

C utitur, dicens, ecce, non dicitur de eo, quod non est, probabilius igitur, quisque concludere debet, post mortem Esdræ illos evanuisse, eo quod, in nova lege, persistentia eorum non erat necessaria.

Quartò Arg. ex prædictis libris nihil citatur in novo Testamento, ergo vel non fuere, vel non fuere canonici.

Confirm. libri veteris Testamenti tot sunt, quot litteræ alphabæti Hebraici, si autem admittamus, illos libros extitisse, dupplicabitur numerus litterarum, quod Judæi non præstiterunt, ergo &c.

Respond. neg. antec. quia Judas in sua canonica citat librum Enoch, & Paul. ad Colossen. cap. 4. citat Epistol. suam ad Laodicens. de quo suo loco dicetur, & neutrum ex his habemus, & prima

D ad Chorin cap. 2. juxta opinionem Origenis, tractat. 35. in Matth. ex libro, qui inscribebatur secreta Eliæ, ponit testimonium, & Matth. cap. 2. dicitur, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur, quod Chrisost. hom. 9. in Matth. putat deprumptum, ex libris Prophetarum deperditis.

Vel secundo respon. quòd argumentum nihil concludit; quia etiam ex canticis, & Ecclesiaste, & ex Ecclesiastico, & Tobia, & Judith, & Machab. nihil citatur in Evangelio, nec tamen, inde arguitur, quod non sint canonici, vel non extarent.

Ad confirm. respond. ex eo sequi, quod fortè perierint priusquam fieret proportio illa numeri, librorum, & litterarum Hebraicarum. Immo ea proportio

proportio certè non semper fuit, quia prius scriptus est Pentateuchus, qui libris 5. absolvitur, & adhuc si diceremus numerum librorum dupplicatum fuisse in proportione ad alphabetum, fuisset proportio in duplo, quod siquis negaret talem proportionem, obsisteret judaicæ observationi, quæ & ipsa quandoque variata fuit, ut patet ex Xisto Senens. loco citato, illique obsisteret, quæ non est ipsa veritas.

Quinto Argum. ex eo quod plures libri servati fuerint, etiam fragrante incendio, deducitur eos fuisse, & esse veræ sacros, & opus Dei, ergo ex eo quod isti perierint, qua procella ignotum est, debet sequi oppositum, quod videtur esse Augustini argumentum, lib. 18. de Civitate Dei, cap. 38.

Respond. conced. antec., & neg. conseq. non enim dicitur ad convertentiam, servati sunt, ergo sunt divini, divini sunt, ergo servati. Infælix argumentum, quid de Fide sentiremus si concluderet? tot millia Martyrum, (ideò Martyrum, quia pro Fide perierunt) in tyrannorum persecutionibus occisa sunt, vix quidam miraculosè erepti, ergo ne mortua cum illis illorum est Fides, in his tantum vera, qui erepti sunt, vixit, cum eadem utrinque, & per illorum mortem vinceret, & per istorum miraculosam ereptionem triumpharet? sanè de tribus pueris servatis in camino ignis ardentis, si non fuissent servati, nemo sanè mentis arguisset, ergo falsum Deum colunt, infertur tamen, quia sunt servati, ergo verum Deum colunt, quod ideò est, quia quamvis miracula probent veram fidem, non tamen Deus tenetur ad manifesta miracula, quasi Fidei veritas, quæ ex testimonio Dei dicentis summè vera est, ex solis miraculis pendeat: Hinc sapienter Daniel Regi respondit; *quod si noluerit Deus nos liberare, scito Rex, quod Deos tuos non colimus*; quamvis, & quoad hoc dici possit semper in similibus miraculum intervenire, cum non minus mirabilis sit potentia veritatis, & virtutis Dei, in hoc quod aliquos liberet, a potentia tyrannorum, ac in eo, quod tantam hominibus conferat constantiam, ut humanitatem prius exuant, contemnendo supplicia, quam ammittant, recipiendo. Et hoc ex occasione argumenti, cui dedimus instantiam, in simili, quamvis satis dispari casu. Negatur itaque illa consequentia, ob rationem prius assignatam, & concludimus, in re, quæ ex divina tantummodo sapientia pendet, debere sic argui; Plures libri etiam ex incendio fuere servati, ergo nedum opus Dei fuerunt, quòd sub ejus arbitrio semper est, ut duret, vel tollatur, sed etiam fuerunt, ad Fidem nutriendam necessarii, ex quo tantum sequitur, de illis, qui de medio sublati sunt, ergo necessarii imposterum non fuerunt. Ad auctoritatem, Augustini constat, illum, solum dubitando dixisse, quod fortè ideò tales libri perire permissi sunt, quia in illis aliquid humanum, cum Dei Verbo fuerat permixtum: cæterum reverà Augustin., stat pro nobis: dixit enim in illo eodem capite, loquens de tali deperditione, *cujus rei, fateor, causa me latet*: porrò si ipsum causa deperditionis eorum latet,

A ergo nescit, nec dicit, ideò periisse, quod canonici libri non essent. Immò ipse August. *lib. 13. cap. 23.* dixerat, *scripsisse aliqua divina, Enoch, negare non possumus*. Quod si dicamus, tales libros ideò fuisse sublatos, quia aliena a Deo manu, in eos aliquod humanum intrusum fuerit, jam redit quæstio, cur Deus permiserit hoc fieri, cum in hoc ipso perempta fuerit ipsorum Fides, & insuper hæc certò sequitur conseq. ergo ante talem admixtionem erant divini, ergo libri aliqui Sacri, canonici, qui nunc non extant, extiterunt.

Argum. 6. *Verbum Dei manet in æternum*: *Prima Petri cap. primo, & Matth. cap. 24., ac prius cap. 18.* omnia transibunt, sed non vel minimus apex verborum Dei, ergò si ista perierunt, non B erant verba Dei.

Confirm. quamvis ceremonialia legis veteris, modo nihil prosint, immò si observentur, noceant, quia modo mortifera sunt, adhuc tamen in Sacra Scriptura ea habemus, & legimus, ergo falsum est, ea perire, quæ non sunt necessaria ad dirigendam in Fide Ecclesiam, ac propter hanc rationem libros, de quibus nunc agimus, permissos fuisse perire.

Respon. omissa solutione, P. Nostri Antonii. Verbum Domini manere in æternum quoad fidelitatem, veritatem, legem, atque justitiam, quantum autem ad Scripturam, secundum se æternum esse, Sed ad finem præordinatum a Deo, si enim talis finis exigat, quod non duret, in aliqua sui parte, in illa durare non potest, & in hoc sensu C intelliguntur loca illa Scripturæ, ut clarè habetur ex ipsorum contextu: certè etiam verba Apostolorum prædicantium, erant Verba Dei, quibus dixerat Christus, *non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri &c.*, & tamen transibant secundum se, satis enim hoc erat ad eorum finem, sive ad effectum, ad quem dicebantur, in quo manebant, & in Fide universali, ad quam eorum prædicatio ordinabatur, & ita manent in æternum. Sicque proportione servata dicendum, de Sacris libris, qui nunc in se non extant, sed vel in aliis, quos habemus, vel in traditionibus, eorum doctrina, si necessaria pro nunc est, satis remansit.

Secundo Respon. totam Sacram Scripturam unam esse, veritate, & connexione: ad hoc igitur ut D Verbum Domini maneat in æternum, sufficit Scripturas aliquas remansisse, in quibus eadem formaliter doctrina reperitur, prout oportet. Exempla plura suggerit Philosophia, sicut de formali identitate compositi, in nutritione, de unitate loci, etiamsi superficies aquæ, & aeris successivè mutentur, sed his non indiget solutio per se nota.

Ad confirmat. negam. quod permanentia ceremonialium veteris Testamenti, in Scriptura nihil prosit; Nam duo habebant talia præcepta, & obligabant Judæos, & præfigurabant mysteria novi Testamenti, Deique Majestatem attestabantur, cui creatura se totaliter subiicere debet. Illud primum absolutè cessavit, illorumque observantia esset protestatio, enormis falsitatis: illa autem præfigura-

figuratio, quamvis evacuata sit, tamen adhuc con firmat veritatem novi Testamenti, quam videmus tot modis prænunciatam, sicque mysteria nostræ Fidei commendat, dum factum, seu datum cum promisso, ac præfigurato pensamus; ostendit insuper diversitatem utriusque Testamenti, ut ex majori beneficio discamus, majori divinæ charitatis vinculo nos teneri, ad amorem, & cultum Dei. Grande igitur bonum nobis præstitit Deus, in hoc quod illa in Sacra Scriptura servavit, ut ex his, quæ omittimus, discamus, quæ sunt illa, quæ aquisivimus, & delectemur etiam in vestigiis venientis ad nos Dei nostri, quem nobis jam donatum, & veluti semper ad nos pervenientem, fæliciter complectimur. Nihil igitur tot argumenta concludunt.

ARTICULUS IX.

Duplici quæstiuncula satisfaciens.

Quæres primò, an aliqui libri ad novum Testamentum spectantes, præter enumeratos in Canone Concilii Tridentini, possint dici aliquo modo Canonici, sicut dictum est de libris spectantibus ad vetus Testamentum, qui modo non extant.

Respon. de libris veteris Testamenti, qui non extant, potuisse quidem rationabiliter dici, sicut in præcedentibus articulis statuimus, & probavimus; sed de spectantibus ad novum, qui non extant, diversimodè discurrendum est. Quo circa notant in præcedentibus duobus articulis citati Doctores, præter eos libros, qui in Canone Tridentini, novo Testamento adscribuntur, alios fuisse, qui alias, vel verè, vel apparenter ipsi copulabantur, nempe Evangelia Andreæ, Thomæ, Bartholomæi, Tadæi, Barnabæ, Nicodemi, & Nazareorum &c. ac similiter, actus divinorum Petri, Andreæ, Philippi, & Thomæ gesta, & alia id generis scripta plurima, quæ numerantur a Gelasio Papa, in c. Sacr. Romana Ecclesia, distinc. 15. quæ omnia, vel ferè omnia, hæreticorum pravitate vitiata, & corrupta fuerunt, & vocantur communiter, ac habentur, tamquam apocripha, non quia infallibile sit, ea ab Apostolis, vel Apostolicis Viris non fuisse conscripta, sed quia per hæreticam perfidiam fuere pluribus infecti mendaciis, Deo sic permittente, eo quod illa, quæ nunc habemus sufficiant, idque veritatis, quod ab illis, si puri extarent, haurire possemus, plenè supplet Ecclesia, firmissimè in his, quæ pura habentur fundata.

Patet ergò, ex prædictis libris, qui non sunt in Canone novi Testamenti per Tridentinum exhibito, nullum posse dici Canonicum. Tum quia communiter reiiciuntur, nec in libris Canonicis novi Testamenti, ulla eorum, aut citatio, aut commemoratio reperitur, tum quia uti suspecti de intruso hæreticorum fermento, a Catholicis Doctoribus omittuntur, ut qui obesse potius valeant, quam prodesse. Tum denique quia (& hæc est ratio principalis) nec ex se, nec ex aliqua conne-

A xione, approbati sunt ab Ecclesia, unde eos acceptanti, tamquam aliquo modo Canonicos, magna Augustini auctoritas, ut supra vidimus, anathema dicit, cui concordat Hieronym. eos reiiciens, de Scriptoribus Ecclesiasticis, & de hoc satis, cum nulla occurrat rationabilis difficultas.

Quæres secundo, an etiam ante Concilium Tridentinum, iidem Sacri libri, qui in ejus Canone recensentur, fuerint recepti, & Canonici.

Respon. ita esse. Iidem enim Sacræ Scripturæ libri, ante annos mille, non quidem primum recepti, cum longè prior eorum fuerit auctoritas, sed in eum ordinem etiam, in quo usque ad Tridentinum, & a Tridentino, usque in hanc diem perseverant, digesti fuerunt. Indivisibile initium rei hujus a Doctoribus non assignatur, quod signum est immemorabilis antiquitatis. Inveniuntur
B tamen sic primò digesti, per Canones Apostolorum, Canone 84., & deinde per 4. Concilia videlicet Laodicense cap. 59. in quo licet de libris, Tobiæ, Judith, Sapientiæ. Ecclesiastici, Machabæorum, & Apocalypsi mentio non fiat, quia SS. PP. judicium de re tam gravi, in aliud tempus differre voluerunt, ut postea executioni fuit demandatum, non remanet tamen dubitandi locus, quia ab uno Concilio non decernente, argumentari negativum, non licet, cum de ratione dilationis, facto comprobata, jam constat. Concilium enim illud, unum affirmavit, aliud non negavit, sed utrumque nempe omnes illos esse libros Sacros affirmandum fuisse, sequentia Concilia, facto de-
C monstrarunt (unus enim semper in illis spiritus fuit, & erit, librans tempora, eorumque necessitatibus providens) unde sicut ex hoc dici non potest, quod sequentia Concilia illi contradixerint, sed potius quod illud compleverint, ita dici non potest, quod Laodicense, fundamentum præbuerit contradicendi, auctoritati Sacrorum librorum, quos reticuit, suæque reliquit veritati, quæ qualis esset, sequentia declararunt. Et etiam potest hoc confirmari, quia etsi argumentum privativum aliquid concludere possit, saltem probabiliter, tamen præcisè negativum nihil operatur, quia antecced. debet continere suum consequens, nemo enim dat, quod non habet, præcisa autem nagatio, cum nihil sit, nequit continere consequens de linea contrarii, quod est positivum, ideò non tenet, Con-
D cilium nihil statuit de libro Tobiæ, ergo illum reprobavit, quia hoc consequens est contrarium, & importat actum, qui in nihilo non continetur. Nec potest dici, quod anteced. sit privativum, quod æquivalet contrario, ad hoc enim requireretur, quod Concilium tunc teneretur pronunciare de libro, ex. gr. Tobiæ an esset verbum Dei, & insuper, quod præcessisset sufficiens tempus discussionis, & quod ab ipso solo privativè, quoad alia etiam Concilia, & pro eo præcisissimè tempore, tota penderet declaratio, quæ omnia falsa esse, convincitur evidenter, ex facto sequentium Conciliorum: hoc igitur Concilium adduximus ad ostendendam antiquitatem Canonis, quoad alios, in qua latebat dispositio postmodum manifestanda quoad omnes.

Secun-

Secundò. Per Concilium Chartaginense tertium, quod sub Aurelio celebratum est, cap. 47. in quo supradicti libri, una cum omissis in Laodicensi, omnes inter Canonicos libros recensiti fuerunt.

Tertiò. Per Concilium Florentinum, quod sub Eugenio celebratum est, ubi iidem omnes illi libri, inter Canonicos numerati sunt, & confirmati.

Denique Tridentinum, cujus nunc decretum novissimum veneramur, & observamus, ad tollendum omnem scrupulum, ex nequissimis hæreticorum disputationibus subortum, ita decrevit, in perpetuum valitura sanctione, quam superius recitavimus. Confert autem non parum, quod antiquitus repetiti semper fuerint, & semper inter Sacra Canonica scripta recitati libri iidem, a Summis Pontificibus, ubi oblata est occasio, & a PP. ac celeberimis Doctoribus.

Ac primum ab Innocentio primo, in epistola ad Exuperium Tolosæ Episcopum, sub finem; a Gelasio Papa, Romæ cum septuaginta Episcopis, habetur loco supracitato, ubi notandum, quod Machabæorum ponitur liber unus, fortè quia primus, & secundus unus tunc censebatur, nondum enim Sacri libri singuli, exactè fuerant, ut modo sunt, solicite distincti.

A Patribus autem, & Doctoribus; scilicet a B. Joan. Damasc. de orthodoxa Fide l. 4. cap. 18.

Ab Origene, in expositione, Psalmi primi, & in libro comment., super Matth. teste Eusebio l. 6. historiæ Ecclesiasticæ.

A divo Augustino, lib. 2. de Doctrina Christiana capite 8.

A D. Hieronymo, in prolog. super libr. Regum, & alibi.

A Ruffino, in expositione symboli.

Ab Eusebio lib. 3. cap. 25. libro quarto, cap. 26. libro 5. cap. 82. lib. 6. cap. 18. & 25.

A D. Isydoro Hispalensi, l. 6. Ethymol., & lib. primo de Ecclesiasticis officiis, cap. 12.

A Nicephoro Calisto, libro quinto, cap. 16.

A Nicolao Lyrano, in Biblia, de Libris Canonicis.

A Joan. Driedone, de Ecclesiasticis Scripturis, libro primo.

A Michaele de Medina, libro 6. de recta in Deum Fide.

A Melchiore Cano, libro secundo de locis Theologicis.

A Georgio Edero, Theolog. parti. libro primo, tabula 42.

Et deinceps ab omnibus Catholicis Doctoribus de hac materia tractantibus, quorum exercitus ferè innumerabilis, huic militat veritati, contra hæreticos, ac temporum injurias, ac varietates, invincibiliter confirmatæ, non modo longissimi temporis præscriptione, quæ ut loquuntur Legistæ, est melior titulus de mundo, sed & longissimo, & continuato, atque concordi Sanctorum PP., ac Doctorum usu communi, ac semper firmissimo totius Ecclesiæ Catholicæ judicio, cui qui resistit, Dei ordinationi resistit, & pugnat in Spiritum Sanctum. Hæc autem ex probatissimis collecta Doctoribus exhibemus, non ad disputandum in re, quam supponere quisque debet, sed in fidei obsequium.

SECTIONIS PRIMÆ CAPUT II.

De libris certè, & dubiè apocriphis.

Brevi calamo caput istud absolvendum est, sanctæ siquidem Ecclesiæ sollicitudo, in colligendo zizania, & purgandis sanæ doctrinæ pascuis, in indice librorum prohibitorum, omnem supplet disputationem.

ARTICULUS I.

Quinam hodie debeant dici libri apocriphi, & positivè reiiciendi.

Notandum primò, quæstiunculam hanc (ne actum in citato indice agamus) ad eos libros reduci, qui apparentiam habent libri Sacri propter materiam eamdem, vel consimilem, materiæ Sacrorum librorum. Nostrum enim non est ex infinita propemodum librorum congerie, qui hactenus fuere impressi seligere, quinam peculiariter apocriphi sint, sive reiiciendi, quod impossibile est.

Secundò notandum, certissimè debere supponi, quod nullus liber præter enumeratos in Canone Concilii Tridentini, potest dici Canonicus, unde quicumque alius, qui intrudatur quomodolibet, censendus est apocriphus, prout hoc nomine significatur, liber non Canonicus; Sed adhuc restat videndum, quinam sint peculiariter libri apocriphi, idest vel positivè rejecti a Canone, vel saltem privativè, eo quod, quamvis, vel aliquando a simplicibus habiti fuerint pro Sacris, vel materiam Sacris consimilem portendant, numquam tamen fuere approbati, vel aliquo modo admissi ab habente potestatem. Pro quo.

Regulas quidem statuit Concilium Tridentinum omninò servandas, & index librorum prohibitorum, eos vel in generali, vel in particulari sumptos percutit, & sugillat. Sed aliquos magis peculiari Nota dignos, dictos verè apocriphos selegit Athanas. in Synopsi, ex illis videlicet, qui tamquam Sacri ab aliquibus fingebantur, ob tituli apparentiam, vel appicti nomen auctoris, eosque refert ex eodem Athanas. aliisque, qui idipsum diligentiæ præstiterunt. Georg. Eder. lib. 1. tabula 43.

Testamenti veteris, seu potius ad ipsum respicientes sunt: Enoch Patriarchæ, qui planè non est idem cum illo, quem citat Judas in sua Canonica, sed ei suppositus.

Oratio Joseph. Testamentum Moysis, assumptio Moysis, Abraham, Eldad, & Modad. Eliæ Prophetæ, Sophoniæ Prophetæ, Zachariæ Patris Joannis, Baruch, Ambacum, Ezechiel, & Daniel falsò inscripti. Ita Athanas. in Synopsi de divinis Scripturis circa finem.

Ad novum verò Testamentum, ab aliquibus alias falsò adnati, quibus contradicitur ex eodem Atha-

A naf. ibidem sunt, circuitus Petri, circuitus Joannis, circuitus Thomæ, Evangelium Thomæ, Doctrina Apostolorum, Clementina.

Per Gelasium verò Papam in C. Sancta Romana Ecclesia, distin. 15. reprobati sunt.

Itinerarium nomine Petri, quod appellatur Sancti Clementis. Libri octo.

Actus nomine Apostolorum, Andreæ, Philippi, Petri, & Thomæ.

Evangelia Tadæi, Thomæ Apostoli, (quibus utuntur Manichæi) Barnabæ; Bartholomæi, Andreæ, & quæ falsaverunt Lucianus, & Hircius.

Liber de Infantia Salvatoris, de Nativitate Salvatoris, & de Sancta Maria, & de Obstetrice Salvatoris. Liber, qui vocatur pastoris, & libri omnes, quos fecit Leuticius, discipulus Diaboli.

B Item libri, qui appellantur, fundamentum, thesaurus, de Filiabus Adæ, vel Genesis. Pentametrum de Christo. Actus Teclæ, & Pauli, Leporius, & liber proverbiorum ab hæreticis transcriptus, & S. Xisti nomine signatus.

Revelationes quoque, quæ appellantur Pauli, Thomæ, Stephani, & libri, qui appellantur transitus Sanctæ Mariæ, pœnitentia Adæ, & alius liber Diogenis, homine Gigantis, qui post diluvium, cum Dracone ab hæreticis pugnasse perhibetur.

Testamentum Job, alias Jacob: de pœnitentia Origenis; de pœnitentia Cypriani, libri item, qui appellantur Jamnæ, & Mambræ, Sors Apostolorum, Lusanæ, Canonum Apostolorum, & liber phisiologus ab hæreticis conscriptus, sed B. Ambrosii nomine præsignatus.

C Historia Eusebii Pamphilii, & opusculum Tertulliani, sive Africani &c. quæ omnia apocrypha sunt, de quibus censura Divi Athanasii est, quæ sequitur.

Ex his veriora quædam, & Spiritus Dei instinctum resipientia, transumpta, & ut legantur selecta sunt. Hi omnes cognitionis gratia expositi, sunt, perversè verò scripti, Nothi, ac reprobri. Et nullus istorum maximè apocriphorum (quorum scilicet auctoris nomen reticetur) approbatur, aut utilis est, præsertim novi Instrumenti, sed omnes ab illis, qui supra digesti (canonicis videlicet, quos superius recensuerat) & a vetustis Sapientibus, ac Patribus approbati sunt, diversi quiddam habent, digni, qui abscondantur magis, quam qui legantur, ac etiam alii, & qui inter illos D *Evangelia, quoque vocantur (loquitur de illis, quos hoc loco retulimus primo, & secundo loco) extra quatuor Evangelia, quæ tradita nobis sunt, & verè Canonica, eadem censura involvuntur.*

Ut autem omnis tollatur æquivocatio, iterum notandum, seù recolendum, quod superiori etiam capite observavimus, quòd hoc nomen libri apocriphi, ut colligitur ex D. Hieronymo, de Scriptoribus Ecclesiasticis, aliisque Patribus multipliciter accipitur. Aliquando enim significat librum, cujus auctor ignoratur, nullusque ei inscribitur, quæ est magis propria hujus nominis significatio, nec per illam significatur, quod doctrina illius mala sit, cum plures inveniantur Sapientissimè conscripti, præciso, sive abscondito nomine auctoris, sicut cum primo impressa fuerunt commentaria in Psalmos, doctissimi P. Michaelis de Aiguano Carmelitæ, quòd opus celeberrimum, & undique sapientia scatens, communem semper, & venerationem, & admirationem obtinuit. Auctor tamen ob humilitatem cælato proprio nomine, sub eo auctoris Incogniti imprimi voluit, sub quo titulo, etsi nunc cognitus fuerit, adhuc ad humilitatis gloriam perseverat.

Aliquando ità significatur liber, cui fictè aliquis auctor præfigitur, qui non est, ex quo apud prudentes rationabilis consuevit oriri suspicio, etiam de veritate doctrinæ, quam hujuscemodi continet liber, cum præferat in fronte mendacium, ex quo naturaliter numquam sequitur verum.

Tertio prout significat librum, qui doctrinam habet periculosam, illegitimam, falsam, & cavendam, sive præferat verum, sive falsum, sive nullum auctorem; Prima acceptio indifferens est, & juxta rei circumstantias, vel in bonum sonat, vel in malum, secunda in malum vergit. Tertia in pejus. Quod si omnes istæ acceptiones alicui libro quadrant, pessimum sonat, & ita censuræ librorum attento earum contextu se se explicant, in quo sensu librum censeant, quem dicunt apocriphum.

ARTICULUS II.

Quid dicendum de peculiaribus locis Sacræ Scripturæ, de quibus aliqui dubitant sint canonica, nec ne.

NEmo quidem Catholicus dubitat, an aliqua pars Sacræ Scripturæ, vel particula, hoc est pars exigua, quæ verè sit pars ejus sit canonica, nec ne, nam ex hoc ipso jam catholicus non esset, negans firmitatem indubitabilem Tridentini decreti. Si ergò de aliquibus locis Scripturæ fit quæstio, non est formaliter de parte Sacræ Scripturæ, sed de loco aliquo, de quo quæritur, an verè sit pars ipsius Sacræ Scripturæ, propterea in titulo usi fuimus non nomine partis, sed loci, quia hoc nomen generalius sonat, & prescindit a parte formali, & materiali, sive accessoria.

Ex quo deduceimus, disputandum non esse inter Catholicos (nisi fortè impugnentur, & solvantur objecta hæreticorum) an Eliæ Sancti Patriarchæ nostri epistola, de qua primò Paralipom. cap. 21. dicitur, allatæ sunt litteræ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat &c. fuisse, & esse canonicam, est enim pars libri canonici, & quamvis non tota, sed ejus pars referatur, tota tamen, ita attribuitur Eliæ; sicut eidem attribuuntur ea, quæ prophetabat, 3. lib. Regum, ex quibus omnibus movetur Ecclesia, ad ipsum venerandum, ut verum Dei Prophetam, & dicta ejus uti canonica ab ipsa Scriptura Canonica formaliter approbantur, & proponuntur, ut talia in se, cum sit de materiali tantum quod ab Elia, vel ab alio canonico Scriptore, scripta sint: nec idem de dictis, & epistola Eliæ dici potest, quod dicitur de dictis amicorum Job, in Sacra Scriptura relatis, patet enim ex ipso contextu libri Job, hujuscemodi amicorum ejus

ejus proposita, ac responsa, canonica tantum esse reflexè, seu hypotheticè, non formaliter, & directè, quatenus scilicet canonicum est, & de Fide, quòd ita dixerunt, non id quod dixerunt, de quo alibi &c. cum Deus ea dicta non approbet, dicit enim ad illos, non estis locuti coram me rectè, sicut servus meus Job, quod è converso se habet de dictis, & scriptis Eliæ, cui tota Scriptura perhibet testimonium.

Nec refert quædam aliquorum objectio, quod nempe facto computo, talis epistola fuit scripta post raptum Eliæ, post quem Joram, ad quem illa directa fuit, regnare cæpit, eaque peccata committere, de quibus in illa epistola arguebatur, quod nimis mirabile videtur, & sine exemplo.

Non inquam hoc refert: si enim venturus est Elias, in fine mundi zelator, & prædicator veritatis, & adhuc moriturus, ut clarè asserit Joan. in Apocalypsi, cap. 11., & innuitur in Evangelio. Si adhuc vivit viator, ut probant Nostri PP. Salmatic. in tract. de gratia, & merito, disputat. prima dub. 5. quid mirum, si epistolam mittat ad Regem Joram, ut ipsum eò magis terreat, quò magis distans, & quasi homo alterius status. Quod si omnium, quæ in Scriptura traduntur, quæritur exemplum, jam prima numquam credentur, & a divina Scriptura, quæ suæ veritatis probationem habet in sola infallibili Dei veracitate, exigetur humana, & infimi gradus probatio ab exemplo, quæ omninò impertinens est, ad principiorum ostensionem, ut patet lumine naturæ. Nec in hoc immorandum, in quo concordant ferè communiter Doctores, ut refert N. P. Anton. qui ex professo, more suo, eruditè hanc difficultatem examinat, præludio primo, dub. 8. digressione unica, ubi qui plura volucrit, satis habebit.

Multa, quidem olim quæstio erat, de pluribus, nedum partibus Sacrorum librorum, sed & libris, an canonica auctoritate pollerent; at post Concilium Tridentinum, vix aliquid superest in hac parte examinandum; quod statim præstare curabimus.

Quæres igitur, an præfatiuncula, quæ præfigitur Trhenis Hieremiæ, debeat dici, & sit verè canonica, eaque est hujusmodi. *Et factum est postquam in captivitatem ductus est Israel, & Jerusalem deserta est, sedit Hieremias Propheta flens, & planxit lamentatione hac in Jerusalem, amaro animo suspirans, & ejulans dixit:* quam quidem, cum in textu Hebræo non habeamus, a septuaginta duobus Interpretibus additam fuisse communiter Doctores arbitrantur.

Dicendum est, hanc præfatiunculam absolutè non esse canonicam, aut partem libri trhenorum Hieremiæ.

Prob., & explicatur conclusio. Nemo sanè Catholicorum, si deprehenderet hanc præfatiunculam, esse partem Trhenorum Hieremiæ, dubitanter quæreret, an esset canonica, ergo cum omnes ferè Doctores, qui Sacram Scripturam, vel quæstionibus ad ejus intelligentiam tendentibus, vel expositionibus illustrant, hanc quæstionem habeant,

A & plures negativè respondere non trepident, certum est, eis utique nullatenus innotuisse certò, quantum requiritur ad Fidem, an sit pars vera libri, quem certo omnes fatentur esse canonicum, ita decernente Concilio. Ipsa igitur quæstio, & modus eam tractandi inter Catholicos, magna probatio est conclusionis negativæ; si enim licet dubitare an sit canonica, vel quòd idem est an sit pars libri canonici, ergo jam canonica non est, implicat enim, quòd aliquid sit tale, & quod sit dubium; canon enim Ecclesiæ tollit omnem dubitationem, ipseque decernit de libris ab ipso recensitis, & qualibet eorum parte: nec minor sanè ex hoc capite debetur Fides parti, quam toti, ratio siquidem formalis Fidei, attenditur in se ipsa, quæ non suscipit in se magis, & minus, unde sicut anathema illius canonis incurreret, qui dubitaret, de libro integro, ex recensitis, & multò magis, qui negaret; ita pariter, qui de illius parte; si ergo salva fide licet dubitare, & negare præfatiunculam, de qua nunc agimus, esse partem trhenorum, ac proinde canonicam, hoc unum certè concludi debet, talem eam non esse, quòd autem liceat dubitare, & negare, in praxi cernimus. Nemo enim eorum, qui dubitant, aut negant, usque modo damnatus invenitur, propter hoc, & libri eorum inoffensam habent lucem, ac a Sanctissima Inquisitione publicantur, & conceduntur, ergo &c.

Dices, semel posito decreto Concilii, nemo ipsi contradicit, dubitatio enim contradicens Concilio, ea tantum esset, qua quis supponens illam esse partem libri canonici, adhuc dubitaret esse canonicam, ceterum tota dubitatio est, an sit pars, nec, ne, libri trhenorum.

Sed contra, ergo certum est non esse canonicam. Prob. conseq. nullus liber certus componitur partibus dubiis, immò nec una parte dubia, & aliis certis, aliter sicut ait August. Respondens Hieronymo, de mendacio officioso, *si Scripturæ auctoritas in una parte vacillat, tota corruit*; & quidem commune Theologorum axioma, in Evangelio fundatum, irrefragabile omninò viget. Bonum ex integra causa; malum est ex quocumque defectu; tum etiam & magis in nostro casu, quia Concilium apertè loquitur de libris Sacris, cum omnibus suis partibus (nota ly suis) talis siquidem locutio designat proprietatem certam, quod scilicet intelligatur, de partibus propriis libri Sacri, porrò est repugnantia in terminis, quod sit pars dubia in ratione partis, & sit pars certa, libri certi; maximè quia pars dicit relationem, & unionem, ad alteram aliquam compartem: dubium autem, an sit, vel non, tollit hanc relationem, & unionem; quomodo enim fiet, actualis unio ejus, quod est, & ejus quod dubitatur an sit, vel an sit unibile, & fortè non est, cum hoc potius fundamentum sit contradictionis, quæ est summa separatio, quam unionis, quæ ordinatur, & facit unitatem. Stat ergò conclusio, eam præfatiunculam, nec esse, nec dici posse Canonicam, ejusque probatio ad hominem, contra afferentes, quam hactenus deduximus, idque ita certè,

ut

ut jam locus non videatur esse quæstioni, nisi fortè ut eis respondeamus, qui Canonicam esse affirmant, hi enim consequenter ad suam assertionem, graviter damnant negantes, quia si Canonica est, ergò anathema incurrit, qui id negat supposito Concilii decreto. A

Dices, hi qui affirmant, probabiliter tantum affirmant, sicut ex eorum rationibus dignosci potest, ideò aliam partem compatiuntur, cum propria opinione, uti aliquo modo probabilem.

Sed contra est, quia hoc modo utraque pars, velit, nolit, est absolutè negativa: Prob. una pars est negativa, ut supponitur, altera pars affirmans tantum probabiliter, præfatiunculam hanc esse Canonicam, jam dicit non esse reipsa talem, siquidem non stat aliquid esse Canonicum, nisi sit certò tale, aliter de tali Scriptura verificaretur: probabile est eam esse credendam, & probabile est eam non esse credendam (quod enim Canonicum est eo modo quo tale est, eodem spectat ad Fidem) talis autem incertitudo, si (ut supponimus cum Thomistica, & communiori sententia) pugnat cum scientia, quanto magis cum Fide, quæ absolutè certior est, omni scientia evidenti, & non supponit opinionem, sed evidentiam credibilitatis sui objecti, ergo nisi pars adversa, per certas, & indeclinabiles rationes concludat, quod asserit, jam se ipsam destruit, vel Fidei conceptum obliviscitur. B

Adde, quod exclusio opinionis ab objecto Fidei, vel ejus applicatione, speciali ratione convenit Sacræ Scripturę, quia si aliquid opinabile reperiretur in ipsa, eo ipso non esset amplius regula; de cujus essentia est, certitudo formaliter indivisibilis, unde nec esset amplius Sacra, nec divina, hoc enim habet, ut sit indefectibilis regula veritatis Fidei, ergo qui affirmat, & probat tantum probabiliter hanc præfatiunculam esse Canonicam, ex hoc ipso, negativæ parti convincitur subscripsisse. C

Replicabis: hi qui affirmant probabiliter, non dicunt eam esse probabiliter Canonicam, quod tantum convincitur esse implicatorium, sed probabiliter dicunt, eam esse certò Canonicam, quoniam ly probabiliter cadit supra opinionem, non super esse rei, de qua tractatur.

Sed contra est, siquis diceret: affirmo probabiliter tantum; Trinitatis Mysterium proponi ab Ecclesia, ut certo credendum, iste utique declinaret a Fide: sic enim posset convinci: illud certè, & vera Fide nobis credendum est, quod certè scimus ab Ecclesia propositum esse, ut de Fide credendum, sed tu, ut dicis, non cognoscis certè (probabilitas enim non stat cum certitudine de eodem) Mysterium Trinitatis propositum fuisse ab Ecclesia, tamquam de Fide, ergo jam fateris, tale Mysterium, tibi non esse vera, & certa fide credendum, quamvis enim scire, quod Ecclesia sic proponit, non sit actus Fidei, est tamen simpliciter necessarium, ad hoc ut Fides eliciat suum actum, circa suum objectum, ne dicatur in hoc casu, qui citò credit, levis est corde, & consequenter non credit Fide divina, hæc enim numquam damnatur levitatis, sed credet Fide humana, & minus quam humana, nam D

verè humana, prudens est, & non levis. Sic ergò etiam qui dicit, probabiliter tantum affirmo hanc præfatiunculam esse verè Canonicam, ac Dei Verbum, jam eo ipso eamdem a credendis de Fide, & a Dei Verbo Canonico secernit, propter eamdem rationem, proportionabiliter applicandam, ne pluries eadem frustra repetamus. Magis tamen ea ratio urget, in hac materia, quam in aliis ad Fidem spectantibus, esse enim propositum ab Ecclesia, ut de Fide credendum, in aliis articulis est conditio, ut credantur, quod verò aliqua Scriptura sit Canonica, substantialiter involuit ipsam Ecclesiæ approbationem, & propositionem, seu Canonem, ideòque si ratio prædicta in aliis ad Fidem spectantibus convincit, necessarium esse, ut ad Fidem spectent, quod certè cognoscantur, & sine hæsitatione proposita ab Ecclesia fuisse, ut credantur, multò magis, ut credamus, & asseramus firma Fide, aliquam Scripturam esse Canonicam requiritur, quod certè sciamus eam esse in individuo ab Ecclesia nobis traditam, ut & ei credamus ea, quæ continet, & credamus exercitè, Ecclesiæ auctoritatem in constituendo Canonem, eamque ipsi Scripturæ applicantes, credamus, & directè, & reflexè eam esse de Fide, & quod hoc ipsum sic credere spectat ad Fidem.

Ratio autem, quare ad Fidem, præexigatur semper illa certa cognitio, & non sufficiat opinativa, de præsuppositis ad Fidem, ut dicebamus, hæc potest assignari, cum Fides non procedat per evidentiam, sed obscurè, ex se non statim convincit, & implet intellectum, quantum est ex hac parte, unde ad hoc, ut intellectus illi se subdat plenè, debet ad hoc moveri, nedum per piam affectionem, de qua PP. nostri Salmaticen., cum Angelico Doctore in tractatu de Fide, egregiè concludunt, sed etiam per aliam cognitionem, quæ cognoscat objectum propositum mereri plenam Fidem, nihilque ei deesse, sive ex parte objecti, dicentis, sive ex parte subjecti audientis, ut rationabiliter acceptetur, ac firmissimè teneatur: si autem cognitio illa præcedens, tantum sit opinativa, non inclinabit nisi cum formidine ad credendum, & tantum abest, quod suppleat defectum evidentiæ, & confortet, ac impellat, quin potius suspendit, & detinet intellectum, ne procedat, quod est proprium formidinis &c. per quæ omnia simul juncta, satis videtur probata, & explicata assertio, & assumptum, quod nempe, qui probabiliter dicunt hanc præfatiunculam esse Canonicam, ipsi revera nobiscum negant, quod sibi videntur affirmare.

Quod si denique ipsi dicant, se certó ita asserere: hoc nihil est; non enim ad particulares Doctores spectat, sed ad Ecclesiam, declarare aliquam Scripturam, aut partem ejus esse Canonicam, quod tamen de hac præfatiuncula nondum præstitit, quin imò eam reiicientes, non reiicit, non damnat, sed potius admittit.

Nunc ne videamur, per solam impugnationem consumare quæstionem, alias etiam probationes assertionis proponere consultum erit. Et quidem quantum spectat ad auctoritatem, adducimus omnes

nes Doctores, ut supra innuimus. Illi enim qui negant jam nobiscum militant, qui verò affirmant eo ipso convincuntur negare, quod asserunt tantum probabiliter, cum nihil offerant certum. Quantum ad rationes etiam ostensum est, quod ipsa quæstio, magna ratio est pro nostra assertione, & ex hactenus dictis alias quisque concludet, plurimas doctè, & ornatè non minori eruditione, quam diffusione congerit N. P. Anton. loco citato præInd. primo, digressione tertia, per multas sectiones, ut mirari non desinas, quot orationes unicam sequantur, quam improbant, præfatiunculam. Nos breviter aliquas offeremus.

Primò, quia hæc præfatiuncula videtur intrusa, cujus nemo ex præcipuis SS. PP. meminit. Eusebius quidem eam commemorat, sed ut reiiciat, teste Agellio. Nec mediç ętatis PP. eam approbant, ut Paschasius, Rupert., Ugo Victorinus, & cęteri plures, nec ex novissimis alii pręter Grethser., & Bonart., ac Ghisler. Hi verò, qui eam reiiciunt plures, & insignes sunt. Bonav., Lyran., Francisc. Lucas, Dyonis. Chartusi. Agellius, Sanchez. A Castro, & Cornel. a Lap. in Trhenos scribentes, & cum his Bellarmi. Serar. & N. P. Joan. a Jes. Ma., can. 2. Ad lamentationes &c. & idem P. Anton. loco citato.

Secundo, non est de textu: vel enim est de corpore Textus, & hoc non, quia præcedit, vel ejus initium, sed neque hoc probari potest, quia Hebræi libros Sacros nominant ab eorum initio, sive a prima eorum aut littera, aut dictione: hunc autem Trhenorum vocant Echa, quæ est, *quomodo*; prima scilicet vox primi capitis, non autem prima præfatiunculæ. Et Ecclesia ipsa cum trhenos legit pro Feria 5. majoris hebdomadæ, dicit. Incipit lamentatio Hieremiæ Prophetæ. Aleph, quomodo sedet sola &c. ergo si ex hoc incipit, aliud initium præter istud, non sentit esse hujus libri, ipsaque stat contra opinantes oppositum.

Tertio ex verbis hujus præfatiunculæ colligitur, quod non est a Spiritu Sancto, immò nec a viro docto, quia de veritate suspecta est, & licet tres habeat vix in una pagella versus, quod requiritur alias ad rationem partis alicujus libri, tria tamen affirmat, qua neque cum antiquorum PP. sententia, nec cum veritate facti, nec cum gravitate Prophetæ, nec cum artificio libri cohærent, quod breviter ostenditur, nam tempus, quo in ea dicitur, lamentatum sic esse Prophetam, est post captivitatem, hoc autem falsum videtur, attenta PP. sententia, & præcipuè Hieronymi, qui in Zachar. lib. 2. inq; *Josias Rex justus a Pharaone cognomento Nechao vulneratus est, super quo lamentationes scripsit Hieremias, quæ leguntur in Ecclesia, & scripsisse eum, Paralipom. testatur historia lib. 2. cap. 35.* Constat autem ex libris Regum, quod Josias multò ante captivitatem mortuus est. Immò Paralip. loco citato, cap. seq. habemus, quod mortuo Josia regnavit Joachaz filius ejus, brevi tempore, & post eum Eliacim, seu Joachim, qui regnavit undecim annis, in Jerusal. post quem Sedecias patruus ejus, super Judam, & Jerusalem, quo tempore contigit captivitas, Prophetata quidem, sed non

A supposita, quando Hieremias planxit, sicut & Christus multò prius, quam Hierusalem destrueretur a Romanis, videns Civitatem, flevit super illam., & ita sentiunt Hebræi, & Caldæus Parapfrast., & D. Thom. Bonavent., & Ugo, & plures, quos refert loco citato N. P. Anton. Item quoad locum falli videtur, quia dicitur in ea, Hieremiam in Hierusalem lamentatum esse, & tamen ipsi adversarii, negant in Hierusalem lamentatum, sed in quadam speluncа extra urbem, quæ exinde dicta est spelunca Hieremiæ. Hæc igitur eam satis convincunt, nec Canonicam esse, quia nec veracem, immò nec doctam. Qui plura desiderat videat P. Anton. loco citato.

Contendit tamen opposita sententia, & in his præcipuè fundatur.

B Primò, quia in bibliis correctis jussu Clem. 8. & Xisti Quinti, dicitur ex mente Pontif. in præfatione ad Lectorem: in hac editione nihil non Canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est, atqui in tali editione hæc præfatiuncula repęritur, ergo ea nequit reiici, tamquam non Canonica, nec aliis inuri censuris.

Respon. Cornel. Alap. præfationem illam ad Lectorem, non esse Pontificis, sed Bellarmini, & sanè potius videtur esse Typographi. Negatur ergò, quod sit de mente Pontific. ac propterea Agellius, qui interfuit Bibliorum correctioni, tutè eam impugnat, ipseque Bellarminus non dicit esse Canonicam, nec ergo ex mente Pontific. neque ipsorum Correctorum approbatur. Secundo respond.

C ly nihil Canonicum, necessariò debere restringi. Ipsa enim Præf. ad lectorem ibidem impressa, certe non est Canonica, & in decursu libri verba illa, caput primum, caput secundum &c., & numeri versiculorum, & argumenta librorum, ac capitum, superaddita ad majorem distinctionem, & claritatem, aliaque tot similia, non sunt Canonica, ipsis enim ablatis, adhuc remanet integra Biblia vulgata latina approbata.

Secundo quia imprimitur peculiari caractere, quo librorum argumenta non imprimuntur, aut capitum.

Resp. malè inferri ex caractere esse Canonicam: nam tituli Psalmorum, in caractere peculiari non sunt, & tamen sunt Canonici, unde damnatus fuit Theodor. Moupesten. quod Psalmorum titulos re-

D jecisset, ut notat Lorin. præfat. in Psalm. similiter in proverbiis, titulus, qui est parabolæ Salomonis, Canonicus est, ut probat Salaz. in Isagcg. proverb., & tamen diverso imprimitur caractere.

Tertio a pari, quia uti Canonicæ admittuntur aliæ præfationes, ut puta Ecclesiastici, & litteræ Hieremiæ, & Lucę.

Resp. quod prologus brevis Ecclesiastici, qui alicubi ponitur in aliquibus scilicet impressionibus, non in omnibus, certè non est Canonicus, longior verò Ecclesiastici, sicut & litterę Jerem., & Machabęorum, & Lucę, sunt partes Canonicę, quia constat a Sacris Scriptoribus scriptas, & libris suis adjunctas, unde nulla est ratio in contrarium, siquidem, & habent perfectos sensus, & nihil falsum

sum continent, quę omnia desunt pręfatiunculę, de qua nunc agitur, quam Expositores examinant potius, quem exponunt, eo modo, quo explicant prologos D. Hieronymi, qui Canonici non sunt. Et hęc satis: siqua verò videatur, de aliquibus libris Sacris, aut eorum partibus superesse difficultas, in sequenti sectione explanabitur. Nunc enim postulat ordo doctrinę, ut quos libros, & divinos hactenus ostendimus, & verè Canonicos, ad breve redactos compendium proponamus, & quo modo salva brevitate possumus methodo abbreviationis exponamus ea, quę ad illorum lucem aliqualiter prodesse possunt, addentes.

TRACTATUS SEXTI

SECTIO SECUNDA.

De Sacra Scriptura, ut res est,

IN QUA

Abbreviatura exhibetur Bibliorum,

Sive singulorum librorum argumenta, Scriptores, Divisiones, & Fines, positivà methodo.

Dividit Petrus Aureolus Sacram Scripturam, ut alibi notavimus, in octo partes. Prima est politica, sive legislativa, scilicet Pentateuch. secunda cronica, sive historialis, in decem libris, Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomen., Esdra, Tobiæ, Judith, Hester, Machabæorum. Tertia hymnidica, & quasi poetica, seu decantativa, in libris tribus, Psalmorum, Trhenorum, & Cantico canticorum, quarta dialectica, & disputativa in libris duobus, Job, & Ecclesiastæ. Quinta prophetica, & declamativa in quinque libris prophetalibus, quatuor majorum, uno minorum Prophetarum, Sexta monastica, & consultativa in libris tribus, Proverbiorum, Sapientiæ, & Ecclesiastico, & sub istis sex modis docendi, sive partibus totum complet, & perficit vetus Testamentum.

C

Septima pars est testimonialis, & assertiva, in prima parte novi Testamenti, scilicet quatuor Evangeliis: Octava est Epistolaris, & destinativa, in Epistolis Canonicis, & libro Actuum Apostolorum, qui fuit Epistola Lucæ ad Theophilum, & in Apocalypsi, qui fuit Epistola a B. Joan. Apostolo, & Evangelista missa ad septem Asiæ Ecclesias, & in his totum consistit novum Testamentum.

D

Hunc igitur sapientissimi viri sequentes quasi indicem, sex capitibus, quæ vetus exhibeant Testamentum, sectionem hanc absolvemus. Tertiam sectionem considerationi novi Testamenti, quod duabus novissimis partibus secundum hanc divisionem completur, reservantes. Quia verò abreviandi assumptum disputationi vix locum relinquit, ideò positivè procedemus ex probatioribus in hac materia Doctoribus, breves notatiunculas, & divisiones, ac inspectiones prælibantes, ubi tamen occasio aliqua disputandi se se offeret, non refugiemus, sicut ex instituto nostro tenemur.

A

CAPUT I.

De prima parte totius Sacræ Scripturæ, quæ est Pentateuchus.

Pars politica, seu legislativa.

ARTICULUS I.

B

Brevem continens, & generalem inspectionem.

Ad eorum confirmationem, quæ in superiori sectione dicta sunt, & ut magis appareat, quam rationabiliter conditus sit sacrorum librorum Canon, in Concilio Tridentino, placet antiquitatis suffragium commemorare, ex D. Isydoro Hispalensi Episcopo, libro proœmiorum Sacræ Scripturæ, cujus initium est.

Plenitudo novi, veterisque Testamenti, quam in Canonem Catholica recipit Ecclesia, quæ Isydorus senior exposuit, juxta vetustam priorum traditionem, ista est &c. Prosequitur autem, eumdemque, quem postea Tridentina Synodus condidit Canonem, nullo prætermisso recitat verbo, ut constet, nedum antiquo novissimoque Ecclesiæ decreto, sed & ipsa traditione Canonicos undequaque esse, ac fuisse libros Sacros omnes, quos Tridentina Synodus tradit. Concludit verò idem Isydor. de utroque differens Testamento. *Hæc sunt nova, & vetera, quæ de thesauro Dei proferuntur, ex quibus cuncta Sacramentorum Mysteria revelantur. Hi duo Cherubim, qui in confessione S. Trinitatis jugiter decantantes, & hymnum dicentes erumpunt. Hæ litteræ Sacræ, hi libri integri numero, & auctoritate: alind cum istis nihil est comparandum &c.* in quo sensu concordant etiam cæteri PP., quod quia notissimum est, brevitati donamus.

Porro ad rem nostram, ex hoc sequitur, primos quinque Sacræ Scripturæ libros, nedum secundum se totos, sed etiam quoad nomen Scriptoris esse Canonicos. Non enim solum ab Isydoro, ex antiquissima traditione, dicuntur Moysis esse, sed etiam ex Concilii Canone, sic recensentur. Ibi quinque libri Moysis, cum quo tamen stat, si sanè intelligatur, quod ait Hieronym. *contra Helvid. sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram, ejusdem operis reparatorem, non recuso.* Idemque sentit Augustin. de mirabilibus Sacræ Scripturæ (si Augustini est liber ille) lib. 3. cap. 33. De tempore, quo fuere conscripti, aliisque, quæ ad eorum Scriptorem pertinent, alibi, at potissimum, cum agebamus de antiquitate Scripturæ, aliqua ut potuimus, prælibavimus. Nunc igitur breviter de Pentateucho in genere simul, & de ejus auctore, Senens. lib. primo.

Pentateuchus liber legis Domini, seu volumen legis Moysis,

Moysis, nam utroque modo sacræ Litteræ ipsum vocant, ab hebræis thora, hoc est lex, a Græcis Pentateuchos: idest quintuplex volumen appellatur. Hunc Moyses Filius Amram, Nepos Chaath, Pronepos Levi Patriarchæ, Hebræorum dux, & legislator conscripsit, quod & ipse sic testatur in l. Exodi cap. 24. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini, assumensque volumen fœderis, legit coram populo &c. & Deutero. 31. Postquam scripsit Moyses verba legis hujus, in volumine, atque complevit. Quod autem habetur de morte ejus, & sepultura. Esdram nonnulli addidisse credunt, alii Josuè, de quo nos alibi.

De argumento, & partibus Pentateuchi addit Georg. Eder. *lib. 2. tabula 14. in quinque libris Moysis agitur, de qualitate Domini legem statuentis, ut in Genesi, Ministri eam proponentis, ut in Exodo, Corporis legem continentis, ut in Levitico, Populi eam recipientis, ut in Numeris; epilogi eam explicantis, ut in Deuteronomio.*

Et quia Pentateuchus, ut observatum est, dicitur pars prima Sacræ Scripturæ, politica, seu legislativa, aliquid notandum est, de divinis legibus in hac parte contentis, aliisque ab ea connotatis.

Prior igitur est lex naturę generalis, a Deo hominibus, cum ipsa mente, & ratione infusa, quę ut omnibus pręferenda, ita est supponenda, explicata verò hęc fuit, & applicata juxta divinum beneplacitum ad diversas leges, de quibus nunc aliquid prelibamus. Sex verò leges diverso tempore hominibus a Deo datas in Pentateucho, & septimam, omnium perfectissimam, ab illis connotatam commemorat Eder. *l. 2. tabula 9.*

Prima in Paradiso, ante peccatum, de prohibitione ligni, secunda post prævaricationem, & expulsionem de Paradiso, de humani generis propagatione. Tertia Noè ante diluvium de fabricanda arca, quæ lex continebat, & sententiam damnationis per destructionem totius orbis terrarum, & reparationis humani generis pietatem.

Quarta post diluvium, de divisionibus Gentium, ut implerent omnem terram.

Quinta Abrahæ de circumcisione, continens initium Sacramentorum, & de immolatione filii sui Isaac, quæ fuit lex obedientiæ, ad æternam tendens redemptionem. Hæ leges significantur per quinque viros, quos Christus. Joan. cap. 4. sedens apud fontem dixit, habuisse mulierem illam samaritanam, ut interpretat. Glos. ibidem.

Sexta Moysi, in Monte Synai data, quæ alias in se continet, nam pro lege principaliter accipitur totus Pentateuchus; licet generaliter etiam lex dicatur totum vetus Testamentum &c. hæc lex intelligitur per sextum illius Samaritanæ virum, qui tamen non verus erat maritus: unde Salvator Noster, mulierem illam, hoc est Ecclesiam Catholicam, ab illo putativo marito, idest a lege litteræ, quæ nullam conferebat salutem, ad verum mittit virum, quæ lex est Spiritus, & Gratiæ in novo Testamento comprehensa, a quo spiritualem virtutum concipiat prolem.

Septima est, ad quam prior illa sextuplex respiciebat, ac præparabat, illa ipsa lex Spiritus, & Evangelium Gratiæ per Jesum Christum, quæ etiam lex Fidei dicitur, & peccatum, quod per legem Moysis

A *non aufertur, sed ostenditur tantum, etiam abluit, & tollit. Roman. cap. 8. & ibi Glosa.*

Lex igitur Moysi, rigorosè venit nomine legis, quippequę nihil aliud habebat, nisi esse legem, jugum, & fręnum, indomiti, & carnalis populi, quę sunt legis munera, & perfectum ejus erat, quod tantum respiciebat, & adumbrare conabatur futurum; & quia de ipsa est consideratio in toto Pentateucho, ideò meritò horum quinque librorum collectio, dicitur pars politica, sive legalis. Et quia simul cum lege, Pentateuchus historiam continet, ordinatam tamen ad Legis, dationem, intimationem, & executionem, inter historiales quidem recensetur, sed quasi antonomasticè, Lex vocatur. Ejus symbola, & significationes aliquas in ipsa contentas, ponit Eder. tab. sequen. & PP.
B plurimas passim, sed cum umbra fuerit verę legis Spiritus, umbram, umbrę, in umbra quęrere nimis obscurum.

ARTICULUS II.

Genesim, & Exodum complectens.

INter hos duos libros peculiaris relatio exigit, ut uniantur, se habent enim tamquam principium, & finis ejusdem libri, ut intuenti constabit.

Quoad primum. Xist. Senen. *Primus, inquit, liber continens creationem, & successionem humanæ prosapiæ usque ad mortem Joseph, hoc est gesta annorum bis mille tercentum, & octo, vocatur ab Hebræis*
C *Beresit, hoc est in principio, quia sic liber incipit.*

Summarium Genesis ex Hieronymo *ad Paulinum. In Genesi agitur de creatura mundi, cap. primo, de exordio generis humani, a cap. 2. de divisione terræ a cap. 10. & 11. de confusione linguarum cap. 11. de descensione Hebræorum, usque ad Ægyptum a cap. 12.*

At quia Fonseca ante commenta Cajetani, consuevit sacrorum librorum diligentius argumenta proponere, quæ summam continent singulorum, eum non omittimus. De Genesi igitur sic summatim. *Primus liber exponit originem, & causas rerum omnium, in quo voluit Moyses fidelis Propheta Domini, mundo ostendere, aliquod Numen in rerum natura, & aliquam divinam naturam subsistere, quod Deus*
D *unus sit, adversus eos, qui multos Deos introduxerunt: quod hic mundus sit creatus, adversus eos, qui eum dicunt sempiternum, Quod ipsum gubernat, contra eos, qui fato, & stellis omnia subiciunt. Quod vindex malorum sit, & omnia creaverit, propter hominem; describit præterea hominis ortum, qualis fuerit ab initio, quomodo lapsus sit, quomodo ab uno nati sunt omnes, perque terras sparsi, flagitiis nefariis, diluvio tandem ab irato Deo obruti fuerint. Rursus, qui in illo servati, omnibus regnis dederunt initium. Postremò Abraham, Isaac, & Jacob, & Joseph, Sanctorum Patriarcharum, qui ante legem tabularum vixerunt, vitæ describuntur, mores, illustria dicta, facta, & religio, & quomodò, de terra Canaan descenderunt in Ægyptum.*

Aliter Beda in lib. quæstionum super Genesim,

In principio. *Genesis*, inquit, *continet electionem populi, ministerio Patriarcharum, sive rerum in Ecclesia Dei gestarum seriem, tempore Patriarcharum: Adæ a cap. primo, usque ad sextum. Noë a cap. 6. ad 12. Abraham a cap. 12. ad 25. Isaac a cap. 25. ad 28. Jacob a c. 28. ad 37. Joseph a cap. 37. ad 50. Athanas. in synopsi de divinis Scripturis. Primus liber Moysis continet ordinem creationis Cæli, & terræ, & hominis, sex diebus, Dei requiem, & præceptum, transgressionem Adæ. Fratricidium Cain, Translationem Enoch, fabricationem Arcæ, diluvii, tempore Noe, & liberationem ejus; structuram turris, divisionem linguarum, dispersionem in nationes. Egressum Abrahæ de Caldæa, legem de circumcisione, Sodomorum subversionem, jusjurandum Dei ad Abraham: generationem duodecim Patriarcharum, venditionem Joseph, & historiam ejus, ac populi sui, in Ægyptum translati.*

Vel denique secundum alios. *Genesis est liber Dei Creatoris, Judicis, Servatoris, & Auxiliatoris, ac generaliter Domini, & universalissimi Legislatoris.* Hæc autem etsi aliqualiter diversa, quoad methodum, seligere tamen placuit, & referre, quia simul juncta, totum librum sumunt, & restrictivè exponunt, & si benè attendantur sua claritate, ac distinctione, Sacram Scripturam non modicum illustrant, eaque quo minus nostra, nobis magis arrident. Hanc igitur methodum deinceps servabimus.

Secundus Pentateuchi liber est Exodus, ad quem Xistus Senens. *Hic liber continet gesta annorum centum quadraginta sex, a morte scilicet Joseph, usque ad constructionem tabernaculi in deserto: vocatur ab Hebræis. Vehellescemoth, idest hæc sunt nomina, a Græcis Exodus, idest exitus, qui exitum populi de Ægypto narrat.*

Edeeus. *Post ostensam legislatoris dignitatem, in primo, rectè hic sequitur tractatio, de conditione ministri, per quem Deus humano generi legem suam proponere voluit, qui ad litteram fuit Moyses, quoad Spiritum Christus, figurativè in eo datus.*

Hieronym. ad Paulinum. *Hæc est Exodi summa, decem plagæ a cap. 7 ad 12., decalogus cap. 20. Mystica, & divina præcepta a cap. 21., & deinceps.*

Isydorus *in lib. proœmiorum, Exodus continet Hebræorum servitutem, ac decem plagas Ægypti, egressum populi, & nubem protegentem; transitum etiam rubri maris, mersumque cum curribus. Pharaonem, & gloriam decantationum: congressum quoque Eremi, cibum Mannæ, fluenta in dulcedinem versa, pugnam Amalech, mandata etiam decalogi, & arcam testamenti, dedicationemque tabernaculi, & oblationem.*

Fonseca de exodo; *in eo tractat Moyses, de institutione reipublicæ Israelis, nam cum Abrahamo, aliisque Patriarchis promisisset Dominus, se multiplicaturum semen eorum, & facturum se in gentem magnam, & populum celeberrimum, ita factum ostendit, & cum populus consistere non valeat, nisi certis legibus, & magistratibus, certaque Religione fuerit constitutus, & ordinatus, ideò in hoc libro Moyses legum, magistratuum, & religionis institutionem tra-*

A *dit, & quo pacto, ex multis virorum millibus, Judæorum gens in unum legitimum corpus a Deo constituta sit, eam ob causam, ut certus esset populus, in quo promissiones de Christo, usque ad ejus adventum conservarentur. Et licet hujus libri historia, multa complectatur, ingressum scilicet populi Israel in Ægyptum cum septuaginta viris, & egressum cum sexcentum millibus, in qua ostendit comprobatam Dei promissionem, de multiplicando semine Abrahæ. Item quomodo cum Amalecitis pugnaverint, depluto pane de Cælo pasti sint, murmuraverint, multisque modis peccaverint, & puniti sint, referatque primas duodecim populi mansiones, usque ad desertum Synai, ac plura Dei miracula ad protectionem, & conservationem populi: illud tamen commemorat præcipuè, admirabilis scilicet, & omnibus sæculis decantata liberatio Israel de Ægypto, diviso mari rubro (demersis* B *Ægyptiis post tot plagas) per quam mundo ferè universo, gloria Dei nostri cognita fuit, ut nemo excusaretur de ignorantia divinitatis, tam mirabili facto prædicatæ, ut omnes Dei adorarent potentiam, & cognoscerent fortitudinem, ut secundam timentes, primam venerarentur. Tradit, & magnam illam, ac gloriosam Decalogi promulgationem, quæ excepto Evangelio, sicut omnium prima, ita & maxima fuit, in qua aperta est Dei nostri voluntas, & quid a nobis requirat, & quanta cura, & amore, salutem, nostram semper fuerit meditatus.* Post hæc concludit idem Fonseca, *si sua rebus vocabula dare volueris, hunc librum, cathecismum potius Christianismi, quam exodum dices, cum nihil aliud, doceat, quam Dei legem, & veram Religionem, mores Sanctos, cæ-* C *remonias, & ritus ad protestationem divinæ dominationis, & majestatis.*

Augustin. ad Honoratum. *Exodi littera, futuræ Christianæ plebis allegoria fuit, & si diligenter stationes eas, mansionesque castrorum consideres, & conditiones locorum, quæ exodo continentur, magna in ipsis cælestis itineris mirabilia cernes.*

Pressius autem, quasi definitur hic liber sic, est promiscua tractatio, de præservatione, & vocatione Moysis, & quædam spiritalis, Genesis, de spiritali scilicet hominis creatione. Primum habet a principio tertii capitis, usque ad caput decimumnonum, secundum a cap. decimonono usque ad finem, unde benè concludit A Lapide, in principio D exodi dicens, *sicut in genesi, mundi creationis, ita in exodo mundi redemptionis historia, & typus consignatur, ut jure Rabanus scripserit omnia penè sacramenta præsentis Ecclesiæ, in exodo adumbrata, & expressa esse.*

Denique idem Cornel. eodem loco inquit. *Periocha exodi est, decem plagæ Ægypti, decalogus cum præceptis, tum Judicialibus, cum ceremonialibus, & fabrica tabernaculi.* Pulcra autem facilè invenies, comparando plagas, præceptis, juxta comminationem divinam, qua omnes plagas Ægypti, se dixit inducturum super populum Israel, si mandata ejus non servarent. Et quidem una, quæ omnes comprehendit, in Judæis infæliciffimè perseverat, quippe quia in propria, hoc est, ad ipsos venientem Christum, ac prædicantem, & exhibentem cæleste regnum, sui cum non

non receperunt, nolentes eum, qui ait. Ego sum lux mundi, palpabiles tenebras incurrerunt, & qui clamaverunt sanguis ejus super nos, & super filios nostros, sine spiritu viventes, aliud non sunt nisi caro, & sanguis; & aqua baptismi, eis vertitur in sanguinem, hoc est in mortem, numquam desituram. Ne autem plus justo hic detineamur, satis sit indicare. Videatur ergo Cornel. Alapide, ad finem hujus libri, quem pulcrè concludit per doxologiam Dei Salvatoris, & gestis in exodo recensitis, ejusque nobili epithome.

ARTICULUS III.

Libri Levitici brevis summa.

Tertius in Pentateucho liber, dicitur Leviticus, hebraicè Vayera, idest, *& vocavit*, græcè verò & latinè *Leviticus*, eo quod Levitarum ministeria, sacrificia, leges, & ritus contineat. Est historia unius mensis, hebræorum commorantium prope Synai, & hæc est causa, quarè dicatur etiam uno mense conscriptus, in eodem deserto Syna, qui fuit anni secundi egressionis de Ægypto mensis primus: anno mundi bis millesimo quadercentesimo, quinquagesimo quinto. A diluvio anno septingentesimo nonagesimo octavo; ante nativitatem Christi millesimo quatercentesimo, nonagesimo sexto, juxta computum communiorem, quem sequitur ubique, Alapide, cui tamen addit unum annum Xistus Senens. alteri inhærens computui, & quamvis moderni hebræi aliter computent, hoc tamen tempus rectè colligitur, ex ultimo capite exodi, & toto Levitico, & capite primo Numerorum, nec de hac re nobis in præsenti quæstio est.

Origen. hom. prima in Leviticum, *quæstionibus legis, ministro, & auctore absolutis commodè hic subditur, legum divinarum tractatio, in qua sacrificiorum ritus, & hostiarum diversitas, ac Sacerdotum ministeria describuntur.* Ibi enim ut scribit Hieronym. ad Paulinum, *singula sacrificia, immò singulæ penè syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus cælestia spirant sacramenta &c.* sicque innotescit, quo tendat lex, & omnia eam concernentia.

Ex præfationibus Cajetani. *Hebræis, ut dictum est hic liber dicitur, Vayera, hoc est, & vocavit, quòd hactenus a constitutione mundi, tam magnifica, & gratiosa vocatio, hominibus non contigerit. Invenitur quidem Deus vocasse de cælo, de nube, de rubo ardenti, sed hic vocat ex domicilio, quod majestate sua, & gloria implevit, & quod sibi unicè in terris delegerat, ut inter homines habitaret.*

Ex Edero. *Porrò immediatè agit hic liber, de vero Dei cultu, qui consistit principaliter in actu mentis interiori, seu ut Augustin. dicit de Doctrina Christiana, in Fide, Spe, & Charitate, & minus principaliter, & secundariò, in quibusdam actibus externis, qui sunt protestationes cultus interioris, ut sunt sacrificia, de quibus in hoc libro. Et ideò talia sacrificia, Deo non placuerunt, ut Cyrill. lib. 9. contra*

A *Julianum. Hieronym., & Rupert. in cap. primum Isaiæ, nisi tamquam figuræ, in se autem ex opere operato, non justificabant, sed data sunt illi populo ad majus malum evitandum, ne Idolis sacrificarent, ut otium evitarent, & Christi mysteria præfigurarent. Clemen. lib. primo recognit. sub med. Chrisostom. hom. 6. in Matth. Augustin. lib. primo contra adversarium Legis, & Prophetarum, cap. 18., & lib. 17. de Civitate Dei cap. 2.*

Continet itaque hic liber præcipuè ceremonias, & leges sacrificii, & offerendorum a principio ad cap. 8. Sacerdotis, & consecrandorum, a cap. 8. ad 11., Edulii, & cibariorum, quæ animalia sint munda, & quæ immunda cap. 11. Purificationis immundorum, a cap. 12. ad 23. Jubilæi, & Phase, & solemniorum, a cap. 23. ad cap. 27.
B Votorum, & promissionum, a cap. 27. ad finem. Item agit de moralibus præceptis, a cap. 19. ad 21. de Judicialibus a cap. 21. ad cap. 24., de obsequiis, & legibus, tabernaculi, utensilium, & indumentorum, de quibus prolixè ab aliquibus tractatur, quod nobis non conceditur, ne actum agentes, tractanda omittamus.

Notabilis est in eo apparitio manifesta gloriæ Domini cap. 9. Punitio Nadab, & Abi cap. 10. Filiorum scilicet Aaron, qui tacti vino, malè ministrantes in sacrificio, igne cælitus immisso extincti, extra castra sepulti sunt, & ob id prohibitum Sacerdotibus vinum, & omne, quod inebriare potest, cap. 10. Item solemnitas veteris legis, quæ pertinebat ad ferias Domini, quæ sunt,
C Sabbatum, qui dies sanctus est, quippe qui septimus, & requies Domini, Phase, idest transitus, qui est decimus quartus dies mensis primi, quo immolatus est agnus Paschalis, Azimorum per septem dies, Phase proximos, Pentecostes, idest dies quinquagesimus ab oblatione primitiarum. Festum Tubarum, currens primo die mensis septimi, feriæ tabernaculorum septem diebus, a decimo quinto mensis septimi. Sabbatum terræ, idest annus septimus, dictus requietionis, quo omnis terra jussa est quiescere. Jubilæus, qui est annus quinquagesimus. Panes propositionis, de quorum ritu cap. 24. Promissiones factæ observantibus, & pœnæ paratæ transgressoribus cap. 26. de quibus ritibus, festis, ac ceremoniis plurima diligentissimè collecta invenies, apud
D R. P. Nostrum Cherubinum in opere magno, tom. primo dissertat. 3., & deinceps. Concludit verò Fonseca, *in hoc libro videre licet, quam deceat sanctos, doctos, & integros esse Sacerdotes. In hoc item omnia Evangelii mysteria licet typis involuta, ipsius Christi Sacerdotium, & Sacrificium, ideoque tota redemptio, & omnes Christi virtutes continentur: hujus libri tredecim locorum verbum, & totidem sententias citarunt tum Evangelistæ, tum Paulus ipse.*

ARTICULUS IV.

Ad librum Pentateuci quartum, qui dicitur Numeri, respiciens.

QUartus Pentateuci liber, continens narrationem triginta octo annorum, mensium novem, & dierum viginti, hoc est a prima die secundi mensis, anni secundi, egressionis de Ægypto, scilicet gesta Moysis, & populi ab anno 2455. ad annum 2494., qui fuit a diluvio 798. ad annum 837. sive usque ad mansionem in campestribus Moab, super Jordanem, ubi postea mortuus est Moyses, dicitur ab Hebræis *Vaidaber*, hoc est, *& locutus est*, a Græcis, *arithmi*, idest Numeri, quòd in eo egressæ de Ægypto Tribus numerantur, & quadraginta duæ per eremum mansiones recensentur.

Post expositas leges, ut legibus populum daret, Moyses populum numeravit, & in certos ordines distribuit, quòd antea non præstiterat, ut scirent omnem ordinem a lege incipere. Et quia numerus est multitudo mensurata per unum, eum numerando, intelligere valuit, populum, se tandiù in multitudine adeò portentosa conservandum, quandiù mensuram, hoc est legem ejus servaret, qui ei intimaverat in decalogo, ut se unum coleret Deum; Quamvis autem in hoc libro numeret revera Judaicum populum Moyses, ejus tamen præcipua intentio est, nobis, populi Christiani describere profectum, sive ascensum a terra in Cælum, per duodecim tribus Israel, & quadraginta duas mansiones; ut autem per tribus Israel, populus Christianus, ita per quadraginta duas mansiones, virtutum profectus signatur.

Post quas, speciales adhuc supersunt septem mansiones, ducentes ad perfectionem; quas seraphico, aut melius divino calamo, ductrix nostra, & doctrix Ecclesiæ Sancta Mater Nostra Teresia, unico opere exposuit, ac disposuit. Totius enim Angelicæ, ac Theomysticæ Sapientię, divinum quoddam extractum, aut potius spiritus est opus illud, ut Sancti, ac Sapientes Deum, & divina, illud prægustantes, experiuntur, & doctissimus æquè, ac sapientissimus Noster P. Balthasar in suo mystico opere, ipsius commentator, per totum sapienter ostendit; Numerus enim perfectus, ex proprio conceptu, ille est, qui æqualiter per se ipsum replicatur, ideoque perfectus numerus mansionum, ut perficeretur, cum esset quadraginta duarum, has septem expectabat, ut nempè sic fierent quadraginta novem, qui numerus ex septem, septies per se ipsum ducto consurgit, sicque in hoc perfecto septem, perfecta, & æterna quies, in Jerusalem Cęlesti, perfectos excipiat eos, qui cum Deo, Teresia duce hic viventes, denique cum ipso in septima requiescent.

Ne verò putes hunc Pentateuchi librum carere mysterio, ad illud, hoc divinæ opus sapientiæ referendum est, quod dicitur Ecclesiastici cap. primo, de sapientia, *quod creavit illam Deus in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est.* Si autem consideremus qualitatem iniquissimi illius populi, in quo pauci inventi sunt justi, illud respicit, quod habetur *Ecclesiastæ primo cap.*, innumeros esse, qui pereunt, *stultorum* quippe *infinitus est numerus*, salvandos verò paucos numerari, *pauci vero electi*, *Matth. cap.* 20. Et quia in veteri Testamento, omnia quæ fiebant, figuralia erant, regni spiritualis, & æterni, respiciebat hic liber, Apocalypsis caput 7. ubi describitur cælestis exercitus, & numeratur beatus populus Dei, *& audivi*, inquit, *numerum signatorum, ex singulis tribubus duodecim millia signati*. Si enim capilli Electorum, inquit, Christus *Matth. cap.* 10. *omnes capilli capitis numerati sunt*, quanto magis ipsi electi. Propterea Psal. 138 *dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*. In inferno autem ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, numerus non invenitur, qui ex proprio conceptu importat ordinem, sed jam satis, huic reali (qui videtur mysticus) intellectui.

Ex præfatione Cajetani. *Referuntur in hoc libro, egregia variorum motuum, tumultuumque in Republica, & populi rebellis, exempla: Indicatur, quæ sors, quis eventus caperet seditiosos; Ostenditur, & mira conditio eorum, qui præsunt Reipublicæ, utque in tolerandis, & a suis, & ab exteris illata injuria, omnium hominum patientissimus, & constantissimus fuerit Moyses, qui tamen, & ipse suis vitiis non caruit; multa item ponuntur in hoc libro, quæ ad politiam pertinent, & religionem. Ad finem prope, describuntur varia bella, & leges quadam copiosius explicatæ, in campis moabiticis.*

Censet Abulensis. Moysen, Exodo complexum esse præcepta moralia, & naturalia, Levitico ceremonialia, Numeris Judicialia, quod ex parte verum est, tamen quoad librum Numeri non apparet, quomodo magis ad Judicialia, quam ad ceremonialia incumbat, nisi fortè pro Judicialibus, intelligantur punitiones, quæ in hoc libro referuntur, quod non ita propriè diceretur.

Notandum est, Moysen, in hoc libro, bis populum numerasse: prima numeratio fuit, quæ a cap. primo usque ad 16. refertur, postquam Core, Datan, & Abiron usurpatores Sacerdotii, terra absorbuit cum tabernaculis suis, & ignis statim voravit ducentos quinquaginta viros, proceres Synagogæ, & murmurante populo incendium destruxit, quatuordecim millia septingentos. Et mortuo Aarone in Oreb, fornicantes cum mulieribus Moabitarum, irritaverunt Dominum, ideoque perierunt viginti quatuor millia, cap. 25. Iterum Moyses, & Eleazarus filius Aaronis, jubente Domino, numeraverunt omnem summam Filiorum Israel, genitorum in deserto, a viginti annis, & supra, ac denuo numerati fuerunt sexcenta millia septingenti triginta, cap. 26.

Per hoc autem, quod populus Israel exiens de Ægypto, venit ad terram promissionis, per quadraginta duas mansiones, intelliguntur quadraginta duæ generationes, per quas Dei populus, ab Abraham Patre Fidei nostræ, venit ad Christum, Matth. cap. 1. Christus autem est hæreditas illa, quæ nobis in veteri, & novo Testamento promis-

sa

sa est, sed de his vide libellum Hieronymi ad Fabiolam, de quadraginta duabus mansionibus. Item & Origenem, qui in librum hunc luculenter scripsit, & Bedam in quæstionibus super libr. Numerorum, cæterosque PP. & Ederum hoc loco, tabula 54.

Notat, denique Cajetani præfator, auctoritatem hujus libri, dicens: unum dumtaxat locum hujus libri, a Joanne citatum reperi, sententias verò, decem & octo, tum in Joanne, cum in aliis.

ARTICULUS V.

De libro Deuteronomii.

Liber quintus Pentateu. ab Hebræis dicitur *Elleddebbarim*, idest, *ista sunt verba*, a Græcis, Deuteronomium, hoc est lex secunda, sive posterior, quia non quidem nova lex data post primam, sed est repetitio ejusdem legis descriptæ in superioribus libris ejusque explicatio. August. quæst. 49. Athanas. in synopsi aliique communiter.

Isydor. *lib. proæmiorum*: *In Deuteronomio* (inquit) *qua est secunda lex, narrantur, quæ inter Pharan, & Obeth, & Laban, & Asaroth, usque Cadesbarne fuerunt populo dicta a Moyse, mandata videlicet, atque promissa, maledictiones peccatorum, & promissiones beatitudinis. Ibi canit canticum Moyses, & dat benedictionem filiis Israel. Ibique, terra promissionibus inscripta, moritur, atque sepelitur. Nonnulli etiam Hebræorum, quatuor tantum libros computant legis; idest Genesim, Exodum, Leviticum, & Numerorum; Deuteronomium autem repetitionem eorumdem librorum, & quasi quoddam legis mediatorium dicunt, ex eo quod illi quatuor, proprias rerum gestarum continent causas, iste verò omnium, recitat, quasi iterando &c. Hunc alii etiam hunc librum dicunt codicillum, mox morituri legislatoris, seu proprius proclamatoris veteris Testamenti, & quia it non erat, nisi Minister, eo mortuo, cepit quidam populus ille terrenam hereditatem, idest terram promissionis, quæ erat [illegible], sed operum spiritalem, & æternam hæreditatem, quam morte sua, electo populo suo donaturus erat, verus legislator novi Testamenti Christus Jesus, Immaculatæ Virginis Filius Dei.*

Hieronym. *in prologo Galeato*. *Deuteronomium, secunda lex, & Evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic habet ea, quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus?*

Hunc scripsit Moyses, prope mortem, anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, quo eodem anno Judæi, eo mortuo transierunt Jordanem, & ingressi sunt terram Canaan, in Abelsatim, quæ fuit quadragesima secunda, & ultima mansio, qui annus fuit centesimus vigesimus ætatis Moysis, Mundi bis millesimus quatercentesimus nonagesimus tertius, a diluvio octocentesimus trigesimus sextus, ante nativitatem Christi millesimus quatercentesimus, quinquagesimus sextus, mense undecimo ejusdem anni. Ultimum caput hujus libri, alii Esdre, alii Josue, alii ipsi Moysi attribuunt, ut alias dictum est supra.

A Ex Augustino, lib. primo de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 35. & quæst. 49. super Deuteronomium, supracitata, *Deuteronom. dicitur lex secunda, non quod duæ sint leges, ut existimare videntur hi, qui legem aliam a Deo, aliam verò a Moyse datam esse contendunt, ex eo quod supra in Numeris, sæpè, immò fermè in singulis capitulis repetatur, hæc clausula, locutus est Dominus ad Moysen, hic autem Moyses locutus esse dicatur, sed quod sit quædam iteratio quatuor librorum præcedentium &c.* Et quidem meritò illic dicitur locutus Dominus, quia primo lex a Deo data fuit, hic autem locutus est Moyses, quia repetiit, quod dixerat Dominus, semel enim loquitur Deus, & idipsum secundo non repetit. Quod si obiicias; nonne tota Sacra Scriptura Dei

B locutio est, ergo & cum repetitur lex, loquitur Dominus. Respon. conced. anteced. distin. conseq. loquitur Dominus, in persona propria, neg. cons. in persona Moysis ministri sui, recolentis præcepta Domini, conced. conseq. Patet ergo diversitas, & omnia cohærent.

Sententia ergo communis est, unicam legem, prius datam, postea hic repetitam, unde Hierony. definit hunc librum, *iterationem præteritorum lib. 1. contra Pelagianos*, & alibi, *meditatorium Evangelii, ad Fabiolam*, & ad Paulinum, de hoc lib. cap. 7.

Obiicies: si ita est, jam superfluit, quod omninò improprium est Sacræ Scripturæ ad quid enim repetere, quod semel dictum, & scriptum, nedum in membranis, sed in tabulis etiam lapideis.

Respon. neg. sequelam. Repeti enim debuit, quia

C lex semper observanda, & moribus repetenda, & in cordibus imprimenda, ad quod planè non sufficiebat semel proponi populo duræ cervicis, & facilè declinanti ad sacrilegia, & Idolatrias, unde nec censeretur satis data, nisi fuisset repetita, unde Rabbini ad indicandum, quod lex quotidie repetenda est, vocant hunc librum Mesve, idest repetita lectio.

Resp. secundo ex iisdem Rabbinis, qui talis repetitionis causam assignant, quod aliqui erant in illo populo, qui leges traditas memoriæ non mandaverant, vel non intellexerant, quia pueri erant, nati in deserto, cum illa lex patribus illorum fuerat intimata: Ratio autem potior est, quia omnes (præter paucissimos, qui eggressi fuerant de Ægypto, & audierant legem, mortui fuerant in deserto, ne

D ergo, qui ingressuri erant terram promissionis, excusationem haberent, debebant clarè admoneri legis, eamque audire, & recipere, ideoque esti Deuteronomium sit repetitio legis, comparativè ad legem datam, respectu tamen populi tunc præsentis, & mox ingressuri terram Canaan, erat intimatio, non repetitio.

De ipso autem libro ait præfator Cajetani: *additur hic supernaturalibus, velut Enchiridion, & compendium totius celestis philosophiæ, & quasi commentarius, & explanatio decalogi. Itaque si propriè ad nostrum usum, librum hunc velis appellare, rectè illum dices explanationem decalogi copiosissimam, & elegantissimam. Docet enim omnes ex decem præceptis benè vivere, instituitque internum conscientiæ regnum, prophanamque simul politiam. Tradit præterea egregium*

cere-

ceremoniarum modum, divina sanè æquitate, atque sapientia, ut nihil sit in universo genere vitę, quod hic non sit sapientissimè dispositum, atque hac ratione voluit Dominus hunc librum, a suis, præ manibus semper haberi.

Ex Beda *super Leviticum in principio: Ab aliquibus quæri solet, sitne aliquis ordo, qui hunc ordinem voluminum legis significet. Quod ita solvitur quia Genesis istam sententiam significat, quæ dicitur Psalmo* 18. *lex Domini immaculata convertens animas: Exodus, sapientiam præstans parvulis, Leviticus, demonstrans præceptum Domini illuminans: Numerorum liber, Judicia Dei justificata in semetipsa. Hęc autem quatuor Volumina, quatuor Evangelia significant. Deuteronomium verò, totum Evangelium, quia Deuteron. nova lex interpretatur.* Quia autem Deuteronomium, est quodamodo totus Pentateuchus, de aliis quatuor libris, in unum cum ipso convenientibus in eadem sententia, sic debuit concludere Venerabilis Pater.

Porrò in particulari consideratus continet historiam duorum mensium, anni quadragesimi, ab egressu de Ægypto, novissimæque mansionis tempus, in campis Moabiticis, ubi Moyses servus Dei moritur, & sepelitur cap. 34. Eaque est hujus libri majestas, ut in novo Testamento, quinquagies, & eo amplius in testimonium adducatur.

SECTIONIS SECUNDÆ

CAPUT II.

De secunda parte Sacræ Scripturæ, quæ dicitur historialis.

PArtem hanc inscribit Doctissimus Georg. Eder. *lib. 2. tab. 61. de vivis virtutum, vitiorumque exemplis.* In quo ipso ostendit, quid in Sacris historialibus libris potissimum attendere debeamus, quod explicat August. *in quæstionibus, de utroque Testamento c.* 119. *Tanta* (inquit) *est circa nos Domini nostri providentia, ut errare nos nolens, & legem, & exempla bonorum operum daret; quibus modesta, & tranquilla agi possit vita, cum Dei timore.* Et in lib. *de vera religione cap. 25. divina providentia, non solum singulis, quasi privatim, sed universo humano generi publicè consulit, quid enim agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, & per prophetiam.* Ex quo deducitur mirabilis ordo, & unitas Sacræ Scripturæ, quæ in continuitate ejusdem partium elucet, & in unitate finis, qui a Theologis dicitur finis effectus, estque respectu Sacræ Scripturæ utilitas nostra, quam explicat Apostol. *Rom. cap. 15. d. quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut &c.*

ARTICULUS I.

De libro Josue Sacræ Scripturę sexto, hujus partis primo.

PRimus itaque liber secundæ partis, est liber Josuè, quem hebræi *Jeoseva*, Græci *Jesum Navè* appellant, nomen accepit, ab Osee Filio Num, quem Moyses verum Jesum Propheticè respiciens; Fortissimum totius humani generis Redemptorem, ac Ducem, ad Cęlestem Jerusalem, ut Jesum morti proximus invocaret, qui eatenus, Mariam invocaverat, Sororis suę (licet umbratile) nomen, Josua appellavit. Dux ipse fuit, quam belli, tam pacis gloria clarissimus. At fide, & Religione pręclarior. Hic ut legitur in cap. ultimo hujus libri, ipsius auctor, seu Scriptor fuit, in eoque scripsit omnia verba, quę locutus est, ei Dominus, post mortem Moysis, cui in populi ducatu successit, adjungens historiam: de transitu filiorum Israel, sicco vestigio, per Jordanem. De subjectione impiorum regnorum, de divisione terrę promissę, ac obtentę, & de cęteris dictis, & factis memorabilibus, a morte, Moysis usque ad annum decimum septimum sui ducatus, in quo, teste Josepho, mortuus est, annos natus centum decem, hoc est anno ab orbe condito, bis millesimo, quingentesimo decimo, annis ante adventum Christi mille quatercent. quinquaginta duobus. Scripsit quidem ipse librum suum, sed quę sequuntur post ejus mortem, subdidit Esdras, secundum communiorem sententiam, quę tamen Theodoreto non placet.

Ederus, *tab. 67.* subdit, *secundum aliquos hic liber continet historiam triginta duorum annorum: alii dicunt vigintiquinque;* Sed ut alterutrum sit verum, oportet, quòd isti auctores ad annos ducatus Josuè, addant tempus de quo dicitur in ultima parte ultimi capitis. Servieruntque Filii Israel Domino, cunctis diebus Josuè, & Seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josuè, & qui noverunt omnia opera Domini, quę fecerat in Israel, at quia talis temporis quantitas determinata in Sacra Scriptura non invenitur, ne anni totius historię confundantur, in tempore superius relato sistendum est.

Ex Aureolo. *Incipit ergo* (inquit) *Josuè partem historicam, & enarrativam, & intendit unam conclusionem, scilicet, Deum fuisse respectu Filiorum Israel, quoad terram promissionis stupendum Introductorem, Quod probat ex Jordanis divisione, ex murorum Jericho mirabili collisione, ex quinque Regum captione, & totius terra illius depopulatione, quæ obtinebatur a triginta & uno Regibus, & demum, ex totius terra, per sortes, & funiculos divisione, & distributione; hac enim evidenter concludunt, Deum fuisse stupendum introductorem Filiorum Israel, in terram promissionis.*

Quinque Reges simul congregati, quos cępit Josuè, & suspendit super stipites cap. 10. sunt. Rex Jerusalem, Hebron, Jerimoth, Lachis, Eglon.

Regum

Regum verò viginti sex, quos superavit nomina A
sunt: duo, qui debellati sunt tempore Moysis, ultra Jordanem, Seon Rex Amorhæorum, & Og. Rex Basan, alii post mortem Moysis, scilicet Rex Ganner, Dabir, Gader, Herma, Hered, Lebna, Adullam, Maceda, Beth, El, Taphua, Opher, Aphec, Saron, Madan, Asor, Semeron, Acsaph, Tenach, Maggedo, Cades, Jathan, Carmeli, Dor, Galgala, Thersa, quorum terras Josuè Filiis Israel per tribus sorte divisit; omnes, præter duos primos, regnabant citra Jordanem, simulque sumpti cum primis sunt triginta, & unus, cap. 11., & 12.

At elegantiorem omnibus Epithomen libri hujus, simul ac elogium Sancti Ducis proponit Spiritus Sanctus. Ecclesiastici cap. 46. *Fortis, inquit, in bello Jesus Nave successor Moysis in Prophetis, qui* B
fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei &c. Quis ante illum sic restitit, nam hostes ipse Dominus perduxit. An non in iracundia ejus impeditus est sol, & una dies facta est, quasi duo. Invocavit Altissimum Potentem, in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus, & sanctus Deus, in saxis grandinis. Videndum omninò hoc caput, ut intelligantur, quæ in toto Jesuè libro referuntur. Nobis, ne Sacram Scripturam transcribamus, quæ omnibus in promptu est, satis est indicasse.

Origen. in hunc librum *hom. prima. Hic liber, inquit, gesta, non tam Jesu Nave, quam Sacramenta Jesu Domini Nostri depingit.* Idem habet Hieronym. *ad Paulinum. Veniam ad Jesu Nave, qui* C
typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine præfert. Idem affirmat Augustin. contra Faustum, cap. 31., & lib. 16., cap. 19., & Ambros. ad Psalm. 47. in fine, citatur a D. Paulo ad Hebræos cap. 13.

Circa divisionem terræ Sanctæ Cosmographi, & Geographi munus est adnotare, nosque brevitate prohibemur. Solum ergo ordo, & optima Josuè administratio observatur. Ad pacem enim servandam, distributores fuerunt, Eleazarus Sacerdos, ipse Jesus Nave, & de unaquaque tribu unus, cap. 14. Pietatis etiam insigne fuit, quòd fugitivis, civitates refugii prudentissima distributione assignatæ sunt, cap. 20. Nec non Sacerdotibus, & Levitis dignissima portio, Deus fuit, ipseque omnia quodammodo huic tantum Tribui D
simul donavit, quod cæteris per partes, jubens eos ex populi oblationibus sustentari, & in singulis Tribubus peculiares habere Civitates, cum Suburbanis suis, cap. 21. Post hæc autem, in reliquis capitibus, instruitur dux, quoad tria tempora scilicet tempus belli, cap. 22., tempus pacis cap. 23. tempus mortis cap. 24., in quo mors Josuè, & Eleazari apparet.

ARTICULUS II.

Ad librum Judicum.

Post Patriarchas, sub duce uno successivè hactenus Ecclesia, & Respublica Israelis sanctissimè recta, nunc sub Judicum potestate describitur, sicque variato statu, formatur ordo Scripturæ, cujus rationem sic Ederus notat, *lib. 2. tab. 69. Dictum est hactenus de ingressu filiorum Israel, in terram promissionis. In sequentibus verò de gubernatione agitur populi ingressi. Nec sanè mysterio vacat, hæc Judicum distributio singulari, sicut enim post Christum Apostoli, ita post Josuè, succedunt Judices.* Sic habet, & Glos. hoc loco.

Athanas. in Synopsi. *A materia procul dubio hic liber sortitus est nomen; Judicum enim vocatur, propterea quod post mortem Jesu Nave, populum suum Deus, a relictis Chananæorum gentibus pressum, per Judices servavit, quorum hoc volumine, singulorum, & facta continentur, & tempora &c.*

De libri auctore, alii Ezechiam, alii Esdram putant, hujus, & libri Ruth, Scriptorem, addit Glosa hoc loco. *Sunt qui putent Judicum quemquam per se adnotasse, & in acta redegisse, quæ suo tempore acciderunt memorabilia. Quis autem ea in unum volumen redegerit, incerta est sententia*, Jo: Driedo *lib. primo de Ecclesiasticis Scripturis cap. 3.* Samueli potius hanc laudem ascribere videtur, sed hæc opinionum varietas magis suadet incertum esse quis scripserit, certè communiter asseritur ab Esdra reparatum, ultimam ab ipso manum recognovisse; a quo primam, non interest, liber enim Canonicus est, procul omni dubio, ac proindè legitima Dei locutio.

Liber iste antiquitus, cum libro Ruth unus erat, numque ab aliquibus, ab eo non distinguitur, at quia in Canone Concilii, distinctum sortitur locum, non sunt audiendi. At servata distinctione librorum, uniendo tempus historiæ utriusque, continent successiones annorum, trecentum ac decem, & septem, juxta computum Xisti Senensis, a morte scilicet Josuè, usque ad primum annum principatus Heli, qui cæpit Judicare Israel, anno ab orbe condito, bis millesimo, octocentisimo decimo; ante adventum Christi mille centum quinquaginta duobus annis, Judæi dividunt volumen. Judicum, in versus 600.

Petr. Aureol. *hic liber intendit conclusionem aliam, scilicet Deum extitisse providum Redemptorem, & servatorem populi sui, & hoc sub quatuordecim Judicibus. Cum enim peccarent coram Domino, tradebat eos in manibus Nationum, & cum revertebantur ad ipsum, mittebat eis Servatorem, & misit eis Othoniel Abiot, Sangar, Barac cum Debora, Gedeon, Abimelech, Thola, Sayr, Jephte, Abessan, Ahjalon, Abdon, Sampson, & Heli Sacerdotem*: melius tamen alii Heli inter Judices hic non recensent, sicut nec Samuelem, quia de his narratur lib primo Regum, & hoc modo sunt tredecim Judices, ex quibus Abimelech reiicitur, quia iniquus; quo pacto, ut notat hic Glosa præfigurati fuerunt in illis

illis

illis duodecim Apostoli (rejecto Juda Iscariote, A qui fuit proditor) qui assessuri sunt Judices totius orbis terrarum, per duodecim tribus expressi, in extremi Judicii magno die, qui successerunt, non Josuè Filio Num, sed vero Jesu Filio Dei, quod si Judas in Evangelio appellatur Apostolus, id planè factum est, ut magis appareat iniquitas ejus, nec propterea diformis est figurato figura, quod Judices illi successivè sederent, Apostoli verò simul, in hoc enim ipso, proprietas apparet figuræ, quæ sicut umbra, cum valdè sol distat, oblongo nimis ultra corporis, cujus umbra est mensuram, spatio protelatur, ita in hoc casu, cum valde sol Justitiæ Christus distabat, dispersa erant signa umbræ, ac figuræ, tunc adhuc remotæ admodum, & nunc præsentis Ecclesiæ, quæ consurgit in B Charitatis unitatem, in qua Christus lapis angularis fecit utraque unum, sicque decebat, ut ordo servaretur, secundum quem communi proloquio dicimus, quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus.

Fuerunt autem tales Judices, eorumque gesta narrantur respectivè in hoc libro.

C. 3. Othoniel de Tribu Juda, de qua, & Christus Dominus, & judicavit, annis 40.

C. 3. Ahod, de Tribu Beniamin, de qua, & Paulus, is Judicavit annis 80.

C. 3. Sangar Filius Anath, de Tribu Levi, qui judicavit perpaucis mensibus.

C. 4. Barac Filius Abinoam, cum Debbora Prophetissa, ille de Tribu Nephtali, hæc de C Monte Ephraim, uxor Lapidoth, ambo annis 40.

C. 6. 7., & 8. Gedeon de Tribu Manasse annis 40.

C. 9. Abimelech filius Gedeonis, annis 3.

C. 10. Thola de Tribu Issachar, annis 23.

C. 10. Sair Galaadites, annis 22.

C. 11. Jephte Galaadites, sed de Tribu Manasse, annis 6.

C. 12. Abesan de Tribu Juda, annis 7.

C. 12. Ahialon de Tribu Zabulon, annis 10.

C. 12. Abdon de Tribu Ephraim, annis 8.

C. 13. 14. 15., & 16. Sampson de Tribu Dan, annis 20.

Sic ergo complectitur hic liber, historiam annorum 298., nempe ab anno mundi 2512., quo mortuus est Josuè, & ei statim successit Othoniel, D usque ad annum mundi 2810., quo mortuus est excæcatus, propriaque oppressus victoria Sampson.

Sic ergo initium sumit ab hoc libro tractatio, de gubernatione populi Israelitici, jam formati per leges, doctrinam, & ceremonias, & perducti a Deo in terram promissam. Quæ gubernatio (prior enim populi quasi informis fuerat per Patriarchas) primò per Judices a Josuè, inclusivè utrinque usque ad Sampsonem, & extensive usque ad Samuelem, sive ad Saulem exclusivè, qui fuit rex primus, locum habuit. Secundò per Reges, a Saule, usque ad transmigrationem Babylonis. Tertiò per Pontifices a reditu captivitatis Babylonicæ, ad tempus prope Christi, quando intruso Herode a Romanis, ablatum est sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, occiso Aristobulo de stirpe Machabæorum, & Joanne hircano, qui reassumpserat sibi diadema regium. Hoc ferè totum ex Lyrano, idque etsi transcendat debitum præsentis libri, & articuli, notandum hic erat, ut appareat summatim ordinatissima unitas Scripturarum.

Sed dices; hic animus non quiescit, cum tangitur implicatissima illa difficultas, circa Prophetiam Jacob. Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat &c. Si enim ducibus Judices, Judicibus Reges successerunt, usque ad captivitatem Babylonis, & ab illa captivitate usque ad Christum cesserant Reges, quia Sacerdotium successerat, quomodo vera fuit prædictio.

Huic difficultati, jam satis superque responsum est, cum ageremus de Christo ad litteram. Breviter pro nunc addi potest, materiale quid esse, quod rei veritatem non tollit, quod illi apud quos, a reditu de captivitate Babylonis, residebat primaria potestas in populum, usque ad Christum, vocarentur Reges, aut Duces, aut Pontifices, dummodo talis potestas formaliter sumpta spectaret ad Tribum Juda, idque revera fuit, ut loco citato ostendimus, ex Galatino, & aliis, quidquid enim sit de nomine, regia potestas perseveravit, apud Consilium magnum Sanedrin, quòd componebatur ex sapientissimis, ac probatissimis viris de Tribu Juda, quos omnes simul cum Aristobulo, Pontificatum magnum gerente, occidit Herodes, tuncque venit Christus, alia plura loco citato invenies.

ARTICULUS III.

Libri Ruth brevis inspectio.

Agit hic liber de historia fæminæ illius Moabitidæ, nomine Ruth, vel de rebus gestis populi Israel, sub principatu Heli Sacerdotis, ut vult Josephus.

Jam supra notavimus, quod secundum hebræos, & D. Hieronymum in prologo Galeato. Hic liber non est separatus, sed unus, & idem, cum libro Judicum: Eum tamen Augustin. ad regnorum magis principium pertinere existimavit, de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 8., eo quod hinc cæperit radix Jesse, & David, unde per regiam propagationem descendit Christus, ut habetur Math. cap. primo, quòd utrumque attendens Sancta Tridentina Synodus, utramque concordavit opinionem, ab utroque eum distinguens, ob specialem ejus dignitatem, ut sic medians, & illi se habeat tamquam finis, & huic tamquam principium.

Clarum est, quod non a Scriptore, sed a materia, sive a subjecto, de quo agit, nomen obtinuit, nempe a fæmina, cujus texit historiam. Est autem Ruth secundum Athanas. in Synops. genere Moabitida, castitate honesta, relicta cognatione, ac paterna superstitione, ad pietatem, & verum Dei cultum conversa, Bethleem Juda cum socru sua, incunctanter concessit, ubi & Booz de Tribu Juda, matrimonio juncta est, ex qua postea David origi-

originem traxit, hoc ordine, Booz, ex Ruth suscepit filium Obed, Obed genuit Jesse, Jesse, David.

Sentiunt quidam incertum esse hujus libri auctorem. Jo: Driedo, eumdem ei tribuit Scriptorem ac libro Judicum, & Regum primis, qui sunt Samuelis, libro primo de Ecclesiasticis Scripturis cap. 4.

Argumentum profert Hieron., epistol. ad Paulinum dicens: *Ruth Esaiæ explet vaticinium dicentis, emitte agnum Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad Montem Filiæ Sion, hoc est de Ruth Gentili; Gentes enim lapides pro Diis colebant, & ob id a Deo deserti erant, ad montem Filiæ Sion, qui est in Hierusalem, hoc est ad Ecclesiam, quæ est in contemplatione, tamquam speculationis filia*, addit- que Theophilat. in Matth. cap. primum, *Ruth alienigena fuit, conjuncta autem Booz; ita est Ecclesia, ex gentibus alienigena existens, & a testamentis extranea, oblita demum populi sui, & cultus simulacrorum, & Diaboli patris sui, cui juncta erat, nupsit Deo &c.*

Ruth in communi interpretatione, idem est ac *saturata*, in hoc portendens infœlicem pæccatoris, sive ejus, qui a Deo distat, esuriem, insatiabilem, nisi a Deo, de qua sæpè Augustin. in libr. confession. ideoque hæc, Ruth, verè esse cœpit, cum ad Dei legem accessit, etiam temporaliter satiata, ad quam respiciebat sapientissima Prophetissa, beatissima, & plena, ac superplena Deo, quia Immaculata semper Virgo Maria, cum canebat, *esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*, ita satiatæ, per fructum quem ipsa ex cordis medullis æquè, & ex utero protulit, & donavit, immensè satiativum, quia summè optimum, applaudens gentilitati, non ergo caruit mysterio Ruth, vel in nomine, futuram adumbrans satiatricem nostram, futuram filiam suam, ut sic eam, quæ ait, *beatam* idest satiatam *me dicent omnes generationes*, talem sibi ac nobis, etiam sua ipsa, vel in radice generatio præcommendaret, sicque contemplando, & undique, & ubique redundantem gloriam ejus, quantum fas est, in hac esurientium valle, satietur cor nostrum, ut in persona nostra, ad futuram Filiam suam beatissimam, ac suos beatificaturam, præcinebat esuriens David, *Psalm. 16. satiabor, cum apparverit gloria tua*, & quidem sapienter, inquit, *cum apparverit*, nunc enim umbra tantum, ac desiderium extat gloriæ suæ. O' gloriosissima super omnem gloriam, sed etiam hæc placet, etiam hæc numquam vacua, semper amore plena est, ac suavitate, quia tua est, in qua umbram aliam non invenimus, nisi eam, quam fecit virtus, & sanctitas, immò Spiritus Sanctus, quando nunciatum est tibi: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ut gratia plena, & gloria, ex superveniente Spiritu superplena, eam, in vacuitatem nostram interminabili gurgite, verè semper Maria proructares, ne deficiamus in via.

Habet porrò liber iste quatuor partes. Prima est, conversio Ruth, ad fidem, tunc veram, scilicet ad Judaismum, cap. primo; Secunda, vitæ ac morum ejusdem descriptio, cap. 2. Tertia agit de occasione futurarum nuptiarum, cap. 3. Quarta de contractu Matrimonii, inter Ruth, & Booz per cessionem propinquioris, cap. quartò, & ultimo.

Ex Aureolo. *Hic liber intendit unam conclusionem scilicet Deum esse, placidissimum lenitorem, & adjutorem omnium oppressorum, quod probat ex peregrinatione Elimelech, ex reversione Noemi, ex desponsatione Ruth.*

Ex notis Ederi tab. 72. facta videtur hæc historia anno centesimo septuagesimo post exitum ex Ægypto. Mundi verò bis millesimo sexcentesimo decimo tertio.

ARTICULUS IV.

Summans quatuor libros Regum.

QUatuor libros, in unum apud nos volumen congregatos, unicam Regum historiam successione nectentes, unicum specialiter finem respicientes. Scilic. Christi adventum, ex regali sanguine per David, juxta præcedentes Sanctorum Patriarcharum Prophetias, ac propheticas adumbrationes, in unum colligere nos docet tanta unitas veritatis; & quia rerum copia, inopem relinquit mentem, in diversa distractam, brevissimè pretiosam tentabimus hujus voluminis quasi superficiem prælibare, ut quò brevius, eò clarius, quantum fas est, ejus hauriat lector notitiam.

Hæc igitur historia regia est, de secunda agens Reipublicæ Israeliticæ jam formatæ administrandæ ratione, scilicet per Reges, ex quo relucet ordo, continuatio, & unitas Scripturarum. Et quidem rectè post librum Judicum, ac Ruth, quæ fuit unio quædam Judicum, & Regum, horum libri sequuntur, novum sic adumbrantes testamentum: nunc enim sunt præsules Ecclesiæ, postmodum regnum, seù quia præcedet judicium, subsequetur imperium sempiternum. Assidebunt enim Apostoli, judicantes duodecim Tribus Israel, & tunc dicet, magnus Rex Regum, & Dominus Dominantium, electis suis, *venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum ab origine mundi*. Similem autem hujc proportionem Glosa approbat in principio lib. 1. Regum, eique cæteri DD. communi calculo suffragantur, ex qua etiam apparet sublimis voluminis hujus intentio.

Regum vocantur hi libri, ex immediato ipsorum subjecto, quod scilicet Regum tum Juda, tum Israel, & facta continent, & annos. Athanas. in Synop. Primos duos in unum faciunt Ebræi, quem vocant, *Scemuel*, Græci, & Latini duos ponunt primum, & secundum Regum, sivè *Samuelis*, ea ratione quod Samuel in illis, principalem habet personam, qui unxit duos primos Reges illius populi, Saul, & David, illum jumenta quærentem, hunc parvulum, pascentem greges, novumque Regis titulum, populo flagitante, creavit, vel alia ratione, ut placet quibusdam, quod quamvis Scriptorem, hujus partiti voluminis, aliqui Ezechiam, alii Esdram imaginentur, multorum tamen opinio, asserit fuisse Samuelem, principaliter saltem usque

ad cap. 25. libri primi. Reliquum verò a cap. scilicet 25. usque in finem (cum in eo habeatur mors Samuelis) Gad, & Nathan Prophetas complevisse, & in eo fundatur, quod dicitur in fine libr. primi Paralypom. *Gesta David priora, & novissima, scripta sunt, in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad.*

Sed hoc fundamentum non subsistit, tum quia liber Nathan, & volumen Gad numerantur magis communiter, inter amissos, ergo non sunt libri Regum, nec ab illo capite, nec ullo modo. Tum quia apud Hebræos inscriptio libri, non solet, nisi raró desumi ab ejus Scriptore, eo quod verus omnium illorum auctor sit unus Deus, sed frequentius, vel a prima dictione libri, vel a materia, aut subjecto principali, de quo in eo agitur. Tum quia hoc est certum, quòd secundum librum Regum, Samuel non scripsit, cum jam præmortuus narretur in primo libro, nec primum integrum, cum in 25. capite illius, narretur mors Samuelis, & deinde ejus apparitio, Saul eum vocante, per Pytonissam, & tamen secundum Hieronymum, cæterosque, hebræi primos duos libros vocant Samuelis. Unde Isydorus lib. 6. Orig. cap. 2., & alii antiquissimi PP. tradunt, Samuelem scripsisse primam partem primi libri Regum, David verò scripsisse sequentia, usque ad calcem secundi libri. Post mortem verò David, cæterorum Regum Israel gesta, in 3., & 4. lib. Regum, quæ sparsa fuerant, per singulorum Regum historias, a diversis Prophetis, alii Esdram, alii Hieremiam, servata successione eorum dicunt, in unum volumen digessisse. Sed quod Hieremias id præstiterit, verius videtur ex eo, quod ultimi libri Regum, & libri Hieremiæ, non absimilis finis apparet, & ita sentit Jo: Driedo, de Ecclesiasticis Scripturis, lib. 1. cap. 1. Et quidem rationabilior videtur hæc opinio, dummodo consentiat cronologia, de qua infrà, cum agetur de Hieremia Propheta. Denique hoc certum est, incertum esse, determinatum horum librorum Scriptorem, ut ait Isydorus, ex quo deducitur plures fuisse, unicum verò collectorem, ultimum fuisse Esdram.

Intentio voluminis Samuelis est, concludere, Deum esse maximum exaltatorem Populi sui, quem erigit in regnum, eademque intentio est libri Malachim, & Paralypom., notat Aureol.

In duobus primis agitur de regno Israel unito; in libro Malachim, idest 3., & 4. Regum, agitur de regno diviso sub Roboam, Filio Salomonis. Malachim autem idem est, ac Regum, vel ut alii volunt regnorum, rectius autem, inquit Hieronym. in prologo Galeato, dicitur Regum, quam regnorum, quia non dicitur Malacoth, quòd significat regnorum, sed Malachim idest Regum, non enim multarum gentium describit regna, sed unius Israelitici Populi, qui Tribubus duodecim continetur.

Liber primus agit de regno, per electionem; & primo, de regno Saulis labili, de regno Davidis stabili, exclusa prius successione Heli a Sacerdotio, ob peccata filiorum ejus. Ibi petitur, & obtinetur Rex, Jus Regis edicitur; agit de Saule,

A & ejus vitiis, usque ad cap. 15., a cap. 16. David ungitur, conterit Goliam, Saul invidet, & persequitur, Jonathas semper diligit David. Mors Saulis, & exaltatio David, a cap. 26.

Liber secundus est, de regno per successionem, sicut, & reliqui Regum libri; in eo defletur Saul, exaltatur Isboseth filius ejus, & occiditur, David electio, innocentia, & virtutes, regnum, & devotio, ad cap. decimum. Peccata ejus, & pœnæ, ad cap. 21. Gratiarum actio cap. 22. Prophetia de futuris, & Catalogus virorum fortium, cap. 23.

Liber tertius Regum, qui est primus Malachim, ostendit unitatem Regni, & magnificentiam, ex virtute, & sapientia Salomonis, ejusque temporalem gloriam, & templi, regalisque domus erectionem, B ad cap. 10. Sed & declinationem omnium istorum, ex ejusdem luxuria, & Idolatria, quam peperit luxuria, ac denique mortem illius; pœnitentiam verò nusquam invenies &c. cap. 11. a cap. 12. divisionem regni, ex imprudentia Roboam filii Salomonis, ipso super duabus Tribubus, Jeroboam super decem conregnantibus, ad cap. 14. Abra & Asa, & Regibus Israel, eis conregnantibus, ad cap. 16. Josaphat, & Achab sibi conregnante, Achab vocato ad pœnitentiam, signis cælestibus, victoriis mirabilibus, divinis comminationibus a cap. 17. ad cap. 22.

Liber quartus Regum, secundus Malachim, agit de regno Juda, & Israel, & eorum defectione simul, & continet acta super Joram, perditionem C Ochoziæ, ascensum Eliæ, prodigia Elisei, exaltationem Jehu a cap. 2. ad 11. Acta sub Attalia, sub Joas, ad cap. 13. Sub Amasia, ad cap. 14. sub Azaria, & acta Joathan, ad cap. 15. sub Achaz, quo prævaricante exterminatur regnum, ad cap. 17.

De regno Judæ, & ejus destructione, & gesta sub Ezechia ad cap. 20., sub Manasse, & Amon ad cap. 21., sub Josia, & Joachaz ad cap. 23., sub Joachim, & ejus Filio cap. 24., sub Sedechia cap. 25.

Si sumantur omnes quatuor libri Regum, continent historiam 550. annorum, qui si junguntur annis mundi 2810., in quorum ultimo desinit historia Judicum, fiet annus ab orbe condito 3360. quando in ultimo Rege Juda Sedecia desinunt libri D Regum, qui Sacram historiam continuant, a morte Sampson cui successit Heli, qui judicavit, seù potius præfuit Sacerdos, annis 40.; deinde Samuel cum Saule annis 40. Hinc David ann. 40. post quem cæteri Reges successione, & tempore, quod dabimus articulo sequenti, usque ad captivitatem Babylonis.

Est autem præsens historia, principum instructio, ut in Dei cultu sciant totam fundari, & regnorum, & regum fælicitatem, ut supra se sentiant Regem Regum, & Dominum Dominantium, a quo omnis potestas. Ut timeant ejus justitiam, & Omnipotentiam, ac diligant, imitenturque bonitatem, & quia omnia in figura contingebant illis, notat hoc loco S. Gregor. omnes Reges Juda, typum fuisse Christi, ex eis nasciturì, non quidem

ut

ut mali formaliter erant, sed vel attenta rerum serie, & circumstantiis, vel eorum gestis figurativè consideratis. Ideò Augustin. *lib. 22. contra Faustum, cap. 24.* ait. *Dico illorum hominum non tantum linguam, sed etiam vitam, fuisse propheticam, totumque illud regnum gentis hebræorum, magnum quemdam, quia, & magni cujusdam, fuisse Prophetam.* Declarat verò id Hieronym. *epist. 103. ad Paulinum: Samuel in Heli mortuo, & in occiso Saul, veterem legem abolitam præmonstrat. Porrò in Sadoch, atque David, novi Sacerdotii, novique imperii sacramenta testatur. Malachim idest Regum tertius, & quartus liber, a Salomone usque ad Jechoniam, & ab Jeroboam Filio Nabath, usque ad Oseæ, qui ductus est in Assyrios, regnum Juda, & regnum describit Israel; si historiam respicias verba simplicia sunt. Si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, & hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur.*

ARTICULUS V.

Quot, & quinam fuerint Reges Juda, & Israel; quot quisque annis regnaverit.

DUM cursim prælibantes Sacros libros, brevitate consulente, plura cogimur præterire, ne videamur, & omnia, præcipua hæc selegimus, nempe Epitomen Regum Juda, & Israel, eorum in regni solio annos respectivè, quive singulis Prophetæ adstiterint, sicque cronologiam propositam probabimus simul, & libros Regum dabimus, qui librorum horum Reges, brevibus licet punctis appingemus.

Excluso itaque Saul, a quo non cæpit benedictio; abjecit enim eum Deus, quia Populus petens Regem, abjecerat Dominum, ne regnaret super eos, ideóque nec de stirpe ejus Christus descendit, cum non esset de Tribu Juda, juxtà benedictionem Jacob ad Judam; sub quo Rege Prophetavit Samuel, qui eum Judicavit protrhaens quodamodò gubernium Judicum, & Sacerdotum. Primus verus Rex, quem Deus juxta voluntatem suam creavit, secundum cor suum fuit.

1. DAVID PRIMUS, REX SANCTUS. Regnavit annis quadraginta: In Hebron septem, & deinde super omnem Israel, & Juda, annis triginta tribus, fecit quod rectum erat coram Domino, & licet peccaverit quandoque, pænituit, nec umquam ad Idola declinavit, coram Deo ambulavit corde perfecto. Sub hoc Rege Prophetaverunt, Samuel, Nathan, & Gad.

2. SALOMON FILIUS DAVID. Regnavit super omnem Populum, annis 40. Primò optimus, postremò pessimus; fecit quod malum erat; an pænituerit mysterium est, ejus Prophetæ Nathan, & Gad.

3. ROBOAM FILIUS SALOMONIS. Regnavit annis 17. fecitque quod malum erat, sub hoc divisum est regnum, manentibus ipsi duabus Tribubus, Juda, & Beniamin, in Jerusalem, decem verò transeuntibus ad Jeroboam, qui ex tunc regnavit in Samaria; Prophetaverunt, sub eo; Ahias Sylonites, & Semeja, & Addò: Hic cæpit divisio; nunc prosequimur cathalogum Regum Juda.

4. ABIA FILIUS ROBOAM, REX JUDA. Regnavit annis tribus, non in corde perfecto, ut David, sed in peccatis Patris sui; Prophetavit tunc Addò.

5. ASA FILIUS ABIÆ. Regnavit annis 41. Rectum fecit, sed excelsa non abstulit: Prophetæ ejus Azaria filius Obed, & Anani.

6. JOSAPHAT FILIUS ASA. Regnavit annis 21., fecit quod rectum erat, sed excelsa, & ipse non abstulit, culpatusque est, quòd amicitias junxerat, cum Ochozia, impio Rege Israel, & ei socius fuit in structura navium. Sub eo Prophetabant Elias, & Elisæus, Micheas, Jehu filius Zachariæ, & Eliezer Dodan de Maresa.

7 JORAM FILIUS JOSAPHAT. Regnavit annis octo, fecitque, quod malum erat, nam habuit Uxorem filiam Achab. Prophetæ ejus Elias, & Elisæus.

8. OCHOZIAS FILIUS JORAM. Uno regnavit anno, & fecit quod malum erat, Prophetas habuit eosdem &c.

9. ATHALIA MATER OCHOZIÆ. Regnavit per annos septem, alii dicunt sex, mulier pessima.

10. JOAS FILIUS OCHOZIÆ. Regnavit annis 40., occidit Zachariam, & vivente Jojada, a quo instruebatur, rectus fuit. At post, malus, interfectus fuit a servis suis, in domo Mellò; Propheta ejus Zacharias Filius Jojadæ.

11. AMASIAS FILIUS JOAS. Regnavit annis 29., initio rectus fuit, sed non sicut David, nam adhuc Populus immolabat in excelsis, & lucos non excidit; Nomina eorum, qui tunc Prophetaverunt ignorantur. Postquam percussit habitatores Montis Seir, in superbiam elatus, Idola eorum, quos percusserat, coluit, propterea in manus hostium traditus periit.

12. AZARIAS, QUI ET OZIAS, AMASIÆ FILIUS. Regnavit annis 52. primo, & ipse rectum fecit, sed excelsa non abstulit; animo elatus, Sacerdotum officium usurpavit, ideò lepra percussus est, postquam audivit: Non tuum est Ozia immolare Domino, sed Sacerdotum. Propheta ejus Isaias.

13. JOATAN FILIUS OZIÆ. Regnavit annis 16. rectum fecit, sed excelsa non abstulit. Propheta ejus Isaias.

14. ACHAZ FILIUS JOATHAN. Regnavit annis 16. fecitque quod malum erat coram Domino, Propheta ejus Isaias, & Obed.

15. EZECHIAS, FILIUS ACHAZ. Regnavit annis 29., fecitque quod rectum erat, & ambulavit corde perfecto, sicut David Pater ejus. Demolitus est serpentem æneum, quem suspenderat Moyses. Propheta ejus Isaias. Hoc regnante, Senacherib, & Rapsaces Assirii, Dominum blasphemaverunt, qui & percussi sunt, & unica nocte cæsi sunt ab Angelo de eorum exercitu, centum octoginta millia bellatorum. Ezechias, autem cum

Ff 2 ægro-

ægrotaret, jam morti proximus orans, quindecim A annos prorogationis vitæ obtinuit.

16. MANASSES FILIUS EZECHIÆ. Regnavit annis 55., & malum fecit, quòd enim Pater suus abstulerat, ipse suscitavit, ac refecit, alter Jeroboam factus est Judæ, ideò propter eum idem accidit Judæ, quòd, & Samariæ, & captivus ductus est in Babylonem, ubi pænituit, ut dicitur in Paralipom. ideòque, & regnum recuperavit, ac denique instructo populo ad pœnitentiam, obiit, sepultusque est non in Civitate David, sed in horto suo, qui fuerat Ozam.

17. AMON, FILIUS MANASSE. Regnavit duobus annis, fecitque quod malum erat, occiderunt illum servi sui, & sepelierunt eum in horto Ozam, cum Patre suo.

B 18. JOSIAS, FILIUS AMON. Regnavit annis 31., hunc Populus Regem creavit, cum esset annorum octo; Sanctus Rex fuit, lucos succidit, & simulacra abstulit, cum 16. esset annorum. Hic legem Dei servavit, & quæsivit, & neglectam legi curavit, & Pascha celebravit, celebrarique mandavit voce præconis. Hunc occidit Pharao Nechao ad Euphratem, cum velut amicus ad eum venisset. Prophetæ ejus Jeremias, Sophonias, & Olda Prophetissa, uxor Sellum. Luxit in ejus morte Hieremias Propheta, ifque luctus, ut plures volunt, sunt lamentationes ejus seù Treni.

19. JOACHAZ FILIUS JOSIÆ. Regnavit hic mensibus tribus, plus peccavit, quam regnavit. Translulit eum Pharao Nechao: Propheta ejus Hieremias.

C 20. ELIACIM, ALTER FILIUS JOSIÆ DICTUS JOACHIM. Regnavit annis 11., & fecit quod malum erat in conspectu Domini.

21. JOACHIM, QUI ET JECONIAS FILIUS ELIACIM. Regnavit mensibus tribus, fecitquod malum erat, & translatus est in Babylonem.

22. MATHANIAS FILIUS JOSIÆ, DICTUS SEDECHIAS. Hunc Nabuchodonosor, abducto Joachim constituit Regem, & Sedechiam appellavit; regnavit annis 11. fecitque quod malum erat; sub isto quoque Prophetabat Hieremias. Ad hunc usque perduravit regnum Juda, quod sub eo dissipatum est, sicut & regnum Samariæ. Urbs enim Jerusalem capta, & direpta est, & universi, sublatis quoque templi vasis, captivi adducti sunt.

D Reges itaque Juda in Hierusalem, a David, usque ad captivitatem Babylonis fuerunt 21. Athaliam enim Reginam, Matrem Ochoziæ, quæ regnavit septem annis, post filii sui mortem posuimus, ad temporum referendam continuationem, at regnum illo tempore computabatur, ut Ochoziæ, vel secundum aliquos ut Joas filii ejus, quòd benè notandum, ne appareat error, ubi non est. Inter hos viginti, & unum Reges, duodecim certè mali, novem dumtaxat boni recensentur, & hi quidem piè creduntur boni, reverà tamen de aliquibus eorum irrationabiliter dubitatur, sicut etiam de Salomone.

Ita summatim ex libris Regum, duce Athanasio, & Georg. Edero hoc loco deduximus.

Collegendo autem omnes prædictos annos, sic a Sacra Scriptura, singulis regibus distributos, inveniuntur 550., ut antea notavimus, quorum historiam exhauriunt quatuor libri Regum, sicque additis annis mundi 2810. in Sampsone consumatis, concluditur captivitas Babylonis sub ultimo Rege Sedecia, anno mundi 3360.

Ne verò tempora confundantur, notandum, ut apertè indicat Scriptura, cap. 12. libri tertii Regum, solum initio regni Roboam, cæpisse annos regum Israel, qui discisso regno posuerunt in Samaria tronum suum, super decem Tribus quæ recesserant, a Rege Roboam filio Salomonis. Eorum successio hæc est.

INIQUISSIMI REGES ISRAEL.

Octuagesimo primo anno, a principio regni David, scissum est regnum, quo anno regnare cæpit in Samaria.

1. JEROBOAM FILIUS NABATH. Exulaverat hic in Ægypto, postremo Salomonis tempore, qui quærebat eum interficere, ob suspicionem regni, eoque mortuo rediit, & regnavit primus in Samaria. Nequior illo non fuit, duos vitulos aureos fecit, & dixit Populo, hi sunt Dii tui *Israel*, qui eduxerunt te de Ægypto, completamque induxit Idolatriam, omni arte tollens veram Religionem a Populo Dei, quem successores secuti sunt: Regnavit annis 22., quo tempore Prophetabat Achias Silonites, adversus eum declamans.

2. NADAD FILIUS JEROBOAM. Regnavit duobus annis, & malum fecit; nec de gente ejus alius regnavit post eum.

3. BAASA DE ALIA STIRPE. Regnavit annis viginti quatuor, & malum fecit.

4. ELA FILIUS BAASA. Regnavit duobus annis, imitatus est Patrem iniquum, & nullus regnavit de stirpe ejus.

5., & 6. ZAMBRI, ET AMBRI. Primus regnavit diebus septem, fecitque quod malum erat, cui successit Ambri Princeps militiæ, regnavitque annis 12., ac pejor fuit omnibus qui præcellerant.

7. ACHAB FILIUS AMBRI. Regnavit annis 22., & præ aliis malum fecit. Prophetæ ejus Elias, & Eliseus, & Michæas, qui regi Achab de Syria prophetavit, quique proprio jussu percussus, & vulneratus, Regem Achab redarguit, ac præterea habitantes seorsim plures filii Prophetarum.

8. OCHOZIAS FILIUS ACHAB. Regnavit annis duobus, fecitque quòd erat malum; Prophetæ ejus temporis Elias, & Eliseus, ejus quinquagenarios igne consumpsit Elias.

9. JORAM, ALTER FILIUS ACHAB. Regnavit annis 12. fecitque malum, post hunc nullus de hac stirpe regnavit: ejus tempore Elias in Cælum raptus est, post quem perseveravit Elisæus, usque ad Jeroboam filium Joas, erantque tum filii Prophetarum.

10 JEHU DE ALIA STIRPE, FILIUS JOSAPHAT. Regnavit annis 28. Genus Achab delevit,

levit, statuam ejus contrivit, Prophetas Baal per insidias occidit, hucusque rectus, ob quod promissum accepit, quod quatuor filii ejus, super tronum Israel ei succederent, sed legem Domini non servavit, nec abstinuit a peccatis Jeroboam propter vitulos aureos.

11., & 12. JOACHAZ FILIUS JEHU, ET JOAS. Regnavit ille annis 17. fecitque quod erat malum, expugnavit Hierusalem, & templi aurum, & vasa abstulit, cui successit Joas filius ejus, qui regnavit annis 16., & fecit malum in conspectu Domini &c.

13. JEROBOAM FILIUS JOAS. Regnavit annis 41. fecit & ipse, quod erat malum.

14. ZACHARIAS FILIUS JEROBOAM. Regnavit mensibus sex, fecitque malum; hactenus posteritas Jehu in quartam generationem perduravit, juxta promissum.

15. SELLUM EX ALIA PROGENIE FILIUS JABIS. Regnavit tantum diebus triginta, fecitque quòd erat malum.

16. MANAEN, EX ALIO GENERE FILIUS JADI. Regnavit annis decem, fecit, & ipse, quòd erat malum.

17. PHACEE FILIUS MANAEN. Regnavit duobus tantum annis, fecit malum, Prophetæ ejus Isaias, & Oseæ.

18. PHACEE, DE ALIA STIRPE, FILIUS ROMELIÆ. Regnavit annis 20. Hic occidit Phacee alium, fecitque malum. Prophetæ ejus Isaias.

19. OSEÆ ALIUNDE NATUS, FILIUS ELA. Regnavit novem annis, occidit Phacee filium Romeliæ, fecitque malum, non tamen sicut priores; sub isto finitum est regnum Samariæ, cessavitque, ac perdita est Samaria, quam exinde habitaverunt Syri, ex quibus orti sunt hæretici Samaritæ.

Omnes itaque Reges Israel fuerunt decem, & novem, octo ex illis regnum invaserunt, omnes juxta peccatum Jeroboam primi, peccaverunt, ac perversi fuerunt.

ARTICULUS VI.

Ad Duos libros Paralipom. qui sunt Bibliæ XIII., & XIV. hujus partis secundæ VIII., & IX.

HOS duos libros hebræi appellant, *Divrehajamim*, hoc est *verba dierum*, sive annales, aut cronica, Græci *Paralipomenon*, hoc est prætermissorum, quia ea, quæ vel in Pentateucho, vel in libro Josuè, Judicum, Regumque, aut omissa, aut non plenè descripta sunt, breviter, & summatim in istis exhibentur. Causam huic volumini dedit, sparsa, & a pluribus diversis conscripta diversorum Regum historia, sacrorumque plurium librorum ammissio, quæ aliquo modo supplenda, unienda, ac perficienda erat, quamvis autem aliqui dubitent, de hujus voluminis Scriptore, nulla tamen ratio firma suadet, Esdræ esse negandum, ideò R. Salom., & R. Moys., ac Plures PP. im-

A mò & communis sententia affirmant, Esdram, qui Sacram Scripturam reparavit, in his duobus libris, Epitomen collegisse, & Cronicon omnium præcedentium librorum, a principio divinæ Scripturæ, ad finem quarti libri Regum. Apud Hebræos unicus tantum est liber Paralipomen., sed a Græcis, & Latinis ob voluminis molem, in duos divisus est, qui continent summam annorum, trium mille trecentum quadraginta septem; Ita Senens. Driedo, & alii.

Quantum ad continuationem, & unionem Sacræ Scripturæ in his libris, notatur ex Glosa in prologum primum Divi Hieronymi hoc loco, quod cum secundum Juris Canonici regulam, accessorium naturam sequi congruat principalis, rectè post principales illos libros, quibus Regum acta descripta B sunt, hi sequuntur, in quibus veluti accessoriis supplentur ea, quæ illic ommissa videri poterant, utque major appareat unio eorumdem librorum Regum, cum anterioribus libris, ponitur quædam recapitulatio, etiam Pentateuchi, & cum eo, Regum Juda successio connectitur, præcipuè tamen, quæ præfatos Reges concernunt, reassumuntur, in quo hæc est diversitas inter libros Regum, & Paralipom, quod in Regum libris de regno utroque, hoc est tam Israel, quam Juda, hic tantum de Regibus Juda disseritur, ea fortè ratione quod quia omnes Reges Israel iniqui, & Idolatræ fuerant, ad detestationem scelestorum hominum, tamquam memoria indigni debuerunt ommitti, in hoc C quasi compendio, ut illud impleretur, *Psalm. 68. deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur*. In libris tamen Regum recenseri debuerunt, ne eorum omninò lateret iniquitas, & ut justitia Dei in delendis illis commendaretur.

Hieronym. in prolog. Galeato, significantius hoc volumen dici putat, cronichum divinæ totius historiæ, idest temporaneum, vel cronicum cronicorum, eo quod totum complectatur tempus, ab Adam usque ad captivitatem Babylonis, in qua ut terminatur quartus liber Regum, ita & secundus Paralipom. Addit etiam idem Hieronym. *Talis ac tantus est liber iste, ut absque illo, siquis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, semetipsum irrideat. Per singula quippe nomina, juncturasque verborum, & prætermissa in libris Regum tanguntur hi-* D *storiæ, & innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones &c.*

Porrò scopus horum librorum est, ostendere effectum secundæ comminationis, Deum scilicet fuisse fortissimum Regum expulsorem, & captivitatem populi, sub Regibus Assyriorum, Teglath Phalasar, & Salmanasar, ac Caldæorum, sub Nabuchodonosor.

IN PRIMO LIBRO.

HAbetur omnium Tribuum genealogia, ab Adam usque ad Reges, secundum Tribus, & Populos, & gentes. In secundo gesta Regum. Sed magis specialiter. In libro primo recensetur Genealogia David per duas generationes, scilicet ab Adam, usque ad Jacob, cap. primo. Ab Jacob usque

usque ad transmigrationem Babylonis, a cap. 2., & sequentibus. Ejusdem David clectio, cap. 10. Unctio in Regem, cap. 11., & auxilia, quibus regnum fuit adeptus, cap. 12. Gubernatio sive dispositio regni, cap. 13. prudentia in agendis, cap. 14. qua consecutus est ampliationem regni, de qua cap. 18. Pietas in fovendo divino cultu, cap. 15., 16., & 17. per quam consecutus est defensionem ab inimicis, de qua, cap. 19., & 20. Refertur etiam ejus superbia, cap. 21., & iterum res gestæ, & cura circa cultum Dei, cap. 22., & ministerium Domus Dei, cui præfecit Levitas, cap. 23. Sacerdotes, cap. 24., & Cantores, cap. 25. Janitores, & Sacrarios, cap. 26. ejusdemque gubernationem Populi, cap. 27. 28., & 29.

IN SECUNDO LIBRO.

Agitur de regno Salomonis, & successorum Regum Juda, scilicet de regno ejus unito, & diviso; quoad primum, duo insignia proponit, pietatem in divinis, præsertim, quoad templi ædificationem, a principio ad cap. 8., & magnificentiam in humanis, eodem cap. 8. quibus sibi paravit gloriam, & magni nominis famam, cap. 9. Quoad secundum, a cap. 10. ubi describit res gestas sub temporibus Regum Juda, succedentium ex Salomone, scilicet a Roboam filio Salomonis, cap. 11., & 12., & deinceps singulorum Regum, a cap. 12. usque ad 36. sed ne aliquid desit.

Utrumque hunc librum inspiciendo, notandum est cum Edero, lib. 2. tabul. 89. quod sicuti in ipsis profertur Elencbus præteritorum, & temporum, & rerum, & Regum, ita etiam eorum, qui prædicta accuratè Scripserunt, etsi pluribus hujusmodi scriptis sacris careamus. Itaque ex Athanasio in Synopsi, sic colligitur, quòd videlicet in libris Paralipom. notatur, quòd historiam peculiarem David, scripsit Samuel, Nathan, & Gad; Salomonis; Nathan, & Abia; Roboam, Semeias, & Addo Prophetæ; Abiæ, Addo Propheta; Asæ verò, qui scripsit librum sermonum Regum: Juda; Josaphat, Jehu, Propheta, filius Annanide Joas, habetur in scriptis Regum, Amasiæ pariter in libro Regum Juda, & Israel; Oziæ, Isaias Propheta. Joatan etiam in libro Regum Juda, & Israel; Achaz ibidem. Ezechiæ, Isaias Propheta filius Amos; Manasse relata sunt in sermone videntium. Josiæ in libris Regum Juda, sicut & Joachim.

ARTICULUS VII.

Ad duos libros Esdra Sacra Scriptura XV., & XVI.

HIC incipit tertia Judaicæ Reipublicæ forma sive de gubernatione Populi, ministerio Pontificum, nec propterea excludimus primas duas, cœperunt enim gubernari per Patriarchas, ac per duces, postea per Judices, exinde per Reges, ac denique per Pontifices, sed primas duas regendi formas, ideò non recensemus, tum quia etiam tempore ducum, aliquod regimen spectabat ad Pontifices, & ad quamdam Senatus speciem, tum quia non erat formata Respublica, per Dei legem in principio, & cum viatoribus, viatrix erat forma gubernii. Hos autem libros, ideò subnecti libris Paralipom. aliqui putant, quia finis secundi libri Paralipom. idem sit cum principio libri Esdræ. Hieronym. in lib. de hebraicis quæstionibus; alii hos libros, Propheticis Scripturis, de ipsa captivitate Babylonica, fære omnibus, postponere, & Malachiæ libro, adnectere solent, ut August. de Civitate Dei lib. 18. cap. 36., & Hieronym. in prologo Galeato, ac in epistola ad Paulinum. Sunt etiam, qui his libris, Tobiam præponant, eò quod historia ejus præcesserit, Glos. hic in primum Esdræ librum, quòd advertendum erat, ut tolleretur confusio. Nos verò Ecclesiastico canoni, etiam quoad ordinem, & collocationem librorum insistere tenemur, nec tamen propterea Patrum aliquem impugnamus, sua enim quisque ductus ratione, tunc variare potuit, quando Ecclesia non obstabat.

Esdras, sive hebraicè *Ezra*, quem primus liber Paralipom. *Josedech* Sacerdotem appellat, & hebræi, *Malachiam* Prophetam ultimum esse putant. Filius Saraiæ, filii Azariæ, ab Aaron Sacerdote magno duodecimus, Scriba legis Domini, ingeniosus, & velox, edidit librum sui nominis titulo prænotatum, hebraicis quidem litteris, & a se primo repertis, sed Caldaico sermone digestum, alterum verò librum, qui secundus Esdræ inscribitur, & eamdem cum primo historiam pertractat, scripsit Nehemias filius Elciæ Sacerdos, in captivitate Pincerna Regis Artaxersis, unde & præfatio libri ejus est, verba Nehemiæ, filii Elciæ &c. Sortitur autem etiam hic liber nomen Esdræ, tum quia ea continet, quæ simul ab Esdra, & Nehemia gesta sunt, tum etiam quia apud Hebræos uterque liber, in unum connectitur volumen, apud nos in duos libros divisum. Diffident tamen a nobis in hac parte Græci PP. quia quem nos tertium Esdræ librum dicimus, & inter apocriphos recensemus, illi in Sacro Canone collocant, & primum inter libros Esdræ constituunt, ex eo quòd ea quæ in illo libro narrantur, gesta sunt, ante ea quæ Esdræ, & Nehemiæ libris continentur, eosque propterea, qui apud nos primum, & secundum locum habent, ipsi in uno junctos libro, secundum appellant, quod notare oportuit, ne error contingat legentibus Græcos PP., sicut benè advertit Senensis.

Claruerunt Esdras, & Nehemias, cum Sancta Civitas, & templum instaurarentur, anno ab orbe condito 3421., qui fuit hebraicæ libertatis tertius, annis ante Christi adventum 541. juxta computum ejusdem Senensis: Esdram verò plures describunt valdè longæuum, & N. P. Dominicus, lib. 3. sectione prima, cap. 29., eum probat vixisse, ad minus, annis 132. Vixit enim usque ad annum septimum Artaxersis, ut habetur cap. 7. cumque Pater ejus Saraias occisus fuerit, anno 11. Sedeciæ, necesse est, ut ipse eodem saltem anno fuerit natus, a quo anno ad septimum Artaxersis, juxta ejus

ejus computum transierunt anni 132. Post quos ignoratur quanto tempore vixerit. Mortuus ergo est grandævus, reparata divino memoriæ miraculo, tota Sacra Scriptura, non quòd ipsa tota periisset, sed quia aliqua pars absumpta fuerat incendio, a Caldæis, aut latens, & dispersa, aliqua verò corrupta, totaque cum hebraicè scripta esset, jam erat Judæis impervia, qui in captivitate, hebræum idioma caldaico corruperant, hanc igitur reparavit novis repertis litteris, quas hebrei intelligere possent. Novarum verò huic litterarum inventioni, alii aliam causam assignant, ne scilicet Judæi cum Samaritanis haberent consortium, qui prius ad illud usque tempus, cum illis communes a Moyse traditas litteras habebant; differunt tamen hæ litteræ ab illis, tantum figura, ut notat Hieronym. ex quo obiter deducitur, purum nunc hebraicum primævum idioma non inveniri. Hæc autem ex Hieronymo in prologo Galeato, Beda, Glosa, Edero, Xisto Senensi. P. N. Dominico, cæterisque, quos longum nimis esset referre, qui ferè nihil inter se differunt deducimus, eaque confirmantur ex Athanas. in Synopsi, ubi, ab auctore hoc volumen accepit nomen. Esdras enim iste, cum esset, & Sacerdos, & Lector, reditum filiorum Israel de Perside ad Hierusalem descripsit.

Ex Josepho, immo ex ipso Esdræ libro. *Hic eum legum Moysis integram haberet notitiam, Xersi Regi amicus factus est, quem idem in litteris suis lectorem nominat legis Dei, deditque ei plenam veræ Religionis instiuendæ facultatem, & ut rediret cum Populo suo in Hierusalem, utque super eos Judices constitueret, cum potestate, essentque sine tributo, ipse, & Sacerdotes ejus, assignavitque ei sumptus necessarios, pro cultu Dei.*

Ne autem, contrà auctoritatem libri Esdræ videatur, ut quidam calumniantur, Augustin. de Civitate Dei, lib. 18. cap. 36., ejusdem verba afferre non piget. Ait enim loco citato. *Esdras magis rerum gestarum Scriptor est habitus, quam Propheta, nisi fortè ex eo Christum Prophetasse intelligendus est, quòd inter quosdam juvenes suborta quæstione, quid amplius valeret in rebus, cum* Regem *unus dixisset, alter* vinum, *tertius* mulieres, *quæ plerumque Regibus imperant, idem tamen tertius, veritatem super omnia demonstravit esse victricem: consulto autem Evangelio, Christum agnoscimus esse veritatem.* Ita Augustin. ubi notandum ex hoc ipso, quòd Esdram dicat Canonicum Scriptorem, eo ipso eumdem Prophetam appellare, lata quidem acceptione, sed quantum sufficit, ut eadem liber ejus polleat auctoritate, qua & cæteræ Sacræ Scripturæ partes, non enim omnia, quæ in ea sunt, scripta fuerunt a Prophetis rigorosè talibus, ac futura prædicentibus, quòd autem Augustin. ex libro tertio Esdræ cap. 4. sumpserit argumentum, qui liber apud nos non est Canonicus, non solum non contradicit prioribus Canonicis ejusdem libris, sed huic etiam tertio, non minimam conciliat æstimationem

Nunc ad rem nostram redeundo, scripsit hunc primum librum, de quo in præsenti sermo est, ipse Esdras, de rebus gestis filiorum Israel, priusquam de Babylone in Hierusalem ascenderet Nehemias. Porrò ejus scopus est, ut notant cum Aureolo præcitati DD. effectum ostendere, quintæ Dei promissionis, Deum scilic. suos numquam dereliquisse, sed propitium fuisse reductorem filiorum Israel, & defensorem in captivitate, sub Cyro, Dario, & Regibus Medorum. Agit ergò hic, de reductione Populi, sub Jesu filio Josedech, a princip. ad cap. 7. de illustratione reducti Populi per Esdram legis Doctorem, a cap. septimo ad finem. Continet autem historiam annorum septem, & ex peculiaribus familiarum monimentis, ac publicis tabulis, & præcedentibus historiis, cathalogum texit, redeuntium.

Secundus Esdræ liber, dictus Nehemias.

JUre sic appellatur, ipse enim Nehemias eum scripsit, de rebus Judaicis, & de ædificatione Hierusalem, suo sæculo gestis. Nehemias, qui latinè consolator a Domino dicitur, clarus habetur sub Dario Mnemnone, anno regni ejus 20. quo ex Babylone venit in Hierusalem, sub Eliasib Pontifice, habens a Rege potestatem reædificandi muros Hierusalem, qui (prosequitur Beda hoc loco) cum renovaverit muros Hierusalem, & populum Dei liberatum ab hostibus, de lege Dei instruxerit, profectò constat, quia & opera, & persona sua, non inconvenienter mediatorem Christum designet, qui se ad consolationem pauperum spiritu missum insinuat, cum in cælum ascensurus ait. *Ego rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis*, Joan. cap. 14. de eodem Ecclesiastici cap. 49. habetur. *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas, & serras, qui erexit domos nostras.*

Continet hic liber, qualiter obtinuerit Nehemias reditum ad Hierusalem, quasi dux a latere, quod laboribus multis, & periculis superatis, muros ædificavit, & portis, ac vectibus clausit, a c. primo ad septimum. Qualiter mensem septimum, clausa civitate celebravit festivum, cap. 8. & dedicavit eam ministerio Sacerdotum, c. 12. ubi etiam Sacerdotum, & Levitarum Genealogia describitur; secundum plures continet historiam annorum 25. Ædificatio perfecta est anno vigesimo tertio Arthaxersis, ut notat P. Dominicus.

Eadem est intentio, ac præcedentis libri, ut clarum est, ex divini adjutorii prosecutione, rerumque eversarum consumata reparatione.

De libris Esdræ tertiò, & quartò.

QUamvis libri isti Canonici non sint, in quo fallitur Genebrardus in Cronico, quia tamen venerabiles sunt, citra saltem libros canonicos, aliquam postulant notationem.

Certum est eos, nec in Hebraico, nec in Græco septuaginta Interpretum inveniri. In tertio, nihil falsum ex plurium examine reperitur, cum fusius eadem narret, quæ primò, & secundò libro referuntur, ideoque cum PP. eum quandoque citent, ut supra hoc eodem articulo, vidimus ex Augustino, & in Biblia vulgata saltem in calce, extra ordinem librorum canonicorum exhibeatur, plus

auct o-

auctoritatis ei tribuendum esse, quam cuilibet historico, non canonico, immò quam uni, aut alteri ex Patribus, sustinet N. P. Dominicus loco citato, ubi etiam refellit objectionem, quod videlic. cap. primo numerantur 77. anni captivitatis, quod falsum esse constat, ex Jeremiæ cap. 25. ubi 70. tantum referunt, ait enim utrumque verum esse, quia septuaginta fuerunt, usque ad annum primum Cyri, sed 77. dici etiam possunt, additis septem regni Cambisis hostis Judæorum, usque ad Darium histaspis, qui eorum complevit liberationem. A

De quarto magis videtur dubitandum, ex auctoritate Hieronymi, qui eum reiicit: nec non Xisti Senens. Pererii, & Bellarmini, qui fabulosum, ac Thalmudicum vocant. Illis tamen obviat Cornel. a Lapide, hanc diluens calumniam, quia certè hic liber scriptus fuit multò ante adventum Christi, porrò Thalmudistæ solum post Hieronymi tempora, somniari cæperunt, ut patet ex cronico Genebrardi. Licet ergo, nec iste canonicus sit, non tamen spernendus; tum quia aliquam servat analogiam, ad plura capita Apocalypsis B. Jo: Apostoli, tum quia eum facto veneratur Ecclesia, aliqua ex illo assumens, pro divinis officiis, ut introitum Missæ feriæ terriæ Pentecos. & in officio Martyrum, & aliis etiam, nec tamen propterea eum asserimus canonicum, sed pium, & venerabilem, primum quasi gradum præparatorium, ad esse canonicum, quando Deus id Ecclesiæ inspirabit, præseferentem, sicut contingit, in viris sanctæ memoriæ, qui prius venerabiles appellantur, postmodum, ubi cætera probentur, ad ulteriorem gradum requisita, canonizantur. B C

Nec refert quod in his libris inveniantur aliqua Sanctorum Angelorum nomina, quæ sicut alibi ex Cardinali Alberico notavimus, ab Ecclesia non admittuntur; sicut enim ex hoc infertur, duos hosce posteriores Esdræ libros non esse canonicos, ita ex eo quod præfatorum Angelorum sub illis nominibus cultum alicubi permittit Ecclesia, satis deducitur eosdem libros, in quorum veneratione non omninò, & ubique, talium nominum Ecclesia memoriam abolevit, venerabiles esse.

Ne verò aliquid desit, colligit Georg. Ederus ex libris Esdræ summam eorum, qui ex captivitate Hierosolymam redierunt, ad divinæ veritatis, & misericordiæ ostensionem. Fuerunt igitur.

Homines. de Tribubus Juda, & Beniamin, cum Levitis, in universum, numero quadraginta duo millia trecenti, & sexaginta; servi, & ancillæ septem millia, trecenti triginta septem; cantores ducenti quadraginta quinque: Cameli quadringenti triginta quinque: Asini sex millia septingenti viginti, primo Esdræ 2. 2. Esd. 7. & 3. Esdr. 5. Ædificatores autem erant Zorobabel, & Jesus filius Josedech, & Nehemias. Esdras verò (addit Arban. in synopsi) cum esset dexter in cognitione legis, legem proferebat, & legebat, disponebatque cuncta ad templum pertinentia, & Levitas quoque ex lege ipse designabat. Præterea, & Alienigenas uxores abiici curavit ab illis, qui eas tempore captivitatis duxerant. Abjecerunt enim illas, omnes, & mundati sunt, & pascha, (sicut scriptum est) & jejunium legitimè servarunt. D

ARTICULUS VIII.

De libro Tobiæ Sacræ Scripturæ XVII. partis secundæ XII.

Historiam continet, de vita, & moribus Tobiæ, in qua proponitur exemplum crucis in matrimonio. Ideò Tobiæ dicitur, & quia ipse subjectum ejus est, & quia ejusdem Scriptor.

Tobias igitur, qui sonat apud nos: *bonitas Domini*, Filius Tobiel, nepos Ananeel, de Tribu, & Civitate Nephtali, quæ est in Galilæa ad terminum occidentalem, jubente Raphaele Archangelo, qui eum a cæcitate curavit, scripsit Caldaica lingua librum suum, in quo calamitates, & divinas consolationes digessit, quas cum omni familia sua, captivus in Ninivè expertus est, tempore Salmanazar Regis Assyriorum, qui anno 9. Oseæ Regis Israel, qui erat sextus Ezechiæ Regis Juda, capta Samaria, transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hailam, & in Abor juxta fluvium Gozam in montibus, & Civitatibus Medorum. Transtulit hunc librum Hieronymus; ex Caldæo in Latinum, unius diei labore, quem Concilium Chartagin. tertium, cui Augustin. interfuit circa annum Domini 1410. in Canonem Sacræ Scripturæ recepit, etsi multò ante eo usi fuerint, ad comprobanda Fidei dogmata, Summi Pontifices Clem. prim. Roman. Anaclet., & Alexand. & prius anno 402. Innocen. prim. epistol. decima ad Exuper. a quo id accepit Augustin. de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. Ab Augustino, dictoque Concilio Gelas. a quo Eugen. 4., a quo Concil. Florent. postmodum, & Tridentin., ut supra notavimus de libris Deuterocanonicis, inter quos est Tobias &c.

Vixit secundum vulgatam, annis 102., at secundum Græcos annis 158. honorificè sepultus est in Ninive, circa annum ab orbe condito ter millesim. octuagesim. in cujus volumine ea, quæ de morte, & sepultura ejus leguntur, addita sunt a Tobia, Juniore, filio ejus, juxta communiorem opinionem. Præcessit hæc historia, illam Judith: annis circiter 225. Accidit, ut notatum est, Tobiæ translatio, cum illa communi decem Tribuum, anno 6. Ezechiæ Regis Juda, qui fuit nonus Oseæ Regis Israel, annis ante captivitatem duarum Tribuum circiter 135., quæ captivitas perpetua fuit, ut habetur, ex tota Scriptura. Ita Driedo de Scripturis Ecclesiasticis lib. primo, par. 2. cap. 3. ante destructionem Civitatis Hierusalem, an. 131. notat Carav. de restituta Theologia.

Argumentum, & scopus hujus libri ex se patet, & initio articuli, aliquid notatum est, sed additur ex Augustino, *in lib. de quæstion. ex utroque testamento, cap. 119. Dei ergo famulus. S. Tobias, post legem, nobis exemplum datus est, ut quæ legimus, quomodo fiant, sciamus, etsi tentationes advenerint, a Dei timore non recedamus, neque auxilium aliunde, quam a Deo speremus.* Item ex Ambros. *in lib. de Tobia, cap. 24. Tobias tibi dicit: Luxuria mater est famis, in quo continentiam docet. Dicit, etiam: mercedem omni homini, qui penes te operatur, redde*

eadem

eadem die, & non maneat apud te merces hominis: dicit tibi: Noli vinum bibere, in ebrietate, dicit tibi. De pane tuo communica esurientibus. Vide quid te fænerare cupiat, & de vestimentis tuis nudos tege. Ex omnibus qua abundaverint tibi, fac eleemosinam, omni tempore benedic Dominum. In his autem fænus æternum, & usura perpetua.

Summa totius libri, ex Athanas. in Synop. præter ea, quæ sparsim dedimus. *Tobias vir justus in captivitate describitur: Mortuos consuevit sepelire, ob quod delatus, fuga se salvavit. Regressus iterum mortuos sepelit; ex quo semel fesso obdormienti, stercus hirundinum incidens oculis, visum ademit. Miserat prius Tobiam filium suum, cum Raphaele, sub nomine Azariæ, in Rages Medorum, ut a Gabello, decem mille talenta reciperet, & uxorem de cognatione sua Saram, quæ erat in Hecbathanis, quam Asmodæus Dæmon vexabat, eique septem sponsos occiderat. Hanc curavit Raphael, Epar, & cor piscis, jussu suo a Tobia apprehensi incendendo, ipsique juncti sancto vinculo, ab eodem instructi redierunt, & sanato per Fel piscis Tobia cæco, Raphael, recusata mercede, seque manifestato evanuit. Factus senior Tobias, filio mandavit, ut in Mediam abiret, timens Ninivæ subversionem, ex Prophætia Jonæ, & mortuus est. Porrò filius ejus, qui abierat, sepultis Socero, ac Socru, & de Ninive subversione certior factus, obiit, annos natus 107.*

De hujus libri auctoritate jam dictum est, at quia sanctis undique consiliis, & exemplis statet, non placet hæreticis, etiam post tot Concilia, & PP. illum venerantes. Breviter ergo aliqua ipsorum objecta diluemus.

Arguunt primò, divina oracula hebræis fuere commissa. Hic liber apud hebræos non habetur, ergo non est divinus.

Respon. hebræos teste Genebrardo, hunc librum denique recepisse, & absolutè negamus canonem hebræum esse regulam certam, ad discernendum Sacras litteras, a non Canonicis, de quo fusè tractant DD.

Secundo: Omnes libri veteris testamenti a Prophetis fuere conscripti. Tobias hujus auctor, non est Propheta, ergo &c.

Respon. negam. anteced. hi enim, quorum auctor nescitur, quomodo a Prophetis dicuntur conscripti? Auctor specialis eorum est Deus, eos scripsit, per quos elegit, & eo ipso ad id electi saltem in generali acceptione sunt Prophetæ; specialius tamen pendet a Deo, Canonica scriptio, quam Prophetica. Adde quod Tobias etiam fuit Propheta, videatur cap. 13., & 14.

Arg. 3. Sibi contradicit hic liber, nam cap. 3. dicitur, quod Raguel Pater Saræ Sponsæ, junioris Tobiæ, habitabat in Rages Medorum, & tamen dum in domo Raguelis Tobias erat, rogabat Raphaelem cap. 9. ut in Rages Medorum transiret, ad recipiendam pecuniam a Gabello.

Respon. Medina, textum vulgatæ esse mendosum, sed nemini placet hæc responsio, uti periculosa secundum Augustinum, unde ad eam evitandam mirum est quot responsiones fuerint adinventæ. Brevior sanè, & probabilior est, duas fuisse in Media Civitates, hoc nomine vocatas, sicut in Palestina duæ Bethlem, & Salem, & Gabaa, & Bethoron, & hoc indicatur ex hoc, quod una Rages dicitur cum addito Ecbathanis; & hanc approbat Bellarmin. dicens esse communem, maximè quia Gabellus forte erat in loco facilioris negotiationis: quam esset illa Rages, nobilis Civitas, & ideò etiam locus ille dicebatur Rages, eo quòd in illo essent negotiatores Reges.

Arg. 4. Cap. 6. describitur Dæmon, ut amans Saram, & quod ex Zelotypia occidit septem viros, ad eam accedentes, id tamen videtur incredibile, quia Dæmon amat quidem peccatum, sed non mulierem, cum dicatur Gen. cap. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem. Dicitur etiam fumum Jecoris piscis a Dæmonio liberare, quòd videtur esse superstitiosum.

Resp. quod textum græcum, in quo dicitur, Dæmonem Saram amasse, non tenemur defendere, cum nobis non sit rigorosè Canonicus, eum tamen sustinendo, quia contemni non debet. Notatur quòd hoc non dicit textus cathegoricè, sed hypotheticè, dicendo, quod Tobias Junior ita referebat, vel ex simplicitate sua, vel quia audierat vulgò dictum, & in ratione hypotheticæ infallibilis veritas est. Immò, quòd hoc etiam in se potuerit verificari, multarum fæminarum infælix experientia novit, earum fortè malitia adjuvante, in quo casu non amat Dæmon fæminam, sed peccatum illud, quod turpissimum est, & quamvis dicatur amans, quia imitatur libidinosum hominis amorem ad fæminam, reverà tamen in hoc ipso tantum odii exercet contra fæminam, & humanam speciem, quanto turpiori dedecore, & animam, & corpus maculat Succubarum, & aliter etiam rem hanc evenire posse, nisi res esset a nobis aliena, ostendi posset, cum his experientiis redundent examina Maleficarum, & libri de his tractantes, ad Exorcistarum instructionem. De fumo Jecoris illius piscis, eruditè tractat N. P. Anton. prælud. primo, digression. 4. placetque magis responsio ex D. Thoma, pr. p. q. 115., ar. 5., ad tertium, & alibi, & August. de Civit. Dei lib. 21. cap. 6., ac PP. Salmaticen. de Angelis disput. 1. num. 18. quod sicut Angeli mali, quibusdam signis quodammodò alliciuntur, quia sapiunt divinum honorem, ita multis arcentur, quia sapiunt contemptum, superbissimi enim sunt; & talis fuit fumus illius Jecoris, quod Raphael intimè novit, eoque posito fugit Dæmon, quem ipse Raphael relegavit.

Vel 2. Resp. quod Dæmonis operatio in humano corpore, fundatur in aliquibus humoribus, quibus utitur veluti instrumentis, ad homines vexandum, & ad excitandum teterrimas species, in sensibus internis, quorum organa sunt corporea, quibus ablatis nihil habet, in quod agat. Maximè verò talis est humor hipocondriacus, & malencolicus, qui cum ad summum pervenit suæ malignitatis, a peritioribus medicis dicitur humor Dæmoniacus, idque frequenter accidit in fæminis, de quibus mirabilia, & fermè incredibilia refert Senertus in libro de miraculis uteri, ideò remedia amara

A mara, ut Ruta, hypericon, & similia, ac facta ex his suffumigia, quia similibus humoribus apprimè opponuntur, dicuntur fuga Dæmonum, cujusmodi fuisse Jecur illius piscis asseritur.

Quis fuerit ille piscis ex Sacro textu non habetur, sed attenta descriptione illius, & effectu, communior opinio est, fuisse Callyonimum, de quo videri possunt Plin. lib. 32. cap. 7., & Galen. lib. 10. Ælian. lib. 3., & Menander lib. 2. cap. 6.

ARTICULUS IX.

De libro Judith Sacræ Scripturæ XVIII. partis secundæ XIII.

JUdith, seù hebraicè, *Jehudith* librum, Philo
B Judæus, in volumine cronographiæ suæ, scriptum asserit a Joachim Sacerdote magno, Jesu Sacerdotis magni filio, qui in eo descripsit, Judith Betulianæ, de Tribu Ruben, victoriam, & liberationem obsessæ patriæ, quæ per ipsam facta est, anno 13. Artaxersis prisci, qui Assuerus, & Nabuchodonosor, in scriptura nominatur, quique cum collega suo Cyro primus Medis, Persis, & Assyriis imperavit, ut Esdræ primo, & in volumine Danielis habetur. Hunc librum Hieronymus, ex Caldæo latinum fecit, quem antea græcè ab incerto interprete editum, Sacrosancta Nicæna Synodus, in Canonem divinarum Scripturarum assumpserat, anno Domini circiter 324. Vixit Judith, eodem Philone teste, annis 125. nempè, post
C liberatam patriam annis 105. in sancta viduitate perseverans, decessit anno ab orbe condito circiter 3560. De his consulè Caravayal. de restituta Theolog. cap. 15. per totum. Jo: Driedo de Ecclesiasticis Scripturis lib. primo cap. 3. parte secunda. Xistum Senens. lib. primo, & 8. N. P. Domin. lib. 3. sectione prima, cap. 31. N. P. Anton. prælud. primo dub. 11.

Summa libri, seu historiæ Judith ex Synopsi D. Athanas. collecta hæc est, *Nabuchodonosor Assyriorum Rex, bellum gerens contra Arphaxad Regem Medorum, ab omnibus gentibus usque ad Ægyptum auxilia petierat. Iratus verò, quia nemo audire eum voluit, victo hoste, bellum vertit contra prius vocatos, misso Olopherne, cum exercitu magno, quo alias quidem gentes comminuit. Sed Israelitæ se munierunt,*
D *ne ei obedirent. Ad quod Joachim tunc Sacerdos magnus scripsit ad cives Bethuliæ, per quam prius transire debebat Olophernes, ut venienti obstruerent aditus, quo præstito perveniens Olophernes, cæpit eos obsidere, & impugnare. Achior autem princeps Ammonitarum, consilium dederat Olopherni, ne bellum gereret contra Judæos, nisi sciret eos peccasse contra Deum suum, qui eos, cum justi erant defendebat, quo indignatus Olophern. eum expulit in Bethuliam, puniendum, cum ea caperetur. Obsidio procedebat, & aquas civitatis montanæ abstulerat, quapropter se tradere moliebantur, at obstitit Judith, & præmisso jejunio, ac oratione, in ornamentis egressa est, cum Abra sua, in solo Deo confisa. Vt eam vidit captus est, in oculis suis Olophernes, ipsaque ad noctem ab eo invitata, eumdem, dum temulentus jacebat, proprio ipsius pugione percussit, ablatoque ejus capite, secretò aufugit, rediitque in Bethuliam; quo facto, egressisque Judæis, fugierunt Assyrii, & ab egressis exercitus debellatus, & expoliatus est. Judith verò cesserunt, quæcumque fuerant Olophernis, quæ pariter eadem obtulit Domino. Magna solemnitas, & tunc, & imposterum, quot annis eo stato tempore, in tanti memoriam triumphi celebratur.*

De hoc cæterisque qui sequuntur historicis libris, inquit Aureol. consequenter ad id, quod prius in anterioribus observaverat. Liquidam faciunt hi libri quintam, & postremam promissionem, Deum scilicet fuisse adjutorem populi Israelitici, ut supra diximus, in captivitate. Adstitit enim Tobiæ sub captivitate Assyriorum, Judith, & universo populo sub captivitate Nabuchodonosor, Caldæorum, seu Assyriorum secunda, Esther, & toti populo sub captivitate Medorum, Machabæis, & omni populo, sub captivitate Græcorum.

De auctoritate hujus libri, jam nemo nisi hæreticus dubitat, nam, & hunc, sicut cæteros Deuterocanonicos impugnant hæretici.

Primò eisdem argumentis, quibus Tobiæ librum impugnarunt, at specialiter arguunt, ex magna dissensione, quæ viegit inter Catholicos DD. circa tempus, quo acciderunt ea, quæ in hoc libro narrantur, an scilicet sit ante, an post reditum a captivitate Babylonica, indeque concludunt hunc librum non esse Canonicum, si enim, inquiunt, hæc nullo umquam tempore fuissent, nunc certè vera non essent, ergo si de tempore eorum dubitatur, æque dubitandum est etiam de eorum veritate.

Sed contra insulsissimam instantiam, ad hominem, sic quisq; arguere potest; certè Luther., & Calvinus mortui sunt, & qui nunc vivunt hæretici, morientur, numquid non hoc certò sciunt, se videlicet esse morituros? nemo dubitat, porrò dicant, quo anno, quo die, qua hora sunt morituri, nemo scit, ergo veritas rei non pendet a tempore, hominibus certò; ergo credunt id, cujus tempus nesciunt. Confirmatur. De extremi judicis magno die nemo scit, quando, secundum clarissimum textum Evangelii, & tamen omnes qui Evangelium admittunt, certissima fide fatentur, quòd erit, & hoc insuper credimus, eadem fide, hujuscemodi quandò, esse absconditum. Sed & plura sunt fidei mysteria, quæ in Sacra historia continentur, & tamen eorum tempus indivisibile nescitur, ut benè notat Senens. lib. 5. annotat. 68. Quid ergo tam insulsa oblatrant instantia, vel potius insania.

Respondetur nunc argumento; transeat pro modo, quod Catholici dissentiant inter se, an hæc historia contigerit ante, an post captivitatem, certè si dissentiunt de tempore, supponunt factum revera evvenisse, aliter non esset disputatio, sed contradictio manifesta, disputare, quando fuerit, quod numquam habuit primum esse. At verius negamus hanc incertitudinem, quamvis enim aliqui dubitent, fortè disputandi gratia, magisque aperiendæ veritatis. Magna tamen Ecclesiæ lumina August. lib. 18. de Civitate Dei cap. 26., & Hieronym. lib. 3. in Isaiam cap. 14. asserunt, evenisse, quæ hic narrantur post reditum de captivitate Babylonica eosque sequuntur Svidas in Oloferne. Glicas,

Glicas, secunda parte annalium, Cedren. in Dario Cambise. Beda de sex ætatibus, & in lib. de tempore, ætate quinta. Raban. Lyra, Ugo Chartus., & Eusebius in Cronic. anno 46., & 74. Aliique complures; ex parte autem adversa, ut videre potuimus, nullus ex SS. Patribus adduci potest.

Magis tamen convincit textus ipse, nam cap. 5. Achior sic inquit, *ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus, & plurimi eorum abducti sunt in terram non suam; Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Hierusalem*. Videatur acutissim. Joseph la Zerda, in Judith, academ. 2. litter. sect. 2.

Argum. 2. Nabucbodonosor, hic Assyriorum Rex nuncupatur, quod nomen proprium est Regum Babylonis, seu Caldæorum.

Resp. Reges victores, cum spoliis, a victis etiam nomina deportare, sicut Scipio, ab Africa Africanus a Germania; Germanicus, ideò etiam Assyrii, a Babylone devicta nomen regium, in perpetuam victoriæ memoriam, deportarunt.

Argum. 3. cap. 8. Judith dicitur de Tribu Ruben, cum ex cap. 9. habeatur, quòd erat de Tribu Simeon, ergo vel hoc, vel illud negandum est, quia utrumque esse non potest, non ergo Canonicus est liber, qui scatet contradictionibus, in quibus est indispensabilis falsitas.

Respon. (relictis litibus, quæ vergunt inter Expositores, de quibus videri potest Cornel. A Lapide: N. P. Dominicus, cæterique controversistæ) breviter cum Zerda, ad cap. 8. Judith, sect. 4. Eam verè fuisse de Tribu Ruben, ut Sacer textus asserit, cum illius genealogiam refert, ac resolvit in caput Tribus, cum verò ipsa dicit, cap. 9. Domine Deus Patris mei Simeon, nominat alium intermedium in sua Genealogia vocatum hoc nomine, ex devotione ad Simeon Patriarcham, qui caput fuerat alterius Tribus, vel etiam ad virtutis imitationem, Patrem suum dixit primum illum Simeon, cujus factum erat imitatura, cum Sichimitas occidit, in pænam stupri Dinæ, a Principe illorum commissi. Vel fuit hæc Sancti invocatio, quem dixit Patrem, sicut invocare consuevimus ad protectionem, Sanctum Patrem Nostrum Joseph, aliosque; hoc denique omninò certum, quod tunc Judith orabat, non texebat Genealogiam.

Argum. 4. quod cap. 11. in oratione Judithæ ad Olophernem, plura notantur mendacia; liber ergo non est divinus, cui ratiqni falsum repugnat.

Resp. quòd in alio loco hac de re agemus, pro nunc resp. primo, transeat anteced., & neg. consequen. repugnat Sacræ Scripturæ falsum dicere, non verò referrè, quòd aliquis falsum dixerit, in hoc enim historicè procedit, & verum dicit, dum refert, quod revera evenit, scilicet, quòd aliquis falsum dixerit, sicut, & in Psalm. 13. *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, & sæpè refert Polasphemiam iniquorum.

Resp. 2. neg. anteced. cum D. Augustino, qui

A ait *serm. 229. de tempore. Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perfecit actibus, quod promisit Regi*, quibus in verbis, dignam se, divinus verè Augustin. obtulit Doctrinam: cogitet sapiens lector, non enim omnibus æqualiter de hac materia differendum est. Consentit Augustino D. Thomas 22. q. 110. articul. 3. ad tertium asserens Propheticam fuisse locutionem. Alii aliter eam defendunt, quòd ea dixerit, quæ erant verosimilia, attento naturali rerum ordine; alii quod non est formaliter mentita, hostili siquidem idiomate, & captiose eam loqui, nisi specie deceptus evanuisset Olophernes, intelligere debebat, vel quod divinum consilium cælare ipsa tenebatur, nec jus habebat Olophernes, ad eam cogendam ad veritatem, contra se ipsam, cum ergò ad mendacium requiratur;

B quod sit contra aliquod jus: veracitas enim est justitia quædam potentialis, ipsa certè mentita non fuit. Subtilis doctrina, at cum grano salis sumenda.

ARTICULUS X.

Liber Esther, Sacræ Scripturæ XIX. partis secundæ XIV.

Summam expositionis hujus libri, mirabiliter complexus est brevissimo laconismo Georgius Ederus, illum sic inscribens. De cruce Ecclesiæ, & miranda ejus liberatione, quoniam per lignum servi facti sumus, & per lignum liberati sumus,

C ut de cruce canit Ecclesia in ejus solemnitate. Aman in cruce periit, quam paraverat Mardocheo, peccatum, & mors in ligno, quando mortua vita fuit, hinc Ecclesia per crucem liberata triumphat, & per supplicia crescit. Esther prostrata parat salutem populo. At melius Maria Dei Mater, humilis Ancilla Domini peperit Salvatorem Mundi. Adstitit cum illa, in Symbolo a dextris Regis, in vestitu deaurato, cui ipse obtulit virgam auream. Virga directionis virga regni tui, virgam idest crucem, cui inhæsit, eamque osculata est, cui dictum fuerat, osculetur me osculo oris sui, dedit virgæ osculum, nempe filium Dei, qui est osculum Patris, cruci donavit, quem sensum, licet per partes passim invenies apud PP., ac Expositores, ac mysticos DD. nos hæc cursim, ne ab assumpta metho-

D do recedamus. Summis enim labiis, hæc prælibare vix conceditur.

Esther vocatur hic liber, quia historiam illius complectitur: Athanas. *in Synop. hæc historia Susæ in Perside accidit, post reditum ex Babylone, tempore Assueri. Nam post Darium nothum, magnus successit Artaxerses, Assuerus, Darius Mnemon, Darii, & Parastidis filius, sub quo, historia Esther fuit complera, itaque Esther posterior est Judith, annis septuaginta quatuor, & ultra. Neque his obstat ætas Mardochæi, nam juxtà Philonis opinionem, is vixit annos* 198. Quis autem fuerit ille Assuerus, sub quo hæc gesta sunt, cum res prolixa sit, institutum superans abbreviantis, videat cui vacat Jo: Dried. de Ecclesiasticis Scripturis lib. 1. cap. 3. communius censetur, fuisse Artaxersem, successorem Cyri in Perside.

De Scriptore hujus libri non modica varietas est etiam inter Catholicos. Isydor. putat Esdram fuisse, lib. 6. Ethimol. sed Eusebius existimat hanc historiam Esdra posteriorem fuisse, alii eumdem, qui & scripsit librum Judith, Joachim Pontificem, asserunt. Communior tamen & acceptanda sententia est magis textui conformis, Mardochæum fuisse, habetur enim *cap. 9. hujus libri, scripsit itàque Mardochaus omnia verba hæc, & litteris comprahensa misit ad Judæos*, ac paulo infrà, *susceperuntque Judæi ea, quæ Mardochaus litteris, facienda mandaverat, & cuncta &c. qua libri hujus volumine continentur*, ex quo concludit Senens. *libro primo, ad titulum Esther, scripsit itaque Mardochaus hunc librum usque ad ea verba cap.* 10. *Mardochaus Judaici Generis*, & subdit, *cætera verò sex capitula usque in finem libri, ab incerto Græco Scriptore addita sunt, ex diversis historiis, & exemplar litterarum Aman, & Epistolæ Regis, quæ* 13., *&* 16., *libri hujus c. habentur, reperiuntur in libro* 11. *antiquitatum Joseph, ex quo inter antiquos (& nunc etiam, ab aliquibus disputatur) magna fuit controversia de auctoritate sex capitum posteriorum hujus libri*, de quo videri potest N. P. Dominicus ad hunc locum, at totam plenè solvit quæstionem Ecclesia, integrum librum, cum illis sex capitibus absque distinctione ulla, in Canonem asserens, verumque Dei verbum esse declarans, ita ut jam Catholico non liceat dubitare.

Quoad argumentum, *nuda ibi, & simplex narratur historia, quomodo per nobilissimam hanc fæminam, Deus universam Judæorum salvavit gentem jam jam perituram, & Aman, qui ejus machinabatur excidium depresserit, ac oppresserit*, Athan. in Synopsi, ex quo sic potest summari littera totius libri.

Artaxerses Rex, abjecta uxore sua, Aliam in regno suo speciosissimam, & honestissimam, loco ipsius assumpsit, Esther Judæam, cui cognatus erat Mardochæus. Aman erat Primas in ejus regno, quem Rex præceperat adorari: Mardochæus verò, propter Deum, quem solum adorabat, non coluit Aman, qui indignè id ferens, totam ejus gentem perdere molitus est, obtinuitque decretum. His cognitis Mardochæus admonuit Esther, & uterque jejunavit &c. ingressa illa ad Regem, etiam non vocata (quod piaculare erat) ac mirante Rege prostrata, ab eodem (Deo cor ejus emoliente) erecta est, & rogata ut peteret, ad prandium suum, Regem, & Aman venire precata est. Ex quo insolentior factus Aman, contra Mardochæum, ejusdem suspendio, altam in domo sua trabem paravit; Rex noctem illam ducens insomnem, annalia legens, invenit Mardochæum, alias revelasse insidias Eunuchorum, in vitam Regis, & quærens an præmium fidelitatis obtinuisset, non obtinuisse deprehendit, ideoque jussit Aman, ut duceret Mardochæum, in veste, ac mula regia, per civitatem, clamante præcone, sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare. Post hęc Esther in convivio pro Judęis oravit, pandens Amani insidias &c. ex quo Rex iratus, exivit in hortum; Aman verò rogans Reginam, ad genua ejus procumbens, visus a Rege suspicante turpitudinem, jussus est, A in eadem, quam paraverat Mardochęo, trabe suspendi. Illicò data fuit Judęis securitas, & ultio de inimicis, Rex enim jussit, ea, die, qua ex edicto Aman, interficiendi erant omnes Judęi, eadem ipsi inimicos suos occiderent. Mortui autem fuerunt sexaginta quinque millia, & statuti sunt dies festi, dies decimaquarta, & 15. mensis duodecimi, qui est Adar, quos dies semper colunt Judęi singulis annis, & Amani simulacrum incendunt, ex quibus Hieronym. *in prologo Galeato: Esther in Ecclesiæ typo populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, & diem celebrem mittit in posteros*, & quoniam occurrit hic Hieronym. notandum est, quod etsi in pręfatione libri hujus videatur sex posteriora capita quasi ab auctoritate deiicere, eo quod in hebręo B textu non reperiantur, ex quo ante Tridentinum plures insignes DD. ea capita a Canone tollebant, ut supra notavimus. Sensus tamen Hieronymi est, quod ad convincendos Judęos, qui proprio Canoni inhęrent, non habent efficaciam, idemque tantum sentire debuerunt, qui Hieronymum sunt secuti, nec ratione aliqua speciali pręter tanti viri auctoritatem ducti, libri hujus finem carpebant, expectantes Ecclesię declarationem, quam proprio placito pręferrent. Nec ulterius hac de re disputandum.

Plura quidem opponunt hęretici, ex ultimis sex capitibus, quę videntur cum pręcedentibus dissonare, quę tamen, bene consideraao textu, concordant, de quo videatur hoc loco P.N. Dominicus, C & P. N. Antonius, cęterique; sex enim ultima capita sunt quasi recapitulatio, & Paralipomena pręcedentium, ac proinde, quę in eis dicuntur, debent distribui suis locis, in prioribus. Quod 13., & 16. cap. hujus libri reperiatur apud Josephum, dicas; apud illum sunt veluti translatorem, non auctorem. Sicut idem testatur lib. 10. cap. 12. Quod autem disputetur inter Catholicos circa Assuerum istum, de quo hic agitur, nempe quis fuerit, nihil officit. Varietas enim opinionum oritur tantum ex varietate historiæ profanæ, quam Catholici consulunt ad eruendam quam possunt veritatem, circa identitatem hujus Regis, quam Scriptura non ponit. Historici autem profani, sicut in pluribus fabulas immiscent, & abundantes in sensu suo non conveniunt, ita & in hoc articulo, vario D valdè calamo scribunt. Sed ex hoc nullum præjudicium oritur veritati, si enim ex hoc, historiæ hujus sacræ penderet auctoritas, id procul omni dubio Scriptura non celaret, nec reticeret Ecclesia.

ARTICULUS XI.

Liber Job Sacra Scriptura XX. partis secunda XV.

Compendiosè inscribit hunc librum Ederus, de afflictionibus, & consolationibus justorum.

Titulus libri est, *Job*, quia ejus complectitur historiam; quid perpessus sit, quomodo a Diabolo tentatus eum vicerit, ac illatas plagas piè toleraverit, rursusque omnia dupplicata receperit, illustriorque

strior que factus quam antea fuerat, iterum decem liberos adeptus sit, dupplicem que substantiam. Vixit enim post plagas, annos 170. Athanas. in Synopsi.

Hæc historia (notat Origen. in princip. lib. Job) legebatur in diebus sanctis, & in diebus jejunii, ac abstinentiæ, in conventu Ecclesiæ, idemque Origen. sic eam illustrat.

Quis fuerit iste Job, de quo hic agitur; juxta vulgatam opinionem dico. In regione Ausitide morabatur, illic natus, illic vixit, & ex ipsis fuit: Ausitæ, genus sunt Esau, posteritas Edom; nam Ausitæ, & Minai, & Euchai, & Themanitæ, & cæteræ omnes Tribus erant ex cognatione, atque prosapia Esau filii Isaac, qui & Edom cognominatus est, & tunc universæ Tribus, Idumæi vocitati sunt, ex nomine Esau, nunc verò, omnes uno nomine Arabi appellantur, non solum Idumæi, sed & Moabitæ, & Ammonitæ &c. cui sententiæ vulgò suffragantur ferè omnes, & quidam etiam ex gentilibus, Aristæus, in Judaica historia refert, Job fuisse filium Esau, & habitasse in Idumæa, sive Arabiæ finibus, justitia, & divitiis præcipuum, tentatumque divinitus magnis calamitatibus. Hinc etiam Augustin. lib. 18. de Civitate Dei cap. 47. hujus Job, quem vocat virum sanctum, & mirabilem, honestissimam facit mentionem, *qui nec indigena*, inquit, *nec proselytus, idest advena populi Israel fuit, sed ex gente idumæa, genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque spectat, nullus ei hominum, suorum temporum coæquetur*. Sed Hebræi, quos imitatur Hieronym. lib. de quæstion. Hebraicis, dicunt Job, non de genere Esau, qui est de Abraham, sed de Huz, qui est de Nachor, fratre Abrahæ descendisse, sicut habetur in Gen. cap. 22. Quod Nachor frater Abrahæ, ex Melcha uxore genuit Huz primogenitum, unde, & in principio libri Job dicitur: vir erat in terra Huz nomine Job.

Scripta fuit hæc historia primum Syriacè in Arabia, ubi Job habitabat, translata est de Syro in Hebræum per Moysen, ex Hebr. in Græcum per 72. Interpretes, ex Hebræo, & Græco in Latinum per Hieronymum, ut ipse testatur, digesta verò (ajunt aliqui per Moysen, at non videtur commodè cohærere, quomodo digesta per Moysen, & per eumdem, de Syro translata in Hebræum) vel per Prophetam aliquem, vel per ipsum Job, de quo articul. videndus est Gregor. in præfatione ad lib. Job, nec non Origen. in prologo ad eumdem librum, & Jo: Driedo lib. primo de Ecclesiasticis Scripturis cap. 3., communior tamen opinio est, quam affert in suo Mathæo Scholastico, perdoctus. P. Vincen. Maria Feti Ordinis Prædicat. c. 1. Job ibi scriptus, & scriptor. Ita etiam Xist. Senens. & plurimi, existimant enim, ipsum Job filium Zareth, de filiis Esau, quintum ab Abraham, quartum ab Esau per se ipsum victorias suas sicut desideraverat, demum scripsisse, qui antea dixerat cap. 19. *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei, quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo &c., & cap. 31. quis mihi tribuat adjutorem, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse, qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum, quasi coronam mihi &c.*

Quibus autem sæculis gesta sint ea, quæ in hoc libro scribuntur, non oportet curiosius inquirere, nisi quatenus ad intellectum ejusdem historiæ, & scripturarum conducat. Jo. Driedo *lib. 1. cap. 3. Etsi verò Scriptura in Gen. enarrans gesta longe ante Moysis tempora, ejusdem Job meminerit, non tamen inde sequitur, quod is longè ante tempora Moysis extiterit, sed juxta opinionem Origenis, temporibus Patriarcharum, & Moys. vixisse perhibetur*.

Quod si obiicias, quomodo stare potest, quod Moyses hunc librum, vel digesserit, vel transtulerit, si Job ei contemporaneus vixit? Resp. quod quia Job, dici post superata infortunia vixit, potuit ejusdem Job ultimis diebus contemporaneus esse liber, mirabilia ejus priora describens, sicque ultima Job tempora prioribus Moysis coexstiterunt, qui in posterioribus vitæ suæ diebus potuit librum illum transferendo, ne tantæ rei memoria periret, proprio idiomate celebrare.

Si quæras, ad quam partem Sacræ Scripturæ spectet hic liber? facilè respondetur ex verborum contextu, refertur ad psalmos, seu ad carmina; magnam enim ejus partem, scilicet ab initio cap. tertii, usque ad initium 42. hexametris labi, testis est Hieronym. ex quo loco usque ad finem, prosa concluditur. Si spectes vim argumentorum, spectat ad dialecticam Sacræ Scripturæ tractationem, habetque dialogi, seu familiaris colloquii speciem, si rerum gestarum seriem attendas, spectat ad historiam, ad quam, communiorem sequentes methodum, eum annectimus in præsenti. Sed ibi non est prætereundum, quod optimo ordine, etiamsi ejus historia, alias prænarratas in Scriptura post Pentateuchum, longè præcesserit, hoc posteriore loco in Scriptura eadem collocatur, quia videlicet, & quoad substantiam, historiam habet, & quoad modum psalmis assimilatur, quorum librum huic statim Sacra Scriptura connectit, jungens, quæ in stylo assimilantur.

Ejus intentio, secundum D. Thomam, est tota in hoc, ut per probabiles rationes ostendatur, res humanas, divina providentia regi. Id autem, quod maximè providentiam Dei circa res humanas impugnare videtur, est afflictio justorum, & ideò facta disputatione circà hunc articulum, concluditur magna Dei providentia, ex consolatione ejusdem justi: D. Thom. in præfatione ad lib. Job. Hujus igitur libri hoc est argumentum: patientiam, & reliquas virtutes Job commendat, plagas describit, ejus disputationem cum amicis ennarrat, qui cum venissent ad consolandum, torquebant, suadentes ei, quod talia patiebatur ob peccata sua. At Job constanter tuetur justitiam suam, & in hac via, universa suadet evvenire, æquè justo, ac impio, veramque justorum retributionem, in altera vita asserit expectandam, nempè post futuram resurrectionem, quam quidem teste Hieronymo ad Paulinum, *sic prophetat, ut nullus de ea, vel manifestius, vel cautius scripserit*. Tum demum ipsius Job a Deo correptionem, & restitutam fœlicitatem, amicos quoque

que per ipsius orationem, cum Deo reconciliatos A
ostendit: pergit Beda *in princip. comment. in Job. Sanctus*, inquit, *Job vir a Deo approbatus, multa de Christo Domino prophetavit, cujus etiam ipse personam figuraliter gessit, quod & ipso nomine declaratum est, nam Job latinè, dolens, interpretatur: multa etiam de Ecclesiæ mysteriis, peccatorum quoque felicitate præsenti, nec non & diaboli potentia, obscurè locutus est. Isti autem tres amici Job, eos figurant, qui intus non sunt, & Christianitatis nomine palliantur.*

Pulchrè D. Prosper de prædictionibus, *jam per justum virum transitura Christi vestigia signabantur, de quibus David in persona ejus dixit: in Idumæam extendam calceamentum meum, mihi Alienigenæ subditi sunt.*

Nunc ut hæreticorum præcludamus insidias, B
placet ea subdere, quæ Doc. Angelic. notat, in proœmio hujus libri, versus finem. *Fuerunt autem aliqui, quibus visum est, quod iste Job non fuerit aliquid in rerum natura, sed quod hæc historia sit parabola conficta, ut sit quoddam thema ad providentiæ disputationem, sicut frequenter confingunt homines aliqua facta ad disputandum, de illis. Confirmantque Hæretici, ita verosimiliter componi asserentes, idque deducunt, tum ex narrandi stylo, tum non dicatur fuit assertivè, sed erat vir: tum ex Concilio Angelorum, quod proponitur cap. primo, præsidente Deo habitum, cum dialogo personarum, tum ex eo quod carmine hæc describantur, ut moris est in Tragædia, & personæ inductæ verè videntur comicæ, & scenicæ.*

Quibus, ex ejusdem Sancti Doct. doctrina loco C
citato respon. certâ fide tenendum, veram, & realem libri hujus suisse historiam; quamvis enim ad intentionem doctrinæ non multum referat, utrum sic, vel aliter res fuerit, refert tamen, quantum ad ipsam veritatem; & certè talis opinio obviat auctoritati Sacræ Scripturæ, quod manifestè probatur. *Ezechielis cap. 14.* ex persona Domini dicitur, *si fuerint tres viri, in medio ejus, Noë, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Certissimum est autem Noe, & Daniel in rerum natura fuisse, unde nec de tertio eis annumerato dubitari potest. Dicitur etiam Jacobi *cap. 5. ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt, sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis.* Nullus igitur superest prædictæ calumniæ locus, nec torquendus est in esse contra Dei præceptum, qui D
eum Diabolo permiserat, ut salva anima, hoc est vita, & esse torqueretur in corpore. Addendum etiam ex Chrisostomo *hom. de divite*, ne quandoque in similibus error contingat, *parabolæ illæ sunt, ubi ponuntur exempla, & tacentur nomina*, & Tertullian. *lib. de Resurrectione carnis*, Lazari historiam ex nomine confirmat, dicens. *Quid illi Lazari nomen, si non in veritate res est?*

Ad objecta verò Respon. in Hebræo haberi: fuit vir, quod autem dicatur, *erat* in nostra vulgata, signum est denotans historiæ antiquitatem, vel ideò sic dicitur, quod ea loquendi ratione significatur, quoddam vitæ genus, constans, tranquillum, & eatenus nondum abruptum. Videatur Pineda in Job. cap. 1.

Ad id, quod opponitur de Concilio Angelorum, multiplex est opinio. Prima negat debere intelligi materialiter, cum videatur absurdum, unde sic significatur, quod effectus ita evenit, ut si inter homines fieret concilium, & aliquid decerneretur. Secunda est, quod ita evenit, sicut narratur, sed modo spirituum, qui a nobis exprimi aliter non potest, aut intelligi, ideoque nec aliter erat nobis proponendum, quamvis enim Deus omniscìens, ac infinitè facundus in Sacra Scriptura loquatur, se se tamen seu potius locutionem suam modulo intelligentiæ nostræ dignatur attemperare, & utraque responsio sibi similis est, ac sustinenda.

Quod carmine conscribatur, solemnitatem indicat patientiæ, quæ hic commendatur, nec solæ scenicæ prolusiones carminibus exponuntur, sed & gravior tristitia sic magis exprimitur, & metro, redditur magis ponderata narratio. Gloria etiam ista debebatur Scripturæ, ut ex ipsa Poetæ discerent, & haurirent dicendi numerum.

Ad ultimum, si Personæ, quæ misteriosè significant, scenæ tantum conveniunt, tota Sacra Scriptura proscenium unum erit, unde reiicitur insulsa nimis objectio &c.

Hic notandum, quod quamvis distributio partium Sacræ Scripturæ, quam initio sectionis proposuimus ex Aureolo, sit conveniens, & rationalis, in venerationem tamen nostræ vulgatę, ordinem librorum, in ipsa ab Ecclesia statutum sequi tenemur, ac propterea, ubi Aureolus secundam partem Sacræ Scripturæ complet per libros Machabæorum, nos per librum Job, prout in vulgata reperitur, qui & ipse, quamvis carmineus, tamen potissimum etiam historialis est, terminamus, quem ordinem etiam imposterum servandum esse quoad cæteros libros censemus.

SECTIONIS SECUNDÆ.

CAPUT III.

De tertia parte Sacræ Scripturæ.

Psalterium Davidicum 150. Psalmorum; Sacræ Scripturæ lib. XXI.

ARTICULUS I.

Quædam generalia huc spectantia complectens.

AD verum Dei cultum, & laudem tota tendit Scriptura: notissimum est; idque cum per sacrificia compleatur, quorum præclarum genus est ipsa laudatio, ut dicitur *Psalm. 49. sacrificium laudis honorificabit me.* Rectè post veteris Testamenti sacrificia, & ritus, eorumque motiva, quæ sunt, ut puta, creatio: conservatio, & liberatio, quæ in quinque libris Moysis describuntur, postq; hæc eadem omnia, historiarum exemplis diversimodè illustrata, ac comprobata, nunc divinæ laudis

dis

dis sacrificia subnectuntur, quamvis enim non una tantum sit Deum laudandi forma, celebrior tamen ea apparet, quæ in Psalmorum modulatione consistit, quam propterea sapientissimè quotidiano ritu divina servat Ecclesia. Hæc itaque a cæteris distincta pars Sacræ Scripturæ, specialiter dicitur himnidica, seù decantativa, aut poetica, quæ sicut cæteræ hinc deductę poeses, dividitur in carmina, drammata, & Elegias, sive quod in idem recidit, in canticum lętitię ac laudis, uti sunt Psalmi generaliter. In carmen amicitię, & exultationis, uti in peculiaribus Psalmis apparet, & in cantico canticorum, aliisque Sacrę Scripturę canticis, quę ad proprios libros reducuntur. In cantum luctus & doloris, sicut in aliquibus etiam Psalmis dignoscitur, & in threnis Hieremię Prophetę, qui ad ejus B spectant prophetiam. Nunc igitur post cęteros, quos velociter percurrimus libros, de libro tantum Psalmorum aliquid, vel minimum a longè prælibandum est, prout nostrę permittitur brevitati.

Consultò autem in titulo usi sumus eadem forma verborum, qua utitur in Canone Tridentinum, scilicet, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, ex hoc enim nihil restat de numero quærendum, cum sint ex Canone, 150., nec de Auctore, qui satis in Canone, eodem exprimitur, David. Hinc magis confirmata viget. Origenis Jo: Chrisost., Theodoreti, Euthimii, & Cassiodori, aliorumque, & quod plus est Augustini sententia, omnes uni David Psalmos attribuens, uti secundario auctori, seù Scriptori, Primarium siquidem, & specialissimum sciunt omnes fuisse Spiritum Sanctum. Non C enim aliter homini tanta potest competere sapientia, ut in præfatione Psalterii dicit D. Thom. nisi dicamus David loqui eo modo, quo puer ea dicit, quæ etsi nesciat, ei de verbo ad verbum dicenda imprimuntur, qua aptior similitudo ad rem hanc explicandam inveniri vix potest.

Una tantum obviat objectio, contrà auctoritatem Augustini, nam lib. 17. de Civit. Dei cap. 14., omnes Psalmos attribuit David, & tamen in titulo Psalmi primi. *Non omnes*, inquit, *Psalmi a David editi sunt*, quæ est manifesta contradictio.

Resp. nullo modo Sanctum Doctorem sibi contradicere, nam primo loco apertè agit de Scriptore, quem omnium fuisse David, probabilius se existimare concludir, at secundo loco clarè loquitur, D de Cantore, unde concludit, David ergò solus novem Psalmos ore proprio cecinit, ex quibus potius declarat, & solvit discrepantiam aliarum opinionum, ubi sciendum, ut benè advertit Ludovicus Vives, quòd antiquitus omnes hebræi, uno ore asserebant procul omni dubio, unum David, Psalmos omnes composuisse, eratque veluti traditio; Ast ubi Origenes, ex hac ipsa sententia ipsos convincebat, jam venisse Messiam, cæperunt cavillare, dividi inter se; aliqui eos tantum Davidi attribuebant, qui ejus nomine inscribuntur. Alii pauchos numero dumtaxat, alii aliter, ita ut Rabbi Salomon Gallus, decem constitueret Psalmistas, videlicet Melchisedech, Abraham, Moysen, Filios Chorè, David, Salomonem, Asaph, Idithum, A Ethan, Eman, omnesque in hoc solum denique convenerunt, ut non omnes uni David concederent, idque secutus fuit Hieronymus, qui salva fide, sequitur quantum potest opiniones Hebræorum, sed Augustinus veritatem penetrans, ut oppositam opinionem cum veriori conciliaret, omnes a David conscriptos fuisse, novem verò tantum decantatos asseruit ab eodem, ita ex Vives deducimus, cætera verò, quæ idem subdit ommittimus, quia disputationem excitant, quæ ad præsens, non conducit.

ARTICULUS II.

De variis Sacrarum cantionum, & organorum speciebus, & de materia Libri Psalmorum.

QUamvis hæc levia videantur, quia tamen diligenter notata a Patribus, qui in levibus non detinentur, reperimus, ex eisdem breviter collecta, commemoranda censemus.

Psaltes, Deus est, qui canitur, ut notat Euthimius, vel etiam homo qui canit, ut explicat Incognitus.

Psalmus, forma est, & carmen, quod de Deo canitur, sive quod simul cum Psalterii instrumento, suavi, & modulata voce profertur.

Psalmodus, Poeta est, qui carmina componit, & eadem musicè disponit.

Psaltodus, est chorus canentium Psalmos.

Diapsalma, de qua plura Hieronymus, mutationem sententiæ, aut cantus significat, aut pausam, seù interjectionem quamdam pulsationis, vel fulgorem, atque illuminationem divini spiritus, quæ tunc canentibus apparebat, scribebantur enim hæc omnia, ab eis diligenter.

Ode, seu canticum, vox quædam est musica, cum armonia, solo ore prolata, quamquam improprie ipsum etiam canticum sæpè Psalmus dicatur: Est autem canticum antiquius Psalmo. Moyses quippe cantici auctor fuit, sicut David Psalterii, quo antea ad demulcendos tantum greges utebatur. Sed post, hujusmodi instrumentum sapientius coaptavit, & illius usum transtulit ad laudandum Deum, & hoc modo invitandum audientes ad similem laudem Dei.

Hymnus, est divinæ gloriæ extensior, ampliorque, & magis ordinata quædam laus.

Confessio etiam, est quoddam amplum testimonium, & Fides, qua aut bona, quæ recipimus, fatemur, ad magnificandum Benefactorem, aut mala, quæ commisimus, ad pœnitentiam, & veniam.

Oratio significat preces, votum, promissionem, petitionem, elevationem mentis in Deum.

Canticum Psalmi, tunc est, quando musicè per organicum instrumentum prius disponitur, & deinde consequitur vox ore emissa, quæ secundum occupat locum.

Psalmus verò Cantici, est è converso, quando prius ore laus profertur, & sequitur sonus.

Differunt Psalterium, & cithara, quod Psalterium

rium habet testudinem ex parte superiore, illud scilicet concavum lignum, cui cordæ innitentes resonant, cithara ex inferiore parte, idipsum lignum cavum, & sonorum habet. Augustin. Psalm. 3., & 42.

Cantorum quatuor erant principes, quatuor choris præfecti, ob totidem mundi climata, ad quæ Psalmorum voces perventuræ erant, unusquisque chorus ex duobus, & septuaginta Cantoribus constabat, ut quidam retulerunt se apud Hebræos legisse, juxta proportionem, ac numerum linguarum, quæ in Babylonicæ Turris ædificatione, ex confusione, ac divisione resultarunt. Euthimi. in præfatione Psalmorum.

Choros verò Cantorum, ideó David instituit, ut magnitudo sonitus organorum, ac vocum, & delectatio terrori mixta, cor Populi compungeret. Remig. in præambul. ad ennarrationes in Psalmos.

Alias his similes observationes passim reperies apud Nostrum Incognitum, Lorinum, cæterosque Psalmorum Commentatores, quæ ad mysticos sensus eruendos micè deserviunt. Nobis hæc satis, ex Sacris Doctoribus collecta, ne si omnia notare velimus, opus excrescat supra modum.

Necesse verò duximus aliquid addere, brevi compendio, ex his quæ sapientissimè docet Angelic. Doctor in proæmio ad hunc librum, ubi exponit illud *Ecclesiastici cap. 47. In omni opere suo dedit confessionem sancto, & excelso in verbo Gloria*, quod dictum fuit, ut ipse sentit, de David ad litteram, ex quo patebit materia hujus libri, ait enim. *Cum alii Canonici libri speciales habeant materias, hic liber generalem habet totius Theologiæ, & hoc est quod dicit Dionis. lib. 3. cælestis hierarchiæ, divinarum odarum, idest Psalmorum Sacram Scripturam intendere, est sacras, & divinas operationes omnes decantare, & ideò signatur materia, cum dicit in omni opere suo; deinde ostendit, quomodò agat de quadrupliti opere Dei, creatione, gubernatione, reparatione, & glorificatione, & subdit de tertia, omnia enim, quæ ad fidem Incarnationis pertinent, sic dilucidè traduntur in hoc opere, ut Evangelium videatur potius, quam Prophetia. Reperitur etiam multiplex modus in aliis libris: narrativus in historialibus, admonitivus, exhortatorius, & preceptivus, ut in lege, Prophetis, & Sapientalibus: disputativus ut in libro Job, deprecativus, & laudativus, ut in hoc libro specialiter, at hic ita habetur in hoc libro, ut universos complectatur, quia quidquid in aliis, alio modo, ibi totum dicitur per modum orationis, & laudis, & hinc sumitur ratio tituli, qui est. Incipit liber hymnorum, sive soliloquiorum, Prophetæ David de Christo. Hymnus, est laus Dei cum cantico, canticum exultatio mentis, de æternis habita prorumpens in vocem; Soliloquium est collocutio hominis cum Deo singulariter, vel secum tantum, quia hoc convenit laudanti, & oranti; Hujus autem Scripturæ finis est oratio, quæ est elevatio mentis in Deum, ex Damasc. lib. 3. sed quatuor modis anima elevatur in Deum, primo ad celsitudinem potestatis admirandam, quæ est elevatio fidei, secundò ad tendendum in excellentiam beatitudinis æternæ, quæ est elevatio spei, tertiò ad inhærendum divinæ bonitati, & sanctitati, quæ est elevatio charitatis, quarto elevatur ad imitandam divinam justitiam in opere, quæ est elevatio sanctitatis, & perfectionis, in qua uniuntur omnes priores. Quæ elevationes in toto hoc libro docentur, & intenduntur, & omnibus his modis hic liber dicitur oratio. Ideò Gregor. hom. prima super Ezechielem dicit, quod vox Psalmodiæ, si cum intentione cordis agitur, Omnipotenti Deo, per eam ad cor iter paratur, ut intentæ animæ, aut Prophetiæ mysteria, aut gratiam compunctionis infundat. Finis ergò est* (concludit Angelicus) *ut anima conjungatur Deo, sicut sancto, & excelso. Auctor autem hujus operis, significatur ibi in verbo gloriæ, quòd est ipsum Deum esse ejus auctorem, unde secundo Regum cap. 23. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam, & statim subdit ad significandam claritatem privilegiatam suæ Prophetiæ ipse David, sicut lux auroræ oriente sole, manè absque nubibus rutilat.* Post hæc addit Angelicus, plures hujus libri translationes; *una fuit a principio, tempore Apostolorum, hæcque vitiata erat tempore Hieronymi, qui eam ad nutum Damasi Papæ correxit, & hæc legitur in Italia. Sed quia hæc translatio in aliquibus discordabat a græco, tanstulit rursus Psalmos Hieronym. ad preces Paulæ, de græco in latinum, & hanc Damasus Papa fecit cantari in Francia, & concordat de verbo ad verbum cum Græco. Post quidam Sophronius aliquando disputans cum Judæis, cum dicerent illi, aliqua non sic se habere, sicut in secunda translatione legebatur, dictus Sophronius rogavit Hieronymum, ut Psalterium de Hebræo in latinum transferret, cujus petitioni annuit Hieronym. quæ translatio concordat omninò cum Hebræo, sed non cantatur in aliqua Ecclesia habetur tamen a multis.*

Quamvis tamen vera sint, & semper summa veneratione digna, quæ asserit S. Doctor, notandum tamen est, cum N. P. Anton. prælud. 2. dub. 8. num. 68. eam Psalmorum translationem, qua utuntur nunc communiter Ecclesiæ, non esse Hieronymi, sed D. Luciani Martyris ex Græco, quam quidem correctam habemus a D. Hieronymo, in vulgata, at non io breviariis, quia cum tempore Hieronymi, jam Lucianea in usu esset recitantium, ne turbaretur Ecclesia, concedi debuit ejusdem sine mutatione continuatio, eaque nunc perdurat, quæ causa est quòd aliquando quosdam versus Psalmorum aliter legimus in vulgata, aliter in breviario, quæ tamen varietas non est substantialis, ideòque ab Ecclesia utraque versio sustineri potuit, & approbari.

Quantum ad numerum Psalmorum, qui certè est 150. mysticè considerat Angelic. eum numerum constare ex 70., & 80., per septem significatur decursus hujus temporis, quod peragitur 7. diebus, per octo verò status futuræ vitæ. Octava enim secundum Glosam est resurgentium, & significat, quòd in hoc libro tractantur ea, quæ spectant ad statum hujus vitæ, & ea, quæ ad gloriam futuræ. Item per 7. significatur vetus testamentum, Patres namque veteris Testamenti observabant numerum septenarium dierum, hebdomadarum, mensium, & annorum, & decadis annorum, quæ erat Jubilæus. Per octo verò novum Testamentum; celebramus

enim

enim diem octavum, scilicet diem Dominicum propter solemnitatem Dominicæ Resurrectionis, & sic in hoc libro complentur mysteria veteris, & novi Testamenti, ex D. Thoma hæc hausimus, cui concordant alii. A

Hieronym. ad Paulinum, *David*, inquit, *Simonides noster, Pindarus, & Alphæus, Flaccus quoque, & Catullus, atque Serenus, Christum lyra personat, & in decacordo psalterio, ab Inferis excitat resurgentem*.

Hilar. in prologo. *sicut enim universa, allegoricis, & typicis contexta virtutibus, per quæ omnia Unigeniti Filii Dei in corpore, & gignendi, & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in æternum conglorificatis sibi, qui in eum crediderint, regnandi, & cæteros judicandi, sacramenta panduntur*. Nec in hoc detinemur, cum universaliter PP., & Expositores id B sentiant, totam nempe Scripturam, universaque ejus mysteria, in solo psalmorum libro mirabiliter contineri.

Peculiaris epilogus materiæ hujus libri occurrit ex præfatione Euthymii in eumdem. Scopus enim hujus operis primus est tractare de propriis ærumnis, & laboribus, de antiquitatibus Judaicis, & aliis vetustioribus, quæ continent generationem, & gesta Patriarcharum, peregrinationes, migrationes, descensum in Ægyptum, servitutem, exitum de Ægypto, Legem datam, Tabernaculum, Sacerdotium, Numeros, Deuteronomium, Jesum Nave, distributionem terræ promissæ, & Judices &c. Item tractare de rebus naturalibus, & universo Dei opificio, de Crucis dispensatione, de prophetia earum rerum, quæ post Christi in cælum ascensionem C contigerunt, de Theologia Trinitatis, de intellectualibus creaturis, scilicet de Angelis, de Dæmonibus, de anima, ejusque motibus, & potentiis, de morum disciplina, & institutione, de cogitationibus, de Dæmonum insidiis, de sanatione passionum, deque pugna adversus illas, de mandatis, & præceptis divinis, deque punitionibus contumacium &c. & omnia ad Dei laudem, & gloriam, idque clarissimum est in toto hoc libro, quod Christum multimodis repræsentat, eumque ubique, & in omnibus respicit.

Quæ autem sit intentio ex parte modi, August. in Prologo ad Psalmos sic eleganter: *quoniam quidem Spiritus Sanctus videns obluctantem, ac resistentem, ad virtutis viam humani generis animum, & ad* D *delectationes hujus vitæ magis inclinari, quam ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ, vim suæ doctrinæ permiscuit, ut dum suavitate carminis mulcetur auditus, divini sermonis pariter utilitas inferatur*.

ARTICULUS III.

Quædam notans ad Psalmorum intelligentiam.

Aliqui Psalmi habent pro titulo Alleluja, & illi sunt, qui cordis uberius exprimunt jubilum, ex quo in Dei laudem prorumpunt: ut sunt Psalm. 145. Lauda anima mea Dominum, & Psal. 148. Laudate Dominum de cœlis.

Alii Psalmi, cantica dicuntur, quia ore a Levitis, & Sacerdotibus canebantur, ut videre est in canticis quindecim graduum, ideo sic dictis, quia David, dum ascenderet quindecim gradus domus Domini, seu tabernaculi, nundum enim templum erat extructum, ad singulos gradus, singulos, sive alterum ex singulis Psalmis prædictis canebat, sive cani ordinabat, & in fine conclusit. *Ecce nunc benedicite Dominum*.

Alii dicuntur Intellectus, qui in futurum aliquid profundius speculantur de Deo, sicut *Psal. 88. Misericordias Domini &c.*

Alii notanter dicuntur tituli, qui personam Christi proprius præseferunt in titulo, qualis est *Psal. 139. Eripe me Domine*.

Alii orationes, qui ferventiori animo pronunciantur, ut *Psalm. 16. Exaudi Domine justitiam meam, intende &c. de vultu tuo Judicium meum prodeat*.

Quando Psalmus inscribitur; In finem, signum est, quod respicit Christum Salvatorem, qui finis legis est, ad justitiam. Ad Roman. cap. 10.

Cum inscribuntur: Ipsi David, vel Salomoni, sunt de Christo, cujus illi specialiter sunt figura, & de ipso ad litteram, vel tamquam capite Ecclesiæ, quę est corpus ejus mysticum, vel pro eodem ejus prædicto corpore mystico intelliguntur.

Qui intitulantur Moysi, mysterium habent vel Baptismi, quia Moyses de aqua salvatus fuit, vel aliud quippiam, quod Moysi in figura contigerit, non verò indicant, quod Moyses composuerit talem Psalmum, sicut enim canticum illius in Pentateuco clarè expressum legimus, ita si Psalmos composuisset, eos suo loco in libris ejus Scriptura celebraret.

Ita quando aliquis Psalm. inscribitur. Iditum, vel Asaph, vel alio Cantorum nomine; est inscriptio desumpta a distributione partium musicarum, quam David notabat, ad servandum ordinem cantus, vel ad summum per ea nomina significatur aliquod mysterium, inibi inspectum, sicut cum Psalmus aliquis inscribitur, filiis Chore, est allusio ad eorum historiam, quæ figuram continet redemptionis nostræ.

Cum psalmus inscribitur. Canticum præcisè, innuitur quod in eo Psalmo, scientia spiritualis, & intelligentia cœlestis arcani continetur.

Cum dicitur, Canticum Psalmi, indicatur, quod bonorum operum efficientiæ, scientia, & doctrina conjungi debet, idque in eo Psalmo suaderi. Ubi verò Psalmus Cantici, illic per cognitionis scientiam, usus boni operis tractatur.

Aliæ verò superscriptiones Psalmorum, quæ aut res gestas secundùm historiam significant, aut tempora, vel dies, aut aliquid simile complectuntur, vel ex interpretatione nominum, vel ex comparatione gestorum, vel ex consimilium specie, quibus Psalmus ille constet, ostendunt. Sicut cum dicitur; pro die Sabbathi, quod quietem significat, aut, Pro occultis filii scilicet mysteriis, aut Pro die octava, quæ perfectionem innuit, ut per corporalem superscriptionem, spiritualis intelligentia, ubi litteralis præcipuum locum habere non valeat, ex Psalmo eruatur.

cant, & nedum obscura sunt, sed absconditum sensum habent. Et quia nomen proverbii latius est, & alia jam dicta, saltem latè sub se comprehendit, ideò Liber iste, Proverbiorum dictus est, sive Provebia: nam & Christus proverbium in genere, occultiorem, & obumbratum sermonem appellavit, qui cum tegatur obscuritate, non facilè ab audientibus percipitur. Cyril. in Evangel. Joan. lib. 11. cap. 8. & hinc proverbium etiam accipitur pro obscuritate, ut idem Cyril. ibidem, cap. 11. & Origen. *in prologo ad Cantica. Proverbia attitulavit hunc libellum*, inquit, *quod utique nomen significat, aliud palam dici, aliud verò intrinsecus indicari*, quod accipit Hieronym. nomine occultę sententię, Ecclesiastici cap. 12.

Quæres secundò, quis hujus Libri sit auctor? Respon. jam notum esse primarium, cum sit Liber Canonicus, de secundario etiam, quod sit Salomon non est dubitandum, ait August. de Civitate Dei, lib. 17. cap. 20. & ita communiter DD. solum enim differunt, quod aliqui totum librum ei attribuunt, alii cum Vatablo, & Lyrano, solum dicunt auctorem sententiarum eum fuisse, quę postea ab aliis digestæ sunt, & ordinatæ, alii verò probabilius, ut docent communiter SS. PP. dicunt, Salomonem, & scripsisse sive dictasse, & ordinasse, sive digessisse sententias, & verba usque ad cap. 10. post quod, non eodem modo videntur ordinata, quę sequuntur, vel ad summum, usque ad cap. 25. in cujus titulo dicitur, *ita quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*, at quomodocumque distinguant, est enim quæstio potius de modo, quam de rei substantia, Auctor hujus Libri Salomon fuit, sicut, & Ecclesiastę, & Canticorum, ita enim jam transiit in proverbium.

De jus sapientia, & vita, jam aliquid dictum est, ubi de ejus salute quærebatur. Ibi ad propositum notant DD. triplex fuisse nomen Salomonis; dictus est primo Salomon, seu Hebraicè Seelomo nam 2. *l. Regum cap. 12. de David dicitur, genuit filium, & vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum*, secundo, Jedidiah, seu Idida, idest amabilis Domino, quo nomine appellavit eum Nathan Penpheta, unde loco citato sequitur, *misitque in manu Nathan Prophetæ, & vocavit nomen ejus Jedidiah*, tertiò. Koheleth, idest Ecclesiastes, seu concionator &c. ideoque SS. PP. juxta tria hęc nomina attribuunt ei tres libros, Salomon in proverbiis; Koheleth in Ecclesiaste, Idida in Canticis, ubi agit de sacris amoribus. Videatur Hieron. ad Paulinum.

Quis sit scopus hujus libri, ipse Salomon aperit cap. 1. dicens: *ad sciendam sapientiam, & disciplinam, & intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, judicium, & æquitatem*; Scripsit ergo hunc librum Salomon, idest pacificus ad parvulos, ad eorum mores corrigendos: unde Hieron. in cap. primum Ecclesiastę. *In Proverbiis parvulum docens; & quasi de officiis per sententias erudiens, ideoque ad filium ejus sermo crebrò convertitur.*

Dividit hunc librum Lyran. in tres partes; non quia sint tres libri, sed quia in eo tres sunt prę- fationes: prima c. primo, secunda cap. 10. tertia cap. 25. Sed melius dividitur in sex partes. In prima, sapientiam introducit ipsam, uti Dominam exhortantem parvulos, ad studium sui, cap. prim. in secunda, uti revocantem a desiderio mulieris extraneę ad amorem suum, cap. 2. In tertia ut promittentem multa bona, a cap. 2. ad 8. In quarta, ut gloriantem de sua dignitate, & excellentia, cap. 8. In quinta, ut invitantem ad convivium paratum, cap. 9. In sexta varia tradit, tam victutum pręcepta, quam cautelas contra vitia, solo unius veritatis, non sententiarum servato ordine, a cap. 9. usque ad 25., & variè prosequitur per alia quinque capita ab Ezechia addita, ut notavimus supra, ultimis verò duobus, stylo quodam amatorio, homines velut in unum corpus congregare studet, sicque quodammodo describit pacificum, in fine operis, optimè concludens, quia amor, pax, & unio, ex virtute, & sapientia oriuntur, & inde omne bonum.

CAPIT. IV.

ARTICULUS II.

Breviter inspiciens librum Ecclesiastæ Sac. Scripturæ XXIII. hujus quartæ partis secundum.

CUM *intellectu, & moribus quis profecerit* (inquit Origen.) *in prologo ad Cantica*, sæpè citato, *proximum est, ut veniat etiam ad naturalis intelligentiæ disciplinam, atque ibi rerum causas, naturasque distinguens, cognoscat vanitatem vanitatum relinquendam, ad æternaque properandum, ideoque post proverbia ad Ecclesiasten, in quo hæc, clara veritate patefiunt, nos ducit sapientia.*

Vocant hunc librum aliqui, soliloquium Salomonis, non quia ubi Ecclesiastes loquitur, quasi concionator ad plures, immò, & ad omnes, ibi censeatur solus, sed quia meditatur, & quasi in recessu quodam interiori, scrutatur rerum omnium, studiorumque humanorum vanitatem, diversasque induit secum ipse personas, aliquando enim loquitur in persona Sapientis, ut cum dicit: *cogitavi, a vino abstinere animam meam, ut transferrem animum meum ad sapientiam &c.* aliquando in persona stulti, ut cum inquit: *vadam, & affluam divitiis, & fruar bonis*, idque valdè notandum, aliqui enim non considerantes mutationem hanc Personarum, in hoc libro, ex eo desumpserunt tamquam dogma Sapientis, quod ponitur, ut detestanda vanitas amentis.

Omnia autem ea, quæ hic pertractat Ecclesiastes, discutit sapientissimè. Theologicè simul, atque ethicè, Angelic. Doctor, in primis quæstionibus primæ secundæ partis suæ summæ, ubi quærit de vera hominis fœlicitate, quam denique invenit, & concludit in solo Deo summo bono, & vero ultimo fine rationalis creaturæ. Auctoritatem porrò hujus Libri nemo catholicus negat, cum sit Canonicus, nemo castus veretur, omnis justus veneratur: soli hæretici blasphemant, quæ insignis commendatio est nostræ fidei, quę tam mirabiliter consonat naturali etiam rectitudini, ac honestati, quam proinde fidei hostes, eo ipso rationis etiam, & naturę

adversarii, abhorrent, & impugnant. Inter eos verò contra hoc tam insigne naturalius exemplar rationis, & veritatis crudelis effervescunt: Theodor. Moupsvestenus, & Lutherus, nequissimi æquè hæretici, ac ventris, & veneris Idololatræ. Eorum insanias retundere non est præsentis brevitatis, & vincula merentur potius, quam solutionem. Sufficiat sanè sentientibus, juxta id, quod nuper notavimus, advertere cum Gregorio *l. 4. dialogorum c. 4. Ecclesiastes propriè concionator dicitur, quod nominis hic liber ideò sortitus est, quia Salomon in eo, quasi tumultuantis turbæ suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem mens imperita sentiat.* Videatur hoc loco Cornel. a Lap. nobis enim ulterius non licet immorari.

Auctor hujus libri, ut supra dictum est, fuit Koeleth, Salomon, qui hoc asserit in principio dicens: verba Ecclesiastæ filii David, quæ verba, ut notant communiter DD. sunt Canonica, cum sint vera pars libri; nec alium invenimus filium David, qui sit scriptor Canonicus præter Salomonem, qui ei successit in regno, ut de se fatetur Ecclesiastes. Subdit autem Nissenus, *hic homil. prima, quare vocetur Ecclesiastes tres congruentiæ rationes. Prima quia docet Ecclesiastica, quæ spectant ad salutem animæ. Secunda quia in unum cætum, cogit Ecclesiam, ut hanc ejus concionem audiat, per quam erudiatur ad pietatem. Tertia quia repræsentat Christum, qui est verus Ecclesiastes, idest Ecclesiæ fundator, Doctor, Gubernator, & Concionator*, quibus additur quarta, quia hoc fuit proprium nomen ejus. An autem liber iste contineat pœnitentiam Salomonis, quæ est opinio Hieronymi, negat, A Lapide, nosque de hac re, cum ageremus de salute æterna Salomonis, satis pro instituto nostro tractavimus, est enim eadem prorsus quæstio.

Quantum ad materiam tractatus, physicam, & naturalem continet scientiam, ut legenti constat; agit enim de motu, & mobilitate, sive inconstantia, & vanitate omnium, quæ sunt sub sole. Quoad finem; ethicam revera intendit doctrinam, quod & nihil amplius probat ratio Cornel. a Lapide hoc loco, quamvis neget id, quod veteres docuerunt, & moderni admittunt, & nos nuper diximus. Aliud enim est ordinare tractatum ad mores, & sanctitatem; aliud verò quod tractatus sit immediatè moralis, ac de moribus; quod si idem esset, planè logica, & quælibet alia naturalis facultas, quas omnes Catholici tanto studio aquirunt, ut Theologiam facilè attingant, dicerentur Theologia. Finis igitur est, ut ait D. Gregor. Thaumat. *initio suæ paraphrasis, hoc loco ostendere, quam vana, & inutilia sunt hominum negotia, & studia, quæ in humanis rebus suscipiunt, ut eos traducat a sensibilibus ad spiritualia, a vanitate ad virtutem; virtus enim est*, definit Chrisostom. *homil. 3. ad populum, omnia humana despicere, & per omnes horas, futura cogitare;* consonatque Hieronym. *in Eccles. in principio* dicens: *In Ecclesiaste verò, maturæ virum ætatis instituens, nequiquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca, & brevia universa, quæ cernimus.*

Idque præstat ostendendo hanc vanitatem in iis, quæ magis appetuntur, quæ sunt decem; videlicet, studium scientiarum, cap. pr. *qui addit scientiam addit & dolorem:* 2. Appetitus deliciarum c. 2. Desiderium longioris vitæ c. 3. Ambitio auctoritatis; & præeminentiæ, ac dominationis c. 4. & 5. Cupiditas divitiarum, in medio cap. 5. & per totum c. 6. Ars divinandi, seu præscientia futurorum, c. 7. Venatio laudis, & famæ c. 8. Desiderium fortunæ, in medio c. 8., & per totum c. 9. Robur virium corporis, in medio c. 9. & in 10. per totum, species floridæ juventutis c. 11., & 12. ubi denique sapientissimè concludit dicens. *Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ.* Item, *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.*

ARTICULUS III.

Ad tertium hujus partis; at Scripturæ XXV. librum, qui est cantica canticorum Salomonis, Generalis intuitus.

VErè quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Ita sapienter, sui prædicant omnia sapientiam Conditoris; quod si omnia, ea certè specialius, quorum ipse specialis est auctor, Canonici scilicet libri. Et quidem aptiori loco non poterat liber hic collocari, quam post Proverbia, & Ecclesiasten, nam secundum rectum ordinem, ex sententia Origenis, tunc solum ad hæc amoris mysteria veniri potest, cum ex priorum librorum doctrina formatis moribus, quis fuerit animo defæcatus, & rerum corruptibilium, atque incorruptibilium, didicerit distinctionem, & scientiam, per quæ in nullo possit ex his figuris, quibus Sponsę ad Sponsum, cœlestis idest animæ perfectæ, ad verbum Dei amor describitur, & formatur, offendere. Subdit autem Hieronym. super Ecclesiasten in principio: *ad extremum jam consumatum virum, & calcato sæculo præparatum, in cantico canticorum, sponsi jungit amplexibus; nisi enim prius reliquerimus vitia, & pompis sæculi renunciantes, expeditos nos ad Christi adventum paraverimus, non possumus dicere, osculetur me osculo oris sui &c.*

Quoad nominis rationem: *dicitur cantica canticorum hic liber* (inquit D. Thom. hoc loco in principio) *sicut dicitur Rex Regum, & Dominus Dominantium, & solemnitas solemnitatum, ob suam nempe excellentiam, qua omne canticum longè vincit. Est autem obscurissimus iste liber, quia nullæ ibi commemorantur personæ, cum tamen stylo quasi comico sit compositus. Salomon certè Spiritu Sancto inspiratus hunc scripsit Librum, de nuptiis Christi, & Ecclesiæ, & quodamodo Epithalamium* (quibus Angelicus complectitur auctorem primarium, & secundarium, libri excellentiam, argumentum, stylum, & difficultatem) in principio autem consequenter exponit desiderium Ecclesiæ, ut veniret personaliter Christus, & ore ad os, ei loqueretur, dic. *osculetur me osculo oris sui*, quia meliora sunt ubera Christi vino, in quo designatur dulcedo Evangelii, supra austeritatem Synagogæ, in qua non erat locus pœnitentiæ, sed qui occidebat, occidebatur, hic autem dicitur,

nolo

nolo mortem peccatoris &c. Veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant &c. quo docet, qualiter ea, quæ in toto libro habentur sint intelligenda.

Si autem quæras, ad quam partem doctrinæ pertineat iste liber; certè enim spectat ad partem Sacræ Scripturæ sapientialem, seu doctrinalem. Respon. quod ipse, per se, de se respondet: Totus enim sublimissimè contemplativus, & veræ Theologiæ charitatis, quæ amorem cœlestium, divinorumque desiderium infundit animæ, sub specie sponsæ, ac sponsi; charitatis via perveniendum docens, ad consortium Dei.

At quare canticum dicitur, & non psalmus? respond. quia summa contemplatio est, virtutum opera jam supponens, quia psalmus ad operam, canticum spectat ad mentem, secundùm Augustinum in psalmos Psal. 104.

Vel respon. Hieronym. l. 3. in epistolam ad Ephes. *Psalmus ad corpus, Canticum refertur ad mentem*, quasi dicat, ne aliquid ex his, quæ ibi legis, intelligas quasi de corpore dicta, scitò canticum esse, quod spectat ad mentem.

Jam vidimus ex Angelico Doc. cur liber iste dicatur, Cantica canticorum, at spernenda non est notatio Bernardi *in sententiis cap. 41. Plura*, inquit, *Cantica fidelium habemus, nempe canticum victoriæ, quod submerso canitur Pharaone, Exodi cap. 15. Adhortationis, quod, terram promissionis, concinunt intraturi: Nume. cap. 3. Lætitiæ, quod de susceptione filii, cantat Anna lib. 1. Regum, cap. 2. Fortitudinis, quod David cantat, de manu Saulis ereptus, quibus addi potest, Canticum sapientiæ, quod dicitur pro ignorantiis, quod simul est redemptionis, & Prophetiæ. Habac. ultimo, & quia hæc omnia multis modis in hoc libro sublimiter comprehenduntur, dicitur Cantica canticorum*, & quidem meritò, sic dicitur, ex alia intimaque ratione, cum enim amor omnia vincat, omnia in se contineat, omnia possit, certè super omnia est, quod canticum est amoris, & nedum amoris, sed perfectissimi amoris, quocirca idem Bernar. *sermo primo in Cantica* pulcrè distinguit inter libros Sapientiales Salomonis, dicens: *Expellitur in proverbiis superfluus amor sui; in Ecclesiaste vanus amor mundi, in Canticis præscribitur castus amor Dei, sic enim exclusu undequaque hoste, fortis, invincibilis, armatus perfectus amor possidet atrium suum, & fit in pace locus ejus*.

Et nos quidem de amore agentes, sic pertentamus aliqua potius, quam discutimus, sed qua ratione profunde intelligi possint, Unio, amor, nuptiæ, ac supersublimia divinissimæ charitatis mysteria, quæ in hoc ardentissimo, quam brevi, tam æterno volumine continentur, soli apicem mysticæ Theologiæ possidenti intellectui, & affectui, edissere concessum est. Sapienter quidem idest dulci Theologia Bernard. & Gueric. Abb. in Cantica, id exequuntur, nec minus Rupertus Tuitiensis, & Dyonis. Chartusian. id sunt assecuti. Doctissimè Arphius, aliique mystici PP. ac diligentissimi Expositores idipsum præstare conati sunt. Ast si filialis amor non fallit, quod nec suspicari valemus, universo Sapientiorum defensi suffragio, dulcissima Jesu Christi Sponsa, quam sibi ipse despondit, &

A sibi crucis clavo confixit, in æternum amantem, sancta verè seraphica, verius divina, sponsa enim a sponso omni in jure, & nomen accipit, & dignitatem, dilectissima Deo, & hominibus; Sancta Mater nostra Theresia, quæ alii pertentarunt, sola super omnes, intima intravit secretiora amoris hujus penetralia, & inexplicabilia explicavit libri hujus mysteria: admirabili enim simplicitate Sapientiæ id ostendit, quod nedum unionem cum Deo habuit, quæ ut ipsa, inquit, in hac via. Sicut servat distinctionem extremorum, ita nec prohibet separationem, sed majorem unione unionem, quæ ad possibilem cum Deo pertingit identitatem, quæ, quo modo unitas est, eo est etiam simplicitas. Legatur in fragmentis expositionis in Cantica, quorum integram Expositionem ab ipsa elucubratam,
B fortè quia terra non meruit, voluit Deus super alas flammarum, ut igne ipso sese explicaret amor, in cœlum deferri. Ast sublimius, & clarius quidquid in Canticorum libro amoris absconditur, in septima mansione per totam, ubi agit de Sponsalibus, & Matrimonio spirituali, ac mystico animæ cum Deo, prorsus divina doctrix attingit: melius tamen exposuit facto, quam scripto, siquidem ut ostenderet mysteria hæc amoris, corpus omninò excludere, exponens animam suam, exposuit hanc sponsam, de qua agitur in hoc libro, amore corpus excludente, amore enim potius, quam vi morbi, amoris dulcissima Martyr occubuit.

Alia tamen via procedendo, quæ antiqui PP. in hoc libro contineri arbitrantur respectivè ad Sacræ
C Scripturæ historiam, brevi placet hic referre compendio, Cantica hæc igitur, in decem drammata dividuntur, in quibus agitur de peregrinatione Patrum, Thare, Abraham, Isaac, & Jacob c. pr. de multiplicatione populi: vers. dum esset Rex cap. eodem, de oppressione ejusdem ab Ægyptiis V. Ecce tu pulcra es cap. eodem, de defensione Dei, & apparitione, quæ Moysi facta est in rubo. cap. 2. V. sicut malus inter ligna sylvarum. De exitu Israel de Ægypto in genere. V. dilecte mi: In specie verò, de eggressione ipsa: V. surge propera amica mea cap. eodem, de præcessione columnæ nubis: V. ecce iste venit saliens cap. eodem. De legislatione: V. sonet vox tua, cap. eodem; de debellatione Amalec. V. nobis capite vulpes parvulas, cap. eodem. Item de pregrinatione populi per de-
D sertum 40. annis cap. 3. & ibi de circuitione, quam fecerunt propter peccatum murmurationis. Versu surgam, & circuibo, cap. eodem. De vocatione populi noviter generati ad ingressum terræ sanctæ. V. capilli tui sicut Grex cap. 4. De contemplatione terræ sanctæ. V. veni de libano eodem c. ubi habetur etiam invitatio eorum ad terram sanctam. De introductione cap. 5. veniat dilectus meus, ubi etiam explicatur, quomodo primò cæperint comedere de fructibus ejusdem, unde dicitur comedi favum cum melle meo cap. eodem, de delectatione, & exultatione Sinagogæ V. ego dormio eodem cap. 5. Ibi etiam de persecutione, & liberatione populi Israel, sub temporibus Judicum. V. posuerunt me custodem in vineis cap. eodem. De clamore populi, & reversione ad Deum. V. adjuro vos,

cap.

cap. 5. & cap. 8. de eruditione populi Israel, & sapientia, V. ego murus eodem cap. 8. Ultima verò est sponsæ, de sponsi æterni habitatione in populo Israel relictis cæteris gentibus, V. fuge dilecte mi, in fine cantici.

Sed advertendum, quod non propterea tollitur totius cantici applicatio, vel ad Christum, & Ecclesiam, aut ejus (principaliter) Sanctissimam Immaculatam Matrem, Filiam Dei Patris, Matrem Dei Filii, Sponsam Spiritus S. Dei, quin potius prædicta applicatio, sive explicatio ostendit hoc ipsum figuraliter, quoniam etiam attendendo historiam, ea, quæ realiter illi populo fiebant omnia in figura contingebant illis, & quia sensum retulimus, in quo respiciebat Sinagogam Salomon, ad complementum addi potest alius, secundum quem prævidebat Ecclesiam, qui magis placet modernis, secundum quem in quinque drammata dividitur, secundum quinque status, vel ætates Ecclesiæ. Prima, Infantia ab ortu, & prædicatione Christi, usque ad Pentecosten: adolescentia, a Pentecoste ad Constantinum: virilis ætas, tempore Constantini: senium, sive declinatio Ecclesiæ, cum per pacem ipsi datam ab eodem Constantino, nonnulli Præsules, otio, gula, aliisque vitiis oscitarunt, indeque Hæreses grassatæ sunt. Renovatio, quæ cæpit a Basilio, Chrisostomo, Cyrillo, Augustino, Ambrosio, Hieron., atque exinde Gregor. cæterisque, ac Sanctis Religiosorum Ordinum Institutoribus, & continuatur ab eorum successoribus continuè usque ad finem mundi, Ecclesiæ fidem, & sanctitatem, verbo, & exemplo plurimisque laboribus, ac sanguine, defendentibus, ac servantibus, eamque exaltabunt usque ad diem Judicii, quo fiet Ecclesiæ postrema, renovatio, consumatio, glorificatio. De his vide Cornel. a Lapide quoad applicationem, ac cætera hoc loco notabilia, in Prologomen. ad Cantica, ubi diffusè hæc explicat, additque armoniam cantici canticor. cum Apocalypsi, ex Cosma Hortolano, in fine, postquam utiles admodum ad libri hujus intelligentiam Canones proponit. Nobis prælibantibus satis. Si alias occurret, expositionem dulcissimam æquè, ac sapientissimam verè, P. N. Joannis a Jesu Maria compendio offeremus.

ARTICULUS IV.

Liber sapientiæ hujus quartæ partis IV., & Sacræ Scripturæ XXV.

HUnc librum inscribit Georg. Ederus, juxta intelligentiam Petri Aureoli, & aliorum, de secunda parte morali philosophiæ, hoc est de officio Magistratuum: unde subdit: *in moribus hominum rectè formandis, Sacra Scriptura fungitur officio, interdum parentis, ut in libro Proverbiorum, in quo instituitur privatus quisque, ut filius. Interdum verò Magistratus, ut in libro Sapientiæ, in quo instruit magistros populi, seu Gubernatores, interdum autem, Præceptoris, ut in libro Ecclesiastici, in quo instruit populum universum, ex quo patet coherentia, & continuatio consequens Sacræ Scripturæ. Postquam enim in Proverbiis instruxit paternis monitis, quemq; ut filium. In Ecclesiaste, ut virum, in canticis verò instructum, & purgatum animum ad perfectum duxit amoris unionem, quæ omnia hominem perficiunt potissimum, quoad se ipsum, nunc etiam perficit quoad alios.* Hic enim est rectus ordo, ut ait Gregor. *quia qui charitatem non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet*, & ratio perfecti in se supponitur ad rationem boni, quod per sui communicationem, velut per proprietatem dignoscitur, ut explicant cum D. Thoma Nostri PP. Salmatic. de ultimo fine, in principio.

Quæres primo, quæ ratio hujus nominis? Resp. Sapientia dicitur hic Liber, primò, quia tractat de vera Sapientia, ejusque origine, moribus, effectibus, & præmiis, nec solum de speculativa, verum, & de practica, qualis requiritur ad gubernandum, quæque coincidit cum prudentia, omnibusque ejus partibus, quæque sine rectificata cognitione, & affectu haberi non potest; de quo vide PP. Salmantic. in sapientissima arbore virtutum omnium, ad tractatum de virtutibus consertam, ideoque Noster Interpres in vulgata cap. 10. Sapientiam, ex Græco vertit in justitiam, quæ communis est virtus; idest virtutum omnium unio.

Secundò dicitur Sapientia, ob generalitatem doctrinæ, & quia procedit per altissimas causas, ac modo sublimi, ut sese totus Liber declarat.

Tertiò & principaliter, quia (ut tacita objectio præcludatur) quamvis tres superiores libri Salomonis, simili prerogativa gaudeant, sicut & Ecclesiasticus, cum sapientissimè procedant, & sublimem contineant doctrinam, hic tamen Liber meretur singulariter sapientiæ titulum, quia Christi Domini, qui est substantialiter ipsa Patris sapientia, adventus, & passio, in eo evidenter exprimitur, quod in cæteris Sapientialibus libris, ad litteram saltem non habetur, ac propterea Hebræi, Librum hunc summè abhorrent, ac omni conatu reiiciunt, nec in Hebræa lingua, nec in Hebræo canone reperitur, quæ causa fuit interminatæ quæstionis, de hujus Libri auctore, seu Scriptore, aliis ex quadam æquivocatione ipsum Philoni Hebræo, qui secutus est, ad Apostolos, vel alteri Philoni, quem confingunt, sæculo eosdem præcedente, aliis incerto Auctori Græco, aliis incerto Hebræo, græcarum litterarum perito, cum primum exemplar, quod inventum est, Græcè sit conscriptum, pluribus autem Salomoni eumdem attribuentibus.

Quæres igitur secundò, quis libri hujus sit auctor?

Respon. prolixa, & innodata quæstio, hæc est, quæ præsenti compendio plenè compleri non potest. Ideò breviter.

Dicendum est, certum, & primarium ejus auctorem fuisse Spiritum Sanctum, quod nemo Catholicus negare potest, cum sit Liber Canonicus, ut constat ex Tridentino; particularem verò auctorem, seu melius Scriptorem nesciri. Hoc etiam certissimum est, nam & Cornel. a Lapid. diligentissimè, omnique prorsus studio, hanc difficultatem discutiens, in argumento hujus libri, post multas hinc inde tentatas vias, hoc denique, & ipse concludit nesciri, quod etiam sentiunt omnes ferè moderni,

derni, qui vel nihil concludunt, vel adeò hæsitanter procedunt, ut id denique solummodò certum relinquant, nempe id esse incertum.

Quod non fuerit Salomon, per illustres quindecim, & supra DD. afferunt apud eumdem Cornelium, inter quos Augustinus, & Hieronymus, & Driedo *lib. 1. de Eccles. scripturis cap. 3. p. 2.* absolutè cum eisdem sentit, ac objectionibus, tum ab auctoritate, tum a ratione petitis respondet, plura objecta conciliando: *Salomoni*, inquit, *frequentius attribuitur hoc opus, non quod ab ipso Salomone confectum sit, vel editum, sed quod sententias contineat Christi veri Salomonis, ab eo prolatas, qui est vel Salomon ipse Christum figurans, vel personam gerens illius. Hic est enim frequens in Scripturis usus, ut is qui loquitur, in persona alterius loquatur.* Ita loco citato *cap. 4.* Augustin. verò lib. 2. de Doctrina Christiana dixit, quod hic liber erat Jesu filii Sirach, *quod*, inq. *constantissimè perhibetur*, at in retractat. *lib. 2. cap. 4.* ait, *Sapientiæ librum scriptum esse a Jesu filio Sirach, non ita constare, sicut a me dictum est, postea didici, & omninò probabilius comperi, eum non esse ejus libri auctorem:* attamen quod Salomonis sit, vel non sit, non resolvit.

Rationes Cornelii, quibus non esse Salomonis probat, solvi possunt, & oppositæ quas ipse solvit, sustineri quoad hanc partem quæstionis, ut facilè si tempus permitteret, possemus ostendere.

Quod non fuerit ejus Scriptor Philo, luce clarius est, post Christum enim vixit, & mortuus est Judæus, non credens ei, qui in libro Sapientiæ prophetatur. Nec ullus umquam poterit ostendere, quod hic liber sit novi Testamenti, quod tamen necessariò concludendum foret, si post Christum scriptus esset.

Ille alius Philo, quem confingunt, non invenitur, ut bene probat Cornel. orta verò est hæc improbabilis opinio ex æquivocatione, quia Salomon ut supra vidimus, tertio nomine Idida dictus est, quod nomen ad Græcum translatum sumitur pro Philone, quia Idida, amabilis domino interpretatur. Philo autem amatorem significat, ideoq; Hebræi nolentes hunc librum attribuere Salomoni, ac denique convicti, non potuisse a Philone Hebræo conscribi: Philonem alium, sub velo nominis Salomonis somniarunt.

Quod ergò communius, & probabilius invenitur, quodue omnes ferè Expositores, vel afferunt, vel admittunt, hoc est, nempe sententias ibibi contentas fuisse Salomonis, contextum verò alterius incerti, non enim verosimile est, omnes Salomonis sententias, ac doctrinam in illis tribus superioribus libris coarctari, quæ igitur sparsæ erant, collectæ fuerunt, Deo sic inspirante, in unum volumen, vel ab aliquo Græco, vel ab aliquo Hebræo græcè erudito, qui personam induit Salomonis, sicut & tractavit sententias, quod etiam approbat N. P. Dominicus, tomo primo suæ Bibliothecæ loco sæpè citato cap. 38.

Hoc libro sæpè usus est Christus, in Evangelio, & Apostoli, & graviores ex PP. ad dogmata fidei confirmanda, ideoque omni jure Canonicus est. Agitur in eo, sub justitiæ, & sapientiæ nomine,

A summatim de omni virtutum genere, ut supra notavimus, Glos. in princip. Scopus ejus, ut vidimus est reformatio judiciorum, ut Magistratus subditis suis benè præsint, quæ est vera sapientia, & ars artium dicitur a D. Greg. in pastorali, hoc autem indicat in principio, dicens. *Diligite justitiam, qui judicatis terram, quærite de Domino in bonitate &c. & cap. 6. Ad vos ergò sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis.* Habet tres partes. In prima exhortatur, & excitat omnes ad zelum, & amorem justitiæ capessendum, ad quod præmittit introductionem generalem ad sapientiam, cap. 1. ennumerat objecta insipientium contra studium sapientiæ cap. 2. eisque respondet cap. 3., laudat deinde sapientiam ab ejus emolumentis, cap. 4. eisq; opponit insipientiæ incommoda, cap. 5. Epilogum

B omnium facit, cap. 6. ubi concludit. *Si ergò delectamini in sedibus, & sceptris, o Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.*

In secunda, originem sapientiæ explicat, a cap. 7. usque ad 10. ostenditque eam esse inextimabilem, nec auro comparabilem, cap. 7. requirit in sapientiæ studioso fervorem, & perseverantiam cap. 8. & docet eam a Deo precibus obtinendam, quam ponit cap. 9.

In tertia, sapientiæ utilitates, & effectus declarat a cap. 10. usque in finem exemplo peculiarium personarum, Adæ, Noe, Abrahę, Loth, Jacob, Joseph, & Moysis, toto cap. 10., deinde exemplo totius populi Israel, quibus in memoriam revocat quatuor eis collata beneficia, primum aquę quę fuit

C ipsis concessa, propter justitiam, cap. 11., & Chanaęis negata, propter oppositum, cap. 12. 13. 14. & 15., secundum, carnis, panis, & mannę cap. 16. tertium diei, & lucis, nam filii Israel justitiam derelinquentes, tenebris circumdati sunt, eamque iterum assumentes, & lucem pariter sunt adepti, cap. 18. quartum columnę ignis per noctem, & nubis per diem cap. 19.

ARTICULUS V.

Liber Ecclesiastici, hujus partis V., Sacræ Scripturæ XXVI.

INstructis, jam Regibus, & Gubernatoribus populi, ut rectè regant, & gubernent, hoc unum

D ad totius humanę Reipublicę perfectionem requiritur, ut & qui reguntur discant regi, obedire, & pacem colere, ac servare, quod sola virtute, & legum observantia omnium, obtinetur, hoc ergo exequitur Ecclesiasticus, universalis pręceptor omnium, ut supra jam notavimus.

Quoad nomen notat Raban. *hic in prologo. Ecclesiasticus congregator, vel collector interpretatur, sicut Ecclesiastes concionator, sed Ecclesiastes ad Christum refertur, Ecclesiasticus verò ad quemlibet prædicatorem &c.*

Quoatum verò ad auctorem, etsi certus sit, non desunt tamen, qui & hunc librum attribuant Salomoni, in eo fundati, quod plures antiqui summi Pontif. ut puta Anaclet. epist. 2., Alexand. I. epist. 3., Sixtus I. epist. 1. & plures PP. majoris notę

quos

quos prolixè refert hic A lapide. Testimonia de hoc libro sumentes, eum Salomonis dixerunt, vel supposuerunt. Nihilominus jam dubitari non potest de ejus auctore, qui certè fuit Jesus filius Sirach, civis Hierosolimita, cujus hęc est genealogia. Sirach genuit Jesum seniorem, qui fuit auctor Ecclesiastici, hic genuit Sirach juniorem, cui moriens consignavit Ecclesiasticum. Sirach junior genuit Jesum juniorem, qui Ecclesiasticum ab avo compositum, ex Hebręo, in Gręcum Idioma traduxit. Et hoc modo intelligitur pręfatio Ecclesiastici. Quod autem hic fuerit auctor, relictis plurimis probationibus, quas ibi congerit diligentissim. scrutator Alapide. Prob. ex pręfatione dicta, ubi manifestè sic asseritur, quę in communiori sententia est Canonica, sed pręterea fortius, ex cap. 50. hujus libri, ubi sic habetur. *Doctrinam sapientiæ, & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Hierosolimita, qui renovavit sapientiam;* ratio autem quare & summi illi Pontifices, & gravissimi PP. eum dixerint Salomonis. Prima est, quia Siracides imitatur Salomonem, & similes habet sententias, quam causam assignat Athanas. in Synops. & Augusti. *de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 8., hi duo libri de quadam similitudine, Salomonis esse dicuntur.* Secunda est, quia & iste collegit aliqua Salomonis dicta, aut scripta, eaque simul composuit, & hoc ordine digessit, & hanc assignat Jo: Driedo de scriptu. Ecclesiasti. c. 3. & Thom. Vald. lib. 2. Doctrinæ fidei, ar. 2. Tertia est, quia alias annectebatur libris Salomonis, & ex omnibus, Sapientia liber, erat unum volumen, ideò quia primi sunt, etiam posteriores, Salomonis dicebantur. Origen. hom. 8. in num. Ideoque ut refert Raban. hic loco dicit Hieron., se librum Jesu filii Sirach, apud Hebręos reperisse, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed parabolas, prænotatum, cui juncta erant Ecclesiastes, & Canticum canticorum, ut Salomonem non modò librorum numero, sed & materiarum genere coęquaret.

Alias etiam rationes apud Alap. invenies in argumento hujus libri cap. 2. Hunc librum August. numerat inter propheticos libros, lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. quia prophetat de Enoch, & Elia, venturis in fine mundi, cap. 44. & de Christi descensu ad inferos, cap. 24. ubi. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Posset etiam non incongruè dici, quod scriptor hujus libri sit unus ex 72. Interpretibus, nam ejus nepos eum invenit in Ægypto, ubi videtur librum hunc scripsisse, ut ipse innuit in prolog. Vixit autem post Alexandrum Magnum, tempore Ptolomęi Philadelphi, qui vocatis 72. Interpretibus Hebręis, fecit transferri Biblia Sacra in Gręcum, & hoc tempus deducitur ex eodem prologo, in quo dicit Nepos Jesu, se hunc librum transtulisse tempore Ptolemęi Evergetis, qui Ptolomęo Philadelpho successit, ideoque eum fuisse ex 72. Interpretibus asserit Genebrard. in cronic. lib. 2. & Aristęas in sua historia. Hinc ex traditione veterum, ut Euseb. Hieronym. Augusti. & aliorum certò cognoscimus, Jesum filium Sirach, hunc librum edidisse annos

A circiter 200. ante adventum Christi, paulò ante tempora Judę Machabęi, & fratrum ejus, tempore Simonis, Magni Pontif. Onię filii, cujus & ipse meminit in ultimo libri sui capite. Ita concludit etiam Jo: Driedo, de Scripturis Ecclesiasticis lib. 1. cap. 3.

Quoad intentionem Libri, clarum est, quod intendit morum correctionem, ut omnes homines, sapientię, & justitię, pręceptis instructi, ideoque omnium virtutum pręsidio adjuti, gratiam obtineant in pręsenti, & gloriam in futuro videant seculo. Ipse Ecclesiastic. in uno proęmio, hunc librum se illis scripsisse testatur, qui volunt animum intendere, & discere, quem admodum mores debeat instituere ille, qui secundum legem Domini vitam

B agere proposuerit.

De argumento hujus libri, inquit hic Raban. silvam continet optimarum sententiarum, quas Jes. Sirach, ut ipse hic in proęmio testatur, ex variis libris congessit, unde omnium virtutum receptaculum appellatur, ejusque scriptor, Christum Doctorem præfigurat; quocirca notandum, quod tres fuere insignes viri, qui hoc nomine condecorati fuerunt. Primus fuit Josue successor Moysis, dux in populo, qui cum introduxit in terram promissionis, & ideò ante captivitatem Babylonis. Secundus in ipsa captivitate, Jesus filius Josedech Pontificis, Zach. 3., & Aggęi primo. Tertius Jesus Sirach, auctor hujus libri post captivitatem. Primus figuravit Christum ductorem populi Christiani in promissam ab ipso cęlestem Hierusalem, secundus, eumdem figu-

C ravit, ut summum Pontificem animarum nostrarum, qui introivit semel in sancta, ęterna Redemptione inventa: Hebr. c. 9. & lavat nos in sanguine suo, & peccata nostra portavit super lignum crucis, hostia, Sacerdos, & sacrificium. Tertius figuravit Christum, Doctorem veritatis Evangelicę, qui Propheta magnus surrexit in nobis, qui, inquit, vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Totus ergo iste liber, est figura Evangelii, sicut auctor ejus figura est Christi Doctoris nostri, unde dici possit hoc volumen Christianę virtutis, & sanctitatis emporium, vel quasi prologus, aut pręparatio ad Christianam veritatem.

D

CAPUT V.

De parte veteris Testamenti quinta; scilicet de futurorum revelationibus divinis

Ac prius de prophetia brevis exhibetur tractatus:

Finis legis Christus ad justitiam omni credenti, inquit Apostol. ad Roma. c. 10. fine cujus fide impossibile est placere Deo. Qui igitur populum, & per beneficia, & per legem, & per virtutum documenta, veramque sapientiam hactenus erudivit Spiritus Sanctus futurum jam Christum revelare incipit per Prophetas, ut tradita tot documentis,

cumentis, valorem accipiat ex hac fide, veritatis cognitio; & sapientiæ, ac virtutis opera imputari sic valeant ad justitiam, ut dictum est, quia justus ex fide vivit, & quidem ad Christi futuri, vel remotam cognitionem, per tot virtutum rudimenta, decebat mentes hominum præparari, ut ita discerent, qualiter recipere deberent venientem, & præsentem adorare, cui credendo, vel a longe futuro, sic instruebantur. At verò quia dura cervice, & incircumcisis cordibus Spiritui Sancto semper resistebat populus ille, necesse fuit, ut qui ad tantum misericordiæ Sacramentum prænunciandum mittebantur Prophetæ, præcones simul essent justitiæ, & minis, ac terroribus, vel invitos, vel victos traherent ad amorem. Constat ergo, & ratio connexionis continuata scripturarum, & munus Prophetarum, quod primario fuit venturum Christum prænunciare, & secundò, rebelli populo ,vitia eorum increpando, vel præsentem ostendere, vel proximam minari justitiam; Et quidem hæc ipsa, & prænunciatio, & aliquando executio justitiæ magna, & mirabilis fuit misericordiæ commendatio, sic enim intelligere potuerunt, quod ut inquit Origen. *hom. 1. in Hierem. etsi peccatorum pertinacia eousque divinam adigat justitiam, ut pœnam toties meritam decernere cogatur, non facilè tamen suam exequitur sententiam, sed invitat prius per Prophetas suos, ad pœnitentiam omnes, antequam puniat, & hoc duobus ferè modis, pœnarum comminatione nisi resipiscant, & beneficiorum promissione, si redeant ad Deum suum.* Unde ex sensu Chrisostomi, hom. de Jona Propheta, addit Georgius Ederus hoc loco, *hic mos erat apud Judæos, ut Prophetæ divinitus afflati prædicerent illis, quæ imminerent, sive bona, sive mala, auctoritate licet pari, consilio tamen, ac voto longe diverso. Bona quidem, ut evenirent, mala verò ne evenirent*, quod non modicum præfert lumen ad intelligentiam Prophetiæ potissimum quæ mala prænunciat; Aliam etiam rationem hujus continuationis, adducit hoc loco Ederus, *quia* inquit, *in prioribus actum est de lege, hic nunc de legum Interpretibus dicendum erat; sunt enim Prophetæ interpretes legis, ut Apostoli interpretes sunt utriusque, & legis videlicet, & Prophetarum.*

ARTICULUS I.

Tractatus de Prophetia compendium offerens, ex Angelico Doctore.

Consuevarunt certe DD. in præsenti, priusquam singulorum Prophetarum discutiant vaticinia, totum tractatum de prophetia præmittere, sine quo semper latet obscurior Prophetarum Scriptura, quæ de se satis abscondita fugit conatum intelligentis, quia verò in superioribus aliqua de hac materia attigimus, ideò hic brevissimè solum, quę D. Thomas in cap. 1. Isaię, de Prophetia dixit, innuere ,ad venerationem sanctissimę doctrinę properamus.

Tria ergo oportet videre ,inquit Angelic., qualiter se habeat visio ad Prophetiam, secundò, de modis prophetalium visionum, tertio, de differentia

A Propheticæ visionis, ab aliis visionibus. Quoad primum. Prophetia potest sumi, ut derivatur a fanos, quod est apparitio, quia habet apparitionem de his, quæ procul sunt, & hoc modo differt a visione, quia in visione datur relatio videntis ad rem visam, in apparitione è contrario, res visa refertur ad videntem. Iterum differt visio a prophetia, quia visio est de quolibet visibili, prophetia verò, de eo tantum quod est procul a visu, & quia futura contingentia magis procul sunt a cognitione, quam aliud quodcumque pręsens, vel pręteritum, quia latent in indifferentia suarum causarum, quod est latere simpliciter, ideò eorum cognitio, simpliciter dicitur Prophetia, quod si quandoque pręsens, vel pręteritum venit in cognitionem, hoc est per accid. ideò ejus cognitio est tantum
B Prophetia secundum quid; Si verò hoc nomen Prophetia derivetur, a for faris, quod est dicere, tunc supra cognitionem, importat etiam externam denunciationem.

Circa secundum, sciendum, quod Prophetia distinguitur juxta distinctionem ejus, a quo accipitur cognitio objecti procul distantis, sic autem talis cognitio. Tribus modis, vel per speciem factam in sensu, & dicitur visio corporalis, vel secundò per speciem receptam in imaginativa, & hęc dicitur visio spiritualis, per abstractionem a materia, aut tertiò per speciem existentem tantum in intellectu, & hęc dicitur visio intellectualis. Prophetia autem salvatur in his tribus visionibus, sicut totum potentiale in suis partibus, inęqualiter, sicut ani-
C ma in rationali perfectè salvatur, at in sensitiva tantum imperfectè, & per participationem, minus verò in vegetativa, quę vix anima dici potest, unde dicit Gregorius, quòd plantę non vivunt per animam, sed per vigorem, sic ergo, & corporalis visio, & imaginaria sunt aliquid Prophetię, sed non possunt dici verę Prophetię, nisi addatur visio intellectualis, in qua est completa ratio Prophetię; è converso ratio visionis per se primo competit oculo corporeo, & per similitudinem, imaginativę, minus autem propriè, si in rigore loquamur, intellectui, quod non est simile de cognitione &c.

Circa tertium, sciendum, quod non quęlibet visio intellectualis est prophetalis, nam visio, ad quam sufficit lumen naturę, non est prophetia,
D nec illa ad quam sufficit lumen fidei, nec illa ad quam requiritur lumen glorię. Illa itaque sola talis erit, ad quam elevatur intellectus per lumen gratię gratis datę, quod dicitur donum Prophetię, cujus ratio formalis est, quod non quidem pertingat ad videndum Deum, prout est objectum beatificum, quia hoc per se primo importat bonum videntis, sed ad videndum ipsum, prout est ratio eorum, quę pertinent ad dispositionem hominum in mundo, & non adæquatè, sed secundum mensuram luminis, & finis, ad quem datur. Ita etiam non omnis visio corporea, aut imaginaria, prophetica dici potest etiam secundum quid, sed illa tantum, quæ fit per speciem, specialiter divina virtute ad hoc ordinatam, ut fit in signum alicujus futuri, vel absconditi, sive videndo, sive alio

modo accipiatur intelligentia. Talis autem vel cognitio, vel visio, juxta doctrinam ejusdem Angelici, fit per lumen transiens, & ordinatum per se primo ad utilitatem alterius, & est quædam infusio, quasi per modum doctrinæ, saltem quoad finem, transeunter ad alios, notificandi visa, in quo valde differt a doctrina simpliciter tali. Sed de his alibi.

Et secundum hanc doctrinam intelliguntur ea, quæ dicunt SS. PP. Hieronym. *lib. 3. in Ose. cap. 12. Prophetia est facultas prævidendi, & dicendi futura.* Et quod comprehensivè D. August. *contra Adimant. cap. 15. Prophetia est quidquid in Sacris Scripturis Christum, & futuram significat Ecclesiam.* Nec abbreviata est manus Domini, Prophetiam verò communicavit, ut notat Beda, in præfatione ad Psalmos, & Moysi suisque Prophetis, & Sibillæ vati, & aliis, quandoque etiam infidelibus Philosophis; & multis etiam modis, ut habetur num. 12. *Siquis* (inquit) *inter vos Propheta fuerit, in visione apparebo ei, aut per somnium loquar*, soli autem Moysi facie ad faciem locutus est. Nec non & illa divisio, quam habet Beda, loco citato, *quod nempe prophetia est divina inspiratio, qua rerum eventus demonstratur, aut per visiones, ut Ezechieli, Danieli, Joanni, In extasi positis, & per quasdam imagines futurorum, aut per facta, ut in immolatione Isaac, qui fuit figura Christi, aut 3. per dicta, ut quod in Moyse de Christo legitur, suscitabo de fratribus vestris Prophetam, & etiam ut in Psalterio, & aliis dictis Prophetarum.* Sicut & illa quam habet Chrisost. *Mat. hom. 1. oper. imperfecti, quod prophetia alia est præscientiæ, ut hæc. Ecce Virgo concipiet, & hæc est immutabilis, & completur sola Dei operatione, alia Judicii operum, ut illa Jonæ. 3. adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur, cui subintelligitur, nisi pœniteat, quæ cum impleatur hominis libertate cooperante, vel non, mutari potest, & quandoque mutatur secundum verba, non verò secundum intellectum*, nec contradicit Angelicæ Doctrinæ, quod Gregor. super Ezechi. hom. 1. aliique SS. PP. dicunt, prophetiam aliam esse de futuro, ut Ecce Virgo concipiet, aliam de præterito, ut in principio creavit Deus cœlum. & terram, Genes. 1. aliam de præsenti, ut Apos. 1. Chorin. 14. Occulta ejus manifesta fiunt; dicitur enim prophetia, ut inquit Anselm. non quia futura prædicat, sed quia prodit occulta, & est adhuc impropriè Prophetia, ac largo modo, cui non obviat D. Thom. & ejus rationem reddit Gregorius. *Rem quippe*, inquit, *quamlibet sicut ab oculis nostris, in futurum subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris, in præsenti subtrahit causa:* de qua prophetia, quasi in genere sumpta, prout includit sub se, interpretationem Scripturarum, dicit Ecclesiasticus. *Adhuc doctrinam quasi Prophetiam effundam, Ecclesiastici* 24. Et ne sit æquivocatio in verbis, advertit Origen. sup. Numeros, *cap.* 22., *hom.* 13. *aliud apud Scripturas divinas prophetia, aliud divinatio habetur. Prophetia enim ex instinctu Spiritus Sancti habetur, divinatio autem Dæmonum fit ministerio.* Addere vero non piget, quæ in confirmationem dictorum D. Thomæ, Augustinus dicit *in lib. de Genes. ad litteram 12. c. 9. Proinde, inquit, cui signa per aliquas rerum corporearum similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, non erat Propheta, magisque Propheta erat, qui interpretabatur, quod alius vidisset, quam ipse, qui vidisset. Unde apparet magis ad mentem pertinere propheticam, quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam, mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur:* (est imaginativa, quam describit Angel.) *Itaque magis Joseph Propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ, & septem boves, quam Pharao qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est, ut videret, hujus mens illuminata, ut intelligeret;* in quo apparet mira consonantia Augustini, & D. Thomæ, ut unus alterum explicans, ab eo alteruter, quem explicat, dilucidetur. Iterum verò idem Augustin. ad Simplician. de solutione quarund. quæstion. lib. 2. c. 9. explicat, quomodo prophetiæ spiritus afficit aliquos, aut per somnium, ut Pharaonem, & Nabuchodonosor., aut per demonstrationem in extasi, quæ dicitur stupor, sicut Danieli monstratum est, quod non cognoscebat, & Petro illud vas de cœlo summissum, quod solum postea intellexit, aut cum ea, quæ demonstrantur imaginibus, revelantur quid significent, quæ est certior prophetia, ut Joseph, & Daniel intellexerunt, quod alii viderant, vel utraque inspiratione, ut videant, & intelligant, ut factum est Joanni in Apocal. Alios verò omnino nescientes invadit spiritus prophetiæ, sicut Caiphas prophetavit, quod omninò nesciebat, quia nec sciebat ea a se ipso se non dicere, quæ proferebat, aliud in verbis, quæ proferebat attendens.

ARTICULUS II.

Tres de prophetia quæstiunculas attingens.

At ne truncus remaneat parvulus iste tractatus, quæres, quis sit finis Prophetiæ? Quamvis ex D. Thoma jam constet, esse aliorum utilitatem, cum tale donum sit gratia gratis data, id tamen explicat applicatè ad Judæos clarissime Jo: Chrisostom. *in Isai. cap. 7. Prophetica oracula, non in hoc edebantur, ut Judæi futura utramque prænossent (hoc enim curiositatis illicitum fuisset non sanctitatis) sed ut per ea, quæ didicissent, lucrum abundans reportarent, ac proinde redderentur modestiores, timore perculsi propheticæ comminationis, & pollicitatione bonorum, ad obeundam virtutem promptiores efficerentur, & alacriores, atque utraque ex parte edocerentur, & potentiam Dei, & erga eos ejusdem providentiam, ac demum ne existimarent, quæ futura prædicebantur, ea temere, aut fortuito casu eventura, sed ut certissime scirent, Dei hæc supremo fieri decreto cum evenirent &c.* Quam eamdem rationem ipse assignavit Christus in Evangelio, postquam futura prædixerat. Hæc autem dixi vobis, ut cum factum fuerit credatis, quia ego dixi vobis.

Quæres secundò, quando cœperit Prophetia? Respon. quod jam supra ostendimus, cum ageremus

de Christo ad litteram, a mundi exordio eam cæpisse, si sumatur pro præcisa prædictione futurorum, cum Deus inquit serpenti, Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius &c. Ibi enim prænunciatus est Christus, ejusque Immaculata, ac Sanctissima Mater; nec non in illis, quæ homini Deus intimavit, per modum sententiæ, futura prænuncians. Si autem latiori modo sumatur, prius cæpisse videtur divinatio, quam Prophetia, quando ante peccatum dixit serpens mulieri: *eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum, aperientur oculi vestri &c.* Sed nec hoc dici debet, prius enim etiam hoc genere prædictionis prophetaverat Adam ante peccatum, cum statim ædificata sibi a Deo muliere, inquit, *vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Hæc tamen, & ejusmodi, non sunt rigorosè nec verè Prophetiæ, sed quædam prædictiones. Prima autem, prophetia dicitur quoad nos, quia Deus secundum se non prophetat, cum omnia nuda, & aperta sint oculis ejus, atque omnia ei præsentia sint in æternitate, nec de eo loquuntur Theologi, cum de prophetia discurrunt, quam dicunt esse gratiam gratis datam, quamvis enim de Christo dictum fuerit Propheta magnus surrexit in nobis, de ipso verum fuit, secundum id, de quo dictum est, proficiebat sapientia, & ætate, & super quem requievit spiritus sapientiæ, & pietatis &c. non secundum id quod dixit, ego, & Pater unum sumus, de quo sæpè Augustinus. Directè igitur, & in communi sensu, in quo accipitur Prophetia, Respon. Lyran. *Isaiæ cap. 35. tempore primi templi discurrebant per Judæam Prophetæ populum a malis retrahendo, tempore verò secundi templi, non leguntur habuisse nisi Agæum, Zachariam, & Malachiam, qui prophetaverunt, tempore ædificationis templi secundi; sed postea populus Judaicus caruit prophetis ejusmodi per 300. annos, & amplius, usque ad tempus Jo: Baptistæ, qui cæpit prædicare pænitentiam, & adventum Christi ennunciare:* quæ quidem vera sunt loquendo, ut loquitur Lyran. de prophetis, missis ad populi conversionem: at absolutè loquendo de vero propheta, non quoad id tantum muneris, sed quoad spiritum prophetiæ simpliciter talis; primus prout nobis constare potest inter prophetas fuit Adam, qui mysterium Christi vidit in Sopore, Enoch, qui secundum Canonicam ep. scripsit Prophetiam, Noeque, certè, & Abraham, de quo dixit Christus, *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum*, quod sine vero spiritu prophetiæ, esse non potuit, & post ipsum Isaac; benedicens Jacob, & post ipsum Joseph, ut supra vidimus ex Augustino, & iterum Jacob. Benedicens filios suos, de quo supra cum ageremus de Christo ad litteram; nec ad hoc alia requiritur probatio, quam facer textus Geneseos.

Quæres tertio, quot sint gradus prophetiæ. Respon. quod si loquamur de prophetia prescindente a propria, & impropria seu largè sumpta, satis constat ex D. Thoma, si autem de prophetia proprie dicta, non quantum ad munus, & dignitatem, sed quantum ad spiritum, & lumen, ex universis, quæ ex SS. PP. doctrina hactenus dicta

A sunt, ut colligitur, quantum spectat ad præsens sunt (magis reconditos gradus Mysticis pro nunc relinquendo) quatuor gradus. Primus, quando cum visione alicui communicata, datur visionis intelligentia, sicut Hieremias vidit ollam succensam, cujus facies, a facie Aquilonis, ut habetur Hier. 1. per quam visionem cognovit significari exercitum Regis Babylonis venturum ad incendendam Jerusalem: Secundus quando sine aliqua visione, auditur vox instruens, de aliquo supernaturali, & occulto, sicut 1. Reg. 3. Samuel audivit vocem Domini ipsum vocantis, nec tamen vidit aliquid sibi apparens, immò nec vocem Domini esse novit, quam putabat esse vocem Heli, postmodum verò vocem Domini audivit, & novit vocem Domini

B esse, ex quo primum propheta esse cæpit. Tertius, cum non solum auditur vox aliqua loquentis, vel instruentis, sed & apparet persona loquens, vel hominis sancti, sicut 2. Machabæorum cap. 15. Onias jam defunctus apparuit Judæ Machabæo, simul cum Hieremia Propheta, dixitque ei. *Hic est, qui multum orat pro populo &c.* vel apparet Angelus, ut Danieli, docens eum recondita mysteria, & in Apocalypsi, & denique frequenter in utroque, & veteri scilicet, & novo testamento; vel videtur sub aliqua specie Deus, ut cum Esaias 6. c. ait. *Vidi Dominum sedentem* &c. & audivit voces &c. Quartus denique gradus, quando sine apparitione alicujus sensibilis, capitur veritas intelligibilis de occultis per divinam revelationem, quo modo dicit Lyran. in præfatione ad Psalm. factas

C esse Davidi divinas revelationes, quibus addi potest, nisi fortè coincidit in aliquo sensu, cum hoc ultimo gradu proximè dicto gradus alter, scilicet divinæ locutionis, cum Deus per Scriptorem sacrum, tamquam per instrumentum manifestat proprios conceptus, & locutionem, qui gradus lato modo spectat ad prophetiam ut patet, nam inquit Apostol. Multifarie, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, ad Hebræos 1. in quo quodammodo innuitur loqui Deum in ipsis, non esse constitutivum prophetiæ, quia non semper per ipsos revelat futura, & sanè diversum est, quod Deus menti propheticæ infundat lumen videndi aliquod futurum, vel occultum, & quod Deus per ipsum loquatur, vera, & propria Dei locutione; quapropter etiam Angelicus Doc. quem

D supra dedimus cap. 1. in Isaiam, dicit, esse aliquod superadditum prophetiæ, quod propheta illam denunciet, immò addit, quod quando prophetia denunciatur, ipsa visio mentalis, quæ alias est forma propria prophetiæ, tunc de materiali se habet; quæ de necessitate dicenda fuerunt, ne confundamus prophetiam propriè, & strictè dictam, cum sacra scriptione, vel manifestatione, de qua diximus, quærentes, an Deus sit specialis auctor Sacræ Scripturæ, quamvis enim ut plurimum utrumque habuerint perfecti prophetæ, scilicet ut essent Videntes, sicut solebant nuncupari, & id denunciarent verbo, & scripto, vel alterutro, quod videbant, altera tamen ex his rationibus, se habet per superadditionem ad alteram, secundum Angelicum, ut supra.

ARTICULUS III.

Reliquas quæstiunculas huic tractatui debitas attingens.

QUæres quartò, quid veniat nomine Prophetę juxtà vulgatam intelligentiam, & quot modis sumatur prophetia. Respond. August. *super Exod. quæst. 17. Propheta Dei nihil est aliud, quam enunciator verborum Dei hominibus, qui Deum, vel non possunt, vel non merentur audire &c.* præcipuè tamen a prævidendo propheta dictus est, sicut enim prophetia, Visio, ita prophetæ Videntes dici consueverunt. Hieronym. lib. 3. in Oseam cap. 12. Dicitur autem procul videns, & de rebus procul fans. Ly autem procul significat (ultra id quod dicit Angelic.) difficultatem cognoscendorum, quæ oritur ex eminentia divinorum, & ex occultis mysteriis, quæ soli Deo sunt nota, vel ex distantia loci, & temporis, vel ex signorum applicatione; ut pluribus exemplis demonstrat Lyran. in Psalmos. Tribus etiam modis dicitur Propheta, primum ex officio, quando aliquis eligebatur, ut in dubiis consuleret Dominum, sicut Moyses, Josue, Elias, & Eliseus. Secundo missione, quando aliquis mittebatur a Domino, ad annunciandam voluntatem suam, ur Jonas, & Isaias, qui dicebat: Prophetam in gentibus dedit me Dominus, & in principio, quem mittam &c. & hi vulgò cum tota proprietate dicebantur prophetæ. Tertio ex Gratia, & erant illi, qui aliqua annunciabant, quæ ex naturali lumine cognosci non poterant, ut David, & Daniel; similes autem quia non erant ex illis prioribus, inter prophetas non numerabantur. Addit etiam Augustin. contra Faust. Manich: triplex fuisse genus Prophetarum, alii enim fuere Prophetæ Judæorum, de quibus idem August. in Epistol. ad Romin. *Veri enim Prophetæ ex Judæorum tantum prosapia fuerunt. Oportebat enim, ut ex illa gente orirentur qui Christum prænunciabant. Alii Gentium, ut Balaam, de quibus siquis ambigat*, idem inquit Augustin. *audiat Paulum, qui scribens ad Titum de Cretensibus dicit. Dixit quidam proprius eorum Propheta: Cretenses semper mendaces &c.* alii, qui dicuntur absolutè prophetæ veritatis, de quibus Christus *Mat. 23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & flagellabitis &c.* & hi profectò sunt, ad quos dixit: *cum steteritis ante Reges, & præsides nolite cogitare &c.* & Apost. *ad Ephes. 4. & ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, deinde prophetas &c.* & hi revera sunt prophetæ, ne dum novi Testamenti, hoc enim Testamentum potius prophetarunt prophetæ Judæorum, sed in novo Testamento, inter quos medius fuit Jo: de quo etsi dixerit Christus *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem*, tamen etiam dixit, *Joan. ipse est Elias, ipse est Propheta, & plusquam Propheta*, qui digito demonstravit, quod alii procul viderant, dicens, *ecce Agnus Dei.* Ad quorum majorem intelligentiam faciunt, quæ Ruper. dicit *in cap. 1. Oseæ, Prophetas veteris Testamenti solos, sancta Scriptura nuncupat eos, qui prænunciaverunt adventum Christi, vel ad quos de eodem sermo factus est.* Subdit autem Hieronym. *licet enim omnia sancta Moyses, & Prophetæ conscripserint, tamen in comparatione prophetiæ, in qua Salvatoris adventum prophetarunt, humilia sunt cætera. In commen. Mich. cap. 4.* Prophetas autem novi Testamenti, idem Hieronym. lib. 2. in Epis. ad Ephes. cap. 4. illos appellat, qui non vaticinantur futura tantum ut Joan. in Apocal. sed qui infideles, & imperitos arguant, atque diudicent.

Quin. ad omnes etiam Sacros Doctores, & Interpretes, hoc nomen extendit Chrisost. Mat. 7. homi. 19. Operis imperfecti. Dum air; *Prophetæ dicuntur non tantum, qui prophetarunt de Christo, sed etiam qui interpretantur ea, quæ de Christo ab antiquis, fuerant prophetata, idest Doctores Ecclesiarum &c.* nec enim potest quis propheticos interpretari sensus, nisi habeat spiritum prophetiæ &c. & ferè idem concludit Ambros. 1. Chorin. 12. Prophetas ergo, duplici genere intelligamus, & futura dicentes, & Scripturas revelantes, quamvis sint, & Apostoli Prophetæ, quia primus gradus omnia subjecta habet.

Quæres quinto, de Prophetis, quoad locum. Quamvis prophetia non pendeat a loco, Hieron. tamen in Isaiam lib. 5. cap. 22. dicit, Sion seminarium fuisse Prophetarum, in qua extructum templum, & visiones Domini multiplicatæ sunt; addit verò Lyran. *in Isai. cap. 48. Hebræi in ea sunt heresi, quod omnes Prophetæ fuerint in monte Sion, & ibi a Deo acceperint prophetias suas, sicut Moyses legem, sed hoc falsum est, quod ex eo constat, quod Isaias 600. annis post, fuerit natus &c.*

Quæres sexto, quare Deus præmisit Christo tot Prophetas? Respond. August. *in Joan. tractat. 35. cap. 8. prævidens Dominus impios quosdam futuros, qui miracula ejus calumniarentur, ea magicis artibus tribuendo, Prophetas ante præmisit: numquid enim sic magus erat, & magicis artibus fecit, ut coleretur & mortuus: Magus erat antequam natus? Prophetas audi o homo mortue, & vermescendo calumniosè; Prophetas audi, lege, qui ante Dominum venerunt &c.*

Quæres septimo, quis scopus prophetarum. Jam supra, hoc tetigimus; Nunc dicta, Augustini auctoritate firmamus: *sup. Jo: tractat. 9.* ubi ait. *Lege libros Propheticos omnes non intellecto Christo; quid tam insipidum invenies? intellige ibi Christum non solum sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem a corpore, ut præterita obliviscens, in ea, quæ ante sunt extendaris*, Idipsum pulcrè Bernat. *epis. 106. propheticæ lectionis sensus Christus est, quem citius sequendo, quam legendo consequi potes, quid enim quæris verbum, in verbo, quod jam caro factum, præsto est oculis? Jam enim de latibulo prophetarum, egressus est ad oculos piscatorum.*

ARTICULUS IV.

Pseudoprophetas examinans.

QUæres octavò, de Pseudoprophetis, qui, unde, & quales? Non omnis, qui utcumque prophetare videtur, propheta est, cavendum enim jubet Christus a falsis Prophetis, venient enim Pseudo Christi, & Pseudoprophetæ. Si dicent vobis, hic est Christus, aut illic nolite credere; difficultas verò est, quomodo cognoscantur, vel dignoscantur. Hi quidem sunt, ut habetur, Hier. 14. de quibus Deus conqueritur; non misi eos, & non præcepi eis; statimque dat signum; visionem mendacem, & divinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. At hic labor est, quis cognoscet, quando dicent visionem mendacem, quis intus videbit eos, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces? Jam breviter dicamus, quia prolixæ indaginis esset, articulus iste. Primò respondetur *ex pr. Joan. 4. In hoc cognoscitur spiritus Dei; omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est &c.* Vide, sed adverte, quod dicit, *omnis spiritus*, non dicit omnis caro, adverte etiam quod dicit, *confitetur*. Confiteri est fateri, cum, idest cum opere, & verbo. Et sic intrat, quod ait Christus, ex fructibus eorum cognoscetis eos. Secundò Respon. Apostol. *siquis vobis aliud evangelizaverit, quam diximus, etiam Angelus de cœlo, anathema sit*. Nobis ergò facilè est dignoscere verum Prophetam a falso, quod Sacra Scriptura, quod Ecclesia dicit, a quocumque dicatur, in eo ille, verus Propheta est. Medullam veritatis penetrat Gregor. & ex vero Propheta deducit, qui sint falsi. *Veri*, inquit, *Prophetæ, siquid de suo spiritu dicunt; per spiritum edocti citius illud corrigunt. Falsi autem, & falsa denunciant, & in sua falsitate perdurant*, quod fortè ex Ezechiele cap. 13. novit, ubi, inquit Ezech. de falsis prophetis. *Vident vana, & divinant mendacium, dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miserit eos* (& addit idem signum) *& perseveraverunt confirmare sermonem &c.* sed ut facilius dignoscantur, audiamus Apostolum *secundo ad Timoth.* 3. ubi notas falsi Prophetæ, sub quo nomine veniunt omnes deceptores, qui volunt aliquid inducere, contra veram Prophetiam, vel Theoricam, vel practicam, describit. *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores, magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, quemadmodum autem Jannes, & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, quorum insipientia manifesta erit omnibus &c.* in quibus verbis manifestè Apostolus commentatur dictum summi Magistri, scilicet cum dixit a fructibus eorum cognoscetis eos, ut supra notavimus &c. Arbor enim mala non potest fru-
A ctus bonos facere. De his vide copiosius Vincent. Lyrinensem, contra Novatores. Unde sint, clarum est, ex parabola Zizaniorum, *venit inimicus homo, cum dormirent homines, & superseminavit zizania*; id enim communiter intelligunt PP. de Diabolo, qui arrepta occasione, ex somno, aut negligentia Prælatorum, cum dormirent homines, venit, & superseminavit super doctrinam prophetarum Christi, & Apostolorum, falsa dogmata, per Pseudo Apostolos, & Pseudo Christos, Hæreticos, & Novatores. Sed isti denique in fasciculos alligantur ad comburendum, dicit autem in fasciculos, quia etsi multi sint, tamen leves, & parvi sunt, quia superbi, vaniloqui, & vani, sicut ea, quæ dilexerunt, unde velut surculi in fasciculos,
B & sicut fœnum tectorum, de quo non implevit manum suam qui metit, nec sinum suum, qui manipulos colligit, & in ignem mittent, & ardet; sic ex inferno orti, ad inferna descendunt, nullusque nec hic, nec illic, inter eos ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Quinam fuerint in particulari (qui enim in genere, & quales semper, jam novimus) certus numerus definiri non potest, stultorum enim infinitus est numerus. In sacris litteris fit mentio, de Prophetis Baal 450., qui unico Eliæ opponebantur, 3. Reg. 18. & de Lucorum 400. de Sedechia, cum aliis 400. qui bellum consulebant Regi Achab, contra Ramoth Galaad, dissuadente unico Michea, vero Dei Propheta, 3. Regum 22. de Prophetis Samariæ, & Prophetis Hierosolimit.
C Hier. 22. de Anania, Hier. 28. de Achab, & Sedechia, & Semeja Nealamite, Hier. 29. In Testamento vero novo, fit mentio in actis Apostolorum, de Bariesu, quem Paulus excæcavit, & de Simone Mago, quem Petrus dejecit, ac de aliis in Apocalyp. nec non & in Epist. Pauli, ut de Diotrepe &c. immò, & idem Paulus, Mileto mittens Ephesum, in concione ad Episcopos, discessurus prophetavit, *& ex vobis ipsis exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*, ut fuit Nicolaus Diaconus &c. & denique infiniti qui quotidie excitantur a Diabolo, ut iniquissimus Michael de Molinos, duo cognominati Leones, ac novissimè Beccarellus, qui plures incomparabiliter habuerunt sectatores, quam Baal, Prophetas.

Cur autem eos Deus grassari permittat in Ec-
D clesia, docet Moys. Deuteron. 13. nempe *quia tentat vos Dominus Deus vester*, & explicat Apost. 1. Chorin. 11. *Oportet enim, & hæreses esse, ut hi, qui probati sunt, manifesti fiant*, & sicut ad utilitatem innocentium proficit vita pravorum ait Gregor. ita ad firmitatem fidei, valdè juvat nequitia Pseudoprophetarum. *Maluit enim Deus*; subdit August. *de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere.*

ARTICULUS V.

De libris propheticis in genere: breves notationes ad eorum intelligentiam per quæstiunculas proponens.

QUæres primò, quinam libri verè dicantur Prophetici: In tres partes divisit Christus Sacram Scripturam, in Legem, Prophetas, & Psalmos, *Lucæ cap.* 24. *quæ scripta sunt*, inquit, *in lege, & Prophetis, & Psalmis de me*, unde si loquamur in rigore logico, secundum quem membra dividentia se invicem excludunt, dicendum erit, nec legem, nec Psalmos esse propheticos, at quia ex ipso modo dicendi omnia hæc inclusit Christus inter libros propheticos, quia loquebatur de his quæ de ipso prædicta erant, quæ certè si prædicta, prophetica erant, & libros, in quibus continebantur, ex hoc ipso propheticos denominabant, immò idem Christus eodem cap. paulò ante, id ipsum expressit. Dicemus igitur quod hoc innuitur in Evangelio, nempe ut verissimum est, totum vetus Testamentum prophetiam fuisse de Christo, quia omnia in figura contingebant illis; sed hæc denominatio aliquibus est generica, ut puta libris Pentateuci, seu etiam omnibus historialibus, & etiam Sapientialibus, & Psalmis ipsis, aliquibus autem peculiaris, & ex instituto, & modo, & fine, & ministerio magis coarctata, & applicata, ut sunt libri omnes Prophetarum, unde nihil non consonum in ea & divisione, & suppositione reperitur, & ad hoc respexit Augustin. *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 17. *dicens sicut legis appellationem aliquando universaliter cum Psalmis, & Prophetis, interdum verò propriè præter Psalm., & Prophetas, eam tantummodo, quæ per Moysen data est accipere solemus, ita etiam communiter Prophetæ simul cum Psalmis, propriè verò per se absque Psalmis hoc nomine appellantur*. Et ratio est, quia ut advertit Glos. in præfatione ad Psalterium, non solum Propheta fuit David, sed & Prophetis excellentior, & ideò antonomasticè dicitur Propheta. Ut verò concilientur sententiæ, quia & multi inter Hebræos, & etiam inter Latinos in hoc diffident, an videlicet Psalmorum lib. poni debeat inter propheticos; Ideò Math. Doring. in primum caput Hierem. sic disting. *Aliquis Propheta dicitur actu, & non officio, ut David, Job, & alii complures, aliqui officio, & non actu, ut multi Summi Pontific. & sic Helchias, alii utroque modo, actu scilicet, & officio, ut Isaias, & Hierem.* David ergo inter Prophetas primo modo enumeratur, & quia in Psalmis universa conclusit, quæ in Sacra Scriptura continentur, ut supra vidimus, & valde apertè prophetavit de Christo, ideò excellentissimus habetur inter Prophetas, quod non attenditur præcisè ex officio, sed magis ex actu, ex modo, ex objecto.

Quæres secundò an extent omnia Prophetarum scripta. Respondetur, negativè, ex D. Joan. Chrisost. *in caput secundum Math. hom. nona. Multa*, inquit, *ex Propheticis periere monumentis, quod ex histor. Paralip. videre licet. Desides enim eum essent*

A *Judæi, & crebrò in impietatem laberentur, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò cum incenderentur, tum conciderunt. Et hoc Hieremias, illud verò lib. 4. Regum asserunt. Quoniam post multum tempus vix Deuteronomii volumen est repertum defossum in quodam loco, ac penè deletum. Si autem priusquam barbarus miles grassaretur adeò libros sacros neglexerunt, multo magis barbaris ingruentibus id factum fuit.* Immò addit Laurentius a Villavicent. *lib.* 2. *cap.* 13. *observat.* 4. *Non omnes integræ extant conciones propheticæ, sed tantum fragmenta, & selecta aliquot earum capita, quæ judicata sunt, Ecclesiis maximè profutura, & ex quibus reliqua, quæ desunt intelligi possunt &c. sed de his alibi.*

Quæres tertiò; quo tempore, & ordine Prophetæ scripserint. Respon. quoad primum clarè constare, ex libris Prophetarum, non eodem tempore
B eos omnes Prophetasse; singulos verò, inquit Chrisost. *certum est non uno eodemque tempore omnia sua oracula edidisse, sed pro diversa qualitate temporis, dum numine adspirarentur, quasdam enunciabant incisiones, quæ tandem conscriptæ librum unum, omni sua parte absolutum perfecerunt Chris. in caput secundum Isaiæ.*

Sed nec eodem omninò ordine, quo habitæ sunt, fuere conscriptæ prophetiæ, nam ut dicit Origen. *hom. prima in Cantica. Prophetica dicta non temporibus pensanda sunt, sed ratione*, & clarius Hieron. in Hierem cap. 21. *Notandum est*, inquit, *quod in Prophetis, maximeque in Ezechiele, & Hieremia nequaquam regum, & temporum ordo servatur, sed
C præposterè, quod juxta historiam postea factum sit, prius referri, & quod prius gestum sit, postea dici. Aliud enim est historiam, aliud prophetiam scribere*, & ideò Glos. ordinaria, Hierem. 25. cap. in principio concludit. *In scriptis propheticis præcipua ratio habetur eorum, ad quos instituta est prophetia, quid auditoribus, & lectoribus debeat proficere.*

ARTICULUS VI.

QUæres quartò cur in prophetarum scriptis tanta sit obscuritas, & unde hæc proveniat, & evacuari aliquo modo possit.

Respond. D. Hieronym. *in Nah. cap. 3. In Prophetis obscuritas est ut non facilè pateat Sanctum canibus, & margaritæ porcis, & profanis Sancta
D Sanctorum.* Unde verò hæc proveniat, idem Hieronym. dicit, *in Nahum c. 2. Hæc ferè præcipua causa est, quia omnis prophetia ænigmatibus, & præcisis sententiis involvitur, dum enim de alio loquitur transit ad aliud, ne si ordinem scripturæ conservet, non sit vaticinium, sed narratio. Cujus generis est, quod in eo ipso Propheta Nahum ad finem cap. primi, dicuntur læta ad Judam, protinus verò cap. 2. dicuntur tristia, sed ad Ninivem referenda.*

Secunda ratio est, quam adducit Christomus, *in cap. 2. Math. hom. 8. hanc nempe quasi legem esse prophetiæ, ut multa sæpè de aliis quidem dicantur sed de aliis implentur, ut illud quod de Simeone, & Levi dicitur, dividam eos de Jacob, & dispergam eos in Israel. Hoc enim non ipsis, sed in iis etiam factum est, qui de eorum prole successerunt.*

Mo-

Modus autem, quo, quantum sufficit talem obscuritatem possimus evadere, ut non confundamur, est, & quæ dicta sunt modò advertere, & tres regulas quas adiicimus mente tenere. Primam tradit Hieronym. in Zachar. *lib. 3. cap. 14. In prophetia, historiæ veritas primum quærenda est, deinde allegoria, nam primum spiritus fundamentum, littera est*, ut nos suo loco ostendemus. Sed & id explicat idem *In Isai. l. 4. c. 11.* ubi inquit, *prudens, & Christianus lector hanc habeat repromissionum prophetalium regulam, ut quæ Judæi, & nostri (immò non nostri) judaizantes, carnaliter futura contendunt, nos spiritualiter jam transacta, doceamus, ne per occasionem istiusmodi fabularum, & inextricabilium quæstionum (juxtà Apostolum) judaizare cogamur.*

Secunda est, ex Driedo, *lib. 3. de Ecclesiasticis Scripturis tracta. 2. cap. 5. Id valdè observandum est, ne in universum omnia prophetarum dicta, & facta ita referamus ad tempora futura, ut interim negligamus historiæ veritatem, quam Propheta nunc ut præsentem, nunc ut præteritam insinuat. Mos est Prophetarum transire de littera ad spiritum, & recitare historiam rerum, tam præsentium, quam gestarum, velut umbram, typum, seu figuram eorum, quæ futura sunt &c.*

Tertia ex D. Gregor. *lib. 22. Moral. cap. 21. & super Ezechi. hom. 11. Inter cætera prophetiæ miracula, hoc quoque mirandum habent libri prophetarum, quod sicut in eis res verbis, ita nonnumquam verba rebus exponuntur, ut eorum non solum dicta, sed etiam res gestæ prophetiæ sint*; sed in his non immoramur, cum alibi de similibus sit agendum. Notandum tamen est summopere utilem, & necessariam esse investigationem temporum, ad intelligenda oracula Prophetarum, quia ut monet Hieronym. *qui nescit tempora eorum, quæ dicta sunt quæve evenerunt, non poterit homini contentioso ostendere certitudinem prophetiæ*. Ad tollendam igitur occasionem errori, advertere oportet, non eodem ordine, vel dictas, vel editas prophetias, quo dispositæ fuerunt, in Canone, non quod in Canone, male sint dispositæ, sed quia Sacrum Concilium, non tam temporum ordinem, quam Prophetarum dignitatem, & communem vulgatæ editionis seriem attendit, propterea majores præposuit minoribus, etsi attento ordine temporum majores minoribus interserantur. Hic igitur fuit ordo temporum, inter Prophetas. Abdias, Jonas, Amos, Micheas, Oseas, Isaias, Johel, Nahum, Abacuc, Sophonias, Hieremias, Daniel, Ezechiel, Aggæus, Zacharias, Malachias. Omnes isti intermedii fuerunt inter legem, & Christum, inquit Gregor. Nazianzen. in apologetico; distinguit verò Hieron. in Hierem. in princ. tria tempora Prophetarum, *nam alii prophetaverunt ante captivitatem 10. Tribuum Israel, sive duarum Tribuum Juda, & Beniamin, ut puta Isaias, Osee, Joel; alii imminente captivitate, sicut Hierem in terra Juda, & Ezechiel in Babylone, alii post captivitatem, sicut Daniel, Aggæus, & Zacharias, ultimi verò fuerunt Aggæus, Zacharias, & Malachias*. Tempora autem singula singulorum, ex ipsorum prophetia venari debemus, quamvis in aliquibus paucis, hoc certo

A fieri nequeat, ut advertit Augustin. lib. 18. de civitate Dei, ubi de singulis dicit, quid sentiat, nosque eum ipso, infra scrutabimur.

Propheticos porrò libros partitur Epiphanius, Antiquorum sententiam secutus, lib. de mensuris, & ponderibus, in novem quasi considerationes, videlicet in doctrinas, speculationes, exhortationes, minas, luctus, consolationes, preces, historias, & prædictiones. Tales verò prædictiones principaliter sunt de rejectione Legis, secùndum carnem, sive depositione prioris populi, & de novo Testamento, Legi successuro, ac vocatione gentium, de promissionibus factis ad Patres, quoad temporalia bona, vel mala, ac præcipuè de promissionibus factis de Christo, & ejus Ecclesia, ac denique aliquæ prædictiones fuerunt contra determinatas provin-
B cias, vel personas, & universaliter contra omnes impios.

Quæres quintò, quare aliqui dicantur majores Prophetæ. Respon. non hoc ideò, quia majorem habeant auctoritatem, cum enim omnes sint Canonici, & ubi Concilium non distinguit, nec nos distinguere debemus; nec aliter sentit Petrus Aureolus, cum hic in sua epitome dicit, de Prophetis majoribus; ideò ipsos tales dici, quia sunt principaliores, & Spiritus Sanctus illis adfuit, in magna latitudine sententiarum, & plenitudine: Minores verò, quod non tanta in eis sit sententiarum plenitudo, siquidem intelligendus est materialiter, & non quantum ad auctoritatem, sicut revera intelligit August. *lib. citato de civitate Dei cap. 19.*
C *Majores*, inquit, *dicuntur, quia prolixiora volumina condiderunt*, aut etiam, ut alii sentiunt, ratione dignitatis, & electionis, & sanctitatis, quæ ex eorum prophetia, in eis fuisse deprehenduntur, quæ tamen majorem non arguunt auctoritatem absolutè, quam eam, quam ex Ecclesiæ declaratione sortiuntur, quæ nec in majoribus, nec in minoribus, major, aut minor, sed in omnibus æqualis, quia sunt verbum Dei, qui omnium fuit specialissimus auctor, quæ ab ipsis fuere conscripta.

Quæres sexto, an Prophetæ majores, aliquo ordine connectantur. Respon. eorum ordinem sumendum esse, a captivitate Babylonica, ut jam innuimus, quia ad eam annunciandam, vel ejus finem missi fuerunt. Tempus verò talis captivitatis habet 5. partes, ut notat Petrus Aureolus loco citato.
D Primum fuit, quando præfinita, & proxima erat, ob peccata Judæorum. Eam ergo sic futuram ad annunciandum, tempore Oziæ, Achaz, & Ezechiæ, missus est Isaias. Secundò, tempus executionis ejusdem, in quod incidit Hieremias. Tertiò tempus Josiæ, Joachim, & Sedechiæ transmigrationis præfatæ Babylonicæ, jam proximè factæ, quando in Caldæa prædicavit, & consolatus est captivos Ezechiel. Quartò, tempus desolationis sub Sedechia, quando missus fuit Baruch a Hieremia, ipseque lamentatus est. Quintò, tempus revocationis, quando Deus misertus populi, reduxit eos in terram sanctam, & tunc Daniel missus est, qui etiam prænunciavit destructionem regni Caldæorum, introductionem regni Medorum, ac deinde etiam regni Græcorum. Sub Cyro Rege Persarum.

CA-

CAPUT VI.

Peculiares Majorum Prophetarum prophetias in particulari concernens.

ARTICULUS I.

Isaiæ prophetia liber Sac. Scripturæ XXVII. quintæ hujus partis primus.

DE continuatione librorum prophetalium cum præcedentibus jam dictum est, & de connexione, quam habent inter se Prophetæ minores, nuper cum Petro Aureolo dicebamus, quantum etiam ad auctores, nulla est controversia, quia tam majores, quam minores Prophetæ, auctores fuerunt singuli, illius libri, qui cujusque nomine inscribitur. Restat igitur, ut in præsenti dicamus, quis, & qualis fuerit, quando, ad quos, ubi, & de quibus prophetaverit Isaias, & primò Hieron. hic in prolog. *Isaias*, inquit, *cujus prophetia, duodecim Prophetis, juxtà numerum versuum, aut major est, aut æqualis, salus Domini, interpretatur. Filius fuit Amos, ut patet ex primis ejus prophetiæ verbis*; addit verò Augustin. *de Civitate Dei, lib.* 18. *cap.* 27. *Amos pater Isaiæ non ut plerique autumant, tertius ille duodecim Prophetarum est, sed alius, diversisque apud Hebræos scribuntur litteris.* Idem etiam Hieronym. ibi. Dicitur autem communiter, fuisse avunculus ipsius Regis Manasse, ex parte matris, ejusdemque proinde nobilitatis, quod etiam asserit D. Thom. hic in prolog. & Glos. 4. Regum 21.

Qualis: Vir nobilis, & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admixtum, non tam Propheta, quam Evangelista dicendus, ut jam alibi dictum est, ex Hieronymo, & Augustino. Hic Propheta, corporis castigatione, plerisque jam superatis, nudus, & discalceatus ad tertium annum incessit. Origen. *contra Cels. lib.* 7. *Texuit Isaias, hoc oraculum, decem tribubus, nec dum in captivitatem ductis, hoc est sub Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia, Regibus Juda.* Hieron. *Sub Ozia cæpit &c. & licet prophetaverit etiam sub Manasse filio Ezechiæ, nullam tamen de illius tempore mentionem fecit, tum quia pessimus fuit ille Rex in cultu Idolorum, tum quia ab eo occisus fuit, quia ejus; & populi peccata publicè arguebat.* Lyranus, *in Isai. cap.* 1. *Uno autem, atque eodem tempore Isaiam, Oseæ, Joel, & Amos prophetasse ex Regibus, qui ponuntur in titulo cognoscimus, sed principium Verbi Domini fuit, in Osee filio Beeri.* Hieron. hic. *Prophetavit verò contra Judæam, & Hierusalem, deinde etiam contra Gentes, videlicet Babylonem, Philistæos, & Damascum; visionem vidit, contra Ægyptum, contra Idumæam, contra Phalangas Sion, contra Tyrum, & contra quadrupedia in solitudine; exponit, & Exodum Senacherib, & arrogantiam Rapsacis, & utriusque casum, ac perditionem &c. Denique & de Eunuchis prophetavit, & gentibus, &* A *in calce de die Judicii.* Athan. *in Synops. Sed principaliter prophetavit in Hierusalem, & in Judæa, hoc est Tribubus Beniamin, & Juda*, ut hic Hieron. & D. Thom. Prosequitur Hieronym. *de utroque agit regno, idest decem Tribuum Israel, & duarum Juda, & Beniamin nunc simul, nunc separatim, & cum interdum ad præsentem respiciat historiam, & post Babyloniæ captivitatem, reditum populi significet, in Judæam, tamen omnis ejus cura de vocatione Gentium, & de adventu Christi est*, Hieron. *in prolog.* quæ verò addit, & ipse, & Augustinus, quia alias agentes de Christo ad litteram relata sunt, hic ommittuntur, ne eadem sæpius repetamus. Solum id notabimus ex Hieronymo, *quod hic post historiæ veritatem*, inquit, *spiritualiter accipienda* B *sunt omnia, & sic Judæa, & Hierusalem, Babylon, & Philistyn, Moab, & Damascus, Ægyptus, & desertum mare, Idumæa, & Arabia, ac vallis Sion, vel vallis visionis, & ad extremum Tyrus, & visio quadrupedum intelligenda sunt, ut cuncta quæramus in sensu, & in omnibus his quasi sapiens Architectus Paulus Apostol. faciat fundamentum quod non est aliud præter Christum Jesum.*

Et quia in futurum Salvatorem, semper intentus, vitam pro veritate profudit, nihil impedit, quin verè Martyr dicatur. Serra enim lignea serratus in duas partes, barbarè dissectus fuit, unde Hieronym. *in Isaia lib.* 15. *cap.* 57. id quod Hebræorum 11. de Sanctorum suppliciis legitur *serrati sunt, ad Isaiam referri solet*, & Eusebius, *Manasses impius*, inquit, *Isaiam interfecit, statuamque* C *suam posuit quinque facies habentem*; sepultus est sub quercum Rogel, juxta transitum aquarum, quas olim Ezechias Rex, jacto obstruxerat pulvere, ut refert ex Hieronymo Ludovicus Vives, in Augustinum, de Civitate Dei, lib. 18. cap. 24. Dicit etiam Hieronym. hic *lib.* 1. *cap.* 1. *& in quæstionibus Hebraicis in Paralipom. Hebræi dicunt, duas ob causas interfectum esse Isaiam. Quod principes Sodomorum, & populum Gomorræ eos appellaverit, & quod Domino dicente ad Moysen. Non poteris videre faciem meam, ipse ausus sit dicere. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c.*

Nunc quantum spectat ad argumentum, sive compendiolum prophetiæ etsi dictum fuerit, & hic, & alibi, quantum satis videri possit, tamen tanto operi, brevibus adeò notis, nec lineam unam D adumbrari perspicuum est. Breviter itaque ejus respectum ad Christum, ejusque Ecclesiam, atque mysteria, ad quæ maximè ejus intentio tota dirigitur, opere pretium erit saltem innuere. Pro quo notandum, quod Isaias invehitur quidem contra Judæos, primò, per 13. capita, secundò contra gentem finitimam, per cap. 11. tertiò contra universam mundi machinam, per quatuor capita, quartò contra reliquas 10. Tribus Israel, & simul alias 2. per quatuor item capita; quintò cursus contra tribus duas separatim, per octo capita, qui totus est tractatus comminatorius. Alium verò tractatum habet qui sequitur ad primum, & est consolatorius, de quo postea.

Respectus verò ad Christum, in primò tractatu habetur in iisdem capitibus, nam Christum respiciens

ciens prædicit. Abolitionem legalium sacrificiorum, A & rituum &c. cap. 1. Evangelii substitutionem, & vocationem gentium, cap. 2. destructionem Jerusalem, & Sinagogæ cap. 3. Ecclesiæ novæ ædificationem cap. 4. compositionem cantilenæ de Sinagoga repudiata, cap. 5. Destinationem filii Dei, cap. 6. *Vade, & dices populo huic*. Ejusdem filii Incarnationem, Conceptionem, & Nativitatem ex Virgine. Ecce Virgo concipiet, cap. 7. &c. discipulorum, & credentium collectionem, & aliorum scandalum, & offensionem, cap. 8. Passionem Christi, & regni ejus incæptionem, cap. 9. conversionem filiorum Israel ad Christum, cap. 10. Resurrectionem Christi gloriosam, & Ecclesiæ ex diversis populis congregationem sub uno pastore Christo, cap. 11. Sacramentorum efficaciam, & gratiarum B diffusionem per totam Ecclesiam, cap. 12. *Confiteor tibi Domine &c. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris &c.* a quo cap. 12. usque ad 23. prosequitur comminationes ad diversas gentes, scilicet contra peccatores novi Testamenti, interserit autem prophetias de Christo, nam cap. 16. ipsum prænunciat venturum de Ruth Moabitide. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ &c.* sed, & prius cap. 14. & post cap. 20. Iterum plura de Propheta Christo. Post hæc prænunciat judicium extremum, & sententiam ultimam, contra malos, Dæmones, & homines, ac divinam justitiam, hinc præmium, & gloriam bonorum, cap. 26. & supplicia damnatorum cap. 27. Iterum ab hoc capite reassumit comminationes, usque ad 30. ubi iterum se vertit ad Christum, & de eo prophetat. cap. C verò 32. agit de Christo sub figura Ezechiæ. cap. 33. & 34. de vastatione a Romanis Tito, & Vespasiano facienda, sub figura Idumææ, & Bosræ. cap. 35. de Ecclesiæ propagatione, a quo usque ad 38. concludit captivitatem futuram propter peccata, idest quod ob culpam semper venit captivitas &c.

Tractatus consolatorius agit, de liberatione Christi. Invehitur in Idololatriam; ne putent Judæi eam committi in adoratione Christi, in quo hodie sunt errore, agit autem de præcursore ejus Jo: & ejus prædicatione, c. 40. *Vox clamantis in deserto &c.* De unione duarum naturarum in Christo, & Incarnatione ex semine Abrahæ, cap. 41. *Et tu Israel serve meus, semen Abrahæ*. De Incarnati Verbi conversatione, cap. 42. de vocatione testium scilicet Apostolorum, cap. 43. *Educ foras populum cæcum*, de Spiritu Sancto Apostolis in die Pentecostes divinitus misso, cap. 44. *Effundam spiritum meum &c.* Sequitur autem a cap. 45. de liberatione facti per Cyrum, ex quo se vertit ad Christum. *Rorate cæli desuper*, & iterum. *Tantum in te Deus, & non est præter te* &c. & cap. 46., de liberatore præcipuo Deo, & cap. 47. de modo liberationis, per destructionem Babylonis, quod mysticè est de Babylone, quam describit Augustinus in lib. de Civitate Dei, & concludit cap. 48. causam prædicationis, ne scilicet ab alio se liberari putent, quam a Deo.

Quæ verò supersunt, apertius respiciunt Christum cap. 49. Infantiam Salvatoris, & absconsionem, quia latuit ferè per annos 30. Cap. 50. multas injurias, & persecutiones ab ipso in mundo perpessas, *corpus meum dedi percutientibus* &c. cap. 51., & 52. Sapientiam, doctrinam, & prædicationem ejus, *Audite me, qui sequimini, quod justum est &c.* cap. 52. passionem, & mortem, & in his, omnibus summam ejus patientiam, *ecce intelliget servus meus*, & per caput 53. in totum. *Non est species ei neque decor*. Ecclesiam, & ipsius formationem, ex latere Christi, cap. 54. & 55. eamque non restrictam ad unius generis gentem, sed ubique sparsam, cap. 56. Præcepta moralia quibus ipsa instruitur, cap. 57. & 58. atque iterum Christi gloriam, & resurrectionem, cap. 59. & 60. *Ecce non est abbreviata manus Domini*. Famam ejus ubiq; diffusam, Apostolorum prædictione; nominis Christiani impositionem gloriosam, quo credentes ornantur, cap. 62. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*. Ascensionem triumphalem, & gloriosum ingressum in cœlum, cap. 63. *Quis est iste qui venit &c.* Judæorum nequitiam, & excæcationem, eodem capite. *Miserationum Domini recordabor*, & Dei beneficia ad illum populum, præcipuè adventum Christi, cap. 64. Reversionem Judæorum ad illum, & ejus misericordiam, cap. 65. Judicium extremum, præmia, & pœnas, cap. 66. Quæ omnia deducta sunt ex divisione libri Isaiæ, Petri Aureoli, ex intelligentia Hieronymi, hoc lib., & Augustini de Civitate Dei, atque aliis locis ex Cornel. Alapide, aliisque Expositoribus, & compendiis Sacræ Scripturæ. Narratio totius libri prosa est, per colas, & commata distincta, quod ibi explicat D. Thomas in prologum Galeatum, exceptis tribus canticis, vineæ scilicet, urbis Sion, & Ezechiæ Regis, quæ una cum oratione Isaiæ, exametris, & pentametris constare testatur Isidorus. Hunc Prophetam, quia de Christo apertè locutus est, elegit Christus, ut de ipso legeret publicè, & exponeret in Sinagoga, & patria sua, Luc. 4. Obiit Martyr, anno ab orbe condito termillesimo circiter ducentesimo quadragesimo, ante Christi ortum 728. juxta computum Xisti Senensis. Prophetavit juxta D. Hieron. per spatium 96. annorum, cæpit probabiliter anno ætatis suæ 30. ideò vixit ann. 126.

ARTICULUS II. D

Hieremiæ prophetia, lib. Sacræ Scripturæ XXVIII. Hujus partis lib. II.

Hieremias Sacerdos, & Propheta, secundum Chrisost., & Tertullian., dictus ab Augustino, Propheta gentium, lib. de quæst. vet. Testam. cap. 44. interpretatur excelsus Domini. Anatothites fuit, ex genere sacerdotali, secundum Greg. 1. *Regum cap. 13. est autem Anatot viculus, tribus millibus ab Hierusalem*, Hieron. hic *in prologo, filius Helchiæ Sacerdotis magni, qui librum legis invenerat tempore Josiæ*. Idem Hieronym. *de quæst. hebrai. & ipse ejus pater Propheta fuit, nam ut dicunt hebræi, quilibet pater, aut avus ponatur in titulo alicujus Prophetæ, etiam ipse Propheta fuit*. Hieron.

in Sophon. In utero matris sanctificatus, virginitate sua evangelicum uterum Matris Ecclesiæ dedicans. Hieronym. *hic in prol.* adhuc puer spiritum accepit prophetiæ, Hierem. 1. Dictavit prophetias, Baruch scribente, ut habetur cap. 36. qui easdem diverso tempore editas, in unum collegit, sed non eodem ordine, quo editæ, hinc est, quod ultimum caput videtur additum ex ultimo cap. lib. 4. Regum, & 72. Interpretes inverterunt capita hujus libri, unde quod in Hebræo, & vulgata est cap. 29. est apud illos cap. 36. & quod nobis cap. 30. est ipsis 37. quod nobis 48. ipsis est 31. Cæpit prophetare an. ætat. 14., post Isaiam an. 165. ante Ezechiel. 34. & ante Danielem 54. prophetavit sub. 5. Regibus, sub Josia, anno 19. sub Joachaz ejus filio, 3. mens. sub Joachim ejus fratre, an. 11. sub Joachim filio Joachim, 3. mens. sub Sedecia fratre Joachaz, & filio Josiæ, an. 11. nempe usque ad mensem 5. anni 11., quo capta a Caldæis fuit Hierusalem. Prophetavitque hoc modo; an. 41. in Judæa, ex qua, vi abductus a suis contra præceptum Domini in Ægyptum, ut habetur cap. 43. & sequenti. Prophetavit in Ægypto, an. 4. & in Taphes occisus lapidibus, in cæno, cum esset 60. annorum ætatis, anno mundi 3363. Sophonias autem, & Hieremi. contemporanei fuerunt juxta Athanas. in Synopsi, & Augustinum *de Civitate Dei lib. 18. cap. 33.* qui etiam addit, *prophetavit regnante Josia in Hierusalem, & apud Romanos Annio Martio &c. prædixit futuram siccitatem, & contra gentes Elam. Reprehendit injustitias Hierusalem in multis, & prophetavit adventum Regis Babylonii, ad excidendum terram Ægypti, & adversus Babylonem. Athanas. &c. ejus volumen combustum fuit a Joachim Rege Juda, sed jussu Domini Hieremias, illum restituit, & addidit sermones multò plures. Hierem. cap. 36. Sermone quidem hic Propheta apud Hebræos, Isaia, & Osea videtur esse rusticior, sed sensibus par est.* Hieronym. *in prolog.* hic. Qui quantum in verbis simplex *videtur, & facilis, tanto in majestate sensuum profundissimus est.* Idem *in proæm. lib. 6. in Her. Martyr obiit, jacet verò in eo loco sepultus, in quo dudum Pharao Rex habitaverat, & quoniam postulatione sua de fugatis ab eodem loco serpentibus, Ægyptios a tactu aspidum facit esse securos, magna cum, ibi religione Ægyptii venerantur.* Idem Hieron. *hic in summario.* Fit de eo mentio 2. Machabæorum cap. 15. quando simul cum Onia apparuit Judæ Machabæo. Addunt Doroth. & Epiphanius, quod in Ægypto sacerdotibus, & illi populo, prædixit futurum adventum Virginis, ducentis puerum Jesum, & tunc ruitura omnia eorum Idola. August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 28. ait, Platonem tempore Hieremiæ fuisse in Ægypto, & ab eodem Propheta litteras didicisse &c. sed idem Augustinus, retractation. lib. 1. cap. 4. hoc retractat. Plures apud Xistum Senensem lib. 1. dicunt Hieremiam ultra hanc prophetiam, & Baruch, & Threnos, scripsisse lib. tertium, & quartum Regum, cum caput ultimum Regum, sit etiam ultimum Hieremiæ. Addit Abul. in libro Judic. cap. 17. q. 4. etiam primum, & secundum Regum scripsisse. Argumentum prophetiæ ejus. Partim prædicit futura, ut puta Nabuchodonos. adventum, urbis excidium, & aliarum gentium, partim hortatur ad virtutes, & vitæ emendationem, partim increpat peccata, maximè idololatriam, primo comminatur, & lamentatur. Secundò consolatur suos, & prædicit liberationem, a captivitate. Tertio gesta sui temporis, Regum populi, ac propria dicta, & facta, & persecutiones enarrat, ultimò vaticinatur de Christi Ecclesia, vocatione Gentium, gratia, & fœlicitate novi Testamenti, *& magna pars prophetiæ in Hieremia continetur*, inquit Hieronym. *in Abdiam in principio*.

Petrus Aureolus in compendio Hierem., ejus prophetiam in 6. partes dividit, quod nimis prolixum est. Ederus in tres partes, scilicet in ea, quæ contigerunt ante publicationem injunctæ prophetiæ. In ipsa executione legationis, seu prophetiæ. Post factam executionem. Sed omnia facilius in prædicto argumento habemus, non enim nisi cum magna prolixitate ordinari possunt, attento ordine, qui nunc est inter capita, eorum veritas, & cronologia, quæ contigerunt, quod spectat ad Expositores, idque specialiter attigit diligentissimus Cornel. Alapide, in expositione hujus prophetiæ, qui erit omninò videndus. Nobis satis est aliqua notare quoad intentum ipsius. Sanè sicut Isaias intendit universa Christi mysteria, ac potissimum ejus Incarnationem, & Nativitatem ex Virgine. Ita & Hieremias, nedum verbo prædicere, sed & facto figurare intendit Salvatorem, & Redemptorem, ejusque mysteria, at potissimum passionem, & mortem. Ejus effectum sensit antequam natus, facto figurans ejus sanctissimam Nativitatem, ejus denique præcursoris sanctificationem in utero; ideoq; eam inter persecutiones, & probra Judæorum præsignavit, dumque eadem narrat de se ipso, clarè prædicit de Christo. Ipsi propheticè dictum est, quod naturaliter competit Christo vero Domino, & filio Dei, *ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & ædifices, & plantes, cap.* 1. Prædicationem Christi, quasi repetens, ob certitudinem prophetiæ, ut puta cum c. 3. clamabit, *revertere ad me aversatrix Juda, & sanabo aversiones tuas.* Dicturus enim erat Christus, *venite ad me omnes &c. & ego reficiam vos. Mat. cap. 11. & cap. 6. Hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus*, quia postea flens Christus super Hierusalem dicturus erat, *si cognovisses, & tu &c. tempus visitationis tuæ &c.* Luc. 19. Inquit Hierem. *cap. 7. numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum,* quia eiiciens Christus de templo, vendentes &c. dicere debebat, *scriptum est, domus mea domus orationis, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Mat. cap. 21.* Porrò cap. 11. Hieremias apertè loquens in persona Christi, ejus passionem describit, *& ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Hic est enim de quo dixit, alter sanctificatus in utero, *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Ibidem ait Hieremias, *cogitaverunt super me consilium dicentes mittamus lignum in panem ejus &c.* quia congregaturi erant Judæi concilium contra Christum, & deinde clamaturi erant omnes, *crucifige*

cifige &c. C. etiam 14. habetur, *expectatio Israel, in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* in qua unica prophetia, & aliorum alias repetiit, ad litteram de Christo, & id prædixit, quod postea inquit ipse Christus, *filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suum, qui pertransiit benefaciendo*, & demum inquit, *tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit &c. C. 16. ecce ego mittam piscatores* (inquit Deus Hieremiæ) *multos, & piscabuntur eos.* Hæc ad litteram est vocatio Apostolorum, *faciam vos fieri piscatores hominum &c. Mat.* 4. denique, *cap.* 18. *&* 20., & præcipuè 26. Christi damnatio describitur. *Judicium mortis est viro huic &c.* quia contra Christum clamaturi erant, *reus est mortis, Math.* 26. & prosequitur idem, eodem capite. Sed & cap. 31. describitur cædes Innocentium, ut in Evangelio. Math. 2. & eodem capite, prædicitur Virginitas Sanctissimæ Matris Dei, ad litteram, fœmina circumdabit virum, alia autem plura concedimus brevitati.

ARTICULUS III.

Prophetiæ Hieremiæ pars altera, seu Threni, vel lamentationes.

QUam futuram declamaverat, ibi præsentem plangit Propheta calamitatem, qui planctus, cum juxta communem sensum PP. sit verè propheticus, ad aliud deplorabile futurum respiciat, necesse est. Ideò Hieron. ibi in princi. tradit hujus libri summam in hunc modum. *Deplorat propheta ruinam universi populi, & subversionem perfidæ civitatis, quæ semper contraria Domino suo sentiebat, & præceptis suis adversabatur, ingrata beneficiorum Dei. Prophetas ejus, ipsumque hæredem novissimè trucidabat, unde in manus hostium tradita, devastata est, ut quæ prius diversis regnis, & provinciis imperabat, postmodum dura servitute premeretur*, quæ descriptio nil differt a parabola vineæ, quam Salvator proposuit de se ipso, cujus vinitores occiderunt prius servos, & denique ipsum hæredem Christum, ex quo Dominus vineæ malos malè perdidit, per Titum, & Vespasianum, & vineam suam locavit aliis agricolis, nempe Christianis, qui fructum reddunt temporibus suis, quibus dixit, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, & huc verè respexit hæc prophetica lamentatio, quam propterea legit Ecclesia in passione Domini &c. addit tamen Hieronymus loco citato, *Mysticè autem plangitur anima fidelis hominis, quæ quondam plena fuit numerositate virtutum, & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentiis carnis, postea verò a malignis spiritibus, flammis libidinis succensa, destituta Angelorum solatio, & carens divino consortio, tot servit sceptris, dedita, quot vitiis.* Primus sensus allegoricus, secundus Tropologic. seu moralis, in quibus & alii immiscentur.

Hic liber secundum Hieronymum, aliosque communiter, constat metro usitato, illo tempore, valde simili saphico; sed non constat qua arte, aut qua methodo in similibus procederetur, nisi quod secundum litteras alphabeti, quasi initiales ad singulas strophas, multiplicabatur poesis; ibique propterea 4. sunt capita, quasi quatuor ode, & quatuor alphabeta, quibus versibus hunc prophetam, ideo usum putamus, ut esset magis patetica, & luctuosa narratio, *neque enim*, ut dicit Paschasius, *eis usus fuit Propheta, ut quasi carmine luderet, sed quod humana sapientia, ultrò serviat divinæ.*

Quamvis autem aliqui non assentiantur, in prædictis litteris latere mysteria, eas tamen hic non esse otiosas, suasque proinde continere significationes seorsim positas, diversas ab iis, quas in dictionum compositione important, res ipsa declarat, & ita sentit Hieron. hic *in proæm.* omnesque ita debent sentire Catholici, qui nihil frustra a Spiritu Sancto dictum credere debent, ut vincat, cum judicabit nos de omni verbo otioso. Quæ igitur ex Hieron., aliisq; SS. PP. ad litterarum harum intelligentiam brevitas proferre concedet, afferemus. Hæ sunt litteræ seu elementa num. 22. & interpretationes earum.

Aleph - Beth - Ghimel - Daleth - He -
Doctrina - Domus - Plenitudo - Tabularum - Ista -
Vau - Zain - Heth - Teth - Jod - Caph -
Et - Hæc - Vita - Bonum Principium - Manus
Lamed - Mem - Nun -
Disciplina sive cordis - Ex ipsis - Sempiternum :
Samech - Ain - Phe - Zade -
Adjutorium - Fons, sive oculus - Os oris - Justitiæ
Coph - Res . Sin - Thau -
Vocatio - Capitis - Dentium - Signa.

Prima connexio est primarum quatuor litterarum, Doctrina, domus, plenitudo, tabularum, *quod videlicet Doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine divinorum.* Ita Hieronym., & quidem ita debet intelligi in omni tribulatione, *ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus*, secundum Apostolum : *Roman. cap.* 15.

Secunda connexio est, in quatuor secundis litteris. *Ista, &, hæc, vita. Quæ enim alia potest esse vita, sive scientia scripturarum, per quam etiam Christus ipse cognoscitur, qui est vita credentium?* Idem. Quo etiam respiciebat Petrus, cum Christo dicebat, *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes Jo: cap.* 15. & ipse Christus, *ego sum via, veritas, & vita. Joan. cap.* 14.

Tertia duarum; *Bonum, Principium.* Quia *quamvis nunc sciamus universa, quæ scripta sunt, tamen ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, & nunc *per speculum videmus, & in ænigmate, cum autem meruerimus esse cum Christo, & similes Angelis fuerimus, tunc librorum doctrina cessabit.* Hieron. cui quadrat, quod de Christo dicitur, magnum principium, & regni ejus non erit finis, & in Evangel. *ego principium, qui & loquor vobis, & in principio erat Verbum, & tecum principium in die virtutis tuæ.*

Quarta duarum. *Manus, Cordis,* sive *disciplinæ. Manus intelliguntur in opere, cor, & disciplina interpretantur in sensu, quia nihil facere possumus, nisi quæ prius facienda sunt, noverimus.* Hieron. quod explicat Psalmista. *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus, Psal.* 118. & idem prius eodem Psalm. 118. has omnes connexio-

nes complectens. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* A

Quinta trium. Ex ipsis, sempiternum, adjutorium. *Hoc explanatione non indiget, sed omni luce manifestius est, scripturis æterna subsidia ministrari.* Hieron. Unde *& Psal.* 118. *Os meum aperui, & extraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam, confirma me in verbis tuis. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Lex Domini immaculata, convertens animas, Testimonium Domini fidele &c.*

Sexta trium. Fons, sive oculus, oris, justitiæ, explicat hoc relative dicens, secundum id, quod in tertio numero exposuimus, & addit, *sapientia, Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, vel oculus oris, quia præceptum Domini lucidum illuminans oculos,* quia verbum Dei secum fert lucem, ut quod ex ejus ore, quod est os justitiæ procedit, videatur, B ipsumque ad intelligentiam veritatis est fons, & oculus, & os justitiæ, qui enim multifariè olim loquebatur PP. in Prophetis, novissimè locutus est nobis in filio &c.

Septimi quatuor, vocatio, capitis, dentium, signa. *Per dentes articulata vox promitur, & his signis ad caput omnium, qui est Christus, itur, per quem venitur ad regnum sempiternum.* Concludit autem ibi Hieron. *Hæc idcircò inseruimus, ut instruant lectorem, quo sciat, non frustrà, juxtà seriem litterarum, a Propheta hæc esse edita, sed universa, quæ scripta sunt, ad Christi Ecclesiæ pertinere sacramenta, cui addit Apostol. quæcumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam sunt. Non enim humana voluntate allata est aliquando prophetia, & ipse Christus, quasi ad hæc respiciens, quæ non sunt dictiones in se, sed* C *tantum elementa, & apices quidam, inquit Jota unum, aut unus apex non præteribit,* nec ergo fine mysterio positæ, nec sine ratione, ut canonicæ hæ litteræ habentur, in hac scriptura.

Quoad præfatiunculam, quæ Threnis præfigitur, jam supra diximus non esse partem Threnorum, nec proinde canonicam, ut probavimus, ideò non est immorandum.

Quo verò ad orationem, qua Threni concluduntur, quia eodem modo, & sub eodem argumento procedit, Expositoribus relinquimus declarandam, ne compendiolum suas metas excedat &c.

ARTICULUS IV.

D

Prophetia Baruch, Liber Sacræ Scripturæ XXIX. Hujus partis tertius.

De hoc libro, inquit Lyranus. *Si inspiciamus ordinem temporum, proximum habet locum post historiam Tobiæ, quæ contigit temporibus Ezechiæ. Fuit autem Baruch scriba Hieremiæ, & librum hunc (dempta epistola Hieremiæ) post Hierosolimorum destructionem descripsit, adjunxitque ad verba Hieremiæ quæ antea scripserat &c.* Aliqui autem videntur Baruch non admittere, quia ipsum simul ponunt cum Hieremia, in unum volumen, quod autem fit Hieremiæ, ideft ab ipso dictatus, quod plures volunt, parum interest: Communior opinio dicit, quod post Hieremiæ obitum, Baruch ex Ægypto ad Babylonem venit, eumque publicavit, post vastatam Hierusalem, anno quintò, qui fuit 23. Nabuchodonos. *Fuit verò Baruch frater Saraiæ principis, filius Neriæ, filii Maasiæ, ut habetur cap. 59. Hieremiæ, collato cum cap. 1. Baruch; fuitque discipulus, Scriba, & socius Hieremiæ, in omni tribulatione &c.* Augustin. *de civitate Dei, lib. 18. cap. 33. Baruch in lingua nostra, benedictus dicitur, qui erat filius Neri, qui interpretatur lucerna mea, dicente Propheta, lucerna pedibus meis verbum tuum, & lum. serm. meis Psalm. 118. animadvertamus ergo quantis virtutum privilegiis discipulus Baruch, Hieremiæ ministraverit, dicente David, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Hieron. in cap. 32. Hierem.

Prophetat ad litteram de Christo, ut suo loco vidimus, eoque utitur Epiphan. contra hæref. trigesimam, quæ est Ebionitar. illum ejus locum adducens. *Homo est, & quis cognoscet eum?* meminit etiam ejus: Cyrillus Alexandr. *lib. 10. contra Julianum Apostatam, illo loco, in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Argumentum seu summa libelli est; Multa prophetat, de invocatione divini nominis, de pœnitentia, & supplici oratione ad Deum, postquam subiicit salutarem admonitionem, & lamentum de malis, ultimò, consolationem, & promissionem jocundam, quæ refertur ad Christum liberatorem &c.

Additur epistola Hierem. in qua Hierem. innuit causam captivitatis, & dat spem liberationis, post decem generationes; instruit captivos, quomodo degerent in captivitate Babylonis, circa Religionem, abominatur Idololatriam, ejusque aperit falsitatem, & ignominiam &c.

ARTICULUS V.

Prophetia Ezechielis, liber Sacræ Scripturæ XXX. hujus partis quartus.

Ezechiel Sacerdos, de Tribu Levi oriundus secundum Hieron. cap. 14. Ezech. Serarensis, filius Buzi, quem aliqui dicunt fuisse Hieremiam, dictum Buzi qui interpretatur contemptus, eo quod a Judæis sperneretur. Sed hoc impossibile, nec admissum est a prudentibus, cum sit fabula hebræorum, de quo Cornel. Alapide. Ezechiel, Hebraicè Mesecel, fortitudo Dei secundum Gregori. in Ezech. hom. 2. & ob hoc dictum est ei, ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, ut silicem, & adamantem dedi faciem tuam, quia dura, quæ ventura erant locuturus erat, durus sibi, & aliis, idem Gregor. Sed & induratos Judæos impugnabat, ut frangeret obstinationem eorum, Hac de causa obsidionem eorum in latere descripsit, panem stercore boum coctum comedit, & super unum latus cubavit 390. diebus, cap. 4. Hac de causa describit currum bellicum Dei, cum Angelis bellum, vindictam, & excidium Judæis, aliisque geotibus minitantis. Origen. tamen, & Hieron. in cap. 47. Ezechielis hoc nomen interpretantur *Imperium Dei.* Quæres autem.

Quo

Quo tempore prophetavit? Abductus est in Babylonem, anno quo mortuus est occisus Joachim primus, & cæpit prophetare anno quintò postquam abductus est, qui fuit annus quin. regni Sedeciæ, qui annus fuit post Isaiam 199. post Hieremiam autem 34. Hieremias enim cæpit an. 13. Josiæ. Hierem. 1. a quo 13. anno ad 5. Sedeciæ, sunt 34. Ita D. Hieron. in cap. 1. Ezech. Ante Danielem annis 22. sed eodem tempore missus est Ezechiel, & post eum Daniel Judæi in Babylone, quo Hieremias pergebat ad prophetandum eis, qui remanserant in Hierusalem, nam ut ait Hieron. *in Ezech. cap. 12. Illius prophetia mittebatur ad captivos in Babylone, & hujus scilicet Ezechielis ad eos, qui habitabant in Hierusalem, ut unius in diversis regionibus Dei providentia probaretur, & intelligerent audientes, quæcumque accidebant populo, nequaquam Idolorum potestate, sed Domini jussione consistere &c.* Cum verò cæpit prophetare, erat annorum 30. ut communius dicitur, quia & in hoc esse debebat Christi figura, & Jo: Baptistæ, & prophetavit an. 22. cæpit ergo anno mundi 3312. ante Christum 632., mortuus anno mundi 3369. juxta computum magis probatum, quem sequitur Alap. obiit martyr, super lapides tractus, & excerebratus. Auctor operis imperfecti in Math. cap. 23. hom. 46. Sepultus est Babylonæ in sepulcro Sem, & Arphezed progenitorum Abrahæ. Rom. Martyrolog. 10. April.

Eumdem porrò habuit concionis suæ scopum, ac Hieremias, prædicit enim eversionem Hierusalem, & abductionem populi, & tanti mali causas, & suos concaptivos ad feriam hortatur pœnitentiam; missus enim fuit ad confirmandam Hierem. prophetiam, contra Ananiam, & Semejam, & alios Pseudoprophetas, qui læta populo prædicabant, contra Hieremiæ vaticinia, & insuper aliis gentibus, sicut Hieremias vaticinantur a cap. 25. ad 34. denique ultimis 14. captibus prophetat liberationem a captivitate, & reditum; Christi regnum, baptismum, vocationem gentium, & resurrectionem, ita & excidium Gog. & Mago. & suos solatur; cap. 40. & sequenti prædicit incendium urbis, ejusque & templi reædificationes, quas minutim describit per partes, & mensuras, quod mysticè respicit Christum, & Ecclesiam.

Alii etiam aliter partiuntur, & notant in primo ejus c. oraculum ingens de præpotente Deo, sedente super tronum in firmamento, quod imminebat 4. animalibus, quibus quatuor Monarchiæ significabantur. Cap. 1. cujus alias, & communiores expositiones ubique reperies.

Innuit multis parabolis, & figuris multitudinem peccatorum Hierusalem, & populi ejus, quibus tanta supplicia meruere, scilicet parab. vitis cap. 15. sponsæ deformis, cap. 16. aquilæ grandis, cap. 17. uvæ acerbæ, & agrestis, cap. 18. Leænę, & leonis, cap. 19. saltus, & nemoris comburendi, cap. 20. Gladii elimati, cap. 21. Scoriæ stanni, ferri, & æris, cap. 22. Duarum filiarum unius fœminæ, cap. 23. Ollæ æneæ, & animalis pinguis, cap. 24. Aliis etiam sublimibus figuris, divina attingit mysteria, ita ut Hebræi dicant, ejus libros esse quamdam legem absconditorum divinitatis. De curru rotis, & animalibus oculatis, aliisque arcanis figuris, pulcrè D. Gregor. aliique Interpretes, unde S. Hieron. Ezechielem vocat, *Scripturarum oceanum, & mysteriorum Dei labyrinthum, in cap. 47. ejusdem*, etsi autem differat in sublimitate, & multiplicate figurarum, quia tamen eadem in substantia dicit saltem plurima, quæ Hieremias, unde aliquando eadem ferè videantur verba, ideò quæ de illo dicta sunt, huic etiam applicari possunt &c.

Sed quæres, quænam causa est obscuritatis, quę tanta est in Ezechiele, quanta in nulla ex aliis Prophetiis. Respon. etiam provenire ex parabolis, & figuris valde latentibus. Sic autem dici oportebat ob duplicem rationem, primo adhoc ut majestatem Dei latentem timerent carnales populi, qui Deum contemnebant. Secunda quam communiter PP. assignant, quia nec decebat consilium Dei manifestari clarius, degentibus inter Gentiles, qui irriderent divina mysteria, quę sine fidei principio non capiebant.

ARTICULUS VI.

Prophetia Danielis 4. inter Prophetas Majores Liber Sacræ Scripturæ XXXI. hujus partis quintus.

Daniel *Propheta, ex Tribu quidem fuerat Juda, genere optimatum, regiæ administrationis, filius adhuc Pusio, è Judæa in Babylona perductus est, prognatus autem in Bethebero superiore, haud procul ab Hierosolymis*, Epiphan. de vita, & morte prophetarum &c. *Fuit de genere David*. Hieron. *hic in princ. Vir aspectu quidem aridissimus, ac squallore obsitus, in favore autem, ac gratia Domini, per quam speciosus*. Epiphan. *Quoniam cum esset spiritu Dei plenus, & prophetiæ munere condonatus, quæ hominibus cæteris fiebant incognita, ipsi Deus demonstrabat*. August. de mirab. Sacræ Scripturæ, de cujus vita, pietate, ac jejuniis, & aliis dotibus pręclaris, agit Jo: Chrisost. de incomprehens. Dei natura, hom. 3. Interpretatur Daniel *Judicium Dei*, vel ut vertit Hieronym. *Judicavit me Deus*, multiplicia enim judicia, pręsertim circa plures Reges, & regna, hoc opere attigit. Ex Daniele Baltassar vocatus fuit, cui hoc nomen dedit, vel Rex Nabuchodonos. ut refert Joseph lib. 10. cap. 12. vel Eunuchus, cui puerorum erat cura, ut vult Ludovicus Vives, ad August. de civitate Dei, lib. 18. cap. 34. ab Archangelo Gabriele dictus, *Vir desideriorum*, sive amabilis, & Dei amore dignus, Dan. 9. ubi Hieron., *& hoc nomine hodie a SS. PP. solet appellari*. Origen. *in ad Rom. lib. 6. cap. 8.*

Erat annorum 20. ut probabile creditur, cum fuit ductus in Babylonem. Natus ergò erat anno mundi 3320. ante Christum 630. Cępit prophetare juvenis, cum senes convicit, in Judicio Susannę, Juxta computum Corn. Alap. Interpretatus est somnium primum Nabuchodon. cap. 2. & secundum, quod habetur, cap. 4. anno ętatis 55. visionem, cap. 7. habuit, an. 63. aliam visionem, cap. 8., an.

an. ætatis 65. Scripturam manus in pariete explanavit an. ætatis 96. Tempus adventus, & mortis Messiæ, 70. hebdomadibus inclusum, fuit ei revelatum, anno ætatis 97. qui fuit primus Darii Regis Medorum, alias visiones, cap. 10. & 11. habuit, anno ætatis 100. Quæ referre placuit, ne contingat error in computo, 70. hebdomadarum. Si cui placet inquirere rursus inextricabile mysterium, de quo egimus supra, cum de Christo ad litteram diceremus. Contemporaneus fuit Hieremiæ, & Ezechielis. Mortuus est Babylone, noluit enim redire cum Esdra, ut negotiis gentis suæ assisteret apud Regem, sepultusque est regio honore, plenus dierum, annum 100. superans. Infinitas ejus laudes congerit Doroth. in Synopsi, & Epiphan. loco citato, ut quod fuit cronologus certissimus illius ævi celeberrimus, & omnium hominum tunc longè sapientissimus; semper Virgo, & sanctus, & abstinentissimus, multæque pœnitentiæ austerus.

Dividitur hæc prophetia in primam partem, in qua ostenditur, Danieli fuisse collatum donum intellectus, & sapientiæ cap. 1. ut posset intelligere somnia, de quibus cap. 2. & supra vidimus, & visiones &c. cap. 3. & andita, cap. 4. & scripta, cap. 5. Refertur ejus sanctitas; quia enim adorare noluit Regem, sed solum Deum exorare, missus est, ex insidiis accusatorum, in lacum leonum, ubi plura miracula bonitatis, & justitiæ Dei, cap. 6. Exprimitur prophetia statuæ de successione quatuor regnorum, & exponitur, & de 4. bestiis &c. & de regno Christi prophetat, tamquam quinto, cap. 7. De destructione regni Medorum, & erectione, sive introductione regni Græcorum, sub figura arietis, & hirci, cap. 8. De reductione Judæorum ex captivitate, & ibi tam propheticè, quam quasi historicè, & cronologicè, de adventu Christi, & ejus morte, cap. 9. De devastatione regni Græcorum, & persecutione Machabæorum, & de Antichristo, cap. 10. & 11. De resurrectione, & judicio extremo, cap. 12.

Et secundam, quæ aliquando dubia fuit, nunc autem canonica, quæ continet hymnum trium puerorum, cap. 3. Historiam Susannæ, cap. 13., & narrationem de Bele Idolo, & Dracone, cap. 14. De quibus quid senserit Hieronymus constat, ex Apologia contra Ruffinum, ubi sic de illo conqueritur. Quod autem refero, quod adversus Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis, draconisque fabulas, quæ in hebræo non habentur, hebræi soleant dicere; qui me criminatur stultum, se sycophantam probat. Non enim quod ipse sentirem, sed quid illi, contra nos dicere solerent explicavi &c. Hymnum trium puerorum Concilium Toletanum complectitur, & laudat, & D. Joan. Chrisost. T. 1. per duas homilias commendat. De historia Susannæ, Orig. *Nos hanc, & suscipimus, & opportunè contrà eos* (scilicet hebræos) *proferimus*. Augusti. hanc, & Belis historiam totumque cap. 13. Daniel. exponit, tractat. 36. In Ev. Joa.

CAPUT VII.

De Prophetis Minoribus. Notationes generales.

Eodem ordine hos collocat Ecclesia, & vulgata, quo & Hebræi, & Hieronymus; quamvis autem varient in hoc septuaginta Interpret. non est curandum. Advertit autem Glosa, 1. Regum c. 3. quod ex his posteriores, ad tempus Christi appropinquantes, habuerunt clariores revelationes de Christo, quam priores. Ad intelligendas verò eorum prophetias, maximè præ oculis habenda est, diversitas Regum Juda, & Regum Israel, quos supra dedimus, secundum eorum respectivam successionem; qui enim hanc distinctionem non attendit, facilè confundetur, nec intelliget. Et quia in eorum prophetia aliquando sermo est, de decem Tribubus, aliquando verò, de duabus, aliquando etiam de omnibus simul, Ideò notandum est, quod quando ad decem Tribus tenditur prophetia, illæ sub his nominibus designantur, idest Ephraim, Samaria, Israel, Joseph, Jezrael, Bethel, Bethaven, & interdum Jacob; quando verò ad duas tribus sermo est, sub his nominibus procedit, Juda, Hierusalem, Beniamin, Domus David, & interdum Jacob; quando ad omnes, quod rarum est, utitur nomine Israel &c. quæ est communis advertentia.

In tria officia, minores prophetæ dividuntur. Alii habent officium comminantis captivitatem, ut Oseæ, utrique regno, scilicet Israelitico, & Judaico; Joel soli Judæ; Amos utrisque, & vicinis etiam regnis; Michæas, Regno Israelitico. Alii habent officium consolantis Judæos, alios verò increpantis, ut Abdias, qui prophetat contra regnum Idumæorum, natorum de Esau, Jonas, qui clamat contra Niniven, & regnum Assyriorum. Naum contra eosdem. Abacuc contra Caldæos, captivantes alias 2. Tribus. Alii officium revocantis de captivitate; ut Sophon. qui liberationem prædicit. Aggæus, & Zacharias, qui prædicant præsentem, & reditum ad ædificandum civitatem, & Templum; Malachias ad eam posterior, hortans ad pietatem. De quibus omnibus Hieron. ad Paulinum; *duodecim Prophetæ inter angustias unius voluminis coarctati, multò aliud, quam sonant in littera, præfigurant*.

ARTICULUS I.

Prophetia Oseæ, qui primus est, & re, & ordine, Liber Sacræ Scripturæ XXXII. hujus partis sextus.

Oseas, hebraicè Hoseah, secundum Origen. interpretatur *servatus*, vel *putei filius*, quia filius Beeri, quę vox sonat puteos, efficitur enim quilibet servatus putei filius, quia sapientia Dei ex profundo scaturit, & homo per baptisma salvatur. Hieronymus interpretatur, *Salvatorem in prolog. in Joel.*, quia grçcè dicitur Zozon, quod idem

idem est ac *Salvator*, fuit ex Tribu Isachar. primus A omnium Prophetarum ibi, cap. 11. cępit Prophetare an. mundi circiter 3136. ante Christum 814. sub initio regni Oziæ, & prosecutus est secundum Hieron. sub eodem Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia Regibus Juda, & sub Jeroboam Rege Israel, filio Joas. *Contemporanei ejus fuerunt. Isaias, Joel, Amos, Abdias, Jonas, & Michęas.* Hieron. *in Ose. cap. 1. prædixit Judæos, in ultimo tempore redituros ad Christum, prophetavit contra decem Tribus de eorum fornicatione, & interim Samariæ, pauca loquens de duabus reliquis.* Glos. *hic cap. 1. Prædixit Dominum cælitus venturum in terram, & hoc forè indicium adventus ejus, si quercus illa in Selom fundatur a se ipsa in portiones bis senas, & fierent totidem quercus, & accidit ita.* Epiphan. *de vita, & morte Prophetarum.* Obedivit Deo, sumens revera uxorem fornicationum, ut denotat B simplex narratio facti, quo, hoc mysterio factum sit mox dicetur. Notat hic Alapid. Isaiam, Josue, & Oseę, idem nomen Jesu habuisse, quod est Salvator, ut dictum est, & quidem appositè, nam & Oseas, optat, oratque Dominum dicens. *Salva nos Domine, ab Assyriis, & Caldæis,* & maximè a peccato, & morte per Messiam, quem missurus est; qui est finis hujus etiam prophetiæ.

Quoad argumentum; primo, prędicit Israelitarum carnalium excidium, & spiritualium Israelitarum prçsertim Gentilium vocationem, & electionem, eisque Christum consolatorem, & Salvatorem promittit. Secundò continua oratione Idololatriam, & alia peccata populi acriter reprehendit, minando eis ultimum excidium, & Judicium extremum C prophetando, in quo dicent montibus, operite nos, & collibus cadite super nos, quod ad litteram assumitur in Evangelio, pro ultima die, Tertio Dei clementiam, gratiam, & gloriam, idest Redemptionem Christi pœnitentibus promittit. Dicens ero mors tua, ò mors, & Christi resurrectionem, morsus tuus ero Inferne cap. 13. immò etiam Incarnationem cap. 14. *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium &c. Porrò pateticus est Osee, ideoque commaticus idest concisus,* ait Hieron. *Agit enim personam Dei, qui quasi sponsus, sponsam Sinagogam deperiens in adulterio, modo irascitur, & minatur, modo zelat, & amat, indeque obscurus est, quia affectus nunquam plenè exprimuntur,* unde August. *lib. 18. de Civitate Dei, cap. 28. Osee Propheta, quanto pro-* D *fundius loquitur, tanto operosius penetratur.* Dixit ei Deus, vade, sume tibi uxorem fornic. &c. & ita executus est. Oseę repręsentat Deum, uxor meretrix Sinagogam, filii Infames Israelitas, quod explicat ipse subdens, quia fornicans, fornicabitur terra a Domino, huc respicit Apostol. ad Roman. cap. 10. & 11. ut notant aliqui, & plura de hoc mysterio dicunt omnes Expositores; prolixè admodum Petrus Aureolus, & cum ipso Georg. Ederus, partitur materiam, & dicta hujus prophetię, sufficit breviter notare, ultra ea quę diximus, quod Oseę multiplicem hic gerit personam, primò, Vatis, futura in se ipso antequam fiant pręsignantis, facto, & dicto, cap. 1. & 2. & 3. Secundo, Judicis in Judicio contendentis cum eis, contra quos prophetabat, a cap. 4. ad cap. 8. Pręconis, seu tubę sonitu clangentis, cap. 8. & 9. Patris, expostulantis cum filiis, ob declaratam de beneficiis, quę ibi narrat pręcipua, ingratitudinem, a cap. 10. ad cap. 14. Amici familiariter, & amanter consulentis, cap. 14., & ultimo. In prima prędicit illuminationem reliquiarum ex Judęis, scilicet Apostolorum, & Judęorum in Christum credentium, c. 1. & iterum reversuros Judęos ad David regem suum, scilicet Christum. Iterum etiam in secunda ostendit eos olim ad Christum reversuros, & ejus opem imploraturos, ad fin. cap. 5. & per cap. 6. Ubi de Christi ęterna generatione, & temporali nativitate, & resurrectione, aliqua. Tertia tota est objurgatoria contra decem Tribus, prędicens 6. mutationes in malum &c. In 4. narrat beneficia antiqua notissima. In ultima profert divinam promissionem de redemptione, & animum legentis applicat ad diligentem attentionem eorum, quę hic continentur &c. fuit sanctus &c. Vide Alapid. & Ederum.

ARTICULUS II.

Prophetia Joelis, liber Sacræ Scripturæ XXXIII. hujus partis septimus.

JOel Propheta, filius Phatuel, de Tribu Ruben, natus dicitur in agro Bethoron, ubi etiam in pace mortuus est, & sepultus. Epiphan. de vita &c. Prophetavit ad duas tantum Tribus, secundum Hieron., hic cap. 1. Sub Joatan secundum August. quod extendit Hieron. etiam sub Achaz, Ezechia, & Jeroboam. *Eadem* inquit *tempora debemus in hoc accipere, quæ & in Oseæ legimus.* Interpretatur *incipiens*, quasi initium fuerit prędicationis id, quod annunciavit, scilicet adventus Spiritus Sancti.

Summa prophetiæ ejus, sumitur ex prologo tertio in hunc Prophetam, describit terram 12. Tribuum, Erucha, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam, & post eversionem prioris Populi effusum iri Spiritum Sanctum super servos Dei, & ancillas, idest super 120. credentium nomina, & effusum iri in cœnaculum Sion.

Porrò duas Propheta sumpsit sibi partes. In prima minatur toti regioni Judeæ, devastationem, cap. 1. per tot. Sion, & Hierusalem obsidionem, cap. 2. perturbationem, & depopulationem, eodem capite. In secunda parte consolatur hortando ad pœnitentiam cap. 1. Repromittendo benevolentiam, & abundantiam post reditum de captivitate eodem capite. Spiritus Sancti missionem in filios Judæorum scilicet Apostolos effundendi, eodem capite. Vindictam divinitus faciendam in judicio, in omnem gentem, cap. 3. Bonis gloriam, & malis pœnam, a Judicio, æternam, eodem capite ultimo. Loquitur autem de captivitate Babylonica, quia Assyriaca, qua diruta est Samaria, jam contigerat.

AR-

A

ARTICULUS III.

Prophetia Amos. Liber bibliæ trigesimus quartus, hujus partis Propheticæ octavus.

Amos Propheta è Tecue oppido, oriundus est, de Tribu Zabulon. Epiphan. loco sæpè citato, *quem Deus, de grege caprarum extulit ad Propheticam dignitatem.* Bas. Mag. *epist.* 55. Sic enim de se ipso ipse testatur cap. 7. missus est, ut in Samariam Prophetaret, quamvis & aliqua ad Judam. Tecue est ultimus vicus, sex milliaribus distans a Betlhem, ex parte meridionali, post quem non invenitur habitatio, usque ad terminos Ethiopiæ, & Persarum, eum vastissima sit solitudo, solis apta pastoribus cum sit terra sterilis. Hieron. Ibi postea multa millia Monachorum habitaverunt, notat Alapid. qui a Saracenis sunt interfecti &c.

Quòd autem Amasiæ Sacerdoti Bethel, ipse respondit, *non sum Propheta* d. cap. 7. *neque filius Prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans Sicomoros.* B. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 41. ideò fecisse putat, ut ostenderet se tum sensisse, sibi tunc deesse spiritum prophetiæ. Ordine antiquitatis fuit secundus, inter Prophetas, statimque sequitur ad Oseę, illi enim coævus, cum eo prophetavit, cæpit enim anno 25. Oziæ sub quo Isaias etiam cæpit. Hieron. In If. lib. 3. cap. 7. ut ipse scribit cap. 1. *Prophetavit tamen etiam sub Jeroboam filio Joas Regis Israel, aliquanto ante Isaiam. Invehitur contra gentes, quas nominat, scilicet contra Damascum, Gazam, Ascalon, Azotum, Accaron, Tyrum, Idumaam, Theman, filios Ammon, & Moab.* Athan., *in synopsi, maximè contrà decem Tribus. Et est hic primus; qui dixit contra Israel, clamans, Israel autem captivus ducetur, de terra sua.* Hieron. *in Isai. lib. 3. cap. 7. Hunc Amasias Sacerdos Idolorum, frequenter afflixit, tandem filius ejus Ozias vecte per tempora transfixit, post hac semivivus in terram suam reversus post aliquot dies dolore vulneris expiravit, sepultusque est cum patribus suis* Epiphan. Argumentum; Tota ferè hæc prophetia versatur in minis propter peccata Idolatriæ, impœnitentiæ, injustitiæ, affectatæ ignorantiæ, & potissimum immisericordiæ, propter quæ minatur utrique Populo captivitatem, Assyriacam Israeli, Babylonicam Juda, & negationem misericordiæ Dei, obstinatis, & tandem more prophetico læta tristibus miscet, promittens Messiam. *In die illa suscitabo Tabernaculum David.* Arias censet, hunc per triennium tantum prophetasse, scilicet, quòd præcessit terræ motum, & lepram Oziæ Regis, ob quam fuit exclusus a regno &c. Amos interpretatur, *portantem &c.*

ARTICULUS IIII.

Prophetia Abdiæ, liber Sacræ Scripturæ trigesimus quintus, hujus partis nonus.

Abdias Propheta, *qui interpretatur, servus Domini. Ex famulatu Dei nomen accepit.* Hieron. *in. ad Titum post princip. Originem duxit ex Sichem agroque Betachamar.* Epiph. *fuit discipulus Eliæ, & cum, illius nomine multa passus esset, servatus est. Tertius fuerat ex quinquagenariis, cui Elias pepercerat, descenderatque ad Ochoziam, ac ministerio Regis postea relicto, prophetiæ gratiam aquisivit.* Doroth. *lib. de vita, & morte Prophetarum;* addit

B

Hieronymus ex traditione hebræorum hic: *Hunc ajunt esse hebraum, qui sub Rege Samariæ Achab, & impiissima Jezabel pavit centum Propheeas in speluncis, qui non curvaverunt genu Baal. Hic igitur, quia pavit centum Prophetas, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus, fit dux Ecclesiæ; sepulcrum ejus usque hodie, in Sebaste, ubi & Eliseus, & Baptista sepulti sunt, venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes in honorem Augusti Cæsaris Sebasten appellavit idest Augustam.* Hæc autem Hieron. ait ex sententia hebræorum. Revera ignoratur tempus ejus prophetiæ, ut fatetur August. lib. 18. de Civitate Dei, cap. 31. addit autem; Abdiam, Eusebius, Micheæ jungit, sub Regno Josaphat, de Abdia rectè, non de Michea, qui de se testatur oppositum. Alapid. docet,

C

eum sub tempus Hieremiæ prophetasse &c. Visionem autem annunciat contra Idumæos, qui Israeli insultabant, prædicit enim futurum, ut Domus Esaù a posteris Jacob expugnetur, Athanas. in synopsi. De hoc Hieron. *ad Paulinum, personat contra Edom sanguineum terrenumque hominem fratris quoque Jacob semper æmulum, hasta percutit spirituali. Arguit igitur Idumæos de superbia, scientia vana, & invidia contra Jacob: promitteit filiis Jacob, quoad Tribum Juda durationem perpetuam, & Jesu Christi Salvatoris præsentiam in monte Sion &c., & in monte Sion erit salvatio &c.*

ARTICULUS V.

Prophetia Jonæ liber Sacræ Scripturæ trigesimus sextus, hujus partis decimus.

D

Jonas Propheta, qui *columba* interpretatur, & *dolens.* Teste Hieronymo in cap. 1. Jonæ, *patria fuit ex terra Cariathmaurum, haud porrò ab Azoto urbe graecorum, mari vicina,* Epiphan. *filius Amathi Prophetæ, idest veritatis, qui fuit de Geth, in Opher. Tradunt hebrai, hunc esse filium viduæ Sareptanæ, quem Elias mortuum suscitavit. Porrò Geth in secundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea, euntibus Tiberiadem, haud grandis est viculus, ubi & sepulcrum ejus ostenditur.* Hieron. *hic in proæm.*, & Augustin. de mirab. Sacræ Scripturæ, *lib. 2. cap. 17. temporibus Jeroboam Regis Israel filii Joas, Jonam Prophetam fuisse 4. l. Regum indicare videtur. Traduntque hebrai Oseę, Amos, Isaiam,*

Isaiam, & Jonam iisdem temporibus prophetasse idem (A) Hieronym. ibi &c. Prophetavit Ninivitis ex jussu Domini; summa prophetiæ: describit se ipsum Domini imperio resistentem, a prin. cap. 1. eamque ob causam in mare projectum, orta tempestate, & culpam suam confessum, eodem cap. In utero cæti receptum, & inde exisse post 3. dies, cap. 2. denique obedientem, & prædicantem Ninivè, cap. 3. crediderunt Ninivitæ, nec damnati sunt. De non impleto oraculo doluit, & erubuit quasi de mendacio, cap. 4. deinde Dominum ipsum demulcentem, signo Ederæ, statim ennatę, quæ æstu percussa exaruit, ostendit cap. 4., & ultimo. Fuit evidens prophetia de Resurrectione Christi &c.

ARTICULUS VI.

Prophetia Michea, liber Sacræ Scripturæ trigesimus septimus, hujus partis XI.

M*Icheas Morastites Propheta, de Tribu Ephraim oriundus, qui interpretatur humilis, & tobæres Christi*. Epiphan. &c. *tanto ardore complexus est suos; ut anathema esse optaret pro fratribus*. Hieron. *in Mich. lib. 1. cap. 2. Micheam Oziæ temporibus non prophetasse, sed filii ejus Joathan, post quem regnavit Arbaz, Ezechia in patris Arbaz imperium succedente, sub quo, decem Tribus, ab Assyriis in captivitatem ductæ sunt*. Hieron. *in 1. cap. hujus libri*. Concordat etiam Augustin. de Civitate Dei lib. 18. cap. 27. *prophetavit contra Hierusalem, & Samariam, & Prophetas, Populi seductores, & contra Arbab: prænunciavit etiam adventum Salvatoris, dicens, in posterioribus diebus, illustris erit mons domus Domini*. Athanasius in synopsi.

Duo facit in sua prophetia: comminatur mala filiis Israel propter peccata Idolatriæ, & calumniæ, & peccata Regum, a primo ad 3. caput. Secundò consolatur, promittens salutem, & Redemptionem Christi fore universalem omnibus, cap. 4., & ibi agit de vocatione Gentium, & Judæorum multorum. De potestate regni Christi, idest Ecclesia primitiva, futura in Sion, ubi Apostoli Spiritum Sanctum reciperent, & demum de exilio Caldæorum, & Babyloniorum. Item exponit nobilitatem Christi, toto cap. 5. ubi agit de patientia Christi, de ortu ejus in Betlehem, de ejus generatione æterna a Patre, ac de ejus Virgine (D) Matre, & denique de vocatione, dispersione, & triumpho Apostolorum &c., cap. 6. de legis Christi suavitate, ejusque consiliis, cap. 7. de scandalo, & excæcatione Judæorum, & concludit orans ferventer Christum, ut revertatur ad gregem suum, & hæreditatem suam.

Dabis veritatem Jacob, & misericordiam Abraham.

ARTICULUS VII.

Prophetia Nahum. Liber Sac. Script. trigesimus octavus, Hujus partis undecimus.

N*Ahum Propheta, qui* Consolator *interpretatur, natus est ab Elkesi, trans Jordanem, versus Begabar, de Tribu Simeon, atque hic est Propheta ille, qui post Jonam ostentum, ac prodigium dedit super Ninive, quòd ab aquis dulcibus, igneque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit, quippe eam ex terræ motu, igne undique ambiente, mox etiam aqua, de solitudine superveniens, sublimiores etiam omnis urbis locos occupavit*, Epiphan. *loco sæ-*
(B) *pè citato*. Notat autem hic Alapide quod post Jonam, Ninive acta pœnitentia liberata est, a minis illius, postmodum iterum facta peccatrix punita est, ab Arbace Medo, qui compulit ejus Regem Sardanapalum se interficere. Verum iterum refloruit, pluresque habuit potentissimos Reges, Phul, Teglatphelasar, Salmanasar, Senacherib, & Assaraddon, qui Israelitas vexarunt, ut patet lib. 4. Regum, iterumque sua repetiit scelera, unde missus est Nahum post annum sextum Ezechiæ, scilicet post abductas decem Tribus in Assyriam, quod dicto 6. anno contigit, sed ante annum ejusdem 14., quo Senacherib invasit Judæam, & obsedit Hierusalem; quòd hic prædicit Nahum, & ab eo liberationem. Prophetavit igitur anno mundi cir-
(C) citer 3320., post Jonam verò 96., & hæc prophetia impleta est, post 138. ann. tunc enim eversa est Nivive a Caldæis. Dorotheus autem asserit Nahum de resurrectione prophetasse. *Tota moralis est prophetia, seù comminatio eversionis, facta Ninivè propter peccata. Inscribitur hæc prophetia, onus Ninive, eo quòd eam, adversus quam videtur premat, nec sinat elevare cervicem*. Hieronym. hic *ad Paulin., & Eustorb.* Idem etiam, hanc prophetiam secundum Analogen exponit, de consumatione mundi, in consolationem sanctorum, ut quæcumque in mundo vident, quasi prætereuntia, & caduca contemnant, & præparent se ad Judicii diem, ubi ultor adversum veros Assyrios futurus est Christus hic in proæmio: *Expiravit autem Nahum animam in pace in Begabar; sedibus ille suis placidus in*
(D) *morte quiescit*. Epiphan.

ARTICULUS VIII.

Prophetia Abacuc. Liber Sacræ Scripturæ trigesimus nonus. Hujus partis decimus tertius.

ABacuc Propheta, ex agro Bezochar, è Tribu Simeon oriundus, secundum Epiphanium, *qui, vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur amplexatio, vel quòd in certamen, & luctam, & ut ita dicam amplexum congreditur cum Deo, amplexantis, idest luctantis sortitus est nomen*. Hieronym. hic *in prologo ad Cromatium*. Sentit idem Hieron. hunc esse illum, qui portatus ab Angelo, tu-

sit Danieli prandium Messorum, ad lacum leonum, ideoque contemporaneum Danieli. Sed Alapide negat, quia facto computo, tunc Abacuc fuisset 100. annorum, quòd ei videtur incredibile, sed ratio ista non videtur sufficiens ad multiplicandum Prophetas, & potest adhuc stare, cæpisse prophetare, post annum sextum Ezechiæ contemporaneum Nahum, & sub Manasse ejus filio, ut plurimi volunt. Prophetavit ergò, secundum Hieronymum, statim post Nahum contra Nabuchodonosor, & Babylones, qui vastaverunt duas Tribus; sicut Nahum contra Assyrios, qui vastaverant decem. *Cum de adventu Domini non pauca vaticinatus esset, biennium ante quam populus è Babylone rediret, mors eum occupavit, & magnis honoribus in agro suo sepultus est.* Epiphan.

Summam hujus prophetiæ sic colligit August. *lib.* 18. *de Civitate Dei cap.* 31. *Abacuc, de quo alio, quam de Christi adventu, qui futurus erat, intelligitur dicere, & respondit Dominus, & dixit ad me, scribe visum apertè in buxo, ut assequatur, qui legit ea, quia adhuc visio ad tempus, & orietur in fine, & non in vacuum, si tardaverit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

Continet hic liber tria. Primò interrogat Deum, conquerens Propheta valdè confidenter, cap. 1. cur sinat pios ab impiis opprimi, & Nabuchodonosorem adeò erigi, qui suam potentiam, suo adscribit idolo. Secundò, cap. 2. parat se ad accipiendum, & accipit divinum responsum, quòd est de destructione Regni Caldæorum, ob plura vitia. Tertiò gratias agit Deo, per canticum cap. 3., in quo agit de Incarnatione, & prædicatione Christi, dicens tempus, locum, & modum. Item de passione ejus, de mortis destructione, & Christi Resurrectione, de spoliatione Inferni, conversione totius orbis ad ipsum, de judicio extremo, de liberatione populi causa Christi venturi, de nomine, & titulo Christi. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo &c.*

ARTICULUS IX.

Prophetia Sophoniæ. Lib. Sac. Scripturæ XL. Hujus partis decimus quartus.

SOphonias Propheta Sarabathides, sive a monte Sarabatha è Tribu, & prosapia Simeon, secundum Epiphan. qui nomine prophetico, gloriosa Majorum stirpe generatus est; Habuit enim Patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam, omnes Prophetas, juxtà regulam, qua dicunt omnes majores, quos in titulo nominat Propheta aliquis, Prophetas fuisse, *& talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit* Hieron. *cap.* 1. *in hunc Prophetam*, & addit; *Nomen Sophoniæ, alii speculum, alii arcanum Domini transtulerunt, utrumque Prophetæ convenit, dicitur enim ad Ezechielem, speculatorem te dedi domui Israel.* Idem ad Paulinum, *Sophonias arcanorum Dei cognitor, haurit clamorem a porta piscium, & ejulatum a secunda, & contritionem a collibus &c.* concludit vero Epiphan. *Is quoque de Hierosolima prophetavit*

A *ædificanda, & super consumatione Gentium, & confusione impiorum, dequè adventu Domini. Vitam morte commutavit in Apocalypsi Domini, & solitarius, in agro suo funeratus est.* Prophetavit in diebus Josiæ filii Amon Regis Juda. Hic cap. 1., & eodem tempore Hieremię, scilicet post vastatam Samariam, & ante captivitatem Babylonis, & ideò solis 2. Tribubus, Juda, & Beniamin. Has hortatur ad poenitentiam, minando inevitabile excidium per Nabuchod. &c. ita & Ammonitis, Moabitis, Æthiopibus, & Assyriis. Inde consolatur eos, spe liberationis, ac magis promissione Christi Salvatoris omnium, ejusque Evangelicę legis, duraturę ad fęlicitatem omnium, usque in finem mundi. De ultima autem die, terrifico intonat clamore, ut moveat ad poenitentiam, omninò similis Joeli, cujus propterea dicitur abbreviator. Hęc ex Hieron., & Athanas. Notabilius in hoc Propheta est, quod prędicit, & promittit Christi pręsentiam, & ad ejus pręsentiam excęcationem Judęorum, multos tamen eorum jungendos veris fidelibus, tandem gloriam canit novę Ecclesię, & hoc a cap. 2. *Veh provoca*, ad finem usque prophetię.

B

ARTICULUS X.

Prophetia Aggæi. Lib. Sacræ Scripturæ quadragesimus primus. Hujus partis decimus quintus.

C AGgęus, qui interpretatur festivus, & lętus, secundum Hieronymum, adhuc juvenis cępit prophetare, cujus nec patria, nec pater narratur. Prophetavit paulò post reditum populi de Babylonia; ad intelligendam ejus prophetiam sciendum est, quod duę Tribus post 70. annorum captivitatem 1. anno Cyri Regis dimissę sunt, & cęperunt ędificare templum, sed cęso a Tomiri Scitharum Regina Cyro, successit ei Cambises, seù Assuerus, vel Artaxerses ejus filius, qui persuasus a Saraballat, & aliis Samaritis, hostibus Judęorum (primus post captivitatem, in Hierusalem cecinit, Alleluja) interrupit illam ędificationem. Esdr. 1. cap. 4 Quocircà suscitavit Deus Aggęum ut suaderet Zorobabeli, & Josedech Sacerdoti magno, ut iterum templum ędificarent, contrà edi-

D ctum Regis. Erat tunc annus 2. Darii Regis, quem Deus movit, ut curaret, templum reędificari. Prophetavit igitur anno ante Christum 518. Ejus prophetia 4. habet partes. In prima reprehenditur torpor eorum, qui ędificabant sibi, post reditum, palatia, & non curabant de Domo Domini ędificanda, in secunda Deo hoc displicuisse, 3. est exhortatio ad opus. 4. promittit Zorobabeli fabricam reassumenti, Christum ex eo descensurum, qui per se templum decorabit doctrina, & miraculis, eritque gloriosius Salomonico &c.

A R-

ARTICULUS XI.

Prophetia Zachariæ. Liber Sacræ Scripturæ quadragesimus secundus. Hujus partis decimus sextus.

Zacharias qui interpretatur, *memoria Domini*, filius Barachiæ, filii Addo, de Levitico genere, secundum Cyrillum, Levita, Sacerdos, Doctor, & Propheta populi, anno 2. Darii Regis, cum Aggæo, post quem duobus mensibus cæpit; prophetavit in Judæa, & Hierusalem, de domo Dei ædificanda; De hoc scrib. Epiphan. & Doroth. quod in reditu, multa populo prophetavit, & miraculis firmavit, qui prophetavit Salatiel, filium ejus Zorobabel, item de Cyro Rege Persarum, & contra Cresum Lydorum tyrannum, & Astiagem Medorum, & cum Aggæo Senex in Judæa humatus est. Hæc tamen ex ejus libro non constant. Sed quædam per traditiones creduntur. *Hic Propheta abundat visionibus, & symbolis, ut constat ex toto libro. Jam videt quadrigas, jam cornua, nunc septem oculos, nunc amphoram, occlusam talento plumbi, nunc candelabrum septifidum, jam fabros, jam olivas &c.* Alapide hic: unde Hieronymus *ad Paulinum. Zacharias idest.* memoria Domini *multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis &c. & post equos nigros, rufos, albos, & varios, & dissipatas quadrigas, ex Ephraim, & equum de Hierusalem; pauperem Regem Christum vaticinatur, & prædicat sedentem super pullum &c.*

Argumentum ejus est, simul cum Aggæo animare principes, & populum ad restituendum templum. 2. hortari, ne Idola adorent, ut Patres eorum, ne sicut illi puniantur. 3. eventus varios, Judæis obventuros prædicit, usque ad Christum, & quatuor Monarchiarum successiones, quæ desinent in Christi regnum. 4. promittit Christum, & ejus refert vitam, & mysteria, quasi Evangelista. Describit ejus triumphalem ingressum in Hierusalem. Proditionem Judæ, institutionem Eucharistiæ, ejus passionem, & plagas manuum, descensum ad Inferos, resurrectionem, & gloriam; Judæorum reprobationem, gentium vocationem, Ecclesiæ institutionem, dilatationem, sanctitatem, & felicitatem, & persecutorum ejus perditionem. Hoc verò prophetat stylo verè prophetico, per hieroglifica, ænigmata, parabolas, & sententias, ita obscurè, ut de eo Hieronym. *in prologo* dixerit, *ab obscuris ad obscuriora transimus, & cum Moyse ingredimur in nubem, & caliginem, abyssus abyssum invocat, labirintheos patimur errores, & Christi, intra regionis [illegible] vestigia &c.* hæc ferè Alap. qui plura volueris videas Aureolum, & Edem, qui diffusè hanc prophetiam distinguit, & dividit.

ARTICULUS XII.

Prophetia Malachiæ. Liber quadragesimus tertius. ultimus Prophetarum hujus partis XVII.

Malachias Propheta è Tribu Zabulon, natus perhibetur in Sopha, in terra Zabulon, post

A reditum populi de captivitate Babylonis, ob formam, vitæ sanctitatem, & mansuetudinem dici cæpit Melachil, idest Angelus. Epiphan. sed Hieron. cum dictum Angelum putat ab officio annunciandi, non quasi a formositate, sicut Scriptura, Sacerdotes Dei omnes, Angelos Dei esse testatur. Idem hic, & in prologo ad Joel. *Hinc Origenes, erroris sui umbram desumpsit, tum verè Angelum putans incarnatum, & non hominem, sed hæc hæresis est, nec admitti potest,* inquit Hieron., *ne animarum ruinas de cœlo suscipere cogamur.* Hebræi, quos videtur in hoc admittere Hieron. putant Malachiam, non esse alium ab Esdra, & probant multis conjecturis, quæ revera non convincunt. Et certum est, Esdram fuisse seniorem Aggæo, & Zacharia, Malachiam verò omnibus Prophetis fuisse
B juniorem, ut testatur Epiph. & Doroth. De quare videri potest Alapide, qui & hanc, & priorem quæstionem fusè tractat hoc loco. Immò & ipse Hieronymus ait *hic in prologo. Malachias omnibus Prophetis posterior, qui fuit post reditum è Babylone, ac post civitatis instaurationem, deque rebus nostris apertè vaticinatus est; Etenim postquam rediissent, ac restituta civitate templum extruxissent, hanc illis præsentem narrat desolationem, at futuram denunciat sacrificiorum sublationem.* Idemque in prologo sub Dario Histaspe factum esse testatur. *Ad Israel autem, sive super Israel; & non contra Israel locutus esse dicitur.* Hieron. in 1. cap. Mal. Occasionem prophetandi sumpsit ex peccatis, & immunditia Sacerdotum; ejusque summa est, quod
C exprobrans Israel, ex transgressionibus, & omnissione decimarum, prædicit de abjectione Israel, & vocatione gentium, de sacerdotio, & sacrificio Christiano, de die Judicii, & illustratione servatoris, & de prævio ad judicium, Eliæ adventu &c.

Ante diem adhuc juvenis Propheta hic noster, fato sublatus est; juxtaque Majores suos in proprio agello repositus est. Epiphan. &c. Sanctorum cathalogo adscriptus legitur in martyrologio, die 14. Januarii &c.

CAPUT VIII.

Pars ultima veteris Testamenti.
D
Libri Machabæorum.

ARTICULUS I.

De ratione continuationis Sacræ Scripturæ in his libris.

Hi libri ab aliquibus inscribuntur, de præparatione ad crucem, & vivo quodam consolandi afflictos exemplo.

Duo sunt ordines, secundum quos possunt Sacræ Scripturæ libri connecti, alter quoad modum procedendi, alter quoad tempus, & finem, quamvis ergo attento primo ordine, libri Machabæorum, qui historici sunt ad primam partem

Scripturæ, quæ historicè procedit, sint referendi, si spectemus tamen ordinem temporum, & finis, cum ea, quæ hic narrantur multò post contigerint, immò ultima tempora contexant, & rerum seriem, quæ postmodum perduravit, usque ad adventum Christi, qui est finis proprius Sacræ Scripturæ, meritò, hoc loco collocatur. Maximè quia, etsi libri prophetici, historiam potissimum non intendant, eam tamen continent, & mirabili quodam contextu, rerum successionem, & tunc præsentem annunciant, & tunc futuram prænunciando, jungunt temporibus tempora, & continuationem eventuum, & mysteriorum connectunt, cui connexioni ne aliquid desit, addenda erat historia Machabæorum, & ad eum maximè finem, quem notat Apost. ut per patientiam, quæ in his libris maximè elucet, ad exemplum, & consolationem Scripturarum, spem habeamus; hic enim videmus, quod idem concludit Apost. 1. *Chorin. cap.* 10. *quam fidelis Deus, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet cum tentatione proventum ut possimus sustinere*, & quod sicut post tot sui populi etsi justas tribulationes, tandem venit Redemptor, ita post Ecclesiæ suæ, animæque fidelis tempestates, tandem veniet præmiator, & Judex, qui reddet unicuique secundum opera sua, &c. Addit verò Cyprian. *epis. 6. lib.* 4. *Quid in Machabeis beatorum Martyrum gravia tormenta, & multi formes 7. fratrum pænę, & confortans liberos mater in pænis, & moriens ipsa quoque cum liberis? nonne magnę virtutis, & fidei documenta testantur, & nos ad martyrii triumphum suis passionibus adhortantur? per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, actor.* 14. *& omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*. 2. *Tim.* 3. Ideoque appositè admodum, & post historiales libros, & post sapientiales, & propheticos, Spiritus Sanctus, hos libros voluit collocari, ut quæ sit perfectio ad quam tota Scriptura nos ducit, intelligamus. Hæc enim verior sapientia est, patientia, ut cum sapientissimo, ac fœlicissimo crucis sponso, B. Joanne, a Cruce P. Nostro, sæpissimè repetamus, *quid scit, qui pro Christo pati nescit? Domine pati, & contemni pro te; si enim quid melius in toto rerum ordine pro hac vita fuisset, illud utique Pater Æternus filio dilectionis suę, quem infinite diligit, providisset*, inquit, S. M. N. Teresia, *quem tamen pati voluit, & crucifigi, & ita intrare in gloriam suam. Domine aut pati, aut mori pro te &c.*

ARTICULUS II.

Dupplici quæstiunculę satisfaciens.

QUæres, qui, & quales fuerint Machabæi; Aliqui, apud Alap. dicunt, Judam fratrem Jonathæ, primò dictum Machabæum, a fortitudine, ex Hebræa radice Macha, quæ significat occidere, extinguere hostes, unde Matathias moriturus, lib. 1. cap. 2. Dixit, Judas Machabæus fortis viribus. Isydor. Pelusiota. lib. 3. epist. 4. Machabęus, lingua persica *Dominum*

A sonat. Alii a Cabbab. Hebręo, quod est, amare, unde Machabęus, quasi *Amadeus*. Verum Hebręi, & latini tradunt, Judam dictum Machabęum, ex inscriptione, quam extulit Moyses, devicto Pharaone, Exod. 15. *Mi, camocha, Baelim, Jeova*; idest *quis similis tui in fortib. Domine*, & initiales verborum horum litteras assumptas esse a Juda, impressasque vexillis, quę cum hebraicis punctis faciunt *Machabi*, idest, Machabæus, ut Machabi sit quasi idem quod Michael, idest quis ut Deus? & revera nomini facta responderunt, in solo enim Deo sperans vicit, triumphavit. Communior sententia est, Machabæos fuisse de Tribu Levi, non Juda, quia fuerunt Pontifices, & Principes populi, non verè Reges, ut patet lib. 1. cap. 2. Ubi Matatias describitur, ex Joarib. descendens, qui fuit
B ex Aaron, & Levi, 1. Paralip. 24. Alio autem nomine Machabęi dicti sunt *Assamonei* ab Assamonęo, qui fuit abavus Matatię. Euseb., & Joseph lib. 12. cap. 8. Hinc hebraicè Assamonęi idest *optimates*, vel *principes*. Quoad locum, inquit Hieronymus, de locis hebraicis; *Modim vicus juxtà Diospolim, unde fuerunt Machabæi, quorum hodiè ibidem sepulcra monstrantur*. Sed nunc ad Coloniam Agrippinam translari referuntur, ubi in Ecclesia Sanctimonialium, ad Machabæos dicta, coluntur, ut refert Eder. hoc loco. Horum 7. fratrum festum in Ecclesia celebratur, idque propter singulare mysterium: nam per numerum 7. universitas significatur, cum totidem diebus, totum tempus revolvatur. *Hinc per septem hos fratres, pro lege*
C *Mosaica durissimè cruciatos, universitas præfigurata fuit martyrum, qui pro lege Christiana sunt passi: per matrem autem ipsorum, quæ singulos hortabatur, ut cruciatus pro lege fortiter tolerarent. Sancta Mater significatur Ecclesia &c.* Lytan. *in* 2. *Machabæo. cap.* 7. Horum septem fratrum nomina sunt. Machabæus, Aber, Machir, Judas, Achas, Areth, Jacob, de quibus, 2. Machabæor. cap. 7. & Joseph. in libello de imperio rationis. Ambros. lib. 2. de Jacob, & vita beata. Gregor. Nazianz. in oratione de Machab. Bernar. ep. 98. Chrisost. in serm. de Machab. Eusebius Emiss. serm. de Machabęis.

Multam ibi aliqui DD. habent quęstionem de auctoritate horum librorum, etiam post Concil. Tridentin. ad impugnandos hęreticos, nobis suffi-
D cit pro modo auctoritas Ecclesię, impugnationes autem Hęreticorum optimè destruit Bellarmin. aliique Controversistę, & alibi nos fortè aliquid, ubi tempus permittat, addemus.

Quęres 2. quis sit auctor; seu scriptor horum librorum; Respon. quod determinatè, & certò nescitur. Advertit tamen Driedo lib. 1. cap. 3. par. 2. quod Machabęor. facta in his libris descripta habebantur tamquam verissima ab Hebręis, etsi non essent adhuc digesta, & ordinata; sicut postea fuerunt in duo volumina, a diversis singula auctoribus; cujus indicium est, quod primus hebraicè, ut dicit Hieronymus, 2. gręcè scriptus fuit; Item secundus, est quoddam veluti breviarium cujusdam voluminis magni quinque libris scripti, a Jasone Cirençensi, ut eodem lib. cap. 2. habetur.

Quis

Quis auctor fuerit, ignoratur, nisi fortè fuit Josephus, de quo inquit Hieron. lib. de viris illustribus, quod scripsit librum valde elegantem, in quo Machabæorum digesta sunt martyria &c. Michael de Medina putat, primi Scriptorem fuisse, quempiam Scribam eorum, qui Sanedrim constituebant, vel totum Concilium, quia apud eos cura erat, annales conscribere. Dicunt tamen multi cum Alap. Scriptorem fuisse hujus primi, Joannem Hircanum, filium Simonis fratris Judæ Machab. qui omnibus eorum gestis interfuit, eique successit in Pontific., & fuit Propheta, secundum Josephum, lib. 13., cap. 10. Secundum verò conscripsit primarius Sacerdos, jussu Sinagogæ, cujus nomine scriptus est per modum epistolæ, ad Judęos per Ægyptum dispersos, ad solatium. Et hunc dicit Serarius fuisse quemdam Judam Essenum.

ARTICULUS III.

Continens Cronich. Regum Ptolomæorum, & Seleucidarum.

ID quod magis interest ad notitiam, sive intelligentiam horum librorum, est tempus Ptolomęorum, Regum Ægypti, qui in Ægypto regnarunt post Alexandrum Magnum, eo tempore, quo Seleucidę in Syria; Itaque

Ptolomęus Lagi, post Alexandrum statim occupavit Ægyptum, regnavit an. 40.

2. Ptolom. Philadelphus filius Lagi, post eum regnavit an. 38. Hic 120. mil. Judęor. a patre sub captivatos dimisit, & ab Eleaz. petiit 72. Interpret.

3. Ptolomę. Evergetes frater Philadelphi. Seleucum Cavinicum, & ejus filium Ceraunum vicit prælio, regnavit an. 29.

4. Ptolomæus Philopator, idest amans patris per antiphrasim, quia patrem, matrem, fratrem, sororem, & uxorem occidit, propter Agatochleam meretricem, regnavit ann. 17.

5. Ptolomæus Epiphanes, filius Philopatoris, qui uxorem habuit Cleopatram, filiam Antiochi Magni, & sororem Antiochi Epiphanes, a qua omnes inde Reginæ Ægypti dictæ sunt Cleopatræ, regnavit an. 25.

6. Ptolomæus Philometor, Ptolomæi Epiphanis filius senior, regn. an. 35. Hoc regnante, ejus avunculus Antiochus Epiphan. invasit Ægyptum, sed inde exclusus, ope Romanorum implorata a Philometore, iratus est contra Judæos, ut lib. 2. cap. 4. & lib. 1. cap. 12. Philometor an. 18. regni sui concessit Oniæ filio Oniæ sancti Pontificis ædificare templum Heliopoli in Ægypto, simile Hierosolimitano, quod ab eo dictum est onion, & stetit an. 233. eversumque fuit utrumque a Tito, & Vespasiano. Tandem verò Philometor, subdolè volens Alexandrum generum suum privare regno Asiæ, mortuus interiit, anno Græcorum 167.

Hi sunt Reges Ægypti. Sed æquè immò magis interest, scire Reges Syriæ, ab Alexandro Magno. Post ipsum igitur primus regnavit in Syria Seleucus, & alii quatuor post ipsum, & sextus fuit An-

A tiochus Magnus, qui duos habuit filios, scilicet Seleucum, Philopatorem, qui sibi successit in regno tamquam primogenitus, & Antiochum Epiphanem, qui traditus fuit Romanis obses, & audita morte patris, & inertia Seleuci fratris sui, venit in Syriam, & ab aliquibus receptus fuit, ac tandem regnum obtinuit, propter quod inter posteros utriusque, longa fuit concertatio, ita ut nunc una, nunc altera pars prævaleret, & de una posteritate ad aliam, regnum transiret, sed hi omnes perpetuo Judæos afflixerunt. Primus itaque Antiochi filius Seleucus Philopator, post quem Antiochus nobilis, vel Epiphanes, 2. filius, Antiochi Eupatoris hinc Demetrius filius Seleuci, Demetrius 2. Demetrii filius. Alexander filius Eu-

B patoris. Antiochus adolescens Alexandri filius, Antiochus filius Demetrii. Tryphon. Lyran. in Mach. 1. in princi.

Quæres verò qui sint anni Græcorum, & quomodo magis distinctè prædicti Reges debeant signari, & eorum initium. Respon. eorum initium esse a 13. anno post mortem Alexandri Magni, quo anno Seleucus, multis victoriis dictus Nicanor, devicto Antigono Asiæ Rege, fuit ipse Rex Asiæ; indeque anni Græcor. sive Seleucorum computati sunt. Hic Seleucus regnavit an. 30.

2. Antiochus Soter, filius ejus regnav. an. 19. quo tempore Judæi vicerunt Halathas juxta Babylonem. 2. Machab. 8.

3. Antiochus filius Soteris, dictus Deus a Milesiis, quos liberavit a Limacco Tyranno, Regn. an.

C 15. de hoc vaticinatur Daniel. cap. 11. Vicit bello primo punico.

4. Seleucus Callinicus, de quo Daniel 11. regnavit annis viginti.

5. Seleucus Ceraunius, idest fulmineus, de quo Daniel 11. regnavit annis 3.

6. Frater ejus Antiochus magnus, qui a Lucio Scipione ad Thermophilas victus, filium juniorem Antiochum Epiphanem, Romam pro se obsidem misit. De quo Dan. 11. regnavit annis triginta & septem.

7. Filius senior, Seleucus Philopator, qui initio, sumptus ministravit pro templo 2. Machab. 3. sed postea illud expilare voluit, per Eliodorum; qui rediens, Seleucum occidit. Regnavit annis duodecim.

D 8. Seleuco Seniori successit junior. Antioch. Epiphan. idest illustris, verius Epimanes, idest insanus, qui valdè expilavit, & excruciavit Judæos. Hic regnum fratris, dolo invasit, ann. Græcorum 137. de quo, primo Machab. 1. & lib. 2. cap. 3. tribus diebus occidit 80m. Judęorum, & 40m. vendidit, & totidem incarceravit, 2. Machab. 5. & 6. & infra &c. hic collocavit Idolum Jovis in templo; Matathias, & postea Judas ejus filius contra hunc pugnarunt.

9. Huic successit filius novennis Antiochus Eupator. regnavit an. 2. de quo, 2. Mach. cap. 7.

10. Eupatori Demetrius, per vim successit Seleuci filius, anno Gręcorum 151. regnavit an. 10. primo Machab. cap. 1. & cap. 10.

11. Alexander Veles, filius Antiochi Epiphan. occiso

occiso Eupatore regnare cæpit anno Græcorum 160. ad ann. 167. quo occisus est a Ptolomęo Philometore, Rege Ægypti, Socero suo, 1. Machab. cap. 10. regnavit annis 6.

12. Demetrius, dictus Nicanor filius Demetrii, filii Seleuci, captus est a Rege Persidis Arsace 1. Machab. 11. regnavit annis 6.

13. Antiochus Alexandri Velis filius, a Triphone tutore occisus, regnavit 4. annis simul cum antecedenti.

14. Triphon per dolum regnum invasit, & occisus est ab Antiocho Sedete, regnavit annis 3. 1. Machab. cap. 11.

15. Antiochus Sedetes, dictus pius, frater Demetrii Nicanoris regn. an. 7. 1. Machab. 15., & 2. cap. 16.

16. Demetrius Nicanor, frater Sedetis, dimissus ab Arsace, occiso fratre Sedete regnavit an. 3.

17. Alexander Sebina, occiso Nicanore regnavit annis 2.

18. Antiochus Gryphus, ita dictus a nasi magnitudine, Demetrii Nicanoris filius, occiso Sebina, & Matre compulsa venenum sumere, quod sibi paraverat; Regnavit an. 12.

19. Antiochus Cizitenus, filius Sedetis, occiso Gripho fratre, cum ipso regnavit annis 12., & solus 6.

20. Seleucus, Griphi filius, occiso patruo Ciziceno, cum fratre suo Antiocho regnavit an. 7.

21. Antiochus Eusebes, idest pius Ciziceni filius, antecessore concremato, cum domo regia regnat, sed a Filippo, & Demetrio filiis Griphi spoliatur. Hi duo simul regnarunt, sed victo Demetrio solus Filippus regnat; omnes simul regnarunt, ann. 6.

22. Tigranes Rex Armeniæ, per simulationem adiutorii, a duobus fratribus regnum abrasit; Regnavit annis quatuordecim.

23. Antiochus Asiaticus, quia in Asia educatus, filius Eusebis, regn. annis 4. concedente Lucullo, sed mox a Pompeo subigitur. Cicerone, & Antonio consulibus, ann. urbis 691.

Regnum itaque Græcorum in Syria a victoria Seleuci Regis, duravit per annos 248. omnia hæc colliguntur ex Josepho, Justino, Eusebio, & Orosio, & concordant cum his, quæ inde alii etiam colligunt scripturales. Alap., & N. P. Dominicus cum Serario; aliisque &c.

Ad continuationem autem Sacræ historiæ, quæres 3. quænam series sit Pontificum Judæorum, quorum fit mentio in lib. Mach. quinam videlicet, & quo ordine Pontifices fuerint ante captivatem Babylon., & quinam post.

Series Pontificum ante captivitatem Babylons

Post regnum Davidicum. Primus Sadoch, qui fuit Pontif. templi Salomonici. Sadoch successit, Athimaas filius ejus. Huic, Joram, Huic Azziramus. Huic Nideas. Huic Sudeas. Huic Hilus. Huic Joatan, huic Urias, huic Nerias, huic Odeas, huic Sellum, huic Helchias, huic Zara, huic Josedech, qui captivus in Babylonem ductus

A est. Isti per ordinem, filii, patribus successerunt. Glos. ordin. in cap. 3. 2. Machabæorum.

Post captivitatem Babylonis.

Josedech successit, Jesus, ejus filius, sub quo templum reædificatum est, huic Joachim filius, huic Joannes filius. Huic Jaddus filius, sub quo Alexander Macedo Hierosolimam venit, ab eoque placatus, cum veneratus est. Huic Onias filius. Huic Simon filius, cognomento Justus. Huic Eleazarus ejus frater, qui Ptolomęo Philadelpho petente, 72. Interpretes ad interpretandam Sacram Scripturam, misit in Ægyptum. Huic Manasses, ejus avunculus. Huic Onias secundus, Simonis justi filius. Huic Simon Oniæ filius, sub quo Jesus Sirach sa-
B pientiæ librum composuit. Huic Onias tertius ejusdem Simonis filius, sub quo Pontifice omnia, quæ de Simone præposito templi narrantur, facta sunt, regnante Syriæ, & Asiæ Seleuco Philopatore, cui successit Antiochus Epiphanes. Hæc est historia Eliodori &c. in lib. Machab. eadem Glos. in 2. Machab. cap. 3.

ARTICULUS IIII.

Liber primus Machabæorum Sacræ Scripturæ XLIV. ultimæ partis veter. Testam. primus.

In libro primo narrantur gesta pro tuenda li-
C bertate Populi Judaici, maximè Syriæ, sub quatuor Ducibus Machabæis; nempe Matathia cap. 1., & 2. Juda a cap. 3. usque ad novum. Jonatha a cap. nono ad 13. Simone a cap. 13. usque in finem libri primi. Quæ sub Matathia, narrantur primis duobus capitibus. In primo agitur de persecutione Antiochi Epiphanis, qui Ægyptum, & Hierusalem occupat, hanc incendit, Dei legem tollit, idolum erigit super altare templi, & præcipit adorari. Repugnantes occidit, pueri circumcisi, a cervicibus suspenduntur. Pii aliqui nolunt coinquinari, ac mori potius. In 2. cap. Zelus Matatiæ, & filiorum, & Populi ad tuendam Dei legem. Consulunt etiam Sabbato se defensuros. Exhortatio Matathiæ morituri ad Populum.

Quæ sub Juda Machab. duce secundo.

D Capitibus 6. sequentibus, contra Antiochum quatuor celebres reportat victorias, contra Apollonium, quem occidit, cap. 3. contra Seron principem Syriæ, quem cum toto exercitu profligavit, contra Gorgiam, cap. 4. contra Lisiam, quem magna dexteritate devicit. Civitatem Ephron evertit, ob denegatum transitum, cap. 5. Ita vicit filios Esau. Idola gentium igne succendit, cap. 5. Item contra Antiochum Eupatorem, qui venit cum 100. m. pedit., & 20. m. equorum, profligavit; 60. m. una die occidens, inita pace, quæ mox violata fuit C. 6. contra Demetrium, Nicanorem occidit, cap. 7. pacem init cum Romanis, cap. 8. Tandem conflictu cum Bachide, & Alcimo Ducibus Demetrii, cecidit, cap. 9.

Quæ sub Jonatha Mach. duce tertio.

Sumit

Sumit a Jambris pœnas pro fratre suo, cap. 9. bis aggressus vincit Bachidem, & Alcimum. Pacem init cum Bacbide, & hæc sub Demetrio, pugnat pro Alexandro, contra Demetrium, & pro ipso Alexander contra Demetrium. Vincit Demetrii ducem Apollonium. Hinc Demetrium confœderatum liberat ab Antiocho. Demetrius liberatus frangit fœdus; eo expulso pacem init cum novo Rege Antiocho. Exteras debellat gentes, a cap. 9. ad 11. Sub Antiocho Alexandri filio legatos mittit Romam, cap. 12. fugat Demetrii Principes. Triphon Jonatan fraudulenter, ejusque filios missos obsides interficit, cap. 13.

Quæ sub Simone 4. Machab. duce.

Init cum Demetrio pacem, expugnat Gazam, occupat arcem Sion. Joannem filium constituit ducem, cap. 12. renovat fœdus cum Romanis, & Spartiatis, cap. 14., & cum Antiocho Demetrii filio, qui illud violat, cap. 15. pro qua levitate expugnatur a filiis Simonis, cap. 16. in quo cap. Ptolomæus Abobi filius, eum cum duobus filiis occidit &c.

ARTICULUS V.

Liber secundus Machab. Sacra Scriptura XLV. ultimæ partis secundus.

TOtus iste liber, est quædam æpistola circularis, quam Judæi in Judæa degentes scripserunt ad Judæos in Ægypto habitantes, in qua narrantur eadem, quæ libro primo scripta sunt, de Juda Machabæo, & de victoriis ejus, & de infortuniis, quę sustinuerunt ab Epiphane, aliisque Regibus, & quomodo illi contriti sunt, ac propterea invitant eos ad gratias agendas Deo, & celebrandam festivitatem purificationis templi. Totus itaque liber occupatur in gestis Judæ, in persecutionibus, & narratione Martyrii 7. fratrum, aliqua tamen ibi magis particulariter ennarrantur. Itaque ne eadem sæpius repetamus, satis erit aliqua addere perpauca &c.

Hortantur ad observationem festorum, tabernaculorum, & ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo, & altari, ea consecravit per aquam, quæ alias loco ignis absconsi remanserat, & facta est in ignem, cap. 1.

Agitur de illuminationibus, quæ de cælo factæ sunt ad eos, qui pro Judęis fortiter fecerunt, ita ut pauci universam regionem vindicarent, cap. 2.

De liberatione templi per Oniam, de Eliodori pœna, & ejus mitigatione ad preces Oniæ, cap. 3. Incommoda, & persecutiones sub Oniæ successoribus, cap. 4.

Prævisa ex signis cælestibus &c. Martyria 7. fratrum, cap. 7. per totum.

Antiochus a Domino percutitur, dum spoliare tentat Persepolim, cap. 9. per totum.

De Civitate recuperata, templo ab Idolis purgato, & reassumptione sacrificiorum, cap. 10. De Lysia fugato per auxilium de cælo missum, cap. 11. tempore Eupatoris.

De Gorgia fugato, & oblato pro mortuis sacrificio, propter spem resurrectionis, cap. 12.

A

De comprehensione Rodoci proditoris Judæorum, cap. 13.

De Nicanore Occiso, cui caput cum manibus Judas abscindi præcepit, & linguam particulatim concisam avibus dari, cap. 15. sub Demetrio.

Post mortem autem Simonis Machabæi, & filii ejus Joannis Hircani, terminum accipiunt historiæ Machabæorum; omnes hic etiam aliæ canonicæ historiæ finem habent, sola Romana historia remanente. De Judæis autem Josephus, & Egesippus a tempore Machabęorum seriem scripserunt, & non solum Sacerdotes, sed etiam Reges postea, usque ad Herodem, sub quo Christus natus est, fuisse demonstrant, quia post Machabæos, regnavit Joannes Hircani filius, nomine Aristobolus, &

B

Alexander frater ejusdem Aristoboli, & uxor Alexandri, nomine Alexandra, inde filius Alexandri alter Aristobolus, & post Aristobolum regnavit frater ejus Hircanus, quem Pompejus per violentiam, fratri suo viventi subrogavit, ipsumque Aristobolum captum, vinctum Romam transmisit. Post quem Hærodes alienigena filius Antipatri pagani, de Matre Judæa, per Romanos successit. Ex his omnibus patet, quia nascente Christo, ablatum est sceptrum de Juda, secundum Patriarcham, dicentem: Non auferetur sceptrum de Juda &c. Ita Gotfridus Viterbiens. parte 12.

ARTICULUS VI.

C

Anacephaleosis de statu totius orbis sub Imperio hebræorum, ex cronicis Eusebii, & notationibus Ederi.

POpulus hebræorum, gens Dei electa, vixit sub tutela, & imperio, Patriarcharum, Ducum, Judicum, Regum, Iterum Ducum, post captivitatem Babylonicam, & Pontificum, ante, & post captivitatem Babylonicam. Rem habuit cum Regibus Persarum, Ægyptiorum, Syriæ, alienigenis, & cum Cæsaribus Romanis.

Hebræorum Patriarchæ fuerunt, Abraham annis 100. Isaac annis 60.

Jacob, qui postea dictus est Israel, præfuit annis 121., habuit 12. filios ex conjugibus quatuor, ex Lia, Ruben, Simeon, Levi, Judam, Isachar,

D

Zabulon. Ex Zelpha ancilla Liæ, Gad, Aser. Ex Rachel, Joseph, Beniamin, ex Bala, Dan, Nephtalim. Hi auctores fuerunt, & capita 12. Tribuum. Josepb dux Ægypti, annis 80. Post quos hebræi serviunt in Ægypto, annis 144.

Duces hebræorum. 2. Moyses annis præfuit 40. Josue annis 27.

Judices, qui præfuerunt post duces, fuerunt 13. videlicet.

Othoniel, qui præfuit annis 40. Ajoth annis 80., Barach annis 40.

Gedeon annis 40. Abimelech annis 3. Thola circiter annis 26. Jair annis 22.

Jephte circiter annis 7. Abesan annis 7. Ahialon annis 10. Abdon, vel Labdon, annis 8. Sampson annis viginti. Eli Sacerdos 40.

Inde

Inde sequuntur Reges, quorum cathalogum dedimus supra in libris Regum. Sub Sedecia ultimo Regum Juda, contigit captivitas Babylonica, quæ duravit annis 70. Sub Regibus, & etiam tempore captivitatis, & post, floruerunt Prophetæ, quos figillatim recensuimus, suo cujusque loco.

Post Reges præfuere Pontifices, quos nuper dedimus, suo ordine, initio librorum Machabæorum. Post captivitatem Babylonicam, præter Pontifices fuerunt etiam duces quatuor Machabæi, de quibus hic jam actum est.

Reges Judæorum alienigenæ, Aristob. regn. annis 50. Janneus, qui & Alexander, annis 26. Alexandra annis 9. Hircanus Rex, & Pontif. annis 34. Herodes Rex 27. Archelaus Dux, novem. Herodes Tetrarcha 24. Agrippa ann. 8. Agrippa Rex, 26.

Hebræorum Regnum a Romanis est finitum. Cæsares verò Romani, cum quibus præcipuè rem habuerunt Hebræi, fuerunt.

Julius Cæsar, qui imperavit annis 4. Octavianus Augustus, an. 56. Tiberius, annis 24. Caligula, annis 3. Claudius, annis 13. Nero, annis 12. Galba, mensibus 7. Otho, mensibus 3. Vitellius, mensibus 8. Vespasianus, annis novem. Titus, an. 2. Ita colligitur ex initio cronicorum Eusebii. Atque his temporibus absolvitur tota hebræorum historia, capta nempe, & destructa Hierusalem per Titum, & Vespasianum, in pœnam mortis Christi, ab eo usque nunc implentur Prophetiæ de eorum justissima dispersione, & iniquissima obstinatione.

Sex verò sunt ætates mundi, inquit Augustinus quæst. 49. sup. Judic.

Prima, ab Adam usque ad diluvium. Secunda, a Diluvio usque ad Abraham, tertia, ab Abraham usque ad David, quarta, a David ad transmigrationem in Babyloniam, quinta, a transmigratione Babylon. usque ad Christum. Sexta a Christo, usque ad finem hujus sæculi.

Ætas prima, juxta Hebræos, duravit, an. 1656., juxta septuaginta Interpretes, ann. 2242. secunda, juxtà hebræos, ann. 292. juxtà 70. Interpret., an. 1072.

Tertia, per Hebræos, an. 941. per septuaginta Interpret. an. 94.

Quarta, per Hebræos, ann. 473., per 70. Interpret. annis 481.

Quinta, per Hebræos, annis 600., per 70. Interpret. annis 584.

Summa Hebræorum a condito mundo ad Christum 3962.

Summa 70. Interpret. annorum mundi, ad Christum, 5328.

Eusebius Cæsariensis in cronico habet summam annorum 5199. Alii plures habent, alii pauciores.

Diligentissimus P. Cornelius Alapide, in fronte commentariorum pentateuchi, tradit synopsim cronologiæ mundi, sive totius veteris testamenti, ab Adamo usque ad Christum, quæ parum discrepat a cronologia hebræorum, & fundamentum habet, in pluribus Sacræ Scripturæ locis, quam post laborem non modicum invenimus magis probatam, ideòque eam sequuntur plures moderni, ideò eamdem hic ponimus, nam etsi aliqua difficultate non careat, minorem tamen habet, quam plures aliæ, nec nostri est instituti, de hac re prolixam habere disputationem.

Ab Adamo usque ad diluvium fluxerunt anni 1656. Colligitur Gen. 5., & 6. cap., diluvium duravit, per annum integrum, Gen. 8. cap., ideò in fine diluvii, fuerunt anni 1657. ab Adamo.

A fine diluvii, ad nativitatem Abrahæ fluxerunt anni 292. colligitur Gen. 10.

A nativitate Abrahæ, usque ad ejus vocationem, & repromissionem ei factam, fluxerunt anni 75., Gen. 12.

Ab hac repromissione, usque ad exitum Moysis, & Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 430., patet ad Galat. 3. v. 17.

Ab exitu prædicto, de Ægypto, usque ad annum, quo cæpit ædificari Templum Salomonis fluxerunt anni 450. ut patet 3. Regum, cap. 6. v. 1.

Ab ædificatione templi Salomonis, usque ad captivitatem Babylonicam, & templi, ac Hierosolimæ destructionem, fluxerunt anni 426. juxta annos Regum Juda, & Israel, descriptos in lib. Regum.

A captivitate Babylonica, usque ad annos Græcorum, sive Seleucidarum, a quibus libri Machabeorum computant, & consignant suas historias, quique incipiunt post mortem Alexandri magni, anno in quo Seleucus imposuit sibi diadema Asiæ, fluxerunt anni 282.

Ab annis Græcorum, usque ad Machabæos, fluxerunt anni 145.

A Machabæis usque ad Christum, fluxerunt anni 165.

Concludit verò Alapide. Christus ergo natus est, anno mundi, 3950. quæ summa habet minus annos 8., quam dat vera supputatio, fortè ex aliquo errore impressionis, & alios 12. minus, quam hebræa supputatio, qui 12. fortè sunt illi, qui fluxerunt a morte Alexandri ad coronationem Seleuci, alii autem octo addendi sunt, annis Regum Juda, & hoc modo concordat cum hebræis.

Placet autem, hanc supputationem auctoritate probare, nam ab orbe condito ad fœlicissimum Christi ortum. Hieronym., & Beda supputant annos 3952. Joan. Pic. Mirandul. an. 3958. Joannes Lucidus 3960. Abbas Urspergensis, & Xistus Senensis ann. 3962. alias viginti unam supputationes refert idem Xistus Senensis diversorum abundantium in sensu suo, quæ tamen sunt omninò improbabiles.

Sed omnibus improbabilior est illa 70. Interpretum, quæ sanè vel fuit intrusa, ut volunt multi, vel insigni errore depravata, vitio eorum, qui primum de Bibliotheca Ptolomæi eorum codices descripserunt, ut putat August. de Civitate Dei, lib. 15. cap. 13. Ex ea autem, ut ait Hieronym. in quæstionibus hebraicis, ortæ sunt interminatæ quæstiones, de annis Matusalem, cum ex ea sequatur Matusalem vixisse post diluvium an. 14. quòd est contra Scripturam, quæ dicit paucos idest 8. animas tantum servatas esse in Arca. Ortus est etiam

etiam error Græcorum PP., scilicet Julii Africani, Origenis, & aliorum valde notabilis &c. Hæc autem notamus ne erroris arguamur in his, quæ aliquando dicta fuerunt, quæ enim quoad cronologiam spectant, in aliorum sententia dicta sunt, a qua veritas rerum, & sensus nostri non pendet. Maximè quia, quamvis revera probata magis, & probabilior sit sententia Hieronymi, Bedæ, Hebræorum, & Cornelii Alapide, quæ magis affines sunt, & juxta regulam Cronologorum, possint eadem dici cronologia, quia modica varietas, non est defectus, vel error, cum oriatur ex modo accipiendi annos terminantes, & inchoantes, vel inclusivè, vel exclusivè, tamen non modicam habet probabilitatem, sententia Augustini, apud eundem Sixtum supputantis a creatione mundi ad Christum, ann. 5353., & illa Eusebii Cæsarien. apud Sixtum, qua utitur Ecclesia in Martyrologio, die 25. Decemb., quæ est solemnissimæ Nativitatis Domini, quæ supputat hoc modo. Anno a creatione mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono. Etsi enim Martyrolog. non sit Scriptura Canonica, præcipuè quoad Cronologiam, magnam tamen meretur venerationem, cum ab Ecclesia proponatur, etsi hoc non multi faciat N. P. Dominicus hoc loco.

Ut verò tollatur omnis confusio, quæ in hac materia nasci potest, notant communiter DD. quod sicut Judæi, & Christiani cronologiam incipiunt ab Adamo, vel a diluvio, vel ab Abraham, vel ab exitu de Ægypto, ita Gentiles sua tempora supputant primo a Nino, & Semiramide, primis in Assyriorum Monarchia, quorum tempore vixit Abraham. Secundo a diluvio, Ogigis, ac regno Machi, & Phoronei Regum, quo tempore vixit Jacob. Tertio a bello, & excidio Trojæ, quòd fuit tempus Simpsonis, & Eli Pontificis. Quarto ab initio Olimpiadum, quæ cæperunt sub fine Oziæ Regis Judæ. Quinto ab origine urbis Romæ, quæ contigit sub finem regni Joathan Regis Juda, quæ notanda sunt. Denique notandum est, esse ferè impossibile, evidentem annorum mundi supputationem invenire, quamvis enim magno studio valeat ex Scriptura deduci, ut credendum est, Doctorem maximum adhibuisse: tamen adhuc nescimus, quomodo ante diluvium anni computarentur; & adhuc tantum probabile est, mundum cæpisse tempore verno, vel scilicet 25. Martii, vel 25. Aprilis, an verò Autumnali, scilicet mense Octobris, de quo & Sancti PP., & Astronomi, adhuc hodie disputant. Insuper quæ correctiones annorum, & an sine errore fuerint, sicut putamus fuisse Gregorianam, quæ fuit postrema, & tamen adhuc cæspitant Astronomi, an nova opus sit. Unde jam nihil certum, ad humilitatem quippe nostram cælavit nos Deus ipsa tempora, ita ut non solum de futuris ad ultimam usque diem mundi, sed etiam de præteritis, retrò usque ad primam Adæ Innocentis, ac mundi creationis diem verificetur, quod dixit Christus. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, & ostendens hanc notitiam non esse necessariam ad fidei veritatem, subdidit, sed eritis (etiamsi tempora nesciatis) mihi testes, in Judæa, &c. de quo textu sapientissimè tractat Augustinus, in epistola responsiva ad Isichium. 63. Nobis ergo sufficit probabiliora sequi, & temporum mysteria in arcano sinu æternitatis enutrita venerari.

TRACTATUS SEXTI

SECTIO TERTIA.

De Sacra Scriptura ut res est.

Ad Testamentum novum æternum, brevis intuitus.

CAPUT I.

De prænoscendis ad novum Testamentum.

ARTICULUS I.

De continuatione Sacræ Scripturæ.

Quia cum advenit, quod perfectum est, evacuatur quod ex parte est, secundum Apostolum, & habito termino cessat motus, nil mirum si vetus Testamentum, quòd erat imperfectum, quasi motus ad novum, hoc adveniente cessarit, quoad hanc rationem, novum verò æternum sit, quia terminus, quia perfectum; quinimmò hęc illius erat perfectio, quòd exigeret tam sublimiter perfici, ut ipse illius, rerumque omnium finis Christus testatus est, dicens, non veni legem solvere, sed adimplere. Sicut autem Christus veteri, quod esset impletum, ita David testimonium perhibuit novo, quod foret æternum. Psal. 110. *Memor erit* inquit, *in sæculum testamenti sui*, *virtutem operum suorum annunciabit populo suo*, quia Deus utriusque Testamenti auctor, hæc duo opera scripsit, quæ sunt verè opera ejus, eorumque virtutem annunciavit populo suo, non illi, cui dixit, non populus meus vos, sed illi qui ut sit omninò suus, a Christo dictus est, Christianus, unde idem subdit, describens; quando hæc futura erant, nempe cum Redemptionem postea misit Deus populo suo, *tunc* enim *mandavit*, *in æternum*, *testamentum suum*, Et ne ulla sit æquivocatio, citat initium novi Testamenti, quòd est Sanctum Jesu Christi Evangelium, dicens, *Sanctum*, *& terribile nomen ejus*. *Initium sapientiæ timor Domini*, quia nempe increata sapientia dignata est, in carne habere initium, ex quo dicitur, *Liber generationis Jesu Christi*, & hinc est timor Domini, sicut ait alter Propheta, *consideravi opera tua*, *& expavi*, *in medio duorum animalium innotesceris &c.* Hoc ergo est testamentum æternum, & ideo novum, quia æternum, nullam enim novit Æternitas vetustatem. Cum hoc tamen stat utriusque testamenti perfecta continuatio, quia vetus durat, ut adimpletum; novum est, & semper erit, tamquam imple-

implementum, eum enim utrumque suo modo sit A propter Christum, unum dici possunt, quia ubi plura sunt propter unum, ibi est tantum unum, axioma Angelicum est. Vetus quidem, figura erat, sed in hoc ipso quod figura erat, iterum quasi reflexè figura erat, in hac eadem ratione, quod est figurare, ut sicut processus ejus erat ad infinitum, esset quodammodo in infinitum, siquidem figura erat, sed illum repræsentans, qui cum sit Filius Dei, est & ipse perfectissima figura substantiæ ejus, & quia figurabat illum omni verbo, figurabat illum adhuc, in hoc quod sequitur, *figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ* & quia figurabat illum factis, dicitur etiam, *quòd omnia per ipsum facta sunt*. Figura, inquam, reflexa, quippe figurabat eum, qui B est substantialis figura Patris, ut sumentem figuram hominis, eum in similitudinem hominum factus est, & habitu inventus ut homo; non igitur mirum, si tam bene figura unitur figurato, ut faciat unum, modo jam dicto, eamque adeo magnificet Christus, ut qui ait *Cælum, & terram ego impleo*, qui *venit ut impleret omnia*, qui, inquit, *oportet nos implere omnem justitiam*, etiam alibi diceret, *non veni legem solvere, sed adimplere*. Unus ergo auctor, unum opus, unus finis, una veritas, tunc inchoata, nunc perfecta, semper æterna; nam sicut puer, eum adolescit, juvenescit, & perficitur, idem est homo, aliter numquam homo inciperet, ita Testamentum novum illud est, quod cæpit, quod figuratum est in veteri, quod per Redemptorem perfectum est in æternum, quippe *Cælum, & terra transibunt. Verba autem mea non transibunt*, inquit testis fidelis, primogenitus mortuo- C rum, qui jam ultra non moritur, quia quod vivit, vivit Deo, vivit Deus. Hæc est autem præcipua ratio continuationis, quæ quia communissima est, apud SS. PP. aliosque Catholicos Doctores, propterea neminem in particulari recensemus, alias etiam rationes, quæ necessariæ hic non sunt, brevitati donamus. De Evangeliis igitur in communi aliquid, priusquam ea in singulari scrutemur notare oportet. Solum eum Origene *hom. 6. in cap. 8. Levitici*, concludimus. *Id sanè cavendum, ne si dividamus legem, & Evangelium, dicatur nobis, quod de Petro; nesciens quid diceret; Faciam, inquit, hic tria Tabernacula &c. legi enim, & Prophetis, & Evangelio non tria sunt Tabernacula, sed unum,* D *quod est Ecclesia Dei*. Ad hæc addit Hieronymus *ad Gerontium, de Monogamia. Hæc dicimus non separantes legem ab Evangelio, ut Marcion calumniatur, sed unum atque eundem suscipientes Deum, qui pro varietate temporum, atque causarum, principium, & finis fuit serit ut metat, plantat, ut habeat quid succidat, jacit fundamentum, ut ædificationi, consumato sæculo, culmen imponat.*

* * *

ARTICULUS II.

De differentia legis, & Evangelii.

Ut quid sit Evangelium discerni possit, differentiam aliquam legis, & Evangelii, præter eas, quæ fuerunt adductæ, addere non modicum juvat. Quod præstat Isydorus, *in lib. differentiarum*, ubi post multas easque eruditè notatas, concludit. *Præcepta legalia comparatione Evangelii, etiam non bona dicuntur, quia quod præcipiunt, non perficiunt. Gratia verò Evangelii, quòd exterius imperat, interius, ut perficiatur, juvat. Ezechielis enim testimonio dicitur, dedi eis præcepta non bona, utique non bona, Evangelio comparata, quia in eis quædam inutilia, infirmioribus sensibus agenda permissa sunt, sicut illud, cum Deus Israelitarum cupiditatem, spoliis Ægyptiorum satiari permisit. Nam etiam pro eo, quod carnalis populus modum egrederetur vindictæ, lex permittit carnalibus rependere vicem mali, quòd Evangelium firmioribus vetat*. Unde Junilius in lib. ad primos Episcopos; *Veteris Testamenti intentio est, novum figuris, & ænigmatibus demonstrare, Evangelii autem ad æternæ beatitudinis gloriam mentes humanas accendere*. Porrò axioma est Augustini; *brevis differentia legis, & Evangelii; timor, & amor*, & hoc modo illa intelligitur differentia, quam assignat Apostol. *littera occidit, spiritus autem vivificat*, quia nempe littera, idest Lex vetus, continet præcepta, quæ notavit Isydorus. In Evangel. vero verba Christi, quia ait Joan. *6. verba, quæ ego loquor vobis, spiritus, & vita sunt*, vel quia cum littera, idest lex ordinetur ad Evangelium, idest ad spiritum, si ab illo separetur, quasi eam sistendo in se ipsa tantum, occiditur, quia aufertur ab ea spiritus, & occidit, quia spiritus esse definit in eo, qui eam accipit, ut a spiritu separatam, vita enim per spiritum est, nec sibi dare poterit lex spiritum, quam a spiritu disjungis, quia nemo dat quod non habet, quæ est vera textus illius intelligentia, & explicatio plurium interpretationum, quæ conglomerari solent contra Manichæos, & Lutherum, aliosque hæreticos, qui summè fidunt huic dicto Apostoli, illud sine spiritu intelligentes, & facto sic ostendentes, quod etiam in novo Testamento, si soli materiali litteræ incumbimus, verificatur, quòd littera occidit, non quia littera mala sit, sed quia malam eam facit qui eam, occidendus occidit, spiritu ipsam privans &c. Alibi etiam Augustin. brevibus laconismis, plura de his differentiis complectitur dicens. *Lex data est, ut gratia quæreretur; gratia autem data est, ut lex impleretur, & iterum. Lege*, inquit, *dicimus fieri, ut Deus, quid fieri velit, audiatur, Gratia verò fieri, ut legi obediatur, lib. 3. contra 2. Epistolam; Pelagianorum cap. 2.* Prænotatis utriusque testamenti differentiis, de novo nunc agimus, in quo quidquid continetur, spectat ad institutionem, & perfectionem Ecclesiæ, in uno summo angulari lapide Christo Jesu; dividitur autem in Evangelium, in quo vita, & mysteria Christi, ejusque lex, & doctrina promulgatur, & in doctrinam Apostolorum, ad consummationem

tionem corporis Christi, quòd est Ecclesia; *inter omnes autem divinas auctoritates, quæ sanctis libris continentur, Evangelium meritò excellit. Quòd enim lex, & Prophetæ prænunciarunt, hoc redditum, atque completum in Evangelio demonstratur.* Augustin. *de cons. Evang. lib. 1. cap. 1.*

Suadet etiam naturalis, & legalis ratio, quia ubi ejusdem duo sunt Testamenta, semper prævalet novum, quod veram testantis voluntatem, ostendit, & firmat.

Sed dices, ergo inæqualis est auctoritas Scripturarum. Resp. distin. conseq. quoad veritatem, & certitudinem, neg. conseq. quoad alias circumstantias, conc. conseq. quando enim SS. PP. summè exaltant Evangelii auctoritatem, sic intelligi debent, ut alias scripturas, quæ sunt ejusdem Dei auctoris non deprimant, quoad veritatem, & certitudinem canonicam, quæ una omninò est, sed considerant consumationem doctrinæ, & dogmatum perfectionem, & rationem finis, ad quem cæteræ scripturæ ordinantur, denique rationem legis perfectissimæ, & id quod verum est, non veritatem, quæ semper; & ubique æqualis, & infallibilis, est eadem una in tota Dei Scriptura. Unde August. loco citato, paucis interjectis. Ac ne putaretur, quod attinet ad præcipiendum, vel prædicandum Evangelium, interesse aliquid, quod illi annuncient, qui viderunt, provisum est per Spiritum S, ut etiam qui non viderunt, scriberent &c. nempe ut auctoritas sit solius Dei, cujus verba sunt Evangelia, (non sunt omnia verba, sed sensus.)

ARTICULUS III.

Quid sit Evangelium.

Evangelium his solet nominibus insigniri, Verbum fidei, Rom. 10. Prædicatio veritatis, & vitæ, Jo: 6. Virtus Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. Scientia salutis, Lucæ 1. & aliis pluribus, ac denique communiter Evangelium, quod ex græco, est *bona annunciatio*. Unde August. *contra Faus. Manich. lib. 2. cap. 2. largo quodammodo, quodcumque nuncium bonum dici potest Evangelium, ideoque Origen. non dubitat affirmare aliquo modo Evangelium esse, quæ scripserunt Apostoli, cum ad Evangelistæ munus pertineat, adhortatoria etiam oratione, fidem iis, quæ de Jesu tradita sunt, conciliare; In præfatione ad Evangel. Joan.* Prosequitur verò idem August. *propriè tamen hoc vocabulum obtinuit, annunciatio Salvatoris, atque hoc modo narratores originis, dictorum, factorum, & passionum Christi Domini nostri, propriè dicti sunt Evangelistæ.* Hinc pergit Origen. loco citato, definiens Evang. *Est oratio continens boni præsentiam cuicumque credenti, vel oratio affirmans adesse bonum expectatum.*

Ex Hieronymo lib. 4. commentar. in Isaiam alia deducitur definitio, *est sermo Dei abbreviatus, atque perfectus, principium continens fidei, spei, & charitatis;* quod idem explicat Driedo *lib. 2. cap. 3.* sic definiendo. *Evangelium est bonæ rei nuncium, in Christo manifestatum, in Scripturis legis, & Prophetarum velatum: unde dicitur Evangelium Pauli, evan*

A *gelium regni cælorum, Evangelium salutis æternæ, Evangelium gloriæ Dei, Evangelium gratiæ, & misericordiæ, Evangelium amoris, & gaudii.* Hæc autem sunt bona, quæ annunciantur in Evangelio, secundum Chrisostom. *hom. 8. in cap. 4. Math. Sublatio pœnarum, venia peccatorum, sanctificatio, & justitia, redemptio, adoptio filiorum, cælorum hæreditas, fraternitas cum Dei filio, Dei paternitas, resurrectio mortuorum, immortalitas vitæ, societas Angelorum, communicatio Spiritus: possessio gloriæ sempiternæ &c.* idem verò de numero, & unitate Evangeliorum. *Cum enim quatuor eadem loquantur, non est aliud atque aliud ob personarum differentiam, sed unum ob eorum, qui loquuntur consonantiam &c. quod si non in omnibus omninò eadem sunt, hoc ipsum,* inquit, idem Chrisost. *præfatione in Math. maximum*

B *est testimonium veritatis, si enim ex toto, & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia, atque cura, usque ad tempora, & loca omnia, usque ad singula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset umquam, sed eos communi ad decipiendum consilio congregatos, quasi ex humana quadam compositione Evangelium condidisse, non enim simplicitatis tam sollicitam consonantiam judicarent, sive enim unus universa dixisset, superfluus jam fuisset numerus cæterorum, sive varia omnia inter se scripsissent, ac nova omnia, nullum potuisset convenientiæ apparere documentum, propterea, & communiter multa dixerunt, & nihilominus quisque proprium aliquod, & speciale conscripsit, & ne superfluè, & importunè aliquid videretur adjectum, si nihil adderetur novi, nec tota*

C *rerum fides adduceretur in dubium, si omnia diversa dixissent.*

Celeberrima hic verò occurrit prophetica illa visio Ezechielis, quatuor animalium, in quibus omnes PP., quatuor Evangelistas agnoscunt. *Hæc autem,* inqu. Gregor. *in Ezech. ipsa uniuscujusque libri Evangelica exordia testantur, nam quia ab humana generatione capit, jure per hominem Mathæus, quia per clamorem in deserto, rectè per leonem Marcus, quia a sacrificio exorsus est, benè per vitulum Lucas, quia verò a divinitate Verbi cœpit, dignè per aquilam significatur Joannes,* aliter subdit August. *in aurea catena D. Thomæ; Vel Mathæus, qui regiam Christi personam maximè commendavit per leonem, significatur, Lucas per vitulum propter victimam Sacerdotis, Marcus autem qui neque regiam, neque Sacerdotalem*

D *narrare voluit, & tamen in humanis versatus ostenditur, hominis figura significatur. Hæc autem tria animalia per terram gradiuntur. At verò Joan. velut aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis, acutissimis cordis oculis intuetur &c.* hinc tres alios Evangelistas vitæ activæ dicimus, Joannem verò contemplativæ Evangelistam &c. alias etiam horum quatuor animalium contemplationes hic habet Angelic. *deinde quatuor, Evangelistas fuisse, propter, quatuor partes mundi, propter quatuor flumina, quæ egrediuntur de Paradiso, quatuor angulos, & annulos Arcæ Testamenti, mysteria verò hujus numeri, notant consonantiam.*

Si autem quæras a quibus, quando, ubi, & qua occasione, & qua lingua, sancta, conscripta sint Evangelia. Respon. ex eodem D. Thoma, in præ-

satione catenæ, & ex D. Athanasio in Synopsi.

Evangelium secundum Mathæum, ab ipso Mathæo hebraica dialecto conscriptum est, & editum Hierosolimis, sub tempore Caii Caligulæ Imperatoris, propter Judæos, qui crediderant, ideò ipsum ostendit de stirpe David secundum promissiones, & prædictiones PP. & interpretante Jacobo, fratre Domini secundum carnem, expositum, qui primus a SS. Apostolis Hierosolimæ Episcopus creatus est.

Marci Evangelium, ab ipso scriptum, ex jussu D. Petri, Romæ sub tempore Neronis, vel Claudii secundum Raban. ibique a Petro Apostolo prædicatum est, editum verò postea ab ipso Marco, & ab eodem Alexandriæ, & in Ægypto, & in Pentapoli, ac Libia prædicatum.

Lucas, in Achajæ, Beotiæque partibus, rogatus a Theophilo scripsit Evangelium, prædicatum quidem ab Apostolo Paulo, scriptum verò, & editum a B. Luca Evangelista, ac medico; quemadmodum, & Apostolorum Acta; prædicavit Apostolus Petrus, idem vero Lucas litteris mandavit.

Evangelium verò secundum Joannem, scriptum est ab ipso, Ephesi in Asia minori, sub tempore Nervæ principis, sive, ut inquit Athanasius, ab ipso scriptum, cum exul esset in Patmos Insula, & postea ab eodem, Ephesi editum, per Cajum, dilectum Apostolorum hospitem, de quo & Paulus Romanis scribit: salutat vos Cajus hospes meus, editum autem fuit, ut ait Hieronymus, propter Ebionitarum, & Cerinti iniquum dogma consurgens, ideò divinitatem Christi ostendit. Solus Mathæus Hebraicè, alii Græcè scripserunt secundum Hieronymum.

Hæc itaque tantum sunt Evangelia canonica; ut talia enim ea probavit Ecclesia, ex doctrina, & traditione Apostolorum, nam Evang. S. Marci probavit S. Petrus. Lucæ Paulus, Mathæi chorus Apostolorum, qui abituri ad prædicandum, illud secum tulerunt. Sancti Joannis omnes Asiæ Episcopi, cæterique fideles universaliter.

Quid sit, esse Evangelistam, definit Augustinus *contra Faust. Manich. lib. 2. cap. 2. Evangelistæ propriè dicti, sunt narratores originis, factorum, dictorum, & passionum Domini Nostri Jesu Christi.* Concordat Ilarius: *Evangelii scribendi causa fuit, ut omnes crederent Jesum Christum esse filium Dei; sicut autem necesse fuit ad confirmationem fidei Evangelium prædicare, sic, & contra hæreticos scribi. Prol. in Math.* concludit verò Hieronymus, *in præfatione ad Evangelium Marci: quatuor sunt, de quibus sancta contexuntur Evangelia. Præcepta, in quibus consistit Justitia, mandata in quibus charitas; testimonia in quibus fides, exempla, in quibus consistit perfectio.* Ex quibus breviter habemus, duo esse tantum præcipua in Evangelio quolibet, scilicet Christi notitiam & doctrinam. Quoad doctrinam, quæ continet præcepta, & similia, suo loco, si tempus concedet, quando nempe de penultima Sacræ Scripturæ proprietate, quæ est bonitas, differemus, sicut & de parabolis, aliisque modis ad doctrinam spectantibus, cum sensus litteralis regulas proferemus. Quoad ea verò, quæ Christi historiam componunt, si-

A mul ex quatuor Evangel. ejus epitomen brevissimè contexemus, post velocem singulorum Evangeliorum inspectionem cui hanc tantum notationem, ex doctrina Chrisostomi hom. 1. In Evangel. Math. cum Edero præmittimus. *Notandum igitur, quod Evangelistæ discrepant, quandoque verbis, temporibus, locis, & in narrandis miraculis, aliisque minutissimis, quæ tamen benè perpendens facilè conciliabis. Conveniunt verò apertè; quoad dogmata fidei Christianæ, qualia sunt, quod Deus homo factus sit, quod mirabilia operatus, & crucifixus, ac sepultus postea resurrexerit, ascenderitque in cælum, iterum venturus Judex omnium, quod bonus magister dederit præcepta vitæ, legemque non contrariam priori dederit, sed ejus perfectivam; quod sit Unigenitus Filius Dei, ejusdemque cum Patre substantia, & quæ-* B *cumque sunt talia, ad fidem spectantia:* ut enim, inqu. Auctor operis imperfecti *in Math. hom. 28. Sicut ex diversis itineribus venientes ad unam mansionem contendunt, sic & Evangelistæ ex diversis occasionibus loquentes, in unum sensum ingrediuntur &c.*

ARTICULUS IV.

Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Mathæum. Liber novi Testamenti primus, Sacræ Scripturæ quadragesimus sextus.

DE CHRISTO HOMINE.

ANno, secundum Hieronymum, & Euseb. in C cronic. 25. post mortem Christi, tertia Caii Caligulæ insurgente persecutione in Judæos, qui crediderant Christo, ne periret eorum fides, sed augeretur numerus credentium, in Judæa scripsit Mathæus Evangelium, connectens veritatem facti cum promissionibus de Christo vero homine filio David, concilians ad ejus amorem, quem etsi Deum, tamen similem nobis hominem ostendit, in hoc maximè commendans ejus divinitatem, & miracula, quia talem se exhibuit divinitate plenum, ut opus foerit, eum hominem esse, probare, ne admiratio officeret veritati, & omnes crederent eum, qui ad imaginem, & similitudinem suam, hominem fecerat, ad imaginem, & similitudinem nostram hominem factum esse, & habitasse in nobis.

Argumentatur itaque Mathæus hoc modo, se- D cundum Petrum Aureolum, & alios. Ille homo est verè Messias, in quo concurrunt, & verificantur prophetiæ de vero Messia infallibiles, sed de hoc homine, qui est Christus verificantur, ergo &c. majoris probatio est totum vetus Testamentum. Consequentia legitima est. Minorem probat per totum suum Evangelium; cujus hic est ordo, & summa. Primò nativitatem, seu generationem Christi ex semine David, secundò baptismum; tertiò, tentationem, quartò doctrinam, quintò miracula, sextò passionem, septimò resurrectionem, & ascensionem, quæ quia agentes supra de Christo, ad litteram, ostendimus, quam apertè prophetata fuerint in veteri Testamento, de tunc venturo Messia, ideò eo lectorem remittimus, ut completam habeat probationem hujus minoris proposi-

tionis

tionis &c. Obiter hic advertendum, quod, non solum quasi speculativè, hoc Evangelista demonstrat, sed etiam practicè, ut eum ostendat, Christum verum esse Messiam, de quo & hoc prophetatum est, quod foret doctor, & exemplar sanctitatis, ita eum describit, ut talem formam veræ Christianæ vitæ, ordine ipso enarrationis ostendat, ut inde discat, qualis debeat esse Christianus sub tali capite, nascimur enim, sed nisi renascamur ex aqua, & Spiritu Sancto, per baptismum, quid prodest? contra ereptos de manu sua per baptismum, pugnat Satan quotidie, per tentationes, contra quas standum est, per orationem, & jejunium, & vires, quas nobis confert unctio sacra baptismi, & victores effecti, docere debemus alios, aut verbo, aut exemplo, vel utroque, ut possumus. Miracula quidem non facere tenemur, sed credere, & credendo habiles fieri, ut ubi opus sit, eadem operemur, idque continuum miraculum est, quod homines corporei, & fragiles fide roborati, terrena omnia, & sensibilia, & vitam propriam, continua divinorum observatione contemnant. Passiones continuæ sunt, & crux ubique, & patientia necessaria est, ut reportemus repromissiones, & denique mori necesse est, ut resurgamus, & cum Capite nostro ascendamus; quo enim præcessit gloria Capitis, eo spes vocatur, & corporis. Hæc sunt quæ adamussim, & perfectissimè præcedentia in Christo, describit in suo Evangelio Matheus, ut dignoscatur qualiter eadem esse debeant in Christianis.

ARTICULUS V.

Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Marcum. Liber novi Testamenti secundus, Sacra Scriptura.

XLVII.

DE REGE CHRISTO.

MArcus hebraicè, latinè *expolitus*, vel secundum Origenem, *malleus magnus, & fortis*, de Tribu Levi, & Sacerdos Aaronicus. Primogenitus inter Petri discipulos, seu filios, ab eo conversus, & baptizatus, qui fuit primus, & fundator Esseorum, qui monasticam vitam professi sunt, Alexandriæ, & ubique, per Ægyptum, & circa diffusi, per aliqua sæcula, perfectionis floruerunt professores; primus Alexandriæ Episcopus, a D. Petro ordinatus, Evangelii scriptor, & prædicator, tum Romæ, cum Alexandriæ, & alibi, ac denique fortissimus Martyr; salutat eum Petrus, cum aliis qui sunt Babyloniæ, idest Romæ. Per leonem, qui Rex est animalium, significatus, Rugit in deserto. De illo D. Hieronymus. Marcus discipulus, & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus, breve scripsit Evangelium, quod cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit, sicut scribunt Clemens in 6. l. Hipotyposeon, & Papias Hieropolitanus Episcop. Hieronym. in catal. scriptorum Ecclesiasticorum, ex quo habemus, quod in Italia scripsit, unde multi suspicantur eum latinè scripsisse, alii verò, ejus autographum Venetiis servatum, & quasi antiquitate corrosum, ut nec possit intelligi, diligenter scrutantes, dicunt græcè fuisse conscriptum, melius tamen alii, cum Alap. utroque idiomate, idest bis exaratum affirmant, ut inutilem rationabilius dirimant quæstionem; Secundum Eusebii Cronic. scripsit anno Christi, 45. Claudii Imperatoris 5. paulo antequam pergeret Alexandriam &c.

Ultimum caput hujus Evangelii, aliquando a Manichæis corruptum fuit, ut testatur S. Hieronymus, sed ab intrusa additione purgatum, nunc procul omni dubio, ab Ecclesia colitur, ut verè canonicum. Belarmi. de verbo Dei lib. 1. cap. 16.

De hoc inquit Hieronymus, *juxtà fidem magis gestorum, quam ordinem scripsit*, *præfatione in Math.* D. Augustin. hunc dicit *abbreviatorem Mathæi, lib. 1. de cons. Evang. cap.* 2. quia brevius narrat, quæ ille diffusius, aliqua tamen fusius, quam ille, ut cum agit de Petri negatione, sed in doctrinis strictius procedit, quam Mathæus. De eodem Hieronymus *prolog. in Marcum*, inquit. *Denique cum perfecti Evangelii opus intrans, & a baptismo Domini, Deum prædicare inchoans, non laboravit nativitatem carnis, quam in prioribus viderat, dicere; sed potius exprimens expositionem deserti, jejunii numerum, tentationem Diaboli, congregationem bestiarum, & ministerium protulit Angelorum, & instituens nos ad intelligendum, singula in brevi compingens, ne auctoritatem sacræ rei demeret, & perficiendi operis plenitudinem non negaret.* Addit verò Petrus Aureolus, quoad ejus scopum, & summam, eum sic virtualiter argumentari. Ille verè est summus Rex, & Imperator, cui omnes parent potestates. Hujus, idest Christi summæ potentiæ, omnes subjectæ sunt potestates, ergo Christus est summus omnium Rex, & Imperator. Major patet in praxi, & lumine naturæ, tenet consequentia optimè deducta. Minorem prob. toto suo Evangelio, 20. ferè argumentis, videlicet obsequio, ac ministerio spirituum, cap. 1. curatione morborum, cap. eodem, remissione peccatorum, & dispensatione legis, cap. 2. Translatione potestatis in alios, cap. 3. Imperio super mare, & ventos, cap. 4. potestate vitæ, & mortis, cap. 5. provisione rerum ad victum, cap. 6. abrogatione traditionum impiarum, cap. 7. restitutione auditus, & loquelæ, cap. eodem. Illuminatione visus, mutatione naturæ, potestate in exteros, cap. 8. & 9. Interpretatione, & perfectione legis scriptæ, cap. 10. Imperio Davidico, cap. 11. scientia interiorum cordis, cap. 11. & 12., cognitione futurorum, cap. 13. fortitudine, & constantia patiendi, cap. 14. & 15. potestate in mortem, cap. 16. imperio in cœlos, eodem cap. 16., & ultimo.

ARTICULUS VI.

Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Lucam, Liber novi Testamenti tertius, Sacra Scriptura

XLVIII.

CHRISTUS SACERDOS.

QUia ad altissimum tendimus, semper per altiora contendimus; quem hominem Math.

Regem

Regem supremum Marcus, cum Sacerdotem, ac Pontificem Maximum Christum, Lucas exhibet, ut prædicet Deum in sublimissima Trinitate, magnus Joannes. Hæc est continuatio novi Testamenti, ut per scalam hanc Jacob, per quam ad homines Deus homo descendit, homo ascendat ad Deum, innixum scalæ, ut eam firmet, ne timeant ascendentes.

Tertius itaque inter Evangelistas Lucas, *circa sacerdotalem Domini stirpem, ac personam occupatus, per vitulum significatus est, propter maximam victimam Sacerdotis.* August. *de cons. Evange. &c. vitulus enim*, inquit Ambros. *hic Sacerdotalis est victima, unde bene congruit vitulo, hic Evangelii liber, qui a Sacerdotibus inchoavit, & consumavit in vitulo, qui omnium peccata suscipiens, pro totius mundi vita, est immolatus &c.*

B Quis autem, & qualis fuerit Lucas, describ. Hieronymus. *Lucas medicus Antiochenus: ut ejus scripta indicant, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus, Evangelium, sicut audierat scripsit &c. hunc Evangelistam, tradunt veteres Ecclesiæ tractatores; medicinæ artis fuisse scientissimum, & magis litteras græcas scivisse, quam hebreas, unde & sermo ejus, tam in Evangelio, quam in Actis Apostolorum comptior est &c. magisque testimoniis græcis utitur, quam hebrais, Math., & Joan. quorum alter hebræo, alter græco sermone Evangelia texuerunt, testimonia de hebraico posuerunt*, Hieron. *in cap. 6. Isaiæ; sicut autem Apostoli de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt; ita Lucas de medico corporum, in medicum versus est animarum &c.* idem C *in Epistol. ad Philem. fertur is quoque, Christi, & ejus Matris, atque item principum Apostolorum effigiem, pingendi arte adumbrasse, unde in omnem deinde habitabilem urbem tam venerandam, & pretiosum opus est illatum.* Nicephor. *lib. 1. Histor. Ecclesiastic. cap. 43. Vixit octoginta, & 4. annis, uxorem non habens, sepultus est Constantinopoli*; Hieron. in catal. &c.

Post Christi ascensionem autem 15. ann., suum scripsisse Evangelium refert Theophilat. hic in principio: *Eo autem tempore Lucas, & Marcus sua scripserunt volumina, quo non solum ab Ecclesia Christi verum etiam ab ipsis adhuc viventibus Apostolis probari meruerunt.* August. &c. *scripsit Evang. priusquam cum Paulo vincto Romam duceretur, quia in proœmio actuum quos Romæ scripsit, sui meminit Evangelii, &* D *epistola ad Chorin. in qua Paulus dicit laudem Lucæ esse in Evang. scripta erat antequam Romam venirent.* Driedo cap. 3. parte 3.

Non scripsit omnia, sed assecutus est omnia &c. advertis enim, quod consultò etiam ea, quæ ab aliis sunt scripta præteriit, ut diversa in Evangelio gratia refulgeret, & propriis quibusdam, singuli libri mysteriorum, gestorumque miraculis eminerent. Ambros. in proœm. Lucæ, ubi prosequitur, *idem quemdam velut historicum ordinem tenuit, & plura nobis gestorum Domini miracula revelavit, ita tamen ut omnes sapientiæ virtutes, Evangelii istius complecteretur historia; docet naturalia, docet moralia, docet etiam rationabilia &c. Ad Theophilum scripsit hoc est ad eum quem Deus diligit; si Deum diligis ad te scripsit &c. cum essent jam scripta Evangelia, per Ma-* A *thæum quidem in Judæa, per Marcum in Italia, Lucas in Achajæ partibus hoc scripsit Evangelium, ut græcis fidelibus Christum manifestaret, ne hæreticis fabulis seducerentur &c.*

Summam hujus etiam Evangelii describit Petrus Aureolus, hoc argumento. Ille est verè Salvator, & Sacerdos, cujus actiones, & sacrificium, veram hominibus conferunt salutem, sed Christi actiones, & sacrificia sunt hujusmodi, ergo &c. Major continet definitionem, ethimologiam, & veram rationem Salvatoris, & Sacerdotis, juxta lumen rationis, & doctrinam Apostoli, ubicumque agit de Salvatore, & pontifice animarum nostrarum &c. consequentia legitimè deducitur ex suis præmissis. Minorem probat Evangelista toto hoc Evangelio, idque probat a salutari ejusdem Christi ingressu in hunc mundum, per conceptionem, cap. 1. ubi annunciatur totus esse in salutem, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, a nomine, & a nativitate, cap. 2. per ejus baptismum, per quem innotuit cap. 3. per convictum, & conversationem cum hominibus cap. 4. 5. 6., & 7. per officium, studium, & voluntatem, cap. 8. 9., & 10. per doctrinam, à cap. 11. usque ad 22. per proprium sanguinem, passionem, & mortem, cap. 22., & 23. per resurrectionem a mortuis, cap. 24. Scripsit autem specialiter ea, quæ ab aliis duobus fuerant ommissa, videlicet infantiam, pueritiam salvatoris, ejusque præcursoris annunciationem, conceptionem, nativitatem &c. ipsius præsentationem in templo, inventionem inter DD. S. Magdalenæ, Zachæi, & unius è duobus latronibus crucifixis conversionem, apparitionem euntibus in Emaum, parabolas Pharisæi, & Publicani, Samaritani; mysteria Christi propria fusius narrat, ovis errantis, dracmæ perditæ, filii Prodigi, Lazari, & Epulonis, & similia, quibus valdè commendatur Christi pietas, & misericordia in miseros peccatores, ità recenset Irænæus, lib. 3. cap. 14., & alia.

ARTICULUS VII.

Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Joannem. Liber novi Testam. 4. Sacræ Scripturæ XLIX.

CHRISTUS DEUS, FILIUS DEI.

COgnito Christo vero homine, Rege, & Salvatore, sequitur procul dubio, ergo est Deus filius Dei, quam consequentiam inferunt, & probant Theologi toto de Incarnatione tractatu, non enim Deo poterat condignè satisfacere, nisi Deus, nec tam indigna Deo pati, nisi homo, nec veram Ecclesiam instituere, nisi esset caput ejus, homo Deus, Rex, & Salvator, qui proprio sanguine, proprium regnum redemit. Infert itaqua Joan. ex tribus præcedentibus Evangeliis, hanc consequentiam, quam probat suo, & hæc est ratio, quare in ipso ad divinitatem exurgit initio, idem enim est, ac si diceret, ergo Christus est Deus, prob. conseq. per primum principium rerum omnium, & a priori, quia in principio erat Verbum, &

Verbum

Verbum erat apud Deum &c. deinde a posteriori omnia per ipsum facta sunt, & iterum a priori. In ipso vita erat &c. postmodum concludit, & Verbum caro factum est, postmodum autem, & probat, & explicat per omnia capita assumptum, quod unicum verè dici potest assumptum, nempe humanitatem a Deo assumptam fuisse, in divinæ unitatem personæ.

Hæc est ratio continuationis, & summæ hujus, divinæque sapientiæ summa, hæc Evangelii bujus, si definibile sit, propria manet definitio. Dei Verbum de Verbo Dei, sive de Verbo, quod est a Patre, Verbum Spiritus Sancti; Sive Theologia Sanctissimæ Trinitatis, sive omne Verbum; nam & Verbum mentale continet, quia in principio erat Verbum, & dictum, & Verbum erat apud Deum, & scriptum, quia membranis vestitum, & impressum. Et Verbum caro factum est. Sic Trinitas, per Verbum expressa manet in Verbo, ac per Spiritum Sanctum, qui a Patre Filioque procedit, ad nos, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cognitio suprema descendit.

De Christi sinu, ubi erat, immò qui erat Verbum, hausit Jo: hausit ergo Spiritum Sanctum, quippe aliud de ipso Verbo hauriri nequit, nisi ille, qui immediatè ab ipso procedit, hinc nil mirum, si redeat Jo: ad Verbum, & ad Patrem, in quo, apud quem est in æternum, ad suum quippe rediens Spiritus Sanctus spiratorem, correlativè Joannem, qui ipsum inde hauserat, ad eum traxit. Hęc tamen cum ineffabilia sint, contemplari magis expedit, quam effari. Videamus igitur more nostro, quis, & qualis fuerit hic Joan. ubi, quando, quarè scripserit, & quid summatim.

Joannes, qui gratia interpretatur, & significatur per Aquilam, tum ab Ezechiele, cum a se ipso, in propria Apocalypsis visione, filius fuit Zebedæi, & Salome, frater autem Iacobi Apostoli, unus ex Discipulis Domini, immo Apostolus, Evangelista, & Propheta, Patre piscatore, natus Betsaide, patria vili, & obscura, ac soli apta piscationi, ut clarior esset divinis prærogativis, quò abjectior humanis, Virgo electus a Deo, de nuptiis, dum nubere vellet, vocatus fuit, ut Virgo in ævum maneret, & quo minus amorem sciret terrenum, magis abundaret divino, quem specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione secerat dignum, Evangelica fluenta de ipso Dominici pectoris fonte, ubi quievit, potavit. Filius Dei in sinu Patris. Joannes in sinu filii, utrumque invenit. Vitæ contemplativæ, & beatæ typus, quarto decimo anno secundam post Neronem persecutionem, movente Domitiano, in Patmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsim. Interfecto Domitiano, sub Nerva principe redit Ephesum, ibique rogatus ab Asiæ Episcopis suum scripsit Evangelium, contra Cerintheos, & Ebionitas, aliosque hæreticos, dicentes Christum ante Mariam non fuisse, nec esse Deum, eamque proinde Dei Matrem negantes, sic Christo obediens, qui in cruce eam Virginem Virgini commendavit, utique defensuro ejus Sanctissimam Virgineam, divinamque in primis Maternitatem. Ibi verò usque ad Traja-

A num perseverans, totas Asiæ fundavit, ac rexit Ecclesias, quotidiè prædicans charitatem, secundum Baronium anno Christi 99. scripsit Joan. anno scilicet 66. post Ascensionem Christi, ab excidio Hierosolimi: 27. Nervæ primo. Evangelium scripsit indicto prius communi jejunio, & oratione, Moyse altior, Propheta, & Evangelista (ideoque non ei similis, ut salvetur prophetia, prophetam similem tui) ille enim scribere cæpit de principio creaturæ in principio creavit Deus Cælum, & terram &c. hic de principio Creatoris, & Creatore; In principio erat Verbum &c. omnia per ipsum facta sunt, unico verbo complexus, quæ ille per quinque volumina cæpit attingere, ideò scribente Joanne primum Evangelii sui caput, constans opinio est plurimorum, facta esse de Cælo

B tonitrua, & voces, sicut in Sina, quod prædicens ipsi salvator, vocavit eum Boanerges, idest filium tonitrui; dicit de illo Tertullian. quod a Domitiano missus in ferventis olei dolium vegetior exivit, quam intravit, ex ferventi oleo lucem hauriens, gloriamque martyrii, servato martyre ad gloriam Dei, & instructionem Ecclesiæ. Balsamum enim incoruptibilitatis ex Christi hauserat sinu, scilicet amorem, cujus fervor, ignis, oleique derisit ardorem. Superari enim igne, Spiritus Sancti flamma non potuit, amor quippe Jesu, olei fuit effusio. Vixit ann. 99. requievit apud Ephesum 6. Kalen. Janua. anno enim 68. post passionem Domini fratribus vale dicto, tumulum intravit, & tamquam in lecto facta oratione quievit, unde quidam eum

C non mortuum asserunt, sed in sepulcro vivum requiescere, ait Viterbiensis, & dormire, ex hoc, quod terra ejus tumuli scaturiens, & se commovens, semper ad superna conscendit, & in superficie sepulturæ se movet, & pulvis quasi ob flatum intus quiescentis semper ebullit. Miracula ejus aliqua narrat idem Viterbiens. Virgas sylvestres in aurum mutavit. Lapides de littore collectos in gemmas convertit, alias gemmas contritas, & confractas in priorem formam restituit. Matronam viduam, ad preces populi suscitavit. Juvenem mortuum suscitavit, venenum sine periculo bibit, & juvenem eodem veneno mortuum, revocavit ad vitam. Viterb. in cronic. cap. 14.

Quòd autem mortuus non sit, sententia est non vulgaris. *Exiit enim sermo iste, inter fratres*, utique Apostolos, & Discipulos, *quod discipulus ille*

D *non moritur, & non dixit ei Jesus, non moritur, sed sic eum volo manere*, quomodo sic, idest, utique, sicut cum quievit supra pectus ejus absorptus dulcedine divinitatis, & ita nunc requiescit &c. Hæc autem ex documentis Evangelicis Hieronymi, Baronii, Bedæ Viterbiens., Alap. Theophila. aliorumque plurimorum narravimus. Qui postremus addit, *consideremus, & mirabilibus quiddam, quod circa sanctum illud Evangelistam accidit, unus enim ipse, três matres habere, comparet. Deiparam, Salomem, & Tonitruum. Nam filius tonitrui apparet, quia in Evangelio vocalissimus fuit. Deiparæ, quia ei dixit Christus ecce Mater tua, Salomè verò, quæ eum creditur genuisse &c. Docuit Seraphim, & Cherubim occulta Incarnati Verbi mysteria*: Chrisost. *proœm. in*

Jo:

Jo: permulta, ac pulcherrima de illo, ubiqu. Hieronym., & Epiphan., & Cirillus, & Augustinus. Plura ergo omittimus, ne institutam prætereamus brevitatem.

Finis Evangelistæ fuit, Dominum Jesum Christum probare filium Dei, & primo suo c. ut prob. Ambros. de fide lib. 1. cap. 5. Theophil. in idem cap. primum, aliique, omnes hæreses confutavit, deinde supplere ea, quæ aliis in Evangeliis non leguntur, non quidem omnia, quòd est impossibile, ut ipse dixit Jo: sed præcipua, quia igitur alii præcipuè circa annum tertium prædicationis Christi laborarunt, ipse per primos duos annos magis excurrit.

Quæres quænam sunt, quæ in solo ejus Evangelio, & non in aliis reperiuntur, saltem miracula, nam de aliis, in vita Jesu Christi patebit. Respond., sunt ista; conversio aquæ in vinum, ad nuptias Canæ Galileæ, cap. 2. expulsio prima vendentium de templo, eodem cap. Salus filii Reguli, cap. 3. Sanatio Paralitici, ad probaticam, cap. 5. illuminatio cæci nati, cap. 9. resuscitatio Lazari, cap. 11. lapsus Judæ, & choortis in captura Christi, cap. 18., Exitus sanguinis, & aquæ, ex latere Christi post mortem, ad ictum lanceæ, cap. 19., collatio potestatis ad remittenda peccata, Apostolis facta, post resurrectionem, per insuflationem Spiritus Sancti, cap. 20. Pisces multiplicati in piscatione Apostolorum, cap. 21.

Summa, & argumentum hujus Evangelii; quod Jo: intendit hanc conclusionem; Christus est filius Dei, eamque in primo cap. asserit, & proponit, deinde probat, & confirmat usque ad cap. 20. Postremò infert, & concludit circa finem, cap. 20., & per totum cap. 21., ibique aliqua profert de se ipso, ad fidem scriptorum firmandam. Ita erui potest, ex divisione Petri Aureoli hoc loco. Quomodo verò divinè proponat, & sublimissimè ostendat, cap. primo, ex se patet. Confirm. autem ex hoc, quia est per omnia Deo Patri coæqualis, in conditionibus divinitatis, videlicet auctoritate, cap. 2. efficacia salvandi, & potestate, cap. 3. penetratione mentium, & immensitate, cap. 4. similitudine operandi, cap. 5. animi, & cordis plena refectione, cap. 6. doctrinæ majestate, cap. 7. æternitate, cap. 8. honore, & Latriæ soli Deo debitæ dignitate, cap. 9. essentiæ identitate, cap. 10. benevolentia, & misericordia, cap. 11. Imperio, & regno, cap. 12. charitate, cap. 13. divinitate, cap. 14. collatione gratiæ, & infusione sanctitatis, cap. 15. splendore scientiæ, & sapientiæ, cap. 16. beatitudine, & fœlicitate, cap. 17. patientia, & longanimitate, cap. 18., & 19. processionem item ostendit Spiritus Sancti a Patre, & ab ipso Filio, cap. 20. Ultimo autem infert, & concludit intentum, & fidem facit veritatis, tamquam testis de visu, quoad ea, quæ adduxit, ad probandum assumptum, & ex Christi erga se amore vult intelligi, quòd ipse Christus, suæ secreta veritatis, eidem revelavit, & quòd, ut asserit Theophil. ab eo jussus est scribere omnia hæc, ut credamus, & credentes vitam habeamus æternam &c., quæ omnia ita strictim notata, vix tantæ sapientiæ stillam

A attingunt, at ne Expositionis munus usurpet brevissima inspectio, suspensa, admirans, & adorans hic sistit. Fortè, & omnia, & singula quatuor Evangelia in Epitome, quæ sequitur, vitæ ac mortis Sanctissimi Salvatoris, satis elucidata supplebunt.

CAPUT II.

ARTICULUS I.

Tempus æterni Filii Dei, Filii hominis, Salvatoris hominum Jesu Christi, sive temporalis vita æterni Jesu.

B

A SS. ejus Evangelistis. dicta.	A SS. ejusdem Prophetis prædicta.
Vita erat. Lux hominum.	*Et vita erat.*
IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.	IN principio Genes. 1. creavit Deus cœlum, & terram.
Omnia per ipsum facta sunt, Joan. 1.	Et dixit Dominus, fiat, & factum est.
In ipso vita, & vita erat	Et factus est homo in animam viventem.
Lux hominum, & lux in tenebris lucet.	Fiat lux, & facta est lux, & divisit Dominus lucem a tenebris.
C Hoc autem Verbum, caro factum est, & habitavit in nobis Joa. 1. Conceptus de Spiritu Sancto Lucæ 1.	Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Gen. c. 2.

(Certè animus erat, ea quæ in veteri Testamento specialiter respondent, vitæ ac morti, & factis, doctrinæque Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, hic quasi in marginali speculo adnotare, at quia hoc factum jam est, potissimum cum de prædictis, ad litteram, de Christo in veteri Testamento ageremus, ne illic actum agamus, curæ lectoris relinquimus, id brevi, facilique intuitu præstare, ac non inutili meditatione complere, quod nos, ne cum tædio nimis excrescat, hoc opusculum, hic subjicemus.)

D

Christi autem Generatio sic erat Math. 1.

ANno a creatione mundi 3950. qui fuit a Dilluvio 2293. ab Abrah. 2001. a Roma condita 751. a captivitate Babylonica 591. ab hebdomadis Dan. 453. a Machabę. 165., ab annis Julianis 43., Augusti Cęsaris circiter 42. Gabriel nunciat Zacharię conceptionem pręcursoris Christi, cumque Elisabeth anus concipit, & parit *Luc.* 1. *&* 2.

Aliquot mensibus post conceptionem Joannis, desponsatur Marię, Joseph, de stirpe David uterque; *Math.* 1. *Luc. pri.*, & idem Gabriel die 25. Martii, Virgini immaculatę nunciat Verbum, quod superveniente Spiritu Sancto concipit, fitque vera Mater Dei, quę visitat Elisabeth, & sanctificat in utero ejus Joannem. Hic nascitur 24. Junii, eodem anno; *Luc.* 1. *&* 2. Joseph dubitans de Virgine

gine tęta confortatur ab Angelo ei rivelante Incarnationis mysterium in somnis. Mat. 1.

Nascitur Christus in Betlehem die 25. Decembris, & die octava quę est prima Januarii, Circumciditur, vocatur Jesus, idest Salvator, filius David *Luc. 1. 2. 3. Math.* 1.

Die 13. ab ortu Christi, Magi stella duce veniunt Hierosolimam, inde in Betlehem adorare eum, cui offerunt, aurum, thus, & mirrham, & per Angelum moniti, per aliam viam revertuntur, ad loca sua, pretermissa Hierusalem. *Math.* 2.

Die 40. quę est Februarii 2. servans Virgo legem Purificationis, primogenitum suum Jesum presentat in Templo, offerens munus a lege taxatum. Simeon eum recipit, & prędicat, cupiens mori, nunc dimittis &c. & Anna Prophetessa eum recognoscit, *Luca* 2.

Herodes illusus a Magis, occidit omnes pueros, a bimatu, in finibus Betlehem, Christum occisurus, sed monitus Joseph, in somnis ab Angelo; secedit cum Virgine, & Puero in Ægyptum; unde admonitus de mortuo Herode rediens, habitat in Nazareth cum eisdem (die 7. Januarii post annum) & hinc Puer cognominatur Nazaręus. *Math.* 2.

Qui duodennis, cum solemni Paschę die, pro consuetudine Hierusalem cum suis parentibus ascendisset, deperditus, denique post triduum reperitur, disputans inter Doctores in Templo, inde redit Nazareth cum illis, quibus subditus, crescit ętate, & sapientia, ac gratia apud Deum, & homines *Luc.* 2. quo argumento tota ejus historia summatim describitur, de anno 12. usque ad trigesimum, interim enim delituit, artem fabrilem exercens, cum S. Josepho *Luc. 3. Marci 6. Math.* 13.

ARTICULUS II.

Ætas Christi virilis.

Acta trium ferè mensium anni 31.

ANno 15. Tiberii Cęsaris, Joannes cępit in deserto prędicare, & baptizare secundum munus suum, ut pararet viam Domino, *Luc.* 3. ac 13. die anni sui 31., qua die adoratus, ante 30. annos fuerat a Magis, baptizatus est a Joanne, in Jordane, & clarificatus a Patre, Spiritu Sancto, uti filius Dei, qui putabatur filius Joseph; *Luc. 3. Mat. 3. Marci* 1., & ut talis, ibi agnitus, & prędicatus est a Joanne ibidem, agnus scilicet Dei, qui venerat tollere peccatum mundi.

Eadem die 6. Januarii, secessit in desertum, ac orationi, & jejunio vacans solus, se præparavit ad tentationem, & prędicationem. Tentatus ibi, post 40. dies, die nempe 13. Februarii (qua die victo in omnibus Satana revertitur in Galilęam, & manet 15. diebus in Nazareth) *Math. 4. Luc. 4. Marci* 1. Eo verò victo, Angeli uti Domino suo, ministrabant ei, ibidem.

Die 56. a baptismo, secundum Epiphanium, hęresi, 5. quę erat prima dies Martii, cum annus esset bisextilis. Joan. respondet Legatis Judęorum, se non esse Messiam; 2. die Martii, idem videns

A Christum, digito monstravit: Ecce agnus Dei; id ipsum iteravit postridie, die 3. Martii, quo audito Andreas discipulus Joannis secutus est Jesum, & ad eum duxit Simonem fratrem suum. Postridie scilicet 4. Martii, Jesus vocavit Philippum, qui adduxit Nataneelem *Jo. cap.* 1. 2. 29. 35. 45. 43.

Die 5. Martii juxta Epiphanium, Jes. vocatus ad nuptias, primum edidit miraculum, vertens aquam in vinum, in cana Galil. mox descendit Cafarnaum *Jo.* 21.

ARTICULUS III.

Primus annus prædicationis Christi.

B ADie 25. Martii, an. 31. vitę Christi, quod est primum Pascha, usque ad finem Martii, anni 32. quod est secundum Pascha.

Instante paschate, de Capharnao Christus ascendit Hierosolimam, ibique facto flagello de funiculis, eiicit vendentes, & ementes de Templo, seque miraculis pluribus manifestans, ad se plures attrhait, inter quos Nicodemum principem Judęorum, quem de regeneratione baptismi, & fidei necessitate in Christum crucifigendum, edocuit, ad salutem, Jo. 2. & 3. hęc in Martio, cum cępit Jesus prędicare per se, & per Apostolos baptizare, initio Aprilis.

Joannes ergo suo functus officio, vocatur ad coronam; reprehendens enim Herodem, ob adulterium, C coniicitur in carcerem, mense Decemb. *Jo. 3. 22. & 23. Math. 14. Marci 6. Luca 3.* Recedens ergò Christus a Judęa, initio anni 32. *Jo.* 4. pergens in Galilęam, in itinere transit per Samariam, ubi Samaritanam, & per eam cęteros Samaritas convertit. Post biduum in Galilęam pergit, ubi a Galilęis benignè excipitur.

Initio Februarii, in Cana Galileę sanat filium Reguli, quod est secundum signum factum in Cana, ad quod, etiam plura ibidem addidit ad prędicatę veritatis confirmationem. *Math. 4. 12. & 13. Marci 1. & 14. Jo. 3. & 4.*

Post hęc, ambulans juxta mare Galileę, per miraculum capturę piscium, Petrum, & Andream, statimque Jacobum, & Joannem vocat ad Apostolatum, ut sint piscatores hominum (Andream enim D prius admiserat, cum Simone ad discipulatum.) *Math. 4. Luca 5. Marci pr.*

Cum his Capharnai sinagogam ingressus, uti testibus veritatis suę, prędicans, Dęmoniacum liberat; inde in domo Simonis, socrum ejus a febribus sanat, multosque languidos curat, ob quod per totam Syriam celebratur, & undique languidi adducuntur ad eum.

Postridie, ad orandum in desertum secedit, inde ut fugiat turbas, quę eum invenerant, jubet discipulos transfrętare, interim oborta tempestate dormientem excitant, ibique imperat ventis, & mari. *Marc. 1. Lu. 4. Mat.* 8.

Initio Martii anni ætatis suæ 32., transfrætando pervenit in regionem Gerasenorum, a duobus Dæmoniacis ejectos spiritus mittit in Porcos, a

No spiri-

spiritibus rogatus, qui in eos ingressi, 2. porcorum millia mergunt in mare, quapropter rogantibus Gerasenis transfretat iterum, in Capharnaum, ubi curat paraliticum, submissum per tegulas tecti. *Mat. 8., & 9. Marc. 5. Luc. 8.*

Ad mare egrediens, Matthæum è telonio vocat ad Apostolatum, & Jairi filiam mortuam, quasi dormientem excitat. In itinere hemoroissam, vestium tactu sanat, & duos cæcos illuminat, & mutum Dæmonem pellit, mirantibus Judæis, calumniantibus pharisæis. *Matth. 9. Marci 2. Lucæ 5.*

ARTICULUS IV.

Prædicationis Christi annus secundus.

AD secundum Pascha celebrandum, Hierosolimam Christus ascendit, ibi die Sabbati, languentem 38. annis paraliticum sanat ad piscinam, dimittitque, ut portet grabatum suum, *Joan. 5.*, & propter hoc, & quia die Sabbati, ejus discipuli vellunt spicas, eum calumniantur Pharisæi. Hos confutat, illos defendit, *Luc. 6. Matth. 12. Marci 2.* Sabbato manum aridam curat. Iterum verò calumniatus, vesaniam Judæorum declinans, tendit ad mare, ibi turbas docet, & languidos plurimos, ac Dæmoniacos curat. *Matth. 12., & 15. Marc. 3. Luc. 6.*

Quo tempore turbis relictis, in monte pernoctat in oratione Dei, formam tribuens electionis, indeque 12. Apostolos eligit, & declarat electionem, & cum his de monte descendens, immenso prædicat populo beatitudines, insigni complexus sermone totam Evangelii perfectionem. *Matth. 5. Marci 3. Luc. 6.*

Docet hinc abundantiam veræ justitiæ, supra Pharisaicam. Instruit ad orationem, elemosinam, & jejunium, ac a solicitudine revocat terrenorum, *Matth. cap. 6.*

Doctrinam sequitur, leprosi mundatio, quem mundatum mittit ad Sacerdotem. *Matth. 8. Marci primo. Lucæ 5.*, Urbemque Capharnaum ingressus, paraliticum Centurionis servum, absens curat, ac in ingressu Nain, filium suscitat Viduæ, *Matth. 8. Marci 2. Lucæ 5., & 7.*

His auditis, Joannes è carcere mittit ad eum 2. discipulos, ut eum agnoscant; respond. Christus per miracula, eisque dimissis, Joannem laudat, Pharisæos damnat, eisque præfert Publicanos, & Meretrices pœnitentes, *Luc. 7. Matth. 11.*

Insigni hoc demonstravit exemplo, ad convivium Simonis Pharisæi sedens, cum Magdalenæ suscepit amorem, & defendit, ei postponens Pharisæum, qui interius murmurabat. *Luc. 7.*

Mox Capharnai Dæmoniacum curat, cæcum, & mutum, Pharisæos quasi Dæmonis agentem virtute calumniantes, confutat, signum negans de cælo, profert de terra, ex Jona &c. *Matth. 12. Luc. 11. Marc. 3.*

Audiens prædicantem mulier, benedicit uterum matris ejus. *Matth. 12. Marci 3. Lucæ 8.*

Adveniant cognati, quasi furiosum ligaturi, *Marci 3.* admonetur, cognatos adesse, at eis præ-

A fert, etsi conjunctissimis, eos, qui audiunt, & custodiunt Verbum Dei, ut & mulieri prędictę respondit, *Matth. 13. Marc. 33. Luc. 8.*

Iterum ad mare pergens turbas docet in parabolis seminis, Zizaniorum, Sinapis, fermenti &c. easque seorsim discipulis exponit, addens, cæteras, nempe Thesauri, margaritæ, sagenę millæ in mare. *Mat. 13. Luc. 8. Marc. 4.*

In patriam Nazareth redit, ibique locum Isaię, in se completum ostendens, arguens eorum perfidiam, ab ira eorum fugit, quia præcipitare eum tentabant de monte, quod nec Dæmon ausus fuerat, cum eum tentaret, indeque expulsus perambulat Galilæam, evangelizando, *Marc. 6. Lucæ 8.*

Hinc Apostolos binos mittit ad prędicandum,
B ante se, eosque subsequitur, quoquoversum eo officio fungentes, miraculisque veritatem firmantes, *Matth. 10. Marc. 6.*

Cum hęc agerentur, Herodes audiens famam Jesu, putat ipsum esse Joannem, quem ipse paulò ante decollaverat, in die natalis sui. *Matth. 14. Marci 6. Lucæ 9.*

Eum itaque declinans Jesus, trans mare Galileę in desertum. Turbas docens, & sanans, pascit 5. panibus, & duobus piscibus, 5. hominum millia, ac ne Regem constituant, ipse solus fugit in montem orare, jussis discipulis ire trans fretum, quibus in mari periclitantibus, ambulans supra mare, Petrum titubantem, & mergi incipientem sublevat, & vortices sedat, ac tenens Genesaret, om-
C nes eorum languidos, tactu fimbrię curat, *Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Joan. 6.*

Postera die, cum occasione miraculi panis, & piscium, eum pleraque turba sequatur, panem prædicat cælestem, seipsum, quem solus, qui ederet, vivet in æternum, Eucharisticum annuncians sacramentum, *Joan. 6.*

ARTICULUS V.

Prædicationis Christi annus tertius.

A Tertio Paschate ad quartum, quo Lazarum suscitavit, idest a fine Martii ann. 33. ad initium Martii an. 34.

Hoc Paschate non ascendit Hierosolimam, Ju-
D dęis, eum ad necem quęrentibus, sed in Galilęa versatur, ubi Scribas, de discipulis manducantibus illotis manibus, eum expostulantes, docet, veras servare traditiones, & ex quibus homo coinquinetur, *Matth. 15. Marci 7. Joan. 7.*

Ad initium Maii, egressus in partes Tyri, & Sidonis, Cananeę filiam a Dęmone vexatam, improbis ejus precibus victus liberat. *Matth. 15. Marci 7.*, inde reversus ad mare Galileę, surdum digitis in aures missis, & eumdem mutum, lingua per salivam tacta, curat, *Matth. 15. Marci 7.*

Ascenso deinceps monte, curatis languidis, iterum per septem panes, paucosque pisciculos pascit 4. millia hominum, pręter parvulos, & mulieres, omnesque triduo famescentes; supersunt inde 7. sportę fragmentorum, ex quo, navi conscensa,

fa, venit in fines Magedo. *Matthæi* 15. *Marci* 8.

Phariſęos ibi, & Saduceos iterum ſignum de cęlo quęrentes repellit, eiſque dimiſſis docet diſcipulos, cavendum a fermento, ideſt hipocriſi Phariſęorum, ac transfretans venit Betſaidam, ac extra vicum, cęcum illuminat. Inde in partes concedens Cęſareę Philippi, Petrum ſe confitentem filium Dei, vocat petram Eccleſię. Mox crucis mortem, ſe Hieroſolimis paſſurum denunciat, & Petrum corrigit, a cruce alienum, docens crucem cuique ſuam eſſe ferendam, qui velit vitam æternam. *Matth.* 16. *Marci* 8. *Lucæ* 9. Id prope menſis Julii finem.

Poſt octiduum, coram trib. Apoſtolis, transfiguratur, in Monte Thabor, oſtendens gloriam crucis, de qua loquitur cum Moyſe, & Elia, ac paterna iterum voce teſtificante, clarificatur. *Mat.* 17. *Marci* 9. *Lucæ* 9.

Poſtridie 7. Auguſti, è monte deſcendens eiicit dęmonium a puero, quod diſcipuli non potuerant, quia in oratione ſolum, & jejunio illud genus Dęmoniorum cędit. iiſdem capitibus.

Verſans adhuc in Galilæa, iterum ſuam prædicit crucem, & Capharnaum ingrediens, jubet ſolvi pro ſe, & Petro didragma æquale, ſtatere ex ore piſcis recepto, iiſdem capitibus.

Contendentes ibi arguit diſcipulos deprimatu, cavenda ſcandala, fraternam correctionem docet, & veniam, exemplo, ſeù parabola ſervi immiſericordis, cui Dominus dimiſerat debitum, idemque totum, a nolente dimittere ſervo ſuo repetiit. *Mat.* 18. *Marci* 9. *Lucæ* 9.

In Septemb. aſcendit Hieroſolimam, ſed occultè ad feſtum Tabernaculorum, in via excluſus a Samaritanis, non vult petentibus diſcipulis ulciſci injuriſſm, fulmine, vel ſimili pœna, immò docens ſpiritum ſuum eſſe charitatis, inter decem leproſos, quos ſanat, etiam Samaritanum curat, eumque gratum laudat. In media verò ſolemnitate, adeò fortiter, & ſuaviter concionatur, ut miſſi ad capiendum eum miniſtri a Phariſæis, ipſi capti videntur. *Joan.* 7., & 8. *Math.* 19. *Lucæ* 9. Veſpere exit in Montem Oliveti.

Poſtero die regreſſus in templum, mulierem adulteram accuſatam a ſcribis, abſolvit, confuſis accuſatoribus, docens autem ſe eſſe filium Dei, impetitus propterea a Judæis lapidibus, abſcondit ſe, & exit de templo, inde die ſcilicet Sabbati cęcum a nativitate, per lutum ex ſputo, liniens curat, de quo magna quęſtio, & perfidia in Judęis. Mox de bono paſtore, & mercenario, & de ovibus ſuis diſſerit, *Joan.* 8. 9., & 10.

Poſt hæc diſcedens Hieroſolima, diſcipulos deſignat 72. quos ante ſe mittit, ut prius Apoſtolos; quibus cum gaudio reverſis, viciſſim in ſpiritu exultat, quod parvulis Pater ſapientiam revelavit. *Lucæ* 10. *Matth.* 11.

Notant ibi DD. quod quę hactenus dicta ſunt certum ordinem, & ſucceſſionem ſervant, quę verò ſequuntur, quoad ordinem probabiliter tantum ponuntur.

A legis perito tentatus, quę ſit via ad ęternam vitam, ex ipſius ore, dat viam dilectionis Dei, & proximi, & quis hic ſit explicatur per parabolam Samaritani, qui vulneratum a latronibus, a Levita, & Sacerdote neglectum, miſertus, curari fecit. *Lucæ* 10.

Menſe Novembri exceptus hoſpitio a Martha, & Maria, illius ſollicitudinem, laudato hujus otio, reprehendit, *Luc.* 10.

Ut oravit, orare diſcipulos inceſſanter docet, ac formulam tradit orationis, Pater noſter, ejuſque vires oſtendit, per parabolam amici petentis nocte tres panes. *Luc.* 10. & 18.

Invitatus, in menſa Phariſæi, cum Phariſæis ſedens, redarguit illorum præpoſteram religionem, lotiones, ſuperbiam, & hipocriſ. *Lucæ* 11.

Occaſione ſumpta, ab eo qui ait, dic fratri meo, ut mecum dividat hæreditatem, ab avaritia, & ſollicitudine terrenorum avvocat, ad ſpem divinæ providentiæ, & curam æternorum, docens, qualis eſſe debeat ſervus expectans venturum Dominum. *Luc.* 12.

Audit Galilæos a Pilato occiſos, hinc docet pęnitentiam, ſimilitudine ficus ſterilis, & ſuccidendę. *Luc.* 13.

Mulierem, Dæmonis malitia contractam, ſabbato curans, ob id ab Archiſinagogo reprehenſus, cum ratione tradita reprimit, populoque gaudente per duas parabolas fermenti, & grani ſinapis, oſtendit futurum Evangelii augmentum. *Luc.* 13.

Iter faciens in Hieruſalem, interrogatus, an pauci ſalventur, affirmat, docet anguſtam viam eſſe, & quod excluſis, familiaritatem prætendentibus, exteri ſalvabuntur.

Eodem die monitus, ut ab Herode caveret, reſpond. ſe occidendum a Judæis, Hieroſolimæ, non ab Herode, ploranſque, talis peccati prædicit vindictam a Tito futuram. *Luc.* 13.

Menſe Decembri ad menſam principis Phariſæorum vocatus, illic ſanat hidropicum ſabbato, idque licere probat, docetque invitatos, humilitatem in loco, & invitantes miſericordiam in pauperes, parabolam ideò adducens, invitantis ad cænam, qui nolentibus accedere invitatis, pauperes vocat, ac debiles, prophetans excluſionem ſinagogæ, introductionem Eccleſiæ, ad menſam ſuam. *Lucę* 14.

Turbas circumfluentes docet, omnibus renunciare, & crucem ferre debere eum, qui ſequitur Chriſtum, & exemplo Regis prælianris, & Domini ædificantis, prius vires eſſe experiendas, ad talis ſtatus electionem. *Luc.* 14.

Hieroſolimis in feſto Encæniorum, quod tunc erat 7. Decemb. Rogant eum Judæi, dic nobis ſi tu es Chriſtus. Reſpondet operum ſuorum teſtimonio, quod ipſi non noverant, quia non erant de ovibus ſuis. Ab eorum igitur perfidia recedens, in Bethabara concedit, ubi eum baptizaverat Joannes, ibi peccatores, & Publicanos recipiens, & docens, murmurantes ob hoc Phariſæos confutat, tribus parabolis, ſcilicet ovis errantis, drachmæ perditæ, & filii Prodigi. *Joan.* 10. *Math.* 19. *Marci* 10. *Lucæ* 15.

Elemoſinam prædicat, exemplo villici iniquitatis, & divitis Epulonis, damnans Judæorum avaritiam.

tiam. *Luc.* 16. A

Differit de divortio, & præfert nuptiis cęlibatum. *Math.* 19. *Marci* 10.

Januario ineunte, de vitando ſcandalo admonet, & de fide, ſub grani ſinapis parabola &c. *Luc.* 17. Mox in Februario, exemplo Publicani, & Phariſęi, meritum commendat humilitatis, nec non & parvulorum advocatione, & benedictione. Sinite parvulos venire ad me. *Luc.* 18. *Math.* 19. *Marci* 10.

Adoleſcentem docet evangelicæ paupertatis conſilium, quo territus abiit; hinc ſuadet, quam difficilè divites ſalvantur, quam grandem mercedem promittit pauperibus, ſequentibus ipſum, *iiſdem capitibus*.

Demum per parabolam operariorum vineæ, diverſa hora conductorum, docet in cœlo fore noviſſimos primos, multos vocatos, paucos electos. B
Math. 20.

ARTICULUS VI.

Annus 4. Prædicatio, Paſſio, & reſurrectio Chriſti, ideſt a ſuſcitato Lazaro ad Aſcenſionem.

Vixit Chriſtus, ann. 33. & 3. menſibus, qui ſuperſunt a natali ejus, uſque ad Paſcha. Hic ergo annus complectitur ſolum Martium, Aprilem, & initium Maii. Suſcitavit Lazarum initio Martii, crucifixus eſt 25. Martii, reſurrexit 27. Martii, aſcendit in cœlum 5. Maii.

Reſuſcitat itaque Lazarum, & multi convertuntur, ex quo invidi, & indignantes Pontifices, & Phariſæi, inito Concilio, cui præerat Caiphas, C
decernunt ejus mortem, quod ſciens Jeſus, ſecedit in Efrem, urbem, ex qua, inſtante Paſchate, aſcendit Hieroſolimam, prædicens in via, paratam ſibi crucem, cui ultrò ſe offerebat. *Joan.* 11. *Math.* 20. *Marci* 10. *Lucæ* 18.

Filii Zebedei, putantes Chriſtum, ad regnandum procedere Hieroſolimam, per matrem petunt principatum in regno ejus; Ille calicem pro principatu proponit. *Math.* 20. *Marci* 10. *Lucæ* 19.

Tranſiens per Jericho, Zachæum recipit, Batimæum cæcum, aliumque cæcum illuminat, & ante Paſcha 6. dies, die Veneris ante Dominicam Palmarum, venit Bethaniam, *Luc.* 18. & 19. *Math.* 20. *Marci* 10. *Joan.* 12.

Sabbato, in domo Simonis leproſi cænat cum Lazaro, Martha miniſtrante, Maria nardum ef- D
fundente, ſuper caput ejus, quod indignatus Judas, ab ipſo corripitur. *Math.* 26. *Marci* 14. *Joan.* 12.

Erat dies 20. Martii, Dominica Palmarum. Bethania venit Betfihage, indeque aſino inſidens, ſtratis diſcipulorum palliis, turba, palmarum ramis plaudente, canentibus pueris; Oſanna filio David. Hieroſolimam triumphans, agnitus Meſſias ingreditur, eique appropinquans, futurum ejus excidium lacrymatur. *Math.* 21. *Marci* 11. *Lucę* 19. *Joan.* 12.

Urbem ingreſſus, Templum adit, ex eo eiicit vendentes, & ementes, ægros ſanat, Gentiles eum videre contendunt. Fremunt invidi Phariſæi, vox de cœlo Jeſum glorificat. *Math.* 21. *Marci* 11. *Lucę* 19. *Joannis* 12.

Veſpere ejuſdem diei, pergit Bethaniam, poſterò manè in urbem revertens, in itinere maledicit ficulneæ ſterili. Hinc de Templo iterum, & tertio eiicit vendentes, & ementes, docet tota die, in Templo, ac veſpere rurſus exit Bethania. *Math.* 21. *Marci* 11.

Poſtera die, feria ſcilicet 3. Martii 22. in urbem revertens, mirantibus diſcipulis ficulneam, maledicto ejus areſactam; vires commendat fidei, & orationis, docet in Templo, Phariſæos confutat; ſibi obſtrepentes, & minatur excidium. Illi doloſas machinantur quæſtiones, ut capiant eum in ſermone, quærunt de juſtitia cenſus, de reſurrectione mortuorum, de legis mandato maximo; quæſtiones ſapientiſſimè ſolvit, eiſque alteram de filio David proponit, ac divinitate, ad quam obmuteſcunt, eorumque ſuperbiam, hipocriſim, & avaritiam damnat. *Math.* 21. & 22. *Marc.* 11. & 12. *Luc.* 20. Poſt hæc, ad plebem converſus, docet audiendam quidem Scribarum, & Phariſæorum doctrinam, ſed non imitanda opera. *Mat.* 23. *Marc.* 12. *Luc.* 20.

Hinc ſedens contra Gazophilatium, viduam offerentem 2. minuta, aliis aurum offerentibus præcommendat, & egrediens de templo, mirantibus diſcipulis ejuſdem templi fabricam, deſtructionem illius prædicit. *Mar.* 12. *Luc.* 21. *Math.* 24. De templo in montem Oliveti, dum ſecedit, diſcipulis percuntantibus, quando hæc erunt? prædicit ſigna everſionis Hieruſalem, & totius mundi, diem tamen extremum abſconditum dicit, ut vigilent omnes, idque ædifferit per parabolam quinque prudentum Virginum, & quinque fatuarum, ſervi pigri, furis, & dilluvii Noe. *Mat.* 24. *Mar.* 13. *Luc.* 21. ibique judicium deſcribit extremum. *Math.* 31.

Fer. 4. Martii die 23. prædicit ſe crucifigendum in Paſchate, poſt duos abhinc dies. Hinc Judas paciſcitur cum Judæis, ejus venditionem 30. argenteis, *Math.* 26. *Marci* 14. *Luc.* 22.

Fer. 5. Martii 24. mittit Petrum, & Joannem ad parandum Paſcha, in urbe, quos ſecutus veſpere, hora cœnæ facit Paſcha cum Diſcipulis ſuis, & ſurgens a cœna, lavit pedes Diſcipulorum, & etiam Petri reluctantis; Euchariſtiam inſtituit, & diſtribuit diſcumbentibus, prædicens Judę proditionem, ſuppreſſo nomine, quod ſoli Joanni indicat, bucellam intinctam porrigens Judæ, qui ſe notum videns, egreſſus, ſcelus perfecit &c. contendunt iterum de primatu diſcipuli, eos docet humilitatem, & mandatum dilectionis novum. Hinc proximam comprehenſionem ſui, futuram Apoſtolorum fugam, & Petro, conſtantiam præ cæteris jactanti, trinam negationem prænunciat. Mox ad triſtium diſcipulorum conſolationem converſus, prolixo, ac amantiſſimo ſermone, variis modis dejectos eorum animos erigit. *Joan.* 14. 15. & 16.

Quos ſermone completo, oratione ad Patrem habita, ſuos omneſque credituros illi commendat. *Joan.* 17. *Math.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

ARTICULUS VII.

Et in septima requievit. Gen. c. 2.

Series dulcissimæ, & amarissimæ passionis D. N. J. C.

Eadem nocte, post actas Deo gratias, ad finem cœnæ, hymno scilicet dicto, egreditur, de more suo, in hortum Oliveti, ad orandum seorsim, cum Petro, & Jacobo, & Joanne, ubi pavere, & tædere, & tristis esse cœpit anima sua, idque discipulis, semel, terque Patri in oratione significat, petens si possibile sit, tam immanis calicis translationem. Tandem agoniam incidens, factus est sudor, sanguis, excitat ter discipulos dormientes, & ab Angelo confortatus, ultrò se, Judæ osculo, & Judæorum tradit manibus, quos una voce prostratos expectat, & Petri gladium corrigens, ictum eo militem sanat. *Math. 26. Mar. 14. Luc. 22. Jo: 18.*

Vinctus jam ducitur ad Annam primum, ac statim ad Caipham, anni illius Pontificem, cui dum respondet, alapa atteritur. Accedunt falsi testes, quibus rejectis, ob evidentem calumniam, rogatus Jesus an sit Messias, asserit; quare uti blasphemus inducitur, & illuditur, *iisdem capitibus*.

Interim Petrus, ab Ancilla, & Judæis interrogatur, & negat ter, esse se discipulum Christi, sed unico Jesu intuitu, ad tertium galli cantum resipiscit, egreditur, & flet amarè. Hæc omnia hac nocte. *Joan. 18. Math. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

Manè verò fer. 6. die 25. Martii, a coacto iterum Concilio, Jesus damnatur, & Pilato præsidi traditur, ut puniatur, quod videns Judas, post desperatam confessionem rejectis nummis, laqueo se suspendit, ac crepuit. Emerunt verò ex eis Judæi agrum, in sepulturam peregrinorum. *Luc. 22. Math. 27. Mar. 15. Joan. 18.*

Pilato recusante, Jesum damnare, accusant eum, quod se Regem fecerit Judæorum, quod tumultum fecerit, & seditionem a Judæa usque ad Galilæam. Rogat ergo Pilatus Jesum, an sit Rex Judæorum; Respond. Jesus, ita, sed regnum suum non esse de hoc mundo, ideoque ejus innocentiam agnoscens Pilatus, eum nititur liberare, & audiens virum esse Galilæum, ad Herodem Galileæ Tetrarcam, eum mittit, ita Herodem sibi concilians, alias sibi inimicum. Herodes expectans ab eo signa, frustratus, indutum veste alba, ad spretum, remittit Jesum ad Pilatum. *Joan. 18. Luc. 23. Mar. 15. Math. 27.*

Ut Jesum liberet Pilatus, eum cum Barabba proponit, ut de more in Paschate alteruter dimittatur, at populus, ex pontificum instigatione, petit Barabbam, Jesum cruci inclamat. *Math. 27. Mar. 15. Luc. 23. Joan. 18.*

Sedaturus populi rabiem, flagellandum tradit Jesum, eumque flagellis laniatum, coronâ spineâ compunctum, purpurea veste illusum, arundineo sceptro contemptum, Regem doloris, & ludibrii, offert Judæis videndum, ut vel sic satientur, vel mitescant. At illi fortius, ac crudelius, ad crucem inclamant, minantes Pilato, Cæsaris furorem, si

A hunc dimittat, qui se Regem facit. Ad hæc Pilatus lotis manibus, ad innocentiæ, & Jesu, & sui protestationem, cum Judæis tradidit crucifigendum, cujus sanguinem super se, & filios suos assumebant. Angebatur enim præses, & ab uxore, ne Jesum perderet, & a Judæis, ut eum traderet cruci &c. *Math. 27. Mar. 15. Luc. 23. Jo. 19.*

Trahitur ergo Jesus è prætorio, crucem bajulans, ad montem Calvariæ, at ne sub onere moriens frustraret barbariem Judæorum, Cirenæo Simoni imponunt, ut eam portet post ipsum. Lamentantur, & plorant mulieres Hierusalem, quibus Jesus, ut super se, & filios suos plorent, indicit futurum exterminium. *Math. Mar. Luc. loco citato.*

Ad Calvarium, ut pervenit, offerunt ei vinum felle mixtum, & postea mirrhatum, quod recusavit, mox nudatum, & humi supra crucem protensum, eidem clavis dirè configunt, trajectis manibus, pedibusque; erat autem hora sexta, aut circiter meridies. Inde erigunt crucem, cui præfixus etiam erat titulus, & causa; J. N. R. J. mediusque stetit, nam duo nequam, alter hinc, alter illinc pendebant, a latere crucifixi, choors, & societas Sanctissimi Jesu. Videbat autem Jesus milites, sub cruce dividentes sibi vestimenta sua, & de veste sortientes. *Math. 27. Mar. 15. Luc. 23. Joan. 16.* audiebatque principes, ac vulgus sibi crucifixo insultantes, pro quibus vicissim ipse Patrem rogabat, conviciantes pariter ei, & crucifixos latrones, sed sua oratione obtinuit, dexteri latronis conversionem, qui sinistrum reprehendens, Dominum Jesum invocans, & regnum ab eo petens, ab eo audivit, hodie mecum eris in paradiso. *Math. 27. Marc. 15. Luc. 23.*

Concesso latroni Paradiso, Matri committit Joannem, Joanni Matrem ad crucem stantem, ex quodam doloris raptu. Dein clamans, *sitio*, potatur aceto, gustat, & abstinet, dictoque consumatum est. Commendatum Patris in manus, circa horam nonam emmittit spiritum. Obscuratur Sol, movetur terra, concrepant petræ, sepulcra panduntur, templi velum in duo conscinditur, tremit, dolet omnis creatura suum sentiens, non amplius sentire creatorem. Ad hæc Centurio resipiscit, ac plures tundunt pectus, videntes (dum non vident) eum esse filium Dei. *Joan. 19. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.*

Latronum hinc crura frangunt, non verò Jesu, quem mortuum vident, sed unus militum, lancea aperit latus ejus, unde continuò prodit sanguis, & aqua. Petit Joseph ab Arimathea a Pilato corpus Jesu, & depositum a cruce, ac conditum cum Nicodemo sepelit in sepulcro suo novo de petra. Custoditur, lapide grandi clausum sepulcrum, ac signatum. *Joan. 19. Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

ARTICULUS VIII.

Gloriosæ resurrectionis series.

Dominica die 27. Martii orto nondum sole, Gloriosus sol justitiæ surrexit de sepulcro, lapidem

pidem penetrans subtilitate, qui primus fuit effe- A
ctus beatitudinis, seù sua morte aquisitę glorię corporis. Hinc Angelus terręmotu facto, lapidem removet, exterriti fugiunt custodes. Ecce mulieres, coempta, & parata unguenta adferentes, ad corpus condiendum, Summo manè accedentes, in apertum sepulcrum introspicientes, sola sine corpore linteamina in unum locum obvoluta comperiunt. Ingrediuntur, Angelus in albis annunciat Christum resurrexisse; Apostolis nunciant; currunt, cum eis Petrus, & Joannes ad monumentum, qui visis linteaminibus tantum, redierunt mirantes, sequentibus eos mulieribus, sola hęret sepulcro Magdalena, & plorantibus oculis, prima Jesum videt, quem hortulanum putans, non agnoscit, donec ille dicat, Maria. Hinc alias redeuntes domum secuta, nunciat visum, qui statim eidem occurrens, B
dicit, avete. Hęc prima est apparitio facta Magdalenę, & mulieribus. *Matth.* 28. *Marti* 16. *Luc.* 29. *Joan.* 20.

Secunda apparitio. Non credentibus Apostolis relatam a mulieribus visionem, apparet Petro, *Luc.* 24.

Tertia, eadem die suę resurrectionis, duobus euntibus in Emaus, se jungit Jesus, eumque, post explicata, quę de ipso erant in Scripturis, cognoscunt vespere, in fractione panis. *Luca* 24. *Matth.* 16.

Quarta, eodem vespere, in cœnaculo apparet 11. discipulis, cum quibus Thomas non erat, & cum eis manducat, datque potestatem remittendi peccata. *Mar.* 16. *Luc.* 24. *Joan.* 20. C

Quinta. Die 3. Aprilis, a resurrectione octava cum Thomas non abest, venit Jesus, eique manus, & latus ostendens, & palpari jubens, cor ejus invadit, unde credens exclamat, Dominus meus, & Deus meus. *Joan.* 20.

Sexta. Conspicitur in littore, a septem discipulis piscantibus, & ejus jussu ingenti capta piscium copia cognitus, inquit Petro, pasce oves meas. *Joan.* 21.

Septima. In monte Galilęę, ut eis promiserat, apparet Apostolis, alisque fidelibus, ibi precipit Apostolis, Evangelizare, & baptizare omnes gentes, ac potestatem miraculorum ad veritatis confirmationem impertit. *Matth.* 28.

Octava. Lapsis jam, a resurrectione diebus 40. nempe die 5. Maii, in Montem Oliveti locum D
consuetę ejus orationis discipulos educens, ibique instruens, & increpans eorum incredulitatem, ac Spiritum Sanctum promittens mittendum in die Pentecostes, eisque benedicens, ascendit gloriosus, & nubes suscipit eum ab oculis eorum, indeque sedens ad dexteram Patris, Ecclesiam suam mirabili regens amore, expectatur ad Judicium rediturus, eo habitu, quo gloriosus ascendit. *Marci* 16. *Luc.* 24.

TRACTATUS SEXTI

SECTIO QUATA.

CAPUT I.

Pars secunda novi Testamenti, de Doctrina Apostolorum.

ARTICULUS I.

Continuationem Sac. Script., & preambula prabens.

PER quatuor Evangelistas veluti per quatuor Archicancellarios regni cœlorum, traditis de Christo mysteriis, in quibus tota Christianæ Religionis summa consistit, videlicet, humanitatis, regni, sacerdotii, & divinitatis Christi Redemptoris, quæ adhuc superfit, Apostolicæ necessitas doctrinæ ad salutem, explicat Paulus Doctor Gentium, *ad Roman. cap.* 10. *quomodo*, inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt. Quomodo autem audient sine prædicante, quomodo verò prædicabunt nisi mittantur &c.* Hæc igitur ratio est continuationis, ut post Evangelium, doctrina accedat Apostolorum, quos Deus constituit dispensatores, & Interpretes mysteriorum Dei, prima Chorin. cap. 4. quod munus perfectè impleverunt. Ecclesiam sibi commissam informando quoad fidem, & mores, & scripto, ut videbimus, & dicto, & testimonio sanguinis, pro fidei veritate, & virtutis defensione heroicè effusi, ut notum est, & quod ostendi hic breviter potest, cum Ecumenio, Edero, Cornelio, cæterisque, eorum prædicationem, & regiones, quas illustrarunt, per eam, & per martyrium, indicando, quamvis enim aliqua ex his, quæ hic notamus, alibi sint repetendi, hic tamen ut in proprio loco, fas est non omittere.

Petrus, qui primum Simon, mutato a Christo nomine Cephas, idest Petra, vel Petrus dictus est, primus Apostolorum, non ætate, quia eo senior Andreas, non vocatione, quia post Philippum, & Andream vocatus, non dilectione, quia præ omnibus dilectus Joannes, sed dignitate, excellentia, & auctoritate, quia claves accepit regni cælorum, de quo frequenter in Evangelio, & in actis Apostolorum; scriptor canonicus, Christi Vicarius, primus Prædicator Christianæ veritatis, in Hierusalem, & ut colligitur ex suis epistolis, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithinia, alisque regionibus, ac demum in Italia, & potissimum Romæ, prædicato Evangelio, prostrato Simone Mago, Nerone imperante, verso deorsum capite crucifixus, sepelitur ibidem, tertio Kalendas Julii.

Andreas, qui græcè *fortis*, & *virilis* dicitur, frater Simonis Petri, eo senior, ut communius asseritur, licet eum Beda dicat Juniorem, prius discipulus Joannis Baptistæ, immò secundum Gaudentium,

dentium, ex discipulis ejus primus, unus ex illis, quos misit Joannes ad Christum, Messiam fratri suo indicavit, & cum eodem a Christo electus fuit Apostolus, ut ex Evangelio; Hic, sicut majores tradiderunt, Scythis, ac Sogdianis, & Sacis, Evangelium prædicavit; In magna quoque civitate, ubi castrum est Asphorus, & Phasis Fluvius, Patras denique, sanctissimæ Præco Eucharistiæ, & crucis exaltator, ab Egæa Achajæ proconsule crucifixus, ibidem sepelitur.

Philippus, græcè *bellicosus*, *equestris*, vel secundum Hieronymum, *os lampadis*, vel *lampas*, quia ut ait Emissenus, velut lampas os ejus, orbem illuminavit, primus, ut ajunt, inter discipulos Domini, quamvis non primus, inter Apostolos, Christo admodum familiaris, quem aliqui Nathanaelem fuisse putant, de quo in Evangelio, in Phrygia prædicato Evangelio, martyrio coronatus est, Hierapoli.

Bartholomæus, secundum Hieronymum, *filius suspendentis aquas*, quia & ipse piscator, aquas, & retia suspendit, quasi in votum, quia sicut alii Apostoli, relictis omnibus, secutus est Christum; ut aliqui meditantur, vel sicut Rupertus, & Orosius apud Cornelium putant, ita dictus, quia ejus occasione, Christus aquam mutavit in vinum in nuptiis Canæ, in quibus ipse creditur Sponsus, sed hoc pluribus non placet. Alii ipsum putant filium Regis Ægypti, quia *bar* significat filium, unde Bartholomæus, quasi filius Ptolomæi, ast quia omnes Apostoli Galilæi fuerunt, hæc opinio deseritur, & impugnat eam Abulensis, ad cap. 10. Mathæi, quia revera fuit ejus nomen Bathimæus, idest filius Thimæi, a vulgo dictus Bartholomæus. Indis Evangelium prædicavit, iis, qui fœlices appellantur, quibus tradidit Evangelium Mathæi, eximius Religionis, & castitatis assertor, excoriatus Albani, quæ urbs est magnæ Armeniæ, Indice sepelitur.

Jacobus Zebedæi filius, dictus major, quia vocatione prior, quam alius Jacobus, qui fuit Alphæi, & ætate etiam major Joanne fratre suo, unde major, appellat, in hoc sensu, supra ly Zebedæi, major scilicet filius Zebedæi, Hispaniarum Apostolus, & protector, interpretatur *supplantator*, & secundum aliquos, *confessio*. Prædicavit Evangelium duodecim Tribubus dispersis, primusque inter Apostolos, fuit Christi Martyr, ab Herode Agrippa, seu Tetrarcha, gladio interemptus fuit, in urbe Marmatica, ut præfertur.

Joannes, filius pariter Zebedæi minor, frater Jacobi majoris, interpretatur communiter *gratia*, vel *gratiosus*, sicut Zebedæus, *liberalis*, vel *magnificus* secundum Pagninum, & Caninium, dilectus Christi, ob insigne privilegium castitatis, fluenta Evangelii, de Dominici pectoris fonte potavit, celebris Apostolus, & Evangelista, epistolarum canonicarum, & Apocalypsis scriptor, quam scripsit, in Pathmos insulam relegatus a Domitiano, ex cujus mysteriis dictus est a Hieronymo, Apostolus, Evangelista, & Propheta, Romæ in ferventis olei dolium missus, ob fidei testimonium, illæsus exivit, in Asia prædicavit, omnesque Asiæ, quas fundavit, diù rexit Ecclesias; minor natu inter Apostolos, plus cæteris omnibus vixit, & juxtà sermonem qui exierat inter fratres, quod discipulus ille non moritur, sed sic eum vult Christus manere, donec veniat, secundum Bedæ, aliorumque non minimæ notæ Doctorum opinionem, adhuc vivus, quiescit sepultus, quasi obdormiens Ephesi, cui tamen non defuit, & animus, & actus Martyrii, etsi non adfuerit exitus.

Thomas, græcè *geminus*, vel ut alii vertunt, *abyssus*, qui (sensus est Gregorii) & fide, & infidelitate sua profuit fidelibus, prædicato Evangelio maximis laboribus, ut memoriæ proditum est, Parthis, Medis, Persis, Carmanis, Hircanis, & Bactris, ac denique Indis, charitate ferventissimus, ideò *Geminus*, Calaminæ telis confossus fuit pro Christo.

Mathæus binomius, qui & Levi dictus est, quique ex humilitate se Publicanum appellat, Apostolus, & Evangelista, immò inter Evangelistas ordine primus, & diligentissimus temporum, & Christi operum custos, & observator, ex Telonio, ad Apostolatum evectus, Dei gratiam magnificavit, Dei dono eximius, ut præsefert nomine, nam Mathæus hebraicè, *donatus*, vel *donum Dei*; græcè verò, *Dosithæus*, vel *Theodorus*, aut *Theodotus*. Levi autem interpretatur, *additus*, quia dono Dei, additus fuit Apostolis, & Christo appositus. In Æthiopia, aliisque regionibus prædicavit, in Hierapoli Parthæi, Apostolicum culmen, Martyrii gloria cumulavit.

Jacobus Alphæi filius, de ejus nomine, supra in Jacobo majore, Alphæus interpretatur, *doctus*, vel *doctor*, cujus filius uti Doctoris, doctrinam nutrivit veritatis, dictus est, Jacobus minor, altero nempe Jacobo, ætate, ac vocatione posterior, non merito tamen, ac dignitate. Mater ejus Maria Cleophe, quæ dicitur soror Mariæ matris Domini, idest consobrina, hinc & Jacobus dictus est frater Domini, & Cleopham aliqui dicunt, eumdem esse cum Alphæo, frater fuit Judę Apostoli, non verò Matthæi. Pater enim Matthæi, & ipse dictus fuit Alphęus, sed alter ab isto Patre Jacobi, & Judę. Scriptor canonicus fuit, ejus enim est Epistola Jacobi; adeò lineamentis similis Christo, ut Judæ proditori opus fuerit, eum discernere osculo, quod Christo impinxit; fuit primus Episcopus Hierosolimitanus; ibique prędicans Evangelium Christi, lapidatus fuit, & præcipitatus, 96. annos natus.

Thadæus, qui & Læbeus, idem ac Judas, frater Jacobi, de quo hic proximè; Læbeus græcè *corculum* secundum Hieronymum, idest, *cor exiguum*, generosi hominis insigne, quia leo cor habet parvulum; hinc & idem interpretatur ab aliis, *leoninus*, nam & Judas Patriarcha filius Jacob, in benedictione patris sui dictus est leo, Genes. 49. Scriptor canonicus fuit, ut constat ex ejus epistola; Edessenis, & toti Mesopotamię, Verbum Christi annunciavit, sub Abagaro Edessenorum Principe, in Perside, Martyr occubuit.

Simon Cananęus, at melius, (ut Caninius advertit) Canęus, quia natus in Cana Galileę, quem plures

plures affirmant fuisse sponsum in nuptiis, cum Christus aquam vertit in vinum; secundum Æcumenium, post Jacobum, justus Episcopatum suscepit Hierosolimitanum; post prædicatum in Ægypto Evangelium, anno 120. in Perside, cum Thadæo, martyrii gloria coronatus fuit.

Judas, Iscariote, proditor Christi; ut precipit David, deleatur de libro viventium, & cum Justis non scribatur.

Mathias, unus ex discipulis Domini, in locum Judę proditoris electus, prędicavit in Æthiopia citeriore, pro Christo vitam profudit, in castro, Apsucus dicto.

De Paulo Apostolo infra suo loco aliquid notandum erit.

Hic solum placet, cum pluribus advertere, quod Christus trinum par Apostolorum, scilicet fratrum elegit, Petrum, & Andream; Jacobum, & Joannem; Jacobum minorem, & Judam (addunt aliqui) & Simonem Cananęum fratrem Jacobi minoris, & Judę, ut etiam ipsorum electio esset prędicatio charitatis, ut observat in simili facto Gregorius hom. 27. in evangelia, & specialiter Spiritus Sanctus, Ecclesiast. cap. 25. in tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ probata sunt coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum.

Iterumque notant aliqui, Christum elegisse plures suos consanguineos ad Apostolatum, at quare? quia sic eligebat ad passiones, labores, & martyrium, non ad divitias, & honores, ut discant Prę-lati Ecclesiarum, ne ipsis dicatur oppositum, ac Petro dixit Christus, nempe, non estis beati, quia caro, & sanguis revelavit vobis, non meum exemplum.

Ne verò quid desit, etiam 70. discipulorum nomina, ex Hippolito, & Dorotheo, hæc sunt.

1. Jacobus frater Domini Episcopus Hierosolimitanus. 2. Cleophas Episcopus Hierosolimi. 3. Mathias, qui electus est Apostolus. 4. Thadæus, qui Abgarum a morbo liberavit. 5. Ananias, qui baptizavit Paulum, postea Episcopus Damasci. 6. Stephanus Protomartyr. 7. Philippus, qui Eunuchum baptizavit. 8. Procorus Episcopus Nicom. 9. Nicanor. 10. Timon Episcopus Bostri in Arab. 11. Parmenas Episcopus Solorum. 12. Nicolaus Episcopus Samarię. 13. Barnabas Episcopus Mediolani. 14. Marcus Evangelista, Episcopus Alexandrię. 15. Lucas Evangelista. 16. Silas Episcopus Chorinthi. 17. Silvanus Episcopus Thessalonicæ. 18. Crescens, Episcopus Chartaginis, in Galatia. 19. Epanetus Episcopus Paneatens. 20. Andronicus Episcopus Paneadens. 21. Amplias, Episcopus Odissę. 22. Urbanus Episcopus Macedonię. 23. Stachus Episcopus Bizanzii. 24. Barsabas Episcopus Eraclę. 25. Phigel Episcopus Ephesiorum, Apostata. 26. Hermogenes Episcopus Megarensis. 27. Demas Apostata. 28. Apelles Episcop. Smirnæ. 29. Aristobolus Episcopus Britann. in Gallia 30. Narcissus Episcop. Athenarum. 31. Herodion Episcop. Patarens. 32. Agabus Propheta. 33. Rufus Episcopus Thæbarum. 34. Ansicrit: Episcop. Hircan. 35. Plegon Epi-

A scopus Maratenens. 36. Hermes Episcopus Dalmatiæ. 37. Parrobus Episcopus Xotionens. 38. Ermoes Episcopus Philippopoli 39. Linus Episcop. Romæ 40. Gajus Episcopus Ephesi. 41. Philologus Episcopus Sinopenus 42. Olimpas, cujus Paulus meminit, 43. Erodias, cum Petro Romæ cæsus. 44. Lucius Episcop. Laodiceæ. 45. Jason Episcop. Tarsens. 46. Sosipater, Episcopus Iconii. 47. Erastus Episcopus Paneastis. 48. Quartus, Episcopus Beriti. 49. Apollo, Episcopus Cæsareæ. 50. Cephas Episcopus Sioniæ. 51. Sosthenes Episcopus Colophoniæ. 52. Epaphroditus Episcopus Adricens. 53. Thichicus, Episcopus Colosoniæ. 54. Cæsarius, Episcopus Dirachis. 55. Marcus, Sobrinus Barnabæ, Episcopus Apoloniadensium. B 56. Justus, Episc. Eleutropol. 57. Artem. Episc. Listrens. 58. Clemens Episc. Sardicensis, 59. Oesiphor. Episcopus Coronchæ. 60. Tichicus alter, Episcopus Calcedon. 61. Carpus, Episcopus Berajæ Traciæ. 62. Erodius, Episcopus Antiochensis. 63. Aristarchus Episcopus Apameæ. 64., & 65. Marcus, & Joannes Episcopi Bibliapoli. 66. Zenas Episcopus Diospolis. 67. Philemon Episcopus Gazæ. 68. Aristarchus alter 69. Pudens. 70. Trophimus cum Paulo martyrio coronatus. 71. Timo. 72. Miges.

ARTICULUS II.

Acta Apostolorum, liber partis hujus primus, novi Testamenti V. Sacræ Scripturæ L.

C

QUommodò conveniat liber iste cum Evangelio, eique subnectatur, ejus scriptor S. Lucas, in hujus principio ostendit, dicens. *Primum quidem sermonem feci, de omnibus, ò Theophile, quæ cæpit Jesus*, quibus declarat continuationem ejusdem Christi historiæ, hic fieri, per narrationem eorum, quæ in delegata Evangelii prædicatione, ab ipsa statim Christi Ascensione, usque ad biennium Pauli, Romæ commorantis, qui fuit 4. Neronis annus, evenerunt. *Hic igitur liber incipit ubi Evangelium terminatur, & executionem continet mandati illius divini, quod a magistro suo Christo, Marci ultimò, acceperant Apostoli: euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omD ni creaturæ*. Glos. Lyr. *hic in princip. quia lex eadem quæ lata fuit a Christo, auctore Spiritu Sancto, ministerio Apostolorum publicata, & exhibita fuit.*

Argumenti summam breviter hic perstringit Æcumen. *Capita eorum quæ hic narrat Lucas, hæc sunt: Angelis excipientibus assumptum esse Dominum, Spiritum Sanctum in quinquagesima in Apostolos, & omnes, qui aderant effusum esse. Mathiam loco proditoris substitutum, septem Diaconos institutos fuisse, quo pacto electus fuerit Saulus, & quæ in Evangelii prædicatione passus sit, quæcumque item Apostoli, ex fide in Christum miracula fecerint*. Subdit Driedo, *lib. 4. cap. 2. Porrò quod maximè agit hic liber, est resurrectionis Domini Jesu Christi, declaratio, quæ si credita fuerit, cæteris aperta est via*, & rationem assignat Chrisostomus. *Etenim, quòd id temporis, qua-*

quærebatur, illud erat, ut homines audirent eum excitatum a mortuis ascendisse in cælum. Quemadmodum igitur ipse Christus, illud in primis agebat, ut perspicuum faceret, quòd venisset a Patre, itidem hic præcipuè studet persuadere, quod revixit, & ad eumdem reversus est, nam nisi hac credita fuissent, Judæis universum dogma visum fuisset vanum, & incredibile. Proinde etiam Apostoli ita sensim, & paulatim instituunt Judæos, seseque miro modo ad captum imbecillium demittunt, & dum se ita demittunt, in ejus nomine majora faciunt, quam ipse fecerat. Chrisost. *hom. prima in acta Apostolorum &c.* Specialiter verò partitur contenta in hoc lib. Georg. Ederus, hoc modo. *Ostendit hic Lucas, quommodo Ecclesia per Christum instituta, & per Apostolos collecta, suas paulatim aquisiverit vires. Agit enim Lucas hoc libro, de nascentis primum Ecclesiæ corroboratione, & confirmatione, cap. 1. de ejusdem augmentatione in Hierusalem, a cap. 1. ad 7. propagatione, seù disseminatione per totam Judæam, & Samariam, cap. 6. 7. 8. 9. 10., & 11. de certa appellatione, cum Antiochiæ credentes primum appellati sunt Christiani, eodem cap. 11. de translatione a Judæis ad Gentiles, seù de gentium conversione, a prædicto cap., & deinceps per 16. cap. usque ad finem, de persecutionibus & miraculosa ab illis liberatione, sparsim, diversis in locis.*

Porrò eorum, quæ hic tractantur, major pars sunt, acta Pauli, qui plus omnibus laboravit, cujus socius ferè semper fuit ipse Lucas, ut notat Chrisostomus loco citato.

Notabilia autem, quæ hic narrat Lucas sunt, primò, quod credentium numerus, ad innumerabilem crevit multitudinem, nam cap. 2. tria millia animarum convertuntur, deinceps usque ad cap. 4. alia 5. millia, & infra indefinita multitudo, confirmata miraculis, Petri præsertim prædicatione, & dono linguarum, & hoc inter persecutiones, & vincula &c. martyrium Protomart. Stephani, ejus signa, & prodigia, & prædicationes &c. ad cap. 7. Philippi ad Æunuchum Candacis historia, ejusdem. Philippi miracula in spiritus immundos, & morbos in Samaria, hæc usque ad cap. 12. secundo conversio Populi, cap. 9. Gentium conversio per Paulum potissimum, a Judæis repulsum, & ad Gentes conversum, multis peregrinationibus, quarum præcipuæ sunt, versus Seleuciam cap. 13. Cyprum, Pergen pamphiliæ, Antiochiam Pissidiæ, eodem cap. Iconium, cap. 14. Derben, & Lystram, cap. 14., & 16. Antiochiam Scitiæ, cap. 14., & 15. Mysiam, & Troadem, cap. 16. Tessalonicam Berream, & Athenas, cap. 17. Corinthum, Achajam, & Ephesum, cap. 18., & 19. Macedoniam, & Græciam, Asson, Mitelenen, Miletum, Troadem iterum, cap. 20. Tyrum, & hinc Cæsaream, cap. 21. Hierusalem, ibidem, & cap. 22. Cæsaream, qua remittitur vinctus, cap. 23. 24. 25. 26. Romam ducitur cap. 27. 28. Inde liberatus (ut plures DD. cum Aureolo, & Edero affirmant) Hispaniam peragravit ut colligi etiam potest ex fine libri 4., Concilium primum Apostolorum habitum Antiochiæ, in quo abolentur legis veteris cæremonialia, & lex Evangelica

A stabilitur, cap. 15. 5. præcipua Petri miracula, sanitas claudi in nomine Jesu, cap. 3. Liberatio Petri, & Joan. de carcere, cap. eodem, & 4. Mors Hærodis corrosi a vermibus. Mors Ananiæ, & Saphirræ, cap. 5. curatio paralytici Eneæ, & suscitatio Tabitæ mortuæ, cap. 9., & innumera, quæ umbra sua operabatur Petrus, & Simonis Magi dejectio. Miracula Pauli; Elimas Magus excæcatur in Cypro, cap. 13. Salus claudi ex utero Matris, Listriæ, cap. 14. A puella divinatrice, Dæmonem pitonem expellit Paulus, cap. 16. liberatio miraculosa Pauli de carcere, januis terræmotu apertis, eodem cap. 16. Judæi exorcistæ, Jesu nomine abusi, a diabolo lacerantur, cap. 19. Euticum in concione, de fenestra lapsum præ

B somno, resuscitat, cap. 20. a naufragio ob merita ejus liberatur navis tota, apparente ei Domino, cap. 27. Mileti, secundo a vipera morsus, evadit illæsus post naufragium, dum ad Cæsarem ducitur, ad quem appellarat, cap. 28. Publii patrem, & alios plures a diversis languoribus sanat, cap. eodem, & alia plura mirabilia D. Pauli continet hic liber, ut liberationes a naufragiis, & ab aliis periculis, de quibus etiam idem Paulus agit in Epistola 2. ad Chorinthios; ubi etiam aliqua ex multis martyria, quæ toleravit, commemorat. Cum autem perveniat hæc historia, ad secundum Neronis annum, postquem adhuc 12. annis, Petrus, & Paulus vixerunt, quippe solum 14. Neronis anno martyrium subierunt, & solum anno 4. è carcere soluti sunt. Desunt acta horum 12. annorum,

C sed ex epistola ad Romanos, multis jam ante ejus adventum, annis ad eos scripta, in qua inquit, spero cum in Hispaniam proficiscar, videre vos, non obscurè habetur, eum spatio aliquo, illorum 12. annorum, Hispaniam appulisse, & perlustrasse, maximè cum in Narbona, communiter dicatur, reliquisse Sergium Paulum Archiepiscopum.

Persecutiones porrò Ecclesiæ refert hic liber plurimas, ab initio prædicationis primæ post adventum Spiritus Sancti, a Judæis præcipuè, deinde a gentibus, & principibus, de quibus inquit Hilarius 7. *de Trinitate, hoc Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat, cum læditur, tum intelligatur, cum arguitur, tum obtineat, cum deseritur. Tam efficax fuit illa oratio, qua Christus ex hoc mundo abiturus.*

D *Patrem suum Cælestem, pro Catholica rogavit Ecclesia, ut numquam a Fide vera deficeret.*

Ex quibus omnibus remanet probata minor syllogismi, quo Petrus Aureolus complectitur summam, finem, & intentionem hujus libri in sua epitome hoc loco.

Videlicet, hæc est conclusio, quam intendit hic liber. Ecclesia, seù Fides Jesu Christi miraculosè introivit in orbem, & per Spiritum Sanctum, non per modum humanum; ad quam probandam, hoc utitur argumento. Illa congregatio, quæ fuit mirabili modo per Spiritum Sanctum, congregata, corroborata, multiplicata, disseminata, sic nominata, & ab Infidelibus Judæis, ad fideles gentes ab eodem translata, & in omnibus, contra omnes eam volentes extinguere, ab ipso defensa, & ma-

gis exaltata, talis inquam congregatio, & Fides, manifestum est, quod fuit per Spiritum Sanctum introducta, & consequenter in ea est perseverandum, tamquam in vera Dei salutari Ecclesia, sed talis est, & fides, & congregatio Fidelium in Ecclesia Christi, ergo: Major evidens est, consequentia nota. Minorem probat iste liber, secundum priores notationes adductas.

SECTIONIS QUARTÆ

CAPUT II.

EPISTOLÆ CANONICÆ

Et in primis 14. Epistolæ D. Pauli Apostoli;

ARTICULUS I.

De continuatione, & Auctore.

CUM Evangelium sit perfectio legis, quam Christus non venit solvere, sed adimplere, in eoque proinde omnia contineantur, & præcepta, & consilia, ac dogmata, & directiones, ad piè perfectèque vivendum, quærit hic D. Hieronym. *in præfatione ad Paulinas*, cur suas epistolas Paulus ad singulas ferè Ecclesias destinarit.

Respondet. *hoc autem causa factum videtur, ut scilicet initia nascentis Ecclesiæ novis causis existentibus præveniret, atque ut præsentia, & orientia resecaret vitia, & post futuras excluderet quæstiones, exemplo prophetarum, qui post editam legem Moysis, in qua omnia Dei mandata legebantur, nihilominus tamen doctrina sua, rediviva semper populi compressere peccata, & propter exemplum vivendi, libros ad nostram etiam memoriam transmiserunt &c.* similem ac ferè eandem tradit rationem, *hic in prologo* etiam Doct. Angelicus, *lux divinæ lucernæ, scilicet Pauli Apostoli, qui ejus Angelico planè more illuminat, & declarat ænigmata, unde de ipso dicendum est, quòd ibidem idem dicit de Apostolis, quod scilicet eum miserit Deus, sicut consuevit per Angelos superiores, illuminare magis distantes, ad deferendum ad nos valdè dissitos, lumen Apostolica, immo, & divinæ veritatis &c.*, & ita patet quoad rationem continuationis scripturarum.

Quæres primò, quis, & qualis fuerit Paulus. Respon. Hieronymus, *in catalogo virorum illustrium. Paulus Apostolus, qui ante Saulus extra numer. 12. Apostolorum, de Tribu Beniam. ex oppido Juda Giscalis fuit, quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigravit, a quibus ob studia legis, missus Hierosolimam, a Gamaliele viro doctissimo, cujus Lucas meminit, eruditus est.* Ita Hieronym. sed ex actis Apostolorum cap. 22., constat Paulum esse natum in Tarso Ciliciæ, sic enim ait ipse ibi, ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ; Quantum ad ejus nomen. Origenes dicit in præfatione ad Romanos, *Saulum* dici ab Hebræis, a Romanis verò, *Paulum*, sed Hieronymus, &

A Ambrosius in eamdem epistolam, & Augustinus de spir., & littera, cap. 7. dicunt quòd ejus nomen erat Saulus, at statim a sua conversione, humilitatis ergo, & modestiæ, sibi nomen mutavit. Chrisostom. Theodoretus, Theophil. aliique plures asserunt, a Deo sic fuisse appellatum. Addunt Hieronym. in epistol. ad Philem., & August. lib. 8. confess. cap. 4. item Rabanus in cap. 13. actorum, ex eo quòd converterit ad fidem Sergium Paulum, Cypri proconsulem, ex hoc Pauli nomen accepisse, quæ omnia vera esse possunt, nec sibi contradicunt, ut benè considerans deprehendet. Subdit D. Thomas, Pauli nomen hebraicum esse non posse, cum P. non habeatur apud Hebræos, ut autem potest esse ex littera propinquiori, hebraicè idem est ac *mirabilis*, vel *electus*; se-
B cundum quòd est nomen græcum, idem est, ac *quietus*, secundum quòd est latinum, idem est, ac *modicus*, subdit autem cum Augustino, Paulum fuisse binomium. *In primum caput. Epistolæ ad Romanos.* Ipse autem Paulus, suæ tum vocationis, cum doctrinæ prolixam, & diligentem reddit rationem; Actor. 9., & 22. Ejus verò laudes egregiè, & passim eloquentissimè eum extollens enarrat Chrisostomus, singularis ejus Encomiastes, unde, *in actis Apostolorum, hom. 23.* ubi dicitur, quòd *Barnabas rediit ad Paulum*, subdit, *ideò venit ad Athletam, ad ducem belli, ad certantem, singulari duello, ad leonem, nec habeo, quo nomine dignè vocem illum, venit ad canem venaticum, leones occidentem, ad Taurum fortem, ad facem claram ad*
C *orbi sufficiens &c.* de ejus miraculis ob conversionem gentium patratis, jam ægimus, in acta Apostolorum, solum addimus, quòd in aliorum ducet memoriam, vel argumentum, quòd ejus sudariis, & Semicinciis, ægroti curabantur, & Dæmones profligabantur, ut patet actorum 19. Videatur Chrisostomus de laudibus Pauli, homilia octava.

ARTICULUS II.

Præambulas quæstiunculas solvens.

Quid, quæ, quot, & ad quos Epistolæ

RESpondent Sancti Patres, hoc loco; dicuntur litteræ post traditum Evangelium, a Paulo
D fidelibus transmissæ, quasi post, seu supermissæ, & Evangelio superadditæ, in præfatione ad Romanos. Athanas. verò in synopsi. *Pauli epistolæ sic vocantur, quia per eas, cum eos, quos viderat, & docuerat, admonet, & corrigit, tum eos, quos non viderat, instruere conatur, & docere, quemadmodum scire possunt, qui in eas incidunt.* Id ipsum asserit Augustin. lib. 1. contra Cresconium cap. 9. qui idcircò asserit eas in Ecclesia recitari, quia ad nos etiam fuere conscriptæ. Earum numerum sic explicat Hieronymus. *Quæritur, cur non amplius, quam decem epistolas ad Ecclesias scripserit? quatuor enim reliquiæ sunt ad discipulos*, & respon. *Ut ostenderet novum a veteri Testamento non discrepare, & se contra legem Moysis non facere, ad numerum primorum decalogi mandatorum suas epistolas destinavit,*

&

& quot ille præceptis à Pharaone liberatos instituit, totidem hic epistolis, à peccati, & Idololatriæ servitute edocet aquisitos, nam & duas tabulas lapideas, duorum testamentorum figuram habuisse, viri eruditissimi tradiderunt. Hæc ille. Per quatuor autem, ad discipulos sceiptas, inquit Anselmus, ibi *in præfatione ad Romanos, quatuor Evangelia, & per consequens novum Testamentum designatur.*

Alias etiam scripsisse epistolas Paulum, tenet Michael de Medina de recta in Deum fide lib. 6. cap. 6., & cum ipso alii, inter quas aliam ad Laodicenses recensent juxtà id, quod ait ipse Paulus *ad Colossen. 4. Facite quod hæc epistol. legatur in Laodicensium Ecclesia, & ea quæ Laodicensium est, ut vobis legatur*, hanc tamen Theophilat. docet, non esse aliam ab ea, quæ est ad Thimotheum prima, quæ per Tichicum Diaconum, a Laodicea fuit missa, & probat sufficienti conjectura.

Nec modicum facit, ad tractandas hujusmodi quæstiones, cognitum epistolarum tempus, inquit Chrisostomus, in ad Romanos, unde diligenter hoc loco observari debet, quod Paulus, a Christi passione 2. anno, nondum exacto, ad fidem Christi ex Judaismo conversus, Supra 24. annos, viva voce, diversas in Asia fundaverat Ecclesias, ita ut, ab Hierusalem, usque ad Illiricum impleverit Evangelium Christi, ut habetur ex libr. actorum, & ejusdem epistolis.

Post multos igitur annos, subdit Driedo, *de scripturis Ecclesiasticis lib. 1. cap. 3. p. 3. videns easdem Ecclesias, aut a se, aut ab Apostolis fundatas, vel deviare a rectitudine fidei acceptæ, vel a falsis prophetis subverti, dum se illis præsentem exhibere non poterat, tandem post 44 nundum a sui conversione annum exactum, diversas cœpit scribere epistolas, quibus aut revocat, aut arguit errantes, aut laudat, commendat, roborat perseverantes, aut docet, & instruit ignorantes &c.* Notat verò Chrisostomus, *hom. prima, in epistol. ad Colossens. Omnes quidem epistolæ Pauli sanctæ sunt, habent tamen amplius quiddam, quæ ab eo ex vinculis sunt missæ, utporè, quæ est ad Ephesios, quæ est ad Philemonem, quæ ad Timotheum, quæ ad Philippenses, & quæ ad Colossens.* Quantum ad ordinem, quo illas scripsit, & loca, in quibus scripsit singulas, ut reperire potuimus, adnotamus. Nam ut vult Theodoretus, scripsit primò ad Thessalonicenses primam, secundo secundam: ad eosdem; tertiò, & quartò, duas ad Chorinthios. Primam ex Epheso, Asiæ Metropoli, secundam, a Troade; quintò primam ad Thimotheum, quam misit ex Laodicea. Theopbilat. sexto, ad Titum, 7. ad Romanos, quam sccipsit Chorinthi in Achaja, 8. ad Galat. ex Epheso, nono ad Philippenses, ex urbe Romæ, jam vinctus prima vice, 10. ad Philemonem, pariter vinctus Romæ, undecima ad Ephesios, & duodecima ad Colossenses, una, & eodem tempore, unico usus tabellario, pariter Romæ vinctus, decimotertio ad Hebræos ex Italia, postquam a primis vinculis solutus fuit, decimoquarto ad Timotheum, secundam, secundo conjectus in vincula, & in fine dierum suorum. ...

Distinctionem verò hujus libri omnium epistolarum, affert sapientissimè Angelicus Doctor, in

A. *præfatione ad illum. Scripsit*, inquit, *14. epistolas; quarum novem instruunt Ecclesiam Gentium, 4. prælatos, & principes Ecclesiæ, idest Reges, una populum Israel, quæ est ad Hebræos unica &c. Est enim hæc doctrina tota de Gratia Christi; quæ quidem potest tripliciter considerari; uno modo, secundum quod est in ipso capite Christo, & sic commendatur in epistola ad Hebræos, alio modo, secundum quod est in membris principalibus corporis mystici, &. sic commendatur in Epistolis, quæ sunt ad Prælatos, tertio modo, secundum quod est in ipso corpore mystico, quod est Ecclesia, & sic commendatur in Epistolis, quæ mittuntur ad Gentiles, quare hæc est distinctio, nam ipsa gratia Christi, triplicieer potest considerari, uno modo secundum se, & sic commendatur in Epist. ad Roman., alio modo,* B *secundum quod est in sacramentis gratia, & sic consideratur in 2. epist. ad Chorin. in quarum prima, agitur de ipsis sacramentis, in secunda de dignitate ministrorum, & in epist. ad Gala. in qua excluduntur superflua sacramenta, contra illos, qui volebant vetera sacramenta novis adjungere. Tertiò consideratur gratia Christi, secundum effectum unitatis, quem in Ecclesia fecit. Agit ergo Apostolus primò quidem de institutione Ecclesiæ, unitatis, in epist. ad Ephesios, secundò de ejus confirmatione, & profectu, epist. ad Philippenses, tertiò de ejus defensione, contra errores quidem, in epist. ad Coloss., contra verò persecutores præsentes, in epist. ad Tessalon. 1., contra futuros, & præcipuè tempore Antichristi, in secunda. Prælatos verò Ecclesiarum instruit, & spirituales, & temporales, spirituales quidem, de institutione, instructione,* C *& gubernatione Ecclesiæ unitatis, in prima ad Timoth. de firmitate contra persecutores in secunda. Tertiò de defensione contra hæreticos, in epistol. ad Titum, Dominos verò temporales instruit in epist. ad Philemon.* Hæc ille; in quibus distinctio, summa, argumentum, & intentio, & ordo omnium epistolarum D. Pauli, mirificè restringitur, & explicatur, ut jam præsenti Epitome, satis esse possit, obiicit autem Augustinus quoad ordinem, ponitur enim primo loco in vulgata, epistola ad Romanos, cum ut supra dictum est, & probat etiam Angelicus, revera non sit prima &c. sed respondetur, epistola ad Romanos primo loco ponitur, tum propter dignitatem Romanorum, qui toti orbi dominabantur, tum etiam quia in ea confutatur superbia, quæ est initium omnium peccatorum, ut dicitur Ecclesiastici 20. D tum quia sic exigit ordo doctrinæ, ut prius gratia consideretur in se, quam in sacramentis, ubi autem hæc scripta fuerit. Hieronym. dicit, Chorinthi. Augustinus, Athenis, sed non est contradictio, quia fortè eam cœpit Athenis scribere, & consumavit Chorinthi. Item obiicitur contra id, quod in Glos. dicitur, quod aliqui fideles prædicaverunt Romæ fidem, antequam Petrus, & in Ecclesiastica historia dicitur, quod primus eam ibi prædicavit Petrus, sed intelligendum est, primus inter Apostolos, & cum sequela majoris fructus, antea verò prædicaverat Romæ Barnabas, ut habetur in itinerario Clementis &c.

ARTICULUS III.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos, Liber novi Testamenti VI. Sacræ Scripturæ LI.

SCripta est hæc Epistola, secundum Baronium, ann. Christi 58. & ex Chorinto, Romam missa, per Phæben, ut ex biblia græca, syra, & latina regia refert Cornel. ibi, quo anno, cum jam absente Petro, jussu Claudii, qui Romæ erant recenter conversi, sine pastore remanserant. Censet Salmeron, tom. primo, prolog. 35., hanc solam inter Pauli epistolas, scriptam fuisse latinè, per latinum Ammanuensem, qui dicebatur Tertius. Sed è contra, Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 7. & communiter DD., hanc sicut alias, præter unicam ad Hebræos, quæ hebraicè scripta fuit, græcè exaratam affirmant, ut rectè ostendit etiam Cornelius, qui tamen, ut sententias conciliet, putat eam originaliter græcè fuisse conscriptam, mox verò a prædicto Ammanuensi, in latinum versam fuisse.

Occasio eam scribendi fuit, dissensio, seu contentio Neophitorum, qui erant Romæ. Inter quos erant Judæi, Græci, & Romani, & qui ex gentibus recenter crediderant. Judæi enim conversi, se conversis gentilibus præferebant, eo quod essent Abrahæ filii, & præter innumera Dei prodigia, pro ipsis successivè exhibita contra Gentes, ad ipsos facta fuerat, & toties innovata, de Christo repromissio, & ex ipsis tamquam ex populo Dei electo, idem nasci voluit, ideò se gentibus digniores, Dei vocatione existimantes, quæ Deum ignoraverant, & Idola semper coluerant, & censebantur nomine, & facto, reprobati, Peccatores, immundi, iniqui, sine lege, & veritate, inde eos prætendebant, debere circumcidi, & Judaizare. E contrà verò Græci, Romani, cæterique ex Gentibus conversi, hæc omnia in Judæos retorquebant, quia & inter ipsa prodigia, pro ipsis a Deo patrata, ingrati adoraverant idola, & multimodis, Deum abjecerant, ab eoque abjecti, & dimissi fuerant, qui propterea gentes vocaverat ad Fidem, quam statim auditam acceptabant, ac denique eos abhorrebant, tamquam Christi crucifixores, sicque, & isti, & illi ex propriis meritis, se se ad Fidem vocatos esse conclu debant, proindeque Apostolus hanc epistolam scripsit, in qua, se medium altercantibus interponens, ita partium dirimit quæstionem, ut neutram earum, sua justitia salutem meruisse confirmet, ambos verò populos, & scienter, & graviter deliquisse. Judæos quidem, quod per prævaricationem legis, Deum inhonoraverint, græcos verò, aliosque, quod eum cognitum, de creatura, Creatorem, ut Deum debuerant venerari, gloriam ejus in manufacta simulacra mutaverint. Utrosque etiam similiter veniam consecutos, æquales esse verissima ratione demonstrat, præsertim cum in eadem lege prædictum sit, & Judæos, & gentes ad Christi fidem fore vocandos. Quamobrem vicissim eos humilians, pacem statuit, & concordiam in

A gratia Christi Jesu. Sic habemus ex ipso epistolæ contextu, & ex communi sensu, atque intelligentia Expositorum, & ex speciali prologo hujus epistolæ, ac denique ex Augustino ad Simplicianum lib. 1. q. 2. Hinc patet intentio Apostoli, quæ præcipua est, ut nec de operum meritis, sive propriis, sive alienis, nec de generis sanctitate, quisquam glorietur, ejusdemque argumentum, quod est explicatio, & commendatio Gratię Christi, secundum se, juxta prænotata Divi Thomę.

Notat verò Origenes, & per eum Georg. Ederus, hoc loco, difficiliorem prę cęteris, hanc esse epistolam, primò, quod ibi Apostolus locutionibus utitur, quę confusę videntur, & minus explicitę, quod ex eo provenit ut advertit, Alapide, quia aliquas habet proprietates, tum Grçci, cum hebraici
B idiomatis, de quibus alibi Deo dante, si tempus permittet, dicemus.

2. quod quęstiones ibi plurimas movet, in materia valdè difficili, de gratia, & libero arbitrio, quas valdè obscurarunt suis erroribus, & perversis sophismatibus hęretici, ex doctrina hujus epistolę conantes eruere, liberi arbitrii destructionem, aliaque nequissima dogmata, seu potius hęreses, ideò ad hujus epistolę intelligentiam, semper duce Augustino, & Doctore Angelico procedendum.

3. Est, quod multa de lege Moysi, in hac eadem epistola connectuntur, de vocatione gentium, de Israel secundum carnem, & de Israel non secundum carnem, de circumcisione carnis, & cordis, de lege spiritali, & de lege litteræ, de lege carnis,
C & de lege membrorum, de lege mentis, & de lege peccati, de interiore, & exteriore homine, quę singula, inquit hic Origen. hic prædixisse sufficiat, in his enim continentia habetur epistolę.

Duas habet partes hęc epistola, prima est dogmatica, a principio usque ad caput 12. secunda est moralis, ut advertit Augustinus, & ex eo Aureolus, & ex utroque Cornelius Alapide, ea verò, quę hic idem Cornelius subnectit, in jam prędictis continentur.

Ibi denique, id dumtaxat notandum est, & pro præsenti, & pro aliis sequentibus D. Pauli epistolis, ideò nos in eis non immorari, ut de illis lector consulat Divum Thomam, neque enim Pauli, neque Angelici doctrinam in hac materia ad compendium reducere possibile est, utraque enim propor-
D tione servata divina est, ac totam ne dum continens, sed & superans Theologiam, medians inter beatam, & viatricem.

ARTICULUS IV.

Epistola ejusdem ad Chorinthios prima, Liber novi Testamenti VII. Sacræ Scripturæ LII.

CHorinthus Metropolis, & nobile emporium, Achajæ, seu Peloponesus, quę nunc dicitur Morea, inclyta duobus portubus, quibus Jonio, & Egeo imminet mari, ditissima urbs fuit, mercibus, opibus, & metallis abundantissima, tamque pretiosum erat cjus æs, ut auro æquiparari posset, hinc

hinc æquè divitiis; & vitiis redundabat. Nec defuit illi oratorum, philosophorumque frequentia, ac naturalium cultus scientiarum, duce Periandro, qui fuit unus ex septem sapientibus Græciæ, sed inde superbia, & fastus, & mysteriorum fidei contemptus, etiam post Pauli prædicationem, ut enim in totam Græciam, Christi fidem inveheret, caput ejus aggrediens, in hac Civitate, duos Paulus prædicando, ac docendo consumpsit annos, idipsum ei suadente Christo, qui actorum 18. cap. 16. apparens Paulo, ei dixit, noli tacere, sed loquere, quoniam populus est mihi multus in hac Civitate, sed post aliquod tempus, cum Ephesi prædicaret Paulus, venit ad ipsum Chorinto Sostenes, qui erat princeps Judæorum, ad fidem ab eo conversus qui, & fuit vir sanctus, ut habetur in Martirologio Romano sub die 28. Novembris, eidemque narravit, vitia, & contentiones Chorinthiorum, ut refert, hic cap. 1. D. Thom. siquidem ut ait Chrisostomus, *in præfatione hujus epistolæ; Diabolus, cum Civitatem hanc magnam, & populosam, veritati inhærentem, veritatis, & sapientiæ nomine admirabilem &c. maximè verò promptissimo animo, verbum Dei suscipientem videret, inter cives, discordias disseminavit, siquidem multitudo sponte sua principes quosdam constituerat, alii alios tamquam divites, alios tamquam sapientes secuti, a quibus persuasi homines, majus quiddam hos, quam Apostolum, & dicere, & docere posse contendebant: supervenerat etiam Apollo vir doctissimus, quem plures sequebantur, & inde scissuræ erant, & sensim lacerabatur Ecclesia, & interim vitia magna serpebant. Hæc itaque fuit Paulo causa scribendi hanc epistolam, spectabant enim specialiter ad Paulum Chorinthii, in quibus plurimum laboraverat, idcircò ad eos locutus est; si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum, nam signaculum Apostolatus mei, vos estis, in Domino*, ut Chrisostomus ibi &c. qui & subdit, quæ ibi passus sit Paulus. *In hac Civitate*, inq; *Dæmon egressus est, quem cum Judæi adjurarent, passi sunt molestissima. In hac coactos Magorum libros, pænitentia ducti cremaverunt, ad millia quinquaginta. In hac ante tribunal coram Gallione proconsule Paulus virgis cæsus est*. Hæc Chrisostom. &c. ibique Sostenem ad veram Fidem convertit, ut diximus &c.

Quæres, ubi, & quando scripta fuerit hæc epistola. Respon. Athanasius, *in sinopsi. Post utramque ad Thessalonicenses scriptam esse existimo, priorem ad Chorinth. Eam autem scripsit cum Ephesi, tunc temporis ageret* hic Theodoret., *& hoc ipse declaravit, cum dixit circa finem epist.*

Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten, ostium enim mihi apertum est magnum, & adversarii multi &c. Venit autem Ephesum, postquam prædicavit Macedonibus, & Atheniensibus, & Chorin. ut docet histor. act. Apostol. Ab Ephesio itaque Asiæ Metropoli, scripta est hæc epistola, ubi triennium Paulus commoratus cum Aquila, & Priscilla hospitatus, nocte, & die non cessavit cum lacrymis, unumquemque monere act. 20. Driedo, *de scripturis Ecclesiasticis, lib. 1. cap. 3. p. 3.*, & ita cum D. Thoma communiter sentiunt Doctores &c.

A Hujus epistolæ scopus est. Quia Chorinthii, per falsos Apostolos quosdam seducti multifariè a verbo veritatis, atque adeo tandem fuerant subversi, ut nec resurrectionem crederent mortuorum, ut notat Hieronymus adversus Luciferianos. Quo alii a Philosophiæ verbosa eloquentia, alii secta legis Judaicæ inducti sunt; hos intendit revocare Apostolus, ad veram fidem, & Evangelicam sapientiam, hic idem Hieronym. ubi etiam addit, hanc epistolam, missam fuisse ab Epheso per Timotheum, sed in græcis codicibus in fine sic legitur, missa fuit a Philippis, per Stephanam, & Fortunatum, & Achaicum, & Timotheum.

Quoad continuationem scripturæ, ait, hic Anselm. Hæc epistola post illam ad Romanos jure B locata est, licet ante illam scripta sit, quia quisquis in Fide jam instructus est, de qua cum Romanis agitur, debet consequenter, a subrepentibus vitiis corrigi, & in virtute plenius informari, sicut nunc corriguntur, & instruuntur Chorinthii. Ob hoc etiam posita est hæc post illam, quoniam in materia, quamdam habet cum illa affinitatem, ut enim illi de meritis suorum Antecessorum gloriabantur, & suam salvationem non gratiæ deputabant, sed quidam, legis observationibus, quidam verò facultati ingenii, & liberi arbitrii, sic & Chorinthii de sanctitate suorum baptizatorum gloriabantur, & quidquid boni habebant illis ascribentes, alii aliis præferri volebant. Aliter D. Thomas, ut supra vidimus, de connexione omnium epistolarum, ibi enim, ut notat Angelicus, agit C Apostol. de gratiæ Sacramentis, postquam egit in ea ad Romanos, de gratia secundum se, unde & idem Angelicus præmittit huic epistolæ, præfationem de Sacramentis &c. ex quibus patet etiam hujus epistolæ finis, & argumentum, quòd ut facilius deprehendatur notandum est, quòd ibi Apostolus corrigit, & impugnat novem Chorinthiorum errores.

Primus, baptismi virtutem, ex ministrorum sanctitate metiebantur, & ideò alii Pauli, alii Apollo, alii Cephæ, alii Christi discipuli, & dici, & esse volebant, & hinc oriebantur scismata, & contentiones, cap. 1. ac 3., & 4.

Secundus. Fidei simplicitatem, ad Philosophiam reducere conabantur, quibus opponit Verbum crucis &c. cap. 1. 2.

D Tertius. Immunditiis, & fornicationibus inquinati erant; ideò, eum excommunicat, qui habebat uxorem patris sui, cap. 5., & 6.

Quartus. Adeò præferebant Virginitatem, ut damnarent matrimonium, ideò explicat, & præceptum, & consilium in hac materia, cap. 7.

Quintus. Cum Idolatris communicantes, Idolis immolata comedebant, contrà id agit de scandalo vitando, exemplo suo, & in hoc, & in omnibus, cap. 8. 9., & 10.

Sextus. Ad Eucharistiæ Sacramentum, non ritè ac devotè accedebant, viri capite operto, mulieres discooperto, sine conscientiæ discussione, & sine reverentia, & divites in Ecclesia mensas parabant lautissimas, ut post communionem comederent, unde plurima scandala oriebantur, cap.

nam esse consolatione, cap. 7. & similes &c. eumque quem excommunicaverat deturpatorem Thori patris sui, pœnitentem absolvit, cap. eodem. Secunda pars est apologetica, seu defensoria sui apostolatus, personæ, ac doctrinæ contra falsitatem Pseudoapostolorum. Hoc autem præstat per plura argumenta, scilicet arguendo a patientia propria in adversis, ab innocentia, & veritatis constantia, cap. 1. A pietate, & habilitate docendi, cap. 2. c. 3. ab amore Chorinthiorum erga ipsum, c. 3. a dignitate officii sui supra Mosaicum ministerium, & a propria sollicitudine, humilitate, spe, & fiducia, cap. 4. a contemptu hujus vitæ, & recta intentione, ac charitate erga Deum per Christum, cap. 5. ab exemplis doctrinæ, & personæ suæ, cap. 6. a gaudio de fraterna emendatione, c. 7. a sollicita commiseratione erga pauperes, cap. 8. & 9. a potentia spiritualium armorum, a dictorum, factorumque constantia, cap. 10. & a propria ipsius modestia, cap. 11. a divinis revelationibus eximiis, a pugna adversus tentationes, & verecundia, cap. 12. ab odio vitiorum, cap. 13. & denique a studio, & amore pacis, unitatis, & concordiæ, eodem cap. per horum trium suasionem epistolam concludens. In quibus omnibus, ut profundè notat Angelicus Doctor in præsenti, apprimè docet, qualis esse debeat verus Minister Evangelii, & Gubernator animarum, quod importat scopum, & argumentum totius epistolæ.

Hic tantum notandum restat, quod Baronius vult hanc scriptam fuisse, Nicopoli in Græcia, an. Christi 58. cum Apostolus Epheso, ubi primam scripsit, post tumultum Demetrii, cedere coactus, relicto Ephesi Episcopo Timotheo, venit Troadem, ut hic ait, cap. 2. & inde in Macedoniam, indeque in Græciam, scilicet Cretam, ubi Titum reliquit, ad Titum 1. indeque Nicopolim, ubi statuerat hyemare, & quiescere, ubi hanc scripsit quietus. Ita sentit Baronius t. 1. pag. 575. &c.

ARTICULUS VI.

Epistola D. Pauli Apostoli ad Galatas. Liber novi Testamenti nonus, Sacræ Scripturæ LIV.

Galatæ, populus gentilis, ex Gallia oriundus, tamquam sit Galatia colonia Gallorum, unde Gallogræci dicti sunt: hi secundum Hieronymum in fine proœm. in lib. 2. commentariorum hujus epistolæ, excepto sermone græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eandem prope habent, quam Treveri, quæ est Germanica, nam & Gallos a Germanis oriundos aliqui putant, ut hic refert Cornel. Alap. &c. Isti igitur cum bene edocti ab Apostolo, sincerè in Christum credidissent, eo peregrè profecto, sic a nonnullis Judæis surrepti sunt, ut circumciderentur. Quo comperto Apostolus ad eos scribit, ac quidem testimonium ejus, quam erga Christum habebant, fidei, & effectus perhibet, porrò eos redarguit, quod stultè egerint, & immutati fuerint. Ita Æcumen. in præsenti.

Hinc patet, ut notat Hieronymus, in proœmio hujus epistolæ, ad Paulinam, eamdem esse mate-

A riam hujus epistolæ, & ejus, quam scribit ad Romanos, utrobique enim specialiter, de antiquæ legis cessatione contendit, adeoque hæc illius epistolæ, est quasi epitome, vel compendium, & multas cum illa easdem habet sententias, rationes, phrases, & discursus, ita Hieronym. Anselmus, Theophilat. & Chrisostom. *cum hac differentia, quod hic loquitur solum ad Gentiles, illic etiam ad Judæos, & insuper in illa, altiori sensu, & profundioribus usus est argumentis, hic quasi ad eos scribens, quos increpat, ut insensatos, tali sermone moderatus est, quod increparet potius, quam doceret, & quem possent stulti intelligere, ut communes sententias, communi oratione vestiret, & quos ratio suadere non poterat, revocaret auctoritas &c.* Hieronym.

B Convenit etiam hæc epistola cum secunda ad Chorinthios, in hoc, quod utrobique reprehenduntur, qui Pseudoapostolos recipiebant, & eorum prædicationi, postposita veritate Apostolica acquiescebant, quod unum ibi reprehendit, illic verò alia etiam corrigit vitia. Ansel. ibi. Ex his apparet ratio continuationis Scripturæ.

Aliam tamen subdit Angelicus Doctor, in præsenti, *ordo autem*, inquit, *hujus epistolæ congruus est, ut post duas epistolas ad Chorinthios, in quarum prima agitur de Sacramentis Ecclesiæ, in secunda de eorumdem Sacramentorum ministris, necessariò sequatur epistola ad Galatas, in qua agitur, de cessatione sacramentorum veteris Testamenti.*

Sed ibi notandum est, quod Hieronymus in hac præfatione dicit, Petrum piè simulasse, ex quo orta est quæstio illa tam acriter agitata, de mendacio officioso inter Augustinum, & Hieronymum, qua in re D. Thomas, & communiter omnes Doctores sequuntur Augustinum, qui negat licere simulationem, & mendacium officiosum, & omninò videndæ sunt utriusque Sancti Doctoris epistolæ, quæ inter Augustini epistolas habentur; videatur etiam uterque in præfatione, & expositione hujus epistolæ.

C

Ex dictis etiam clarè habetur causa, ob quam scripsit, scilicet error, in quem devenerant, miscentes legi Christi, Judaismum, & scopus Apostoli, qui fuit, talem tollere errorem, &, ut inquit hic Augustin., ut intelligant gratiam Dei id secum agere, ut sub lege non sint. Unde ipse Apostolus in ea concludit. Ecce ego Paulus dico

D vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit, & rursum, quicumque in lege justificamini, a gratia excidistis, ita addit Chrisostom. hic cap. 1. Quando autem, & ubi scripta fuerit, dicit Theodoret. in præfatione ad omnes epistolas. *Prima*, inquit *est earum, quas Apostolus misit Roma, & si temporum consideres ordinem, octava. Antequam enim in Macedoniam peregrinaretur, pervasit Phrigiam, & Galatiam, prædicans evangelium, deinde in Macedonia, Achaja, & Asia versatus, profectus est in Judæam, indeque Ephesum, & post, Romam venit, ubi cum novisset, quod quidam pietatis decreta confunderent, medicinam adhibuit.* Id tamen negant Chrisost., & Baronius, tom. 1. pag. 657. quia non meminit vinculorum, quod solet in aliis Romæ scriptis, eamque volunt scriptam Ephesi, vel alibi,

aibi, unde incertissimus est locus scriptionis &c.

Probat in hac epistola Paulus, circumcisionem, & antiquæ legis ceremonias ne dum inutiles, sed plerasque etiam perniciosas esse, ad quod assumit personam Pastoris, & Prælati Ecclesiastici, cap. 1. Ecclesiæ, & præconis Evangel. cap. 2. doctoris, & magistri, cap. 3. & 4., consultoris, & amici, cap. 5. Zelotipi, & æmulatoris Christi, cap. 6. In primo capite ostendit auctoritatem sui evangelii, increpat Galatas, de eorum volubilitate, & Judaismo, & propriam narrat conversionem, postquam non rediit ad Judaismum, quem prius acerrimè defendebat, sed Evangelium, ad quod segregatus fuit a Christo, prædicavit, per Arabiam, Damascum, Syriam, & Ciliciam. 2. cap. probat acceptatum esse Evangelium suum, a Petro, & Jacobo, seque cum eis convenisse, quod gentibus prædicaret, seque Petrum reprehendisse, incaute simulantem Judaismum, ac denique, non justificari hominem ex operibus legis, sed ex fide Christi. Primo quia aliter Christus legem tollens, esset peccati minister, secundò quia lex ipsa, de se testatur, in Christo desinere, tertiò quia aliter frustra Christus mortuus esset, cap. 3. id ipsum probat quinque rationibus, prima, ab ipsorum experientia, qui non ex circumcisione, sed ex fide Christi, Spritum Sanctum acceperant. 2. exemplo Abrahę justificati, ex fide in Christum. 3. quia Christus factus est pro nobis maledictum, ut nos a maledicto legis liberaret. 4. ex Habacuc, Justus ex fide vivit. 5. promissione Abrahæ facta, & quia lex data est ut pędagogus docens, Christum venturum, per cujus fidem, & gratiam justificaremur, & unum cum ipso essemus, cap. 4. Id ipsum prosequitur, Judæos servos, Christianos filios Dei ostendens, quibus indignum est ad legem servitutis retroverti. Galatas convincit, ex libenti prius acceptatione evangelii, ut erubescant. Denique intentum confirmat per allegoriam duorum filiorum Abrahæ &c. cap. 5. Iterum urget ad intentum Galatas, ne ammittant fructum justitiæ Christi, in quo circumcisio non valet, nec præputium, sed fides operans per charitatem, in qua, & spiritu, & non in littera, libertatem Christianam consistere ostendit. Carnis, & spiritus discordiam moraliter describens, & propria utriusque opera, cap. 6. Hortatur ad bona opera potissimum misericordiæ, erga Christianos, docensque rectam intentionem, & bona opera ad vitam æternam requiri, & gloriantibus Judæis de circumcisione, concludit, se gloriari in cruce Domini Nostri Jesu Christi &c.

ARTICULUS VII.

Epistola Sancti Pauli Apostoli, ad Ephesios: Liber novi Testamenti decimus Sacræ Scripturæ LV.

ERat Ephesus, Asiæ minoris Metropolis, urbs nobilissima, sed Idolatriæ Magiæ, & præstigiis magicis, ac erroribus dedita, quòd ex eo constat, quod coràm Paulo plurimos magicos libros combusserunt, act. 19. fuitque in ea civitate celeberimum templum Dianæ, multique, ut advertit Chrisostomus, philosophi in eadem fuerunt, ex

A qua prodiit etiam Pithagoras, & tota schola Jonica, ex qua Plato. Quæstio est, quis eos primo convertit; ad quam Theodoretus. *Quidam ex iis, qui divinum Apostolorum antea interpretati sunt, dixerunt Divum Joannem Evangelistam primum Ephesus prædicasse, alii, alios. Paulum verò, cum nondum vidisset Ephesum; hanc ad eos scripsisse.* Theodoretus. Ita etiam sentit D. Athanas. sed ex actorum 20, deducit Theodoretus, eis Paulum prædicasse; at utrumque stare potest, & Joannem Evangelistam eos convertisse, & Paulum eis prędicasse, post aliquod tempus. Ait enim absolutè D. Thomas, in præsenti, lectione prima, in primum cap. Hi non fuerunt per Apostolum Paulum in fide fundati, jam enim antequam veniret ad eos, erant

B conversi, ut haberi potest. Actorum cap. 19. *Factum est cum Apollo esset Chorinthi &c.* post conversionem verò suam, & Apostoli confirmationem, in Fide perstiterunt, nec pseudo receperunt: non ergo reprehensione, sed consolatione digni erant, ideò Apostolus eis non increpatoriam, sed consolatoriam scribit epistolam; *scribit autem eis, ab urbe Roma, per Tichicum Diaconum. Intentio ejus est, & in bonis habitis confirmare, & ad altiora provocare.* Hæc D. Thom. *occasio eam scribendi fuit desiderium Ephesiorum, qui optabant ab Apostolo confirmari, quo cognito, ad eos ipse scripsit confirmandos, & instruendos.* Athanas. in sinopsi.

Ratio continuationis affertur ab Anselmo, hic; in *præfatione. Hæc epistola rectè post illam, quæ ad Galatas inscribitur, collocata est, quia ut ibi carna-*

C *les legis observantiæ ab illis, qui eas suscipere cœperant, removentur, hic, ne suscipi incipiant, prædamnantur.* Addit aliam D. Thomas hic in principio; sicut dicit sapiens, non minor est virtus, quam quærere, parta tueri, ideò laudatur Apostolus, qui etsi Ephesios non convertit ad Fidem, in ea confirmavit, unde ex ejusdem D. Thomæ sententia, sicut prius scribeos ad Galatas increpavit eorum inconstantiam, consequens est, ut ad eam evitandam, doctrinam Fidei confirmativam, ibi subnectat, & Ecclesiasticam maximè fundet unitatem, in veritate, & profectu spiritali, quæ est alia ratio continuationis, ab eodem D. Thoma allata, in præfatione ad omnes epistolas. Quòad tempus, & ordinem inquit Theodoretus. Hæc epistola ordine temporis sequitur eam, quæ ad Philippenses

D scripta est. Ut autem omnis error evitetur notat Glosa, hanc epistolam, quam nos ad Ephesios scriptam habemus, hæretici, & Marcionistæ, ad Laodicenses, intitulant.

Argumentum, ex Æcumenio hoc est. *In principio ostendit fidei nostræ. Mysterium non esse recens, sed ab initio, & ante jacta mundi nostri fundamenta esse istam benevolentiam Dei, qua Christum pro nobis pati, nosque salvare voluit. Deinde disserit de vocatione gentium, ut ostenderet eos rectè credidisse, declaratque nos non per hominem aliquem, sed per Christum esse vocatos, qui filius Dei est, ut etiam ex eo discant homines, se non hominis cultores esse factos, ubi in Christum crediderunt, sed per hominem Deum, veros Dei cultores, significans se quoque hujus gratia missum, ut prædicaret Evangelium, & curam eorum haberet*

haberet singularem. Post hæc adhortatorios sermones viris, ac mulieribus, patribus, & liberis, dominis, & servis, in hac epistola ponit, & circà finem, universos, contra diabolum, & ministros ejus instructos reddit, dicens, adversus illos nobis esse luctam, & contrà eum traditis præceptis præliandi, epistolam concludit.

Qualitas hujus epistolæ, ex Chrisostomo, hic *in argumento, abundat vehementer sublimibus, & excellentibus sensibus, nam quæ ferè nusquam locutus est, hic loquitur, utpotè cum dicit, ut nota fiat principatibus, ac potestatibus cælestibus, per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. Et iterum excitavit, & simul cum eo sedere fecit inter cælestes; & quod aliis generationibus non est manifestum, nunc revelatum est Sanctis ejus Apostolis, ac Prophetis in spiritu; nimirum quod gentes cohæredes sunt, & ejusdem corporis, consortesque hæreditatis ipsius, in Christo:* Conformiter Hieronymus, *hæc epistola subtilissima est, & ex ea dignoscitur, Pauli fervor, profunditas spiritus, indoles,* Alapid. hic &c. enim ex iis, quas scripsit in vinculis, in quibus quodammodo virtus unitafortior est, & sublimia, & amorem eructantia, ac virtutem crucis exultantem, effundit, ut olim ex eodem Chrisostomo notavimus.

Consolatoria est, secundum Angelicum. Exhortatoria, & confirmatoria, moralis, ac ad perfectionem ducens, secundum eumdem, aliosque, atque adeò in ea hortatur Ephesios primò ad gratitudinem Deo pro beneficiis acceptis exhibendam, ut jugi istorum memoria, eo firmius in fidei constantia, & morum integritate detineantur, immò & augeantur, quæ exhortatio fortissima est, & mixta cum laude, & consolatione, cap. 1. 2. 3. Secundo eos movet ad omnis generis virtutum studia capessenda, ut intelligant, non nudam, in homine Christiano fidem, sed eam, quæ operatur per charitatem requiri, ut talis sit, & perficiatur, a cap. 3. usque in finem.

ARTICULUS VIII.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Philippenses, Liber novi Testamenti undecimus, Sacræ Scripturæ LVI.

Vocatus per visionem in Macedoniam Paulus, act. 16. primum venit Philippos, Macedoniæ urbem, sub Metropoli Tessalonica, quæ prius Dathos dicta, cum aucta fuisset a Philippo Patre Magni Alexandri, ejus nomen accepit, indeque facta est colonia Romanorum, ibique plures convertit ad Fidem, qui verè fideles fuerunt, adeò ut hic eos vocet Apostolus, corona mea, & gaudium meum &c. *hic purpurarum venditrix mulier, inquit Chrisostomus, vehementer pia, & divinis rebus attenta, ad Dominum conversa est. Hic Archisinagogus Domino credidit; hic pytonissa sanata est, ob idque Paulus, & Sylas virgis cæsi sunt, hic magistratus, ut abirent, precati sunt eos, ob timorem, quia Paulum civem Romanum contra legem virgis ceciderant, habuit hic splendidum Evangelii, prædicatio initium.* Ita Chrisostomus, & alii, & habetur act. 16.

A Transmiserant autem hi Philippenses, per Epaphroditum, Paulo, quæ illi opus erant, & scire cupiebant, qualiter se haberet, valdè solliciti, & anxii, de ejus salute, quem summopere diligebant. Tunc autem Romæ erat in primis vinculis, ex quibus ad eos scribens, eos consolatus est, suadens ne mærerent, quin potius lætarentur, quia pro Christo hæc patiebatur, & in profectum Evangelii, ita ex Theophil. Scripta igitur est hæc epistola, Romę, anno Christi 60., qui fuit secundus primorum Pauli vinculorum, quo anno scripsit etiam ad Colossenses, ad Ephesios, & ad Philemonem, & his addit etiam Timotheum, qui anno priori accersitus a Paulo, Romam venerat ante hyemem, hic fuit annus Neronis quartus, quòd insinuat ibi Apostolus, promittens, se ad Philip- B penses, reversurum; non fuit ergo tunc in secundis vinculis, quæ ultima illi fuerunt.

Causa autem scribendi, præter supra notatam, fuit, quam affert hic Anselmus. Tantum enim jam in fide, & moribus, & Pauli prædicatione profecerant Philippenses, ut eorum vita, per omnia ferè responderet, doctrinæ. De primatu tantum, inter eos erat contentio, aliis se præferre volentibus, quasi ex meritis gloriando: ideò illis scribens Roma Apostolus, intendit ad humilitatem, ipsos revocare, ut de meritis non glorientur, nec se præferant alii aliis, sed quidquid boni habent, sive remissionem peccatorum, sive dona virtutum, gratię Dei adscribant, a quo totum habent, & nihil a se. Videtur autem, additur ex Chrisosto- C mo, hoc loco, illis potissimum, & cum magna honorificentia, ac nihil omninò objurgatorium, scribere, quod virtutis eorum indicium est, quod nullam Magistro dederint occasionem reprehensionis, sed tantum exhortationis ad meliora &c.

Rationem continuationis assignat D. Thomas. Convenienter post epistolam ad Ephesios, in qua fit instructio servandæ Ecclesiasticæ unitatis, hi proponuntur in exemplum, qui eam optimè servaverunt. Hæc igitur est intentio Apostoli, immo, & epistolæ argumentum, Philippenses hortari, ut in Fide Christi perstent, & pergant, ne vinculis suis turbentur, ne cedant, aut credant Judaizantibus, miscentibus Judaismum cum Evangelio; aut Chorinto, Simoni Mago, & eorum sectariis, negantibus, Christum verè fuisse crucifi- D xum; deinde eosdem hortatur, ad Christianos virtutes, ut Christi humilitatem, charitatem, pacem, & concordiam mutuam, æmulentur, & fervent.

Idque suadet, tum eos laudando, quod in fidei veritate servanda constantes fuerant, quod pseudo omninò respuerant, quod pro Christi nomine passi fuerant, sicut & ipse, suum ipsis proponens exemplum, ad patiendum, & moriendum pro fide, tum consolando, ab auxilio perfectorum, a virtutum studio, ad quod eos instruit, & hortatur ad perfectionem, ut Deus pacis sit cum ipsis &c. Queres cur se ibi P. non dicat Apostolum? Resp. Amb. hic cap. 1. quia necesse non erat, cum scriberet ad eos, qui de ipso rectè sentiebant.

ARTICULUS IX.

Epistola S. Pauli Apostoli ad Collosenses, Liber novi Testamenti XII. Sacræ Scripturæ LVII.

COlossè Civitas est Prygiæ, vicina Hierapoli, & Laodiceæ, quæ sub Nerone cum utraque prædicta terræmotu cecidit, ut narrat Orosius apud Alap. *at* Theophil. inquit, *Civitas hæc est Phrygiæ, qua vocatur Chonè, ubi celebris fuit apparitio, Sancti Michaelis*. Nondum viderat Apostolus, nec Colossenses, nec Romanos, nec Hebræos, cum ad eos scripsit, & de illis quidem, multis in locis, clarum est, de istis verò dicit, & quotquot faciem meam in carne non viderunt, & iterum, licet carne absens sim, tamen spiritu vobiscum sum. Chrisostomus, ibi. Athanaf. in sinopsi, Anselmus, & Glosa. Hoc tamen impugnat Theodoretus, sed parum interest, ut ipse concludit. Quantum ad tempus.

Videtur hæc epistola, post eam, quæ ad Romanos data est, scripta esse; nam eam quidem Romanis scripsit, cum eos nondum vidisset, istam verò, cum jam vidisset, & prope finem esset prædicationis suæ, quod & ex eo liquet, quod in epistola ad Philemonem; inquit, cum talis sim, nempe Paulus senex, & rogem pro Onesimo, in ista verò ipsum misit Onesimum, sicut dicit, quem misi, cum Onesimo fido, & dilecto fratre. *Arbitror autem hæc vetustiorem eam, quæ est ad Timotheum, & circa mortem ejus quoque scriptam, dicit enim illic, nam ego nunc immolor* 2. *Timoth.* 4. *Vetustior sanè hæc est ea, quam ad Philippenses scripsit*. Chrisostom. ibi, cap. 1. Scripta est, ut sentit Alapid. anno Christi 60. in vinculis secundis Romę, missa per Onesimum, & Tichicum; scribendi prima ratio fuit, pravum dogma, quod Pseudo aliqui prædicabant, scilicet nequaquam per filium Dei, sed per Angelos ad Deum habere nos accessum, & reconciliatos Patri fuisse, absurdum putantes, quod Filius Dei, in extremis temporibus apparuerit, cum in veteri Testamento per Angelos omnia fierent, & multas insuper observationes Judaicas, & Gentiles, Colossenses habebant, quas ibi corrigit Apostolus, unde & ab initio, statim dicit, per voluntatem Dei. Ita Chrisostom. hic cap. 1., & Theophilatus in argumento.

Aliam verò causam ponit Anselmus, in præsenti, dicens, *Colossensibus non ipse Apostolus prædicavit, sed ejus discipuli Epaphras, & Archippus, qui ex his originem ducebant. Epaphras enim, quæ a Paulo didicerat prædicans eis, convertit illos, & factus est Apostolus eorum; supervenientibus autem Pseudo, carnales observantias prædicantibus, dubium fuit, quibus potius credendum esset. Unde Paulus, cujus auctoritas celebris erat, quasi medius judicat, quæ pars sit potius tenenda. Describit autem Christum, & ejus beneficia, quommodo est sufficiens ad omnia, carnalia verò omninò improbat, unde fit, quod hæc epistola magnam affinitatem habeat cum ea, quę est ad Ephesios. In illa quippe, & in ista simili modo*

A *commendatur eminentia divinorum beneficiorum, & carnalium legis observatio destruitur, & mores Dei instruuntur*. Subdit verò Glosa ibi. *Intentio Divi Pauli est hæc, ut Colossenses hac epistola in eadem confirmet fide, & doctrina, quam a discipulis ejus acceperant, doceatque non in alio, quam in Christo, spem ponendam esse salutis*.

Rationem continuationis Scripturarum adducit hic D. Thomas. Quia in epistola ad Ephesios ostendit modum Ecclesiæ unitatis. In epistola ad Philippenses ostendit ejus profectum, & conservationem, ideò in hac agit de ejusdem conservatione contra hæreticos, qui depravaverant illam, eos seducendo. Continet hæc epistola confutationem prædicti erroris, incitationem ad amorem Christi,

B ejusque doctrinam, seu fidem evangelicam, magis, magisque sectandam; & exhortationem ad varia virtutum genera, & hominis Christiani officia; notat etiam hic Alapid. quod hac epistola Paulus insectatur Simonem Magum, ejusque asseclas hæreticos, qui uti Ephesi, ita Colossis, & alibi sua virulenta dogmata spargebant, ut advertit Chrisostomus, & Ambrosius, ideò hæc epistola, easdem ferè ad verbum habet sententias, cum ea, quæ est ad Ephesios, eo quod eadem materia easdem ferè exigeret sententias, & rationes. Unde ad illam remittimus &c.

ARTICULUS X.

C *Epistola D. Pauli Apostoli ad Thessalonicenses prima. Liber novi Testamenti XIII. Sacræ Scripturæ LVIII.*

THessalonica Metropolis fuit Macedoniæ, inclyta civitas, a Philippo Amintæ filio, sic dicta (prius enim alia vocabatur) quia ibi Thessalos vicerat, in hac urbe Apostolus prædicans, plures Gentiles, nobilesque Matronas convertit, act. 17. Inde verò seditione mota, per Judæos, fugit Paulus Athenas, ex quo loco misit Timotheum Thessalonicam, ut opus perficeret. Redeunte igitur ad Paulum Timotheo, eodemque ei referente Thessalonicensium profectum, & in fide constantiam, ad eam tuendam, eandem laudando exhortatur, in præsenti epistola. Ita ex Sacris Expositoribus com-

D muniter, & Driedo de scripturis Ecclesiasticis lib. 1. cap. 3. par. 3.

Si quæras, quando, unde, & per quos missa fuerit hæc epistola, respondet Theodoretus hoc modo. *Prima epistolarum omnium, quas Paulus scripsit, est hæc prior ad Thessalonicenses, hanc enim misit Athenis, ut ad eos scribens monuit: in medio enim epistolæ, sic dicit: propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis Athenis remanere, & misimus Timotheum, fratrem nostrum, & fidelem ministrum Dei &c. ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra*, 1. *Thessalonic. cap.* 3. Theodoret. *in præfatione communi*, cui addit Anselmus ibi. *Misit autem postquam eos, & vidisset, & in fide instituisset per Tichicum quoque Diaconum, & Onesimum Acolytum; Silvanum verò idest Syllam, & Timotheum,*

thenm, ideò secum posuit, quia in conversione Thessalonicensium fuerant cum illo participes laboris, vel quia tunc erant cum ipso &c. simile habet hic Divus Thomas.

Ast cum sit singulare, quod in hac epistola, Apostolus nihil ponat de se ipso, non vocans se Apostolum, nec servum Christi, quare hoc fit, dicit Chrisostom. hic *cap. 1. mihi videtur, ob id auctoritatem suam non posuisse, quod isti, recens, in fide essent instructi, suique nundum experientiam cepissent, essetque adhuc initium prædicationis ad eos facta*, vel ut ibidem Anselmus, quia ipsi ad obediendum proni erant, ideò non ponit nomen vel auctoritatis, vel officii, sed ut pares admonet.

Rationem continuationis moraliter, & pulchre assignat Chrisostomus hom. 1. in hanc epistolam. *De fide* (inquit) *hactenus disputatum est, hic nunc de opere agitur fidei: sed quid Paulus vocat opus fidei? quod nemo, inquit, constantiam vestram infregit. Hoc enim opus est fidei; si credis, omnia patere, si non pateris, non credis. Etenim an talia non sunt, quæ nobis promissa sunt, ut credentem, etiam mille mortes pati malle oporteat, quam ipsis excidere? propositum est regnum cælorum, & immortalitas, & vita æterna. Itaque qui credit, omnia patitur, proinde fides, per opera probatur.* Aliam rationem habemus hic, ex D. Thoma, nam postquam egit Apostol. de defensione Ecclesiæ, contra errores in epistola ad Colossenses, hic agendum erat de ejusdem defensione, & confirmatione contra persecutores, & tribulationes præsentes, in secunda verò ad eosdem Thessalonicenses, contra persecutores, & tribulationes futuras tempore Antichristi. Non enim deficit tribulationibus Ecclesia, sed sublevatur, & crescit. Exodi 1. *quantoque magis opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant.* Ita deducitur ex præfatione Divi Thomæ communi, & hac peculiari.

Scopus hujus epistolæ est, ut leniter corrigat errantes, perfectiores verò admoneat, ne rebus cedant adversis, neve Apostolis falsis credant, quin & ipsi alios corrigant errantes. Gratulatoria, & exhortatoria est, habet 2. partes. Prima, ad Thessalonicensium communem Ecclesiæ laudem pertinet, cap. 1. 2. 3. Altera notat privatorum errores, & defectus, quibus remedia porrigit, cap. 4. & 5. Primo igitur cap. recordatur, & laudat eorum fervidam conversionem, & corroborat in fide constantiam, secundò, ut in hac constantia eos firmet, suæ prædicationis sanctitatem, & sinceritatem ostendit, ex ejus fructu, ex toleratis ab ipso persecutionibus, ex puritate doctrinę, & intentionis suę, ex amore materno erga ipsos, ex proprio labore, ne eos gravaret, ex vita sua irreprehensibili inter eos, ex testimonio ipsorum, qui fidem ab eo acceptam, inter pericula conservarunt. Et hæc est vera idea pastoris Ecclesiastici, cap. 3. de Timotheo agit, ad eos misso, & de gaudio ex his, quę rediens ad ipsum, de illis retulerat, de quibus Deo gratias agit, eos revidere cupiens, & illis apprecatur Dei benedictionem, & sanctitatem, cap. 4. hortatur ad vitam Christianam puram, & sanctam, & ad fugam fornicationis, studium charitatis fra-

A ternæ, fugam otii, & laborem manuum; Agit etiam de fide, & spe resurrectionis, ne tristentur de mortuis, brevi resurrecturis, & de adventu Christi ad Judicium, cap. 5. diem Domini improviso futurum docet, ideò sint semper parati, & vigiles in bonis operibus, in vitæ integritate, & charitate, erga prælatos, in misericordia, & patientia. Ut semper orent, gaudeant, gratias Deo agentes, & spiritum non extinguant, & prophetias probent. Denique omnem eis sanctitatem deprecans, omnes salutat in osculo sancto &c.

ARTICULUS XI.

Epistola B. Pauli Apostoli, ad Thessalonic. 2. Liber novi Testamenti XIV. Sacræ
B *Scripturæ LIX.*

CUR bis scripserit Paulus ad Thessalonic. respondet Theodoretus ibi, cum rescivisset divinus Apostolus utilitatem, quam receperant Thessalonicenses ex prioribus litteris, & quod graviter pro fide impugnati, forti, & generoso animo ferrent impetus adversariorum, ad eos quoque scripsit secundam epistolam, ad virtutem, & animi magnitudinem excitans, & consolans eos, spe futurorum &c. non multo post primam, scripta est hæc secunda item ab Athenis, ut idem in fine hujus epistolæ docet, per Tichicum diaconum, & Onesimum Acholitum delata. Œcumenius, & Athanasius dicunt scriptam esse Romę. Alapide,
C scriptam Chorinthi, anno Christi 53.

Ratio continuationis, & ordinis, jam supra in præcedenti allata est, ex Doctore Angelico, aliam addimus ex Ambros. hic in præfatione, *Quoniam*, inquit, *in prima epistola ad Thessalonicenses data, inter cætera, etiam de adventu Domini quædam scripsit, & de resurrectione sanctorum, nunc aliam scribit ad eos, in qua significat, licet obscurè, neque enim posset apertè scribere, de abolitione regni Romani, & de Antichristi apparentia, & damnatione, & de quorundam fratrum inquietudine.* Hęc Ambros. in quibus, & ratio continuationis, & causa scribendi, & argumentum continetur. Adducunt alii, ut Athanas. in synopsi. In Thessalonica, quidam otiosi, & inordinate viventes circuibant, ac fratres seducebant, quasi jam tum dies Domini prę foribus
D esset, & hoc eo prętextu, quasi hoc ab Apostolo id manifestante, & a Spiritu Sancto audivissent, Glos. hic in principio. Hanc suspicionem non parum augere videbatur, id quod in priori epistola Paulus scripserat. *Mortui, qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini.* Quę verba, ita contristaverant eos, ut putarent, jam prope esse diem Domini, timebantque damnari, eo quod tarde ad fidem venientes imperfecti essent. Prosequitur Theophilat. ibi, *atque hunc metum illis diabolus, procul dubio injecerat, ut spem illis futuræ resurrectionis adimeret, & Christi ipsius, de adventu suo prædictionem, Math. cap. 24. in illorum mentibus irritam faceret, atque sic quod pejus est Spiritum Sanctum ipsum, quantum in se est mendacem redderet.* Has

ob cauſas Apoſtolus ; etiam hanc ſcripſit epiſtolam, in qua eos, ſic de Salvatoris inſtruit adventu, A cap. 2. *Rogamus autem vos, per adventum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & noſtra congregationis in ipſum, ut non moveamini cito, a ſenſu veſtro, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini, nemo vos ſeducat ullo modo.* Ideò addit ſigna ante diem Judicii eventura. *Primum, ultra ea, quæ dedit Chriſtus*, hic notat Chriſoſtomus *hom. 1. in cap. 2. Ne locus eſſet illis, qui Antichriſtos, & Pſeudochriſtos inducunt, ponit multa ſigna, unum quidem maximum dicens. Quando prædicabitur Evangelium apud omnes gentes, & aliud quoque, ne quod ad ejus adventum pertinet, errarent. Sicut fulgur, inquit, veniet, quod non in angulo quodam occu-* B *litur, ſed ubique reſplendet. Non opus habebit indicatore; ita erit illuſtris, ſicut fulgur non indiget indicari.* Pergit Theodoretus ibi, *cap. 2. aliud dedit ſignum dicens, niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut colitur, ita ut in templo Dei ſedeat &c. defectionem autem, ipſum vocavit Antichriſtum, a re ipſa ei nomine impoſito, conatur enim, ut homines deficiant &c.*

Quoad ſcopum, inquit, hic Gloſa in princip. Triplicem Apoſtolus videtur in hac epiſtola ſcopum, ſibi habuiſſe præfixum, unum, ut bonos, & quietos ad patientiam moneret, alterum, ut inquietos corrigeret, tertium, ut quæ in præcedenti epiſtola, paulò obſcurius dixerat, hic aliqualiter C declararet.

Itaque cap. primò, laudat Theſſalonicenſ. fidem, & pro ea tolerantiam, pœnas perſecutorum, præmia patientium, exponens, oratque Deum pro operis hujus conſumatione. Cap. 2. diem Judicii non inſtare, & ſigna ejus prædicit. Eis gratulatur, uti primitiis ſalvandorum, eos firmat ut teneant fidem, & traditiones, etiam verbo acceptas, & pro eis precatur. Ibi multa DD. quærunt de Antichriſto, nos alibi fortè, ubi tempus concedet &c. cap. 3. petit preces eorum, eiſque apprecatur conſtantiam in fide, patientia, & charitate; evitandos, & corrigendos vult otioſos, & inquietos, ſed ſine odio, eiſque pacem, ſalutem, & gratiam precatur: Hoc notans tamquam ſignum omnis ſuę epiſtolæ, ut a fictis veras diſcernant. *Hoc eſt ſignum* D *in omni epiſtola, ita ſcribo. Gratia Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cum omnibus vobis. Amen.*

ARTICULUS XII.

Epiſtola B. Pauli Apoſtoli, ad Timotheum prima, Liber novi Teſtamenti XVI., Sacræ Scripturæ LX.

Timotheus Epheſiorum Epiſcopus, de Civitate Lyſtrenſium, patre Græco, ideſt Athenienſi, Matre Judæa, ut refert Apoſtolus, dicens, *recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primum in Avia tua Loide, & Matre tua Eunice, certus ſum autem, quòd & in te;* diſcipulus fuit Pauli, & ejus ſpiritualis filius; *Quem puerum prope, idem Paulus ſecum aſſumpſit, qui pudiens, & Virgo permanſit, quique apud Epheſum, in Monte Pion, cum magno honore ſepultus eſt.* Iſydor. de *Patribus novi Teſtamenti. Conſtantinus autem Imperator, ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt.* Hieronym. *adverſus Vigilantium; ob egregias animi dotes, adhuc adoleſcens, a Paulo creatus fuit primus Epheſi Epiſcopus*, dicit Euſebius *lib. 3. hiſtor. cap. 4.* immo Archiepiſcop., & primas, quia Epheſus Metropolis erat totius Aſiæ minoris, & eidem commiſit Paulus, Epiſcopos creare in inferioribus Eccleſiis Aſiæ. Hunc eſſe Angelum Epheſi, ideſt Epiſcopum, ad quem primo, ſcribit Joannes in Apocalypſi; licet aliqui negent, tamen communis ſententia affirmat, ut aſſerit Lyran. Aurelius, Pererius, Baronius, aliique permulti, ut notat Alapid., nam certè vixit, in Epiſcopatu Epheſi, poſt Joannem, ut habemus ex Areopagita, qui fuit Joanne poſterior ſcriptor, & Timotheo plura ex ſuis operibus ſcribit, eidemque ſucceſſit Oneſimus; adeò verò profecit, admonitus ab Apocalypſi, quod charitatem primam dereliquiſſet, ut Zelo ardens cultus divini, contra Dianæ fanum, martyrium objerit &c.

Verum inquit hic Chriſoſtom. *ſiquis curioſè perquirat, quid ſit cur Tito, ac Timotheo tantum, ex omni diſcipulorum numero ſcribat, cum Sylas, & Lucas, & Clemens, cæterique ejus coadjutores, adeò ab ipſo laudentur, non id quidem abs re, & incongruè quæret. Reſpond. verò, quod his jam Eccleſiæ gubernacula, curamque tradiderat, illos verò adhuc circumducebat, adeò erat virtutis excellens inſigne, ut neque adoleſcentia ipſa impedimento eſſet. Idcircò etiam ſcribens ait inter cætera. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat; ubi enim virtutis certa argumenta præluxerint, omnia quadrant, nihilque impedimento eſſe poterit &c. At ſubdit. Nonne antea perficiendus erat, quam præficiendus Eccleſiæ? cur ergo ſcribit, nunc, & erudit? Reſpon., doctrina ſed enim, illi opus erat, non eadem, qua diſcipuli inſtruebantur, verum, quæ magiſtro congrueret. Videas namque illum per totam epiſtolam, Doctori congruam inferre doctrinam, ſtatimque ex ipſis initiis non ait. Ne intendas his, qui aliter te docent, ſed quid? ut admoneas eos, non docere aliter.* Hæc Chriſoſtomus.

Scripta eſt hæc epiſtola, è Macedonia, poſt primam ad Chorinthios, anno Chriſti 57. qui fuit Neronis primus. Ita Theodoretus hic, & Athanaſ. in ſinopſi. At Cornel. Alap. ait, ex græca, & Syriaca, eam ſcriptam Laodiceæ, Metropolis Phrigiæ Pacatinæ.

Ratio continuationis, & ordinis, ex Angelico hæc eſt. *Prius inſtruxit Paulus Eccleſiam, in his, quæ ad ejus unitatem pertinent; hic inſtruit ipſos Rectores Eccleſiæ, qui ſunt quaſi principalia membra ejus. Materia enim harum epiſtolarum, quæ ſunt ad perſonas, non directè ad Eccleſias, eſt, ad inſtructionem Rectorum Populi fidelis, in quo quidam præferuntur in ſpiritu aliis, ut Prælati Eccleſiarum, quos primo inſtruit, quidam verò in temporalibus, quos ſecundò monet. Primum, quod ſpectat ad Prælatum*

Eccle-

Ecclesiasticum est, ut subditos gubernet, & hoc ibi docet.

Scopus, & argumentum, ex Athan. in sinopsi. In hac epistola Pauli inter cætera, de quibus instruit Timotheum, suum per Asiam Episcopum, canones illi præscribit Ecclesiasticos, de constituendis Episcopis, præsbyteris, & Diaconis. Quomodo hi se gerere, & quid præcipue in Ecclesia pro statu, & conditione omnis generis hominum, docere debeant. Ex quibus etiam scopus ejus, qui ipse est, intelligitur.

Constat igitur ex hac epistola, Episcopi, & Prælati Ecclesiastici officium consistere, in defensione doctrinæ sanæ, & abjectione inutilis, cap. 1. per totum. In oratione, cap. 2. In impositione manuum, seù collatione ordinum, cap. 3. in honestate vitæ cap. 4. In liberalitate ergà pauperes præcipaliter, cap. 5. In Ecclesiastica Jurisdictione servanda, cap. 5. In prædicatione evangelii, cap. 6. Hæc autem suo ordine ostendit, primo cap., arguendos docet, qui intendunt fabulis, & genealogiis, legem bonam esse, sed non justis positam, &c. quia Judæis. Gratias agit Deo, de sua conversione, Timotheo commendat militiam in fide, & bona conscientia, cap. 2. Jubet Timotheo, orare pro omnibus, vult omnes viros in omni loco orare, item, & mulieres, sed in habitu modesto, humilitate, & silentio, non docendo, easque salvas esse, si subdantur viris, ab eis doceantur, & curam habeant prolis suæ &c. cap. 3. Dotes, & virtutes Episcopi, & Diaconi, & uxorum eorum describit, & reverenter Episcopum versari docet, in vera Ecclesia, veritatis columna &c. cap. 4. prædicit instantes hæreses contra nuptias, & cibos; Spiritalem, non corporalem exercitationem requirit; Episcopus sit sanctus, ut alios sanctificet, cap. 5. Ut se gerat Episcopus cum senibus, Junioribus, & puellis, ut provideat victum, verè viduis, multa de mulieribus &c. alendis præsbyteris, qui pro Ecclesia laborant Episcopus corrigat peccantes, nec facilis sit, ad ordinandum, cap. 6. Servi honorent Dominos, contemnit hæreticos, & novatores, damnat avaritiam, sectandam docet pietatem, & justitiam, usque ad adventum Domini. Instruit divites, quomodo salvi fiant, hæresum novitatem cavendam, & fidem servandam jubet &c.

ARTICULUS XIII.

Epistola D. Pauli Apostoli, ad Timotheum secunda, Liber novi Testamenti XVII., Sacræ Scripturæ LXI.

Quærit Chrisostomus, quid sibi vult, quod secundam hanc, ad Timotheum scribit Paulus epistol.? Resp. *frustratus ille spe, & expectatione sua (cum dixisset spero celerius venire ad te) consolatur eum litteris, corporalis præsentia vice, fortassis ob hoc ipsum mærentem, & quod jam gubernationis opus subiisset.*

Rationem continuationis præter eam, quam jam in præcedenti dedimus ex Angelico, assignat

A Æderus in præsenti. *Etsi* (inquit) *inter hanc posteriorem, & illam ad eundem Timotheum priorem epistolam, editæ sint epistolæ, ad Titum, ad Romanos, ad Galatas, ad Philippenses, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philemonem, & Hebræos, quæ omnes hanc secundam ad Timotheum epistolam præcesserunt, temporis ordine, ita ut prior illa, ordine quinta, hæc verò omnium sit postrema, tamen optima ratione, hæc post illam a majoribus nostris collocata est. Quantalibet enim Episcopus, ut scribit hoc loco Chrisostomus, virtute polleat, cum tamen Ecclesiæ gubernacula suscipit, insperatis fluctibus quatitur, & concussus undique, penè submergitur, quod si semper ferè contingit, in illo prædicationis initio necessariò fiebat, cum omnia essent plena periculis, cum maria undique, &*
B *undique cælum; cum persecutionibus, & inimicitiis cuncta fervérent, cum omnia simul obsisterent, & ex Judaicis observationibus, hæreses pullularent; Cumque de Episcopi officio, in prima actum sit epistola, rectè nunc sequitur secunda, in qua de persecutionibus, invidia, exilio, damnis, & mille aliis agitur, veri pastoris periculis, ad quorum aculeos perferendos, leniter, & patienter Paulus Timotheum suum, omnesque bonos Ecclesiæ pastores, & prædicatores, sic voluit admonere.* Hanc epistolam ultimam Pauli, esse scriptam, instante ejus martyrio, anno Christi 69. Neronis 13., licet Baronius aliter existimet; Est communis sententia Patrum, potissimum Chrisostomi, Ambrosii, Theodoreti, Theophilati, & Anselmi. Immò dici potest, & ipsius Pauli. *Ego enim inquit, jam delibor, & tempus resolutionis*
C *meæ instat*, & quæ sequuntur in hac eadem epistola id probant.

Eius itaque scopus est, ut Timotheum roboret contra falsos prædicatores, eumque de omni primum regula veritatis, deinde etiam de his, quæ ultimis futura sunt temporibus, ac postremo de sua instruat passione; ac breviter eum hortatur, suo exemplo ad martyrium. Anselm. ibi in præfatione. Addit Aureolus pro argumento; *in vinculis existens Paulus, fecerat jam secundam coram Nerone confessionem, unde facilè colligere poterat sibi instare martyrium ideò fidei negotium, Timotheo hac epistola commendat, & veluti Testamento relinquit, ut ei in Apostolatum succedat &c.* Sed Alapid. ibi. *Idem*, inquit, *generatim est argumentum hujus epistolæ quod prioris; Timotheum enim docet, quæ sint pastoris, & Episcopi officia, pri-*
D *mumque esse, intrepide, & constanter Evangelizare, ex Sacra Scriptura sanam doctrinam docere, exhortari, arguere peccatores, confutare hæreticos, quorum mores ad vivum depingit: prædestinationis dat fundamenta, & duo sigilla, scilicet præscientiam Dei, & fugam peccati, excitat ad fortitudinem, patientiam, studium Sacræ Scripturæ, & martyrium, quod sibi instare significat.*

ARTICULUS XIV.

Epistola Beati Pauli Apostoli ad Titum. Liber novi Testamenti XVIII., Sacræ Scripturæ LXII.

Titus, & Patre, & Matre Gentilis, natione græcus, & secundum Chrisostom. Corinthius,

thius, Pauli discipulus, & ab eo solus ex Gentibus circumcisus, ac ejus inde in baptismo spiritualis filius fuit, quem ad instruendas Ecclesias Apostolus, Cretæ reliquit, ejusque socius fuit, ut scribit Chrisostomus, hic in principio, cap. 1., *vir fuit valdè probatus, neque enim illi integram insulam commisisset, neque præcepisset implenda, quæ deerant, ait enim, ut ea, quæ desunt, corrigas, & eam multorum Episcoporum ei judicium non commisisset, nisi ei multum confideret. Et Paulus brevem scripsit epistolam, meritò, quod virtutis testimonium fuit ipsius Titi, neque enim is ille erat, cui verbis plurimis opus esset, sufficiebatque illi, tantum breviter admoneri;* Idem Chrisostom. Ex Nicopoli data fuit hæc epistola ante vincula, scripta anno Christi 58. statim post illam ad Timotheum primam, sic ut numero sit sexta; cum enim in Macedonia Paulus ageret, jussit Tito, ut ad se veniret, *cum enim misero*, inquit, *ad te Artemam, vel Tichicum, festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare*, ad Titum 3. dicunt autem Nicopolim esse urbem Traciæ, & Macedoniæ propinquam, Theodoretus, in præfatione communi. Perpetuam servavit Virginitatem, & Cretæ in pace, & sanctitate sepultus. Ignatius, & Isydorus.

Ratio continuationis, secundum Divum Thomam supra adducta est, eandemque ponit, ibi, *ut in præcedentibus, Episcopos instituit, ita & in præsenti, ad defensionem Ecclesiæ unitatis, contra hæreticos*, cui addit Aureolus. *Sed & ibi instruit, quales esse debeant, etiam alii Ministri in spiritualibus, & Sacerdotes, Diaconi, & Clerici omnes. Intentio ejus est instruere Titum quomodo Ecclesiam, sibi commissam regat, & defendat.* D. Thom. *Hæc epistola, sicut & duæ præcedentes Pontificales sunt, & ejusdem argumenti, ac sibi consimiles, adeoque videtur hæc epistola compendium esse illarum.* Alap. hic. *Cap. 1. describit pastorem Ecclesiæ qualis esse debeat, in se, & contra Judæos. 2. cap. quæ doceat Episcopus omnis generis personas, maximè fœminas, & rationem dat, ut omnes sint sancti. Cap. 3. moneat Episcopus subditos de obedientia omnibus superioribus, ac de aliis virtutibus; commendat gratiam Christi. Inutilia, & hæreticos vitari præcipit, vocat ad se Zenam, & Appollonium, & ipsum Titum, suosque salutat &c.*

ARTICULUS XV.

Epistola Beati Pauli Apostoli, ad Philemonem, Liber novi Testamenti XIX. Sac. Scripturæ LXIII.

PHilemon Gentilis, civis Colossensis, quem D. Thom. hic dicit virum magnum Christianum, alii valde nobilem, vita, & moribus conspicuum, sed magis fide, *quod enim fuerit virtute mirabilis*, ait Chrisostom. *ex eo in primis constat, quod domus quoque ejus fidelis fuit, & adeò fidelis, ut Ecclesia appellaretur, quocirca scribit ad eum Apostolus, saluta Ecclesiam, quæ est in domo tua, attestatur autem, & illi singulare obedientiæ meritum, & quod in eo viscera sanctorum quieverunt, ipse quoque in hac epistola admonet, ut sibi paret hospitium, ideò*

A *videtur mihi, illius domus sanctorum fuisse diversorium.* Chrisostom. ibi. Immò Theodoretus addit, ad sua usque tempora, eam domum perdurasse, fuisseque Ecclesiam, & episcopale palatium.

Ratio scribendi ex Chrisostomo, & aliis in præsenti ea fuit, quòd Onesimus servus Philemonis, fugerat Dominum furtim, aliquibus ab eo sublatis, at Romæ eum Paulus inveniens monuit, & convertit ad fidem, eum itaque cum hac commendaticia epistola remittit ad Dominum, manens ipse Romæ, in vinculis primis, anno Christi 60. Talis autem fuit Onesimus, ut eum postmodum, Episcopum Ephesi, successorem habuerit Timotheus, teste Ignatio Martyre in epistol. ad Ephesios, qui Romam perductus, ibi pro Christo lapidatus Martyr occubuit. Ado Trevirens. in martyrolog. 14. Cal. Martii. Edita autem est hæc epistola, ante eam, quæ est ad Philippenses, & post eam, quæ est ad Galatas: missa per Onesimum, Theodoretus.

B

Ratio continuationis ex Divo Thoma, nam post instructionem rectoris spiritualis, congruit instructio Domini temporalis, qualis esse debeat ad servos, & servi quales ad Dominum.

Addit Theodoretus ibi. *Nequis putet apud Deum, ullum esse respectum personarum, non absque singulari Spiritu Sancti consilio factum est, quod à majoribus nostris etiam hæc epistola, in hunc ordinem sit collocata, ut dum videmus Apostolum, hominis etiam servi, & fugitivi, ac furis, tam diligentem habere curam, certissimum inde capiamus argumentum, neminem viam, neque ad doctrinam fidei, neque ad gratiam salutis æternæ consequendam, ullo umquam tempore fuisse præclusam &c.*

C

Contra eos verò, qui hanc epistolam, vel Pauli esse dubitant, vel contemnunt, uti brevissimam, eam defendit hic Hieronymus. *Sed*, inquir, *mihi videntur, dum epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes, quid in singulis sermonibus, virtutis, ac sapientiæ lateat, si autem brevitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Naum, Sophonias, aliique Prophetæ.* Unico capite, hæc epistola completur, in quo laudat Philemonis opera pia, ex quibus arguit, se posse illi imperare, ut Onesimo parcat, eumque sibi ebarissimum filium recipiat, genitum ab ipso in vinculis, vultque, ut eum suscipiat, sicut semetipsum, eum

D excusans, ac summè commendans &c.

ARTICULUS XVI.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Hebræos. Liber novi Testamenti XX. Sacræ Scripturæ LXIV.

HEbræi, ad quos hoc loco scripsit Apostolus, dicuntur illi, qui ex Judæis ad Christum sunt conversi, in Hierosolima, & tota Palestina commorantes, secundum Chrisostom. ibi. Addit Anselmus. *Interpretantur autem Hebræi transitores, vel transeuntes, quique radicem cordis in amore præsentis mundi non plantavere, sed assiduis desideriis ad superna transeunt, qui peregrinationem terræ non diligunt*

diligunt pro habitatione patriæ, sed veram patriam semper inquirunt, hi sunt verè Hebræi, & ad se scriptam esse credant hanc epistolam. Ordine temporis est hæc epistola penultima, scripta est enim proximè ante secundam ad Timotheum, quæ omnium fuit postrema. Theodoret. in præfatione communi. Missa est, ex Italia, Theophilat., & Athan. in synopsi, per Timotheum filium ejus spiritualem, cap. ultimo, hujus. Ita secundum Theodoretum scripta fuit, 14. Neronis anno, in ultimis vinculis, sed cum Chrisostomo, & Baronio. Alap., inquit, in primis vinculis, ut colligitur, cap. ultimo, ejusdem. Ideoque anno Neronis 4. qui fuit Christi 60. & in hac sententia, non est penultima. Qui & subdit, *scripta est hæc epistola, quasi circularis, ad Hebræos omnes, toto orbe dispersos, sed maximè ad Judæos in Judæa degentes, ut per omnes eorum Ecclesias legeretur. Patet cap. ultimo.*

Sed dubium est, quoad auctorem, vel ut bene observat Angelicus *in præsenti, fuit dubium ante Nicænam Synodum. Ratio prima dubitandi erat, quia non tenet eundem modum, quem in aliis epistolis, cum nec præmittat salutationem, nec nomen. Secunda quia non sapit stylum aliarum, immò habet elegantiorem, nec est aliqua Scriptura, quæ sic ordinatè procedat, in verbis, & sententiis, sicut ista: unde dicebant, ipsam esse vel Lucæ Evangelistæ, vel Barnabæ, vel Clementis Papæ, cujus stylum sapit, ac in alia quadam ejusdem Clementis epistola habetur, ipse enim scripsit Atheniensibus, quasi per omnia, secundum stylum istum, sed antiqui Doctores præcipuè Dionysius, & aliqui alii, accipiunt verba hujus epistolæ, pro testimonis Pauli, & Hieronymus illam inter Pauli epistolas recipit.* Hæc Divus Thomas, ex cujus verbis patet, in Nicæna Synodo, ita fuisse declaratum. *Ad primum verò idem respond. ideò non posuit nomen suum, quia non erat Apostolus Judæorum, sed Gentium, ad Galatas 2. Item quia nomen suum Judæis erat Odiosum, eum diceret legalia non debere servari. Act. 25. Ideò ipsum tacuit, ne saluberima hujus epistolæ doctrina abiiceretur. Tum etiam quia Judæus erat, & domestici non bene sustinent excellentiam suorum, Matth. 13. Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Ad secundum, ideò est epistola hæc elegantior, quia etsi sciebat omnem linguam 1. Chorin. 14. omnium vestrum lingua loquor, tamen melius sciebat hebræam, uti sibi magis connaturalem, in qua scripsit epistolam istam, unde magis ornatè loqui potuit, in idiomate suo, quam in aliquo alio, unde etiam dicit, etsi imperitus sermone, sed non scientia 2. Chorin. cap. 11. Lucas autem qui fuit optimus prolocutor istum ornatum transtulit, de hebræo in græcum.* Addit Hieronym. *si hæc epistola non est Pauli, quia caret ejus nomine, ergò nullius est, quia nullius habet nomen. Quod si hoc absurdum est ejus magis censenda est, qui tanto sua doctrinæ fulget eloquio.* Hieronym. *in præfatione communi ei adscripta.* His breviter satisfactum est prolixæ huic quæstioni &c.

Et quamvis Marcion, Arius, Lutherus, Brentius, Kemnitius, Magdeburgenses, aliique hæretici asserant, & aliqui Chatolicorum antiquorum dubitent, hanc epistolam esse canonicam. Jam tamen de Fide est esse talem. Ita Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & Tridentinum sessione 4. superius data, & communis PP. consensus declarat. Argumenta autem Hæreticorum solvit Bellarminus, lib. 1. de V. D. cap. 17., & Medina de recta in Deum Fide, lib. 6. cap. 25., aliique.

Ratio scribendi hanc epistolam habetur ex Ambros. *ibi in princip. Qua ratione, inquit, scripserit B. Paulus genti suæ populo Hebræorum, ex ipsius verbis deprehenditur. Timuit eis, ne superati tentationibus ad Infidelitatem relaberentur. Nulla enim gens obstinatioribus animis repugnabat Evangelio Christi, quam Judæorum, qui Paulo erant infensissimi, quod se Gentium Apostolum profiteretur, quas Judæi, ut profanas, & impias abominabantur, ita legem sectantes, ut essent inter hos quoque, qui Christi doctrinam receperant, qui putarent legis observationem, cum Evangelio miscendam. Hierosolymis igitur, qui crediderant, variis calamitatibus afficiebantur ab his, qui resistebant Evangelio, nam apud hos erat publica auctoritas &c. Hos itaque consolatur Paulus partim exemplo veterum Sanctorum, quorum plerique similibus, aut gravioribus calamitatibus exerciti sunt, quo virtus eorum esset exploratior, ac præcipuè exemplo Christi, partim spe præmii cælestis, deinde declarat coruscante jam Evangelio Christi, cessasse umbras legis Mosaycæ, multa repetens ex veteri Testamento, & Christo accomodans: docet non ex observatione legis ad tempus data, & imperfecta sperandam esse salutem, sed ex fide, qua veteres etiam illi probatæ sanctimoniæ viri, quorum memoria Judæis erat sacrosancta, Deo potissimum placuissent. Tandem tradit præcepta quædam ad patientiam, & mores Christianos facientia.* Hæc Ambros. ibi in præfatione, in quibus ne dum causam, sed & summam tradit epist.

Brevius restringit argumentum Chrisostom. in præsenti. *Ne se putarent Hebræi in adversitatibus derelictos, inter cætera Paulus duobus eos hic instruit modis, primò quæcumque aceiderint, jubens ferre fortiter, deinde sperare certum præmium, Deum enim non neglecturum inhonoratum Abelem, & reliquam deinceps justorum seriem, & triplicem illis consolationem adhibet. Unam exemplo passionis Christi dicentis, non esse potiorem servum, quam Dominum, alteram ostentato credentium præmio, tertiam, dum docet, qualis sit hæc adversitas, nec solum per futura eos confirmat, quibus minus moveri poterant, verum etiam per præterita, quæ aceiderunt Patribus ipsorum &c.*

Ratio continuationis, e Divo Thoma est, *nam omnibus aliis epistolis, quas mittit Ecclesiis, agit de Gratia Christi, quantum ad totum corpus mysticum Ecclesiæ, in aliis de eadem, quantum ad membra principalia, in ista autem commendat eandem gratiam, quantum ad caput, scilicet Christum, a quo tota vita fluit in corpus, & membra, ideò sanè, valdè congruè, denique agit de capite, postquam egit de corpore, ac partibus &c.*

Subdit verò *lectione prima, scripsit autem hanc epistolam contrà errores quorundam, qui ex Judaismo ad Fidem Christi conversi, volebant servare legalia cum Evangelio, quasi non sufficeret gratia Christi ad salutem, unde primo commendat excellentiam Christi* mul-

multipliciter, præferendo ipsum Angelis, Moysi, & Sacerdotio veteri, ut per hoc, Testamento veteri præferat novum, deinde agit de his, per quæ membra junguntur capiti, scilicet de fide &c. ex quibus, & summam habemus, & scopum, & rationem continuationis Scripturarum, ac propterea satis hæc esse possent pro nostro instituto. Alia tamen claritatis ergò, notare breviter placet, ex Petro Aureolo, ac Georgio Edero, hoc loco deducta. Videtur enim tota hæc epistola disputativa, & quasi generis Judicialis, cum ferè tota in contentione versetur: artificium autem dispositionis ejus, tum demum rectè intelligetur, si observentur hæc tria, scilicet argumenta Hebræorum, quorum gratia plus illi legum ceremoniis, quam fidei mysteriis tribuere videbantur. Secundo refutationem, seù potius retorsionem eorundem, pro confirmatione fidei. Tertio sententiam, qua D. Paulus prædictam dirimit controversiam. Argumenta Hebræorum præcipua sunt, ex dignitate legis datæ per Angelos, & perpetui Sacerdotii, ac tabernaculi, ac ceremoniarum, & miraculorum eminentiam, & similia, quæ omnia generaliter, & specialiter destruit Paulus, ex comparatione Christi ad Angelos, ad Moysen ad Aaron, & reliquos Patriarchas, & Prophetas, & ex comparatione Evangelicæ veritatis, & efficaciæ fidei, ad umbram tum legis, cum ceræmoniarum; deinde sigillatim, aliis modis efficacissimis, quos notat Ederus. Sententia verò, qua præfatam controversiam decidit Apostolus, in summa hæc est, quod cum legis Evangelicæ ratio antiquæ legis observationem non tantum dignitate, sed etiam auctoritate superet, sicut corpus umbram, in ea religionis puritate cuivis qui salvari cupit, cum omni timore, & reverentia sit perseverandum, quod fiet, si sequamur, charitatem fraternam, hospitalitatem, castitatem, mediocritatem, sinceram fidem Ortodoxæ religionis, spretis doctrinis variis, & peregrinis, sobrietatem, & abstinentiam ab escis carnalibus; gratiarum actionem, obedientiam, & humilitatem. Qui plura voluerit consulat Expositores, cum enim hæc epistola summa contineat mysteria, aliter summari nequit, nisi tota exponatur.

Concludimus autem, sapientissimas æquè, sanctissimasque Pauli epistolas, uni quæstiunculæ, quam sæpissimè devotio movet, satisfaciendo; audiens enim quilibet, vel legens has epistolas, quæ ut dignoscantur plenissimè Spiritus Sancti gratia redundare, dulcissimum illud nomen, quod secundum eundem Apostolum nemo potest dicere, nisi in Spiritu Sancto, quippe illum nominat, qui conceptus est de Spiritu Sancto, amantissimum Deum nostrum Jesum, sæpissimè repetunt, statim miratur, & scire cupit, quoties in eis Paulus nominat Jesum. Cui quæstioni tam variè respondent Doctores, ut vix veritas, cum distinctione debita haberi possit, nisi quis ex professo suavissimum sibi hunc laborem assumat, dicimus igitur, quod nomine Jesu Christi, seù Christi Jesu conjunctim, aut seorsim Christi, ac seorsim Jesu, Apostolus Paulus in suis 14. epistolis simul sumptis, usus est quadringenties, & sexagies, idest vicibus 460. quod

A probatur, nam ad Rom. vicibus, 72. Prima ad Chorinth. 73. secunda, 58. Ad Galatas, 41. ad Ephesi: 49. Ad Philippenses, 40. ad Colossenses 28. ad Tessalon. prima, 20. secunda 14., ad Timotheum prima, 15. secunda, 14. Ad Titum, 4, ad Philemonem 9. ad Hebr. 23. quarum summa est 460. Sed ad Colossenses semel ponitur pro nomine alterius, sicut & ad Hebræos, semel pro Josue significando. At si loquamur de Sanctissimo Jesu nomine in se recensito, Jesum simpliciter invenies vicibus 241. Non tamen placet, illud Hieronymi. Ut enim semper, quem diligebat, etiam superfluè, & extraordinariè nominaret, quia ut alibi probabitur, in Sacra Scriptura, nihil est superfluum.

B

CAPUT III.

ARTICULUS I.

De septem Canonicis epistolis, Jacobi 1., Petri 2., Joannis 3., Judæ prima in communi.

Canonicæ hæ dicuntur epistolæ, seù catholicæ, non quia solæ, scripta canonica, & authentica contineant, tales enim sunt etiam omnes Pauli epistolæ, talis tota Sacra Scriptura, sed quia cum Pauli epistolæ quamvis doctrinam veram universalis Ecclesiæ contineant, tamen ad peculiares quasdam Ecclesias, seù populos, & ad singulares personas, ex suis titulis dirigantur, ex iis,
C ad quos diriguntur nomen accipiunt, ut epistola ad Romanos, ad Galatas, ad Titum &c. Hæ verò septem epistolæ, cum universales sint, quòd expressione Catholici declaratur, & regulas generales contineant, quod nomine canonici magis exprimitur, tales dicuntur. Ex quo pariter etiam ratio continuationis deducitur, ut scilicet a particularibus recta methodo, ad magis universalia procedatur. Ita deducitur ex Dionisyo Chartus. in præsenti ex Æcumenio, Glosa, & aliis, aliam etiam rationem assignat Dionisyus; ut nempe a diversis conscriptæ, in unico nomine unirentur, sicut in unica catholica veritate omnes versantur, omnes dictæ fuere canonicæ; eas autem Augustin. Apostolicas vocat. Cum verò duplex sit ordo di-
D gnitatis, scilicet scribentium, & temporis scripturarum, notat hic Glosa hunc secundum ordinem servari; scripserunt enim hi Apostoli, eo ferè ordine, quo eorum scripta hæc, in sacris bibliis collocantur &c.

De harum epistolarum materia, sive argumento in communi dicit hic Georgius Ederus, ex præfatione D. Thomæ ad easdem, quòd opus censetur, Thomæ Angelici. *Materia hujus libri est contemptus mundanæ prosperitatis; nam in canonica Jacobi describitur sustinentia adversitatis. Petri, amor supernæ, & divinæ charitatis. Joannis, carnalis fuga voluptatis. Judæ verò, Deletio veterum litterarum, hoc est peccatorum, & superscriptio novarum, idest Gratiarum, virtutum, donorum, bonorum operum.* Additur verò ex Hieronymo earum commendatio.

Jacobus,

Jacobus, Petrus, Joannes, & Judas, septem ediderunt epistolas, tam mysticas, quam succinctas, & breves pariter, & longas, breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat: Hieronymus, *ad Paulinum.*

ARTICULUS II.

Epistola Catholica B. Jacobi Apostoli, Liber novi Testamenti XXI., Sacræ Scripturæ LXV.

TRes aliqui distinguunt Jacobos, alterum Zebedæi, fratrem Joannis Apostoli, qui dictus est major. Alterum Alphei, qui frater Simonis Apostoli, dictus est frater Domini, & uterque fuit Apostolus. Tertium verò, primum Hierosolimorum Episcopum, sed vana est opinio, quoad numerum, cum constet, eundem Jacobum fratrem Domini, Jacobum scilicet Alphei, Hierosolimorum Episcopum, a Divo Petro ordinatum fuisse, ideòque duos tantum fuisse. Difficultas potior est inter Doctores, uter ex istis, auctor sit hujus epistolæ, auctores enim Hispani ferè omnes, qui rem hanc tetigerunt, eam tribuunt Jacobo Zebedæi, eorum protectori. S. Isydorus de vita, & morte Sanctorum, capite 73. Lucius Dexter in cronico, aliique, sed communis Sanctorum Patrum, Hieronymi, in Cathalogo scriptor.; Augustini in caput secundum ad Galatas, Ambrosii lib. 7. in Lucæ, caput 9. aliorumque sententia certa est, Scriptorem hujus epistolæ, fuisse Jacobum Alphei.

De hoc eximia ennarrantur, hic breviter aliqua referemus. Fuit cognatus Domini, ejusque dictus est frater, adeoque ei similis fuit, ut propterea Judas, osculo opus habuerit, ad distinguendum ab eo Christum, ne pro ipso Jacobus caperetur, eum vero, post mortem Christi, ut ejus imaginem vivissimam, optabant Christiani intueri communiter. Epiphan. hæresi 29. Egesippus apud Sanctum Hieronymum: In Jacobo &c. aliique asserunt eum sanctificatum in utero Matris; Jussu Christi, ut vult Eusebius constitutus est Hierosol. Episcopus, tamquam frater Domini, ac pastor Judæorum. Sed Anacletus Papa, epistola ad Episcopos Italiæ, eum asserit a Petro, Jacobo, & Joanne electum Episcopum Hierosolimæ postridiè martyrium Sancti Stephani, ut exacerbatos Judæos leniret, ita & Beda in cronico, quam Ecclesiam rexit per 29. annos &c. Nazaræus erat, eique soli licebat ingredi Sancta Sanctorum, oratione, cæterisque virtutibus insignissimus fuit ad miraculum, scripsit autem hanc epistolam, ad universas 12. Tribus, qui enim ex illis conversi fuerant, orta persecutione, in qua Martyr occubuit Stephanus, aufugerant, ad eosque confortandos verus pastor scripsit, quod verbo non poterat ob dispersionem, occurrit, etsi non statim, nam anno post epistolam Pauli ad Romanos, scripta hæc fuit, anno Christi 59. paulò ante martyrium, quod Joseph. lib. 20. Antiquitus, & Clem. 7. lib. hypotipos. describunt, quod intulit illi Annanus Pontifex Judæorum adolescens ex invidia, quòd & a Christianis,

A & a Judæis coli Jacobum videret, ut ait Salmeron. ac justum, Christum Dei filium abjurare, cum persisteret in fide, lapidatum, & præcipitatum, fullonis fuste occiderunt, anno Christi 63. Porrò hæc epistola, non hebraicè scripta, ut aliquibus videtur, sed Græcè, quæ tunc lingua communis erat, nam Apostoli utebantur translatione 70. Interpretum, & græcis litteris, ut notat hic Alap., & cum Judæi conversi, toto essent orbe dispersi, sicut littera catholica, idest universalis erat, ita decebat, uti in scribendo lingua quæ esset universalior.

Occasio, seù ratio impellens, & ad scribendum, fuit, error Simonis Magi, (cui postmodum adhæsere Lutherus, & Calvinus, eorumque sectarii) qui ex Paulo, fidem contra legem exaltante, pes-
B sime inferebat, & passim docebat, non requiri opera ad salutem, & solam fidem sufficere, immò ut apud Alap. hic, Irenæus, docebat eos, qui in eum, & Selenem ejus fæminam spem habebant, ut liberos, agere quæ velint, secundum enim ipsius gratiam, salvari homines, & non secundum justitiam operum. Item docebat libertatem carnis, & Veneris, æquè ac Lutherus, solam autem fidem sufficere ad salutem. Jacobus ideò Hierosolim. Episcopus quæ erat non multum longè a Samaria, in qua hæc Simon docebat, cujusque errores jam Judæam inficere aggrediebantur, ex pastorali officio, omni conatu, hæresim perniciosissimam suffocare intendens, & dispersos a longè, & de prope monere, hanc scripsit epistolam. Hic ergo fuit
C ejus etiam scopus in hac epistola, ac simul omnes confortare, & docere Judæos, quorum erat Apostolus, ex convencione cum Paulo, aliisque Apostolis. Ita ex Augustino, Dionysio, & aliis pluribus, & ex ipso contextu colligimus.

Ejus autem summa, & argumentum, quod nobis sufficit intimare est; & primum notandum ex Beda, hic in principio duodecim Tribubus dispersis per Judæam, & Samariam, & alibi hanc scribit epistolam: Nec solum his, verùm etiam illis, qui percepta fide Christi, necdum operibus perfecti esse curabant, nec non & eis, qui fidei exortes durabant, quin & ipsam in credentibus, quantum valebant persequi, ac pertubare studebant. Inde prosequitur Æcumenius. *Docet in hac epistola de tentationum varietate, quænam a Deo sint, & quæ a*
D *proprio corde hominum, & non auditores legis, sed effectores justificari, de divitibus præcipit, ne in cœtu Ecclesiæ pauperioribus præponantur, sed potius increpentur tamquam superbi, consolatur eos, qui injuria afficiuntur, & hortatur ad longanimitatem usque ad Judicis adventum, ubi etiam de patientiæ commodo, exemplo Job, docet. Præcipit extremæ unctionis Sacramentum, ut vocentur presbiteri ad infirmos; & ut studeant ad veritatem convertere seductos, aut errantes, ait enim qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Alii breviter sumant hanc epistolam, quæ verè canonica est, cum sit Christianæ vitæ canon. Nam ut consoletur afflictos, docet primò, ut omne malum a nobis, ita omne bonum à Deo esse, ab eo

quæ petendum, secundò mundanam, ac Christianam sapientiam distinguit, & utrinque pugnam ad invicem, sed inanem eam omninò esse. Tertiò Deum, iniquorum vindicem, ac Judicem, ideoque cavendam personarum acceptionem, ac non sæculi, sed Dei quærendam amicitiam. Quartò sollicitudinem de futuris rescindit, spe posita in sola Dei cura, & amore. Quintò ad omnes instruit virtutes, distinctè ad fidem, spem, religionem, simplicitatem, misericordiam, linguæ custodiam, charitatem, mediocritatem, & patientiam. Sextò sacram unctionem ordinat, ac suadet precandi, psallendique studium, & errantium conversionem. Hæc fusius videri poterunt in epitome Petri Aureoli, & in partitionibus Ederi &c.

ARTICULUS III.

Epistola S. Petri prima. Liber novi Testamenti XXII., Sacræ Scripturæ LXVI.

Notissima est Petri Apostolorum Principis persona, dignitas, fides, amor erga Christum, sapientia, constantia, auctoritas, summaque, & quæ majorem non habet in terris, potestas, atque majestas, ac denique insigne martyrium, atque miracula, nec potest brevissimo nostri instituti modulo, ejus descriptio, sed potius conticescens humilis admiratio, ac veneratio convenire.

Ipse præsentis est auctor epistolæ, de qua, ejusque auctoritate, nemo umquam, vel hæreticus censuit dubitandum. Hanc autem epistolam, post illam Jacobi scriptam esse ex loco, in quo ponitur, planè convincitur, neque enim Jacobus, Petrum superat dignitate; nec materia illius epistolæ, hujus argumento præcellit, sique ergo prioritas, ea solius temporis esse potest, unde & Lyranus in præsenti, ceterique complures, ita sentire videntur. At Cornel. Alap. in contrarium inclinat, asserit enim eam scriptam anno a Nativitate Christi 45. quo anno Petrus Romam appulit, eoque ex Antiochia cathedram Pontificiam transtulit &c. Hic annus fuit Claudii Imperatoris tertius, Pauli a conversione decimus, quare scripta est hæc epistola ante omnes Pauli epistolas, cumque prius in epistolam D. Jacobi dixisset epistolam Jacobi scriptam fuisse, post illam Pauli ad Romanos, necessè debet concludere, hanc scriptam ante omnes Paulinas, eam utique Jacobi præcessisse. At si ita tenet, pariter, & tenetur assignare, quare hæc Petri prima, post illam Jacobi posita sit, sed hoc parum interest, & certè Cornel. loquitur in sententia Baronii, cum hujus epistolæ tempus describit &c. Romæ scriptam esse, omnes communiter docent, hanc enim vocat Babylonem, cap. 4. quam & Sanctus Leo, ejus successor appellat, silvam frementium bestiarum, sermone primo, de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo &c. missaque fuit per Syllam, sive Silvanum, cap. 5. Scripta est præcipuè ad Christianos, ex Judæis conversos, hæc enim specialis cura fuit Petri, de his videlicet, ac de Gentilibus, qui priusquam baptizati, fuerant circumcisi, ut notat hic Dionys. Carthusianus. Demum ad omnes conversos, qui simul cum prædictis dispersi erant per Pontum, & Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithiniam, ut habemus ex titulo epistolæ, quia ipsi erant primi, quos Petrus prædicando converterat. Hi verò scilicet universi, Petro fuerant tamquam communi Pastori a Christo commissi.

Rationem continuationis assignat Petrus Aureolus, ibi, *postquam enim Jacobus tractavit de virtutibus moralibus in generali, non considerata ratione aliqua singulari peculiaris personæ, vel temporis. Nunc B. Petrus in his duabus canonicis tractat de virtutibus moralibus, secundum diversos status, & tempora, & in prima quidem tractat de virtutibus diversis, secundum diversitatem personarum, unde se refert ad diversos status, in secunda verò, secundum diversas conditiones temporales, unde refert se ad novissimum, & finale tempus Antichristi. Nunc quoad primam. Ejus scopus est, eos qui ex Judæis crediderant, omnesque fideles, in fide, & vita integritate, & sanctitate stabilire.* Ex Æcumenio ibi. Pro ejus argumento nota, quid in ea præscribere voluerit, ex eodem Æcumenio, & ex Synopsi Athanas. Primum quidem ennarrat, & ostendit, quod Fides in Christum, a Prophetis annunciata sit, & per ipsos significata redemptio, per ejus sanguinem facienda, perq; ipsos, Judæis ac Gentibus prænunciata sint omnia, ad quæ desiderant Angeli prospicere, deinde ubi suasit, ut dignè eo, & ad eum, qui ipsos vocavit, conversentur, exhortatur, ut etiam Regibus honorem deferant, & mulieribus, ac viris concordiam præcipit, & pauca circa mores exhortatus, significat, quæ Christus fecerit in inferno &c., & de resurrectione, aliqua, & quod finis omnium deinceps immineat, & omnes parati esse debent, Judici reddere rationem, & ita concludit &c.

Clarius ex aliis Doctoribus, altera pars Epistolæ ad fidem, altera spectat ad mores. Primò enim celebrat mysterium Incarnationis, Divini Verbi, ejusque passionem, Redemptionem, vocationem Gentium, & Judæorum, ad gratiam, & salutem, & gloriam. Idque firmissimè tenendum, quòd olim prædictum est, etiam inter pressuras, & mortem, exemplo Christi. Secundo quoad mores, ponit Christum ut exemplar, suadet obedientiam principibus, quicumque sint, eamque deberi a servis Dominis, ab uxoribus Maritis, ita & de singulis statibus, distinctè. Hinc ut ad Christi exemplar sancti sint, hortatur ad prudentiam, orationem, charitatem fraternam, hospitalitatem, patientiam, humilitatem, & temperantiam, & constantiam in iis, quæ patiebantur, a Judæis, & Gentibus. Profundissima scrutatur mysteria, & bona in Christi cruce abscondita.

Solum notandum hic superest, nempe summo studio, & advertentia opus esse ad intelligendam præ cæteris hanc epistolam, maximè verò cap. 3. ubi vers. 20., & 21. habetur Christum prædicasse in Inferno spiritibus, qui locus non parum torsit Augustinum, ut videre est, epistola ejus 99. Ad Evodium, ejus interpretationem, etsi rejiciat Cornel. Alap. hoc loco, saltem quoad aliqua, eo quod ut ipse dicit symbolica, & mistica sit, eam tamen

cum

cum D. Thom. 3. p. qu. 52. articulo secundo sequendam, uti veram, & majori dignam obsequio, quam eam, cui adhæret Cornelius, etsi doctissimus, & peritissimus sit, existimamus, & alibi Deo dante ostendemus &c. pro nunc remittimus lectorem *ad cap.* 4. præsentis epistolæ, *v.* 5., & 6. ubi dicitur, *qui reddent ei rationem, qui paratus est judicare vivos, & mortuos. Propter hoc enim, & mortuis Evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines, in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu &c.* etsi enim eadem ferè hoc loco sit difficultas, quæ cap. 3. tamen ex isto magis probata manet responsio Augustini &c. sic ergo habet Divus Thomas *loco citato a. 3. hoc refertur ad descensum Christi ad Inferos, secundum aliquos. Vnde & Damasc. dicit lib. 3. quod sicut his qui in terra sunt evangelizavit, ita & his, qui in Inferno, non quidem, ut incredulos, ad fidem converteret, sed ut eorum infidelitatem confutaret, quia ejus prædicatio nihil aliud intelligitur, quam manifestatio divinitatis ejus. Augustinus tamen melius exponit in epist. ad Evodium, ut referatur non ad descensum Christi in infernum, sed ad operationem divinitatis ejus, quam exercuit, a principio mundi, ut sit sensus, quod his qui in carcere erant conclusi, viventes in corpore, mortalibus, quòd est quidam carcer, spiritu suæ divinitatis veniens prædicavit, per internas inspirationes, & externas admonitiones per ora justorum &c.*

ARTICULUS IV.

Epistola secunda Divi Petri Apostoli, Liber novi Testamenti XXIII., Sacræ Scripturæ LXVII.

PRæter rationem continuationis in priori, etiam de hac secunda positam, aliam dat Chartusianus, hic *cap.* 1. *Primitivam* inquit *Ecclesiam impugnabant primùm tyranni, gladio materiali, hæretici verò doctrinis pestiferis, sicutque in prima epistola excellentissimus Apostolici chori vertex, hortatus est conversos, ne cederent passionibus, ita in hac eos hortatur, ne hæreticorum decipiantur figmentis. Vel etiam secundum Bedam, prima scribitur inferioribus, sive imperfectis, secunda majoribus, sive perfectioribus, Iisdem procul dubio hæc scripta est, quibus prima: inquit enim, ecce secundam hanc vobis scribo epistolam: Sed inter eos, & perfecti quidam erant, & imperfecti. Eam verò scripsit Romæ in vinculis Mamertini, proximus martyrio, quasi ultimum valedicens suis fidelibus, eisque monita priora confirmans, ne memoria deciderent, inquit enim, velox est depositio tabernaculi mei, 24. annis post primam, scilicet anno Christi 69., quo Martyr occubuit, primam enim scripserat, ann. Christi 45.*

Dubitant aliqui, scilicet hæretici, Lutherus, & alii, an sit Petri, quia videtur in ea alius stylus a prima, & quia in Syriaco non habetur, sed verè canonica est, & acceptata ab Ecclesia, ut Petri epistola, ut probant hic Doctores, & habetur ex Tridentino, immò ex ipsa constat, quæ incipit. Simon Petrus, Servus, & Apostolus Jesu Christi. Stylus revera non est diversus, etsi aliqua

A diversitas apparet, ea ætati tribuitur, tanto enim intervallo mirum non est, si stylus aliquo modo varietur. Hoc etiam attribuit Hieronymus diversitati Interpretum. Primæ enim interpres fuit Sylas, vel potius Marcus, cap. 5. Sed hujus secundæ Glaucias, ut docet Clem. Alexandrinus. Falsum est etiam non extare apud Syros, ut bene ostendit ad evidentiam, hic, Alapide.

Scopus Apostoli idem est, ac prius dictum fuit, ne videlicet cædant hæreticis, qui persecutoribus non cesserunt. Glos. *hic in principio Exhortatoria est hæc epistola, singulis propemodum verbis maxima adducens mysteria, dum spiritu admonitus, diem suæ mortis instare cognosceret, paterno quodam ductus amore, munus saluberrimæ eruditionis, ipsis Asianis, adeoque toti Ecclesiæ relinquere voluit, docet autem Re-*
B *ligionem, quam acceperant sanctam, & veram esse, deinde hortatur, ut puritati vitæ, & innocentiæ studeant, in qua ut firmius persistent, & pseudoprophetas venturos facilius vitent, testimonia veræ Religionis adducit, quibus eorum versutias, & exitium prænuncians, omnes illius magnæ diei, certissimæ quidem, sed nemini cognitæ admonet.* Ex Claudio Guillaudo: Ederus tria verò hæc epist. habet capita. Cap. 1. exponens Christi promissa, ut efficiamur divinæ consortes naturæ, ex hoc suadet, ut puram, & cœlestem vitam vivamus in fide, virtute, & patientia &c. id confirmans, ex gloria, quam vidit in Thabor, qua firmiorem asserit esse scripturam. Cap. 2. describit hæreticorum mores, ut eos dignoscant, & vitent, eorumque finem malum,
C cum iis, qui diluvio perierunt, qui juxtà communem sententiam damnati sunt, denunciat. Cap. 3. est de fine mundi, & Judicio contra hæreticos, qui illud irrident, & ex ejus terrore, ut fideles se præparent, ad illud tutò subeundum, cum vitæ sanctitate illibata, hortatur. Itaque primò agit de fide servanda secundum se. 2. de ea servanda contra hæreticos. 3. de Judicio utrorumque &c. Notabile verò est quomodo Christi Vicarius instruat Ecclesiam, ne dum per se, sed per omnes epistolas Pauli. Id enim præstat, dum ibi illas commendat, & confirmat, & ita deludit hæreticorum ausus, qui Paulum spernebant, ejusque doctrinam, tamquam non esset Apostolus, non enim ejus dicta approbaret, qui se Gentium Apostolum affirmabat, nisi & hoc verum esset, & ea quæ scrip-
D ferat, id mereerentur.

ARTICULUS V.

Epistola prima Sancti Joannis Apostoli, Liber novi Testamenti XXIV. Sacræ Scripturæ LXVIII.

QUis, qualisque fuerit Joannes Apostolus, notissimum est, nosque alibi, pauca de ipso notavimus, siquidem compendium, illudque breviter, & compendiosè conficimus. Joannes igitur Apostolus, & Evangelista, filius Zebedæi, & Salome, quæ non fuit soror Beatæ Virginis quamvis consanguinea, secundum Æutim. Theophil., & Sanctum Thomam, aliosque plures, dilectus Chri-

 sti.

sti.. Apostolus amoris, fuit auctor hujus epistolæ, de quo nemo dubitavit, testè Augustino, tract. 7. in hanc Epistolam, ac communi sententia. Non multo post Evangelium etiam epistolas scripsit, scilicet post mortem Domitiani, quia reversus de exilio, invenit Ecclesiam, per hæreticos perturbatam, contra quos scripsit. Glosa in prol. ad 7. canonicas. Hinc patet ratio continuationis scripturarum. Nam D. Petrus in sua secunda, Hæreticos prædicit, & describit, ut evitentur. Ipsis igitur insurgentibus, scilicet Cerinto, Marcione, & Ebione, munus fuit illuminatissimi Joannis, contra eos, de Christi divinitate differere, quam illi negabant; ex eadem itaque causa, qua Evangelium, hanc etiam epistolam scripsit, inquit hic Beda cap. 1. nempe contra præfatos hæreticos, qui negabant. Christum fuisse ante Mariam, *unde sicut illic, ita ibi*, inquit Æcumenius. *Theologicè tractat de Verbo, ostendens ipsum in Deo semper esse, docensque Patrem esse lucem, ex quo Verbum tamquam splendor procedit, nec recens hoc apud nos esse mysterium, sed ipsum fuisse quidem semper, manifestatum verò nunc fuisse per Dominum Jesum, qui est vita aeterna, & Deus verus. Voi etiam causam ponit adventus, & manifestationis ipsius, hanc esse, dicens, ut dissolvat opera diaboli, nosque a morte liberemur, & cognoscamus Patrem, ac ipsum Filium Dominum Nostrum Jesum Christum. Deinde tota epistola, de dilectione, & charitate docet, volens ut nos invicem diligamus, quandoquidem, & Christus dilexit nos. Cujus rei occasione discrimen ostendit, inter timorem, & dilectionem, & filios Dei, ac filios Diaboli: atque etiam agit de peccato, quòd est ad mortem, & de eo quod non est ad mortem, ac de diversitate spirituum, ubi distinguit quis spiritus ex Deo sit, & quis sit spiritus erroris, quo pacto cognoscamus filios Dei, & filios Diaboli, de quo item peccato precari debeamus pro his qui peccant, & de quo non oporteat precari, quodque is, qui proximum non diligit, non sit dignus vocatione, nec possit diei Christi. Denique unitatem Filii ad Patrem ostendit, & quòd his qui Filium negat, etiam Patrem negat, in qua parte ostendit, hoc esse proprium Antichristi, dicere, non esse Filium Dei ipsum Christum, ut videlicet, cum ipse non sit, mendacem, ille se dicat, & in fine epistolę rursum ad memoriam reducit, quòd filius Dei, vita ęterna sit, Deusque verus, & ut ipsi serviamus, & caveamus nobis a simulacris &c.* Hæc Æcumenius in argumento, ibi &c.

Idem verò ex Athanasio in Synopsi summarium addit videlicet. Exhortatur tota epistola credentes in dominum, ne contristentur, si odio habeantur in mundo, sed gaudeant potius, quod odium mundi ostendat, credentes migrasse ab hoc mundo, ac deinceps cælestem habere conversationem. Patet etiam scopus Jo: in hac epistola, ut nempe eorum coarguat impietatem, qui Ecclesiam vesano dogmate perturbabant, Cerinti videlicet, & Marcionis. Beda ibi &c. Rem verò apprimè tangit Augustinus, *hic in præfatione, maximè*, inquit, *commendatur charitas; locuturus est enim multa, & prope omnia, de charitate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim erit illi*

A *lectio ista, tamquam oleum in flamma &c.* Ita Augustin. describens ferè cor suum.

Communiter Doctores ibi ponunt hoc argumentum, videlicet, quod ibi Apostol. amoris, docet fidem, spem, & charitatem, quod est verè summa totius epistolæ. Fidem Sanctissimæ Trinitatis, ac Verbi Incarnati, spem æternæ vitæ, quam excitat proponens charitatem Patris, qui nos divisit a Filiis Diaboli, & fecit filios suos per Filium suum. Charitatem, quia Deus prior dilexit nos, dans filium suum, qui ex amore nostro mortuus est, & jubet nos diligere proximum nostrum, quia ipse dilexit omnes. Dehinc hæresim impugnat, jam supra dictam, aliamque Basilidis, qui negat Christo veram carnem, & humanitatem, quam in eo apparentem, & phantasticam dicit, sicut & opera B ejus, nec pro eo patiendum a persecutoribus, utramque ibi destruit Joan. ostendens Christum, verum Deum, verumque hominem esse, quem sequi debemus, concupiscentiam, & peccata, uti opera diaboli odientes, & ad ipsum per fidem, & spem tendentes, & per charitatem amplectentes. Scribit autem ad omnes homines, ad omnem ætatem, ad pueros, ad adolescentes, ad senes, quod Deus cognitus sit, diabolica verò energia post hac devicta sit, abolita morte, ex Æcumen. ibi &c. tamen aliqui ex antiquis, scriptam ajunt nominatim ad Parthos, Iginus Pontif. epistola prima, & alii apud Alapide. Sed pro Parthis accipitur totus ferè oriens, ut multi dicunt, & certum est, in inscriptione epistolæ, nihil peculiare indicari, ex materia C verò, quæ spectat ad omnes fideles, epistolam universalissimam esse, quippe ad charitatem tendens, quæ limites non habet ad omnes, qui Deum diligere debent, scripta est. Pulchrè totam epistolam exponit Georgius Ederus, de fide, spe, & charitate, qui pulcra voluerit ipsum adeat.

ARTICULUS VI.

Epistola secunda S. Joan. Apostoli, ad Electam &c. Liber novi Testamenti XXV., Sacræ Scripturæ LXIX.

ETsi aliqui negarint, hanc epistolam esse Joan. Apostoli eandem attribuentes, cuidam sacro Ephesi præsbytero, qui & ipse dicebatur Joannes, D cujus meminit Papias sæpè in suis opusculis, ut notat hic Beda. Idem tamen subdit. *Sed hoc generalis Ecclesiæ consuetudo habet hanc etiam epistolam verè esse Joannis Apostoli, quæ multam verborum, & fidei similitudinem habet cum prima, & simili zelo detestatur hæreticos.* Ita Beda. Quamvis verò plures, de hac re quæstionem habeant, eam tamen ut superfluam nos ommittimus, cum sufficiat communis Ecclesiæ, Sanctorumque consensus, & Concilii Tridentini auctoritas. Solum esse posset difficultas, quommodo hæc & sequens inter canonicas epistolas computetur, cum sint ad personas particulares, quod non convenit cum eo, quod supradictum est, communi omnium sensu, quod hæ dicantur canonicæ, seu catholicæ ob universalitatem, dicunt aliqui, ut hic in prologo vulgatæ

hanc

hanc Electam, & filios ejus, symbolum esse Ecclesiæ, alii quod ad hoc sufficit, doctrinam esse universalem, cui addi potest, hanc esse velut appendicem præcedentis, quæ fere idem continet, cum proportione, ideò inter canonicas computatur, quod & de sequenti verificatur. Hujus argumentum, & ratio scriptionis est, laudat Electam, quæ erat quædam nobilis fœmina, existens Babylone, & filios ejus, de eorum fide, & eos ad charitatem, & observantiam divinæ legis hortatur, & ad cavendum ab hæreticis, negantibus Christum, nec eis ave dicendum. Scripta est Ephesi &c. Ratio continuationis Scripturæ est identitas doctrinæ &c.

ARTICULUS VII.

Epistola B. Joan. Apostoli tertia ad Cajum. Liber novi Testamen. XXVI. Sacræ Scripturæ LXX.

RAtio continuationis Scripturarum, ex Thoma Anglico, *sicut in præcedentibus agit Joan. de ea potissimum charitate, quæ est ad Deum, & ad proximum generaliter, hic de ea, quæ est specialiter ad proximum, scilicet, de hospitalitate &c.* Ita patet, & scopus ejus. Cajus iste videtur ille idem Chorinthius, de quo Roman. 16. loquitur Paulus, dicens: salutat vos Cajus, hospes meus. Chartusianus hic, quia iste tum erat hospes universæ Ecclesiæ, qui Verbi Dei, & prædicatores, & auditores benignè suscipiebat. Beda in præsenti. Argumentum est, commendat Caii virtutem, & maximè hospitalitatem, ad eos, qui nihil habent, ac ad eam suadet. E converso damnat diotrepis superbiam, & murmurationem de suo Prælato, ejusque in hospitalitatem, qui ab Ecclesia eiiciebat eos, qui hospitalitatem exercebant; Demetrii virtutem pariter laudat, & pacem Cajo apprecatur, salutans eum, & amicos &c.

ARTICULUS VIII.

Epistola Catholica, B. Judæ Apostoli. Liber novi Testamen. XXVII. Sacræ Scripturæ LXXI.

NEmo dubitat de auctore hujus epistolæ, qui fuit Judas ille, qui vocatur Tadæus. Math. 10. & Mar. 3. & in primo cap. Act. Apostolorum, & in præsenti dicitur Judas Jacobi, utique frater Jacobi Minoris, qui ambo fuerunt filii Alphæi, & Mariæ dictæ Alphæi, sive Cleophe, Jacobi, fuerunt autem 4. fratres, scilicet Jacobus Minor, Judas, & Simon qui tres vocati sunt ad Apostolatum, & Joseph justus discipulus Domini, qui cum Mathia propositus fuit, in electione ad Apostolatum, loco Judæ Iscariotis, Actorum 1. Hi omnes dicebantur fratres Domini. Math. 13. sicut & eorum Mater dicebatur soror Virginis, phrasi hebraica, secundum quam consobrini, seu etiam cognati dicuntur fratres, & sorores, cum falsum omninò sit, B. Joseph ex alia uxore filios habuisse, vel Sanctam Annam post natam Virginem alios,

A aut alias genuisse, de quibus Beda in Joannem, cap. 2. Ruper. in Math. 1. Magist. in 4. dist. 30. de Beata Maria, & D. Thom. 3. p. quæst. 28. art. 3. aliique cumplures. Hic nominatus est Judas nomine magni Judæ Machabæi; dictus est Tadæus, & Lebbeus, sive Leoninus, ob magnam cordis animositatem, idest cordatus, & quia frater Simonis Zelotis, & ipse talis ob amorem, & animum, & corculus secundum Hieron. de viris illustribus, idest proprii cordis custos. Dionys. Char. ibi. Scripsit autem hanc epistolam ad omnes, qui ex omnibus populis, & nationibus ad fidem Christianam conversi fuerant. Athan. hic in synopsi, & Æcum. Quoad continuationem Scripturæ, & scopum Scriptoris, inquit, hic Beda. *Intendit styli aciem contra*
B *eosdem unitatis Ecclesiæ, fideique Christianæ corruptores, quos Petrus, & Joannes in suis damnant epistolis*, cui subdit Thom. Angl. *ea scribit intentione, ut eosdem admoneat fideles, ne consentiant hæreticis, a fide eos, & a charitate retrahentibus &c.* unde videtur aliarum epistolarum confirmatio, quæ proinde illis congruè fuit subnectenda. Hugo, Thom. Angel. & alii dicunt, ultimò loco hanc poni, quia post ultimam Petri scripta fuit, scilicet post annum Christi 68., quo obiit Petrus, statim post scriptas epistolas. Græcè scripta fuit, ut prob. Alap., ibi. Occasio fuit, hæresis Simonis Magi, Nicolaitarum, Ebionitarum, Cerinthi, & similium, qui ultra alias hæreses, dicebant, omnia etiam peccata esse Adiaphora, idest indifferentia ad bonum, & malum
C usum, ut notat hic Athan. aliaque valdè nefanda asserebant, contra quos insurgit hic Judas. De ejus auctoritate, inquit Hieronymus in catal. Scriptorum Eccles. *quia de libro Enoch, qui apocriphus est, in ea assumitur testimonium, a plerisque reiicitur, tamen auctoritatem, vetustate jam, & usu meruit, & inter Sacras Scripturas computatur &c.* ad quod nobis sufficit auctoritas Tridentini, quidquid dicat Cajetanus.

Pro argumento hujus brevis epistolæ, id notant Doctores. Primò exhortationem ad certandum pro vera fide, quia subintrant hæretici, quos describit præscitos, impios, luxuriosos, & Apostatas a Christo, quos confutat exemplo prævaricationis, & damnationis populi Judaici, Infidelis Deo, Angelorum damnatorum, & Sodomæ, & Gomorræ combustarum, quibus hæreticos com-
D parat; describitque eorum mores, per quos sunt similes brutis animalibus, Cain, Balaam, Core, nubibus sine aqua, arboribus infructuosis, fluctibus maris despumantibus, syderibus errantibus &c. eosque demum condemnat, judicio doctrinæ propheticæ Enoch, & Apostolicæ. Cavet denique quomodo tractari debent; si spes sit, quod resipiscant, misericorditer adjuventur, si nulla sit, arguantur, & fugiantur &c. orantque, ut fideles immaculati serventur a Deo &c.

Duo sunt, quæ contra hanc epistolam, ab aliquibus opponuntur, primum pugna Michaelis cum diabolo de Moysi corpore, de qua nusquam legitur in Scriptura. Secundò citatus liber Enoch, qui apocriphus est. Quoad primum dicimus, nec aliquid huic historiæ contrarium legi in Sacra Scriptura,

Scriptura, si autem ea tantum admittamus, nec Genesim, nec aliquam aliam ex primis scripturis admittemus, primæ enim sunt, sufficit ergo auctoritas Judæ, sic dicentis, & Ecclesiæ id approbantis, ut certissimum sit; hoc autem forte habuit Judas per traditionem, sicut, & textum illum libri Enoch, de Judicio, ad quod præventurus est Enoch, cum Elia, per quod patet etiam ad secundum. Ad quod specialiter Magister Cano *lib. 2. cap. 11. de locis Theologicis. Aliud est, librum aliquem esse apocriphum, quod Hieronymus ait, quia scilicet aliqua in illo continentur ambigua, aliud particulam illam, quam Judas citat, apocripham esse, quod nec Hieronym. nec aliquis ex Catholicis dixit; nam licet alio loco non haberemus, eam esse prophetiam, at auctoritas Juda satis est, ut illam verissimè a Spiritu Sancto extitisse sentiamus, sicut credimus illa verba, beatius est magis dare, quam accipere, J. C. esse, quia Paulus dixit, ea dicta a Christo.*

CAPUT IV.

Apocalypsis B. Joan. Apostoli, Liber novi Testamenti 28. ac totius Sacræ Scripturæ 62. Novissimus.

ARTICULUS I.

De connexione generali.

Mirabiliter sibi consonant utriusque fæderis Paginæ; sicut igitur in veteri Testamento, alii libri, sunt legales, alii historiales, alii sapientiales, ac demum Prophetici, ita in novo, etsi eminentiori modo; legales enim habet scilicet Evangelia, quæ & historiam, & sapientiam complectuntur, & finem totius veteris Testamenti, & confinia describunt, & mira apostolicæ veritatis in eis habentur primordia. Alios habet sapientiales, videlicet Epistolas, quæ Evangelii compendia sunt, & praxim continent sanctitatis. Habet denique, & Prophetiam, quæ divina B. Joannis Apocalypsi consignatur. Quamvis enim tota sacræ paginæ prophetia, Christo venturo præcurrat, atque hoc habito fine, ejus nulla necessitas vigeat, cum tamen secundum ejusdem expectemus adventum, Salvatorem cum Apostolo expectantes D. N. J. C. qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, conveniens fuit, ut sicut primum ejus adventum tot Prophetæ prænunciarunt, ità secundum unus, utique illis perfectior, & sublimior, qui omnes illos comprehendit, prædicaret, quæ enim sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus, & quanto aliquid accedit ad perfectionem, tantò pariter pervenit ad unitatem, ut universa Theologorum Schola concludit. Eaque ratio est, cur vetus Testamentum, novo longe prolixius, moleque librorum, ac numero, ænigmatumque ac figurarum copia, multò abundantius, ad sensum conspicitur, sicut enim Angeli, quo superiores sunt, ac Deo, summo lumini propinquiores, eo per minores, ac clariores, & universaliores subinde species intelligunt, ita & Sacræ Paginæ, quo proximius, Deum hominem attingunt, majori lumine, minoribus speciebus procedunt, ad expressionem summi veri, quippe quod Verbum est, verbaque omnia in se uno concludit. Accedit etiam quod umbra, ut talis sit, & corpus requirit, & lumen, quo magis, & corpus distat, & lumen, eo majores sunt umbræ, ac longiores, Venturus erat Christus, qui est lumen, de lumine, Deus verus, de Deo vero, qui corpus assumere ad mundi decreverat redemptionem, quia verò in initiis mundi, & primo obtenebrante peccato, & tot mediante distantia sæculorum, valdè aberat, multumque distabat divinum hoc lumen, & corpus, ideò, nedum umbra, sed nox dominabatur, paulatim verò accedente Redemptionis tempore, minus distante, & lumine, & corpore, tenebræ in umbras longissimas quidem, & obscuras admodum transierunt, eæque, ad mensuram accessus ad Christi tempus, minus longæ apparuerunt, sed tamen inde totum vetus Testamentum, quòd umbra est Christi, valdè oblungum fuit, & prolixum, de quo conquerebatur in canticis Sponsa, veni &c. donec inclinentur umbræ, & aspiret dies. Cum igitur venit Christus, etsi operta divinitatis luce, præsenti tamen, ipse enim erat absconditus ab oculis eorum, & sola fide, ejus divinitas cognoscebatur, breviores umbræ factæ sunt, minora ænigmata, velum enim templi scissum est; Quod si adhuc viget obscuritas, hoc ideò est, quia ipsum iterum expectamus, cujus adventus umbras, hic, Joannes in Apocalypsi describit, tunc enim tantummodò umbræ cessabunt, cum in lumine ejus videbimus lumen, & sola fruemur meridie, quia solus dominabitur Deus in Sanctis suis, cum enim sol in meridie, directis radiis, corpori insidet, umbra omnis destruitur, & sole circumdatum corpus, transformatur de claritate, in claritatem. Unde in purissimæ beatitudinis symbolum, in anima dominantis, vidit hic Joannes mulierem sole amictam, quæ vel beatam animam figurat, vel Beatissimam Virginem, vel fortè ipsa est Beatissima Virgo, Joanni ostensa, uti sublime, & impenetrabile symbolum animæ, quam beatitudo summa luce perfundit. Quem sensum, videlicet umbræ carentiam, in beata illa meridie, præsente, rectisque radiis dominante sole, suspirans Joan. suam concludit Apocalypsin, clamans, Veni Domine Jesu, veni cito.

Ast quorsum hæc, dices, & præter methodum, & ultra Institutum, ac brevitatem, quam compendii compendium perstringentes, necessitate, jubente, profitemur? Respon. nec præter methodum, id esse, nec ultra Institutum. Ita enim, & continuationem attexîmus Scripturarum, & quæstioni, quæ diù nos expectabat, ibique in ultimo, opusculi limite arctavit, cur nempe vetus Testamentum novo prolixius extendatur, satisfacimus, & conclusionem compendioli, extremo hoc halitu pertentamus, aliaque, implicita phrasi, quæ alibi explicite non traduntur, præstamus, ac denique per-

pertæsus calamus, aliena exarare, proprium erupit in sensum, quem tamen & ipsum putat SS. Patrum esse communem. Nunc ad consueta redeundo, de fide tenemus, Apocalypsim esse Scripturam canonicam, sacro decernente Concilio Tridentino, post alia Concilia, ac Patrum vota, de quo nequit dubitari. Ejus pariter auctorem, esse Joannem Apostolum, & Evangelistam, ac Theologum, summæque divinitatis præconem, non verò eum Joannem Præsbyterum, quem somniatur Clemens Alexandrinus, apud Eusebium libro septimo, capite vigesimo; quamvis enim in Græco legatur, Apocalypsis Joannis Theologi, hoc fuit ad exprimendam summam, inibi contentam Apostoli Theologiam, cognomen autem Theologi primus hic Apostolus obtinuit meritò, antequam nullus; primusque eum sic appellavit Magnus Areopagita, sicut & hoc nomen Apocalypsis, antequam huic operi divino a suo auctore tribueretur, nullatenus alteri operi fuerat applicatum. Scripta est Apocalypsis græcè, quæ lingua, tunc eum habebat locum, quem nunc latina; erat tum annus Christi 97., 25. post dirutam Hierusalem, & biennio antequam, idem Joan. scriberet Evangelium. Apocalypsim enim scripsit, relegatus in Pathmos insulam a Domitiano, Evangelium verò ab eo reversus, anno primo Nervæ principis, post Domitianum, & mortem iniquissimi Apollonii Tienæi, cum quo Joannes in Asia conflictans, eum prostravit, ac post biennium a scripto Evangelio, & ipse obiit, anno a Nativitate Christi 101. Trajani Imperatoris secundo. Quæ omnia, ex Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, Augustino, Beda, cæterisque probationibus Patrum, in Evangelium Joannis, habemus &c.

ARTICULUS II.

Generalia libri hujus attingens.

APocalypsis, idest revelatio, *propriè scripturale nomen est, & a nullo sapientum sæculi usurpatum*. Hieronymus *in epistola ad Galatas cap. 1.*, dicitur ergo Apocalypsis, quia hic continentur, quæ Deus revelavit Joanni, & Joannes Ecclesiæ, *quanta scilicet, Ecclesia passa sit tempore primitivo, & nunc patiatur, & novissimis temporibus Antichristi passura sit, & quæ pro his, & nunc, & in futuro præmia sit susceptura, ut quos denunciata supplicia terrent, promissa erigant præmia*. Gilber. Pictaviens in præfatione, ibi &c. ubi etiam. *Est autem hæc prophetia aliis omnibus excellentior, vel quia de Christo, & Ecclesia, magna ex parte adimpleta Sacramenta denunciat, vel etiam quia cum aliis unifaria, isti trifaria data est prophetia, scilicet de præterico, præsenti, & futuro &c.* quod tamen, secundum Divum Thomam impropriè dicitur, ut suo loco ostendimus &c.

Intentio hujus libri est, *invitare nos ad patientiam, ut per patientiam veniamus ad contemplationem, per contemplationem ad revelationem, per revelationem ad beatitudinem*. Anselm. ibi, cui addit Pictavis, *Intendit movere ad patientiam, quæ servanda* A *est, tum quia brevis labor, tum quia præmium magnum, vel ut scribit Cælius Pannonius: data est Apocalypsis hæc, ut ex ea regni Christi administrationem Dei excelsi consilia, Christi gloriam, victoriam Ecclesiæ, & insignem triumphum perpendamus, ac inde consolemur*. Ejus verò argumentum brevissimè summat idem Pictav. *primò præmittit prologum, & salutationem, ut auditores reddat attentos, inde procedit ad narrationem, antequam tamen, ostendit Christum ab æterno fuisse, sine principio, & fine, immò tamquam principium, & finem. Ego sum A., & O. Post in narratione distinguit septem visiones, quibus consumatur hic liber.*

Melius tamen videtur, quòd ex Eucherio, ante Aretam in Apocalypsis, & ex ipso Areta, refert Ederus in præsenti. *Complectitur* inquit *hic liber, ab* B *exordio ad sextum cap. Instructiones Ecclesiarum Asiæ, intermiscens & prophetica de variis hæresibus, de quibus etiam Epiphan. in suo Panarion libro, a sexto capite usque ad 12. continetur Sinagogæ abrogatio, a 12. usque ad 19. excidium Gentilismi, sub typo potissimum Babylonis; & Romæ, quæ habet septem colles, quæ hic dicuntur septem cornua bestiæ, super quam meretrix, seù Idololatria, aut Gentilismus sedet, in his enim urbibus præcipuè vigebat, 19. cap. usque ad finem, agitur de regno Christi in præsenti Ecclesia, addita cap. 20. de ipsius inimicis victoria*, simile quid sentit etiam Salmeron *Prælud. 7. in Apocalyp. in cujus principio* dicit: *persuasio mea est mentem Spiritus Sancti in Apocalypsi fuisse; egregium quoddam ænigma proferre, quòd excellentiam Ecclesiæ Christia-* C *næ primitivæ, duasque præclaras ejus victorias adumbraret, alteram videlicet, quam de Hierosolima rebelli reportaverat, alteram, quam de antiqua Roma Etnica, deinceps consecutum iri cælesti oraculo præmittebatur &c.* Plures verò plurimorum sensus refert hic Alapide, eosque reprobat; nam plusquam centum fuere Apocalyp. commentatores, quos refert Alchazar, aliosque addit ipse Alapide, & præcipuos distribuit per sæcula. Plures verò, & ferè omnes in hoc conveniunt, quod hæc prophetia concernit futurum Ecclesiæ statum, usque ad diem Judicii, quommodo autem concernat, & qualiter intelligi debeant, prædictionum ænigmata, est caput diversitatis, & scissionis inter Doctores. Unde idem Cornelius acceptans, quòd ait Rupertus, nempe *Apocalypsin continere, qualis fuisset, qualis* D *tum esset, & qualis futurus esset Ecclesiæ status*, divìdit in duas partes hunc librum; In prima historicus, & Ethicus est, nam usque ad cap. 4. exhortatur D. Joannes fideles suos, & corrigit mores, 7. Episcoporum, & Ecclesiarum; Deinceps verò propheticus est, de rebus Ecclesiæ futuris, maximè sub finem mundi, tempore Antichristi, tamquam alter Joannes, præcursor secundi Christi adventus, quæ maxima erunt, & partim acerbissima, partim lætissima &c. describit sæpius gloriam Martyrum, Virginum, ac Beatorum, reproborumque damnationem, ac per hæc intendit, coroborare fideles ad constantiam in fide, & ad martyrium, sub diversis persecutionibus obeundum &c. Ad omnes igitur scribit, & maximè ad eos, qui impugnabuntur ab Antichristo. Et quia exulante

lante

lante Joanne in Pathmos, crescebant in Asia hæreses, & vitia; contrà hæc pugnat identidem, toto hoc libro Joannes, & quia dicebant aliqui, Ecclesiam, Tribulationum pondere opprimente, ruituram, nec præmium ex illis consecuturam, contra hos hic probat Joannes, Ecclesiam ex persecutione proficere, & futuram ejus gloriam describit, & iste est verè litterale argumentum, sistendo in præcisa littera, quod in tam sublimi prophetia, ut patet, videtur aliquo modo truncum, sed qualecumque sit, verum est, & sensus doctissimi viri, ac peritissimi, quique omnes alios Doctores legit, id convincit.

ARTICULUS III.

Ad particularia libri hujus descendens.

UT aliquam notitiam tradamus, visionum Divi Joannis, eas notabimus ex Textu, & Synopsi Athanasii. Vidit septem candelabra aurea, & in medio illorum, similem Filio hominis, & interpretationem accepit ab Angelo, candelabra illa esse septem Ecclesias, & eum, qui in medio erat, esse Dominum. 2. Januam vidit apertam, in cælo, & Dominum in trono sedentem, & 24. seniores sedentes super tronos, & adorantes Dominum. 3. vidit septem sigillis signatum librum, ac sigilla aperiri, & unoquoque aperto, visio quædam apparebat. 4. vidit septem Angelos, habentes septem tubas, & unoquoque eorum clangente, fiebat signum, septimo verò clangente, audivit dicentes, *regnum mundi, Domini factum est*. 5. arcam testamenti vidit in cælo. 6. mulierem parturientem vidit, & draconem ignitum eam persequentem. Servata est mulier in solitudine, draco verò abjectus in ignem. 7. bestiam habentem cornua decem, & capita septem, & diadema ejus, blasphemia plenum erat, nomen verò ejus non patefecit, sed numerum nominis ejus, scilicet *666*. & Virgines audivit canentes, & agnum sequentes. 8. vidit Angelum, per medium cæli volantem, & post alterum, & post eum, tertium, deinde nubem candidam, ac illi insidentem, similem filio hominis, habentem in capite coronam auream, & in manu falcem acutam. 9. septem Angelos, habentes plagas septem novissimas, & phialas aureas plenas iræ Dei. 10. post hæc ablatus est spiritu in solitudinem, & vidit mulierem sedentem super bestiam corvinam, habentem capita septem, & ipsi indicatum est, ex ipsa futurum esse Antichristum. 11. vidit cęlum apertum, & ęquum album, eique insidentem, cui nomen erat Verbum Dei. 12. vidit bestias, ac Reges terræ, facere volentes bellum cum eo, qui sedebat super æquum album, & apprehensa est bestia, & cum ipsa Pseudopropheta, scilicet Antichristus, & vidit eos deiici in ignem abyssi, seu stagnum ignis. 13. vidit Angelum descendentem de cælo, & abiicientem Satanam cum his, qui caracterem ipsius habebant, in abyssum, & supernè claudentem, ne posthac amplius seducant gentes, donec consumpti sint mille anni. 14. Martyres deinde vidit, regnantes cum Christo in gloria, & quod Satanàs post mille annos solvendus sit, & abiiciendus in stagnum ignis, cum Antichristo, in secula sæculorum. 15. Post hæc vidit cælum novum, & terram novam, ac Jerusalem novam, & fluvium aquæ vivæ, ac servos Dei contemplantes faciem ejus, & habentes nomen ejus in frontibus suis. 16. His visis procidit, ut adoraret Angelum, qui sibi hæc ostenderat, at Angelus illum prohibuit, dicens, *non me, sed Deum adora, ego enim conservus tuus sum &c.* Post hæc audivit ab ipso Domino nostro Jesu Christo, quod existens sit, & idem ipse sit Verbum Dei, quod propter nos caro factum est, verè homo perfectus, & filius hominis dictus. Hæc ex Athanasio in synopsi; ex aliis etiam addimus. A primo capite, usque ad quartum, scribit septem epistolas, septem Angelis, idest Episcopis Ephesi, Smirnæ, Pergami, Tiatiræ, Sardis, Philadelphi, Laodiceæ, primum admonet de charitate, secundum de spe, tertium de fide, quartum de prudentia, quintum de temperantia, sextum de fortitudine, septimum de justitia, a capite autem quarto, usque ad ultimum, propheticus hic liber, agit, ut dictum est, de Ecclesia, cujus considerantur septem status, hisque correspondent, septem sigilla, septem Angeli, septem phialæ, suo ordine. Hi septem status sunt, primus fundationis Ecclesiæ, sub tempore Apostolorum, & Discipulorum, secundus est persecutionis, sub tempore Imperatorum, & Martyrum, tertius, status prosperitatis, tempore Constantini, quartus discessionis, tempore hæreticorum, quintus novissimæ persecutionis, tempore Antichristi, sextus judicii, & retributionis præmiorum, & pœnarum faciendæ bonis, & malis respectivè, tempore ultimi adventus Christi, septimus status invariabilis æternitatis.

Horum autem applicatio, & explicatio, præsentis instituti captum excedit, cum fieri nequeat, sine valdè operosa, ac difficili expositione, quòd opus, quam arduum sit, ex verbis Hieronymi Epistola 103. ad Paulinum cap. 7. argui potest. *Apocalypsis Joannis tot habet secreta, quot verba, parum dixi, pro merito voluminis laus omnis inferior est, in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ*, subdit Epiphan. *de pænitentia, cuncta per parabolas, & ænigmata locutus est S. Joannes in Apocalypsi*. Id ergo si Deus vitam, ac facultatem præstare dignabitur, post hanc in qua versamur, qualemcumque Opellam præstare conabimur, sensus enim noster est, quòd cum Apocalypsis, novissimus sit novi Testamenti, totiusque Sacræ Scripturæ liber in se continet per modum termini, antiquas quaslibet prophetias, ac visiones veteris Testamenti, ita ut, ibi explicentur, vel concludantur, atque hoc modo iterum tota Sacra Scriptura, quoad partem saltem propheticam principaliter, quoad alias verò ejusdem partes connexivè exponetur. Quod non obscurè expressum in eo, quòd ibi Joannes, a tergo vocem audivit, in principio visionis primæ, insinuant Albertus Magnus, & Glosa, quia videlicet omnia hæc mysteria, quæ hic revelantur, in lege, & Prophetis continentur, & hic, vel illa impleta continentur, vel perficiuntur in sua significa-

ficatione, primæ veteres prophetiæ &c. Nunc autem unam vel alteram dumtaxat notationem brevissimè, & ex probatis auctoribus, ad aliqualem hujus libri intelligentiam addemus.

ARTICULUS IV.

Peculiaris alia inspectio.

CUM doctissimus Alchazar, diviso in tres partes, cum aliis communiter primo capite Apocalypsis, videlicet quod in ipso primo ponitur titulus, & elogium. 2. dedicatio libri facta septem Ecclesiis Asiæ. 3. prologus continens narrationem primæ visionis, in qua describit Christi gloriosam speciem, in medio septem candelabrorum, quæ sunt ut ipse explicat, septem Ecclesiæ Asiæ, subdat, in qualibet ex his partibus argumentum totius libri indicari, breviter in titulo, aliquanto latius in epistolæ dedicatione, distinctè verò in prologo. Christus enim, inquit, forma sua, & specie quasi repræsentat omnia, quæ in Apocalypsi continentur, quasi ejus prologus; hoc notare placuit, ut qui totius libri summam desiderat, eam videat, sibi à B. Joanne in initio ejusdem præsentatam, ut eque totum intelligat, curet præcipuè, primi capitis intelligentiam investigare, juxta litteram quidem in commentariis Ambrosianis Andreæ Cæsariensis, vel Aretæ; juxta mysticum sensum, in Ruperto; in morali verò, Ugonem consulat, aliosque, & quoad omnes, Cornel. Alapide; qui totius operis Alchazar, & eorum, qui accuratius in hunc librum scripsere, refert compendia, suoque sensu, ac eruditione ornat, illuminat, & dijudicat. Et quia tum in hoc primo capite, septem spiritus nominat, dicens. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*, in quo Christi testatur æternitatem, sicut, & Paulus, Christus heri &c. & in hoc, quod ipsum dicit venturum, secundum adventum ejus, scilicet ad Judicium, qui est veluti thema hujus libri, ac subdit, *& a septem spiritibus, qui in conspectu troni ejus sunt*, & alibi etiam de septem Angelis loquitur, cap. 5., & cap. 8. breviter notare oportet aliqua, de his spiritibus. Quò circa sentiunt aliqui, nomine septem spirituum, hoc loco venire septem dona Spiritus Sancti, vel Spiritum Sanctum, ut eorum est auctor, pro quo sensu citantur Aretas, Beda, Rupertus, Thom. Angl. & Eucherius, sed quamvis includatur veritas, in hac interpretatione, non tamen ita nudè intellecta. Verè enim loquitur, de septem spiritibus, idest Angelis, ne fiat violentia textui, & ibi, & alibi, potest igitur intelligi, quod sint dona Spiritus Sancti, in hoc sensu, quo revera sint septem Angeli, sed quamdam dicant correspondentiam, ad illa septem dona, vel quatenus in singulis, singula per quamdam similitudinem aptabilem spiritibus, emineant, vel quatenus singuli, ad effectus singulorum donorum mittantur, sicut etiam, eum idem Rupertus intelligit, & cum eo alii, pro his septem spiritibus, septem divinæ providentiæ, ac gubernationis dotes, vel attributa Dei, quæ nimirum sunt, sapientia, fortitudo, beneficentia, justitia, patientia, comminatio, & severitas, verum sensum habet, si addatur, septem attributa intelligi, idest septem Angelos, per quorumquemque, unam, vel alteram Deus, erga nos ex illis dotibus, & attributis exercet, per eorum scilicet ministerium, ex quo intelligitur intimè, quod dicit Joannes, non enim dicit, gratia vobis, & pax ab &c. & a septem spiritibus, quasi hi septem Angeli possint dare gratiam, & pacem, sed quia Deo eos mittente, quod nos non meremur, multa in nobis, eorum ministerio præstat, quæ ad gratiam habendam, vel conservandam, & pacem valdè prosunt, vel quia, ut volunt alii, intercedentes pro nobis, & eam obtinentes, dicuntur, eam quodammodo nobis dare. De his verò septem Angelis, qui astant ante conspectum Domini, etsi alibi in Scriptura eos verè dari non diceretur, satis esset præsens textus Joannis, sed etiam Tobiæ capite 12. eorum mentio habetur, unus enim ex illis, scilicet Raphael ait, *ego sum unus ex septem, qui adstamus ante Dominum*, & Zachariæ 4. &c. eorumque existentiam pluribus hic probat Alapide ad abundantiam, fortior enim, & sufficiens probatio est Scriptura, quæ non indiget humanis conjecturis, ad suæ veritatis probationem. Quia verò quæri potest, quinam sint hi septem Angeli? ideò

ARTICULUS V.

De septem Angelis ibi celebratis.

RespondetUR plures eorum nomina ita recensent, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, qui nominatur, lib. 3. & 4. Esdræ, Salathiel; quod nomen colligitur, ex cap. Gen. 16. Jehudiel, quod colligitur ex cap. 23. Exodi, Barachiel, quod ex cap. 18. Genes. Prima tria nomina, ex Scripturis canonicis, notissima æquè & certa sunt, & communiter acceptata ab Ecclesia, alia verò, etsi aliquibus absque solido fundamento videantur reprobata, tamen admissa saltem revera sunt, quamvis non eodem modo canonico, ut illa tria, nam & apud SS. Patres inveniuntur, & communi cultui, septem Angeli cum prædictis nominibus ab Ecclesia proponuntur, ut diffusè ostendit inter alios hic Alap., per historiam Sanctæ Mariæ Angelorum Romæ, & per communem cultum, quo a fidelibus honorantur, Neapoli, Venetiis, Romæ, & in aliis Italiæ urbibus, ac potissimum Panormi, ubi extat Templum, septem principibus Angelorum dicatum, in quo, anno Domini 1516., vetustæ eorumdem effigies repertæ sunt, immò eorum nomina, divinitus revelata fuisse B. Amadeo, seu Amatori, ordinis S. Francisci, legitur in cronicis Sanctæ Mariæ Angelorum Romæ, & in ccon. Sancti Francisci legitur inter alias ejusdem mirabiles revelationes, quæ etsi plenam fidem non habeant, ex admixtione quorundam errorum, qui in easintrusi fuerunt, ut advertitur in prædictis cronicis, hæc tamen de septem Angelis, cum alibi confirmetur, certa esse debet, nec urget aliarum læsio, ea enim facta fuit, ut intruderentur, & apparerent quasi revelatæ divinitus, quædam scholasticæ senten-

ſententiæ, aut opiniones (qualis iſta de ſeptem Angelis non eſt.)

Sed his ommiſſis, ut quod ad horum ſeptem Angelorum notitiam pertinet, exequamur, eorum nomina cum ſuis adjunctis, & ſingulorum emblematibus, Panormi inventa, anno ut ſupra; Hæc ſunt, *Michael victorioſus*, appictus, Luciferum pedibus conculcans, læva palmam virentem, dextera lanceam exaltans, eademque lancea, in ſummo vexillum candidum, in cujus ſinu, crux rubens, ſuſtinebat. *Gabriel nuncius*, cujus dextera, laternam facula interiori lucidam, læva ſpeculum virens jaſpide, rubris maculato Nevis, gerebat. *Raphal medicus*, erigens læva pixidem, dextera regens Tobiam puerum, gerentem apprehenſum ore piſcem. *Vriel*, *fortis ſocius*, cujus dexteram evaginatus gladius ante pectus tranſverſus, pedes verò, a læva exurgens flamma ornabat. *Jehudiel*, *remunerator*, auream coronam dextra, ſiniſtra flagellum, tribus nigris funiculis diſtinctum ferens. *Barachiel*, *auditor*, ferens albentes roſas, in pallio ad ſinum. *Sealtiel*, *orator*, oculis demiſſis, humili facie, palmis ad pectus junctis, orationis ſimulacrum. Hæc de ſeptem Angelis, humano more; ſi enim res, prout eſt conſideretur; ut inter ſe, reſpectu ad eorundem cognitionem, Angeli diſtinguantur, illud munus exercet illorum claritas, & illuminatio, quod apud nos, ex noſtra limitatio-

A ne ſuppletur, nomine quo diſtinguimur. Nec aliquid certum habemus, an ſint ex ordine Angelorum, an Archangelorum, an Seraphim, ac Cherubim. Ideo enim Joannes vocat eos ſpiritus, quod eſt nomen genericum, ut ex eorum officiis, eos cognoſcamus in ſpecie, qui enim deſcribuntur aſtantes in conſpectu Dei, ſpeciali quadam expreſſione, ex hoc ipſo dignoſcuntur, vel Seraphim, qui ex magna propinquitate ad Deum, qui ignis conſumens eſt, igniti vocantur, utique charitate, quæ ſummè unit cum Deo, vel Cherubim, qui dicuntur, ſcientiæ plenitudo, ex perſpicaci intuitu præſentiſſimæ veritatis, in ſuo fonte, ſcilicet Deo,

B cum verò eos dicit miſſos in omnem terram, vel alia munera erga homines exercentes, tunc quidem eo ipſo Angelos dicit, etſi enim, vel Cherubim, vel Seraphim ſint, quoad ordinem, cum mittuntur, ſecundum Gregorium dicuntur Angeli, quod ſummos Cherubim non dedecet, hæc enim eſt ſumma ſcientia, vertus, amor Dei, ejuſque juſſa implere, cum ſervire Deo regnare ſit. &c.

Et hæc ſatis, pro præſenti totius Sacræ Scripturæ compendiolo, ſive argumento, vel notatione. Peritis quidem fortè tædio erit, ſed Tyronibus, quibus magis laboramus, levamini non modico deſerviet exigua hæc Scripturæ expoſitio, ſive index, viam ſignans, quam ingrediuntur.

TRACTATUS VII.

DE SEPTIMA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ PER PRIMAM PROPRIETATEM ENTIS RESPECTIVAM, QUÆ EST VERITAS.

De Veritate Sacræ Scripturæ.

POſtquam rudi ſaltem minerva oſtendimus, ut potuimus, qualiter Sacra Scriptura ſit ens, quòd generaliter in principio factum eſt, ubi de ejus actum eſt quidditate, & particulariter, tum ejus elaborando definitionem, tum entis proprietates eidem applicando, quod nunc proſequimur, qualiter etiam ſit aliquid, ejus ſpeciales notas explicando, aliaq; preſtando, ex quibus habetur quomodo ipſa ab omni alia re ſit, quid diverſum, nempe aliud quid, de quo etiam breviter, in ſecunda tranſcendentium applicatione; qualiter ſit res, quæ conſiſtit in eſſe rato, & formaliter, quòd oſtendimus, ejuſdem ab Eccleſia acceptationem, & canonem adducendo, & radicaliter, quod nuper factum eſt in Epitome totius Sacræ Scripturæ,

C ex quo clarè conſtat, qualis ſit Sacræ Scripturæ ordo, & continuatio, & ſanctitas, & finis cujuſcumque ejus partis, & temporum conſequentia, quæ ſunt attributa, quibus debetur approbatio communis totius Eccleſiæ, omniumque fidelium veneratio, ac ſumma fides, ita ut ad ejus eſſe ratum, ſive quoad ſe, ſive quoad nos, vel quòd idem eſt, ſive intrinſecè, ſivè extrinſecè, nihil deſit; ut opus hoc qualecumque biblioſophicum perficiatur, atque ea, quæ ad Sacræ Scripturæ notitiam conducunt, recta methodo, ac juxta propoſitum complectantur, modo vocamur ad reliquas tranſcendentes, ut vocantur, entis cujuſcumque proprietates reſpectivas, quomodo in Sacra Scriptura ſe habeant, examinandas. Porrò hæ ſunt veritas, de qua in præſenti; bonitas, de qua ſecundum ordinem poſt veritatem, & unitas, quæ ul-

timo loco reservatur, ut inde sine confusione via pateat, ad sensus, & regulas, sive ad ea, quæ sui, persunt rudimenta, quibus Theologicus hic labor expletur.

CAPUT I.

Quæ & qualis veritas insit, & competat Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

Notabilia complectens, ad divisionem præcipuæ quæstionis.

SUpponimus Sacram Scripturam omnino, & in omni vero sensu veritatis, verissimam esse, etsi enim aliqui hæretici, vel ejus partem, vel etiam totam, aut negent, aut distorqueant, aut corrigere præsumant. Ideò ita (quamvis omnino perperam, sentiant) quia hanc veram Sacram Scripturam non esse, malitiosè, ac perversè contendunt, contra quos satis actum est, cum ostendimus supra, hanc Dei veram locutionem, & ab Ecclesia meritò acceptatam esse, & ab omnibus consequenter acceptandam, sine hæsitatione conclusimus, cæterum hanc propositionem, Sacra Scriptura verè talis, & opus Spiritus Sancti, adæquatè verissima est, nemo negat, nisi qui naturæ lumine omnino destitutus, impiissimus dicit, cum Atheo, in corde suo, non est Deus, cujus meminit David, Psalm. 13. unde & subdit: corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, in studiis suis, ad quem textum fortè respiciens S. Judas, in sua canonica, eosdem describit, quæcumque ignorant blasphemant, quæcumque autem tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Hos verò ommittimus, quæ enim corrupta sunt, inquit Hilar. in Matth. cap. 5. fieri non potest, ut salis perfricatione reparentur. Supponimus ergo Sacram Scripturam verissimam esse, in quo supposito, sibi ipsa, & ratio, & auctoritas, & tota probatio est, canente David Psalm. 28., & 116. Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, & alibi, veritas Domini manet in æternum.

Ut autem respondeamus quæsito, opus est definire, dividere, explicare veritatem. Primo eam definit Augustin. *in lib. solilòqu. verum est id, quòd est.* Avicen. 11. *Metaph. Veritas cujuslibet rei, est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei.* Anselm. *in lib. de veritate. Veritas est rectitudo, sola mente perceptibilis.* Philosop. 4. *Metaph. definientes verum, dicimus esse, quòd est*, vel infra, in eodem. *Veritas est, secundum quam de Inferioribus judicamus.* D. Thom. *q. 1. de veritate, articulo primo in corp., & per totam quæstionem, & alibi semper. Veritas est conformitas, seù adæquatio rei, & intellectus.* Ad quorum intelligentiam notandum est, ex Doctrina ejusdem Angelici, quæ ei propriissima est, siquidem est de veritate, hanc tripliciter dici, alia enim est veritas transcendentalis, seu fundamentum formalis veritatis, ex parte rei, & hæc est, quam

A primo loco definit Augustinus, Avicen., & Philosophicus, & de hac loco citato dicit Angelicus secundum Philosophum, *idem est ordo alicujus rei in esse, & veritate, ita scilicet, quòd ubi invenitur, quòd est maximè ens, invenitur, quod est maximè verum, quia secundum hoc, quòd aliquid habet entitatem, natum est adæquari intellectui, cujus objectum est ens*, & ex hoc eadem veritas transcendentalis, dicitur veritas objectiva, quæ est secundum membrum divisionis, & secundum hoc dicit verum esse rei, ut adæquabile, vel adæquatum intellectui, in quo sensu procedit definitio Anselmi. Tertio modo veritas sumitur, pro formalissima veritate, quæ consequitur intellectum, & hanc innuit definitio Hilarii, & definitiones Augustini, ultimo loco positæ, eamque in se ipsa, B clarissimè explicat definitio ejusdem Angelici Doct.

Pro qua, secundò notandum est, quod cum veritas sit quædam ratio, medians inter intellectum, & rem, est enim utriusque conformitas, potest sumi, vel tamquam conformitas intellectus ad rem, in qua consideratione processus incipit a re tamquam a causa, & mensura veritatis, quæ est in intellectu, circa rem illam, & ita est conformitas quasi passiva intellectus ad rem, & secundum hoc dicit Philosophus, *ex eo, quòd res est, vel non est, oratio dicitur esse vera vel falsa*, vel potest sumi, secundum quod processus incipit ab intellectu, tamquam a causa, & mensura veritatis rei, ita ut veritas, seu cognitio intellectiva talis rei, sibi rem subiiciat, quoad omnia, & faciat illam esse id, quod revera ex tali dependentia est, & hoc modo C dicitur conformitas rei ad intellectum, quæ planè est diversitas non rei, nec veritatis objectivæ, aut transcendentalis, sed intellectus divini, & humani, si enim hæc eadem veritas, homo est vivens, comparetur ad intellectum humanum, sic judicantem est mensura, & causa formalis veritatis, quæ est in intellectu sic judicante, sic enim judicat, quia ita res est, & antequam judicet, ita est, ante saltem prioritate naturæ, & ideò verum est judicium, quia taliter judicat, prout res est, & exigit judicari. Si autem eadem veritas prædicta, comparetur ad intellectum divinum, ideò homo est vivens revera, quia Deus sic intelligit, qui essentialiter veritas ipsa est, & facit verum intelligendo id, quod intelligit, ipsumque causat, & mensurat, ita D ut nec aliud, nec aliter esse, aut intelligi possit, unde veritas rei dicitur esse id, quod divina verissima & prima cognitio ei dat, ut sit, & ut intelligibilis sit ab intellectu creato, unde totius veritatis processus, iste est, nempe, quod Deus rem intelligens, dat, & definit eam in esse verò, quod ipse in ea intelligit, & mensurat, & ex hoc dat ei, quod, & quo possit esse mensura veritatis, judicii creati; ex quo cum eodem Angelico deducitur, quod etsi respectus, quem rei veritas dicit ad intellectum divinum, sit ad ipsum tamquam ad mensuram extrinsecam, est tamen respectus essentialis ipsi reali veritati; unde etsi nullus intellectus creatus existeret, adhuc illa veritas quam nunc cognoscimus in creatura, esset eadem veritas; respectus verò, quem dicit ad intellectum creatum, est ex-

trinsecus, & respectus rationis, quia intelligens creatum, respectu quidem intrinseco respicit suum intelligibile, at non è converso, & hæc est doctrina perpetua Divi Thomæ, ac fidelium Thomistarum, & hoc modo probata manet perfectio definitionis, ab eodem traditæ, nam ut constat, omnia, quæ dici possunt de veritate per respectum ad intellectum, brevi oratione complectitur, accomodè intelligenda, secundum respectum ad intellectum divinum, & humanum. His autem prænotatis procedimus.

ARTICULUS II.

Resolvitur prima pars quæstionis de veritate scilicet transcendentali Sacræ Scripturæ.

Dicendum est primo, si Sacra Scriptura sumatur secundum quod præcisè est quoddam ens creatum, eo modo ei competit veritas, sicut dictum est, de omni alio ente creato. Prob. facilè, veritas enim quæ competit omni enti creato, in hac præcisa ratione considerato, explicatur per Judicium, & propositionem, per quam de ipso verè ennunciatur, quod sit ens, & quod datur a parte rei tamquam aliquid existens productum; sed vera est hæc propositio applicata Sacræ Scripturæ &c. Major est evidens ex prænotatis. Minor constat, nam Sacra Scriptura, etsi sit specialis effectus Dei loquentis, & contineat conceptus verè divinos, ipsa tamen, secundum quod existit, est aliquid creatum, communicatum nobis, per creata instrumenta, scilicet per Prophetas, & Apostolos, & non est ipse Deus, sed terminus divinæ actionis productivæ, quæ semper terminatur ad ens reale, ergo de ipsa debet verificari id ipsum, quod de omni alio ente reali verò, & producto in tempore. Nec in re tam clara est amplius immorandum.

Dices, ens non dicit conceptum præcisum, ut secundum ipsum res aliqua præcisè valeat considerari, ergo nec de Sacra Script. possumus hoc modo loqui, secundum hanc præcisionem.

Resp. dist. ante. simpliciter conc. antec. secundum quid neg. antec. secundum Doctrinam Thomisticam PP. Compl. in logica; nam etsi ens non præscindat a differentiis, quia eas actu includit, cum actu differentiæ ipsæ sint ens, quæ præcisio esset simpliciter, præscindit tamen ab expressionibus earum, quæ est secundum quid præcisio, sufficiens, ut possimus sic loqui tuto in conclusione. Vel secundò dicimus, nos non præscindere ens ab aliquo suo inferiori, quin potius omnes formalitates consideramus secundum quod important ipsam rationem entis, & ideò loquimur de Sacra Scriptura, confundentes omnem ejus formalitatem, & rationem in solo conceptu entis, cujus prædicata communia tantum, in conclusione consideramus.

Dices secundo: Sacra Scriptura, cum sit formalis quædam locutio, de cujus ratione est ipsa formalis veritas, hæc enim convenit propositionibus tamquam proprietas, non habet veritatem eo modo,

A quo alia entia creata, hæc enim habent veritatem transcendentalem, & objectivam, quæ explicatur per formalem veritatem propositionum, quæ de ipsis ennunciantur, ergo falsum est quod ei competat eodem modo veritas etiam in esse entis, sicut aliis entibus, prob. conseq. tota ejus entitas in hoc consistit, quod in ipsa sit veritas formalis.

Confirmatur, si eodem modo, sicut aliis entibus, Sacræ Scripturæ competit veritas, ergo sicut aliorum entium completur veritas per veritatem formalem ennunciationis, ita verum erit etiam de ipsa; ideoque veritas formalis complebitur, per aliam veritatem formalem, & hæc per aliam, & erit processus in infinitum.

Respon. hanc objectionem convincere id, quod mox in secunda conclusione dicemus, primam verò
B non impugnare, similem enim habet Angelicus Doctor, de veritate, art. secundo, arg. pr. ubi agit de intellectu considerato, ut res est, & resp. si accipiatur hoc modo verum, prout dicitur de intellectu, sic convertitur cum ente, quod est extra animam, non per prædicationem, sed per convenientiam, eo quod cuilibet verò intellectui oportet, quod correspondeat ens aliquod; sicut ergo propria veritas, intellectui ut operanti competens, est veritas formalis, sui judicii, & nihilominus si sumatur intellectus, ut ens intelligibile dicit veritatem transcendentalem, & objectivam; quæ intelligi potest formando de ipsa ejus entitate judicium, quod formaliter sit verum, ita quamvis Sacræ Scripturæ competat veritas formalis, si tamen su-
C matur, ut res est, potest de ipsa ennunciari vera formaliter propositio, quod constat etiam de actu reflexo intellectus, qui habet pro objecto se ipsum, ut formalem, & directum circa aliud, quod non est ipse actus, unde sicut in actu reflexo non sequitur dari processum vitiosum, & impossibilem, in infinitum, in actu, multo minus sequetur in nostro casu, diximus multo minus, quia etsi Sacra Scriptura, in qualibet sui parte importet expressionem veritatis formalis, tamen hæc est veritas formalis divinæ locutionis, veritas autem propositionis, quæ de ipsa etiam sic considerata ennunciatur a nobis, est veritas humanæ locutionis, quæ sunt valdè diversæ, actus autem directus, & reflexus sunt ejusdem ordinis, & potentiæ, immò sunt entitativè idem actus, cum duplici formalitate, ra-
D tio autem istorum est, quia veritas formalis non est ipsum Judicium, sed quid consequens ad judicium, & cum intellectus sit potentia spiritualis, potest regredi ad se ipsum, & ad sua, ut loquitur idem Angelicus, & quia hoc regredi, nequit esse nisi per actum proprium, & ad quemlibet talem suum actum sequitur sua veritas formalis, ideò habet actum versantem circa priorem actum ejusdem ordinis, & circa veritatem consecutam ad ipsum, & iterum ad hunc consequitur sua formalis veritas, nec est mirandum, nec deducendus processus in infinitum, quasi absurdum, quia ejus objectum specificativum est ens, sine limitatione. Nec opponendum est, quod veritas formalis est id, quo completur, conformitas, & coaptatio inter intellectum, & objectum, ideò ad id quo, nequit dari aliud,

aliud, ut quæ, sicut cogimur dicere in pluribus casibus, ut de substantia, existentia, relatione, unione, & similibus, est enim diversitas, quia veritas formalis consequitur ad judicium, non est ipsum Judicium, unde est quidem id, per quod Judicium est verum formaliter, ideoque ad præstandum hoc munus non indiget alia veritate, sed quia non tollit a judicio rationem entis, sicut nec eam in ipso constituit, ita relinquit ipsum in ratione judicabilis, per aliud Judicium; judicari autem hoc non potest, nisi & judicetur id, quod ad ipsum consequitur, scilicet ipsa ejus formalis veritas, positoque hoc secundo judicio, quod versatur circa primum, ejusque formalem veritatem, etiam ad hoc secundum judicium, sequitur sua veritas formalis, quæ est veritas complens hoc secundum, non veritas formalis illius primi Judicii, vel illius primæ veritatis formalis, & ideò nulla est implicantia, nec tollitur doctrina illa communis, quæ asserit, ad id quod non posse dari aliud ut quo ejusdem rationis. Totam autem hanc doctrinam eruimus ex his, quæ Divus Thomas, tota quæstione de veritate profundissimè asserit, & defendit, eamque ibi ad pleniorem prioris, & sequentis conclusionis intelligentiam notare placuit, & ex his constat ad confirmationem.

ARTICULUS III.

Resolvitur quæstio principalis, de veritate form. Sacræ Scripturæ.

HIS suppositis, quæ notavimus, dicendum est secundo, si consideretur Sacra Scriptura, secundum quòd est divina locutio, continens in se conceptus proprios divinæ mentis, habet veritatem superiorem, & excellentissimam, super omni veritate, ac vero, creatis. Prob. ex Sacra Scriptura, quæ sibi ipsi infallibile perhibet testimonium. Joan. 5. si testimonium hominum accipimus, testimonium Deî majus est. Expende; Item ex Apost. 2. ad Chorinth. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se, adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentia omnem intellectum, in obsequium Christi. Vide Divum Thomam hoc loco.

Explicatur conclusio, pro quo primò notandum est, res omnes creatas in duas lineas debere distingui, altera est entitativa, altera intellectiva, ad primam spectant omnia, quæ ita concernunt esse, ut in ipso quiescant, sicut substantia, quæ secundum Doctrinam Angelicam, specificatur ab esse, & ipsum accidens operativum, quòd ordinatur ad operandum, non præcisè, ut operetur, sed ut aliud ens in esse producat, sic enim etiam ipsum, in esse demum quiescit, ad quod producendum tendit, & in his finis proprius est, actu esse. Linea verò intellectiva, sub se complectitur omne illud, quòd ordinatur, vel immediatè consequitur, ad operationem intellectus, quæ est ultima perfectio creaturæ rationalis. Sicut sunt, ipse intellectus agens, sive illuminativus, & depurativus, intellectus possibilis sic dictus, quia solum impossibile excludit a suo objecto, vel patiens, aut passibilis, quia plus patitur, quam agit, quatenus, ut agat, prius speciem recipit intelligibilem, deinde ipsam suam recipit actionem, & speciem expressam, ubi eam producit. Item ipsæ species intelligibiles, & expressæ, & actus ipsorum sensuum necessarii, ad naturalem intellectionem pro hoc statu, quamvis ad hunc ordinem non ità propriè pertingant, ac denique omnes intellectus operationes, ad quas vel mediatè, vel immediatè sequitur actualis coaptatio inter intellectum, & objectum, quæ est ipsa conformitas, & adæquatio, inter utrumque, scilicet veritas formalis, quæ est verus finis hujus lineæ, & suo modo omnia prædicta afficit, secundum eorum capacitatem, ut sint de linea formalis veritatis, & totam hanc lineam complet, quæ implicitè est Doctrina Philosophi 3. de anima, textu 37. quatenus dividit ens, secundum hos modos, scilicet in ens extra animam, & ens in anima; clarius autem deducitur ex Divo Thoma, citata quæst. de veritate passim, præcipuè articulo primo, & alibi sæpè &c. ejusque sufficientia ex eo constat, quia hæc distinctio, ut constat, sumitur a fine, cum finis, in quo prima linea sistit, sit esse, ut clarum est; finis verò alterius est veritas, finis proprius animæ, de qua inquit Augustin. quid enim magis desiderat anima, quam veritatem? & quia omnia ordinantur ad id quòd est perfectius, sequitur, quòd cum creatura rationalis sit omni alia perfectior, jam tota linea essendi in creaturis subordinatur creaturæ rationali, ejusque perfectioni, quæ est ipsa formalis veritas, unde omnia de prima illa linea, habent hanc saltem in actu primo coaptationem, ut intelligantur, quæ coaptatio, est ipsa eorum entitas, ut intelligibilis, & secundum hanc formalitatem dicitur veritas transcendentalis, & objectiva, ut explicat Sanctus Doctor loco citato. Hoc tamen principalius, ex eo constat, quia omnia Deus propter seipsum, idest propter gloriam suam operatus est, gloria verò est clara cum laude notitia ad quam perveniens creatura rationalis, quæ sola capax est cognoscendi Deum, ipsum laudat, ejusque diffusam bonitatem in omni ente, secundum Doctrinam Sacræ Scripturæ, D. Th. ac nostrorum Salmat. tract. de ultimo fine. His additis, non quidem ex necessitate, sed ex connexione Doctrinæ, ac majori explicatione veritatis, notamus secundò ex eodem Divo Thoma, loco citato, veritatem formalem propriè, & per se primò convenire Judicio, quatenus est mentalis enunciatio, & consequenter, eadem reperitur in verbali ennunciatione, seù propositione, tamquam in manifestatione veritatis existentis in mente Judicante, & ennunciante, ex quo, ut alias etiam advertimus, sequitur, quod tota Sacra Scriptura, cum in qualibet sui parte sit ennunciativa, spectat essentialiter ad lineam intellectivam, cujus omninò propria est formalis veritas, ideòque cum ennunciet conformitatem, quam habent ea, quæ manifestat cum intellectu divino, & divinæ ipsius mentis conceptum, quo sibi illa conformat; ejus veritas

tas est undequaque divina, ipsique ratione suæ lineæ, talis veritas formalis ex essentia sua competit. Ex hoc autem jam nedum manet explicata, sed & efficaciter probata conclusio, ut statim constabit sic disponendo rationem.

Nulla creata veritas potest esse superior, & excellentior illa, quæ immediatè exprimit adæquatam ex omni parte conformitatem inter res, quas ennunciat, & intellectum divinum, talis est veritas Sacræ Scripturæ, ergo &c. Major constat ex prędicatis intrinsecis ipsius formalis veritatis, minor importat prędicata intrinseca ipsius Sacrę Scripturę; quę cum essentialiter sit manifestatio, et sint interni divini conceptus, ab eodem Deo, eos formante, & manifestante specialiter producta, certè nequit esse conformior divino intellectui, volenti manifestare, & se ut conformantem sibi ea, quę ennunciat, & ea, ut sibi conformia, ergo cum hęc sint, ut dicebamus, ipsa prędicata intrinseca veritatis, per locum ab intrinseco evidenter sequitur, nullam imaginabilem esse creatam veritatem, quę sit superior, aut excellentior veritate Sacrę Scripturę.

Confirmatur, nam etsi verum sit, quod veritas fundatur in entitate, quia nihil potest esse verum, nisi sit aliquid, hęc tamen est diversitas inter veritatem transcendentalem, & formalem, quod illa, quia intrinsecè est de linea entis, tanta est quanta est entitas, hęc verò, quia est de linea intellectiva, fundatur tantum materialiter in aliquo esse, quod saltem sit secundum quid, sed non commensuratur cum ente, at potius cum rectitudine judicii, ac principii intellectivi, ad quod sequitur, ut patet ex pręnotatis, ergo quę est veritas intellectus superioris, & sequitur ad ejus conceptum proprium, ipsumque afficit, in ejus manifestatione non potest aliam inter creatas, majorem recognoscere, talis autem est veritas ipsa Sacrę Scripturę, ut multoties in superioribus ostensum est; ergo &c.

Confirmatur secundò, ex Divo Thoma, quęstione de veritate, articulo 3. in fine corp. voces eodem modo recipiunt veritatis prędicationem, sicut intellectus, quos significant, ubi ly intellectus, vel sumitur pro potentia intelligente, quam voces significant, hoc enim est commune omni voci rationaliter loquentis, quod non solum significet materiale illud objectum, ad quod exprimendum nomen illud inventum est, sed formaliter repręsentat ipsam potentiam ut dicentem interius, id quod voce pronunciatur exterius, vel ly intellectus, importat ipsum conceptum, & judicium, cui per se primò competit denominatio formalis veritatis, nec aliter intelligi potest, ergo sensus Sancti Doctoris est, quòd eodem modo prędicatur veritas de vocibus, utique ennunciativis, sicut prędicatur de ipsa operatione intellectus, vel de intellectu operante, idest ennunciante. Hinc sic arguitur.

Eodem modo prędicatur veritas de propositione exteriori, scilicet vocali, vel scripta, quo modo prędicatur, de interiori conceptu, seù intellectione illam pronunciantis, sed Sacra Scriptura in omni sui parte, est divina locutio, ergo eodem modo de ea prędicatur veritas formalis, non de conceptibus quos manifestat, sed de illis prędicatur divina veritas ipsis intrinseca, veritas qua nulla superior, nulla excellentior, ad quam quęlibet veritas creata non comparatur aliter, quam analogum, & dependens, & ab ea quidquid est participans, ergo idipsum debet prędicari de Sacra Scriptura quoad ejus veritatem.

Major est Divi Thomę, & etiam ratione constat; nam vox, seù locutio, non est aliquid intentum per se, & ratione sui, sed tantum ut sit quędam delatio interioris conceptus ad alios, unde totum formale, quod in ipsa est, est solus conceptus mentis, & veritas ejus, atque ideò, cum de ea prędicatur veritas, prędicatur potius de eo, quod defert, quod ubicumque sit, exigit eadem prędicata, ergo &c. Minorem probavimus supra sępè, & est manifesta in tota Sacra Scriptura, sequitur evidenter consequentia, minor subsumpta non habet contradictionem; sic igitur, nec conclusio.

Obiicies contra hanc rationem. Ex ea sequitur veritatem Sacrę Scripturę esse veritatem increatam, & infinitam, ideòque ipsum Deum, quę omnia sunt falsa, ergo &c. Prob. sequ. majoris, si eodem modo prędicatur veritas de propositione vocali sive locutione, quo modo prędicatur de interiori conceptu, seù intellectione, ergo ubi interior conceptus, & intellectio sunt quid increatum, & infinitum, immò Deus, ut est revera omnis divina intellectio, quę essentialiter caret potentialitate, cum sit actus purus, idipsum prędicabitur etiam de manifestatione ejusdem, ac de veritate utriusque. Minor constat, tum quia conceptus, qui sunt in Sacra Scriptura, sunt realiter plures, sunt producti in tempore, per diversa instrumenta creata, & accomodati ad intellectum creatum, quę omnia infinitati, & actui puro repugnant evidenter, ergo &c.

Confirmatur etiam contra primam rationem, veritas, quę importat conformitatem rei creatę, ad intellectum divinum, non est veritas formalis, sed transcendentalis, ut optimè distinguit D. Thomas, de veritate, articulo secundo in corpore; sed tota veritas cujuscumque partis Sacrę Scripturę consistit in hoc, quòd maximè conformetur cum intellectu divino, ergo tota est pręcisè transcendentalis; atqui, cum idem Divus Thomas inquit, eodem modo prędicari veritatem de voce, ac de intellectu, quem significat, certum est, quod loquitur de veritate formali, ergo perperam ejus doctrina applicatur veritati scripturę, quę secundum ejus principia probatur esse transcendentalis, non formalis. Primus discursus ex se patet. Minor subsumpta probatur, nam si veritas transcendentalis, eodem modo prędicaretur de voce, & de conceptu mentis, deberet etiam prędicari eadem entitas, cum ipsa enim, illa dicitur ad convertentiam; hoc autem falsum est, quia entitas conceptus, est spiritualis, & ex se immanens, ac intellectu recepta, quę sunt ejus realia prędicata; Vox autem in esse entis, est aliquid transiens in externam materiam, corporeum, sensibile, & tantum vitale imperfectè, ergo &c.

Ad

Ad objectionem respon. primo neg. sequ. ad probationem distin. ant. si eodem modo prædicatur veritas de locutione, ac de conceptu, sistendo intra lineam veritatis, ubi conceptus, seù intellectio est Deus, idipsum prædicabitur etiam de locutione, neg. antec. si eodem modo prædicatur adæquatè, & exeundo lineam veritatis, quæ prædicatur, conced. antec., & neg. consequ. dicimus, quod quando D. Thomas dixit, eodem modo prædicari veritatem de voce, ac de conceptu, clarè loquebatur, sistendo intra lineam formalis veritatis, ut patet ex ipso contextu, ubi intendit distinguere veritatem propositionis a falsitate, & concludere eandem formalem veritatem actus intelligendi, transire in ipsasmet voces eam significantes. Constat autem, quòd infinitas, ratio actus puri, ac similes rationes, non sunt de linea veritatis formalis, quæ est præcisa conformitas rei ad intellectum, vel intellectus ad rem, sed tantum de linea entis, ut tale est, nam ens dividitur in actum, & potentiam, quæ divisio inaudita est, de veritate formali, sicut ergo hæc dicitur, vel fallibilis, vel infallibilis, vel divina, vel humana, vel superior, vel inferior, vel æterna, vel temporalis, vel adæquata, vel inadæquata, qui sunt modi, secundum quos dividi potest, ita secundum hos modos, verum erit eam posse prædicari, de conceptu, & de locutione, ita ut ubi res infallibilis est in conceptu, infallibilis etiam fit in locutione, & quia revera in Sacra Scriptura veritas divina infallibilis ennunciatur, hoc de veritate Sacræ Scripturæ etiam prædicatur, quod nempe sit infallibilis, & divina, ideoque superior ad omnem creatam veritatem, utique formalem.

Respon. secundo, quæ tamen responsio primæ non est opposita; respon., inquam, conc. sequel. majoris, & neg. min. ad ejus probationem distin. ant. sunt conceptus creati plures, & limitati &c. quoad manifestationem conc. ant. quoad veritatem neg. ant. veritas igitur Sacræ Scripturæ æterna est, & omnem habet perfectionem, quæ competit veritati divinæ, ut tali, quæ est immutabilis, si enim propositiones necessariæ, æternæ sunt, & immutabiles, ut scilicet, homo est animal rationale, quia sunt exemplatæ ab Idæis divinis, quanto magis id habebunt propositiones, quæ sunt necessario veræ, cum dictæ sint ab ipso Deo, & exemplarem ipsam manifestent veritatem, nempe conceptum divinum. Plures sunt quoad se, & in ratione manifestationis, quæ est pluralitas vocum, non veritatis, sed veritas omnium earum una est, nam veritas divina una est; sunt scilicet plures conceptus, nempe unus, quasi materialiter divisus, at in ratione veri, immò & conceptus divini, unus conceptus sunt, nam idea formaliter una est, omnem illius continens, & exemplans pluralem manifestationem. Finiti sunt, & potentiales eodem modo quo plures, sed sunt quid infinitum, & actus purus eodem modo, quo sunt una veritas, difficultas autem, id perfectè intelligendi ex duplici capite oritur, primo quia non advertimus, divinam locutionem, quæ est in Sacra Scriptura esse effectum Dei, non actionem ejus, facit ergo Deus

A producendo, locutionem per modum effectus, id quod nos facimus producendo locutionem per modum actionis, secundo quia, cum in nobis plurificentur conceptus, & judicia, & consequenter formales veritates, secundum pluralitatem objectorum materialium, quæ intelligimus, quia objectum nostri intellectus est omne ens, ita concipimus etiam divinam procedere intellectionem, ideoque videtur incompossibile, quòd Deus sit actus purus, & habeat tamplures, & distinctos conceptus proprios, quot sunt in Sacra Scriptura, & insuper si illos habet, quòd omnium sit una veritas formalis divina; oportet ergo aliter de Deo loqui, ac intelligere, & aliter Deum concipere, & loqui, ne nos intelligimus; unico igitur actu, in sua essentia, cuncta intelligit, & eo ipso sunt plura, quatenus non

B sunt ipsa formalitas divinæ essentiæ, quæ essentialiter una est tantum, & quia ipsam imitantur, certè non adæquant, qui enim imitatur, eo ipso non est, id unum, quod imitatur, plurificantur ergò etiam in præsenti manifestationes divinę veritatis, & conceptus, quia nulla manifestatio totum adæquat divinum conceptum; at quia formalis veritas divini Judicii consistit in conformitate totius entis, cum intellectu divino, sive in hoc, quod divinus intellectus illud sibi conformat, ideò una est formalis veritas in omni manifestatione, hæc enim commensuratur cum divino intellectu, non per se primò cum rebus, & cum hoc stat, plures esse manifestationes, quæ omnes eadem formali divina veritate afficiuntur, cum autem dici-

C mus, quod Sacra Scriptura continet conceptus divinæ mentis, in plurali, non est sensus, quòd divinus conceptus multiplicetur realiter, sed nomen conceptus sumitur pro pluribus inadæquatis objectis materialibus, ejusdem unius divini formalis conceptus.

Ad secundam objectionem, seù confirmationem, resp. pr. dist. maj. veritas, quæ importat conformitatem rei cum intellectu divino, sistendo in linea entis, conc. maj. si res illa, quæ conformatur cum intellectu divino, sit de linea intellectiva, neg. maj., & dist. min. tota veritas Sacræ Scripturæ &c., & est de linea intellectiva conc. min. de linea entis de formali, neg. min. Patet respon. ex prænotatis primo loco, in explicatione conclusionis, unde id quòd additur fundatur in falso suppo-

D sito.

Respon. secundo, hoc esse speciale in Sacra Scriptura, quòd ejus veritas formalis consistat, in conformitate ad divinum intellectum; quia hoc ipsi omninò singulare est, quòd ejus formalis veritas sit ipsa formalis veritas divini intellectus, quæ essentialiter est ipsa conformitas, inter omne intelligibile, & ejus intellectum.

Sed dices, ergo veritas formalis divina, est ipsa veritas transcendentalis omnis entis, etiam creati. Prob. subsumptum, quia veritas transcendentalis cujuscumque rei, nihil aliud est, quam talis rei conformitas ad divinum intellectum &c.

Respon. neg. conf. ad probationem distin. ant. est ipsa rei conformitas passiva, se tenens ex parte creaturæ, & sistens in linea essendi, conc. antec.

activa

activa se tenens ex parte Dei, & propria lineæ intellectivæ divinæ, neg. ant., & neg. consequ. Quando dicit Divus Thomas, & nos cum ipso, quod veritas transcendentalis cujuscumque rei, est ejus conformitas ad intellectum divinum per se primò, addit etiam quatenus illa res in suo esse habet, quod tali esse ordinatum est ab intellectu divino, quod certè est passivè esse conforme, & in linea entis, cum autem dicitur, quod veritas formalis intellectus divini, est conformitas inter omne intelligibile, & ejus intellectum, sensus est de conformitate activa, a qua illa passiva originatur, & de conformitate in linea præcisè intellectiva, quasi speculativa saltem secundum expressionem, ad quam terminatur omnis alia relatio conformitatis passivæ creatæ, quæ spectat ad lineam entis. Sic ergo patet, quod Sacra Scriptura sumpta secundum veritatem formalem, eam diversam non habet a divina, quæ est ipsa actualis conformitas ad intellectum divinum ut primum verum, nec est mirabile, quòd idem prædicatum, quòd in ente, de linea entis, significat ejus veritatem transcendentalem, in Sacra Scriptura significet ejus veritatem formalem, quia & est de linea intellectiva, & veri divini, & totum suum esse, est ad eam ipsam veritatem manifestandam, unde in ipsa, illa ratio manifestationis creatæ, de materiali omninò se habet, & non consideratur, nisi per modum materialis fundamenti, & medii, ad deferendam ad nos talem divinam veritatem, cum hoc sit proprium cujuscumque locutionis &c.

ARTICULUS IV.

Solvuntur reliquæ objectiones.

Contra hanc conclusionem, nulla militat sententia, ut videre potuimus, nisi fortè eorum, quos disput. 2., dub. quinto, de fide, adducunt nostri Patres Salmaticenses, qui afferunt aliquam naturalem cognitionem posse esse certiorem fide Theologica, quorum argumenta, quia formaliter procedunt de certitudine opposita dubio, ideò veritatem potius supponunt, quam impugnant, eisque adeò sapienter occurrunt prædicti Patres, ut nihil addendum, nec directè, nec indirectè supersit, ut eorum Doctrinam diligenter legenti, constabit, aliqua tamen obitere placet, ad magis firmandam in veritate, quam asserit, assertionem.

Objicies: veritas quæcumque, sive transcendentalis, sive formalis, sed præcipuè formalis, consistit in indivisibili, nec suscipit magis, & minus, ergo inter veritates, sive vera, non est locus comparationi, ut asseratur, talem esse veritatem præcipuè formalem Sacræ Scripturæ, ut nulla eam excedat, sed ipsa sit omninò superior, & excellentior omni veritate creata. P. antec. si sermo sit de veritate transcendentali, ex qua fortè arguatur ad formalem, ea consistit in conformitate rei ad intellectum divinum, qui cum sit omninò indefectibilis, jam res non erit ei conformis, si in aliquo ei sit difformis, quantum ad ea, quæ intellectus divinus ordinat ad ejus esse, ergo omne verum transcendentale, æquale est in veritate, quia æquale in conformitate; immò si ei aliquid desit, de sibi præscriptis ab intellectu divino, jam vel nihil erit, quia est impossibile ens, diversum in esse ab eo, quòd intelligit Deus, vel secundum alium respectum, præscriptum erit ipsi a Deo, ut hoc ei desit, & ita erit adæquatè conformis intellectui divino. Si verò de veritate formali sermo est, hæc consistit in conformitate in actu secundo, intellectus ad rem, quæ in Deo magis explicatur, per adæquationem, seu conformitatem intellectus ad se ipsum, ut est ratio essendi talis entis per eamdem suam intellectionem. Hæc autem essentialiter est indivisibilis, quia est ipsa formalis conformitas, & adæquatio, quæ ut patet non potest esse major, quia tunc non esset adæquatio, sed superadditio, nec minor, quia etiam sic esset inadæquatio, ergo nequit dici, de aliqua veritate formali, quod sit major, & excellentior alia &c. ne tollatur per hoc ejus conceptus, dum exaltatur.

Confirmatur, non potest intelligi major veritas, quam quod res dicantur, prout sunt, & sint, prout dicuntur, sed ad hanc perfectionem, quælibet veritas, quæ sit talis, etiamsi sit creata pertingit, ergo æqualiter se habent, veritas Sacræ Scripturæ, & quælibet alia creata, ergo illa non est superior, vel excellentior, in esse veritatis, maj. patet ex terminis. Min. prob. si veritas creata, ad id non pertingit, jam subintrat falsitas, quatenus non adest adæquatio rei, & intellectus, ergo si est veritas, necessariò, ut describitur, esse debet.

Respon. conc. ant. in eo sensu, in quo describitur utraque veritas in argumento, & dist. cons. non est superior, aut excellentior, quoad prædicata veritatis, vel quoad veritatem directè sumptam conc. consequ. quoad veritatis infallibilitatem, aut veritatem reflexè acceptam, neg. conf. sanè ubi adsunt verè prædicata veritatis formalis, non est locus comparationi, quoad illa, si accipiatur veritas, prout est respectus conformitatis resultans ex judicio verò, & rectò, si verò consideretur veritas formalis, ut manifestata, quæ evadit hoc modo objectum alterius cognitionis, per quam, vel intelligitur, vel creditur, quòd est aliquo modo esse reflexum, tunc potest dari inæqualitas, quatenus, veritas orta ab intellectu, qui nec decipi, nec decipere potest, nec errare aut declinare ad falsitatem, clarum est, quòd hoc modo dicetur & erit revera major, & superior omni alia, quæ non sit adeò perfecta, perfectione suæ causæ, supraquam reflectitur; talis autem est veritas Sacræ Scripturæ, & de ipsa hic loquimur, ut est talis, & ut proponitur nobis, ut objectum cognitionis, & fidei nostræ, in cujus signum, ut optimè probant Nostri Patres Salmaticenses, fides nostra resolvitur, denique, in causam talis formalis veritatis, scilicet in divinam veracitatem, & in perfectionem suæ causæ, per quod patet etiam ad confirmationem, ad quam præter dicta, nihil est addendum; quæ doctrina habet fundamentum, sicut & ea, quæ hactenus tradita est, in ea, quam tradit Angelic. tota quæst. unica de veritate, ac potissimum articulo quarto, & sequentibus.

Objicies

Obiicies 2. datur aliqua veritas creata, quæ major est, & superior veritate Sacræ Scripturæ, ergo &c. falso hæc excellentia attribuitur Sacræ Scripturæ. Prob. antec. veritas formalis, quæ consequitur ad cognitionem intellectus beati, dum videt Deum, est major, & superior veritate Sacræ Scripturæ; quòd ostenditur primò; veritas transcentalis ipsius beatæ visionis, est perfectior omni alia veritate transcendentali, cum sit ipsa conformitas, ut qua, ad intellectum divinum, per quem constituitur essentia divina, cum qua unit intellectum creatum in actu secundo, & perfecto, quod munus ipsi soli essentiale est, & singulare, ergo etiam veritas formalis, quæ ad ipsam consequitur, eodem gradu superior erit, omni alia creata, & creabili: prob. consequ., quia veritas formalis secundum Divum Thomam loco sæpè citato, est perfectio veritatis transcendentalis, in linea veri. Secundo probatur. In hoc maximè veritas consistit, quod sicuti res est, ita cognoscatur, hæc enim est vera conformitas, perquam constituitur, sed visio beatifica attingit Deum sicuti est, ut habetur ex Scriptura, & Deus est primum, & supremum verum in omni ratione, eamque specificat connaturaliter, quæ rationes nullo modo competunt Sacræ Scripturæ, ergo veritas beatifica, est perfectior &c. tertiò, per visionem beatificam in esse intelligibili, quod spectat ad lineam intellectualem, intellectus assimilatur, & conformatur, immò & identificatur cum Deo, similes enim ei erimus, quia videbimus eum sicuti est, ergo sicuti fit ipse Deus, ita fit ipsa ejus veritas, quæ est terminus lineæ intellectivæ; at Sacra Scriptura manifestat quidem veritatem divinam, sed nec identificat, nec identificatur cum illa, nec assimilat, nec assimilatur ipsi, ergo, quarto; veritas consistit in adæquatione, sed Sacræ Scripturæ veritas, eo ipso quod sit obscura, non est adæquatio cum divino intellectu, qui clarissimus est, nec ipsum demonstrat, sed abscondit. Adde, si Sacra Scriptura importaret adæquationem cum intellectu divino, multò magis adæquaretur cum intellectu creato, ideòque non crederetur per ipsam Deus, quia intellectus, cum adæquatur, non credit, sed evidenter cognoscit, quia si adæquatur, capacitatur, & impletur.

Huic objectioni, quæ aliqua involuit difficilia, responderi breviter potest, ex Doctrina Divi Thomæ, quæst. citata, articulo 3. in corpore, ubi efficaciter probat, quod veritas per prius propriè, & secundum se, invenitur tantum in intellectu componente, & dividente, secundariò autem, & per posterius dicitur verum esse in intellectu formante definitiones; unde definitio dicitur vera, vel falsa ratione compositionis veræ, vel falsæ, cum autem visio beata non spectet ad secundam operationem intellectus, sed ad primam, vel ad perfectionem ipsius, quæ est contemplatio, ipsi non competit ratio veri formalis, unde non est locus comparationi in hac ratione, inter visionem, & Sacram Scripturam, cum debeat negari suppositum argumenti, & omnium probationum. Quòd autem visio beata sit tantum apprehensio, vel contemplatio, secundum se sumpta, constat ex tractatu Nostr. PP. Salmatic. de visione Dei, & ex aliis de beatitudine, ac de fide, & expresè ex D. Th. 22. qu. 1. ar. 2. ad tertium, & etiam ex ratione, quia ipsa est visio divinæ essentiæ, prout est in se, sed hæc in se ipsa, est simplicissima, ergo ut talis videtur, atqui objectum compositionis non potest esse simplex, sed compositum saltem objectivè, ad hoc ut judicium componens sit verum, & concordet cum modo essendi rei, de qua judicat, ergo visio beatifica non est compositiva; insuper ad hoc, ut detur compositio, debet multiplicari apprehensio, ita ut prius quasi divisim apprehendantur extrema componenda, quod stare non potest, cum visione clara Dei, ut est in se, quia est ipsum esse unum, ac purum, & adæquatè indivisibile a parte rei. Aliud enim est, videre objectum præcisè secundum quòd est in intellectu, & accomodatur modo creatæ repræsentationis, & naturalitati intellectus potentialis, aliud est videre ipsum prout est in se, quamvis adhoc etiam requiratur, quòd sit in intellectu, nam in primo modo videndi, objectum accomodatur imperfectioni intellectus, ideò potest ipsum dividere, & componere suo modo, ut penetret ejus esse, secundo autem modo, intellectus elevatur, & sequitur potius conditionem objecti, quòd est simplicissimum, & actum proportionatum exigit, scilicet simplicem, qui est apprehensio; verum quidem est, quòd ad hujusmodi simplicem actum, sequitur judicium, vel potius imperium intellectus, voluntatem applicantis ad amorem, sed talis actus est practicus, & est tantummodo virtualiter judicium, quia ubi voluntas necessitatur ad amandum summum bonum potissimum, non requiritur consultatio, vel judicium de bonitate objecti; & etiam si admitteremus judicium, requiri, cum illud sit practicum, non potest dici verum absolutè, quia non importat conformitatem cum objecto intellectus, sed cum objecto voluntatis, quòd est bonum. Stat ergo non esse quærendam in visione beatifica veritatem formalem.

At quia dici potest, talem visionem esse eminenti modo judicium, ut aliqui volunt, videtur quòd adhuc ad ipsam sequatur veritas formalis. Respon. tamen, hanc sequi tantumodò in creaturis, ad judicium formale, nam ratio per quam probat Divus Thomas soli judicio competere veritatem, deducitur ex prædicatis formalibus Judicii, hæc autem non sunt in apprehensione formali, quæ sit eminenter judicium, hoc enim est, quod talis apprehensio ita perficiat intellectum, ac potest perfici ab actu Judicii, si daretur.

Respon. etiam secundo, transeat suppositum, & dist. ant. datur aliqua veritas creata superior ad veritatem formalem Sacræ Scripturæ, superior in ratione veritatis, negatur, in esse perfectivo subjecti, admittitur antec., & eodem modo consequ.; veritas Sacræ Scripturæ est ipsa divina veritas manifestata, unde in hac ratione superior omninò, immo suprema est, & prima. Hæc autem cum proponatur nobis ut objectum, vel ut ejus conditio intima, non perficit formaliter, sed tantum objectivè intellectum nostrum, munus enim objecti est

Sf movere,

movere, & terminare potentiam, non verò informando per modum formæ naturalis, intrinsecè, intellectum perficere, ita ut se teneat ex parte ipsius; objectum enim est causa formalis extrinseca ex suo genere, secundum omnes, dato ergo, quòd veritas formalis consequatur visionem beatam, hæc certè cum se teneat ex parte actus, a quo resultat, & hic sit ex parte potentiæ, in qua recipitur, ipsam perficit, & sicut ipsa visio beata summè perficit, ita & hæc veritas, per quam (si datur, quod falsum est) completur ultimatè, quod cum non competat veritati scripturæ, ut ostensum est, in hac ratione illi cedit, negativè tamen, quia cedit in eo, quòd ipsi non deest, quia nec competit. Per hoc autem patet ad omnes probationes, quæ nihil ultra convincunt, quam esse magis perfectivum, in visione beata.

Quòd autem, etiam dato, quod visio beatifica sit vera formaliter, ejus veritas non sit superior in esse veritatis, quam Sacra Scriptura, quatenus est divina locutio, convincitur efficaciter ex cap. 1. 2. D. Petri, ubi narrat Apostolor. princeps, se vidisse in Thabor gloriam Domini in transfiguratione, quæ fuit vel visio Dei, vel saltem corporis glorificati, ac similitudo valdè excellens visionis beatæ per modum transeuntis, & nihilominus subdit, *habemus autem firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tamquam lucernæ in caliginoso loco*, ergo in sententia verissima, & infallibili Spiritus Sancti, per Petrum loquentis, firmior est propheticus sermo, veritas nempè Sacræ Scripturæ, quam ipsa veritas visionis, ubi nota, quod dicit, tamquam lucernæ, nam munus lucernæ est ardere non propter se, sed ad illuminandum, quòd est munus veritatis Sacræ Scripturæ, ut supra diximus. Visio autem beata, cum sit ipsa beatitudo, est bonum subjecti quòd afficit, non aliorum, nec se habet per modum objecti, aut principii illuminativi. Sicut Scriptura. Patet igitur ad omnia, & magis novo fundamento roboratur assertum. Ultima tantum instantia videtur diversam afferre difficultatem. Seorsim igitur ipsi respon. admittendo major., & neg. minorem; ad probationem infertam, quod nempe est obscura, distin. antec., & obscuritas afficit veritatem, neg. ant. afficit potentiam cognoscentem, & objectum immediatè expressum in propositione, conc. antec. ergo non est adæquatio, neg. consequ. aliud est, quod cognoscens veritatem Sacræ Scripturæ, eam clarè non videat, ejusque objectum non attactum prout est in se, vel prout in sua causa, adhuc lateat in obscuritate, aliud est, quod locutio dicentis non sit vera, & id quod enunciatur, & ipsa enunciatio sit obscura; obscuritas enim est ex parte cognoscentis carentia clari luminis, ac propterea adveniente lumine gloriæ cessat obscuritas fidei; vel ad summum saltem connotativè, obscuritas importat modum manifestationis, quæ est ænigmatica, ut decet præsentem statum, ut detur locus merito; at veritas secundum se antecedit hunc modum, & oppositum; unde est eadem divina veritas, quam nunc in Scriptura obscurè cognoscimus, & in patria clarè, & intuitivè conspicimus

A in se ipsa, & ideo veritas opponitur falsitati, obscuritas claritati, eadem ergo veritas, modo potest esse obscura, modo clara, absque sui mutatione; ad id quòd additur, si adæquat intellectum divinum, adæquabit multò magis humanum, ideoque evidenter cognoscet, dicimus æquivocationem esse, cum enim dicitur, quod veritas, quælibet est adæquatio cum intellectu divino, intelligitur passivè, ex parte objecti creati, expressi in illa propositione, quæ vera est; cum verò dicitur, quòd veritas adæquat intellectum creatum, ratio passivi est ex parte intellectus, unde si adæquatur, & quoad veritatem, & quoad modum proprium suum, tunc convincitur; cæterum convinci, vel non, pendet magis a dispositione intellectus, quam ab efficacia veritatis secundum se sumptæ, quæ

B habilis est ad convincendum intellectum benè dispositum, cum debita proportione, nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, quod patet in demonstratione, si enim proponas propositionem demonstrabilem, non utique convincit intellectum, quamvis vera, & necessaria sit, si verò proponas eam cum suis principiis, eandemque ex illis inferas, intellectus tunc adæquatur, & convincitur necessariò, ad eandem asserendam, quia in secundo casu prius est informatus lumine principiorum, & hinc adæquatur, & convincitur ad eam asserendam, de qua in primo dubitabat, & tamen est eadem formalis veritas, quantum est in se, tam in primo, quam in secundo. Magis verò constabit, tam responsio ad objecta, quam ipsa conclusio ex

C sequenti conclusione, quæ erit ejus efficacissima probatio.

ARTICULUS V.

Plenè resolvitur quæstio conclusione finali.

Dicendum est tertiò, veritatem Sacræ Scripturæ formalem, esse omninò diversam ab omni alia veritate naturali, & creata, in hoc quod veritas Sacræ Scripturæ, est mensura rerum, aliæ verò veritates creatæ mensurantur a rebus.

Hæc conclusio, quoad secundam partem admittitur communiter ab omnibus, cum sit axioma philosophi, non habens contradictorem; ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur esse ve-

D ra, vel falsa, & oppositum, evidentissimus error est, quem quamvis superbia hæreticorum in praxi admittat, tamen speculativè non concedit, nempe quòd aliqua res ita sit, quia a creatura taliter esse cognoscitur, cum creata cognitio dici non valeat causa essendi suo objecto, nisi fortè illud sit ens rationis, quòd eo ipso nihil est. Supponimus ergo tamquam principium, quòd objectum est mensura cognitionis humanæ, ita ut semper in nobis verum sit; ex eo, quod res est, vel non est, dicitur oratio esse vera, vel falsa; oppositum verò asserimus de Sacra Scriptura, non quod ejus aliqua propositio efficiat id, quòd enunciat, non enim ad hoc ad nos missa fuit a Deo, sed quia ita est infallibilis mensura eorum quæ enunciat, ut è converso dici debeat, ex eo rem esse, aut non esse, infallibiliter

biliter ex eo quod Sacra Scriptura eam esse, vel non esse respectivè ennunciat. Assertum, est secundum omnium Catholicorum, nedum Theologorum sensum, nec potest aliter dici salva fide, si enim Sacræ Scripturæ veritas mensuraretur ab esse rerum, ita ut verum esset hoc dictum, oratio, seù propositio scripturæ, secundum quod res est, vel non est, dicituc vera vel falsa; cum Sacra Scriptura sit regula fidei; esse rerum sicut esset regula veritatis Scripturæ, ita esset regula fidei, unde nec fides esset infallibilis, nec differret propositio scripturæ a qualibet alia propositione naturali, ergo omnes Catholici ad salvandam fidem, ita tenentur asserere. Deducitur autem ex Doctrina D. Thomæ, quatenus in hoc est perpetuus, quod divina veritas, rerum omnium est mensura, & quod implicat, eam a rebus mensurari, cum mensura superior sit mensurato in quantum talis; immò asserit, res omnes veras esse, unica veritate divina, quam essentialiter respiciunt, ad distinctionem veritatis formalis creatæ, quæ multiplicatur ad multiplicationem judiciorum, ad quæ sequitur. Ita locis citatis, quæst. unica de veritate, & prima p. quæst. 16. quæ etiam est de veritate, per totam &c. eamque tuetur, & probat, Abulens. in terminis, in Deuter. cap. 4. quæst. 2., & denique, quamvis in terminis non ponatuc, a pluribus: tamen ab omnibus Catholicis, ut diximus, supponi debet.

Pcob. ex Sacca Scriptura, Psalm. 148. Ipse dixit, & facta sunt; qui textus communiter accipitur, de efficacitate Verbi Dei, de quo dicitur *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* Joann. *c. primo.* Dixit Dominus, *fiat lux, & facta est lux.* Gen. pr. sed per hoc, quod Deus loquatur in Sacra Scriptura, quamcumque ejus propositionem, & apicem, omnem ejus propositionem tcanscendit hæc, scilicet, hoc verum est, quia ego dico, ergo eo ipso verum est quidquid dicit, quia ipse dicit, qui dicendo facit, rem ita esse, ut dicit, ergo ratio veritatis Sacræ Scripturæ est, quia ipse, qui essentialitec ipsa veritas est, illud dicit, non quia res sit, quin potius ab ejus dicere, pendet in esse objectivo, quod res sit cognoscibilis, & ita sit.

Dices, in loco Psal., & Evangel. sermo est de Verbo Increato, non de Verbo scripto, quod potius, & ipsum est effectus Dei, non causa universalis, dans esse creaturis, ergo sicut Deus per locutionem Sacræ Scripturæ non facit, aut producit res, quas dicit, ita nec facit eas esse veras, non enim sermo Sacræ Scriptucæ est operatorius, sed supponens res operatas, & consequenter, ut mensurantes veritatem locutionis.

Resp. vim pcobationis non esse in hoc, quod Deus loquens in Sacra Scriptura operetur aliquid aliud, media tali locutione, sed in hoc, quod sicut volens producere, produxit per suum dicere id, quod dixit, ita volens infallibile objectum, & certissimum propositionem proponere, in Sacra Scriptura, sive in sua locutione, hoc præstitit per idem Verbum suum, per quod omnia creavit, ita ut per idem Verbum divinum, per quod dedit esse

A creatucis, dederit & veritatem infallibilem Sacræ Scripturæ, cum hac diversitate, quòd ad esse creaturæ concurrit per modum causæ efficientis; ad esse verum Sacræ Scripturæ per modum rationis formalis, & exemplaris, & mensurativæ, unde mensura hujus veritatis, ut communicatæ, est ipse, ut summè verax, & ipsa veritas, est ipsa sua conformitas terminativa, quatenus omnium conformitatem rerum, ad se respicientem terminat, aliam enim veritatem formalem, Deo assignare non possumus, cum in ipso relatio realis conformitatis ad objecta creata reperire non possit, sed tantum realis ratio terminandi talem relationem, qua cceaturæ ad ejus ideam referuntur; si ergo veritas formalis Sacræ Scriptucæ est divina veritas, oportet, quòd sit mensura rerum, quia hoc præ-
B dicatum a prima veritate tolli non potest, primum enim in uno quoque genere est mensura cæterorum. Et hæc veritas transcendit omnem propositionem Sacræ Scripturæ, quatenus constituit ipsam in ratione objecti infallibilis nostcæ fidei; pro quo est distinguenda duplex ratio in Sacra Scriptura, prima est manifestatio divinæ veritatis, quia est locutio Dei, secunda est manifestatio alicujus particularis objecti, hæc secunda est in ipsa materialis, & formalizatuc per primam, adhoc enim ut fiat credibile hoc particulare objectum, debet intelligi ut propositum a Deo, ergo essentiale, & formalissimum, quòd est in omni ejus propositione, est quòd in omni ejus pacte sub intelligatur inclusum, hæc est locutio Dei, hæc includit pcimam
C veritatem, eamque manifestat, & applicat huic peculiaci objecto, nec mirum, quòd increata veritas reperiatur in aliquo creato, siquidem ibi est tamquam in signo, ut inquit Divus Thomas, & tamquam in sui expressione, quæ cum sit id quo non ponit in numero cum ipsa, & est ibi proposita, & illuminans objectum aliquod, non tamquam entitativa aliqua forma componens aliquòd esse, pec quod manet explicatum id., quòd in tota hac quæstione parit obscuritatem, & sccupulum. Et soluta objectio.

2. Prob. cum Sacra Scripturà sit obscura, eo ipso res clarè non remanent per ipsam manifestatæ, ecgo si a rebus mensuraretuc, opocteret ad cognoscendam ejus veritatem prius, an res essent, vel non essent, aliundè dignoscère, si enim mensu-
D ra, in eo quod est talis, non cognoscatur, æquè latet mensuratum, ideòque quantum est ex ipsa, nihil cognosceremus, quin potius tantum ipsa vera esse dignosceretur, quantum aliundè nobis constaret, quod res ita essent, vel non, ad aliud itaque non deserviret nisi ad obscuritatem, quòd impium est dicere, ergo impossibile est, quòd ejus veritas mensuretur a rebus.

3. Prob. seù confirmatuc ex Divo Augustino *contra Vincentium Donatistam. Huic*, inquit, *generi Scripturarum, quæ canonicæ mencupantur, tantam reverentiam exhibere didici, ut nullum auctorem eorum mentiri potuisse crediderim, cæteros autem ita lego, ut quantacumque polleant sanctitate, non ideò ita sit, quia ipsi sic senserunt. Ea enim, quæ ab hominibus solum dicuntur, ita sunt, quia res ita se ha-*

bet, vel quia sic noster intellectus intelligit; in scripturis verò canonicis, ipsę Scripturæ mensura sunt, & intellectus noster mensuratum; prosequitur autem Abul. loco citato, debet enim intellectus concipere ita esse, quia ita dicitur, & non solum in intellectu, sed etiam in rebus non debet argui veritas canonicæ Scripturæ ex veritate rei, sed magis veritas rei, ex veritate scripturæ; valet enim consequ. sic dicitur in Sacra Scriptura, ergo sic est; & patet ista consequ. quia Verbo Domini Cœli firmati sunt, & omnis virtus eorum. Psalmo 32.

Hinc eruit rationem Abul. quæ sic potest muniri, si Verbo Domini, res quales nunc sunt, creatæ fuerunt ex nihilo, ergo Verbo Domini, nunc aliter esse possunt res, quam sunt, si Deus velit eas aliter esse; patet consequentia, quia id quòd ab alio simpliciter pendet in esse, & modo essendi, ut creatura à Deo, sicut ideo est, & ita est, quia Deus vult esse, & ita esse, ita debet mutari, si Deus velit eam mutari, vel quoad esse, vel quoad modum, & est argumentum a fortiori, nam major infinitè est distantia inter nihilum, & esse, ac inter esse hoc modo, vel illo, ergo per id potest a fortiori creatura aliter esse, ac est, per quod cępit esse, cum non erat, sed id Scriptura mensurat in manifestando, quòd Deus facit operando, ita ut impossibile ęquè sit, Deum mentiri, ac Deum non esse primam causam, primum ens, & Creatorem, ergo sicuti si Deus faceret rem aliter esse, ac nunc est, non posset aliter dicere, ac fecisset, ita verum est rem mutari, cum eam mutat, ac cum dicit mutatam esse, hoc enim quod dicit, non est nisi expressio illius, quòd facit, & non ponit in numero, sed expressio se tenet ex parte ipsius factionis, quam exprimit, & non est, nisi quędam extensio ejusdem veritatis, & potentię, ut cognosci valeat, ergo sicuti verum est, divinam essentiam, ideam, & potentiam, esse mensuram rerum, & ab ipsis non mensurari, ita inconcussè verum erit, Sacrę Scripturę veritatem in suo ordine, scilicet veritatis, esse rerum mensuram, & non ab eis mensurari; unde subinferimus cum Abulensi; si ergo diceretur in Scriptura, res se aliter habituras, quam nunc, licet naturę rerum repugnare videamus; tamen confitebimur eas post, sic futuras esse, quia sic scriptura nunciavit, unde si scriptura contrarium diceret alicujus, quod nos videmus, confiteri deberemus nos phantasmata, & non rerum veritates nunc videre, & contemplari. Et satis conforme, inquit, exemplum in natura reperitur; si quis videret hominem, subito converti in asinum, diceret, se non res, sed falsas rerum imagines intueri, quia procul dubio sciebat, id naturę esse contrarium; cum ergo Verbum Dei, natura constantius sit, quia per ipsum natura facta est, si aliquam rem videremus contrà veritatem Scripturę, quę est veritas ipsius Verbi, & Auctoris naturę, diceremus potius id, quod videmus nihil esse, quam Scripturam errare, quia Cœlum, & terra, quæ in tota natura stabiliora sunt omni ente, etiam secundum Scripturam, in qua dicitur, cœli firmati sunt, & terra in æternum stat, cœli inquam, & terra transibunt, verba autem Sacræ Scripturæ non pręteribunt. Math. cap. 24. mihi, inquit, in naturalibus nil evidentius est, quam me esse substantiam esse hominem, & habere corpus, atsi Scriptura diceret oppositum, citius negarem me esse, quam Deum negarem, mundum creasse, & valet consequentia formaliter. Deus non creavit mundum, quòd est contra Scripturam, ergo ego non sum, neque homo, neque alia res, quòd etsi Abulens. non prosequatur, quia inquit alterius negotii est, ab eo quod ipse tunc exercebat, nos possumus breviter probare, quia, qui admittit, quod Deus non creavit mundum, postquam Deus dixit primo Gen. cap. se mundum creasse, eo ipso admittit Deum mentitum esse, & ideò nec esse Deum, posito autem, quod non detur Deus, nec dabitur causa prima, ideò nec secunda, nec consequenter aliquis effectus, ergo nullus erit homo, nec ulla substantia, nec ens. Ex quibus omnibus patet efficacissimè probata conclusio, & necessariò ita esse ab omnibus asserendum. Tota autem hæc doctrina, etsi Abulensi tribuatur, quia fusè eam prosequitur in terminis de Sacra Scriptura, per prius, & lucidius traditur a Divo Thoma, 22. quæst. 4. articulo octavo, ubi agit de fide, quam prosequuntur PP. Salmaticen. in tractatu de fide, disput. 2. dub. 5. per totum saltem quoad substantiam, etsi difficultatem, quæ oritur ex proprio hoc instituto, ubi agimus specialiter de Sacra Scriptura, non pertractent, hoc enim non pertinet ita individualiter ad illum tractatum. Consultò autem plura hic ommittimus, ne, quæ a prædictis Patribus dicta, huic materiæ clarè adaptantur, repetamus, ea igitur hic supponuntur, quæ in eo tractatu per totam disputationem primam, & secundam fuse, & eruditè traduntur, præcipuè verò, quæ illic dicuntur de resolutione assensus fidei, quæ mirificè juvant, & juvantur per ea, quæ capite isto pro modulo nostro, & temporis angustia disseruimus, ac denique totus ille tractatus, ad istud breve opus supponitur.

ARTICULUS VI.

Objecta adversariorum solvuntur.

CONtra ultimam rationem obiicies de contingentibus, quæ in se nec evidentia sunt, neque necessaria ex suis causis potest quidem admitti, quod semel dicta a Sacra Scriptura ab ea mensurentur, & fiant infallibilia, quoad ennunciatam veritatem, sed non de propositionibus necessariis, qnælibet enim propositio, undelibet oriatur de objecto necessario, cujus veritas etiam naturaliter necessaria, & æterna est, semper mensuratur, ex eo quod res est; siquidem si objectum necessarium est, uti definitio essentialis, ęternum est, & jam pręcedit quamcumque enunciationem, & est ipsa sua connexio terminorum indissolubilis, ergo in Sacra Scriptura oportet distinguere inter propositiones, quę sunt de contingentibus, & quę de necessariis…

necess-

necessariis, nec universaliter afferendum, ejus veritatem esse mensuram rerum.

Confirmatur, nam exempla posita, in hac conclusione sunt de contingentibus, ut patet, & ratio ipsa fundatur in mutabilitate possibili rerum, constat autem prędicta necessaria immutabilia esse, & cum ęterna sint, non producta; quòd enim homo sit animal rationale v. gr. est ab ęterno verum, & secundum hęc prędicata, secundum essentiam sumpta, non est aliquod productum, ergo hęc ratio de his non convincit, & tamen non solum contingentia in Sacra Scriptura narrantur, sed de Deo, & de ejus attributis agitur, & sapientia describitur. Immò potius tota ferè scriptura videtur agere de necessariis veritatibus secundum Divum Thomam 2. 2. qu. 4. articulo 8. in corpore, ubi arti, & prudentię, quę sunt de contingentibus prefert fidem, quia est de ęternis, quę non possunt aliter se habere, quòd est dicere, de necessariis; tota autem Sacra Scriptura est de fide, ergo.

Resp. ut respondeamus huic objectioni, quę non ita facilis solutionis apparet, aliquid breviter pręnotare oportet. Primò quòd etsi Deus cognoscat inter ea, quæ contingentia nobis sunt, & quoad suas causas, etiam quæ ad oppositum necessaria dicuntur, ex sua determinatione essentiali, & objectiva, æquè tamen omnia se habent ad Deum, cui nihil contingit, & omnia determinat, sicut enim necessaria, ab eo habent exemplariter, quod necessaria sint, ita contingentia, ab eo habent, quod sint talia, immò etiam ipsa essentia rei contingentis, quæ consistit in hoc, quod res quoad existentiam possit esse, & non esse, necessaria est, & ab ipso exemplata seclusis imperfectionibus, si verò hæc utraque sumantur quoad existentiam, in se utraque, & omnia contingentia sunt, cum enim non competat creaturæ ex essentia sua, quòd existat, jam potest esse, & non esse, & in hoc sensu omne creatum contingens est, quoad existentiam, quantum est es propriis meritis; quia autem Deus ab æterno, & exemplavit creaturarum creabilium essentias, & determinavit earum quarumcumque, vel existentiam, vel non, vel permanentiam, vel successionem, aut desitionem, ideò absolutè nihil illi contingit, cui omnia, a se ipso determinata sunt.

2. Considerando necessarium; nam absolutè aliud est simpliciter & verè necessarium, quod nec quoad essentiam, nec quoad existentiam potest aliter se habere, quòd est solus Deus, de quo Augustinus *in tractatu de eo, quod ad Moysem a Deo dictum est*, inquit, *esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui non mutatur; ille habet esse, cui dicitur, mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, quòd est, ego sum qui sum, ideòque in comparatione illius, omnia nedum contingentia nihil sunt, sed veluti, cui dicitur, & substantia mea tamquam nihilum ante te*, sicut autem ipsi necessarium est esse, ita verum, & veracem esse, aliter mutaretur, nec esset, qui est. Aliud est necessarium objectorum, ex connexione scilicet terminorum, ut sunt essentiæ rerum, aliud ex necessitate

A infallibilitatis, quòd competit omni enti, quoad existentiam contingenti, sive accidentale sit, sive substantiale, quod posita Dei determinatione infallibiliter est, vel erit, vel habebit oppositum, secundum quod determinat Deus. Insuper aliud est necessarium quoad esse, aliud, quoad cognosci.

Nunc respondetur, neg. ant. quoad secundam partem, ad probationem distin. ant. quælibet propositio necessaria humanæ locutionis mensuratur, ex eo quod res est, in materia necessaria conc. antec. si sit propositio divinæ locutionis, neg. antec. dicimus ergo, quòd in divina locutione, nulla est diversitas, quoad veritatem, sive ejus propositio sit in materia secundum se contingenti, sive necessaria, sicuti fides eodem modo credit, & Deum esse, quòd est summè necessarium, & Ioseph ven-
B ditum fuisse a fratribus, quòd est in materia contingenti, & quidquid prædicitur futurum in Sacra Scriptura, quod sanè contingens ex se est, cum possit non esse, sicut revera nunc non est, & ratiò est eadem, quia veritas Sacræ Scripturæ, cum sit divina, ac superior, afficit eadem infallibilitate, quidquid in ipsa dicitur, hæc enim desumitur ex divina determinatione, ac necessaria veracitate, quæ est in ipso, in summo gradu necessitatis, & sicut ab ipsa, absque eo, quod ipsa mutetur, pendet omne esse creatum, sive contingens, sive necessarium, ità eadem ejus veritas, absque eo quod mutetur, utrumque verè eodem modo, & eadem necessitate infallibilitatis pronunciat. Unde patet ad totam objectionem; falsum est enim, quod ob-
C jectum naturale necessarium pręcedat divinam veritatem, etsi enim pręcedat ejus manifestationem materialem, non tamen ejus ęternam veritatem, immò si sumatur quoad cognoscibilitatem infallibilis certitudinis, & superioris, quam accipit a tali manifestatione, nec in hoc sensu talem manifestationem pręcedit, ut patet, nec est ipsi connaturaliter debita.

Ad confirmationem, eodem modo respon. nam respectivè ad veritatem scripturę, non consideratur contingentia, vel necessitas materię, nisi omninò materialiter, prout & ipsa potest reddi infallibiliter credibilis, & vera, quod verò exempla ponantur in contingentibus aut necessariis, est de materiali, ex eadem ratione, quòd autem probatio nostra fundetur in mutabilitate possibili rerum,
D falsum est, fundatur enim in dependentia cognoscibilitatis rerum a divina veritate; unde si revelaretur per impossibile, per scripturam, hominem non esse animal rationale, tunc potius dicendum esset, non esse oppositam definitionem, cogitatam per veram scientiam, quia Sacra Scriptura est infallibilis veritatis, scientia autem, etsi quantum est de se, sit de veris, & necessariis secundum philosophum, tamen potest quis decipi, putans se habere veram scientiam, quam non habet, aut aliquid spectare ad illam scientiam, quòd apparenter tantum stat sub ejus principiis, & certè in tali casu, de fide esset eam propositionem non spectasse, ad scientiam, quia de fide esset, quòd esset falsa, & tamen falsum ad scientiam non spectat, sed ad errorem. Quòd ibi dicitur de connexione

prędi-

prædicatorum necessariorum, quod sit æterna, & A improducta, verum est, quia habent præcisè esse objectivum, quod cum in se non existat, non producitur, est tamen exemplatum a divina essentia; & hoc modo participiali, est quædam conformitas objectiva ad intellectum divinum, ac proinde divina veritate mensurata, etiam in esse objectivo signato, cum autem exprimitur in Scriptura, mensuratur exercitè, quatenus illa veritas, dat ei cognoscibilitatem infallibilem, quæ ei, si est secundum se veritas naturalis creata, non debetur, si autem est aliquid divinum, tum connaturaliter, & exigitivè mensuratur veritate divina, in ordine ad nos, ut est aliquod nobis credibile, quatenus per divinam veritatem, ac veracitatem certificamur, quòd est aliquid divinum. Quod verò additur ex Divo Thoma, est fundamentum hujus solutionis; B convincit enim, quòd in sensu composito divinæ locutionis, objectum quodcumque revelatum, non potest aliter se habere, ideòque est necessariæ, & æternæ veritatis, necessitate infallibilitatis, ut stat sub illa, nec considerantur merita, ut sic dicamus ejus, quod revelatur, sed revelantis.

Obiicies secundo; mensura secundum Philosophum debet esse homogenea mensurato, sed Sacra Scriptura, cum sit locutio suprema, & veritatem contineat supernaturalem, ut patet, talem homogeneitatem non dicit, ergo &c.

Confirmatur, retorquendo contra nos, nostram probationem, adhoc ut scriptura diceretur mensura rerum, oporteret, quod revera ostenderet esse id, quod dicit, sicut in propositionibus naturalis ordi- C nis, & veritatis, ideò oratio dicitur mensurari a rebus, quia ex eo quod res est, vel non, oratio dicitur esse vera, vel falsa, sed Sacra Scriptura, cum sit obscura, potius videtur abscondere esse rerum, quas ennunciat, quam illud ostendere, ergo non est earum mensura.

Respon. distin. majorem, mensura superior, neg. majorem, mensura naturalis, & inferioris generis, conc. major., & eodem modo dist. min. primo dicimus hoc non esse necesse in mensura superiori, unde mensura rerum omnium est divina idea, & tamen certè cum sit suprema, non æquatur rebus creatis, sed eas æquat sibi, ut imitabili, sic, vel aliter. Vel secundò dicimus, quod Sacra Scriptura mensurat res, inquantum ejus veritas, intellectum mensurat, ut eas ita esse affirmet, sicut ipsa dicit, D unde est mensura rerum in esse cognoscibili seù credibili, eas trahendo in esse objectivo ad hoc ut subsint suæ veritati, unde in hoc non requiritur homogeneitas; Vel 3. veritas est ipsa conformitas inter res, & intellectum divinum, unde in suo ordine est ipsa homogeneitas.

Ad confirma. conc. major., & neg. minor. ad probationem dist. ant. est obscura, & ideò abscondit, absconsione opposita evidentiæ, conc. antec. opposita veritati, & certitudini, neg. antec., & consequentiam. Est quidem obscura, sed hoc nihil concludit contra nos, cum veritas, & evidentia sint quid valdè diversum, unde scientia, quæ essentialiter debet esse certa, ac de certis, & veris, salvat suam essentiam in subalternata, absente subalternante, quòd est carere evidentia, & proportione servata simile contingit in nostro casu, nam fides subalternatur scientiæ Dei, & beatorum, & ideò ejus assensus est obscurus, quia abest a nobis talis scientia, & nihilominus fides est virtus intellectualis, quæ essentialiter debet esse de vero, & certo; quòd autem dicitur de fidei assensu formaliter, dici debet de Sacra Scriptura objectivè. Adde quòd defectus evidentiæ immediatæ, suppletur per evidentiam credibilitatis, quæ importat quamdam extrinsecam evidentiam veritatis; quod enim est credibile, eodem modo est verum, loquimur enim de credibili per credentiam, quæ sit actus virtutis, ergo quòd est evidenter credibile, est evidenter verum, evidentia, extrinsecè verùm afficiente secundum connexionem scilicet, quam habet veritas, cum argumentis, quæ ipsum probant esse credibile, vel evidentia quadam intrinseca, sed virtualiter tantum tali, quatenus est talis evidentia, ut suppleat, practicè movendo voluntatem ad assensum id, quod deficit ex parte intellectus, qui ratione obscuritatis objecti, remanet secundum se incompletus ad assensum, quem necessariò causaret intrinseca evidentia obiecti, si adesset.

Adde secundo, quod semel convictus intellectus lumine naturæ, Deum esse, & ideò implicare, quòd falsum dicat in omni ordine, adhoc ut convincatur ad credendum, sufficit, ei ostendere, quod Deus hæc loquatur, quæ sunt in Sacra Scriptura, facit enim hoc argumentum, de necessitate est, quòd Deus sit, & æquè necessarium est, quod loquens, verum dicat, sed Deus dicit ea, quæ sunt in Scriptura, ergo de necessitate dicendum est, ea vera esse, ita infallibiliter, sicut infallibile est, Deum esse, & adhoc ut sit talis, debere solum verum dicere; tota difficultas est in minori, quæ cum sit articulus fidei eandem difficultatem habet, quam tota fides, quæ in tali propositione continetur, sicut in Sacra Scriptura, & ideò totum negotium reducitur ad ostendendum sufficienter hanc propositionem, & ad supplendam ejus obscuritatem, ideò in hoc, magno studio laborant Doctores, nosque superius conati sumus ostendere, Deum esse specialem auctorem Sacræ Scripturæ, eamque esse veram Dei locutionem, & nisi alia, quæ supersunt ad complementum operis hujus nos vocarent, novo iterum studio ad id procederemus. Sufficit ergo, præter alias ad hoc a nobis elaborata superius, id quòd in toto tractatu de fide dicunt PP. Salmatic. aliique Sapientiss. DD., & quæ rudi minerva hic brevissimè recolimus, nempe, semper tenendam esse auctoritatem Ecclesiæ quæ potest dupliciter considerari, uno modo ut credenda, tamquam articulus fidei; dictatus a Sacra Scriptura, unde videtur eadem recurrere difficultas, minoris, dicunt enim aliqui, si ideò verum est, quæ sunt in Scriptura dici a Deo, quia Ecclesia hoc dicit, & ideò verum est, quod dicit Ecclesia, quia Scriptura hoc dicit, jam sine Ecclesia, credemus Scripturæ, nam & Scriptura hoc dicit, nempe verum esse; id quòd ipsa continet, totus ergo fons hujus credibilitatis, etiamsi deducatur hinc inde, tam-

per

per incipit, & definit in Sacra Scriptura, nec advertunt, quod non possunt esse contenti, & sola Scriptura, nisi etiam admittant auctoritatem Ecclesiæ, cum hæc in ipsa Scriptura contineatur, & adhuc ut Scriptura canonica sit, requiratur. Alio modo sumitur auctoritas Ecclesiæ, ut cognoscibilis, & evidenti lumine naturæ, lumen enim naturæ dictat homini, qui est animal sociabile, & politicum, universitatem eorum, qui suis operibus ostendunt se bene sentire, & rationabiles esse, ac cum maturitate, & sapientia procedunt, maximam habere auctoritatem, quæ se habeat per modum regulæ in eligendo id, quod secundum rationem melius, verius, & rationabilius est, & hoc fortissimum esse magisterium veritatis; hæc igitur auctoritas sic naturaliter considerata, cum ex communi consensu reducatur ad unum, qui sit caput omnium, omninò sufficiens est, ut plena fides ei adhibeatur, & ejus decisio sit tamquam principium naturale rectæ rationis, cum autem ipse dicat, & omnis Ecclesia idipsum sentiat, Sacram Scripturam, verè esse Dei locutionem, & veritatem hujus propositionis ostendat factis mirabilibus, quæ sunt omninò supra naturam, & parata sit tota Ecclesia, vitam pro hac veritate profundere, idque plures executi sint, & alii exequantur, Removetur jam difficultas illa prior, & erigitur animus supra naturalem sphæram, & paratur ad credendum, quidquid dicit Sacra Scriptura, jamque credit, ipsam esse Dei verissimam locutionem, cumque in ea inveniat, credendum esse declarationi Ecclesiæ, ejusque capiti, in quo tota unitur, & est vicarius ejus, qui Sacram ipsam Scripturam confecit, certamque proinde habet ab eo assistentiam, ne errare possit in rebus fidei proponendis, vel resolvendis, jam eadem fide supernaturali credit hunc articulum, & Ecclesiæ ac Pontifici, convictus subiicitur in omnibus, quę ad fidem spectant. Qui processus ut patet summè rationabilis est, & dat fidei firmum fundamentum, & per prudentiam, quæ adimit levitatem, & per principia naturalia, aditum præcludit erroribus, qui ut in plurimum ex singulari adhæsione ad proprium intellectum, spreto communi, operum, & rationum consilio, & exemplo, procedunt, nec mirabile videri debet, quod fides supernaturalis secundum substantiam, si sumatur in concreto, reducatur hoc modo in principium naturale, non enim ipsa sic positivè reducitur secundum se in principium naturale, sed ipsum ejus concretum, quia hoc requiritur ad supplendam imperfectionem subjecti, & obscuritatem objecti, maximè quia totus ordo supernaturalis supponit naturam, quia institutus est, ut eam perficiat, elevando ipsam ad superiorem finem; cui accedit, quòd initium talis processus requiritur ad præparandum subjectum, ipse enim auctor naturę, dedit homini hunc modum operandi, ut, (ad distinctionem Angelorum) procedat de uno in aliud, ut denique perveniat, incipiendo ab imperfectiori, ad ultimum finem, a quo simpliciter perficitur.

Et quod ita sit discurrendum, sicut in prædicto processu innuimus, ex eo patet, quod cum Deus,

A omnis Auctor boni, attingat quidem a fine usque ad finem fortiter, idest a fine naturali, usque ad supernaturalem in directione suæ creaturæ rationalis, tamen disponit omnia suaviter, ideò, quo ordine perficit naturam in propria linea, perficit etiam in linea supernaturali, unde sicut hominem fecit sociabilem, & politicum, in qua ratione, naturali quodam instinctu regulatur, per rationabilem universitatis doctrinam, & per legem sui capitis moralis, ad exemplum corporis phisici, ita principium fidei primum in hoc instituit, ut universitati, & ejus capiti supernaturaliter ab ipso directo, obediat, & subiiciat intellectum in obsequium fidei, ipsoque Sacras Scripturas proponente, & approbante; eas acceptet, credat, ac humiliter eis obediat, ut sic per fidem, & observan-
B tiam eorum, quæ dictat, & præcipit, vitam æternam acquirat, & hoc præstari suavius non poterat, nec verius describi, quam prædicto processu; Hæc autem omnia ex principiis naturæ, & fidei, ex doctrina Philosophi, in lib. politicorum, & Divi Thomæ, tum illo loco, cum alibi, ex plurium Doctorum ac Theologorum principiis, ac doctrina Patrum Salmatic. de fide deducta, quia ut eruditus lector advertet, nos brevitati consulentes, sine peculiaribus citationibus exposuimus, ea sapientiorum Judicio libenter subiicimus. Ea enim dedimus, etsi quasi per digressionem, & extra ordinem, non tamen sine connexione, & necessitate materiæ, quam tractamus, & concludere, quantum fieri potest, breviter festinamus.

C Obiicies 3. ex Divo Thoma; veritas non est mensura, sed est commensuratio, & adæquatio, 1. sent. d. 19. quæst. 5. articulo 2. ad secundum, ergo falsum est quod veritas Sacræ Scripturæ sit mensura rerum, quæ in ipsa ennunciantur.

Item ex eodem Angel. D. p. p. qu. 16. artic. 7. & 8. veritas dicitur primò de intellectu, de ennunciatione vero, in quantum est signum ejus, de re autem, ut est causa ejus, ex quo duo inferuntur; primum quod in Sacræ Scripturæ ennunciatione non datur formalis veritas, sed ipsa tantum est signum ejus; secundo, quod res, de qua est ennunciatio sit causa veritatis, quæ est in intellectu per se primo, & consequenter in ennunciatione tamquam in signo, quæ est doctrina universalis, nec est planè assignabilis diversitas inter propositionem

D Sacræ Scripturæ, & aliam prolatam a philosopho naturali. Si enim philosophus dicat, terra in æternum stat, hujus veritas mensuratur a perpetua terræ firmitate, ergo cum hanc ipsam dicit Scriptura, eodem modo ejus veritas mensuratur ab eadem firmitate terræ.

Resp. Divum Thomam, eo loco comparare veritatem cum intellectu, in quo est, & quia est ipsa adæquatio, & mensura inter intellectum, & rem, optimè dixit non esse mensuram, utique intellectus, sed potius ejus commensurationem, seu mensuram ut qua, non ut quæ, nos autem loquimur in eo sensu, in quo multoties idem Angel. cum philos. dicit, eo quòd res est, vel non est oratio dicitur esse vera vel falsa, quod est dicere, mensura seu causa veritatis, quæ est in intellectu,

est

est esse rei cognitæ, & ennunciatæ, quæ, si est, ut concipitur, & dicitur; facit veram esse propositionem, si non est, falsam declarat, & in hoc sensu dicimus, è converso rem se habere in Scriptura, nam potius ex eo cognoscimus, rem aliquam vere esse, quia Scriptura hoc dicit, quia veritas Scripturæ non est ex rebus, sed est divina, & veritas ipsius Dei, cui numquam repugnat D. Thomas.

Ad secun. instantiam, concedimus, universaliter verum esse, quod veritas dicitur primò de intellectu, maximè divino, quod potius confirmat nostram conclusionem, quommodò verò dicatur de ennunciatione, jam supra vidimus, ex eodem D. Thom. quæst. unic. de veritate sæpè citata, & ex hoc eodem artic. 7. ubi dicit, *in voce est verum objectum ennunciabile, quia significat veritatem intellectus*, nam certum est, quod ennunciatio Sacræ Scripturæ, non est divina veritas, sicut non est Deus, cum sit quid productum, sed aliud est, quod Sacra Scriptura sit divina veritas, aliud quod veritas ipsius, sit divina veritas, primum numquam diximus, secuodum verum est, quia cum Sacra Scriptuta sit significatio intellectus divini, alia veritas in ipsa esse non potest, nisi veritas intellectus divini, in ipsa autem non est sicut forma informans, sed sicut significatum, in propria significatione, quæ ab ipso est, & ipsum significat, nec aliam habet veritatem, quia significatio tota, est propter significatum, idest ut sit indicatio ipsius; 2. propositio, & illatio apertè concludit tantum de humana ennunciatione, non verò de divina, cum certissimum sit, veritatem divinam non mensurari a rebus. Ad probationem superadditam dicimus, quod sicut una propositio v. gr. terra est rotunda, si sumatur per respectum ad diversas scientias, potest habere diversas species, & deduci, per diversa principia, & media, ita etiam ista, terra est æterna, si sumatur secundum diversos intellectus, habet veritatem diversimodè mensuratam, nam ut dicitur a philosopho, ejus veritas mensuratur a perpetuitate terræ, si dicatur a Deo, eadem ejus perpetuitas mensuratur ab intellectu divino, immò talis perpetuitas non esset, nec posset esse mensura illius propositionis dictæ a philosopho, nisi prius mensuraretur ab intellectu divino, a quo habet, quod ita sit, & quia enounciatio Sacræ Scripturæ nihil aliud est, nisi expressio hujus mensurationis, & dependentiæ, quam habet perpetuitas terræ ab intellectu divino, ideo ejus veritas est ipsa veritas divina, immensurabilis a rebus, ipsasque mensurans.

Obiicies ultimo contra totum id, quod hactenus a principio diximus. Non datur in Sacra Scriptura veritas divina, & prob. nam veritas divina est invariabilis, æterna, & non subjecta humanis erroribus, vel perversitati, & nequitiæ hominum, atqui veritas Sac. Script. habet omnem hanc defectibilitatem, ut sit variabilis, possit perire, & corrumpi ejus textus, vel ex errore, vel ex malitia, ergo &c. Major est certa, prob. min. ipsa Sacra Scriptura, in qua tamquam in proprio signo adest talis veritas, habet hanc defectibilitatem, ergo etiam, veritas, quæ est in ipsa, patet conseq. quo enim modo signum deficit in se ipso, desinit, & deficit eodem modo veritas significata, prob. autem ant. dantur de facto, versiones admodum diversæ, ac variæ, quæ nequeunt concordari, & ipsi additum fuit, aliquid, nempe novum testamentum; secundum aliquos, aliquando tota periit, postmodum verò ab hæreticis corrupta fuit, ut patet in impressionibus Basileæ, immò ex imperitia impressorum aliquando intolerabiles, in ea accidunt errores, ergo &c.

Resp. neg. assumptum, ad prob. conc. maj., & neg. min. ad prob. dicimus, quòd etsi materialiter acceptum volumen, seù codex Sacræ Scripturæ possit variari, aut destrui, immò, & varietur, (non tamen formaliter) & tunc non erit amplius vera Sacra Scriptura, & per accidens deficiet significatio illa, in qua est divina veritas, sicut proportione servata, cum hostia consecrata, continens verum Christi corpus, ab hæreticis comburitur; ad desitionem accidentium, desinit esse ibi Corpus Christi, quia verè desinit esse hostia consecrata. Quæ solutio, ut patet plenè solvit instantiam, quoad hanc partem, quatenus in sua probatione dicit Scripturam esse variabilem, vel variatam in diversis editionibus, vel corruptam ab hæreticis, vel etiam errore librariorum, cui addendum ad præveniendum aliud quæsitum, quod si variatio, vel corruptio est quoad articulum aliquem, ex substantialibus fidei, vel directè, vel indirectè, ut proponuntur ab Ecclesia, tunc totus liber ille desinit esse vera Sacra Scriptura, sicut dicitur de hæretico, qui discredit unum similem fidei articulum, alios autem confitetur, quòd ex hoc ipso ammittit fidem Theologicam, ita liber ille Sacra Script. suo modo, & proportione servata non est, nam veritas fidei, quæ est ipsa veritas Sacræ Scripturæ est omninò una, reliqua verò quæ essent, in eodem libro non corrupta, non propterea negari possent, sicut nec hæreticus, quia negat unum propterea explicitè negare potest alios fidei articulos. Si verò corruptio fortè contigerit, in aliquo tantum accidentali, quòd non inferat falsitatem, tunc quia erit error, impertinens ad veritatem propriam Sac. Script. ex se patebit, & intactam relinquet ejus veritatem, sicque adhuc illa remanebit verè Sacra Scriptura. Quoad hæc, inquam, soluta manet objectio, quantum verò ad aliam partem, quod possit tota perire, sicut aliqui dicunt, quod aliquando tota periit, quoad omnia exemplaria, negatur, sicut enim suo loco vidimus numquam tota periit, & ad divinam spectat providentiam, ne umquam tota pereat, aut perierit, immo esse non potest, quod tota omnino pereat; sic enim contra divinam promissionem portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam, & videretur fides deficere; quod si per possibile, vel impossibile perirent omnia exemplaria materialia, adhuc remaneret formale exemplar in corde Ecclesiæ, & in moribus, ac cognitione fidelium. Sicut etiam illi, qui dicunt, quòd in incendio Hierosolim., & captivitate Judæorum, omnia exemplaria perierunt, tamen in Esdræ memoria, qui eam reparavit

vit remansisse incorruptam non negant, ad id verò, quod dicunt, deficiente signo deficere veritatem significatam, neg. quia veritas non est in signo, quasi in aliquo, a quo in esse dependeat, sed in illo, ut manifestetur, unde deficiente materiali signo, deficit materialis ejus manifestatio, & sic potius deficit aliquid nobis, ad quos missum est tale signum, ut in illo veritatem cognoscamus, quam veritati, quæ semper eadem est in se ipsa, & in esse veritatis, sive manifestetur, sive non, sive cognoscatur, sive non; ubi obiter advertendum, quod quando agimus de Sacra Scriptura, ut in superioribus, eam sumimus formaliter, non materialissimè, ut est hoc præcisè, vel illud exemplar, quia vero eam habere non possumus, cum simus adhuc in materia, nisi per media hæc materialia, scilicet exemplaria, ideò ab illis nos dependemus, ut eam formaliter cognoscamus, & proinde etiam de ipsis exemplaribus aliqua tangimus. Quapropter, ut quoad hoc etiam quantum possumus, veritatis notitiam tradamus (quod petere videtur hæc objectio) operæ pretium erit, ad complementum doctrinæ aliqua capita subnectere de hac materia.

CAPUT II.

De diversis versionibus seù translationibus, aut traductionibus Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

Generalem habens notitiam.

CUM supposito Concilii Tridentini Decreto, quo bibliam vulgatæ editionis dumtaxat, ut supra vidimus, canonicum textum esse decrevit, nulla appareat necessitas fundendi calamum in hac materia, cæteras Sacræ Scripturæ versiones, ac editiones curiosius discutiendo, ideò brevi earum tradita notitia, quantum opus est, ne omninò remaneat trunca tractatio, etiam, quoad hanc partem, ad fusiorem de illis eruditionem, lectorem remittendo, rem hanc concludemus.

Vetus testamentum hebraicè scriptum esse a principio, sivè a primis Scriptoribus communis affirmat opinio, at quia in captivitate Babylonica facta idiomatum mixtione, hebræi videlicet, & Caldæi, resultavit quoddam tertium, quod Syriacum dictum est, eo quod post reditum è captivitate, in Syriam, eo vulgariter uterentur hebræi, jam ex eo tempore hebræum, & Syriacum, pro eodem ferè sumuntur, ideoque libri, qui post talem reditum scripti sunt, ut Ecclesiasticus, & Machabæorum dicuntur hebræa dialecto, etsi verè Syriacè fuerint, conscripti. Vel ergo largè, vel strictè sumendo hebræum idioma, eo Testamenti veteris universi Autographa constiterunt. Ita græcè totum novum Testamentum, a primordiis constitit, excepto Matthæi Evangelio, quòd hebraicè, seù Syriacè, & epistola ad Hebræos, quam pleri-

A que pariter hebraicè conditam esse, alii autem pauci græcè dicunt, dubitantque etiam de epistola ad Romanos, an latinè, sed verius, & ipsa græcè, quia sicut nunc latina, ita tum græca lingua, erat notissima, & universalis.

Quia verò pluries a primævo locutionis genere, in alienum, a pluribus tota Sacra Scriptura translata est, plures emmersere versiones, quarum aliæ a suis auctoribus; aliæ ab idiomate, ad quod translata est biblia, sortitæ sunt nomen. Primi generis est versio 72. Interpretum dicta, ita & illa Aquilæ, alia Simachi, hæc Theodotionis; plures Origenis, aliorumque respectivè Patrum nuncupatæ. Secundi generis sunt Syriaca, Caldaica, Samaritana, Arabica, Græca, vernacula dicta, quæ multiplex est, latina, quæ pariter non una est,
B & vulgata denique latina, sic ex communi usu, & acceptatione omnium appellata. Aliæ etiam recensentur, de quibus in decursu dicetur.

Sed primo quæres: an Sacra Scriptura, in aliam linguam ab ea, a qua composita est translata, sit verè Sacra Scriptura, & an sit expediens, quòd transferatur.

Contra Judæos, & hæreticos dicendum est, Sacram Scripturam etiam translatam ad aliam linguam, non ammittere absolutè suam auctoritatem, dummodo sit approbata. Prob. Verbum Dei ad omnes gentes missum est, Christus enim inquit Apostolis, prædicate Evangelium omni creaturæ, idest vel omni homini, ut intelligit D. Gregor. vel omni nationi, ut alii intelligunt, quod idem est, &
C propterea dedit Spiritus Sanctus donum linguarum Apostolis, aliisque viris Apostolicis, ut legitur etiam de Divo Francisco Xaverio, & similibus, atqui non omnes gentes, eam linguam, in qua Sacra Scriptura condita est intelligunt, ergo necesse fuit eam aliis etiam linguis conscribere, suamque adhuc retinere auctoritatem, ut veram fidei regulam sine hæsitatione omnes gentes perciperent, quod confirmat Apostolus, *ad Roman. 15. quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, dixerat autem antecedenter. *Non est distinctio Judæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes*. Confirmatur. In ordine naturę dedit Deus omnibus librum creaturarum, in quo legant omnes, sui Creatoris potentiam, de quibus dicitur *non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audian-*
D *tur voces eorum*, ut intelligit Chrisostom. hom. ad populum Antiochenum, voluit ergo etiam in ordine gratię librum Scripturarum, omnibus manifestum esse, & communicari, ut docet August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 5. hoc autem fieri nequit, nisi Scriptura in alias linguas transferatur, trahendo secum propriam auctoritatem, ergo &c. Hoc autem intellige, dummodo, & illa translatio approbata sit ab Ecclesia; quamvis enim verum sit, quod si est sincera translatio, est idem formaliter Verbum Dei, quoad se, & velut in actu primo, etiam quoad nos, tamen quia sub hoc prætextu, & licentia, hæretici errores intruderent, requiritur judicium Ecclesię, non quidem novum condentis canonem, sed affirmantis, nullam esse in translatione, ab originali veritate dissonantiam.

At Judęi ob infensissimum animum, contra Christianos, quibus invident veritatem, negant licere hanc translationem, unde ut refert N. P. Dominicus in Biblioth. lib. 3. sectione 1. cap. 78., in quodam eorum libro, dicto Orach Chaim, idest via vitę, legitur quod quidam Rabbini, indixere solemne jejunium quotannis, ad expiandum piaculum commissum, ab Interpretibus 72. qui Scripturam in gręcum transtulerant. Sed nulla ratione nituntur. Impugnantur tamen ad hominem; ipsi enim summè venerantur paraphrasim Caldaicam, teste Scalante lib. 6. de utilitate Sacrę Scripturę ergo id venerantur, quod nec licet secundum ipsos, nec servat auctoritatem. Confirmatur, nam in Talmud. in tractatu de Sabbato, cap. 9. habetur: omne, quòd eggressum est ab ore Domini, divisum est in 70. linguas &c.

Hęretici etiam, sibi hac in re contradicunt, qui ad tuendos suos errores, in hoc maximè laborant, ut novas inducant bibliorum versiones, in quibus facilè textum corrumpunt legitimę veritatis.

Hic tamen advertendum, catholicam nostram conclusionem intelligi debere, sano modo, non enim dicimus in omnes linguas vertendam esse Scripturam, ubi non opus sit ad finem, ex quo probata fuit conclusio, sed ad communicandam fidem, & Ecclesia consentiente, unde quia hoc alias necessarium fuit, translationem 70., miraculo Deus comprobavit, ut videbimus, cæterum in omnibus standum est regulis Indicis, ac primum Concilii Tridentini, maximè quia nostris temporibus, apud nos, firma fide, talis necessitas novæ versionis non habetur.

ARTICULUS II.

De Hebraica editione.

QUæres secundò, an editio hebraica, quæ nunc est, veram Sacram Scripturam contineat. Respon. canonicam nunc esse nemo dicet inter Catholicos, cum declaratum sit, ut pluries dictum est, in Tridentino, solam vulgatam talem esse, ast etiam certum esse debet, quòd ubi constaret, eam cum suo Autographo in omnibus convenire, veram Sacram Scripturam contineret; approbatio enim vulgatæ significat vulgatam, cum vero Autographo Divini Verbi convenire, si ergo idipsum constaret legitimè de hebraico textu, qui nunc extat, utique eodem modo diceretur vera Sacra Scriptura, unde quæstio, ad hoc reducitur, an constet in sua puritate.

Dicendum est, textum hebraicum, qui nunc est, priorem integritatem, quam habebat ante, & usque ad tempora Hieronymi, & Augustini, non habere. Probatur, Ecclesia talem textum non recognoscit, ut canonicum, immò ipsum saltem in genere excludit, solam approbans vulgatam editionem, ergo non habet requisitam illam integritatem, si enim eam haberet, jam contineret verum Verbum Dei, quòd est impossibile ab Ecclesia non approbari; & ideò hanc conclusionem tuentur Lorca tract. de locis Catholicis lib. 1. distin. 5. Rua controv. 2. Driedo lib. 1. de dogmatibus, cap. 2. Sixtus Senen. lib. 8. hæres. 2. Bellarminus lib. 2. cap. 3. cæterique plures, quos citant, & sequuntur. N. P. Anton. loco citato, dub. 6. num. 50. N. P. Dominicus, loco citato cap. 79. conclus. 3. Major autem probatio ea est, quam adduximus, & factum ipsum concordat, adducunt enim præcitati Doctores loca quædam particularia, in quibus textus hebræus non concordat, cum nostra vulgata, ex quo sic arguitur; nostram vulgatam examinavit Hieronymus, pluribus in locis, ad hebraicam veritatem, eamque ad talem regulam, purissimam, vel invenit, vel reddidit, ergo si nunc textus hebræus a nostra discordat, pariter etiam ab antiqua hebraica veritate discordat, per regulam infallibilem. Quæ sunt eadem uni tertio &c. discursus patet, si verum est; quòd aliquibus in locis detur hæc dissonantia; sufficit autem una vel altera. Talis est in illo Psalmo 21. apud nos: in hebr. autem 22. ubi pro Caru, idest foderunt, perforarunt, vel fixerunt, ut explicat Malvenda, legunt caari, idest sicut leo, ubi Forsterus, in radice cur paginæ, 373., ait forsasse propter aliquod mysterium, Jod scripta est pro Vau, aut certè malitia Judæorum, quòd est verosimilius, depravatum est, ne confiteri cogantur, hanc in Christo prophetiam completam esse. Similiter etiam Amos 2. ubi nos legimus, pro eo, quod vendiderit pro argento justum, idest Sadich ipsi legunt, Sedech, idest justitiam, videantur notæ Xantis Pagnini, Fœlicis Parrensis, Augustini Eugubi., Genebrardi, & Malvendæ, super hunc & alia loca similia. Item Antonius Perez in pentateu. fid. vol. 3. dist. 5. cap. 6. Scalant., in elyp. lib. 5. cap. 26. Bellarminus in sua grammatica hebræa, p. 1. cap. 2., & alii cum plures.

Verum tamen est, non omnia exemplaria, rationabiliter dici posse corrupta, cum sit impossibile, ad omnia manum hebræos extendisse, quæ erant apud Christianos, sed quis scit, quænam integra omninò, quænam corrupta? plane sufficit hæc suspicio, ne aliquòd ex illis sit infallibilis regula fidei, ut inquit N. P. Domin., & certè Ecclesiæ in hac re nulla est sententia, asserens integritatem in aliquo ex illis.

Dices, etiam de vulgata non determinavit Ecclesia, de tot exemplaribus per orbem dispersis, quænam integra sint in individuo, ergo est eadem ratio utrobique.

Respon. Ecclesiam declarasse vulgatam correctam, nunc extantem, esse fidei regulam, quod de hebræa nunc extante nusquam decrevit, insuper summa diligentia, eam corrigi jussit, & aliqua correctæ impressionis exemplaria comprobavit, ut videre est initio ejusdem vulgatæ, impressæ in Typographia vaticana, nec requiritur in individuis singulis exemplarium, novum decretum, quo fiat canonicum, satis enim est Ecclesiæ, regulam proposuisse, qua discerni possint; cætera spectant ad fidelium disciplinam. Cum hoc tamen stat, textum hebræum, etiam qui nunc est, spernendum non esse, quin potius non modica auctoritate pollere, super alias peculiares translationes, seù editiones, præter

præter vulgatam extantes. Ita N. P. Dominicus loco citato, conclus. 2. in quod inclinat Beda, in Psalm. 56., & deducitur ex Augustino, Psalm. 40. in illum versum Benedictus Dominus Deus Israel, quorum auctoritates, sicut & plures Hieronymi, huc spectantes, etiam posita mutatione, quæ evenit ab eorum tempore, usque ad nostrum, nunc etiam ad rem faciunt, ut legenti constabit, & ratio est, quia non omnia exemplaria sunt impura, immò hoc est impossibile; de antiquioribus autem nec est dicendum, quòd aliquod sit corruptum, maximè de his, si quæ extant impressa, ante inventam punctuationem hebræorum, quod contigit, anno a Christo nato 512. apud Tiberiadem, &c. ex qua omnes ferè errores in hebræis exemplaribus originem trahunt, & aliam addit rationem P. Dominicus; sicut enim, inquit, ex aliquibus, in quibus hebræa differt a nostra vulgata, eam deducimus esse depravatam, ita ex eo quòd in majori parte, & ferè in toto conveniat, cum eadem vulgata, arguendum est, eam magnæ esse auctoritatis, & ex majori parte integram permansisse &c.

Quod diximus de textu hebræo, qui nunc est, quoad vetus Testamentum, idem proportione servata dicendum videtur, de textu græco quoad novum Testamentum, nam, & iste in aliquibus depravatus est, quia id effecit in græco hæreticorum malitia, quòd in hebræo, Judæorum protervia, & utrobique idem præstitit librariorum oscitatio, & ignavia, ac nostrorum temporum utriusque nobilioris hujus linguæ imperitia, & certè aliqua ad sensum patent valdè corrupta & immutata, nam ad Romanos 12. ubi in vulgata habetur *Domino servientes*, Græci codices, habent, *tempori servientes*, quòd est dictamen Machiavelli iniquissimi. Atheistarum, & Hæreticorum. Item prima Chorin. 7. variant notabiliter græci codices, a vulgata. Deest in græcis, Joan. 8. historia adulteræ, & Marci cap. 11. verba illa, quę in vulgata legimus, *quod si non dimiseritis, nec Pater vester &c.*, & totum caput ultimum ejusdem Evangelii. Plura circa hoc dicunt Tertullianus contra Marcionem, lib. 5. Epiphan. hęr. 42., & Sixtus Senens. heresi 1. quamvis non eodem modo omnia exemplaria greca sint depravata, maximè usque ad tempus Ambrosii, & Augustini &c. auctotitatem igitur aliquam habent, sed magno examine perlegenda, ut consulunt omnes ferè Doctores.

ARTICULUS III.

De translatione septuaginta Interpretum.

QUęres tertio de translatione 72. Interpretum, quomòdo fuerit facta, & an fuerit, & sit canonica.

Respond. quoad primum, juxtà communiorem sententiam, Aristeę, Josephi, Philonis, Athanasii, Epiphanii, aliorumque, factam fuisse tempore Ptolemęi Philadelphi, anno ejus 17. ante Christum 291. ità ex pręcitatis Auctoribus. Hic bibliothecam regiam, quęsitis quaquaversum in toto ter-
A rarum orbe, voluminibus quingentis millibus, a Judęis Sacram Scripturam obtinuit, quam, quia hebręa lingua ignota ipsi erat, ad grecum transferri curavit, utque hoc obtineret, centum millia Judęorum captivorum, dimisit libera, teste Scaligero, obtinuitque ad hoc, ab Eleazaro Pontifice magno, Seniores 72. doctissimos, Principes Synagogę, & ex Concilio magno Sanedrin, senos nempe de singulis Tribubus, totidem enim, & Moyses habuit, ex jussu Domini in suo senatu, quibus Deus, Moysis spiritum diviserat, ut notat Epiphanius, hi peritissimi hebraicę, & gręcę linguę, quę tunc gentium ubique notissima erat, congregati, secundum aliquos in totidem separatis cellulis seorsim, per 70. dies, translationes totidem numero confecerunt, quę omnes ad minimum us-
B que apicem fuerunt unica tantum, vel ut scribit Epiphan. *bini, & bini in singulis cellis, transtulerunt, per eadem prorsus verba, & apices.* Hieronymus, has septuaginta cellas, ab errore fabricatas, irridet. Alii Hieronymo adhęrentes dicunt, simul omnes quasi in Concilio convenientes, brevi illo tempore tantum opus, miraculoso, in multitudine consensu perfecisse. Quęlibet tamen sententia, miraculum asserit, de quo August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 7. &c., & multoties Hieronymus.

Quantum ad secundam partem quęsiti, satis est id, quod dicit Hieronymus, pręfatione 1. in Paralipom., scilicet quod si versio 70. integra haberetur, ut ab illis edita fuit, frustra ipse laborasset, in bibliis transferendis, & in pręfatione 2.
C ubi; 70. *Interpretes, Spiritu Sancto pleni, quæ vera sunt transtulerunt.* Et in apologia contra Ruffinum protestatur, se numquam septuaginta Interpretibus detrahere voluisse, unde si alibi videtur, ipsos reprehendere, clarum est, quod vitia intrusa, non ipsorum opus accusat; consentiunt etiam communiter in hoc SS. Patres, ex quo habetur, talem versionem, quousque integra fuit, fuisse canonicam, & in iis partibus, in quibus etiam nunc, ita convenit cum vulgata, ut videatur hęc ab illa desumpta, eandem servat auctoritatem, non quòd vulgata ab illa sit, sed quia in illis, cum vulgata concordat, cęterum quoad totum, nunc verè non esse canonicam, cum non sit ipsa vulgata, immò nec ipsa translatio 70., cum vitiata sit. At quia,
D ut bene notat N. P. Dominicus, loco citato, nu. 80., conclus. 3. talis translatio, in substantia non discrepat a vulgata, in materia fidei, & morum, & integra est, quoad ista, magnę adhuc est auctoritatis, tum quia aliquando fuit canonica, & per multos annos, Ecclesia, ipsa utebatur ante tempora Hieronymi, tum quia Christus, & Apostoli ea usi sunt, citantes ex ea textus Sacros, ut Augustin. 15. de Civitate Dei, cap. 14., & Hieronymus, pręfatione in Evangel., tum propter communem Patrum ęstimationem, tum propter miraculum, quo Deus ad ipsam comprobandam concurrit, ac denique quia a Sixto Quinto diligenter correcta, ac restituta, ad emendatissimorum codicum fidem, ei solum Ecclesię Decretum deest, ut in actu secundo sit canonica &c.

An verò omnes Sacræ Scripturæ libros, præter Machabæorum, qui nundum tunc extabant, verterint 70. Affirmant Justin. in Dial. cum Triph. Iræn. lib. 3. cap. 25. Clem. Alexan. lib. 1. strom. Epiphan. aliique; & etiam Hieronymus, id facto probat, etsi aliquando visus sit dubitare, nam ipse citat ex ipsis testimonia, desumpta ex aliis libris, præter pentateuchum, quem solum, aliqui dicunt, ab ipsis fuisse translatum, idipsum dubitante Hieronymo, inquiunt hebr., sed jam communis sententia est, quod totum vetus Testamentum transtulerunt.

ARTICULUS IV.

De aliis translationibus græcis.

Quæres quartò, quænam, & quales, sint aliæ translationes, seù editiones græcæ, & quæ earum auctoritas.

Editio 70. ante Christi adventum prodiit, ut vidimus; post illum prima Testamenti veteris fuit Aquilæ, hic in Synope Ponti natus, ann. 120, post Christi nativitatem, Sixto Papa, Adriano Imperatore, cui carus fuit ob eruditionem Mathematicam, ac ab eo præfectus extruendæ Hierusalem a Tito dirutæ, quo præstito, in Christum credidit, sed post baptismum, Genethliacis artibus nimium intentus, ob idque a Patribus increpatus, ac se se illis opponens, ab Ecclesia pulsus est, ob quam ignominiam, a Christianismo transiit ad Judæos, a quibus circumcisus, & hebræum Doctus, proselytus interpretatus est græcè scripturas, de verbo ad verbum, translationem tamen 70. variavit, ut testimonia de Christo, ab illis desumpta confunderet, & ita de Christianis ulcisceretur.

Secunda post Christum translatio, fuit Symachi Samaritæ, qui non valens obtinere principatum, defecit ad Judæos, bis circumcisus, at cum ex hoc inglorius viveret, ad Christianos transiit, sed Ebionita fuit, juxtaque hoc dogma, commentatus est Evangelium Matthæi, ut illud hoc prætextu firmaret, nempe Christum purum hominem fuisse, sumpta occasione ex principio Matthæi; Hic ita Scripturam in Græcum transtulit, ut sensum de sensu, non verbum de verbo exprimeret; claruit anno Domini 290., Severino Papa, & Septimio Severo Imperatore.

Tertia Thedotionis Pontici, vel Ephesini, non enim in hoc concordant Doctores; hic primo Christianus, sed Tatiani, & Marcionis labe infectus, demum transiit ad Judæos, ab iis hebraicè eruditus, tertiam sub Severo eodem Augusto edidit, in græcum Scripturæ versionem, aliqui cum Bellarmino hanc tempore præferunt versioni Symachi, sed parum interest. His tres versiones, in odium suorum auctorum, qui omnes Apostatæ fuerunt, Ecclesia reiicit, quamvis non ex toto, nam Danielis interpretatio, quam Ecclesia legit, Theodotionis est, teste Hieronymo, præfatione in Danielem, quæ versiones, ut patet non sunt de novo Testamento, hoc enim primò græcè scriptum est, præter Evangelium Matthæi, quòd etsi hebraicè conscriptum, statim in Græcum, vel ab ipso Matthæo, vel ab Apostolo Jacobo, ut vult Athan. in synopsi, & Evangel. Marci, quod quidam dicunt latinè primò scriptum, & statim ab eo, Aquilejæ, vel ab Apostolicis viris translatum, & Epist. ad Hebræos, quæ pariter statim in græcum traducta fuit.

Quarta editio græca, sine nomine auctoris, tempore Antonini Caracallæ, reperta est in Hierico, ab Origene, quæ dicitur Hiericuntina, qui, & aliam invenit, sine nomine, in littore Attico, apud Nicopolim, quæ ideo dicitur Nicopolitana, quæ inventæ fuerunt in doliis inclusæ, ex quibus omnibus Origenes, mirum opus, magno labore composuit, nam primo fecit exapla, nempe sex columnas, in qualibet pagina; in prima ponit textum hebraicum litteris hebraicis, in secunda, eundem describit litteris græcis, propter eos, qui hebræum non callent. In tertia interpretationem Aquilæ. In quarta Symachi. In quinta 70. Seniorum, in sexta Teodotionis; indeque hæc exemplaria, ut notat Eusebius, Exapla appellantur, sicut & tetrapla ob quatuor interpretationes, ut dictum est. Post hoc opus, idem Origenes, iterum composuit Octapla, in quibus, in singulis paginis distinguit octo columnas; in primis sex eundem tenet ordinem sicut in exapla, sive tetrapla, in postremis duabus addit distinctè has duas translationes a se inventas in doliis, quæ quia sine nomine Auctoris sunt, quintam distinguit per litteram E quæ apud Græcos significat S, sextam verò per Z, quæ apud eosdem significat B, & propt. octo columnas hoc opus dicitur octapla, *quod opus Origenes, qui in tot erravit, solum utiliter fecit*, inquit, Epiphanius.

Sexta fuit Origenis; qui non quidem transtulit, sed versionem 70. emmendavit, plura miscens ex Teodotione, ex quo quasi nova versio apparet, asteriscis signans ea loca, ubi minus erat, obelis verò, seù virgulis, superflua. Quæ editio brevi tempore omnes bibliothecas replevit, & valde approbata fuit, teste Hieronymo Ep. 98. ad Augustinum, quæ est 11. inter epistolas Augustini, eamdem communem appellari solitam, & Palæstinam, idem testatur, præfat. ad lib. 16. in Isaiam, & in Paralypomen. quia Palæstini ea utebantur; & Syri.

Septima fuit S. Luciani Martyris, primum presbiteri Antiochiæ, deinde Nicomediæ, vel secundum alios, Antioch. Episcop. obiit Martyr in persecutione Diocletiani; anno Domini 280. Hic inveniens errores aliquos irrepsisse, in editione septima, eaque diligentissimè collata cum hebraico textu, versionem propriam fecit valdè similem versioni 70. Interpretum, quæ ipsius manu descripta, reperta est Nicomediæ, in quadam turris calce illita a Judæis, ut tradit Hieronym. in præfatione ad psalter. Hac, teste eodem, de Scripturis Ecclesiasticis, utebatur Ecclesia, a Constantinopoli ad Antiochiam, dicta fuit vulgata, & communis, item etiam Lucianea a suo Auctore.

Ultima fuit, Esychii Monachi Palæstini Abbatis, amicissimi Sancti Hilarionis, ejusque hæres.

Hic

Hic æquè studiosus Sacræ Scripturæ, & græcæ dictionis, peritus, novam condidit versionem totius Sacræ Scripturæ, partim ex septuaginta Interpretibus, a se emmendatam in veteri, partim verò, ad propriam veritatem redactam, suo labore in novo.

Novem igitur sunt versiones Sacræ Scripturæ in græcum idioma, connumerando etiam illam 72. Interpretum; de auctoritate primarum quatuor satis dictum est, de aliis, ut sine errore, & disputatione procedamus, dicendum est, tantam habere auctoritatem, apud nos, quantam habent propinquitatem cum nostra vulgata, quam solam canonicam profitemur. Quoad textum græcum novi Testamenti, qui nunc circumfertur, ium supra dictum est, sicut & de hebræo. Unicum autem textum græcum novi Testamenti nunc habemus.

ARTICULUS V.

QUæritur, quæ sit auctoritas aliarum editionum, quæ variæ sunt, & denominantur a linguis, in quas versa fuit Scriptura.

Respondemus quoad paraphrasim Caldæam, circa quam plures DD. prolixas texunt quæstiones, quæ ad rem nostram non faciunt, dici, fuisse compositam, vel ab Ezechiele Propheta, ut quidam Judæi tenent, absque fundamento, vel a Jonata Benusiel Judæo. Uti asserit Jacob. Episcopus Christopolitanus, in *Psal.* 20. Communius tamen attribuitur tribus Rabbinis Judæorum, R. Aquilæ, de quo supra dictum est, R. Jonathæ, & R. Joseph cæco, sed quidquid sit de hoc, quamvis hebræi, eam velut oraculum habeant, ideoque ad eos convincendos ad hominem, in pluribus valdè juvet, tamen canonicam non esse, certissimè tenendum est, atque absolutè ea excepta, quæ est, in Pentateuch. nullus est auctoritatis in Ecclesia, quia, ut ex Francisco Ximenes Cardinali, in præfatione Complut. Bibliorum, in quibus propterea solum Pentateuchum reposuit, dicit N. P. Dom. loc. cit. cap. 82. concl. prima, Judaicis fabulis, & nugis Talmudistarum conspersa est, & quamvis, ut advertit Burgensis in tractatu de eadem paraphrasi, deserviat ad intelligentiam eorum, quæ magis obscurè habemus, in græco, & in nostra vulgata, ac ad multa alia, tamen ob datam rationem, ad solidum aliquod argumentum non deservit, dicitur autem Targum, quod significat paraphrasim, etsi aliquando hoc nomen pro versione sumatur, porrò Targum triplex est, secundum triplicem dialectum Caldæam, prima est Babylonica, primæva, & elegans, qua usi sunt Daniel, & Esdras; secunda, quę usui fuit Judæis, in Babylonia, & multis annis etiam in Judæa, tertia, Syriaca, Hierosolimitana mixta, sive Syra Comagena, vel Antiochena; priore usi sunt Targumistæ, in paraphrasi Caldæa, & Talmudistæ in Talmud Babylonico; secunda, Targum Hierosolimitanum, confectum de libris Apocryphis, & alio Pentateuchi Hierosolimitani, tertia Targum, quod dicitur, editio Syriaca, quæ est distincta omninò a paraphrasi Caldæa, hæc lingua verè sancta, quia ea usus est Christus, sed per eam, soli libri Ecclesiastici, & Machabæorum, possunt esse conscripti, quia cœpit post solutam captivitatem, & multo tempore opus fuit, ad ejus stabilimentum, cum sit mixta ex hebræo, & Cald. habemus autem novum Testamentum, è Græco in Syriacum translatum, etsi primò tali lingua non fuerit scriptum, nisi fortè Evangelium Matth., & epist. ad Hebr. quam translationem, factam esse a Divo Marco, tenet Brugens. de usu Cald. paraph. de hac etiam apud Doctores constat, nedum non esse Canonicam, sed cum ipsi plura desint, & in pluribus sit depravata, minimæ esse auctoritatis, & multò minus, quam græca. Videatur N. P. Dominic., loco citato, cap. 83. Bellarmin., & Gravina, aliique Controversistæ, ac N. P. Anton. loco citato, dub. 8. num. 64., ac Sixtus Senen. unde alii plura dixierunt.

ARTICULUS VI.

QUæres 6. quot, & quænam sint latinæ Sacrę Scripturę versiones, vel editiones.

Respon. planè tot esse versiones, quot códices, ut conqueritur Hieronymus præfatione in Josue, unde sunt ferè innumerabiles, at nulla fuit facta immediatè ex hebręo, usque ad tempus Hieronymi præter eam, quæ constanter Ecclesia latina semper usa fuit, & dicebatur communis, sive Itala, sive vulgata, de qua August. *lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 15. in ipsis interpretationibus, Italacæteris præferatur, nam est verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ.* Hujus auctor omninò ignoratur, auctoritas tamen est ab immemorabili, & apertè constat, ex hebręo, non ex greco immediatè fuisse conversam, quia in omnibus, cum hebraica veritate concordat, a greco dissita in multis. At cum temporis injuria, & diuturnitate, multi irrepsissent in eam errores, Hieron. hortante Augustino ep. 10. Testamentum vetus in latinum vertit, ex greca versione 70. sed melius iterum aliam, ex hebręo composuit versionem, ut ipse testatur, *de viris illustribus: novum Testamentum gręcæ fidei reddidi, vetus juxtà hebraicam transtuli &c.* ex quo planè constat, quod novum Testamentum non trastulit, sed emmendavit, immò idipsum, idem sępius repetit, & præfatione in evangelia ad Damasum. *Ita*, inquit, *calamo temperavimus, ut iis tantum, quæ sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant; & epist. 89. ad Augustinum; si me*, inquit, *in novi Testamenti emmendatione suscipis &c.* & quamvis, ubi agitur de Auctore nostrę vulgatę, quę nunc extat, plures sint Doctorum opiniones, quę tamen communior est, asserit Pentateuchum, Josue, Judicum, & Ruth libros, item & libros Regum, Paralipom., Tobiam, Judith, Hester, Esdram, Prophetas omnes, Canticum Canticorum, Proverbia, & Ecclesiasten Salomonis, & libros Job, nunc legi in vulgata editione, sicut Hieronymus, non ex gręca 70. versione, sed ex hebręo transtulit, in latinum, exceptis 7. posterioribus capitibus libri Ester, & historia Susannę, Belis, & Draconis, & trium Puerorum hymno, in Daniele, quę cum in hebręo non reperiantur, tum ex gręca

ca communi, & usitata versione, tum a veteri vulgatà editione, vel ut alii volunt, ex Theodotione accepit, ut ipse testatur. Psalterium verò quod nunc legimus, non est illud, quod Hieronymus transtulit ex hebræo, neque quod vertit ex 70. sed illud, quod ipse emmendavit, ab antiquo Interprete acceptum, ex editione Sancti Luciani Martyris, novum verò Testamentum, quod nunc habemus, illud est, quod Divus Hieronymus adamussim græcę fidei emmendavit. Pluribus hæc rationibus supra citati Doctores suadent, nobis hæc una sufficit, scilicet quod primus omnium Hieronymus ex hebręo in latinum, scripturam vertit, & quod collata tota nostra vulgata editione, cum versionibus Hieronymi, & cum hebraica veritate, apertè constat, non posse aliter dici, ac nos hic statuimus. Ratio autem quare psalterium, a Hieronymo translatum ex hebręo, Ecclesia non sumpserit, hęc est, quia jam erat in usu, & memoria recitantium antiquum illud vulgatę, Lucianeum, ideò ad effugiendam novitatem, & difficultatem novi usus, satis fuit illud correxisse.

Remanent libri Ecclesiastici, Sapientię, Baruch, & Machabęorum, quorum versionem, non ex Hieronymo, sed de antiqua illa vulgata, Ecclesia sumpsit, nam Cyprianus aliique PP. Hieronymo antiquiores, ex his libris citant textus, ut sunt in vulgata, non igitur ex Hieronymi versione, nostra vulgata hos libros accepit, cum immò nec ipsos vertisse inveniatur, quippe tunc pro canonicis, horum aliqui non habebantur.

Nostra igitur vulgata, ut ex dictis apertè sequitur, est mixta ex translatione Hieronymi, de hebręo ad latinum, & ex antiqua illa vulgata, ab eodem correcta, & ab Ecclesia, vel supplente ejus correctionem, vel approbante, completa, ex quo quędam objectiones, quas apud citatos Doctores invenies, evanescunt.

Quęres 7. sint ne alię latinę versiones, alicujus momenti. Resp. esse quidem, sed non canonicas, & primo loco venit illa Xantis Pagnini, hortante Leone decimo cępta, & Clemente 7. juvante impressa, 25. annorum studio, quam etsi Genebrardus in pręfatione ad Origenem, aliqualiter pungat, tamen summè laudatur ferè ab omnibus.

2. Est Isidori Clarii Brixiani, ex Monacho Cassinensi Episcop. Fulginaten. qui ex hebręo Biblia in latinum vertit, ut dicit Tirinus, in cathalogo Auctorum; hęc tamen versio aliquibus non probatur, etsi aliis placeat &c.

3. Dicitur Vatabli, sed ejus non est, ut benè prob. N. F. Antonius, loco citato n. 76. & hęc eadem vocatur Tigurina, ex loco impressionis; arbitrantur plures, hoc opus esse Zuinglianorum, & Petri Cholini, ac Erasmi hęreticorum.

4. In bibliis Complutensibus habetur, ex Caldaica, a viris doctis translata.

5. Arias Montani, quoad novum, Pagnini quoad vetus Testamentum, & habetur in 2. Tom. apparatus adjuncti Bibliis regiis.

6. Fratris Thomę de Malvenda, Ordinis Prędicatorum, viri eruditione insignis, quam tamen ipse perficere non potuit. 7. Cajetani &c.

A Alias plures passim invenies, de quibus vide Basilium Legionensem q. 4. expositi. Leon. Castrens. disputatione de translationibus.

Harum tamen auctoritas, ut supra dictum est, tanta est, quanta & propinquitas, ad textum canonicum, tamen deserviunt cum magna utilitate, per modum quasi expositionis, ad venandos sensus proprios, ubi hi latent in nostra vulgata, nec aliter ab Ecclesia, tanta versionum multiplicitas concederetur, aut laudaretur; possunt igitur illę, quę suspectę non sunt ex suis auctoribus, valere tamquam expositiones intimę, quoad textum antiquum.

Ut autem tutius procedamus, quoad tantam multiplicitatem versionum, & quoad illas, quę vulgari sermone in singulis idiomatibus circumfe-
B runtur, & quoad Anglicas seù Poliglotas, sive alio nomine vocatas; melius resolvi quęstio non potest, quam regulas tertiam, & quartam Concilii Tridentini, a Pio quarto specialiter approbatas, per constitutionem, Incip. Dominici, die 24. Martii 1564. adducendo.

Regula tertia *librorum*, inquit, *veteris Testamenti, versiones viris tantum Doctis, & piis, judicio Episcopi concedi poterunt*, modo hujusmodi *versionibus tamquam elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tamquam sano textu utantur; versiones verò novi Testamenti ab auctoribus primæ classis hujus indicis factæ, nemini concedantur, quia utilitatis parùm, periculi verò plurimum, lectoribus ex earum lectione manare so-*
C *let &c.* prohibet deinde notationes vulgatę vel aliis versionibus junctas; nisi sint expurgatę; qua conditione, versionem Vatabli permittit viris piis, & doctis, judicio Episcopi, sicut & Biblia Isidori Clari, precisis prologo, & prolegomenis, & nemo eam vulgatam esse dicat.

Reg. 4. cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia, vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum, a Catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua, eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum recipere posse, quam facultatem in scriptis habeant. Qui
D *autem absque tali facultate, ea legere seù habere præsumpserit, nisi prius Bibliis, Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ verò, qui prædictam facultatem non habentibus Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant, aliisque pœnis &c. regulares verò non nisi facultate a Prælatis suis habita, ea legere, aut emere possint &c.*

His relatis, & Polyglottarum versionum examine controversistis relicto, si examine indigent, quæ impuræ, & ab hæreticis divulgatæ ad consecrandos proprios errores, in iisdem regulis omninò damnantur. Restat peculiares quæstiones, quę hic a Doctoribus excitantur, ac fusissimo calamo,

a mui-

a multis potius involvuntur, circa vulgatæ canonicæ inconcussam auctoritatem, breviter resolvere, cum pro omni resolutione, unicum sufficiat Tridentini Decretum hac de re suo loco a nobis, de verbo ad verbum relatum. Advertendum tamen hujusmodi quæstiones ab auctoribus catholicis, non ideo proponi, quia Ecclesiæ auctoritas ipsis non sufficiat, sed potius ad eandem illibatè tuendam, tum contra hæreticorum versutam pertinaciam, tum contra aliquorum scrupulos Catholicorum. Sit ergo

CAPUT III.

De auctoritate irrefragabili Nostræ Vulgatæ editionis.

ARTICULUS I.

Circa hoc notanda.

JAM supra ex communi sententia ostensum est, quòd aliquam scripturam esse canonicam, duo importat; primum, quod revera sit Verbum Dei, & opus Spiritus Sancti, 2. quòd interveniat Ecclesiæ declaratio, acceptantis ipsam, ut talem, scilicet ut Dei locutionem. Primum enim cognosci non potest a nobis, nisi per secundum, quia quamvis nemo dicat; quòd Ecclesia possit facere aliquam Scripturam esse a Spiritu Sancto; si semel illa non sit, quia tamen non potest esse, quod ipsa declaret, aliquam Scripturam esse a Spiritu Sancto, nisi hoc sit verum, ideò infallibile omninò est, eam Scripturam verè esse divinam modo dicto, quam talem esse Ecclesia statuit, & declaravit. Et ratio est, quia sicut Scriptura ideò divina est, quia in ea loquitur Spiritus Sanctus, ita Ecclesia errare non potest, ob eandem rationem, quia ut Joan. 14. de Spiritu Sancto ait Christus; *ille docebit vos omnem veritatem, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, idemque, qui in illa loquitur; huic suggerit, quidquid dixerit; ergo cum ipsa declarat aliquid, ei illud Spiritus Sanctus suggerit, & idipsum est, quod Christus dixerit, sibi assumens tamquam dictum prius a se ipso, id quod ipsa recitat, eodem Spiritu suggerente, & ne dicatur hoc esse posse ad tempus, eodem loco Christus dixit, *ut maneat vobiscum, in æternum*, & ut specialiter id intelligatur in ordine ad discernendam fidei veritatem, ideò addidit, *spiritum veritatis*; specialissimum igitur munus est Ecclesiæ immò Christi in ipsa, & immediatè Spiritus Sancti per ipsam, declarare, quænam sit Scriptura veritatis, Dei Verbum, regula fidei infallibilis, cumque id declaraverit sæpius, memorata sessione 4. Concilium Tridentinum, de nostra vulgata, jam auctoritatem ejus constat esse de fide, & quidquid continet, vel in toto, vel in parte, esse de fide. Patet totus discursus, ejusque veritatem, & consequentiam tuentur omnes Theologi Catholici, & Controversistæ, agentes de Ecclesia, & de Romano Pontifice, videantur inter alios Bellarminus

A lib. 2. de V. D. cap. 12., & Domin. Gravina, lib. 4. Catholicarum Præscript. N. P. Liberius, ac PP. Salmaticen. de fide &c. Quamvis tamen revera ita sit, aliquæ pulsant, huic veritati circumstantes quæstiones, & aliquæ eandem aggredientes objectiones.

ARTICULUS II.

Resolvitur brevis Quæstio.

QUæres, an auctor, seù Interpres nostræ vulgatæ, in tali opere habuerit ita specialem assistentiam Spiritus Sancti, ut non potuerit errare.

B Sanè, quod de facto non erravit, ita infallibile est, sicut ipsa auctoritas Ecclesiæ, quæ erraret, si errorem pro regula veritatis proposuisset, ergo de fide est, quod non erravit. Quòd autem potuerit errare, vel non, ita intactam relinquit Ecclesiæ approbationem, sicut, & Scripturæ veritatem, quia potentia sine actu, sicut absolutè distat ab actu, ita nihil vel prodest, vel nocet effectui; at quamvis ita sit, quoad rem in se, non tamen ita est, quoad hominum æstimationem, quæ metaphisicè non procedit, ideoque cum majori veneratione suscipit vulgatam editionem, si dicatur, quód ejus Interpres, nedum non erravit, sed nec potuit errare, quam si dicatur, non erravit, sed potuit errare, quia non habuit talem Spiritûs Sancti assistentiam, cum qua impossibile sit, errorem

C posse componi, & ratio est, quia communis æstimatio, se refert ad totum complexum operis, actionis, potentiæ, & auctoris, quia quoad ipsam, quodcumque ex ipsis reflectit supra aliud, propterea que divinæ providentiæ, ac sapientiæ digna fuit dispositio, qua omnes canonicos Scriptores, sanctos esse voluit, ne quid minimum imperfectionis redundaret in Sacram Scripturam, quæ ejus, moralem etiam minueret dignitatem, vel excellentiam; cum igitur sint duæ hac de re opiniones, altera affirmans talem assistentiam, altera negans; probabilior ex adducta ratione, evadit affirmans, quam tuetur Meleh. Cano lib. 2. de loc. cap. 14. Alphonsus Salmeron, Proleg. 3. Titelm. in apol. pro vulgata, aliique plurimi, qui dicunt, quod quamvis eum auctorem fuisse prophetam,

D absolutè non constet, habuit tamen specialiter donum interpretationis sermonum, quod quidem (addendum est) in gradu habuit valdè eminenti, sicut requirebatur, ad fidei regulam concinnandam, & quia Deus omnia fortiter, & suaviter disponit & consequens est in omni opere suo, qui voluit effectum ipsum, scilicet hanc vulgatam summum in dignitate, & veritate fidei, locum tenere, dono etiam astitit proportionato, & eminentissimo in sua linea, ejusdem auctori.

Cum istis igitur, probabilius sentiendum est, propter adductas rationes, seù probabilitates, & convenientias, scilicet ratione moralis æstimationis, & etiam proportionis ad Scriptores Sacros, ac tertio proportionis ad opus tam eximium, quę fortiter in sua linea videntur concludere, etsi enim non

non sint demonstrationes, sicut nec sunt illæ, quas opposita sententia producit, majorem vim habere debent, ex suo genere in præsenti quæstione, quam similes rationes habere consuescunt in aliis. Quia cum Sacra Scriptura ordinetur ad fidem, vel fides ad ipsam, tamquam ad revelationem sui objecti; cum fides prærequirat dispositiones ad credendum, quarum fortè præcipua est, magna æstimatio credendorum, & totalis credibilitas, ad quam adæquata infallibilitas summè juvat; illa utique in tali materia opinio censetur magis fundata, quæ supposita Dei summa sapientia, tribuit scripturæ majorem moralem æstimabilitatem.

Confirmatur, Sacra Scriptura, non solum non errat in his, quæ continet, sed nec errare potest; ergo ejus Interpres, nedum non erravit, sed nec errare potuit. Prob. consequ. tota perfectio Sacræ Scripturæ attribuitur Spiritui Sancto, qui nec errat, nec errare potest, quamvis utatur Propheta tamquam instrumento suæ locutionis, ergo etiam quoad versionem tota ejus perfectio refertur in Spiritum Sanctum, ad quem spectat, quod regula fidei proponatur sine errore, ergo sicut ob hanc rationem, non potuit esse error, in productione prima Scripturæ, ita nec in ejus versione. Quod magis explicatur, si vera est ista propositio. Interpres potuit errare, vera etiam esset ista, in vulgata potuit esse error, hæc est falsa, ergo & illa. Prob. maj. si errasset Interpres, vulgata certè esset errata, ergo; pat. ant. quia ideo non est error, quia ille non erravit, ergo, Prob. assumptum, talis enim auctor simul cum assistentia Spiritus Sancti fuit vera causa efficiens, a qua effectus habet omne, quòd habet in esse effectus, nam sicut nemo dat, quod non habet, ita nullus effectus habet id quod ei non datur, & quamvis videatur, quod potuisse, vel non potuisse errare, nihil sit in causa formaliter sumpta, tamen sicut potuisse, vel non potuisse habere errorem, est prædicatum infallibilitatis, vel fallibilitatis in effectu ita simile prædicatum debet respectivè aliquid objectivum esse in ipsa causa, quòd autem non potuerit esse error in Sacra Scriptura, aut versione ejus, quæ est ejus quædam applicatio, & propositio, certum est, nam aliter non esset adæquatè infallibilis, nec Verbum Dei, quod quamvis possit (loquendo de Verbo scripto) non esse, non tamen potest esse, & simul non esse verum, in qua impotentia consistit infallibilitas ejus.

Confirm. si esset aliquis error in illa versione, eundem omninò effectum haberet, ac si esset in ipso originali, nam originale non est cognoscibile, nisi medio aliquo idiomate, sed in ipso originali, ut suo loco vidimus esse non potuit, ergo nec in versione canonica, quod magis patet, ex eo quod originale non potuisse habere errorem, & esse originale canonicum, non possumus cognoscere, nisi ex determinatione Ecclesiæ, qua posita deducimus, non potuisse habere errorem, sed etiam hanc versionem, continere textum canonicum, eodem modo nos latet, nisi declaret Ecclesia, ergo hac posita declaratione, eodem modo debemus inferre non potuisse errare. Est enim idem

A finis, & idem effectus, immò si in versione esset error, nihil prodesset, quoad hoc, originale esse purum, & infallibile.

Dices ex Doctrina P. N. Dominici, qui adhæret parti oppositæ, si Ecclesia declaret aliquam propositionem esse de fide, quæ prius ab aliquo Theologo fuit defensa, non possumus deducere à posteriori, Theologum illum locutum fuisse cum speciali assistentia Spiritus Sancti, nec fuisse infallibilem, ita ut non potuerit errare, ergo eodem modo quoad versionem vulgatæ, sive hæc sit D. Hieronymi, sive illa prior Ignoti Auctoris, in quod videtur inclinare Concilium Tridentinum, in memorata declaratione.

Respon. conc. ante., & neg. consequen. ob manifestam disparitatem, nam Theologus non exposuit illam propositionem, ut regulam fidei, quamvis defenderit, ut Theologicè veram, Auctor autem versionis, non vertit id, quod nescivit esse de fide, sed quod verè ex se, in suo originali erat regula fidei, & ideo nihil ipsi deest, nisi declaratio Ecclesiæ, ut canonicum sit id, quod scripsit vertendo, jam enim sensus illi canonici erant, antequam eos verteret, ideo de hoc potest bene inferri post declarationem Ecclesiæ, ipsum errare non potuisse. Vel clarius, Theologus, per accidens in ordine ad fidem, exposuit illam propositionem, quæ nullam habebat, ut ab ipso prolata, connexionem, nec exigentiam, ut declararetur de fide, ideo posita tali declaratione, non potest inferri ex ipsa, quòd ipse habuerit Spiritum Sanctum, auctor autem versionis Scripturæ authenticæ, habuit connexionem per se, cum illa declaratione. Adde quod Ecclesia illsm Theologi propositionem, ideo declarat de fide, non quia vel dicta fuerit a Fideli, vel Infideli, vel a Theologo, vel a Philosopho, sed quia principiis fidei, & Sacræ *Scripturæ* cohæret, versionem verò acceptat, ut *regulam* fidei, quia ut taliter facta continet veram Scripturam.

Dices, hoc modo ipse auctor sciret se errare non posse, quia scit se vertere regulam fidei. Resp. neg. cons. non enim potest scire suam versionem, infallibiliter declarandam esse de fide, etsi hoc intendat.

Prob. 2. magis penetrando, quod nuper dicebamus, nam duo possunt considerari, in hac versione, vel sensus idem, qui est etiam in originali, vel ipsa versio; seù idem sensus, prout stat sub ipsa versione; certum est, quod sensus ille, qui erat in originali, etiam ante Tridentinum erat canonicus, quid ergo supererat Concilio declarandum de fide? sanè ipsa versio, vel quòd idem est, sensus ille prout reduplicativè stat sub ipsa versione, ergo sicut legitimè infertur; & prius, & nunc sensus ille, ita est verus, ut non potuerit esse, falsus, ita versio ad quam Tridentini declaratio terminatur est vera, & certa, ita ut non potuerit in ea error contingere.

Prob. 3. ex communi SS. Patrum consensu, immò & Auctorum oppositæ sententiæ, 70. Interpretibus adstitit specialissimè Spiritus Sanctus, ita ut non potuerint errare, & hoc deducunt Patres, ex consensu

consensu illo, qui videtur miraculosus, ut sentit August. loco supracitato, & ex eo quòd Ecclesia usu ipso talem approbavit versionem, & venerata est, ut canonicam. Sed sicut illi, ita omnino sese habuit auctor vulgatę, ergo eandem habuit assistentiam &c. Major est vera, & ex professo eam probant, in præsenti adversantes. Minor probatur, nam & hanc veneratur Ecclesia, & acceptavit, ut canonicam, & majus fortè miraculum est, quòd in acceptando hanc versionem, totus terrarum orbis, per tot sęcula consenserit, quam quod 70. homines, in eodem sensu convenerint. Illi plures idem senserunt; hic unus, inter innumeros translatores solus mentem attigit Spiritus Sancti, quę erat in originali textu; illi cum essent plures, & doctissimi, uniri poterant, & se se magis juvare, in ordine ad unum, & idem verbum ponendum, maximè si per modum quasi Concilii conferebant, ut tenet Hieronymus, hic unus, sine humano auxilio mentem attigit Spiritus Sancti, ergo certius est, ipsi specialiter assitisse Spiritum Sanctum, quam illis.

Respondet dupliciter, P. Domin. primo, quod 70. habuerunt specialem assistentiam Spiritus Sancti, non quia hoc esset necessarium ad auctoritatem illius versionis, sed aliunde, unde nec illam habuit auctor vulgatę &c.

Secundo respond. quod cum donum Interpretationis, sit gratia gratis data, illud sicut, & cæteras, Spiritus Sanctus impertitur, cui vult, & quantum vult, unde non est mirum, quod 70. Interpretibus adfuerit cum tanta assistentia, non verò auctori vulgatæ.

Sed contra; nam etsi non sit necessaria omninò talis assistentia ad auctoritatem versionis quoad nos, quia adhoc sufficit Ecclesiæ auctoritas, tamen, ut haberet auctoritatem quoad se, necessaria fuit, siquidem ex hoc ipso, quòd Ecclesia eam approbet, jam constat habuisse in se talem infallibilitatem, qualis notificatur nobis per Ecclesiam, idem enim P. infra cap. 87. asserit, quòd Ecclesia non habet potestatem faciendi, quòd aliqua Scriptura sit Verbum Dei, sed confirmandi nostram fidem, & approbandi, seù testificandi, infallibiliter esse talem, ergo ex Doctrina ipsius, necesse est quòd aliquid quoad se prius sit tale, quale ab Ecclesia declaratur, ideoque posita tali declaratione, necessariò infertur, illud antecedenter fuisse tale, quia testimonium Ecclesiæ est infallibile.

Deinde, si aliunde fuit necessaria talis assistentia, unde orta fuerit talis necessitas, remanet declarandum. Si enim non fuit necessaria ad finem principalem, ad quem versio ipsa ordinabatur, scilicet ad infallibilitatem notificationis fidei, & adhoc, ut haberet in se, id quòd in sua declaratione supponit Ecclesia, non apparet, quæ aliundè necessitas fuerit.

Hinc contra secundam responsionem, sic argui potest. Gratia gratis data, juxta communem, Angelicamque Doctrinam; non datur ad utilitatem habentis, sed principaliter ad bonum Ecclesiæ, sive aliorum, ergo talis esse debet, qualis requiri-

A tur ad bonum, quod intendit Spiritus Sanctus in ejus collatione, hoc autem in nostro casu fuit, quod talis interpretatio, ad fidem infallibiliter fundandam perveniret; quod habere non potuit, sine declaratione Ecclesiæ, nec hanc obtineret, nisi quoad se esset infallibilis, ergo ex hoc ipso, quod sit gratia gratis data debuit modo a nobis dicto conferri. Nec propterea dictum Apostoli præterimus; immò libenter admittimus, siquidem non asserimus tale donum necessariò dandum fuisse huic, & non illi, & eo modo, quo Deus vult, sed salva natura, & fine ipsius doni, non enim est imaginabile quod Deus velit dare donum aliquod alicui, ad aliquem finem ex suo concepto ordinatum, & eidem dono auferre tendentiam ad illum finem, in qua consistit tale donum, quod po- B tius est donum respectu finis cui, quam respectu subjecti, in quo ponitur.

Insuper hæc responsio supponit id, quòd est in quæstione, scilicet auctorem vulgatæ non habuisse assistentiam Spiritus Sancti, nec potuit hoc supponi, eo quod donum Interpretationis sit gratia gratis data, nam contra est, sic enim infertur, ergo ex hac ratione etiam Sancti Patres debebant id ipsum ponere de 70. Vel sic; Sancti Patres dixerunt, hoc habuisse 70., etiamsi sit gratia gratis data, ergo etiam de vulgatæ auctore dici potest, quòd est nostrum argumentum, non in eo fundatum, quod hoc sit gratia gratis data, sed in fine, qui idem est utrobique. Aliæ etiam addi possunt rationes, ut quod suavis Dei providentia, opera C perfecta facit, ad veritatis manifestationem. Item quod dicit Bernardus in epist. ad Fratres de Monte Dei. Sacras litteras, quo spiritu factæ sunt, eo esse intellectas, & consequenter interpretatas, aliter Interpres sibi relictus, non redderet sensum Spiritus Sancti, sed suum, ut fecerunt Aquila, aliique consimiles, sed jam dicta sufficiunt.

ARTICULUS III.

Quæ obstant diluuntur.

Oppositam sententiam tuentur Vega lib. 15. in Concil. Triden. cap. 9. Driedò lib. 2. de dogmatibus cap. 11. Bannez p. p. quæst. 1. art. 4. dub. 4. aliique plures, quos citat, & sequitur N. P. Dominicus Bibl. Theologicæ lib. 3. sect. 1. cap. 85. D quamvis denique conetur sententiam utramque conciliare, ut videbimus.

Argum. primo. Editio vulgata latina ab Ecclesia, quæ eam approbavit, & non ab Interpretibus ipsis habet auctoritatem, ergo etiamsi negare non possimus, Interpretem divino fuisse illustratum, & ductum lumine in illa facienda, hoc tamen non est necessarium dicere, ad astruendam illius auctoritatem, sed sufficit, quod tale lumen, & assistentia spiritus Sancti reperiatur in Ecclesia, quo judicet vulgatam editionem esse integram, & fidelem, & correspondere per omnia originali, vel per oppositum, etiamsi Interpres errare potuisset, sufficit, quod Ecclesia Spiritu Sancto ducta, errare non possit in cognoscendo, an integra, & fidelis sit versio

Respon. distin. ant. quoad primam partem, ab Ecclesia completivè; & quoad nos, conc. ant. realiter, & quoad se, neg. ant. & distin. secundam ejus partem, non ab Interpretibus, ut talibus formaliter constitutis, per donum, & assistentiam Spiritus S. neg. ant. materialiter, & ut hi homines sunt considerati, conc. ant., & neg. consequen. Jam dictum est, quod ad rationem Scripturæ canonicæ, in eo, in quo est canonica, aliquid requiritur quoad se, nempe realis infallibilitas, & meritum declarationis Ecclesiæ, & hoc Ecclesia non facit, nec supplet; aliud quoad nos, & est ipsa approbatio Ecclesiæ declarantis, Scripturam, illam habere id, quod requiritur, ut sit canonica, quam rationem ipsa Ecclesia complet, per quod clara manet utraque distinctio. Ad argumenti explicationem, neg. quod tale lumen in Ecclesia adæquatè sufficiat, immò est implicantia in terminis, dicere, quòd Ecclesia judicet aliquid esse tale, nisi illud tale sit, ergò adhoc ut sit tale, idest infallibile in se, & ex suis causis, prærequiritur aliquid aliud, præter lumen Ecclesiæ, quod si est completivum, ergò alicujus habentis meritum, & habilitatem, ut compleatur, si declarativum infallibilitatis, ergo illam supponit declarabilem. Ad illud, quod additur, respon. quod sufficit negativè lumen Ecclesiæ, idest ad cognoscendum, & declarandum, hanc Scripturam non esse approbandam, sed ad hoc, ut sit approbanda, non sufficit hoc lumen, sed immo requiritur objectum hujus luminis, ad hoc ut ipsum lumen, pro munere proprio sufficiat in actu secundo.

Et certè (si valeret) ex hoc argumento æquè sequeretur, ad originale canonicum non requiri, ut verè sit tale, quod Deus sit specialis auctor illius, dici enim posset, sufficit lumen quod habet Ecclesia, ut cognoscat hanc scripturam concordare, cum divino conceptu, & Dei veritate, & tamen hoc est falsum, ex communi doctrina, quam sequitur etiam idem auctor, ergo nec in præsenti concluditur.

Alia argumenta inter probationes nostræ conclusionis soluta sunt, at ne videamur tanti Doctoris opinionem, & doctrinam ex professo, quasi posito nobis signo impugnare, advertimus, eundem, loco citato, tertia conclusione, id ipsum statuere, quod nos tuemur, immò utramque opinionem, & quidem prudenter in fine conciliat, dicens eam opinionem, quæ negat Interpreti assistentiam, de qua nunc, id solum intendere de principio, vel cursu versionis, quando Interpres sua diligentia utitur, & ideò aliquando errat, vel errare potest, secundam verò intelligi de complemento operis, cum enim verificatur compleri versionem, verum etiam est, ex toto illam dependisse ab assistentia Spiritus Sancti, nos verò ab eo traditam doctrinam impugnavimus, quatenus eadem militare poterat contra veritatem, cui denique, & ipse saltem quoad substantiam aquiescit &c.

Est tamen alia objectio contra conclusionem. Si Interpres vulgatæ habuisset assistentiam Spiritus Sancti, nihil omninò ommisisset de textu originali, quod planè non vertisset, sed hoc nec fuit, nec

A esse potuit, ergo, Major est certa, quia Dei perfecta sunt opera, & ipse Christus, inquit, *Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege*, ergo &c. Minor. prob. quia lingua latina strictiorem habet significationem, in singulis suis terminis, quam hebræa, hebræa etiam habet terminos valdè æquivocos secundum se, qui determinantur per punctuationem, unde videtur impossibile, eam adæquari a latina, nisi fortè per paraphrases, immiscentes alios sensus, qui in textu non erant, quoad proprietatem.

Resp. admittendo maj. in sensu formali, & neg. min.; aliud enim est, quod non omnia transtulerit, aliud est, quod ommiserit, ommittere enim supponit debitum oppositi, quod non probatur in præsenti, immò est impossibile, ex probationibus inductis.
B Dicimus ergo, ex hoc potius erui necessitatem assistentiæ Spiritus S. in interpretatione nostræ vulgatæ; cum enim aliquid de necessitate deberet non exprimi, si proprio tantum lumine usus fuisset Interpres, errare potuisset, relinquendo sensum, in quo lateret aliquod mysterium, vel expressio magis ad fidem necessaria, vel ad mores, & alterum ex duobus, in Hebræo verbo contentis, quod ex individua proprietate latinitatis, posset in oppositum vergere. Hæc ergo difficultas, & similes superari non poterant, nisi viribus auctoris veri totius Sacræ Scripturæ, scilicet Spiritus Sancti, qui solus novit, quid propriè, & quomodo juxta finem ab ipso intentum, debeat in similibus assumi, vel relinqui servata natura utriusque linguæ. Et hæc sanè,
C aut similis difficultas orta ex proprietate, ac diversitate linguarum, ea erat, quæ perplexum suspendebat Hieronymum, eumque cogebat prius aliquando, jam versa corrigere, vel mutare, vel emmendare, ipse enim nesciens peculiarem sibi impartitam assistentiam a Spiritu Sancto, in vertendo ea, quæ in vulgata nostra acceptavit Ecclesia, ut supra vidimus, summo studio conabatur, vel relicta reassumere, vel jam versa immutare, vel emmendare, ex intentione meliorandi, & proprius ad veritatem originalis accedendi, astitit tamen ei Spiritus Sanctus in tali versione, & quando ea scripsit, quæ postea emmendavit, & quando eadem emmendavit, ad hæc procul omni dubio, quia hæc approbavit Ecclesia, ad illa verò saltem probabiliter dicimus, quia ex una parte, nec in se falsa erant, nec diffor-
D mia veritati textus, ita ut ad illa concurrere, vel assistere non posset, & ex alia emmmendari debebant, ut certior fieret Ecclesia præelectam hanc versionem præ aliis, quoad omnia ab eo fuisse, & etiamsi in aliquibus, originali ipsi, non plenissimè adæquata foret, ex impossibilitate idiomatis; nec durum videatur, si dicimus, probabiliter Spiritus Sancti assistentiam habuisse in his, quæ eodem assistente mutavit, si enim de opere Spiritus Sancti speciali, sicut est originalis textus, potuit aliquid in versione relinqui, quommodo de opere facto ab homine, cum ejus assistentia, non potuit aliquid præeligi, eodem ipso assistente, aliudque relinqui, ob abscondita Dei Judicia, & ad majus exercitium fidei nostræ. Hoc tamen inconcussè tenendum est, quod nec in uno, nec in alio casu Interpres erravit, aut potuit

errare,

erratis; quia aliud est meliorare, aliud corrigere, licet utrumque nomine correctionis a nobis expelim consueverit. Certè plura facit Deus, quæ tamen destruit, non enim omnia in æternum durant, non est in hoc ulla contradictio, aut mutatio, causa enim suprema, & universalissima est Deus, unde dictum est, mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es &c. & res jam debet non esse, cum suum finem explevit, ut patet de veteri lege &c.

ARTICULUS IV.

An Interpres vulgata attigerit sua versione omnes sensus cujuslibet loci Scripturæ originalis.

RESolvitur quæstio. Quod omnis sensus litteralis repertus in nostra vulgata, sit verè sensus Spiritus S., & concors originali, certum est de fide, ut habemus ex memorato Tridentini Concilii decreto sess. 4. Sed quod talis versio, omnes omninò illos contineat, quos includit primigenius Textus, communis ferè sententia Theologorum negat, cum verò sic resolutio, quoad sensum patet, utrumque textum conferentibus, ex ipso facto probatur tamen conclusio; aliqui tamen dicunt, quod Interpres sua quidem cognitione fuit assecutus omnes tales sensus, at non sua versione, atque etiam probabile est non enim potuit citè vertere, nisi apprimè linguam utramque calleret, ac proinde sensum omnem, quem littera veneranda complectitur, ex sua significatione comprehenderet, etsi ob imparitatem utriusque linguæ, non explicuerit, cum fuerit, & sit impossibile. Conveniunt tamen omnes Catholici, & de Fide tenendum est, omnes sensus spectantes ad fidei dogmata, ad expressionem divinæ veritatis, & ad mores formandos, adæquatè in versione, sicut in primævo textu reperiri, hoc enim infallibiliter convincit Ecclesiæ approbatio, efficax assistentia Spiritus Sancti, & infinita Dei Sapientia, ac providentia, & hoc Catholicis sufficere debet; Quæstio igitur procedit de aliis sensibus; quamvis enim omnis Scriptura, habilis sit ad docendum, tamen si sumantur seorsim, aliqui individuales, & singulares sensus, puta historiales, non exprimunt, nec aliquod fidei dogma, nec immediatam doctrinam morum, ad quæ tamen principia reducuntur, si vel simul, vel cum relatione ad alium locum accipiuntur. De his igitur probabilior sententia est, aliquos in nostra versione non haberi, etsi paucos, ob linguarum incompetentiam in significando, ob quam pariter, aliquos habet vulgata, qui ex naturalitate linguæ latinæ pullulant, qui non sunt in hebræo. Exemplum primi, adducit N. P. Dominicus, loco citato, Gen. 36. in nostra vulgata habetur. *Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebbeon Patris sui*. Cum tamen in hebr. dicatur *qui invenit mulos in deserto, cum pasceret asinos patris sui Tibbon*, ex eo quòd vox hebræa *Iamim* sit æquivoca, simul sub diversis punctis significans mulos, & aquas calidas; unde quia iste invenit utrumque aetem, & generationis mulorum, & balneorum, textus hebr. utrumque significare potuit, quia

A habet unum verbum, quoad utrique adaptatur, textus tamen latinus, unum tantum significat, scilicet aquas calidas, quia non habet hæc lingua, quo explicet utrumque, unica dictione. Ita etiam Psal. 34. in vulgata habemus, *quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti*: in hebr. autem, pro ly sine causa habetur *lechi*, quod significat *frustra*, & significat *maxillam*, unde Hieronymus vertit *maxillam*, & vulgata legit, sine causa, non enim in latino habetur nomen, utramque importans simul expressionem. Alia addit exempla P. Dominicus, & plurima passim invenies, in doctissimis commentariis P. Cornelii A lapide.

Quoad secundam partem patet, nam Cantic. primo, Sponsus dicitur, *Botrus Cypri*, nomen autem
B Cypri latinè potest significare *arborem*, & *insulam*; & tamen apud Hebræos solum significat *arborem*, & alia hujus generis similiter offendes &c.

Sed quæres, illud plus, sive nova illa significatio, quam lingua nostra addit supra hebræum, est, ne alicujus auctoritatis? Resp. si talis sensus sit inconsequens omninò ad textum, sive in antecedentibus, sive in consequentibus, clarum est, quod tunc non est sensus Scripturæ, ideò nec versionis, sed a legente, ex solo idiomate erutus, & ad eum significandum, non est posita illa dictio, si enim sensus esset, non exiret suos limites, inter quos includitur; ideoque sicut non est pars, quia de ratione partis est, quod dicat relationem ad aliam compartem, ita nec censetur esse Scripturæ. At
C hoc cum de regulis agetur, magis explicabitur.

ARTICULUS V.

Quanta sit auctoritatis in Ecclesia, latina vulgata editio, quam habemus.

PRocedit quæstio de vulgata latina editione, seclusis Typographorum erratis, & falsis emmendationibus hæreticorum, cum enim est depravata, ea non est, quæ vocatur a Tridentino, vulgata editio, & vera Sacra Scriptura, modicum enim fermentum totam, cui inicitur massam corrumpit, quantum verò ad Typographorum errores, fortè aliquid in fine addemus; de pura ergo vulgata, correcta a Clemente Octavo, sermo est,
D & quærimus an ea ita fidelis sit, & vera, ut nullum contineat, vel levissimum errorem, ita ut sit verè, & adæquatè canonica, atque ita translata, ut reddat propriam originalis veritatem, quæ omnia idem significant, sed ita proponitur quæstio, ut simul explicetur.

In hac quæstione, diffusè admodum procedunt Controversistæ, contra hæreticorum blasphemias, tum Lutheranorum, tum Calvinistarum, etsi enim divisum sit regnum Beelzebub; in hoc tamen, unitis conferre vires, ut hanc divini regni Apocham deleat, si fieri possit, nos verò ea supponentes, quæ prædicti DD. accuratissimè præstant, dum adhuc Sacræ Scripturæ limina pertentamus, ad ulteriora vocati, hanc breviter perstringemus. Omissis ergo hæreticis, adhuc inter Catholicos lis

est; supponunt omnes sicut fides docet, hanc vulgatam editionem authenticam esse; & standum esse declarationi Tridentini sæpè repetitæ. Aliqui tamen cum Andrea Vega, lib. 15. in Concilii Tridentini caput 9. non verentur asserere, eam quidem authenticam, & integram esse in iis, quæ spectant ad dogmata fidei, moresque formandos, in aliis tamen, minoris momenti narrationibus, sive in iis, quæ ad fidem, aut mores non pertinent, neque integram, nec puram esse. Alii omnes (nosque cum ipsis) certissimè asserunt eam etiam in minimis partibus, in omnibus, & singulis omninò integram, & authenticam esse, non minus, ac originalis ipsa, & pura Scriptura, unde desumpta est. Et hæc est nostra conclusio, cujus prima probatio est. Impugnatio oppositæ sententiæ, quam nobis videtur sustineri non posse, quod sic ostendimus.

Vel illæ narrationes, quæ adversantibus videntur minoris momenti, sunt partes vulgatæ editionis, vel non; si non sunt partes, non est locus distinctioni, aut divisioni, secundum quam, aliqua majoris, aliqua minoris momenti in Scriptura considerantur, nam lumine naturæ, constat, quòd unum quodque dividitur tantum in ea, quibus constat, nec est locus comparationi, quæ semper supponit absolutum &c. si sunt partes, jam hæc imaginatio (neque enim opinio dici potest) evidenter cadit, sub anathemate Concilii, ait enim in citato decreto, primò, sessione quarta, versus finem, siquis autem libros integros, cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt; & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, anathema sit. Probatur assumptum, qui Sacram Scripturam, quoad illas minimas partes dicit non esse integram, & puram, jam non acceptat libros integros cum omnibus suis partibus, non acceptans, cum illis minimis partibus, nisi dicat, quòd etsi quoad eas Scriptura nec integra sit, nec pura, tamen ex vi Decreti eas acceptat; quod fortè pejus est; sic enim eo ipso asserit, Concil. errasse, decernendo, acceptandum esse ut integrum, & authenticum, quod nec integrum, nec purum est, ergo ex omni parte convincitur falsitas talis imaginationis.

Dices cum l'Hajè in prologomenis, tales non esse verè partes, sed particulas, unde ad eas non extenditur decretum.

Sed contra est, primò, quia in libris historialibus narrationes omnes sunt pars historiæ, contra cujus veritatem totalem pugnat impuritas in minima parte, ergo cum hæc imaginatio exemplificet in narrationibus, quæ minimi momenti sunt, quatenus non spectant ad dogmata fidei, & mores, locum non habet hujusmodi speculatio.

Secundò. Si particulæ auferantur, cum ex illis componantur partes, quæ sunt simpliciter tales, jam illæ partes remanent minores, unde potius, & ipsæ remanent particulæ, ergo & ipsæ, semel repudiatis illis primis particulis, repudiari possunt, sic enim diminutæ etiam ipsæ, particulæ sunt, ergo jam pedetentim totum decretum evanescet.

Tertiò non frustrà ponit Concilium, illam expressionem, integros, cum omnibus suis partibus, videtur enim, quod satis erat, dicere integros, vel solum dicere cum omnibus suis partibus, quia videtur idem esse, quod res sit integra, & quod habeat omnes suas partes, cum ergo ut habetur, de verborum significatione, singula verba debeant aliquid operari, sumere debemus utramque expressionem, cum suo proprio sensu, ut ly integros importet, quod nihil, vel minimum valeat repudiari, integritas enim consistit in indivisibili, & ly cum omnibus suis partibus importet, quod non solum libri debeant integri acceptari, sed etiam omnes eorum partes integræ admittantur, sine aliqua exceptione, ita ut, & totum integrum, & partes integræ, & consequenter integræ partes partium, omnia denique tanquam authentica, & canonica credamus, & veneremur.

Secundò. Impugnatur placitum Vegæ, quidquid in Sacra Scriptura vulgatæ edit. spectat ad fidem, & ad mores, secundum communem sententiam, quam & ipse, uti catholicus sequitur, authenticum est, integrum, & canonicum, sed posito Concilii decreto, etiam illæ minimæ partes spectant ad fidem, & mores, ergo & ipsæ integræ sunt, & canonicæ. Minor probatur, nam quamvis intrinsecè consideratæ illæ narrationes, & quoad propriam materiam, immediatè nihil fidei enuncient, tamen semel posito tali decreto, sunt verum Dei verbum, quod est de fide, tale esse, cumque verè tale est, fides credere debet, sine hæsitatione, ut omnes concedunt, quia resolvitur in rationem, sub qua fidei, scilicet divinam revelationem, & veracitatem, ergo in Sacra Scriptura non habet locum illa distinctio, nec tale placitum habet consequentiam; sed quidquid minimum Sacræ Scripturæ authenticæ, authenticum, & canonicum est, & totum de fide eodem modo, quoad nos, etsi non esset quoad se.

Confirm. tales minimæ partes, non potest dici, quod sint aliquid extra Sacram Scripturam, vel ei accessorium, cum, etsi minimæ censeantur a Vega, tamen ipsam componant, quod est munus partis, & verè in ipsa sunt, ergo sunt suæ partes, ergo veniunt sub decreto, per ly, omnibus suis partibus; & etiam dato (quod falsissimum est) eas esse aliquod accessorium ad Scripturam, prout ipsa continet dogmata fidei, jam spectarent ad fidem per regul. accessorium naturam sequi congruit principalis.

Tertiò Impugnatur; semel dato, quod in minimis vacillet veritas Scripturarum, tota fides corruit, ut ostendit Augustinus, Epistola ad Hieronymum de mendacio officioso, sed idem est, quod in minimis non sit integra, & pura, & quod in talibus veritas ejus, & auctoritas vacillet, ut evidens est, ergo hoc placitum non potest cohærere, cum fidei firmitate.

Confirmatur. Veritas, & puritas Sacræ Scripturæ est indivisibilis, tum quia uni indivisibili, & omninò infallibili nititur fundamento, tum quia ad eundem finem ordinata, ab uno speciali auctore Spiritu Sancto communicata fuit, tum quia nequit esse disparata, cum sit vera, verum enim semper conso-

nat

quæ vero, & solum falsificatis regnum, cum diruendum sit, in se ipso divisum, & disparatum discindetur, ergo nequit intelligi, quomodò stare possit illa distinctio inter ea, quæ spectant ad fidem, & alias minoris momenti narrationes, in ordine ad hæc duo membra dividendum, & alterum eorum, summovendum ab integritate, & puritate. Addendum quod si semel hoc admittitur, latè aperitur janua hæreticis, impugnandi Scripturas, immo, & ipsas minuendi, & tollendi. Nam qui deficit in uno, factus est omnium reus, & perfectio regulæ consistit in minimo, ut ad sensum patet, in qua cumque etiam materiali mensura, ita etiam negabunt hæretici regulam hanc scilicet Scripturam, si vel in minimo desinere posse concedimus. Nec refert, quod non sumitur ut regula, nisi dum agit de dogmatibus, & moribus, quia semper redimus ad id, quod jam impugnatum est, nam tota Scriptura, secundum quod tota, quod una, quod connexa, quod simul, sine distinctione canonica, & est de fide, & authentica regula est fidei catholicæ, & Minimi momenti esse contendent, quod negant, nec spectare ad fidem, vel mores, & infractis veritati viribus, perversitas triumphabit.

Per hæc nedum manet impugnata opposita imaginatio, sed & efficaciter probata conclusio, ut inferenti constabit, paucas ideo probationes addemus, & primò

Ex Sacra Congregatione Concilii, cujus decisionem refert Turrianus disput. 22. dub. 4. cum enim ad Gregorium decimum tertium Pontificem Maximum cujusdam insignis universitatis DD. recursum habuissent, petentes declarari sensum Concilii Tridentini in hoc decreto, ut starent tuti, ad id, quod sanctitas sua declarasset, id commisit Pontifex Congregationi Cardinalium, cui præerat Cardinalis Alciatus, quæ sic respondit, nihil posse asseverari, quod latinæ vulgatæ repugnet, etiamsi sola esset periodus, seu clausula, aut membrum, aut syllaba Jotave unum, ergo jam soluta manet quæstio, immò hac posita declaratione, nullus relinquitur locus dubitationi inter fideles.

Prob. 2. Si vulgata aliquem contineret errorem, posset saltem in disputationibus, & lectionibus reiici, quasi in loco citato, qui non immediatè contineret fidei dogma, aut morum, esset impura, aut non integra, sed hoc omninò prohibitum est in eodem Concilii decreto, ubi concluditur, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus &c. pro authentica habeatur, & ut nemo illam reiicere quovis prætextu audeat, vel præsumat, ergo &c.

ARTICULUS VI.

Refertur, & excluditur opposita sententia.

ARgumentatur opposita sententia, & in primis P. Vega, asserens sibi dictum multoties a Cardinali Sanctæ Crucis, qui præsidebat in Concilio Tridentino, in hac memorata sessione, quod PP. Concilii aliud absolutè non intenderunt in suo Decreto, nisi id, quod ipse asserit, ex ore ipsius, & hoc est ipsi magnum fundamentum, ergo &c.

A Respon. quæstionem nobis non esse, an ille Cardin. dixerit, vel non dixerit, tamen evidens est, quod Patres Concilii si ita senssissent ita declarassent, non enim corda eorum scrutarity sed verba audire debent fideles, iisque, non interno conceptu opposito, verius publicatur, forte fuit propria singularis sententia illius Prælati, quæ non continuit, non enim fuit approbata a Pontifice, nec illa sententia, nec dictum Vegæ, sicut confirmatum fuit œcumenicum Concilium celeberrimum, ideò Concilio standum est, & non Vegæ. Dicit enim Apostolus, siquis evangelizaverit vobis etiam Angelus, præterquam evangelizatum est, anathema sit. Deinde uni Cardinali, & uni auctori resistitis, quæ stat absolutè in oppositum, Congregatio Cardinalium, ut vidimus, & totus exercitus

B Catholicorum Doctorum.

Argum. 2. Multi viri magnæ auctoritatis reprehenderunt Hieronymum, de sua versione, quæ tamen eadem est (idem quoad partem), ut supra vidimus, ac vulgata editio, qua Ecclesia utitur, ergo aliquid in ea est reprehendendum, ergo non est integra, & pura, in aliquibus saltem minimis. Prob. ant. nam de talibus, qui sane fuere non pauci, multoties mordente stylo conqueritur idem Interpres, ut passim invenies in ejus epistolis, & prologis, & nominatim de Palladio Galata refert idem Hieronymus, in prolog. libri contra Pelagianos, & Ruffinus lib. 2. contra Hieronymum, & iterum idem Hieronymus in apologia contra eundem Ruffinum, & in epistolis ad Augu-

C stinum, & insuper eum non approbat Augustinus in epist. ad Hieronymum.

Respon. neg. ant., & ad ejus probationem dicendum est, illos fuisse viros graves, sed iniquitate; Palladius enim fuit hereticus, Ruffinus etiam inimicus Hieronymi, cujus scelera, & ineruditionem idem Hieronymus aperit, in apologia contra ipsum, & ita est etiam de aliis improbis, quos sæpe carpit idem Hieronymus; Augustinus verò modestissimè semper loquitur de omnibus, & potissimum de Hieronymo, quem summopere laudat, & sæpè consulit in locis difficilibus, & hortatur ad opus versionis Sacræ Scripturæ, immò *lib. 18. de Civitate Dei cap. 43.* ait. *Non defuit temporibus nostris Presbiter Hieronymus homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex hebræo in lati-*

D *num Divinas Scripturas convertit, cujus tantum litterarum laborem, Judæi ipsi fatentur esse veracem, & epist. 10. ad Hieronymum asserit ejus versionem omnibus Ecclesiis placuisse*, ideoque S. Damasus Papa, ut refert Platina, voluit illam in communem Ecclesiæ usum introduci, quod si videatur aliquando Augustinus de Hieronymo modestè conqueri, non est ob ejus versionem, sinceritatem, & integritatem, sed vel quia intempestivè publicata, alteri assuetos aliquos commovit, vel quia, ut aliqui sentiebant, non videbatur tunc adeò necessaria in aliquibus, non enim omnia, quæ spectant ad factum scire poterat Augustinus, sicut sciebat summus Pontifex, qui Hieronymo id muneris demandaverat, quoad aliquos libros, & peritissimus linguæ hebreæ, & græcæ Hieronymus, bene noverat; tex-

tus

tus esse tunc corruptos, & hinc necessitatem oriri, ut ad puram veritatem reducerentur. Quod verò Hieronymus ipse suam translationem reprehenderit, & correxerit; hoc ideo fuit, quod nec ipse noverat assistentiam specialem Spiritus Sancti, qua erat reductus, non poterat sibi exhibitam, unde in tanto opere, & labore, ob modestiam, & humilitatem, se non ausus est approbare, vel quia revera quoad aliqua accidentia, quæ perinde se habent ad veritatem translationis, poterat esse limatior; charites enim dicendi, & scrupulosa quædam elegantia, maximè Hieronymum eruditissimum delectabant, ob quod etiam aliquando, quia plus nimio id æstimabat, flagellatus fuit, ut ipse narrat in suis epistolis. Vel denique ideò non omnes absolutè versionem illam commendarunt, quia latens invidia, in operibus magnis, aliquando etiam sanctos adussit, & inflammavit peccatores, & quia tunc nondum aderat authentica Ecclesiæ approbatio.

Arg. 3. Patres passim docent, recurrendum esse ad fontes hebræos, & græcos; ergo signum est suspectam illis fuisse vulgatam editionem, & sanè si esset illibata, quomodo comparanda, & corrigenda foret per tales textus, aut purganda ad tales fontes.

Respon. Patres antiquos, ita tunc docuisse, quia nec dum vulgata correcta erat, & approbata ab Ecclesia, & hæretici passim conabantur vulgatos textus corrumpere, at post approbationem Ecclesiæ potius hebræus, & græcus textus corrigi debent per vulgatam, nec aliud in hac hypothesi Patres senserunt, qui loquebantur secundum statum suorum temporum; nec mirandum, si fortè in hoc erraffent; quod enim omninò non erraverint in aliquo, accipiendo ipsos, ut privatos Doctores, & seorsim, non declaravit Ecclesia, quod autem vulgata, quæ nunc est, sit authentica, hoc bene statuit, & expressit.

Argum. 4. In editione vulgata plurima sunt, quæ ab originalibus discordant, & male translata, ac depravata videntur, ergo saltem in iis, quippe minima sunt, & ad fidei dogmata non pertinent, nec ad regulas morum, non est negandum, quod textus vulgatæ dicatur non integer, nec purus, nec authenticus, cum certum sit, quod Ecclesia non approbat errorem, nec potest illum insignire canonica auctoritate, aliter Ecclesia erraret; quod absit. Antec. prob. primò, adducendo prædicta loca, sicut reperiuntur apud Xistum Senensem, in Bibliotheca, lib. 8. in fine, & apud Doctores oppositæ sententiæ congeruntur, immò ut bene notavit idem Xistus loco citato, Sanct. Pagnin. Thom. Cajetan. Franciscus Forerius, & Oleaster, prædicta errata suis in translationibus, & interpretationibus sigillatim notarunt, & indicarunt, ab hoc autem consultò abstinemus, ob rationem adducendam in responsione.

Id ipsum convincitur; quia ipse interpres D. Hieronymus, in præfatione Evangeliorum ad Damasum Papam, fatetur, se aliqua inemmendata reliquisse, inquit enim. *Igitur hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor Evangelia, codicum græcorum emmendata collatione, sed veterum, quæ nec multum a dictionis latinæ consuetudine discreparent, & ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur immutare correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.* Hæc ille.

Insuper in præfatione ad Bibliam vulgatæ editionis, correctam, & impressam jussu Clem. Octavi, quæ verum dicitur esse exemplar vulgatæ editionis, fatentur ipsi ad correctionem deputati, se non omnia corrigenda correxisse, sic enim inquiunt. *In hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt, tum quod ita faciendum ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit*, tum quia etc. ergo hodie in nostra vulgata, ex ipsorum Correctorum confessione, aliqui pauci errores, etsi non in iis, quæ ad fidem, aut mores pertinent, sunt admittendi.

Resp. hoc argum. prolixum nimis, ac a nostro instituto alienam exigeret responsionem, tamen pro modulo nostro respondemus, neg. ant. ad probationem primò dicimus, hujusmodi errata nullo modo sensum tangere, vel veritatem, sed tantummodo latinitatem, & quidem errores dici non posse, sed inevitabilem linguarum disparitatem redolere, de qua supra diximus, & hoc est omninò quid materiale, sicut veritati, & fidelitati translationis, ita, & decreto Concilii non repugnans, quo non statuitur latinitatem ultra id, quod potest, assequi laconismum hebræum, qui spectat ad modum non ad sensum, vel veritatem etiam minimam Scripturæ, cùm tamen hic modus sit quid accessorium, sequitur approbationem sui principalis, nec potest privata auctoritate judicari, aut mutari, immò nec de eo dubitari, quod non fuerit decenter relictus, & approbatus, non enim veritas, linguæ, sed lingua nata est deservire veritati &c. & hujusmodi procul dubio sunt, quæ Hieronymus inemmendata reliquit, ut ex ejus verbis apertè constat, & sanè certum nobis videtur, assistisse Spiritum Sanctum Interpreti prout tali, idest ad fidelitatem, veritatemque versionis, non verò quoad apices latinæ elegantiæ, aut quoad fucum eloquii, ideoque habuit Hieronymus, & quid corrigeret sua industria, & eruditione in propria versione, sistendo in hac linea, & quod in correctione antiquæ tutè posset inemmendatum relinquere. Ita etiam dicendum est ad præfationem Bibliæ vulgatæ editionis &c.

Secundò. Respondetur negando suppositum argumenti; supponit enim dari hebræos, græcosque fontes, ita puros, ut ipsum originale; impossibile enim est cognosci aliquod erratum, nisi comparando ipsum, ad rectissimam, & fontalem regulam; hanc autem nemo in præsenti inveniet, ac propterea tota vis similis regulæ redacta est in Ecclesiam, & in ea conservatur, ut ipsa, quæ errare non potest, ad veritatem Spiritus Sancti, qua ipsa regitur, comparando Scripturam, ejusque versionem, tanquam ad primævum exemplar purius originali creato, decernat illius veritatem hanc esse, & hujus fidelitatem indubitabilem reddat. Corruit igitur totum oppositæ sententiæ fundamentum, & prima responsio convalidatur; nempe si aliquid appareat

pareat erratum, hoc solum dignosci posse, quoad regulam idiomatis præcisè, non quoad fidelitatem versionis, ad quam dignoscendam, dum originalia non habemus sola valere potest Ecclesiæ definitio &c. ita plenè solutum arbitramur argumentum, quod est unicum, etsi apparens robur oppositæ sententiæ, ideò verò loca quæ opponuntur, non adduximus, quia potius important eorum errorem, qui eis utuntur, quam versionis, desumuntur enim ex comparatione ad hebræum textum, quem nec omnino purum habemus, nec invenitur, qui ita perfectè hebræum calleat, ut possit ei firmiter credi, cum punctuationes, ubique magnam pariant æquivocationem, vel periculum erroris, vel ex comparatione ad versionem 70. Interpretum, quam puram, ut supra vidimus, nec Hieronymus habuit, immò dubitant multi, cum ipso Hieronymo, & Sixto Senensi loco citato, an aliquid plus verterint quam Pentateuchon; vel in novo Testamento eos inveniunt per respectum ad græcum textum, quem puriorem esse vulgata, probare non possunt, ideoque non errores sunt versionis, sed vani scrupuli legentium, vel eorum, qui nimium timent vanas hæreticorum fallacias &c. Qui plura voluerit adeat Dominicum Gravinam, loco superius citato, Petrum Lorcam, Andream Dualium, aliosque, ac demum N. P. Dominicum lib. 3. sect. 1. cap. 87.

ARTICULUS VII.

Quænam sit, & ubi hæc vulgata editio, de qua loquitur Concilium Tridentinum.

Respond. eam esse, quæ summa diligentia, & cura summorum Pontificum, qui post Concil. Trident. successivè fuerunt usque ad Clem. Octavum correcta, & emendata, demum in typographia vaticana fuit impressa, ad cujus exemplar, ut omnes aliæ imposterum, ubique Gentium sine discrepantia, & errore imprimantur, curæ Inquisitorum, & Ordinariorum fuit demandatum, & tutè provisum.

Dices, ergo ante Clemen. Octavum, Ecclesia carebat Sacra Scriptura, quæ esset infallibilis regula fidei &c. respon. negan. conseq. certum est enim, quod Clemens Octavus, ut habetur in præfatione ejus vulgatæ, vaticanæ impressionis, non condidit novam Scripturam, sicut nec novam approbaverat Concilium, sed veterem vulgatam, quæ a tot sæculis erat in usu Ecclesiæ, & canonica erat ex ipso inveterato usu, & vel in doctrinis Patrum inveniebatur ejus correctio, vel in aliquibus codicibus non erat depravata; vel denique ejus correctio erat in ipsa illuminatione Ecclesiæ, quæ errores ex ejus depravatione exorientes damnans, facto docebat, quomodo intelligi debebat textus, alias corruptus, & hoc convincitur ex eo, quod ipsa vulgata usum est Concilium Tridentinum, in rebus fidei decernendis, & tamen tunc non præcesserat correctio universalis, ergo debuit etiam tunc dari, inter tot hæreses eo tempore exortas, vera Sacra Scriptura, etsi non in omnibus codicibus, quod postea Clemens Octavus perfecit, ut fieri potuit.

Obiicies contra ea, quæ hactenus diximus, cum res omnes in hoc sæculo nequam, temporum injuria, facilè in deterius prolabantur, si iterum vel Typographorum injuria, vel hæreticorum versutia, plura vulgatæ editionis exemplaria corrumperentur, tenerentur, qui hoc nescirent, credere errorem, fide divina, quod tamen est impossibile, & sequendo nostram sententiam, at secundum oppositam sententiam cessaret difficultas, cum ea asserat aliquos in hac versione esse leves saltem errores. Casus sicut fuit alias, etiam nunc potest evenire, sequela probatur, non enim potest privatus corrigere vulgatam, quam tenetur ex vi decreti, cum omnibus suis partibus approbare, & credere fide divina, ac Theologica, ergo eadem fide crederet errorem. Respon. quod ut initio advertimus, quæstio ista procedit circa fidelitatem Interpretis, non verò Impressoris, sed ne suspensus in proposita difficultate hæreat animus. Dicimus quod vel talis error cognoscitur, vel saltem de eo dubitatur, vel omninò latet legentem, qui propterea credit. Si primum non tenetur credere, quia eo ipso, quod cognoscat esse errorem, eo ipso cognoscit non esse partem veræ vulgatæ editionis, nec subesse decreto Concilii, nec planè in eo casu ipse corrigit, sed ipsa Ecclesia, quæ universaliter errorem contra fidem nullum admittit, & hoc est fidei nostræ principium in simbolo, unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; si dubitat, tenetur consulere viros doctos, nec propterea suspendens assensum, dubitat in fide, quia ad non credendum illud inducitur a prædicto articulo fidei; si nullo modo advertit, per ignorantiam invincibilem excusatur, credens errorem, illum tamen non credit fide divina, quæ cum sit virtus intellectualis, nullo modo potest credere falsum, juxta communem Theologorum doctrinam, quam cum Divo Thoma explicant Patres Salmaticenses in tractatu de fide disput. 2. dub. 4. & eodem proportionali modo se habet, ac ille, qui putans hostiam, quam elevat aliquis Sacerdos, esse consecratam, quæ tamen ex defectu intentionis; vel quia Sacerdos ille, talis putatus, non est baptizatus, aut non ordinatus, eam adorat. Fides enim dictat, hostiam consecratam esse adorandam, non verò dictat hanc hic, & nunc esse consecratam, sed hoc est dictamen prudentiæ regulantis actum religionis, ideoque in illa adoratione exercet fidem, credens hostiam consecratam esse adorandam, non verò formalissimè in hoc, quod hanc adorat, quia quod hæc sit consecrata, non dictatur a fide, quæ est infallibilis; ita proportione servata in nostro casu, credens illum errorem, exercet quidem fidem, non illum credendo, sed solum credendo legitimè vulgatæ editioni esse credendum in omni ejus parte, sed tamen in assentiendo huic, quam supponit esse talem, exercet fortè aliquam virtutem moralem, non verò intellectualem, siquidem virtus moralis non respicit verum reale, ut tale, sed bonum propositum ab intellectu, etiamsi talis propositio procedat ex ignorantia invincibili.

Dices hoc non cohærere cum doctrina, quam in

in primo capite de veritate Scripturæ tuemur; illic enim dictum est, veritatem Scripturę non mensurari a rebus, sed res ipsas mensurare, ita ut non ideò sit vera propositio Scripturæ, quia res sit, sicut dicitur, sed potius verum esse, quod est, quia in Scriptura dicitur, eam rem esse, ergo cum fides per Scripturam reguletur, si semel falsitatem inveniat in Scriptura, ignorando, quod sit talis, eam credet esse veritatem, nam ad hanc, respectu Scripturæ, non requiritur, quod res sit, vel non sit, sed quod dicatur, vel non dicatur in Scriptura.

Respon. neg. ant. ad probationem conc. fidem regulari per Scripturam, sed per veram Scripturam, non per falsam, in nostro autem casu, non est Scripturæ pars, illa falsitas, etsi putetur esse, per errorem, seù ignorantiam invincibilem, unde potius firmatur illa doctrina, nam ideò in ordine ad fidem illa falsitas talis est, quia Scriptura ei repugnat, divina enim revelatio, quę in Scriptura habetur, est ratio, sub qua fidei nostrę, unde non potest fides aliter procedere, quam sub illa ratione; quod autem hic & nunc talis revelatio cognoscatur, quoad hoc objectum, non spectat ad fidem, quę revelationem attingit in suo actu, tamquam id quo, non verò tamquam id quod; nisi forrè ipsa revelatio, ut quod proponatur, & hoc in presenti non contingit, quia ut diximus talis falsitas nullo modo proponitur ab Ecclesia. Sed hęc spectant magis ad tractatum de fide, eaque supponere potius, quam disputare debemus.

Quantum verò spectat ad præsens, ut sensum nostrum, scilicet in hac materia concludenter proferamus, illibatam omninò, & optimam moraliter vulgatam editionem ad sustinendum convincimur, præter allatas, hac ratione. Promisit Christus Ecclesiæ, quod numquam eam deseret, divina ejus providentia in ordine gratiæ, sanè non minor est, quam in ordine naturæ. Regula infallibilis ad fidem, quæ deficere non potest, necessaria est simpliciter, veritas una est, & indivisibilis, divina veracitas, si in minimo deficeret, nec esset veracitas, nec multò minus divina, sicut si formicam unam hanc minimam non posset Deus creare, vel ejus causalitatem athomus unus effugeret, nec esset Omnipotens, nec prima causa, nec Deus; si Ecclesia in rebus fidei, vel quid minimum erraret, Ecclesia Dei non esset, fides tolleretur, quam duraturam usque in finem Deus promisit; ergo posito Decreto Ecclesiæ hanc vulgatam esse veram Sacram Scripturam, quòd est esse Dei Verbum, locutionem ejus propriam, regulam fidei, infallibilem veritatem, nemo fidelis in ea vel minimos errores posse deprehendere, qui Dei locutionem dedeceant, qui veritatem, vel directè, vel indirectè lædant, imaginabitur, sed siquid fortè appareat, vel proponatur, erroris similitudinem præseferens, (nisi intrusum fuisse clarè cognoscat) Ecclesiæ Judicium non judicabit, sed potius propriam causabitur inscitiam, dicens cum Apostolo, sed neque me ipsum judico, & illud timens, qui autem non credit, jam judicatus est; nec sapiet plusquam oportet sapere &c. hoc ergo exemplar est veritatis Catholicæ; unde mirum est, quod non

A potius Catholici Doctores conentur corrigere textum hebræum, & græcum ad amussim authenticę vulgatæ, & tam sollicitè studeant, ut nævum in sole deprehendant; & regulam regulæ statuant, quæ talis non est, cum potius, quod Ecclesia decernit, id Dei veritas, id Dei voluntas sit.

Nunc autem, quia plures supersent in hac materia quæstiones, quę etsi utiles, non tamen adeò videntur necessariæ, earum Doctrinam per modum illationis breviter addemus.

ARTICULUS VIII.

Ex dictis aliqua inferuntur ad coronidem veritatis.

B EX dictis itaque primò infertur, in dubiis corrigendos esse omnes alios textus, quicumque illi sint, ad normam correctæ vulgatæ editionis, ubi est inter hanc, & illos aliqua diversitas, quia hęc est regula fidei, & quamvis ex illis fontibus sit derivata, tamen postquam ista est authentica, & pura, de illis autem non constat, sed potius oppositum, non sine fundamento timetur saltem in aliquibus, ideò fontes in hoc rivo suam debent quærere puritatem, quia si non sunt puri, & infallibiles, non sunt amplius formaliter fontes, rivi hujus purissimi, qui alium formalissimè recognoscit nunc suæ puritatis fontem, scilicet summam, & illibatam veritatis abissum, Spiritum Sanctum, per Ecclesiam sic fluentem. Ita & dicunt, & dicere tenentur omnes Doctores Catholici. C

Infertur 2. mentiri Calvinum, cum asserit, a Concilii Patribus decretum esse, ut reiiciantur hebræi, & græci codices omnes, hoc enim falsum est, quamvis enim latinam vulgatam omnibus prętulerint latinis editionibus, alios tamen textus non damnarunt, sed reliquerunt in suo esse, & ęstimatione, unde spectat ad peritos Theologos, tales codices examinare, & corrigere, cum enim ab antiquo essent canonici, ideò nunc non declarantur tales, quia censentur aliquo modo corrupti; Si enim puri invenirentur, esset implicantia in terminis, dicere, quod Ecclesia vulgatam approbat, quia sui fontis habet puritatem, quòd est esse veram Scripturam, & quod eodem contextu tales textus puros damnat, vel reiicit. Cum ergo Ecclesia, etiamsi corrupta esse exemplaria hebręa, & gręca prudenter suspicetur, nihilominus ea expressè non rejecerit, sed implicitè tantum, purę vulgatę postposuerit; adhuc non quidem ad corrigendam vulgatam, sed potius ad ipsam clarius capiendam, & propter alias utilitates, ad hebręum, & gręcum recurrere possumus. D Porrò plures hujusmodi utilitates inde consequentes sunt, prima ut tollatur aliquando obscuritas, seù dubietas proveniens ex natura linguę latinę, sicut v. g. Prov. cap. 11. habemus: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra*, ex vi latini sermonis non statim deprehenditur, an ly suis sit substantivum, vel adjectivum, a suus, sua, suum; at ex hebr. dignoscitur esse nomen substantivum animalis. Item Matth.

Matth. 3. *potens est Deus; ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* ly Abrahæ, potest sumi, vel in genitivo, vel in dativo, in græco autem cognoscemus sumi in dativo. 1. Chorin. cap. 4. Auferte malum de medio vestri, ly malum potest esse neutrum, & masculinum; ex græco masculinum esse intelligimus; aliquando etiam est æquivocatio in tempore. Mar. cap. 17. Epheta, quòd est adaperire, potest esse, vel modi infinitivi, vel imperativi; ex græco habetur esse imperativi; sicut, & Joan. 7. tempus meum nondum advenit, quodnam sit hoc tempus nescitur, at ex græco indicatur præsens. In his licet recurrere, ob idioma, non ob correctionem. Secunda utilitas est, energia, & proprietas dicendi. Exod. 1. Ædificavit illis domos, ex hebræa phrasi eruitur, quod dedit fæcunditatem, & copiam filiorum; Psalm. 38. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, Hebræa expressiò significat mensuram præcisè quatuor digitorum, ex quo brevitas cognoscitur hujus mensuræ. 3. utilitas est, posse ex illis corrigere aliquos librariorum errores, si qui inveniuntur, sicut Psalm. 41. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, in hebr. apertè legitur, fortem vivum, & tunc corriguntur librarii, non Scriptura Sacra. 4. utilitas, ad cognoscendam vim dictionum, quæ ex antiquo fonte in vulgata retinentur, quia verti breviter non poterant, ut Osanna, alleluja, Abba, &c., & in græc. Encænia, Næomeniæ, Parasceve, Mæchia, Scisma, Melotum; 5. ad eruendos alios etiam sensus pro concionibus, ex multiplici significatione unius dictionis, ut Isaiæ 5. expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas; ex eadem voce noster vertit, labruscas, at 70. verterunt spinas, nam eadem dictio hebræa stat pro utroque. 6. ad intelligendam vim adagiorum, & idiotismorum, proprietates, de quibus suo loco dicetur. 7. ad convincendos Judæos, & Scismaticos, valdè confert uterque textus hebræus, & græcus. 8. ad videndum, cum quanta diligentia, & studio, nostra vulgata translata fuerit, aliaque id generis reperies, & deduces ex Arias Montano, Driedo, Pagnino, alüsque pluribus, qui similia admodum scrutari studuerunt.

3. Infertur mentiri Kemnitium, dum asserit Concilium Tridentinum præcepisse, ut relicto operis proprio Spiritus Sancti, scilicet hebræa, & græca editione, Ecclesia recipiat ut authenticos codices, in quibus a librariis mutata, & corrupta est veritas Scripturæ, constat enim ex dictis, plures falsitates in simili dicto reperiri, quam verba, cum clarum sit decretum Concilii, quod certè hebræam puritatem non contempsit, sed vulgatam commendavit. Sicut etiam irrationabilem esse irrisionem Martoni hæretici Angli, ex eo quod Concilium definierit vulgatam esse authenticam, eamque jusserit corrigi; authentica enim, & vera Scriptura semper fuit in Ecclesia Dei, ut vidimus, sed non in pluribus codicibus, & ordinata fuit correctio non emmendatæ, quæ vagabatur in pluribus codicibus, ut Ecclesiæ constaret universaliter, quænam esset vulgata canonica, unde non erat dicendum, sicut ipse audet, hoc fuisse baptizare infantem in utero Matris, sed quam habebat, & sciebat puram jam esse, approbavit Concilium, neque extenderetur, jussit id corrigi, quòd in pluribus continebatur erratum vel corruptum, ad tollendam errori successionem.

Infertur quartò, convenienter factum esse, ut ea, quæ in primævo fonte, carmine tradebantur, soluta oratione traducerentur, quia proprietas poetica, in utraque lingua, maximam habet diversitatem, unde erat impossibile servare sententiam, & veritatem, & metrum vertere metro; quocirca supponimus ex communi sententia, pro qua N. P. Antonius fere 30. Doctores adducit, aliquas Sacræ Scripturæ partes, metro in suo originali constare, nempe Cantica, & Psalmos, & illa etiam, rationem autem assignatam hic, & superiori doctrina, tangit August. *epist.* 131. *quibus numeris consistant versus Davidici scripti, nescio, neque enim ex hebræa lingua, quam ignoro, poterat etiam numeros Interpres exprimere, ne metri necessitate, ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur, certis tamen constare numeris credo illis qui eam linguam probè callent.*

Infertur quintò, quod ubi Ecclesia imposterum sacrorum codicum emmendationem fieri curet, hoc erit ad corrigendum ea, quæ librariorum incuria irrepere possunt, cum non sit munus Ecclesiæ, novam Sacram Scripturam condere, aut Verbum Dei semel, ut tale cognitum immutare, quippe nec illa, nec illud errare possunt. An verò sit, an possit dari casus universalis errati, in omnibus codicibus, quidquid dicant Cajetan. lib. 2. Regum, cap. 21. Mariana tractat. de vulgata cap. 33. dicimus eum Abulensi l. 4. Regum cap. 24. quæst. 8. Dominico Gravina de præscrp. l. 4 N. P. Dominico loco citato, cap. 90. aliisque pluribus, non esse, nec posse fingi futurum. Ita deducitur ex D. Augustino *lib. de utilitate credendi, contra Manichæos. Quam multa*, inquit, *solent dicere immissa esse Scripturis divinis, a nescio quibus corruptoribus veritatis, quæ mihi semper quidem etiam, cum eos audirem, invalidissima visa est.* Rationem verò impossibilitatis suggerit ipse l. 32. *contra Faustum cap.* 16. ostendens, quod neque Manichæi si vellent, id se posse concederent, falsare videlicet codices, qui in manibus essent omnium Christianorum, *quia*, subdit, *mox ut facere cœpissetis, vetustiorum exemplarium veritate convinceremini. Qua igitur causa a vobis corrumpi non possent, a nemine potuerunt.* Aliasque similes rationes adducit supra lib. 11. cap. 3. sed & alia ratio id invincibiliter convincit: Ablatis scripturis rueret fides, quæ sub divina revelatione essentialiter procedit, sed falsatis omnibus codicibus auferretur veritas inconcussa, & auctoritas Scripturæ, quæ rationes ipsam constituunt in ratione regulæ fidei, & ideò Scripturæ censerentur ablatæ, ergo & fides, cum autem portæ inferi adversus eam prævalere non possint, & qui ei promisit permanentiam, nequeat non esse fidelis, & verax in sermonibus suis; sicut fides perire non potest, ita nec ejus regula falsari, quocumque eventu, vel malitia; universa enim divinæ subduntur voluntati, cui nemo resistit, aut resiste-

re potuit, cui dictum est, ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. Totus patet discursus, eumque firmat Augustin. lib. 11. citato c. 2. 3.

Et hæc de versionibus dicta, totam hanc certè non complent materiam. At nos consultò ab ulteriori abstinemus indagine, tum quia nulla est A necessitas tam longæ divagationis, in re simili; tum quia quidquid in hac materia desiderare potest curiosus, inveniet facilè ad abundantiam, & supra, diffusissimè exaratum, toto volumine quarto Operis magni, P. N. Cherubini, ad quem remittimus lectorem, nosque properamus.

TRACTATUS VIII.

DE OCTAVA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ, PER EJUS BONITATEM.

CAPUT I.

Quænam sit bonitas Sacræ Scripturæ.

Penetravit procul dubio, speculis solis sui, rerum omnium esse, acutissimus Thomas, quippequi dum infans, vix vestigia piemeret, Dei vestigium in omnibus exquirebat, ubique, & undique quærens, quid est Deus; nec mirum, hanc rerum in se relictam sentiebat impressionem ab ea, quæ Eliæ se se ostenderat, typo abscondicam nubeculæ parvæ, quæ tamquam vestigium hominis, cælum lustrabat, cujus salutationem in pectore suo tamquam in meliori cælo condiderat; demum adultus, & inter grandiores sapientiæ Atlantes superadultus, cum Deum in se ipso viator videre non posset, ita vidit in creaturis, ut ejus vestigia in ipsis signata, colligeret, & demonstraret. Hinc quæst. 21. inter disputatas, quæ est de bono, arti. 4. in 5. instantia, argumento, sed contra, inquit, creatura dicitur habere vestigium Trinitatis, secundum quod est una, vera, & bona, & quidem congruentissimè; per unitatem enim antequam nihil, quæ principium est omnis numeri, Patrem, qui est innascibilis, & Trinitatis principium; per veritatem, quæ ad intellectum pertinet, a quo rebus communicatur, Filium, qui est Verbum intellectivæ terminus processionis, per quem omnia facta sunt; per bonitatem, quæ est amoris objectum, & finis voluntatis, eam atrahens ad sui unionem per amorem, Spiritum Sanctum, qui & summum exprimit bonum divinum, & substantialis amor est, unitivus nexus Trinitatis, terminus volitivæ processionis in Deo, exhibet in se qualibet creatura, Creatoris sui vestigium. At verò ne per hæc suprema, & infima, a proposito nostro divagari videamur, Sacra Scriptura, cujus proprietates rimamur, etsi considerata quoad ea, quæ continet, & totam Trinitatem, ac divina arcana, ne dum tamquam vestigium, sed tamquam sublimis, & divina descriptio, oratio, ac demonstratio representet, secundum tamen suum B esse illam continens, & revelans, cum sit quid creatum, petit in se considerari, tamquam in vestigio, modo superius exposito, eminentissime tamen Trinitatem. Ejus unitatis contemplationem, ut infra reservemus, dispensat, ordo doctrinæ; veritati usque modo allaboravimus; nunc bonitas attrahit, quę illam ita transcendit, sicut esse opus specialissimum Spiritus Sancti, ejus essentiale est prædicatum.

ARTICULUS I.

An Sacra Scriptura in sua linea sit perfecta.

C Bonitas transcendentalis, de qua in præsenti, secundum doctrinam Angelici, quæst. 1. de veritate, art. 1. & qu. 21. superius citata, & alibi sæpè, exprimit convenientiam entis ad appetitum; unde in principio Ethicorum dicitur, bonum est, quod omnia appetunt, & specialiter quæst. 21. art. 1., & sequ. explicatur per rationem perfectivi alterius; at quia nihil potest esse perfectivum alterius, nisi prius perfectum sit in se ipso, ideò idem S. Doctor aliquando rationem boni explicat per esse perfectum, ut p. p. quęst. 5. & 3. contra Gentes, cap. 27. Ut ergo videamus, quomodo Sacra Scriptura bona sit, idest perfectiva, prius quærendum est, quomodo sit perfecta in propria D linea, scilicet per modum manifestationis divinæ mentis, & veritatis; at quia cum sit de essentia manifestationis, seù revelationis respectus ad rem revelatam, & ad personam, ad quam ordinata est revelatio, sive clarius, respectus ad finem, ad quem a revelante dirigitur, ideò secundum se hoc modo considerata redupplicativè, non habet absolutè rationem finis, sed rationem medii, ideò in titulo additum est, an sit perfecta in sua linea; porrò quia in ea maximè consideratur veritas, quę est bonum, & finis intellectus, ideo potest sumi, & per modum medii, & per modum finis, de ejus veritate jam egimus specialiter, & totum hoc

hoc qualecumque opus ad veritatem ejus ordinatur; restat igitur, ut eam sic constitutam in ratione veri infallibilis, nunc consideremus tamquam medium, & respondeamus, an in hac ratione sit verè perfecta, acturi de ea, an & quomodo sit finis.

Conclusio. Dicendum est primò, *Sacram Scripturam*, in ratione medii ad cognitionem supremæ veritatis, esse perfectam. Hanc conclusionem in terminis docet Apostol. 2. *ad Timoth. cap. 3.* ubi sic concludit *omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Si enim utilis est ad docendum, & ad omnia munera Doctrinæ in ordine ad verum, & speculativum, & practicum, ergo illi, ad inducendum in cognitionem veritatis supremæ, quæ est immediatus finis ipsius, ex qua postea oritur opus bonum, jam nihil deest, ergo in hac ratione, quæ est vera ratio medii perfecta est, nam perfectum secundum Philosophum, dicitur id, cui nihil deest, ideò notanter dicit Apostolus, *utilis est*, quia utilitas est bonitas constitutiva medii, quæ non desumitur ex convenientia immediata ad appetitum, sed ad finem ponendum, ut probant cum D. Thoma Nostri PP. Salmatic. de ultimo fine, disp. 1. dub. 1. per totum; eamque ostendunt esse veram, & intrinsecam bonitatem, a qua specificatur actus electionis &c.

Confirmatur primò, ex eodem Apostolo, inquit enim, *utilis est &c. ut perfectus sit homo Dei*, ergo habet veram, & intrinsecam rationem perfecti, prob. conf. implicat, quod aliquid sit causa perfectionis, & in se non sit perfectum, ideo ratio boni, idest perfectivi fundatur in ratione perfecti, ex qua tamquam ex ratione a priori oritur, quod bonum sit perfectivum alterius, ut profundè, & subtiliter probant citati Patres, parag. primo, ex intimis Doctrinæ Angelici, ergo si taliter utilis est Sacra Scriptura, ut sit perfectiva, & perfectum faciens, de necessitate in se, scilicet in sua linea, debet esse perfecta.

Confirmatur 2. ex eodem, inquit enim, *ut perfectus sit*, ly ut, ex natura suæ significationis importat causam finalem; sumitur ergo etiam ly utilis in hac eadem linea, atqui in hac linea medium specificatur a fine; ergo hæc utilitas specificatur a perfectione hominis, ergo debet esse in sua ratione, quid perfectum &c. maximè quia, etsi ubi plura sunt media, neutrum possit dici perfectum in ratione medii, sed solùm dicitur perfectum medium, quatenus coalescit ex omnibus, ubi tamen, sicut in nostro casu, unicum est medium, & ad omnia sufficit, per se necessaria ad obtinendum finem perfectum, necessariò debet dici medium in sua linea simpliciter perfectum, & specificatum a fine, qui ex se est ipsa hominis perfectio, ergo ex omni parte convincitur Sacram Scripturam, secundum Apostolum, esse perfectam in ratione medii.

Confirmatur 3. ex hoc quod dicit Apostolus, *ut perfectus sit homo Dei instructus*, ubi apertè indicat, se loqui de homine Dei, idest de homine,

A qui possidetur a Deo, quòd est habère Deum tamquam ultimum finem, ideoque sanctum esse, nec dicit, ut evadat homo Dei, sed supponit illum, qui ex hac doctrina perficitur, esse jam hominem Dei, idest Sanctum, & tamen dicit Scripturam utilem esse, ut talis perficiatur, ergo in ratione medii, utilis est ad quid plus perfectum, quam sit sola Sanctitas, idest ad hoc, ut ipsa Sanctitas perficiatur, juxta illud Apocalypsis *qui Sanctus est sanctificetur adhuc*, ergo taliter est perfecta in se ipsa, ut possit etiam perfectum plus perficere, ergo nec illi deest ipsum plus perfectionis in propria linea, unde absolutè, & omni facta suppositione perfecta est.

Confirmatur quartò; addit enim Apostolus, in quo consistat hæc perfectio hominis Sancti, ad
B quam utilis est Scriptura, dicens, *instructus*, ubi notandum, ut alias etiam advertimus; quòd eadem est doctrina, & disciplina ex parte formæ, dicitur autem doctrina prout est in docente, & disciplina, prout est in discente, sive in eo, qui per eam instruitur, ergo si hæc est perfectio hominis Sancti, ut habeat hanc doctrinam, per modum instructionis, & disciplinæ, ejus perfectio, nedum se habet per modum utilitatis, sed per modum formæ tribuentis perfectionem homini Sancto; quòd est sanè esse plusquam medium, si igitur Sacra Scriptura, ut exprimitur ab Apostolo, superat ex vi suæ perfectionis rationem medii, certissimum est, quòd in ratione medii, ad cujus rationem minus requiritur, perfectissima est, ideò etsi hanc conclusionem in terminis apud Doctores non inveniamus, cum adeò clarè, & intimè eam doceat Apo-
C stolus qui æquivalet millibus millium inter Doctores, qui tantum habent de auctoritate, quantum & de accessu, ad Doctrinam Apostoli, immò Spiritus Sancti, omnes Catholicos pro ea sine hæsitatione recensemus. Specialiter verò D. Thomam, *in prædictum caput, epist. ad Thimoth. lectione finali*, ubi, inquio, *ad citatum Apostoli textum, ubi ostendit, quod Sacræ litteræ sunt viæ ad salutem*; constat autem ex eodem Angelico, prima secundæ lib. citato, quod medium est via ad finem, & post pauca, *In homine Deus immediatè instruit intellectum, per Sacras litteras*, ac mediatè per alias Scripturas, per quod roborat hanc ultimam confirmationem, & prope finem, *Sacra Scriptura non qualitercumque*
D *bonum facit, sed perficit, Hebr. 6. ad perfectionem feramur, & ideò dicit, ut perfectus sit homo Dei; perfectum enim est, cui nihil deest; tunc ergo homo est perfectus, quando est instructus*; in qua brevi doctrina complectitur Angelico modo, quidquid hactenus humana tenuitate, vel dictum est a nobis vel potuit dici; ac denique ultimis verbis explicat hanc perfectionem non solum ad ea, quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ sunt supererogationis; *bonum autem facientes, non deficiamus Ad Galat. ultimò*.

Prob. 2. relictis aliis, quibus scatet tota Sacra Scriptura, suimet probationibus, ne nimis effundamur. Iterum breviter probatur *ex Psalm. 18.* ubi; *lex Domini immaculata convertens animas: Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*,

lis, & quæ sequuntur. Si lex Domini immaculata, ergo perfecta est in se ipsa, macula enim, aliqua imperfectio est, nam rei maculatæ certè puritas deest, cui macula opponitur, unde Divus Thomas *3. p. qu. 87. art. 2. ad 3. Maculam*, inquit, *contingere dupliciter, scilicet privatione decoris, & super induEtione defectus*, eamque definit, *prima secunda qu. 86. quòd est defectus nitoris*, ergo quæ lex immaculata est, nullo caret decore sibi debito, nullo turpatur defectu, & toto, sibi convenienti coruscat nitore, explicat verò Psalmista extensionem hujus perfectionis, ad id, ad quod utilis est, dum subdit, convertens animas, quem effectum supra explicabat Apostol. concludens, *ut perfectus sis homo Dei instructus*, ergo totam habet bonitatem, quam competere potest perfecto, & adæquato medio ad aliquem finem, in quo consistit tota ratio boni explicata, per perfectum, & perfectivum.

Sed obiicies, ex Apostolo, *ad hebr. cap. 3.* ubi dicit Apostolus, *nihil enim ad perfectum adduxit Lex*, ergo perfecta non est in se, si perfectiva non est, nec sanè perfectiva, si nihil umquam ad perfectum adduxit, constat autem, quod nomine legis, ut vidimus in initio, de nominibus Sacræ Scripturæ, venit Scriptura. Si autem dicas, quod Apostolus, nomine legis, eo loco accipit præcisè veterem legem, quæ cum esset umbra, expectabat a nova lege perfectionem, per Christum, novæ auctorem, ut ipse textus se explicat, & ibi notat D. Thomas; contra est, nam quomodocumque sumatur, etiam vetus Testamentum erat vera Sacra Scriptura, in quolibet sensu, ergo si nec perficiebat, nec perfectum erat, verum non asserimus.

Resp. admittendo solutionem datam, quia patet ex ipso textu, & D. Thomas ad replicam dist. ant. figurans prophetica, & complebilis, conc. ant. completa neg. ant.; & dist. conseq. si non perficiebat, nec perfecta erat prout ad ipsam spectabat, non verum asserimus, conc. conseq. si non perficiebat, nec perfecta erat, supra id, ad quod facta erat, neg. conseq. Ideò dictum est, in conclusione, quod Sacra Scriptura perfecta est in sua linea, ut conclusio, cum distributione accommoda, & cum veritate, de tota Sacra Scriptura, & de omni, & qualibet ejus parte consisteret. Constat ergo Sacra Scriptura, diversis partibus invicem coordinatis, ut ostendimus sigillatim in omni ejus parte, quando ejus epitomen compilavimus, assignando semper rationem continuationis, ejus partium; porrò cum sit totum quoddam perfectum, de cujus ratione est, ut habeat partes Etherogeneas, ut ex Philosopho ostendunt Nostri Patres Complutenses, in phisicis, de composito, ob diversa munera, ad quę proinde diversæ, & non ejusdem rationis partes requiruntur, ideò vetus Testamentum in lege, & prophetia nullam aliam debebat habere perfectionem, nisi in figurando, & promittendo perfectionem novæ legis, per Christum, quam revera habuit in se, & in hac ratione perfectum erat, & etiam perfectivum per fidem, & spem in Christum venturum, ob quam multi salvati sunt, ut Patriarchæ, aliique justi, Prophetæ, & Martyres, sicut

A Machabæi, nec alio modo debebat perficere; dicitur autem nihilominus imperfecta, per comparationem ad Christum, & novam legem ejus; sed adhuc advertendum, quod perfecta erat perfectione ordinis, quia ubi plura sunt propter unum, ibi est tantum unum, & iterum perfecta erat, respectu ad illud tempus. Unde D. Thomas loco citato, sibi opponens, quod, *lex vetus fuit reprobata, non autem reprobatur nisi malum; ergo mala fuit*. Respon. quod, *bona tunc fuit quia illi tempori congruebat, & tunc erat utilis, quia disponebat ad fidem, unde erat perfecta, & optima dispositio, quod satis est*. Adde quod si sumatur tota Scriptura prout est manifestatio divinæ veritatis, in qua ratione omnes ejus partes conveniunt, ubique simpliciter perfecta est, & perfectiva intellectus, & in hoc sensu non loquitur Apostolus, de Lege, sed tantum per comparationem ennunciatorum, ut apertissimè se se explicat ipse textus.

B

Obiicies secundò ex eodem Apostolo *prima ad Chorin. cap. 13. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte profetamus*; quod planè appellat supra totam Scripturam, de qua subdit, *videmus nunc per speculum, & in enigmate*, ergo ex parte tantum potest dici, quod Scriptura sit manifestatio veritatis divinæ, ergo non est perfecta, nec perfectiva, quia ex parte tantum perficere, non est perficere, & probare videtur hanc consequentiam Apostolus dicens. *Quando venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*, ergo sumit Apostol. hoc quod est esse ex parte, tamquam quid oppositum perfecto, ut ex terminis patet.

C

Resp. quod si obiiciens advertat ad id, quod positum est in conclusione, scilicet quod Scriptura perfecta est in sua linea, & per modum medii, non autem supra, cognoscet nihil contra nos ex hac objectione convinci. Si enim ratione hujus status, de quo loquitur Apostolus, non potest dari totalis manifestatio divinę essentiæ, *non enim videbit me homo, & vivet*, Deus dixit Moysi, jam nihil est contra nos, qui loquimur de perfectione possibili pro hoc statu, pro quo datur Sacra Scriptura; si dicimus, quod est per modum medii, ergo non per modum totius, aut ultimi finis, ut patet ex ipso nomine medii, si perfectam dicimus, non dicimus perfectissimam, si perfectam in sua linea, quæ coarctatur intra terminos hujus status, non efferimus D eam ad statum impertransibilis beatitudinis, si perfecta est denique in ordine ad fidem; ergo non in comparatione immediatè ad gloriam. Videatur Angelica vere expositio D. Thomæ, hoc loco &c.

Adde quod Apostolus apertè loquitur de cognitione nostra, non verò de manifestatione, unde etiam quando loquitur de speculo, & ænigmate, dicit nos videmus, non refundens hanc imperfectionem, supra manifestationem, si enim Scriptura non est perfectior, ideò est, quia status iste, cum perfectiore non habet proportionem, quod ex eo clarè constat, quod ipsi Apostolo evenit; cum enim raptus fuit usque ad tertium coelum, idest supra modum proprium intelligendi hujus status, ut sentit Divus Thomas, ipse confessus est, quod illa arcana verba, non licet homini loqui.

Obiicies

Obiicies tertiò, si Sacra Scriptura esset perfecta, esset etiam si non totaliter clara, saltem non ita obscura, ut indigeret declaratione Ecclesiæ, sed in pluribus ipsa indiget, ut experientia constat, ergo. Prob. major, eo ipso, quod indiget ad complendum munus manifestationis, tali declaratione, jam ipsi deficit in sua linea id, quo indiget, si enim, etiam sic diceretur perfecta, esset, & non esset, indigeret, & non indigeret, ergo &c.

Resp. neg. maj. ad probationem dicimus, munus Scripturæ Sacræ non esse, quod declaret, sed quod manifestet obscurè, & hæc est ejus linea; immò obscuritas prout dicit aliquem defectum, potius est modus nostræ imperfectionis, quam suæ manifestationis, juxta quod D. Petrus, loquens in sua prima canonica, de Scriptura, seù de sermone prophetico, dixit, *habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*; ubi caliginem quidem concessit mediare inter Scripturam, & nostram cognitionem, sed potius eam se tenere ex parte loci, quam ex parte lucernæ, idest Scripturæ. Nos igitur indigemus declaratione Scripturæ, non ipsa; imperfectio igitur nostra est, quibus non est datum, abdita illius arcana penetrare, ipsa verò in sua linea perfecta est, eum potius id habeat, quod status nostræ caliginis requirit, scilicet obscuritatem, ne cæcutiamus ob luminis excessum.

Resp. etiam secundo, quod sicut ejus obscuritas, propter est ex parte illius, oritur ex sublimitate mysteriorum, ideoque indicat perfectionem; ita quod debeat declarari, oritur ex ejus dignitate, quæ tale ministerium ex sua perfectione requirit, & propterea ipsa est, quæ dat Ecclesiæ hanc potestatem, sive Deus, ipsa mediante, unde sicuti, quod divina aliquo modo etiam obscurè capiantur, requiritur assiduum studium, & contemplatio, ac ipsius Dei magisterium, & nihilominus non arguitur in eorum intelligibilitate infinita, aliqua imperfectio, sed potius summa perfectio, ita proportione servata de Sacra Scriptura concludi debet &c.

ARTICULUS II.

An Sacræ Scripturæ conveniat bonitas finalis.

Constat ex Doctrina Nostrorum Patrum Salmaticensium, de ultimo fine disp. 3. dub. 2. fere per totum, in eodem posse reperiri, secundum diversum tamen respectum, & propriam rationem medii, & ipsam formalem rationem finis, non itaque ullo modo implicat, in ipsa Sacra Scriptura, in qua antecedenti articulo comperimus bonitatem medii, in præsenti perfectionem finis venari. Porrò ex communi Doctrina Philosophi 2. Ethicorum, cap. 3., & alibi sæpè tradita, bonum dividitur in honestum, delectabile, & utile, hoc ultimum constituit medium in suo formali conceptu, alia duo ad finem spectant.

Dicendum est, Sacræ Scripturæ secundum diversam considerationem, nedum utilitatem competere, sed etiam suo modo honestatem, & delecta-
A bilitatem, ideoque nedum habere rationem medii, sed etiam rationem finis.

Radicem habet hæc conclusio in principiis, tum peripateticis, cum Catholicis, ac Thomisticis, ideòque universaliter veram, & communem complecti sententiam, apertè constabit, si talia principia unico intuitu recolantur.

Ad probationem igitur primæ partis, supponi debent generalia quædam, & communissimæ veritatis theoremata. Primò: speculativæ finis veritas, practicæ autem opus; bonum dicitur per convenientiam ad appetitum; bonum verò honestum, per convenientiam ad appetitum rectum, idest ad rectam rationem practicam. Fides est simpliciter practica, & simpliciter speculativa, est habitus primorum principiorum supernaturalium. Sacra
B Scriptura est regula fidei, & mensura veritatis, ideò debet præhabere per modum regulæ id, quod habet fides per modum regulatæ.

Deinde Sacra Scriptura potest considerari tripliciter; primò secundum respectum ad revelantem, & sic supra ipsum reflectitur, & dicitur Deus revelans, nec ponit in numero cum ipso, ut revelante, secundo per respectum ad res revelatas, quas licet obscurè, tamen verè repræsentat, & hoc modo se tenet ex parte objecti formaliter, tamquam ratio, sub qua fidei, nec ponit in numero, cum objecto *quod*; sicut species intelligibilis, se tenet ex parte objecti, & in esse repræsentativo est ipsummet objectum; tertio prout importat proprium modum essendi, quatenus est enunciatio quædam producta, quæ suam speciem recipit ab objecto in esse
C formæ, at in esse rei essentialiter respicit auctorem suum specialissimum, scilicet Deum, sicut proportione servata, actus intellectus specificatur ab objecto in esse formæ, at in esse vitalis a principio effectivo; sumpta tertio modo dicit præcisam utilitatem, de qua dictum est, sic enim non est appetibilis, nisi quatenus deservire potest ad docendum, ministrando enunciativè doctrinam, quam continet aliis duobus modis considerata, propter quos modos importat infallibilem veritatem. Si sumatur formalissimè primo modo, exprimit ipsum Deum, ut revelantem, & diffundentem suam veritatem, quæ diffusio est proprietas boni, ideò summam dicit honestatem, nam prout hoc modo reflectitur supra ipsum, dicit convenientiam, ad rectissimam
D Dei rationem, & ad divinam veracitatem; unde in hoc sensu supponenda est, uti bonum optimum, & honestissimum, cujus bonitas est divina. Si secundò modo, ut reflectitur supra id, quod immediatè manifestat, sequitur conditionem illius, & eandem cum illo respectum habet, ad rectam rationem, & ad finem ultimum, scilicet Deum, unde ita se habet in practicis, sicut propositio objecti, quam intellectus facit voluntati, quæ talis est in esse boni, quale est ipsum objectum; in speculativis verò ita se habet, sicut species repræsentativa, in linea intelligibili, in qua quæritur veritas, non bonitas.

Si verò sumatur quarto modo, prout est manifestatio veri, & boni facta a Deo, data per modum regulæ assensus fidei nostræ, sicut importat rationem veri simpliciter, ita, & rationem boni honesti.

sti, quamvis enim fides spectet ad intellectum, tamen requirit etiam ad sui assensum, voluntatem, ex eo quod intellectus non necessitatur ad verum, obscurè propositum, ideoque determinari expectat a voluntate, nec voluntas concurret, nisi in objecto proposito, ut credendo, appareat conformitas ad rectam rationem, quæ est ipsa honestas, & hoc modo ratio honesti maximè reperitur in Sacra Scriptura, sic adæquatè considerata; & hoc adhuc dupliciter, vel enim Scriptura aliquid dicit præcisè ut credendum, vel aliquid proponit, aut præcipit ut operandum; si primum, movetur voluntas ad assensum cum intellectu, ratione honestatis, sive conformitatis ad rectam rationem, quam dicit illud objectum, ut credibile, & infallibile, quia à Deo dictum, in quo relucet honestas regulæ veritatis; Si secundum movetur voluntas a bono sibi proposito, quod certè conforme est rectæ rationi, eo quod est conforme ad regulam bonitatis, quæ est ipsa divina ratio, relucens in Scriptura. Sic ergo de primo ad ultimum, Sacra Scriptura, modo suo dicit honestatem, quæ certè est bonitas finalis, non enim datur alia bonitas, nisi vel utilis, vel honesta, vel delectabilis, hæ duæ posteriores constituunt rationem finis, prima rationem medii. Non eget ergo alia probatione, aut explicatione, aut confirmatione conclusio, quoad hanc partem, quemore principiorum, explicatis terminis constat per se ipsam. In hac autem doctrina, a citationibus abstinuimus, tum quia omnia videntur per se vera, & nota ex propria ratione, tum quia omnia quæ in primis quæstionibus 22. & in aliis plurimis locis, dicit Divus Thomas, & in tractatu de ultimo fine, & ferè in tota Theologia, identidem tradunt Patres Salmaticenses, imò & in aliquibus philosophiæ partibus, PP. Complutenses, cæterique Thomistæ, & etiam plures ex Neotericis, magno cum tædio oportebat afferre.

Nunc ad abundantiam, aliquam etiam probationem adducemus. Certè Sacra Scriptura, est ipsa Dei sapientia manifestata sapientissime, & ipsa cujusque creatæ sapientiæ regula, & sapientissimæ veritatis, tum intelligibilis, cum practicabilis enunciatio; eam enim esse veram, universalemque sapientiam, & virtutum omnium doctrinam, in quibus specialiter relucet honestas, præter experientiam ipsam, docet Apostol. prima ad Timoth. cap. 4. & 2. ad eundem cap. 3. & alibi sæpissimè se se declarat Scriptura, & semper constat in facto, & prob. August. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 37. & 40., & quandocumque se se offert occasio, scatent opera Augustini demonstrationibus hujus veritatis, & maximè tractatu de arbore scientię boni, & mali, & lib. 4. de Doctrina Christiana, cap. 5. & 6. Ad Volus. epist. 1., & de laudibus Sacræ Scripturæ ad Fratres in Eremo. Eamque ostendit Chrisostomus sup. Math. cap. 22. hom. 42. operis imperfecti. Clarius verò, proverbiorum 8. *Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum, recti sunt intelligentibus, & aqui invenientibus scientiam*. Ita communiter omnes, qui aliquo modo noverunt, vel quid sit sapientia, vel quid sit Scriptura. Atqui nihil sapientia honestius, aut esse, aut dici potest, cum enim sapientia sit per altissimas causas cognitio, & altissima omnium causa sit ipsissima omnium rectissima ratio, jam ex hoc ipso sapientia, est ipsa conformitas, & convenientia ad rectam rationem, quæ est ipsissima honestas, sed major propositionis hujus probatio, est totus liber sapientiæ, de qua dicit sapiens, *quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo*, & cap. 6. ostendens ejus honestatem, etiam in terminis moralibus inquit. *Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia, curaque disciplinæ, dilectio est, & dilectio, custodia legum illius est, Custodia autem legum, consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo*; eamque applicans ad Sacram Scripturam, in qua continentur sacramenta Dei, subdit. *Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit referam, & non abscondam a vobis sacramenta Dei*, & concludit, *ergo accipite disciplinam, per sermones meos, & proderit vobis, &* cap. 7. *omnium enim artifex docuit me sapientia, est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus &c.* Adde quæ sequuntur, in quibus, an sapientia, an honestas, an scriptura describatur, revera (adeò enim ista sunt idem) nequit discerni, ergo maximam dicit honestatem, ergo bonitatem per modum finis honesti &c.

Prob. 2. veritas est finis intellectus, non quod intellectus agat propter finem, sed quia a natura unumquodque est propter suam perfectionem, intellectus verò perficitur per veritatem, ergo id in quo perfectior est veritas, ac sublimior, perfectiori modo erit finis intellectus, sed hęc perfectior, & major esse non potest, in alio, quam in Sacra Scriptura, ut supra probatum est, tractatu præcedenti, ergo nec ratio finis intellectus, sed ex hoc ipso majorem dicit convenientiam ad appetitum, cui id magis placet, quod magis perficit potiorem partem suppositi, & propterea beatitudo, etsi per se primo perficiat intellectum, tamen est ultimus finis voluntatis nostræ, ergo etiam est finis in rigore, & in ratione boni, atqui tale bonum, ex hoc ipso, quod rationem perficit, nequit non ipsi esse conveniens, in quo consistit bonum honestum, ergo verè Sacra Scriptura habet bonitatem finalem, quæ est ipsum bonum honestum. Et hic discursus planè fundatur in principiis primo loco adductis, ideò nihil addendum, sed nec aliqua occurrit objectio alicujus momenti &c.

Prob. secunda pars, nempe, Sacræ Scripturæ competere rationem boni delectabilis, & ideo etiam ex hac parte esse finem, & non solum medium, pro quo supponendum est, quod delectatio importat quamdam animi quietem in bono, unde in beatis beatitudinem consequitur, quasi fructus, a quo proinde eadem fruitio denominatur; Illud itaque bonum dicetur verè delectabile, quod taliter in se potest sistere hominis appetitum, ut in ejus acquisitione, quodammodo fruatur, & quiescat, quam doctrinam pluribus explicant, & pluries ostendunt secundum principia Sacræ Scripturæ, Divi Thomæ,

mæ, & aliorum Patrum, Patres Salmaticenses, tractat. de beatit. disput. 1. per totam, at specialiter dub. 4.

Prob. primò, Psalm. 18., ubi de Sacra Scriptura, quæ secundum Patrum intelligentiam, ut vidimus de nominibus Sacræ Scripturæ dicitur, *judicia Dei*. Inquit Psalmista. *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum, etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa*, in quo plures sunt probationes asserti, si enim Sacra Scriptura est vera, & probatio veritatis ipsius, quæ est quædam veri justificatio in ipsa sola est, ergo delectatio illa, quam habet pars rationalis, in probando, idest justificando veritatem, sive ex hoc, quod illam videat justificatam, in ipsa sistit Scripturæ veritate, in qua est sui ipsius justificatio, hoc est probatio. Propterea sequitur, *desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum &c.* quasi sic arguens, aurum, & lapides pretiosissimi omnesque divitiæ desiderantur ab hominibus, ut bonum admodum delectabile, & tamen non sunt, quia in se ipsis non sunt desiderabilia, sed propter aliud, nec justificant bonitatem, quæ in ipsis apparet, ut sapientissime ostendit Divus Thom. pr. 2. quæst. 2. articulo primo, & sequenti, ergo multo magis desiderabilis est veritas Verbi Dei, quæ in se ipsa justificata est, verissima, & pretiosissima, quæ motum animæ creatæ, ad hoc ut in divina veritate quiescat, terminat, & delectat ratione sui. Addit etiam, *& dulciora super mel, & favum*, cum enim fruitio dicatur a fructu, qui dulcedine sua delectat, ideò exemplum delectationis sumitur a melle, quòd est dulcissimum, & a favo, in quo mel continetur; sed si hæc delectabilia, veritas sanè delectabilior, quia dulcior, cum sit ipsa conformitas intellectus, quæ ipsum non infatuat, sicut mel palatum, sed detinet, ut omni fatuitate depulsa, vera dulcedo in suo fonte gustetur, ut dicit Hieron. ad Rusti. Monachum. *Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis*. & super illud, Psal. 147. *Et adipe frumenti satiat te, pinguissimus*, inquit, *sermo divinus est, omnes in se habens delicias, quidquid volueris ex sermone divino nascitur; sicut tradunt Judæi. Quoniam manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscujusque, sic in ore sapiebat*, in quibus S. Doctor rationem boni satiativi, quæ propria finis est, in Sacræ Scripturæ veritate describit, quæ in melle non est, quod non omnem habet saporem, & suavitatem propriam boni delectabilis, nam suave quasi sua vi non aliena ennascens dicitur, & quidquid volueris boni, ex sermone divino nascetur.

In eo verò, quod sequitur, totum concludit Psalmista, per experientiam, *Etenim servus tuus custodit ea*, sicut & ejus sanctissima filia Sapientiæ Mater conservabat, & custodiebat omnia verba Dei in corde suo, ecce custodia, hæc est contemplatio; *in custodiendis illis retributio multa*, quia nempe ipsa veritatis contemplatio adeò delectat, ut sibi ipsa sit præmium, quies, fruitio, unde & Christus *Lucæ cap. 11. Beati, qui audiunt Verbum*

A *Dei, & custodiunt illud*, ergo ratio boni delectabilis, & per modum finis perfecti, ac perfectioris omni bono creato, in sola Sacra Scriptura reperitur. Quam veritatem Psalmista concinit toto *Psalmo 118. quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*, sic enim expressit bonitatem illam, quam prius dixerat factam sibi fuisse a Deo, per Verbum suum, cum dixit *bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum*. Hæc enim fuit bonitas summè delectans, *Quam dulcia &c.* ac demum concludit, *pax multa diligentibus legem tuam*, sic exprimens, in ejus se lege, idest in Sacra Scriptura delectari, quiescere, & frui, hæc enim omnia indicat pax multa, quam dicit.

Ne autem ulterius in re ex se notissima detineamur, vide dulcissimum verè Ambrosium, in expositione Psalmi 118., qui mella ab incunabulis B gestare manu assuetus, demum sapientissimè, adultus effudit, divinæ Scripturæ dulcedine scatens. Vide & nostrum Incognitum eodem Psalmo, & alibi, aliosque Patres, nemo enim in re tam sensibili, tamque suavi, ne dulcedinem amittat, dissentit. *Habet siquidem, & animus*, inquit, Augustin. *voluptatem suam, quæ professò major est mentis, quam ventris. Est quædam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille cælestis. Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur, inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos?* ac demum concludit. *Quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem. Tract. 26. in Joan.*

C

ARTICULUS III.

Ad utramque partem conclusionis Objecta, & responsa.

OBiicies primò contra primam partem conclusionis, si Scriptura haberet in se rationem boni honesti, hoc maximè eluceret in ejus Doctrina, per quam constituitur in ratione divinæ Scripturæ, ac sapientiæ, sed plura sunt in ipsa, quæ in oppositum vergunt, ergo. Prob. minor; totus liber cantici canticorum, quantum ad litteram, redolet potius mollitiem quamdam profani amoris; quam gravitatem, & puritatem, sicut etiam in libro Job, continentur maledictiones, & videntur approbari, & in aliis Sacræ Scripturæ partibus D plura hæretici carpunt, quæ displicent honestati; ergo &c.

Resp. neg. min. ad probationem, quod proprio loco, scilicet in regulis hanc, & similes objectiones Deo dante plenè solvemus. Pro modo tamen neg. ant. tum quia, Liber canticorum, etiam literaliter, & materialissimè consideratus, describit amorem inter Sponsos, & quemdam utriusque zelum, qui oritur ex amore, quia, ut ait Ovidius res est solliciti, plena timoris, amor, unde sicut non damnatur Apostolus, per hoc quod dicat, viri diligite uxores vestras. Vir uxori debitum reddat, & uxor viro, quod vir, & uxor non sunt duo, sed una caro, ita nec damnabile est canticum canticorum, per hoc quòd in similibus, stylo quodam poetico, qui magis amori aptus est, & sua, quamdam

4.

dem abscondit in numerositate licentiam, quasi videatur versari inter Sponsos; at melius quoad hoc canticum, respondetur, evidenter in eo excludi quidquid male olet; si enim ibi laudatur Sponsa, quia pulcra, & ideò pulcra, quia macula in ea non est, si vocatur de Libano, si dicitur Immaculata, quòd significat candorem, si appellatur columba, quæ vulgò Symbolum præfert candoris, & innocentiæ, jam ex hoc intelligitur, omnia alia sumenda esse, prout sonant amabilem quamdam innocentiam, & puritatem, & sanè si intuitu legatur sincero, se se explicat, non debere intelligi secundum materialem litteræ sonum, quomodo enim si ad litteram sumitur potest esse pulcra, quæ habet, caput, ut carmelus, qui est mons, & nasum, ut turrim, & dentes, sicut grex caprarum, quæ plenæ sunt gemellis fœtibus? Hæc autem prudenter credendum est posita a Spiritu Sancto, ut & mysterium sub velamine traderetur, ut inde conjiceretur, cætera etiam esse mysticè accipienda, plus enim est impossibile, quod Spiritus Sanctus inclinet in immunditiam; quam quod vir, vel fœmina habeat nedum caput simile monti, sed & montem pro capite, quòd argumentum clarè surgit, ex quorundam dictorum materiali impossibilitate.

Quoad librum Job; plures possent adduci, secundum Gregorii, aliorumque Patrum, & Theologorum sensum, explicationes, sed ad præsens non spectant, & suo loco reservantur. Pro modo dicimus, eas maledictiones sumendas esse, ut sunt expressivæ descriptiones crudelissimæ percussionis, & doloris vehementissimi, quod si talis fuit dolor, quomodo potuit ratio non absorberi, & relinqui locus voluntario, quod debet esse ab intrinseco cum cognitione, sine quo nullum est peccatum? sed & insuper non omnia excusantur, ut constat ex textu, sed aliqua sunt aliunde etiam excusabilia, & plena mysteriis, quæ potius in similibus debent attendi, quam nudus litteræ sensus &c. de aliis autem, alibi peculiares solvendæ sunt difficultates.

Obiicies contra secundam partem conclusionis, conclusio procedit de Sacra Scriptura, secundum se, prout est sic considerata; probationes autem videntur procedere de Scriptura, considerata præcisè secundum quod importat divinam veritatem, sive potius de veritate ipsa, quam de Scriptura adæquatè sumpta. Hoc autem clarè apparet, nam sumitur argumentum, ex hoc quod divina veritas sit sibi sufficiens, permanens, dulcis, & perfecta, quæ quietat intellectum, & sua plenitudine delectat voluntatem, quia anima desiderat veritatem, ideò eam assequens delectatur, & his similia.

Respon. neg. ly præcisè, verum quidem est, quod probatio desumitur a veritate, sed ab ipsa, ut cognita in revelatione ipsa Scripturæ; & sicut objectum delectationis non excludit cognitionem, ita nec revelationem, sine qua non esset cognitio, & addendum est primò, quod non delectatur anima tantum de veritate, sed potius de cognitione, ac de revelatione veritatis, & ratio est, quia veritas, ut talis non est objectum gaudii, quod spectat ad voluntatem, nisi superinduat rationem boni, A hæc autem tunc cognoscitur adesse, cum adest proprietas boni, quæ consistit in diffusione sui, hæc autem diffusio, seu communicatio fit per manifestationem ex parte objecti, & per cognitionem ex parte nostra, ratio ergo delectabilis boni, non ponitur a nobis in nuda veritate, sed potius in eo quod complet ipsam, & transfert ad lineam boni, & in hoc importatur tota Sacra Scriptura adæquatè considerata.

Adde secundò, quòd etsi perfectio præcipua, de qua anima delectatur in Scriptura, sit divina veritas, hæc tamen nequit terminare delectationem, nisi fiat quodammodo connaturalis nobis, saltem quoadmodum nostrum intelligendi pro hoc statu, non enim possumus delectari de objecto, omninò improportionato, nam improportionatum ut tale, B non est conveniens, ideòque nec est bonum exercitè, cum autem divina veritas, secundum se, omninò suprema sit, & nulla detur ad ipsam in proprio modo essendi, proportio in nobis pro hoc statu, ubi intelligimus per phantasmata, dignata est divina bonitas, propriam quodammodo deprimere veritatem, & eam, quæ omninò spiritualis, infinita, suprema, & una est, ad nos mittere involutam in dictionibus, & quasi particam, per plures conceptus, modo phantasmatibus proportionato. Ratio igitur delectationis, est quidem divina veritas, at sub hoc modo revelationis, ideoque omne id, quod Sacram Scripturam constituit, adæquat bonum illud, de quo delectamur.

Obiicies 3. id quod est finis, alicujus est finis; C sed nequit assignari cujus finis sit Sacra Scriptura, hanc ergo rationem non habet. Prob. mi. non est finis intellectus, quia hic non agit propter finem, nec voluntatis, quia objectum ejus non est veritas, vel aliquid de linea veri, ergo. Tum etiam non potest dici, quod sit finis intellectus practici, nam iste secundum Philosophum habet pro fine operationem, ad quam movet, & dirigit voluntatem, sed Sacra Scriptura non est aliquod opus faciendum, ergo nec est finis intellectus practici. Tum etiam si esset finis, maximè in ratione honesti, sed hoc non, aliter actus credendi esset actus bonus moraliter, ex natura sua tendens ad bonum honestum, hoc autem est falsum, quia fides sine operibus mortua est, ex epistola D. Jacobi; ergo nullam ex se bonitatem habet, id enim quod mortuum est, D non est bonum, quia nec perfectum, cum ipsi præcipuum fundamentum perfectionis desit, scilicet vita, immo mors tollit subjectum, nedum perfectionem, unde nec est perfectiva, ex dictis superius. Nec potest dici, quod sit finis in ratione delectabilis, quia fides est obscura, & ipsa Scriptura, ænigmatica, si autem obscuritas posset stare, cum delectatione, non esset cur ad beatitudinem deberet dari claritas luminis gloriæ, sed posset ipsa fides in patria durare, & perfici.

Respon. conc. maj. & neg. minorem, ad cujus probationem, dicimus, aliud esse, quod intellectus in sua linea agat propter finem, aliud verò, quod vel a natura ipsa sit propter aliquem finem, velut subest motioni voluntatis tendat in finem, primum falsum est, nec hoc dicimus, secundum verò debet

ab

ab omnibus admitti, quia unumquodque est propter suam perfectionem, ex intentione naturæ, & omne quod movetur, & aliquando in aliquo sistit, sicut quælibet potentia, certè habet rationem, quare moveatur, & quare sistat, scilicet propriam perfectionem, & commune est illud philosophi axioma, unumquemque, cujus est opus, gratia operis. Sed & insuper intellectus potest sumi præcisè in sua linea, & hoc modo agit quidem propter finem communem, materialiter, scilicet propter suam perfectionem, sed non propter finem formaliter, sicut voluntas, cum verò sumitur, ut subordinatur voluntati, sequitur motum ejus, & ideò in intellectu potest dari actus moraliter bonus, ut bene prob. Nostri Patres Salmaticenses, in præsenti tractatu, & de virtutibus, de actu religionis. Sicut enim intellectus applicans voluntatem facit, quod ipsa velit verum, ita voluntas applicans intellectum, eum ducit ad bonum. Ad secundam instantiam, neg. maj. ad insertam probationem, dicimus, quod sicut Deus est ultimus finis, & nihilominus a nobis non est operabilis, sed tantum attingibilis, ita proportione servata, Sacra Scriptura est finis, non ut factibilis, sed ut exequibilis per operationem, vel credentis, vel observantis mandata, quæ in ipsa sunt, unde dicitur finis, secundum operationem, quam præscribit, vel proponendo veritatem, vel præcipiendo actum bonum.

Ad tertiam instantiam, conc. maj. & neg. min. ad probationem conc. maj. & neg. min. ad probatio: fides sine operibus mortua est, hoc vel dicitur de fide secundum se, per modum habitus, prout sic enim non sufficit ad justificationem, quæ est reparatio vitæ spiritualis, vel intelligitur de fide in ordine ad meritum, ad hoc enim non prodest nisi formata per charitatem, & ideò fides in peccatore, in quo per dilectionem non operatur, caret merito, & est sicut mortua, cum non sit conjuncta cum principio vitæ, quod est gratia sanctificans, se habens tamquam natura in ordine supernaturali, vel fides sine operibus mortua est, quia cum non se moveat, nec ostendat se vivere, nisi per operationes, non potest probari, quod sit viva, quando non movetur, nec movet volitionem, ad aliquid suis principiis conforme, operandum, & hic est sensus proprius Apostoli, qui subdit, *ostende mihi fidem tuam sine operibus*, quod est impossibile, *& ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*; cæterum, quomodocumque intelligatur, nam D. Thom. 22. qu. 4. sæpè, dictum hoc intelligit in ordine ad meritum; certum est quod cum ad actum fidei requiratur pia affectio in voluntate, per quam movetur intellectus ad credendum, & hæc pia affectio sit etiam in peccatore, aliter peccator non crederet, quod est damnatum, oportet dicere, quod Fides, sive ejus actus est bonus moraliter. Sicut enim, quando charitas ad eum movet, communicat illi propriam formam, ita cum absente charitate, pia dilectio ad eum movet, communicat illi propriam moralem bonitatem, hinc constat ad id, quod subditur, dicimus enim fidem in peccatore, non esse omnibus modis mortuam, aliter non esset, sed tantum quoad meritum.

A Ad ultimam instantiam, neg. ant. ad probationem, delectatio non potest stare, cum obscuritate, dist. ant. delectatio viæ, neg. ant. delectatio patriæ, conc. ant. non enim hic possumus delectari, delectatione consumata cui absolutè nihil desit, sed tantum participata, quæ partim capit, quatenus contemplatur objectum, & ex illa contemplatione delectatur, & partim relinquit, quia claritatem non habet, sed expectat per spem Theologicam, sic enim decet viatores, aliter si possent hic perfectè delectari, non amplius procederent, & jam essent in termino, & hinc sapientissimè providit Deus huic viæ, ut ex obscuritate cognoscentes, quod desiderabilis sit claritas, ad eam magis moveremur per spem, & conaremur eam obtinere per charitatem.

B Vel dist. ant. delectatio non potest stare cum obscuritate totali, conced. ant. cum obscuritate, revelationis, neg. ant. nam etsi verum sit, quòd omninò abscondito delectabili, delectatio locum non habet, quia sine lumine, nulla datur cognitio, & sine cognitione voluntas nec moveri potest, nec consequenter positivè, & formaliter quiescere, cum aliquo tamen lumine revelante, & relevante totalem illam obscuritatem, quæ objectum totaliter occultabat per ignorantiam, valdè delectamur, contemplantes sub ipsomet velo reservatam, & quodam speciali dono se manifestantem in occulto pretiosissimam veritatem, ex quo desiderium inardescit, quo clamamus cum Sponsa ad Christum; *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ ut inveniam te foris, & deosculer* C *te*, ut nempe saltem aliquod initium divinæ veritatis, quod signatur per ly sugentem ubera; quòd est munus infantis, extrà obscuritatem, apprehendamus, & beato sic osculo delectemur, & cum Psalmista dicamus, *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*; sicut enim cum Deus apparuit ante faciem hominis, verè factus est homo, ita cum homo apparet in patria, ante faciem Dei, fit Deus, *similes enim ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*.

Unde nil refert, si dicas, quomodo Sacra Scriptura revelat Deum, si in tanta obscuritate eum involuit, hæc enim videtur non revelatio, prout hoc nomine significatur, scilicet veli ablatio, sed potius revelatio, idest nova velatio.

Respon. enim pro modo, nam alibi de hoc di- D ctum est, & iterum fortè dicetur, quod Sacra Scriptura data est, ut revelet Deum credendum; non Deum hic videndum, unde revelat quantum sufficit, ut credatur, quia sic decet viatorem tendentem ad visionem, quæ est terminus patriam constituens, quæque est tota merces.

Secundo notandum, quòd duplex est velum, aliud per excessum tenebrarum, aliud per excessum lucis, primum se tenet ex parte nostra, aliud se tenet ex parte objecti, illud est defectus luminis ex parte nostra, aliud est excessus infiniti luminis ex parte Dei, ipse enim lucem inhabitat inaccessibilem, & quia Deus nequit immutari, adhoc ut detur proportio inter utrumque, immutanda est creatura, cum proportione tamen ad proprium statum; itaque in statu viæ datur lumen fidei, & divinæ reve-

revelationis, quòd aufert velum ex parte nostra, sed adhuc remanet aliud velum scilicet excessus luminis, ex parte objecti, quod quia est Deus, qui si licet dicere, est in termino essentialiter, cum sit actus purus, & essentialiter beatus, ad ipsum non possumus proportionari, nisi & nos simus in termino, hæc enim proportio debet fieri per similitudinem, & ideò excessus ille lucis, reddit nobis invisibilem Deum, pro hoc statu, etiam ratione ipsius status, propter quam rationem ipse dixit, non videbit me homo, & vivet, sic ergo ut ipsum hic aliquo modo videamus, ad hoc enim facti sumus, dum in se ipso non possumus, in creata caligine eum rimamur, & hoc est munus luminis fidei, & divinæ revelationis, nos trahere ad summum gradum divinæ cognitionis, quam hic possumus habere, illuminando, quantum illuminabilis est pro hoc statu, intellectum, ut in ipsa caligine Deum videat, & hoc solum clarè videat, Deum scilicet pro hoc statu nobis invisibilem esse in se ipso.

Obicies 4. ex dictis in hac conclusione sequitur, bonitatem, quàm Sacræ Scripturæ attribuimus, nedum se habere per modum finis, utcumque, sed etiam per modum finis ultimi, sed falsum est consequ., ergo, & ant. Prob. sequ. honestas illa, quę fuit descripta ut propria divinæ sapientiæ major esse non potest; delectabilitas pariter, quæ solum per se ipsam, & ratione sui delectat, veritas scilicet justificata in semetipsa, nec ordinabilis ad aliud, cum a nullo pendeat, sitque per modum primi principii, ubi sumitur per modum finis, nequit non esse ultimus finis, cui soli correspondet, & ratio primi principii, & delectabile, quo nihil delectabilius, & satiativum, quod per se implet, & sistit appetitum, evidenter patet, quòd est ultimus finis, hæc autem, & similia de illa bonitate ostensa sunt, ergo &c. Prob. min. nullus finis ultimus potest esse ex parte, aut tendere ad totum, aut expectare, ut evacuetur, adveniente, quod totum, & perfectius est, sed hæc omnia dicit Apostolus, ut supra notavimus de fide, & revelatione obscura Scripturæ, ergo &c. Insuper ultimus finis, nullum relinquit desiderium, cum sit satiativus, de hac autem revelatione nuper dicebamus, nedum relinquere, sed acuere desiderium visionis sumi boni, ergo &c.

Non possumus huic objectioni plenè satisfacere, nisi prius ponatur secunda conclusio, in qua ejus responsio continetur. Igitur sit.

ARTICULUS IV.

An ratio ultimi finis aliquo modo competat Sacræ Scripturæ.

DIcendum est statim, bonitatem, quæ convenit Sacræ Scripturæ eàm constituere suo modo in ratione ultimi finis secundum quid, in comparatione ad beatitudinem patriæ, absolutè tamen respectu ad præsentem statum, eo modo, quo hic haberi potest ultimus finis, & beatitudo supernaturalis.

A Conclusio satis est ex propriis terminis explicata, si duo supponantur; primum quod in tota hac quæstione non loquimur de fine ultimo, aut fine formali, qui consistit in adeptione objectivi, non enim in fine ultimo formali consideratur bonitas, sed vis adeptiva bonitatis, sensusque est de fine objectivo, & non utcumque, quia Sac. Scrip. non habet in se ratione alicujus suæ connaturalis formæ, & intransitivè tantam bonitatem, quæ possit esse talis finis, sed solum ut est revelatio divinæ veritatis, scilicet, ut est quasi species creata ipsam continens, & reppręsentans, qua ratione est quædam applicatio, & adaptatio objecti, ad nostram fidem, unde est sicut speculum, in se habens objecti visibilis imaginem, modo proprio speculi, non modo proprio objecti, ut est in se; loquimur ergo hoc modo de Sacra B Scriptura adæquatè considerata, quæ ratione importat objectum nostræ fidei, quia habet in se, & objectum formale, quod fidei, scilicet Deum, quem reppræsentat, & revelat, & divinam veritatem, quæ est ratio formalis, sub qua fidei.

Secundum. Quod supponitur, est Doctrina Patrum Salmaticensium, tract. de beatitudine, disp. prima per totam, at specialiter dub. 4. & dubio appendice. Hoc enim ultimo quærunt: In quo actu beatitudo supernaturalis hujus vitæ consistat; loquendo de formali, quam prius probaverant debere consistere in actu secundo, ac proposita prima sententia, quæ illam ponit in actu charitatis, quo Deus super omnia diligitur, & secunda, quæ eam constituit in actu intellectus, connotata charitate, C aliisque voluntatis actibus, qui præcipuè sunt circa Deum, ac utraque efficacibus probationibus, ex Scriptura, Patribus, rationibusque munita, distinguentes beatitudinem viæ in moralem, & realem, etsi secundum quid tantum, cum status viæ perfectam habere non possit, Moralem tribuunt actui charitatis, at realem actui intellectus, scilicet fidei, sic conciliantes utramque sententiam, tamen denique primum locum concedunt secundæ, & sentiunt beatitudinem supernaturalem viæ, competere verius actui intellectus per fidem attingentis divinam veritatem.

Hinc nobis in hac conclusione, non est immorandum, sed breviter ejus veritas ex probatissima Salmaticen. Doctrina, deducenda incumbit; Sic ergo.

Beatitudo formalis, supernaturalis hujus status D consistit in actu fidei, ergo beatitudo objectiva hujus status, est objectum fidei adęquatum, & completum, sed tale objectum est Deus revelatus infallibiliter, ab ipsomet Deo infinitè veraci, quod complexum est ipsa Sacra Scriptura adæquatè considerata, secundum quod sumitur in præsenti, ergò ipsa est beatitudo objectiva pręsentis status, ergò est ultimus finis pro hoc statu, & cum restrictione ad ipsum, prout est perfectibilis in se ipso. Antec. est certum ex probationibus Patrum, quorum aliquæ sic perstringi possunt, ut ex D. Thoma, prima secundæ, quæst. 2. artic. 5. & quæst. 3. art. primo, ubi quasi supponens, inquit, *est enim beatitudo huius vitæ operatio intellectus, vel speculativi, vel practici &c.* deinde ratione, beatitudo hujus vitæ constituitur per accessum, & similitudinem

ad

ad beatitudinem patriæ; illa secundum totam Divi Thomæ scholam consistit in actu intellectus, ergò & ista; tum etiam hæc debet esse participatio illius, ejusque saltem imperfecta inchoatio, ac consistere debet, in possibili hic, possessione objectivæ, hæc omnia soli actui fidei conveniunt, cum hæc sit vicaria luminis gloriæ, eique subalternetur immediatè, ergo. Prima autem consequentia evidens est, quia beatitudo objectiva, nihil aliud est, nisi objectum completum ipsius formalis. Subsumpta minor patet ex toto tractatu de fide, & ex his, quę hactenus probavimus, ejusque pariter consequentia; ultima verò probatione non indiget, nam pro vero ultimo fine intelligunt omnes Theologi beatitudinem objectivam, addimus autem cum restrictione ad ipsum statum prout est perfectibilis in se ipso, constat enim quod statui viæ, hæc sola potest perfectio in se ipso convenire, ut veraciter, & perfecto modo tendat ad beatitudinem patriæ, quod præstatur per fidem, ex Apostolo *Hebr. cap. 11. accedentem ad Deum, oportet credere, quod Deus est &c. & ad Rom. justificati ergo ex Fide &c.*

Confirmatur, *ex Psalmo* 118. *beati, qui scrutantur testimonia ejus*, & Psalm. primo, describit Psalmista hominem beatum in hac vita, *beatus vir, qui non abiit &c. sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte*, & quia veram beatitudinem, etiam in hac vita decet fruitio, & stabilitas, quæ est participatio, interminabilis æternitatis, ut sciamus talem verè esse beatum, ut qui assecutus etiam finem ultimum, & veram prosperitatem, quæ beatitudinem decet, subdit, *& fructum suum dabit in tempore suo*, ecce fruitio, & folium ejus non defluet, ecce stabilitas, *& omnia quæcumque faciet prosperabuntur*, & hæc concludit dicens, *novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit*, ergo si verè beatus, qui meditatur, & scrutatur testimonia Dei, quę sunt Sacræ Scripturæ, ipsæ utique objectum sunt beatitudinis, modo dicto, ideòque suo modo ultimus finis, quatenus nempe se habet Scriptura, sicut species intelligibilis divinæ veritatis, & mysteriorum ejus, species autem dici solet, ipsummet objectum, nam in ordine repræsentativo, aliud esse non habet, nisi ipsum objectum.

Ex hac verò conclusione, patet responsio ad ultimam objectionem articuli præcedentis, concedimus enim sequelam, in sensu tamen explicato, in quo non patitur reprobationem illam, non enim agimus, de ultimo fine simpliciter, & absolutè, sed pro hoc statu, & modo explicato, potius autem probatio sequelæ est nova probatio hujus conclusionis, nam revera ea, quæ dicta sunt in priori conclusione, quoad utramque ejus partem, inferunt præsentem; quæ est veluti corollarium illius, ideoque in ea non amplius est immorandum.

Jam igitur constat, de perfectione, & bonitate Sacræ Scripturæ, secundum rationem formalem, & principalem adæquatè consideratæ; at quia bonum ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu, & quia ratio boni, ac perfecti reperitur in re existenti, & singulari tantum, quia, hęc sola potest dici res completa, cui nihil deest, cum

A sit extra omnes causas, & dependentię modos, ideò postquam eam consideravimus, & invenimus perfectissimam, prout primo condita fuit, & quoad ejusdem magis intrinseca prędicata, & formam, secundum quę terminat, & regulat fidem, & piam affectionem voluntatis, nunc de ea videtur agendum, quasi materialiter considerata, ut est ennunciatio quędam, & habet modum proprium dicendi in nostra vulgata, quam nunc habemus, si enim aliquem defectum haberet in hac parte, non posset dici undequaque perfecta, quilibet enim defectus etiam solum in hac parte, esset contra doctrinam hactenus traditam, quia eam consideravimus adęquatè. Circa quod parum immorabimur, quia superius fidelitatem, integritatem, & veritatem nostrę vulgatę defendimus, pręeunte decreto S. Concilii

B Tridentini, quę omnia concernunt ipsam in ratione ennunciationis; prout eam nunc habemus, & concludunt in ea perfectionem substantialem, de qua potissimum curandum est, unde solummodo restat aliquid dicendum, de ejus perfectione modali, sive accidentali. Hinc.

CAPUT II.

De perfectione Sacræ Scripturæ accidentali.

ARTICULUS I.

C *An Sacra Scriptura ut in nostra vulgata reperitur sit perfecta, etiam accidentaliter, scilicet in esse ennunciationis.*

CUM perfectio accidentalis ordinetur ad substantialem, ejusque munus sit, ei proportionari, ac deservire, non quęrimus, an in nostra vulgata, detur modus loquendi, qui ita sit perfectus, ut non possit esse perfectior, sive quoad latinitatem, figuras, verba selecta, & nobilia, sive quoad sonum, & fucum ventosę eloquentię, hoc enim esset quęrere, non de perfectione accidentali Scripturę, quę tunc perfectior esse non potest, quando melior ab ipsa ejus substantiali perfectione non exigitur, sed talis quęstio compararet hanc modalem perfectionem, cum regulis Grammaticęsi

D & eloquentię, & sic extra chorum divagaretur.

Dicendum est primo, nostram vulgatam perfectissimam esse etiam perfectione accidentali explicata, inter omnes latinas versiones.

Probatur: Sacrę Scripturę veritas, integritas, & sanctitas, quę rationes, ejus perfectionem substantialem constituunt, non exigunt perfectiorem expressionem accidentalem, quoadmodum loquendi, & ennunciandi, quam ea sit, quę in nostra vulgata reperitur, ergo ea perfectissima est perfectione finis, ut subtiliter loquitur Noster Pater Dominicus, loco sępe citato, cap. 89.

Prob. ant. si prædictę rationes exigerent perfectiorem expressionem, eam sanè exigerent, ut manifestaretur, quantum opus est, divina veritas, & regula fidei, ergo jam careret Ecclesia, hac mani-

festatione, & regula, eique non satis a Deo provisum esset, in linea fidei, in qua tota fundatur, siquidem aliam nunc non habet meliorem, & authenticam, sive canonicam, sed hoc nedum falsum est, sed blasphemum, & hæreticum, contra promissum infallibile Christi in Evangelio, & jam tota fides corrueret, ergo perfectio substantialis Sacræ Scripturæ non exigit perfectiorem expressionem accidentalem, etsi enim sermo sit in præsenti, de perfectione accidentali tantum, ea tamen non habita, prout requiritur, etiam substantialis deesset, saltem quoad nos, quia si veritas Scripturæ non remanet expressa, prout exigit, ut innotescat, jam latet, & est quoad nos, ac si non esset; modus enim dicendi, etsi sit modus, variat tamen, quandoque sententiam, & ubi eam satis non exprimit, relinquit absconditam, ut experientia notum est.

Prima autem consequentia constat, quia id, quòd adæquare debet suam regulam, jam eam non adæquat, si est supra, vel infra eam; nam est excessus, vel defectus, ergo si regula hujus perfectionis accidentalis in Scriptura, est exigentia, quam habet ejus veritas, ut innotescat, quantum oportet, & quantum intendit auctor ipsius Scripturæ, & aliam non exigit perfectiorem, erit ergo perfectissima expressio.

Dices, hanc perfectionem accidentalem non consistere in indivisibili, ita ut saltem accidentaliter major esse non possit, & hoc dupliciter ostenditur; primò, quia si consisteret in indivisibili, dato quòd in primævo idiomate esset benè expressa Scriptura, prout exigit ejus veritas, & perfectio substantialis, jam versio 70. Interpretum, non attigisset ejus veritatem, quia non erat illa prima hebræa, nec est possibile, quod lingua græca adæquet illam in omni accidentali, etiam expressione. Insuper, nec esset, nec fuisset in aliam linguam vertibilis Sacra Scriptura, quia implicat, quòd una lingua in indivisibili attingat expressionem alterius, & hoc modo dum sustinetur nimis perfectio accidentalis vulgatæ, ipsa tota destruitur.

Sceundo si consisteret in indivisibili, non esset locus comparationi, unde in rigore non posset dici Vulgata, sicut in conclusione asseritur perfectissima inter alias, aliæ enim nec essent perfectæ, nec bonæ, sed malæ privativè, quia non haberent id, quòd exigitur.

Adde tertio; aliquando Sacra Scriptura, id quòd uno modo exprimit in uno loco, iterum dicit in alio, sed diversimodè, quòd apertè constat in novo Testamento, ergo signum est, quód eadem veritas, & integritas admittit diversos modos exprimendi eandem sententiam, aliter vel in primo, vel in secundo modo, non esset expressio prout exigitur.

Respon. dist. ant. non consistit in indivisibili, quantum est ex genere suo, conc. ant. secundum quòd hic & nunc, attentis omnibus, comparatur ad suam regulam, neg. ant. verum est posse idipsum exprimi pluribus modis, uno melius, altero bene, altero optimè. Sed hoc attenditur penes regulas dicendi; si verò attendatur ad exigentiam veritatis, & intentionem auctoris, adhuc est distinguen-

A dum, ubi is qui dicit, non comprehendit perfectissimè id, quod dicit, & intendit exprimere, utcumque potest concedi, ubi is, qui dicit, perfectissimè comprehendit, & sententiam, & modum, & utriusque aptitudinem, & omnes circumstantias hic & nunc, sicut solus Deus cognoscit, negatur hæc divisibilitas. Immò hoc ipso, quod Deus voluit, hanc expressionem fieri ab Interprete, & non aliam, jam hæc perfectissima est, quia solus ipse perfectè novit, quæ expressio attentis omnibus requirebatur suæ propriæ divinæ sententiæ; Non enim hic valet opponere, quod Deus ex parte effectus, non semper facit, quod perfectissimum est, sed potius semper effectus varios in perfectione, prout sunt varii modi imitationis suarum perfectionum, in essentiis rerum. Quia hoc est ve-
B rum, de Deo auctore generali, non de Deo auctore speciali, immò specialissimo, & ubi refunderetur in ipsum, aut agentem, aut loquentem, imperfectio effectus, & inconsequentia finis; qualis esset hic & nunc; vellet enim taliter Verbum suum intelligi, & non taliter manifestaret, in hoc enim tantum sensu loquimur, qui non negamus posse Deum clarius loqui, sicut clarè ostendit beatis, quod nobis obscurè, sed ex suppositione, quòd vult nos sic intelligere, in hoc gridu, & modo obscuritatis, etiam hic modus tantum, & perfectio accidentalis loquendi, & non alius melior eligi potuit, & quod dicimus de latina vulgata, dicimus de versione græca 70., nam ex suppositione, quod voluit Deus verbum suum in græcum transferri, elegit illos dicendi modos, ut aptiores secundum suam sapientiam, ita & eum unam
C sententiam jam expressam, in eadem Scriptura voluit denuò aliter exprimi, semper perfectissimus fuit dicendi modus, attentis circumstantiis, fine, & contextu, & omnium coaptatione, eo modo, quo ipse intendit utrobique, per quod patet ad primam, & tertiam probationem. Ad secundam dicimus, quòd ob aliquam similitudinem versionum datur locus comparationi, etsi non præcisissime in respectu ad regulam, maximè quia aliquæ ex aliis versionibus valdè accedunt ad vulgatam, &c.

Respon. secundo admittendo antec. dicitur enim, ut ex ipso probationis modo constat, nostra vulgata perfectissima, quasi negativè, quia ex his,
D quæ sunt, versionibus, nulla ejus perfectionem accidentalem adæquat, quia hæc sola habet quidquid requiritur, aliæ non; quod verò sit perfectissima positivè, pro modò non dicimus, nec est necesse ad intentum nostrum, qui omnem locum præcludere tenemur, de ejus perfectione etiam accidentali dubitandi, & hæc est solutio, quæ magis favet veritati, eaque magis patebit ex sequenti probatione.

2. Prob. Concilium Tridentinum, sessione sæpè memorata, approbavit, & authenticam declaravit Vulgatam, eam acceptari voluit secundum omnes suas partes, etsi aliquæ videantur in modo dicendi magis simplices, ineruditæ, vel minus expressivæ; & hanc hoc modo approbatam prætulit omnibus aliis versionibus latinis, ergo etiam quoad perfe-

ctionem

ctionem accidentalem perfectissima est, inter alias. Prob. consequ. semper enim, vel ferè semper modus dicendi, vel accidentalis perfectio redundat in expressionem substantialem, ergo si hanc prætulit, quoad istam, etiam quoad illam, secundum quod connectuntur, nec nos in alio sensu agimus de hac perfectione accidentali, nisi secundum quòd exigitur a substantiali, & eam afficit.

3. Si vulgata esset perfectior accidentaliter, quam est, eo ipso esset, & non esset perfectior, ergo eo modo, quo est, perfectissima est, inter alias. Prob. ant. esset ut supponitur, & non esset, quia non conformaretur rationi, ob quam Spiritus Sanctus voluit, talem esse, ergo jam non esset conformis suæ regulæ, ideò nec perfecta, nec perfectior; Antec. ostenditur, rationes, & congruentias ex Patribus afferendo, quibus ostendunt, quòd etsi posset Spiritus Sanctus cultiori stylo, & florenti eloquio veritatem suam tradere, congruentissimè tamen voluit, eam prout nunc est, exponi, sive in originali, sive in Vulgata, quam ipse in Ecclesia approbavit, ut propriam Dei locutionem.

Prima congruentiæ ratio est, quam dat Apost. prima Chorin. 2. *sermo meus*, inquit, *& prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio*, & paulò infra, *quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est &c. quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus &c.*

Proprium ergo est veritatis, & sapientiæ Dei, humanam effugere vanitatem, & ostensionem, qua etsi aliquando veritas aperitur, plerumque tamen mendacia conteguntur, unde & *Isaia 33.* dicitur; *Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis; ità ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.* Explicat autem hic D. Thom. *lection. prima* sensum Apostoli, in illis verbis, in quibus hæc prima ratio consistit; *ut fides vestra non sit in sapientia hominum, idest non innitatur sapientiæ hominum, quæ plerumque decipit homines, secundum illud. Es. 47. Sapientia tua hæc decepit te, sed in virtute Dei, ut scilicet virtuti Dei fides nostra innitatur, ne possit deficere, Romanorum primo. Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti &c. deinde exponit sapientiam, de qua mentionem fecit, qualis sit, & separat eam a sapientia mundana, & quantum ad modum, & quantum ad auctores, qui sunt principes hujus sæculi, qui destruuntur; & primo possunt dici principes hujus sæculi, de quibus Psalm. 2. astiterunt Reges terræ, & Principes &c. adversus Dominum: Secundò Principes idest Dæmones, de quibus, venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam Jo. 24. Tertiò Principes idest philosophi, de quibus Es. 17. stulti principes Taneos. Sapientes Consiliarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens*

A *&c. & hi cum sua sapientia destruuntur, primi per mortem, secundi per ablationem potestatis, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, tertii per damnationem; Baruc. 3. ubi sunt principes Gentium? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Ita Divus Thomas. Non ergo sapientia Dei stabilis assimilari debuit simili hominum insipientiæ, quæ operta incedit, ne erubescat, & cum suis marcescit tegumentis.

Et confirmat hoc Divus Thomas, ex eo, quod addit Apostolus, *sed loquimur Dei sapientiam, quamvis enim omnis sapientia a Deo sit, ut dicitur Ecclesiastici primo, hæc tamen sapientia Dei est, & Deus est, & a Deo est, & speciali modo hæc sapientia, quæ a Deo est, est etiam a Deo per revelationem secundum illud sapientiæ. 9. sensum autem tuum, quis*
B *sciet nisi tu dederis sapientiam, & mittas Spiritum Sanctum tuum de altissimis*, ergo magis debet etiam distingui a modo proprio humanæ sapientiæ, se enim debet ostendere, humanam non esse, ut sit veritas, & sapientia Dei, quæ eo ipso talis non esset, si alteram se vano fingeret indumento.

Confirmationem addit Apostolus, nunc hanc sapientiam se loqui, sicut & tota Scriptura præstat, *in mysterio*, cujus rationem assignat idem Angelicus, *quia modus dicendi, & doctrinæ debet esse conformis, & invicem conveniens, ideò dicit, se eam loqui in mysterio, idest in aliquo occulto, vel verbo, vel signo, ut infra 17. Spiritus loquitur mysteria, quia ipsa sapientia, & doctrina abscondita est, & altissima, quæ superat hominis intellectum*, cum ergo Sacra
C Scriptura & in se, & in vulgata servet hanc proportionem inter modum dicendi, & rem dictam, sive doctrinam quam continet, eloquentissima est, sed non ea, quam humana vanitas dicit eloquentiam, ergo quoad modum etiam perfectissima est, si tenet modum exigitum a qualitate doctrinæ, quam tradit.

Firmat hujusmodi congruentias Chrisostomus, *hom. 46. in Math. operis imperfecti. Omnia verba divina*, inquit, *quamvis rustica sint, & incomposita, viva sunt, quoniam intus sensibus suis positam habent veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum, & ideò vivificant audientem, unde Petrus ad Christum ait, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes. Omnia autem verba sæcularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, quamvis sint composita, & inge-*
D *niosa, mortua sunt.* Et August. *de Doctrina Christiana, cap. 16. non quia neque incedit ornata, neque armata, sed tamquam nuda congreditur, ideò non adversarium nervis lacertisque collidit, & obnitentem subruit, ac destruit membris fortissimis, falsitatem*, ex quibus deducitur, sic divinam veritatem debuisse conscribi, ut vires suas ostenderet, non occultaret, & se non indigere, ut placeat, nisi se ipsa, nam & Esther, quia pulcherima, noluit muliebri mundo ornata incedere, ne propriæ opprimeret pulchritudinis fastum, illo majorem mundo; & David, Goliam debellaturus, Saulis arma despexit, ut ad quid valeret nomen Domini, in quo nudulus pastor, phaleratum Gigantem aggrediebatur, ostenderet.

Secundam etiam rationem, aliis congruentiis secundam,

cundam, ministras idem David, *Psalmo* 11. *eloquia Domini, eloquia casta*; ergo adulterari fucato stylo non debent. Hanc autem prosequitur N. P. Dominicus, loco citato, cap. 89. ex eleganstissimo Arnobio, qui fortibus rationibus impugnat Gentiles, & Hæreticos, sæcularem in Sacris litteris elegantiam, deesse causantes, ubi videri potest.

4. Si Sacra Scriptura, rethorico stylo, verbisque tumentibus, ac selectis, eloquentiæ humanæ more, superstitiosa procederet, redderetur quasi in intelligibilis, ejus substantialis veritas, quæ ergo data est, ut divinam notificet veritatem, ratione sublimitatis mysteriorum satis absconditam, & obscuram, exigebat ex proprio fine, ac propria materia, sic scribi, & sic in versione sua simpliciter vulgari. Consequ. patet. Anteced. ex se constat, quia qui attendit stylo, potius intendit prædicare, & suadere eloquentiam suam, quam veritatem, tum etiam, quia vulgus elegantias ignorat, & verba abstrusa quid significent capere posse desperat, & sono mens rapta, non attendit quid lateat, sed quod placet amplectitur, atque in blando sermone non sermonem eligit, sed lenocinium. Hinc Augustinus, experimento edoctus quotidianæ disputationis, vel hæreticis confutandis, vel Catholicis erudiendis, à contrario sensu prob. ant. *lib.* 4. *de Doctrina Christiana*, *cap.* 17. dicens, *plerumque dictio ipsa submissa dissolvit difficillimas quæstiones, & inopinata manifestatione demonstrat, dum sententias acutissimas, de nescio quibus cavernis, unde non sperabatur eruit, & ostendit, dum adversarii convincit errorem, & docet falsum esse, quòd ab illo videbatur invictum*, ergo è converso abrupta, & elevata dictio, clarum abscondit, & obscurum inintelligibile facit.

Confirmatur ex Apostolo, *secunda ad Timotheum cap.* 4. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent*. Ubi notandum, quòd Apostolus sanam doctrinam opponit, ei quæ auribus prurit, ut delectet, & conjungit recessum a veritate, cum eadem, ergo talis modus dicendi, non stat cum veritate, nec est sanus, sed doctrinam artificiosè insinuare blandiens, aut sono composito, aut studioso eloquentiæ tumore fluens, ad delectandum; Si enim sunt perversi auditores, qui hæc desiderant, & non sanam doctrinam, ergo mali sunt Doctores, qui ita loquuntur, ubi veritas est quærenda, non vanitas, ideò tales Doctores, dicit hic Divus Thomas eos fuisse, quos prædixerat idem Apostolus, *act.* 20. *Ego scio, quoniam post discessionem meam intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi*; & ad eorum auditores dicitur, *prov.* 1. *Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sunt sibi noxia cupiunt? imprudentes odibunt scientiam*, non igitur esse debuit in verbo ipsius Dei, quod per suum Apostolum Deus ipse, in verbis hominis damnat.

Confirm. 2. indignum omninò est, quod verba Dei ad hominum regulas limitentur, ergo perfectissima sunt quoad omnia, perfectius enim, quòd homines in Scripturis desiderant, tale dicitur, se-

A cundum regulas artis humanæ. Et hoc est, quòd inquit Gregor. *præfatione in Job*. *Non meracissimi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque propositionum, casusque servare contemno, quia indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis donati*.

Denique confirmatur, quod hactenus dictum est, auctoritate Augustini, ejusque fidissimi, Divi Prosperi; ille enim *lib.* 4. *de Doctrina Christiana*, *cap.* 10. *Evidentia diligens, aliquando negligit verba utiliora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet, quòd ostendere intendit. Unde, ait quidam, cum de tali genere locutionis ageret, esse in ea quamdam diligentem negligentiam*, & paulò inferius. *Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientium, cum loquendi omninò nulla sit* B *causa, si id quod loquimur non intelligunt, propter quos, ut intelligant loquimur*, ergo qui in Scriptura vellet altiora, & magis studiosa verba, eam ipsam vellet habere, quæ ipsa damnat, dicens de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem.

Divus verò Prosper, *lib. de prædictionibus temporum*, *Ea perspicua est judicata latinitas, quæ res simpliciter ennunciat, non quæ phaleratorum verborum amænitate luxuriat, quando non res pro verbis, sed pro rebus significandis verba sunt instituta*. Et sanè mirum est, quod Albericus J. C. Calvinista, phrasim nostræ vulgatæ defendat uti necessariam, ideoque verè perfectam, quam Catholici quidam, vel despiciunt, vel accusant, inquit enim *in libro*, *de* C *latinitate veteris Bibliæ versionis male accusata*; *Vetus Interpres, ut facilius probaret, ex hebræo, & græco textu probè translationem suam se confecisse, idcircò barbara nonnulla, & obsoleta intexuit, quòd olim a summis viris factum est*; & citat Hieronymum, dicentem, *propter simpliciores, multum in sermone deiiciendo, laboravimus. Quid cum Apostolo Cicero? omnia munda mundis*. Et sanè hinc pullulat nova probatio, Deus enim ostendit se talem stylum elegisse, nequis umquam auderet, eum perfectissimum negare, flagellavit enim Hieronymum, quia Ciceronianus erat, ut Ciceronem dedisceret, qui Sacram Scripturam partim vertere, partim debebat emmendare, ut in tali munere sibi destinato sciret, se non fore Christianum, si Ciceronianum se esse jactaret.

D Obiicies contra ultimam rationem, eam opponi primæ, in hac enim styli simplicitas, & depressio exigitur tamquam necessaria, ne sublimitate verborum abscondantur, quæ de se sunt obscura mysteria, in illa verò ex Divo Thoma arguimus dicente, Apostolum sapientiam loqui in mysterio, sicut & tota Scriptura consuevit, quia modus dicendi, & doctrina debet esse conformis, in quibus manifesta est contradictio, vel ergo illa, vel ista falsum concludit, & sic neutra concludit intentum.

Respondetur, neg. ant. ad probationem dicimus, nullam esse contradictionem, quia bene potest stare styli simplicitas, cum misteriosa obscuritate, conetur enim quis quantum potest, mysterium Sanctissimæ Trinitatis exponere, simplicissimo stylo,

si

si loquitur eo modo, quo possibile est, conformiter ad tale mysterium; obscura semper proferet verba, si autem florida, vel elevata per artem eloquentiæ utatur, novam addet obscuritatem; simplicitas igitur, & sinceritas dicendi opponitur studiosæ Rethoricæ arti, obscuritas autem conformis mysterio, opponitur tantum claritati ipsius mysterii.

Vel secundò respondetur, quod cum Apostolus dicit, sapientiam loquimur, quæ abscondita est in mysterio, loquitur de mysterio tamquam de medio, quòd assumit ad explicandam Dei sapientiam, & ideò modus loquendi accomodatus mysterio, obscurus est, cæterum adhuc eam tantum habet obscuritatem, quæ non est artificiosa, sed debita objecto, & ideò nulla est contradictio &c.

ARTICULUS II.

An ratio perfecti, & boni, de qua usque modo dictum est, competat omni parti Sacræ Scripturæ, & quomodo.

Videtur primo, quòd omni parti æqualiter competat ratio perfecti, & boni in sua linea, quia Concilium Tridentinum, ideò Vulgatam voluit ab omnibus fidelibus acceptari, ut authenticam, & canonicam, quia Spiritu Sancto illuminante cognovit ejus perfectionem, sed addidit etiam præceptum, ut acceptetur integra, cum omnibus suis partibus, & quod nulla ejus pars rejici possit, ergo ex eadem illuminatione cognovit, etiam quamlibet ejus partem esse perfectam, ergo cum Vulgata non superaddat ad Scripturam, secundum se, prout nunc de ea agimus, nisi versionem, multo magis id dicendum erit de Scriptura secundum se, & de qualibet ejus parte, in tantum enim hoc præcipit de Vulgata, quia hæc continet veram Sacram Scripturam.

Secundo etiam ex *Deuteronom. cap. 4. Non addetis, ad verbum, quod loquor, nec auferetis ab eo*, & simile habetur Apocalyp. cap. ultimo, ergo omnis pars verbi Dei, est Verbum Dei, ergo &c. Tum etiam idipsum habetur, *Proverb. cap. 8. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum, quid neque perversum*, ergo nec minimum quid, minimum, scilicet, quid minus uni, altero, quòd est minus toto, unde enim totius perfectio oritur, etiam habetur perfectio cujuscumque partis. Et
D adde, quod qui discredit unum tantum ex articulis fidei, qui sunt pars Scripturæ ammittit fidem, quoad omnia, ut communis opinio, cum Divo Thoma 22. quæst. 4. art. 3., & ibi Patres Salmaticenses, de fide, disput. 8. dub. 3.

Ex his convincitur, quod absolutè loquendo, omnibus, & singulis partibus Sacræ Scripturæ convenit eadem bonitas, & perfectio, sed claritatis ergo procedere oportet cum distinctione, & supponimus sive notamus, quod veritas consistit in indivisibili, quando enim aliquid verum est, eo ipso verissimum est, nec aliud alio verius esse potest, aliter possent dari duæ contradictoriæ simul veræ, si in veritate daretur latitudo; hæc itaque concep-
A tibilis non est, quia est primaconformitas ad intellectum divinum, eaque prima, quæ in re invenitur; quod tamen intelligitur, juxta ea, quæ superiore tractatu dicta sunt, de veritate Sacræ Scripturæ, ubi hoc suppositum explicatur, cap. 1. art. 3. & 4. Bonitas verò, sive perfectio, latitudinem habet in creaturis, quia ratione potentialitatis earum, non est quid simplex, sed plura ad ipsam integrandam requiruntur, & ideo datur bonum, & melius, optimum tamen absolutè competit soli Deo, qui in actu continet omne bonum. Hoc posito dicimus, quod si sumitur perfectio Scripturæ, ut est ipsa ejus veritas divina, quia veritas ipsius indivisibilis est, eademque reperitur, tam in tota Scriptura, quam in qualibet ejus parte, in hac ratione, æqualis perfectionis est, quælibet ejus pars, ac ipsa tota;
B at quia talis veritas sumpta, ne dum ut perfecta, sed perfectiva hominis, conformis est recto appetitui, ideoque verè dicitur bona, in hoc sensu, eadem bonitas dici quidem potest de parte, ac de tota, sed inæqualiter, secundum quod plus, vel minus perficit hominem, quia enim sic incipit habere respectum lineæ appetitivæ, ideò magis bona dicitur tota, quam pars, quia plus perficitur homo cognoscens omnes veritates Scripturæ, quam unam tantum partem.

Dicimus ergo, quod sumpta quælibet pars Scripturæ primo modo, est æque perfecta, ac tota simul; sumpta verò secundo modo, non est. Prima pars probata manet ex rationibus adductis primo loco, secunda autem, ex principio nunc prænotato, quia bonum dicitur, ex hoc quod perficit appetitum, sive appetentem, & quia certè intellectus non æquè
C perficitur ex cognitione partis scripturæ, ac totius; ideò non est æqualis bonitatis pars, ac totum. Quod verum est, & metaphysicè procedendo, sicut in hac ratione procedimus, & moraliter; siquidem, qui cognoscit aliquod tantum præceptum divinæ legis, non habet principium procedendi, ad observantiam totius legis, quæ est hominis finis moralis, ejusque perfectio, ob quam datur lex, & in hoc sensu currunt omnes rationes naturales, per quas deducimus, partem absolutè minus esse, quam totum, partem rigorosè non posse dici perfectam, nisi, ut qua, cum dicat relationem ad aliam cumpartem, quæ ipsa non est, ideoque pars una, alteri deest, & neutra consequenter potest dici perfecta, sed totius perfectionem componens, sicut etiam, quod pars non est propter se, sed propter
D totum, ideoque toto inferius, & rursus, quod si pars esset perfecta, esset etiam completa, & esset totum, ergò non pars: Quæ omnia lumine naturæ nota, non habent contradictorem.

Secundò, considerando intimam rationem, & ordinem Sacræ Scripturæ, potest fieri comparatio partium ejus, ad invicem. Ideò quæritur, & est.

A R-

ARTICULUS III.

An Testamentum novum sit perfectius veteri Testamento.

QUamvis hæc duo Testamenta, sint partes ejusdem divinæ manifestationis, & eadem veritas divina in utroque æqualiter reperiatur, ut dictum est, tamen quia unumquodque ex ipsis habet propriam differentiam, per quam invicem distinguuntur, & constituuntur; illud nempe per legem, hoc per Evangelium, & habent ordinem finis, & successionis, quoad utrobique enunciata, ideò possunt etiam sumi non ut præcisè partes, & consequenter invicem valent in perfectione comparari.

Dicendum est, novum Testamentum, in sensu quæstionis, simpliciter perfectius esse, quam vetus, non quidem in ratione veri, sed quoad proprias rationes. Hæc conclusio est de fide, eamque perpetuò ostendit Divus Paulus, in suis epistolis, & immò Testamentum ipsum vetus, quot figuras habuit novi, cujus totum ipsum figura fuit, quot suspiria Patrum invocantium Messiæ adventum, quot prophetias de eodem, & ejus Ecclesia, quot prodigia, quæ veram Patrum fidem in Christum venturum ostendebant, tot habet hujus veritatis argumenta; nulla enim figura vel superat, vel adæquat figuratum; nemo suspirat, nisi se sentiens imperfectum ex distantia perfectioris boni, quod summè desiderat; Prophetiæ numquam perficiuntur, nisi id quod in ipsis prænunciatur evveniat, & quæ fides in venturum, comprobata prodigiis firmabatur, Sum n im arguebat præsentis perfectionem. Cum igitur hæc omnia vetus Testamentum constituant, *omnia enim in figura contingebant illis* inquit Apostolus, Totum ipsum vetus Testamentum probat majorem simpliciter novi perfectionem, supra ipsum. *Nihil autem ad perfectum adduxit lex, ad Hebr.* 7. Immò ipse Apostolus ad Galatas cap. 4. comparans utrumque Testamentum, inquit, *scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit &c.* quo in loco explicans allegoriam, apertè assertum demonstrat. Sed & communis Sanctorum Patrum sententia, quæ secundum Tridentinum, non potest a fidelibus negari salva fide, id ipsum asserit; aliquos tantum dabimus. In primis D. Thom. 22. quæst. 98. art. 1. in corpore, ubi distinguit duplicem perfectionem, nempe ejus, quod non perducere potest ad finem, & ejus quod potest. Primum fuit lex vetus. secundum Evangelium, unde secundum Divum Thomam, novum Testamentum, se tenet ex parte finis, non vetus, ergo sicut finis habet rationem boni simpliciter, & id quod ducit ad finem habet tantam, quantum accedit ad ipsum, comparando id, quod ita ducit ad finem, ut se teneat ex parte ejus, cum eo, quod ad finem efficaciter non ducit, illud dicetur simpliciter perfectius isto.

Idem D. Thom. *ad Rom. cap.* 8. ad illud, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Lex igitur vetus data est in timore, & per inflictionem*

A *pœnarum inducens ad mandata Dei servanda, data est in spiritu servitutis; Sed accepistis spiritum scilicet charitatis, qui est adoptionis filiorum, quod novum signat. Non autem hoc dicitur, quasi sit alius, & alius spiritus, sed quia idem est spiritus, qui in aliis scilicet facit timorem servilem, quasi imperfectum, in aliis facit amorem, quasi quoddam perfectum.*

Sed obiicies, ex tali probatione sequitur, veterem legem, ne dum imperfectam fuisse, in comparatione ad novam, sed malam; spiritus enim servitutis in timore, importat timorem servilem oppositum filiali, ut hic innuit Apostolus, & cum eo Angelicus opponens filiationem timori, at timor servilis est malus, ergo status ille, qui erat hujus timoris, & ipsa lex, quæ eum infundebat, malum quid erat. Minor probatur ex pr. Joan. cap. 4.
B Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.

Respon. neg. sequelam, cum D. Thoma, loco citato, ex secunda secundæ, ubi probat, vetus Testamentum fuisse bonum, ad probationem transeat minor, & dist. minorem cum eodem Angelico 22. qu. 19. art. 4. est malus, secundum rationem præcisæ servilitatis, conc. min. secundum substantiam, neg. minorem, qua posita distinctione subdit, *sic ergo timor servilis, in quantum servilis est charitati contrarius, quia contra rationem servilitatis est, quod aliquis ex amore operetur. Si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret quod timor servilis esset simpliciter malus, sicut adulterium simpliciter malum est, quia id, ex quo*
C *contrariatur charitati, pertinet ad adulterii speciem. Objectum enim timoris servilis est pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur tamquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem; vel quod ordinetur in Deum tanquam in finem, & per consequens pœna non timeatur, ut principale malum, quod contingit in habente charitatem, & ideo timor servilis bonus est, sed servilitas ejus est mala,* & propterea eadem quæst. art. 6. in argumento sed contra, *timor,* inquit, *servilis, ut supra dictum est, est donum Spiritus Sancti, dona autem Spiritus Sancti non tolluntur per charitatem.* Sed non est talis ejus servilitas, ut supra.

D Ex quo pariter explicatum manet, quod alibi sibi obiic. Apostolus ad Rom. cap. 3. cum legis imperfectionem, videtur exaggerare dicens, *ex operibus legis non justificabitur omnis caro, arbitramur enim iustificari hominem &c.* Post pauca sequitur, *Ergo legem destruimus? Resp.* enim, *absit, sed legem statuimus;* ad quod pariter addere possumus, quod si diceremus legem, seu vetus Testamentum fuisse perfectum, sicut novum, verè illud destrueremus, hoc enim esset dicere, quod non ordinatur ad novum; cum enim per hunc ordinem constituatur, sicut per ipsum a novo distinguitur, asserendo, quod non ordinatur, jam tollitur. Satis verò hoc est, ad veritatem hanc fidei, ex Apostolo, & D. Thoma eruendam, ne omnes epistolas, & Divi Thomæ commentaria, frustra exponamus. Tamen alios etiam Patres breviter damus.

Augu-

Augustin. *de spiritu, & littera cap. 17. In hac tam mirabili congruentia illud certè plurimum distat, quod ibi populus accedere ad locum ubi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur, hic autem in eos supervenit Spiritus Sanctus, qui eum promissum expectantes, in unum fuerant congregati. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi ergo lex extrinsecus posita est, qua injusti terrerentur, hic intrinsecus data est, qua justificarentur*, & alibi; *lex data est; ut gratia quæreretur, gratia autem data est, ut lex impleretur.*

At quia hæretici, extrema semper eligunt, virtutis (quæ in medio est) inimici, ex his similibus rationibus, Sanctos Patres arguebant, tamquam Manichæos, qui vetus Testamentum, Deo malo, quem somniabantur, tribuebant. Ideò Hieronymus *lib. 1. adversus Pelagianos: Tu nos Manichæos vocas, cum Legi Evangelium præferentes, in illa umbram, in hoc veritatem esse dicamus, & non intelligis stultitiam tuam, impudentiæ copulatam. Aliud est damnare legem, quod Manichæus facit, aliud legi præferre Evangelium, quæ Apostolica doctrina est; in illa enim servi, in hac dominus loquitur. Ibi promittitur, hic impletur, ibi initia, hic perfectio est, in illa operum fundamenta jaciuntur, hic fidei, & gratiæ culmen imponitur.*

Idemque *ad Geruntiam, de Monogamia*, agens de utroque Testamento, ac de Deo loquens inquit, *qui pro varietate temporum, atque causarum, principium, & finis, serit, ut metat, plantat, ut habeat quod succidat, jacit fundamentum, ut consummato sæculo ædificationi culmen imponat &c.* In quibus efficacissimè Hieronymus, & demonstrat, tamquam de fide assertum, & ut tale defendit ab impugnantibus.

Isidorus in lib. differentiarum, quidquid hac in re dici posset, complectitur; propterea non tædet exscribere aliqua, etsi non omnia.

Inter legem, & Evangelium, hoc interest, quod in lege littera, in Evangelio gratia; illa habuit umbram, ista veritatem; illa data est propter transgressionem, ista propter justificationem; illa ignoranti demonstrat peccatum, ista agnitum juvat, ut vitetur. Illa flagitiis deditos increpat, ista peccantes, bonitate propria liberat; illa talionem decrevit reddere, ista etiam pro inimicis jussit orare. Illa conjugum multas habere, crescere, & generare præcipit, ista continentiam suasit. Illic prædicatur circumcisio carnis, hic lavacrum in ablutionem cordis, & corporis. Illic Canaan regnum, & promissiones temporalium rerum continentur; hic vita æterna, regnumque cælorum promittitur. Illic Sabbati otium, & requies celebratur, hic Sabbati requies in Christo habetur, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & invenietis requiem animabus vestris. Illic, a sanctis animalia immunda prohibentur, hic in corpore Christi, idest in sanctis suis, non admittitur quidquid per illa immunda animalia in moribus hominum significatur. Illic pecoribus immolatis, carnis, & sanguinis hostiæ offerebantur, hic sacramentum corporis, & sanguinis offertur Christi, quod per illa animalia figurabatur. Illic ex carne agni, pascha celebratur; hic pascha nostrum immolatus est Christus, qui est verus agnus immaculatus; Illic Neomenia, hoc est, novæ lunæ principia celebrantur, hic nova creatura in Christo accipitur, ut Paulus ait 2. Chorin. 5. nam vetera transierunt, & ecce nova facta sunt omnia. Quid plura? lex peccatum monstravit, non abstulit; sed sub suo terrore redactos homines, servos effecit; Evangelium verò veniens, credulitatem legis ammovit; peccata quæ lex puniebat per spiritum servitutis, laxavit; per spiritum adoptionis filios ex servis fecit, amorem implendæ legis omnibus donavit; etsi deinceps punienda commiserint, per eundem adoptionis spiritum indulget; formam bene agendi præbuit, & ut possint agi, quæ docuit, adjutorium spiritus infundit: nam præcepta legalia comparatione Evangelii, etiam non bona dicuntur, quia quod præcipiunt, non perficiunt. Gratia verò Evangelii, quod exterius imperat, interius, ut perficiatur, juvat. Ezechielis enim testimonio dicitur cap. 20. dedi eis præcepta non bona: utique non bona, Evangelio comparata, quia in eis, quædam inutilia, infirmioribus sensibus agenda permissa sunt, sicut illud, ubi Deus, Israelitarum cupiditatem, spoliis Ægyptiorum satiari permisit; nam pro eo quod carnalis populus, modum egrediebatur vindictæ, lex permittit carnalibus, rependere vicem mali, quod Evangelium firmioribus vetat. Unde Junilius in libro ad Primasium Episcopum; veteris Testamenti intentio est, novum figuris, & ænigmatibus demonstrare, Evangelii autem ad æternæ beatitudinis gloriam mentes humanas accendere. Hæc Isidorus, quibus, si quid adderetur, esset omninò superfluum.

Notare tamen oportet, quòd attentis iis, quæ in hac brevi quæstione adducta sunt, alia etiam soluta manet, nam ob connexionem doctrinæ hic quæri poterat, qualiter Sacræ Scripturæ, tum in veteri Testamento, cum in novo, competat bonitas moralis, non quidem formalis, hæc enim soli actui humano competit, per conformitatem ipsius ad legem, & rationem, sed bonitas moralis per modum legis, doctrinæ, & directionis. Si enim loquamur de Lege rigorosè sumpta, considerando legem veterem adæquatè, in comparatione ad legem Evangelicam, responderunt jam & Apostoli, & Sancti Patres, & præcipuè Isydorus, intervenire inæqualitatem in conclusione assignatam, si autem in ratione doctrinæ, & directionis, quoad sapientialis substantiam veritatis, & finem, non est inæqualitas. Quo circa Origenes, contra hæreticos, vetus Testamentum damnantes, *Numerorum cap. 16. & 17. homil. 9. Invenitur, & Evangelii virtus in lege, & fundamento legis subnixa intelliguntur Evangelia, nec vetus Testamentum, nomino ego legem, si eam spiritaliter intelligam. Illis tantummodo lex, vetus efficitur testamentum, qui eam carnaliter intelligere volunt, & necessariò illis vetus effecta est, & senuit, quia vires suas non potest obtinere. Nobis autem, qui spiritaliter, & Evangelico sensu intelligimus, & exponimus, semper nova est, & utrumque nobis novum Testamentum est, non temporis ætate, sed intelligentia novitate.*

Idem etiam *in Levitic. cap. 8. de indumentis Pontificum hom. 6. Docet te Evangelium, quia cum transformatus esset in gloriam Jesus, etiam Moyses, &*

Elias simul cum ipso apparuerunt in gloria, ut scias quia lex, & prophetia, & Evangelia in unum semper conveniunt, & in una gloria permanent; Denique & Petrus, cum vellet hic tria tabernacula facere, imperitia notatur, tamquam qui nesciret, quid diceret; legi enim, & prophetis, & Evangelio, non tria, sed unum est tabernaculum, quòd est Ecclesia Dei &c.

Confirmat autem distinctionem supratactam Augustinus, non negans secundam, sed primam confirmans conclusionem, *serm. 69. de diversis*. Textum Evangelicum Lucæ 9. de transfiguratione pertractans. *Moyses*, inquit, *& Elias, idest lex, & Propheta, quid valent, nisi cum Domino colloquantur, nisi Domino perhibeant testimonium? Quis leget legem, quis Prophetas? videte quam breviter hoc Apostolus ait: per legem enim cognitio peccati, nunc autem sine lege, justitia Dei manifesta est, ecce sol; testificata a lege, & Prophetis, ecce splendor &c.*, quod ideò subdimus, ne fortè plus quam oportet, videretur Origenis auctoritas concludere, quòd intendit.

Et quamvis ad perfectionem Sacræ Scripturæ, seu bonitatem prælibandam juxtà institutum nostrum jam satisfecisse per ea, quę hactenus, prout brevitas concessit, enucleare studuimus, videatur; adhuc tamen, multò plura bonitas moralis, ad quam nunc devenimus postularet, ut nempe tum veteris legis pręcepta moralia, ceremonialia, ac Judicialia, eorumque convenientiam, tum novę peculiaria mandata, consilia, permissiones, ac promissiones, quę omnia moralem ordinem complent, scrutaremur, aut saltem summis, ut ajunt labiis, degustaremus. At quia moralia veteris legis, eum jus naturę concernant, eadem sunt, & in nova, de quibus proinde Doctores morales, etiam plus nimio tractaverunt, ne falcem in messem alienam immittamus, & justitia, & eorum abundantia, ac studium, ab illis nos absolvunt. Ceremonialia verò ac Judicialia, illius legis, ita ista cesserunt, ut illa quidem, & mortua, & mortifera, hęc verò, etsi non mortifera, tamen mortua sint; ne quę viva sunt, mortua scrutando negligamus, omittenda censemus, cum id, quod non est, bonitatem amplius habere, dici non possit; quod si ad eorum intelligentiam, quis velit accedere, Div. Thom. 22. a quęstione 98. & deinceps eruditè, ac sapientissimè Angelico more docebit.

Nobis igitur hoc unum superest, ut nempe Testamenti novi, quę planè nova sunt, sive pręcepta, sive consilia, nec non promissiones, permissionesque, siquę sunt, breviter exponere, seu tentare, ne desit aliquid bonitati etiam morali Sacrę Scripturę, quasi innuere videamur; Omnia verò, quę in hac linea utrumque concernunt Testamentum satis perficiemus, si primum Christi pręceptum; quòd est de pœnitentia, novum mandatum Christi, in quo universa lex pendet, & prophetę, quòd est de charitate, levi saltem conatu discutiamus.

CAPUT III.

Ethica Evangelica, sive brevis tractatio, de bonitate morali, aut proprius legali novi Testamenti.

EVangelium gręcum nomen est, quod ex eu, quod significat bonum, & Angelos, idest nuncium, componitur; ita dictum est, quia bonum, vel boni nuncium est; ad distinctionem enim veteris legis, de qua dictum est, dedit eis pręcepta non bona, de hoc canebat Psalmista. Eructavit cor meum Verbum bonum, eo utique respiciens, quòd Gabriel venit ad Virginem, nuncians ei Verbum, unde ipsum describens Incarnatum, inquit, in eodem Psalm. *Speciosus forma præ filiis hominum*, ac ipsius in labiis imminens Evangelium gratię, quasi pręaudiens, subdit, *diffusa est gratia in labiis tuis*, ipsumque auditum in omnem terram, exultanti pręsentiens fide susceptum, conclusit, *propterea, populi confitebuntur tibi, in æternum. Lex enim per Moysen, Gratia per Christum facta est*, inquit Joan. & nuncium planè undique bonum; si enim bonum est diffusivum sui, hęc fuit inter possibiles summa, & maxima diffusio divinę bonitatis, Incarnatio Filii Dei, descripta in labiis, ut innueret Verbi diffusionem, & communicationem, quòd erat apud Deum in principio, & Deus erat Verbum, & gratia ipsa substantialis, quia Verbum erat, & est semper Deus. Hinc profundissima ejus descriptio est, *diffusa est gratia in labiis tuis*, illa utique, quam eructavit per Verbum bonum, summa enim, & infinita plenitudo bonitatis, & amoris, teste magno Dyonisio, quodam inexplicabili, quasi extasis impetu, eructare fecit verbum, & quod de propria linea verum, cùm ex Spiritu Sancto Incarnatum, in hominem se totum effudit, verbum bonum cum omni est proprietate fatendum, & adorandum; Quod cùm summum bonum sit indicibili communicatione diffusum, utique perfectissimum in se ipso, cuncta perfecit, & præcepit esse perfecta. Triplicem ergo habemus summi boni communicationem, in novo Testamento, primam, per Incarnationem, & Sacramenta; secundam, per fidem, & gratiam; tertiam, per præcepta, atque consilia, quæ omnia per amorem, & charitatem, & complentur; & complent; charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, ex quo Evangelium cum omni proprietate dicitur lex amoris; Quandoquidem cum Divo Thoma; & Philosophi, & Theologi, & Patres Complut., & Salmaticenses, aliique docent, quòd amor est causalitas finis æquè, ac causalitas voluntatis, se se enim in actu diffundit bonitas ad voluntatem per amorem, & per amorem voluntas, se se effundit ad bonum.

De prima communicatione divinitatis, per Incarnationem, & Sacramenta, & quæ eadem concernunt, tractant Sapientissimè Patres Salmaticenses, in tertiam partem D. Thom., sicut & de secunda

per

per fidem, & gratiam, in peculiaribus voluminibus. De tertia per præcepta, & consilia, omnes Doctores plurima congesserunt; sed de illis præcipuè præceptis, secundum peculiarem materiam, quam habent in novo Testamento, ut a Christo Domino proposita sunt, quia non facilè invenies, quid resolvas, hoc nobis tentandum est. Utinam brevitas concederet, gratia instruente, perficere.

ARTICULUS I.

De Evangelii preceptis in generali.

MUndatis Christus Baptismate suo, aquis Jordanis, cum iterum sicut olim, quasi prophetice in mundi principio, ita in ejusdem reparationis exordio ferretur Spiritus Domini super aquas, super eum quoddam Gratiarum diluvium prænunciaturus, sicut columba idem Spiritus manisit, recognoscens, & prædicans opus suum, quippe conceptus fuerat de Spiritu Sancto, ex Immaculata columba, nempe divinæ Sanctissimæ Virginis puritate; baptizatus mox ductus est Jesus in desertum ab eodem spiritu; & se se quasi auferens mundo, baptizatos docuit fugam sæculi, qui prius Innocentes docuerat emmundationem, omnes humilitatem, omnemque justitiam; delituit 40. dies in deserto, suam ita prænuncians ascensionem, qua susceptus est ab oculis eorum; ut enim denique impleret omnem justitiam, quia per quadraginta dies delituerat, ne conquereretur mundus, 40. dies eidem post Resurrectionem restituit, per dies 40. apparens eis; & loquens de regno Dei, & demum videntibus illis elevatus est. Propheticum illic Moysis, & Eliæ implevit jejunium Quadragesimale nostrum, facto prædicens, & præcipiens. Hinc a Diabolo tentari voluit; propheticam Job, ab eodem Diabolo persecutionem adimplens; etsi enim tentari, non tamen a Diabolo percuti decuit eum, qui perfectè jejunaverat, Jobi enim ideò tam dura fuit afflictio, quia prius etsi Sancto, intendebat tamen convivio, unde & primo percussus fuit in convivantibus filiis, non in jejunantibus, nec ipse jejunans, ut sic vis, & meritum abstinentiæ contra Diabolum cognoscatur. Tentari voluit, ut sciremus, non indecorum esse tentari, sed vinci; tentatus enim fuit, ut vinceret, & doceret victoriam; in Verbo Dei scripto vicit, qui erat Verbum Dei, ut nos in utroque vincamus, idque notum sit, tentationem dari ad victoriam; Diabolum contrivit, ejus siquidem victoriæ præluserat, quia factum fuerat ab initio prælium magnum in Cælo, cum Michael pugnabat, & Draco, & Angeli ejus & non prævaluerunt, desertum namque Cælum est, ubi Christus; immò & Cælum, etiam tunc ab initio fuerat desertum, quia mali Angeli deserverunt suum domicilium. Tunc Michael interrogavit, quis ut Deus, & nemo legitur respondisse, quia nondum venerat Verbum ad præliandum; cumque venit, facto respondit, hic est Deus, immò & dicto; inquit enim, scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Tunc reliquit ergo eum Diabolus, & accesserunt Angeli, & ministrabant ei;

A sic conclusum est omnimodis, quòd ubi est Jesus, solitudo est Paradisus, quem reliquit Diabolus, incoluntque Angeli; Draco siquidem iste est vere, quem formavit Deus ad illudendum ei, ut primum a Cælo pulsus, quod fecit sibi desertum, lapsu suo prophetaret, a deserto etiam expellendum se, quod Jesus reformavit in Cælum. Ita se præparavit Jesus ad prædicationem, ad doctrinam, ad legem dandam, ad redemptionem. Et quidem præparatio ipsa prædicatio fuit, doctrina, lex, & redemptio. Inquit enim Gregor. *hom. 17. In Evang. Dominus, & Salvator noster, aliquando nos sermonibus, aliquando verò operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus precepta sunt, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit.* Si ergo universa in hoc sensu Evangelii præcepta scrutari præsumere-
B mus, opus esset æternum, ad quod nec dum tota Patrum in via valuit sapientia pervenire, satis itaque modulo nostro erit primum, & ultimum, in quibus universa clauduntur, quæque ipsum suum repræsentant auctorem, de se dicentem, ego sum alpha, & omega, principium, & finis, ego sum primus, & novissimus, brevi consideratione rimari. Duo autem hac in re nobis incumbunt, scilicet generalia præcepta describere, in quibus quomodo cætera, quæ aliqui notant Doctores, uniantur, immò & hæc ipsa in invicem se se contineant constabit.

Ecce igitur Christus, baptismate, humilitate, Patris, ac Spiritus Sancti Testimonio, recessu, jejunio, oratione munitus, probatus in prælio hisce
C fortitudinis invincibilibus armis, demum prosilit ad prædicandum, docendum, præcipiendumque. Hæc omnia fuere præcepta pro Prelatis, Doctoribus, & Legislatoribus, eos quippe instruendos duxit exemplo, qui plerumque erubescunt instrui verbo; postmodum verò communem his, aliisque omnibus instituit doctrinam, medicinam, præceptum. Exinde (refert Matthæus *capite quarto.*) cæpit Jesus prædicare, & dicere, *penitentiam agite; appropinquavit enim regnum Cælorum.* Exinde, scilicet post hæc omnia, & ex ipsis conclusit, pœnitentiam agendam esse, quasi illa fuerint quoddam necessarium antecedens, ad inferendam hanc innegabilem consequentiam, quasi dicat Filius Dei, comprobatus talis, testimonio Patris, & Spiritus Sancti, & Joannis præcursoris sui, humi-
D lis quasi penitens voluit baptizari a servo suo, cujus baptismus erat baptismus penitentiæ: Jejunium quadragenarium assumpsit, & esuriit, nec per hoc a tentatione tutus esse voluit, sed tentatus, Verbo Dei pugnavit, & vicit, ergo multo magis, & incomparabiliter, a majori, immò a maximo ad minus, intulit maximum debitum filiis hominum penitentiæ, ac si diceret, ergo qui labilitatis testimonium habent a primi omnium Patris lapsu, debent pænitere, cum sint peccatores, baptizari lacrimis, jejunio humiliari, & per omnem penitentiæ viam, præterita peccata delere, & futura, quæ tentatione ingruunt, verbo Dei propellere, ne iterum cadant, si cecidisse jam dolent. Hæc est substantia hujus præcepti, immò totius legis, & Evangelii. Quod argumentum post Resurrectio-

nem suam iterum repetere dignatus est, euntibus in Emaum. O' stulti, & tardi corde ad credendum; nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, iterumque jussit, antequam ascenderet in Cęlum, prædicari in gentibus pęnitentiam, ut eodem, quo cæperat legem suam, præcepto concluderet, omnemque legis suę discursum, unico hoc ita concluderet in præcepto; ejusque quinam esset effectus denique ostendit, ascendens in Cęlum.

De hoc igitur præcepto, Evangelicæ legis epilogo, aliqua breviter discutiemus, scilicet.

De pœnitentia, primo Evangelicæ legis generali, & peculiari præcepto.

ARTICULUS II.

Quid sit pænitentia, quam ibi prædicat Christus, Matth. 4. dicens agite pęnitentiam.

NON est sermo de pęnitentia, quæ est Sacramentum; nondum enim eam instituerat Christus, cum primo incipiens prædicare, imperabat, *Agite pęnitentiam*; quid autem sit pęnitentia, quę est virtus accuratè tractat Angelicus Doctor, 3. par. quæst. 85. ex cujus Doctrina, cum Nostris Patribus Salmaticensibus, tractatu de virtutibus, arb. præd. paragrapho 9., n. 75. aliisque Patribus, & Doctoribus, aliquid eruemus. Cum verò aliam non possimus imaginari pęnitentiam, nisi quæ vel sit Sacramentum, vel virtus, vel actus virtutis, certum esse debet, quòd si Christus, in initio suę prędicationis non ęgit de pęnitentia, quæ est Sacramentum, jam procul dubio ęgit de pęnitentia, quæ est virtus, & rursus, non de ipsa secundum quod præcisè dicit habitum; non enim habitus cadit sub præcepto, vel suasione, nisi mediante actu, ex cujus continuatione formatur. Porrò hanc generalissimè consideratam describit Angelicus, citata quæstione, articulo primo in corp. *Pænitere, est de aliquo a se factò dolere, quæ ratio si consideretur in appetitu sensitivo non est virtus, sed passio, si verò, ut est in voluntate per rationem regulata, importat electionem., & est virtus moralis*; & quia constans ejusdem Angelici Doctrina est, quod de omni virtute morali datur præceptum naturale, hoc etiam debet admitti de pęnitentia. *Pertinet enim ad rationem rectam*, dicit loco citato, *ut aliquis doleat, de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est*; Quòd quidem observatur in pęnitentia, de qua nunc loquimur; nam pęnitens assumit rationabilem dolorem, de peccatis pręteritis, cum intentione removendi ea a se, unde manifestum est, quod pęnitentia, vel est virtus, vel actus virtutis; Quę quidem generalia sunt, considerando tamen conditionem subjecti, & status elevationis fidei, jam certè cognoscimus, quod peccatum non solum est contrà rationem, sed est Dei offensa, qua posita dictat justitia, quod Deo pro offensa satisfacere tenemur, unde aliqui definiunt pęnitentiam, quod sit dolor de peccatis propter Deum, quę tamen Nostris Patribus non videtur adęquata definitio, ideò ex Divo Thoma ar. secundo, eam sic definiunt, *pænitentia est virtus tendens ad destructionem peccati, in quantum est Dei offensa, media satisfactione*, vel, *est virtus offerens Deo debitam satisfactionem, & dolorem pro peccatis*, cum enim pęnitentia, sit justitia hominis ad Deum, intendens aliquam commutationem, eo modo, quo potest, quia est justitia potentialis, oportet quòd ejus objectum, sit aliquod Deo debitum, per cujus exhibitionem reparetur, quod Deo ablatum est intentativè, scilicet honor ejus, & jus lęsum per offensam, redintegretur, Quod fit per satisfactionem, in qua includitur dolor de peccato pręterito, & propositum ulterius non peccandi; satisfactio ergo est objectum formale quòd, hujus virtutis, Deus verò est objectum cui, sicut respectu religionis, etsi cum sua diversitate; Religio enim recta via, & quasi primario, Deo cultum offert, in quo magis imitatur conceptum primarium justitiæ, sed pęnitentia tantum ex suppositione offensæ, Deum concernit, in quo imitatur justitiam, ut restitutivam, qui non est conceptus ejus omninò primarius, sed ex suppositione oppositi. Peccata sunt ejus materia remota, at materia proxima est omne id, in quo potest reperiri aliqua ratio satisfactionis, ac proinde comprehendit actus omnium virtutum, quæ extensio valdè notanda est quoad præsens. Sicut & Doctrina, ejusdem Angelici citato articulo secundo, ad primum, quod nempe, cum displicentia mali, ad eandem virtutem spectet, ad quam spectat gaudere de bono, quia hoc utrumque spectat ad charitatem; ideò si pænitentia sumatur pro displicentia peccati, jam coincidit cum charitate, si autem sumitur secundum intentionem illud destruendi, modo superius dicto, specialem constituit virtutem pęnitentiæ.

Sicut etiam id, quod articulo tertio ad secundum Idem observat, quod inter simpliciter inæquales, non potest dari vera justitia, sicut inter Patrem, & Filium, dominum, & servum, ac multò magis inter Deum, & hominem, potest tamen suppleri, illa inæqualitas redditi, ad debitum, per acceptationem superioris.

Præcipua tamen expositio pœnitentiæ, quam Christus loco proposito prædicavit, de qua quid sit, præsens interrogat quæstio, ea est, quam idem tradit Angelicus, articulo primo, in argumento, sed contra, & art. 3. in responsione ad ultimum. In primo enim, inquit, ad probandum quod pœnitentia est virtus. *Præcepta legis dantur de actibus virtutum, quia legislator intendit cives facere virtuosos, ut dicitur 2. Ethicorum: sed præceptum divinæ legis est de pænitencia. Math. 4. pænitentiam agite, quia pænitentia est virtus.* In tertiò verò, *dicendum quod pænitentia licet sit directè species justitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea, quæ spectant ad alias omnes virtutes. In quantum enim est justitia, quæ datur hominis ad Deum, oportet quod participet ea, quæ sunt virtutum theologicarum, quæ habent Deum pro objecto, unde pænitentia, est cum fide passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. In quantum verò est virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ est directiva*

ctiva omnium moralium virtutum, sed ex ipsa ratione justitiæ, non solum habet ſ. quod justitia est, sed etiam ea, quæ sunt temperantiæ, & fortitudinis, in quantum scilicet ea, quæ sunt delectationis causa, ad temperantiam pertinent, vel terrorem incutiunt, quæ fortitudo moderatur, in communionem justitiæ veniunt, & secundum hoc ad justitiam pertinet, & abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam, & sustinere dura, puod pertinet ad fortitudinem.

Ex his jam clarè habetur, & quid sit pœnitentia, & quomodo intelligi potest prima Christi prædicatio, & alia inde licet inferre.

Primum, quod nempe est Christi præceptum, & saltem tempore primum, quod cum D. Thoma communiter omnes tenent, & Theologi, & Expositores, nec de hoc est dubium, tum quia ex modo loquendi imperativo, agite pœnitentiam, convincitur; tum quia impossibile est, gratiam cum peccato componi, sed Christus venerat dare gratiam peccatoribus, non enim venit vocare justos, sed peccatores, ergo ex natura muneris sui, & finis, prius præcipere debebat expulsionem peccati, quæ fit per pœnitentiam, nec sufficiebat suasio, quia omnes invenit in statu servitutis, debebat ergo dari præceptum. Tum etiam, quia in aliis Evangelii locis, idem preceptum tamquam simpliciter necessarium innovatum reperimus, sub forma præcepti, addita etiam pœna non observantibus, ut post pauca videbimus.

Infertur secundò. Hoc præceptum, per modum initii necessarii, in se universa Evangelicæ legis præcepta concludere, ut docuit D. Thomas in præallegata doctrina, articulo 3. quod pro nunc solum generaliter inferimus, id ex professo licet breviter post pauca ostensuri. Pro nunc probatur hæc consequentia, si pœnitentia comprehendit, ex Divn. Thoma, ea, quæ spectant ad alias virtutes tum theologicas, cum cardinales, ergo ejus præceptum, earum præcepta complectitur; certum est enim, quod præcepta aliarum virtutum spectant ad alias virtutes: Insuper præcepta virtutum continent ipsas virtutes, quas præcipiunt, ergo & præceptum pœnitentiæ continet earum præcepta, patet conseq. quia preceptum pœnitentię continet pœnitentiam, hæc continet precepta aliarum virtutum, quia continet id, quod ad illas pertinet sicut preceptum earum, ergo & earum precepta. Tum etiam implicat, quod aliquem pœniteat de Deo offenso in una linea, eum non curans offensum esse in alia, ergo preceptum pœnitentię, debet se extendere ad precepta omnium aliarum virtutum, si enim unum ex illis non curaret, utique non curaret, Deum remanere offensum in linea illius virtutis, cujus preceptum non curaret, ergo ex sua natura preceptum pœnitentię continet precepta omnium aliarum virtutum.

Infertur tertiò, veram pœnitentiam preceptam a Christo, esse genere, & specie diversam a pœnitentia, quam precipit jus naturę. Prob. nam pœnitentia naturalis juris, non est connexa cum Fide, & gratia, ex natura sua, quia fides, & Gratia

A constituunt superiorem ordinem, scilicet supernaturalem, sed pœnitentia, quam precipit Christus est connexa cum Fide, & Gratia, ergo. Prob. minor, ex eo, quod sequitur, inquit enim, *agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum,* quod sanè regnum natura non promittit, nec predicat, sed sola fides, & gratia, immò nec ipsum promittit lex antiqua, etsi in fide fundata, unde dicit Remigius, ad hunc locum. *Notandum quod non dicit appropinquavit regnum Chananæorum, aut Jebusæorum, sed regnum Cælorum. Lex enim promittebat bona temporalia, sed Dominus regna cælestia*, unde etiam solvitur instantia, quę hic fieri poterat, quod non esset hoc preceptum novę legis, eo quod in antiqua etiam, prophetæ prædicabant pœnitentiam, ut Joel. Hieremias in Tre- B nis, & David in Psalmis; etsi enim præceptum illud, umbra esset, & figura novi, tamen secundum suam veritatem sistebat intra spheram propriam bonorum temporalium, ut decebat populum carnalem, ut ibi advertit Remigius.

Infertur quartò, quod etsi charitas, ejusque præceptum per modum finis, & superiori quadam ratione, contineat preceptum pœnitentiæ, omniaque alia, non implicat tamen, immò necesse est, ipsam ejusque præceptum, in pœnitentia ipsa contineri, ob necessariam connexionem, quæ est inter utramque; sicut enim implicat, quod quis doleat, de offensa Deo irrogata, nisi ex eo quod diligit Deum super omnia, omnis namque dolor de malo, oritur ex amore ad bonum oppositum, C ita etiam implicat, quod quis Deum diligat, super omnia, quod facit charitas, nisi destruat peccatum præcedens, & offensam Dei, quod facit pœnitentia, unde hæc illam continet in genere causa materiali dispositivæ, & effectivæ moralis, illa verò hanc in genere finali, & effectivo physico. Aliam etiam connexionis hujus profundam rationem assignant Patres Salmaticenses, loco citato, *habet*, inquiunt, *pœnitentia nexum indispensabilem cum gratia, non ea solum generali ratione, qua reliquæ virtutes infusæ, sed peculiari titulo, nam cum pœnitentia per se tendat ad auferendam offensam irrogatam Deo, media satisfactione, & hujusmodi satisfactio quamvis magna sit, inequalis sit prædictæ offensæ, nequit suum sortiri effectum, nisi ex Dei acceptatione, supplente divina miseri-* D *cordia, quod non valet hominis præstare justitia; hoc autem esse non potest, nisi Deus pacetur homini, reddaturque ipsi amicus, quod fit per gratiam.* Addimus tamen ad explicandam ex omni parte, ut revera est, mutuam connexionem, nequit Deus esse amicus per gratiam, nisi sit pacatus, per hoc quod miser homo satisfaciat ipsi pro offensa, quantum potest, quod fit per pœnitentiam, unde etiamsi utrumque in eodem justificationis motu contingat, ut bene advertit multoties Angelicus, debet tamen causarum invicem conveniens ordo servari, cum igitur tanta sit connexio harum virtutum, tanta etiam debet esse connexio præceptorum, per regulam illam indispensabilem, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, cum proportione applicatam.

In-

Infertur quintò, quod considerando quidem humanam satisfactionem oblatam Deo, pro offensa ipsi irrogata, etiamsi connexionem dicat cum gratia, & charitate, semper finita est, ideoquè inæqualis, quia offensa est infinita, indeque fuit necessitas Incarnationis, nihilominus posita Incarnatione, & gratia data per Christum, & Dei acceptatione, ab ipso oblata, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, qui dixit, venite ad me omnes; qui dignatur aquæ poculum propinatum uni, ex minimis suis, ut sibi datum compensare per satietatem æternam, jam ipso supplente fit vera justitia inter Deum, & homines; ita ut dicere possit Apostolus, *reposita est mihi corona justitiæ*, non quod creatura Deo satisfaciat ad æqualitatem, sed quod satisfactionem creaturæ Deus facit æqualem promissione, & acceptatione, & quoad effectum, quod oritur ex satisfactione ad æqualitatem, quam obtulit Christus, qui ita promisit; & hoc est, quod summa ejus benignitas innuit, dicens, *agite pænitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum*, non enim dixit, vos appropinquatis regno cœlorum, ne putarent valorem suę pœnitentiæ, ex propriis, ad regnum posse pertingere, sed potius appropinquavit regnum cęlorum, nempe vobis occurrit, descendente summo Rege de cęlis propter nos homines, & propter nostram salutem. Unde & orare nos docuit, adveniat regnum tuum, non autem veniamus nos in regnum tuum, ut misericordiam flagitemus; non enim est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Pręcipit igitur, & simul animat ad pœnitentiam, quasi dicens, agite pœnitentiam: Si enim hæc ex se non potest ad regnum cęlorum, unde fugistis, appropinquare, tamen, quia ego sum, qui ita præcipio vobis, ad eam appropinquabit ipsum regnum cęlorum, per descensum, & condescensum Regis, *ad vulnera enim nostra descendit, ut usu quodam, & copia suæ naturæ comparticipes vos faciat esse regni cœlestis*. D. Gregor. quod nisi sic asseramus, vix invenietur doctrina, quæ intellectum quietet, urgentibus toto conatu hæreticis, contra pœnitentiæ vim, necessitatem, & effectum.

Ex pluribus unam eligit objectionem N. Pater Laurentius, in suo Spicileg. tom. 4. controversia prima de pœnitentia, paragrapho 2. ejusque varias solutiones a Doctoribus exhibitas, subtiliter examinat, & confutat. Quod argumentum, quia æque pugnat contra ea, quæ intulimus, & statuimus, ac contra ea, quibus illud obiicit prædictus Doctor, hic breviter recensemus.

ARTICULUS III.

Ponitur, & solvitur objectio hæreticorum.

Arguunt igitur. Ex dictis videtur, quod Deus omninò gratis, intuitu satisfactionis Christi, absque ullo respectu ad nostram satisfactionem, remittat offensam, ergo non adimpletur aliquid per nostram satisfactionem, & pœnitentiam, quod

A desit passionibus Christi. Prob. ant. actus peccatoris non habet vim satisfaciendi adhuc ex imperfecta justitia in ordine ad Deum, nisi prout ejus actus intelligitur subsequi ad gratiam, & cum ea connecti, eaque informari, ergo de facto absque ullo respectu ad talem actum, ut satisfactorium, remittitur peccatum. Prob. hæc conseq. quia cum Deus infundendo gratiam, acceptat hominem in suam amicitiam, & gratiam, eo ipso condonat offensam, ergo actus hominis pro eo signo, pro quo posset habere vim aliqualiter satisfactivam, quod utique est signum informationis gratiæ, supponit offensam remissam, quia supponit amicitiam, quæ sine remissione offensę non datur.

Respond. pręnotando, quod ex peccato resultat duplex jus in Deo, sicut dupliciter pugnat contra
B Deum; peccatum enim importat aversionem positivam a Deo, ex quo resultat in Deo jus odii contra peccatorem; & habet rationem offensę & injurię, per quam fundatur in Deo jus compensationis: Quę duo jura, sunt ex natura sua separabilia, sicut cum homo læditur, tenetur quidem odium cohibere, ex pręcepto Evangelii, non tamen tenetur renunciare compensationem; porrò sicut charitas ex sua ratione formali, amor est summi boni, qui amor in nobis esse non potest, nisi prius ipse Dominus amore effectivo, sive efficiente in nobis eundem amorem, nos diligat, ita pœnitentia habet pro formali objecto satisfactionem Deo offenso, ideoque jus compensationis concernit formaliter diversum a jure odii, quod
C charitas extinguit, eo quod, nihil est amore amabilius, nec potest sibi Deus contradicere, unde volens amari a creatura, eo ipso eam facit sibi amabilem, cedens juri odii, & certè magnus est amor, qui tantum donum largitur, scilicet charitatem.

Hunc expressimus ex acutissima doctrina Patris Laurentii succum, cui addi potest, eam distinctionem habere fundamentum conveniens in Sacra Scriptura, etsi videatur humano quodam modo divina jura tractare; docuit enim nos Christus, Math. c. 6. ut orantes dicamus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, cum igitur nos dimittamus debitoribus nostris, jus odii quoddam, quod natura videtur habere, ad se tuendum per exclusionem, & abo-
D minationem ejus, quod sibi nocet, atque exinde adhuc servata lege Evangelii, non semper dimittamus compensationem, eo ipso jam petimus a Deo, ut prius nobis dimittat jus odii, infundendo nobis amorem, nec tamen animum compensandi, quantum possumus, abdicamus. Non enim esset justa oratio, si cum animo non satisfaciendi Deo, adhuc dimittenti peccata per gratiam, procederet, quod valdè notandum est. Nec prętereundum, quod quando a Deo petimus remissionem, dicimus dimitte nobis debita nostra, quia sic petimus a Deo, ut omnia jura passiva, quę habemus ad odium, & satisfactionem dignetur dimittere, per infusionem charitatis, & pęnitentię, supplementum misericordię. Cum verò motivum quoddam exhibemus, ad id obtinendum, comparantes

rantes

mantes nos cum debitoribus nostris, non dicimus, sicut nos dimittimus omnia debita cujuscumque rationis, & in omni linea, & quomodolibet fundata, sint, sed tantummodo, sicut dimittimus debitoribus nostris, ly enim dimittimus est expressio nostræ actionis, quam in sua linea concernit amor, vel odium, non verò aliquid aliud fortè debitum ex parte aliorum, hoc enim non remanet extinctum, aliter & Pater, quod sibi debent filii, & è converso, & dominus, quod sibi debent servi, & è converso, & operarius, quod sibi debetur, deberent dimittere, ut possent orare, absque eo quod se proprio ore damnarent; esset enim tunc in oratione inclusum argumentum contra orantem. Rogo, dimitte mihi Domine omnia mea debita, quæ tecum contraxi, sicut ego aliis dimitto debitoribus meis, atqui ego non dimitto aliis ea, quæ mihi debent, ergo nec tu mihi, & esset contradictio; rogo, ut dimittas, rogo ut non dimittas, vel rogo ut dimittas, non rogo, ut dimittas. Nec locum haberet justitia, ubi ex Justitia Christiana justum esset, universa dimitti; unde essent debita, & non debita, & denique humana sociabilitas dimitteretur, ut clarum est. Hæc autem ideò addidimus, occasionem hinc captantes, ut scrupulosæ simplicitati, quorundam fieret satis discursu quodam evidenti, & simplici, & sapientissimæ illius doctrinæ radicem quantum possumus penetremus.

Hinc facilè resp. principali argumento, dimisso prolixo excursu, per aliorum solutiones, quas refert, & impugnat prædictus Doctor &c. neg. ant. ad probationem conc. antec. & neg. conseq., ad probationem dist. ant. Deus infundendo gratiam acceptat hominem in suam amicitiam, sistendo in linea amicitiæ, & per extinctionem juris ad odium, conc. ant. acceptat in suam amicitiam, quoad omnes effectus etiam alterius lineæ, scilicet compensationis, subdist. intransitivè ex vi amicitiæ, neg. transitivè, inferendo scilicet id, per quod fit compensatio, conc., & negatur consequentia. Ad probationem insertam in conseq., amicitia non datur sine remissione offensæ, dist. ant. sine remissione offensæ in linea justitiæ neg. ant. in linea charitatis, conc. ant. Tota responsio ad argumentum clara est, ex data doctrina, solum superest explicanda.

Respon. ad ultimam instantiam inclusam in conseq. ne videatur data distinctio, quasi petere principium, vel non solvere valde apparentem rationem, quomodo enim intelligi potest Deus amicus, & offensus? difficultas ergo oritur, eo quod arguens nimis distinguit, nec satis distinguit; separat enim omninò condonationem juris odii, & remissionem compensationi respondentem, unde concipit Deum amicum, & simul simpliciter offensum, idest non compensatum, & hoc est nimis distinguere, quia utraque remissio non separatur simpliciter, etsi attento diverso jure distinguantur, nec satis distinguit, recta enim intelligentia, etsi reverà a parte rei Deus nunquam sit simul offensus, & amicus, distinguit tamen amorem, & remissionem offensæ ab eodem amore illatam, quia amor

A Dei producens in nobis charitatem, facit intransitivè amicitiam inter utrumque, & nostra satisfactio adjuta per supplementum Misericordiæ, facit compensationem, auferens offensam. Et sic eodem contextu fit Deus amicus, non offensus, quamvis non plenè satisfactus. Quod explicat P. Laurentius, nam omnes admittimus, post justificationem adhuc remanere reatum pœnæ temporalis, qui provenit ex inferioritate nostræ satisfactionis, comparatæ ad offensam, potest igitur homo esse amicus, & debitor, quare ergo pro aliquo signo rationis non poterit intelligi Deus, amicus, & adhuc in hoc sensu offensus, ita ut tamen ipsa amicitia causet in homine motum compensationis, per quem Deus non denominetur amplius offensus. Clariùs autem dicemus, Deum, cum est amicus, non posse dici offensum, quia semel posita amicitia, impedit denominationem offensæ, etiam pro signo solius amicitiæ, quia forma in destrui, non denominat; gratia autem, & charitas, quæ sunt ipsa amicitia hominis ad Deum, exigunt strictò jure, sicut natura proprietates, pœnitentiam, per quam tollitur ratio offensæ, cumque ratio offensæ sit in Deo moraliter tantum, tollitur ejus denominatio per suum oppositum, cum hoc ponitur etiam moraliter tantum, tolletur, ergo hæc denominatio, cum ponitur realis amicitia, quæ est moraliter pœnitentia, cum ipsam naturaliter exigat tamquam veram proprietatem; Ideò etiam salva distinctione utriusque juris, quam ponimus, cum Patre Laurentio, negamus, quod in aliquo sensu, vel pro aliquo signo etiam rationis verificetur, quod Deus sit amicus, & offensus, quod homo, sit amicus Dei, & simpliciter, ac absolutè debitor contrariè, aut privativè, ad summum enim facta omni subtili præcisione, verificabitur pro præcisissimo signo amoris, homo, amicus, & simpliciter debitor negativè, quia satisfactio debiti pro illo signo, nascitur, nec dum intelligitur nata, hæc tamen etsi vera, quia tamen præcisissima sunt, cum grano salis sunt accipienda. Immò pro illo signo perit nomen debiti, ex eo quod ejus destructivum, scilicet pœnitentia, est debita charitati.

Denique sexto, infertur, ex hoc præcepto Christi, oriri obligationem exercitii omnium aliarum virtutum, prout stant, seu stare possunt sub motivo satisfaciendi Deo, pro offensa illi irrogata. Probatur.

Quælibet nostra satisfactio, semper inæqualis est, cum offensa infinita, ergo semper remanet aliquid offerendum, etsi enim fieri non possit æqualitas, potest tamen semper fieri minor inæqualitas, & ideò consequentissimè sibi semper eadem divina Christi sapientia, prædicato, hoc est intimato pœnitentiæ præcepto, in initio sui Evangelii, & doctrinæ, alia toto Evangelii decursu addidit, & præcepta, & consilia, per quæ ad omnes virtutes inducuntur homines, cum maxima proportione ad diversos status, & modo suavissimo. Totum enim Evangelium est explicatio primi hujus præcepti, quod ideò posuit tamquam thema in principio suæ prædicationis; si enim venit quærere, & salvum facere, quod perierat, hæc ejus fuit

fuit intentio, ut perfectam, vocati peccatores agerent pęnitentiam, hæc autem nequit esse perfecta; ex generali ratione, nisi connectatur cum omnibus virtutibus, etiam pariter perfectis, quia virtus nequit esse in statu perfecto, nisi omnes simul sint etiam perfectè in eodem subjecto, ut prob. D. Thom. & tota ejus schola, aliique etiam &c. Sed & insuper, & speciali ratione ipsius pœnitentiæ, tum ex inæqualitate nostræ satisfactionis ad offensam, ut nuper dictum est, tum ex propria extensione ad omnes virtutes, quam supra ex D. Thoma explicuimus; si enim restringitur, jam deest ipsi extensio, quam exigit, unde imperfecta est; tum etiam quia, sicut peccatum offendit, & inhonorat Deum; ita virtus, & executio mandatorum, eum honorat, cum hac sola diversitate, quod honor est in honorante, & injuria in offenso. Cum igitur pœnitentiæ munus, immò essentia, in hoc sita sit, ut resarciat quantum fieri potest offensam Dei, & inhonorationem ejus, debet perfici in sua linea, & intendit de facto omne id, per quod Deus honoratur, scilicet omnem virtutis actum, ad Dei honorem resarciendum, qui maximè honoratur per obedientiam, & observantiam omnium mandatorum. Et hoc magis patebit inferius, cum in particulari referemus præcepta Evangelii.

Si honor, dices, est in honorante, & offensa in offenso; honoret Deum pęnitentia, quantum potest, offensa semper manebit in Deo, quia ille omnis honor, semper erit in pęnitente, & nihil operabitur, quod tollat offensam, quæ est in alio, scilicet Deo.

Respon. quod jam suprà explicatum est, quomodo ex acceptatione, & promissione divina suppletur insufficientia hominis ad delendam Dei offensam, per satisfactionem, & sicut offensa est tantum moraliter in Deo, sufficit quod satisfactio moraliter se habeat ad ipsum, & revera in ipso moraliter recipitur, cum ipse illam acceptat, quasi illam applicans sibi, vel se illi per acceptationem. Hoc autem negari non potest, aliter ad quid prædicaret Christus pęnitentiam, si eam non esset acceptaturus; vel ad quid acceptaret, si offensa, intacta post ipsam remaneret?

Dices iterum contra id, quod diximus, scilicet præceptum pęnitentiæ obligare ad omnes virtutes, ergo qui non agit pęnitentiam, reus erit contra omnia pręcepta virtutum.

Respon. neg. consequ. sensus enim illius doctrinæ est, non quod formaliter præceptum pęnitentiæ obliget ad omnes virtutes ex se, sed quòd ex inhabilitate nostræ satisfactionis oritur generaliter, quod tenemur conari, ad superaddendum ei, quantum possumus ut crescat satisfactio, quod fit per actus omnium virtutum, tunc occurrentium, quę enim non occurrunt observanda, non obligant; cum agimus de obligatione præcepti, vel præceptorum affirmativorum.

2. Respon. quòd si agamus de pęnitentia sumpta secundum omnem perfectionem, inclinat quidem ex modo dictis, ad omnium virtutum exercitium moraliter, & generaliter, sed ad hoc, ut quis sit reus alicujus præcepti violati, debet illud in particulari obligare non in generali, juxta Doctrinam Divi Thomæ, de circumstantiis generalibus, & transcendentibus, quæ specialem non tribuunt moralitatem, nisi vel adsit peculiare præceptum, vel specialis intentio agentis.

ARTICULUS IV.

Quid operetur, id, quod addidit Christus præcepto pęnitentiæ, dicens appropinquavit regnum Cælorum.

HAnc eandem Christi prædicationem referens Marcus, cap. 1. inquit, *pænitemini, & credite Evangelio*, si ergo quod refert hic Matth. cap. 4. exponatur per illud, quòd habetur Marci primo, idem significatur, per ly appropinquavit regnum Cęlorum; & hoc, scilicet credite Evangelio; unde hoc præceptum pęnitentiæ erit conjunctum, cum fidei pręcepto, nempe præceptum pęnitentiæ ex motivo fidei in Christum, ejusque Evangelium, idque operatur hoc additum, ut acceptabilis sit pęnitentia; sine fide enim impossibile est placere Deo, & quod pęnitens aquirat regnum Cęlorum; ideò dicere; *credite Evangelio*, idem est ac dicere, appropinquavit regnum cęlorum & ratio est quia usquequo Christus passus est, & ita intravit in gloriam suam, semper Cęlum fuerat clausum, & impervium, ac propterea impenetrabilis erat ejus distantia a nobis; adveniente itaque Christo, qui portas æreas confringere debebat; appropinquavit ipsum regnum Cęlorum, cum ergo ipse esset prope passionem suam, & in Cęlum ascensionem, jure dicebat, appropinquare regnum Cęlorum, & quia ipse solus est via, veritas, & vita, per quem siquis introierit salvabitur, sola fides in Christum, præstita pęnitentia, juvare poterat ad salutem, eaque carentibus adhuc impervium erat regnum Cęlorum, ideo coincidit, *credite Evangelio, & appropinquavit regnum Cęlorum*, & iste est communis sensus Doctorum, quemque pluribus ostendit Abulens. quæst. 102. in Matth. cap. 4.

Si autem secundum se consideretur, hoc additum, ut ibi exprimitur, retenta semper, & numquam exclusa priori expositione, quæ ex ipso desumitur Evangelio; dicemus primò, quòd addendo propinquitatem regni Cęlorum, proposuit præceptum simul, & præmium, & sic spem addidit pęnitentiæ, spem utique Theologicam, quæ tendit in vitam æternam; Secundò, se quodamodo obligavit, ad acceptandam pęnitentiam, & satisfactionem, cui promittebat vitam æternam, nam sine tali acceptatione, pęnitentia foret inutilis, & omninò remota a remissione peccatorum, & multo magis a regno Cęlesti, sic ergo, dum propinquationem regni Cęlestis, addidit pęnitentiæ, eo ipso pęnitentiam ipsam lenivit, ne quis piger esset ad pęnitentiam, quantumvis hæc dura videretur; numquam enim hæc adeò dura, sicut suave est regnum Cęlorum. Unde dicit Chrisostomus in *Matthæi caput secundum, etsi vos non terrent mala, saltem bona delectent*. Quam methodum benignissimus

mus Legislator primus instituit, & servavit: maximè in declaratione suae legis, cap. sequ. beatos dicens, & singulis propriam assignans beatitudinem, qui sua praecepta servarent.

4. Quod, apponendo propinquationem regni Cælestis, declaravit, quænam esset pœnitentia, quam praecipiebat, quæ scilicet digna esset tam eximio praemio, unde beatitudinem, nomine regni exhibuit, ut omnem hominem a se excluderet servitutem peccati, & legis, implicat enim regnum cum servitute componi. Talem igitur pœnitentiam praecepit, quæ non solum satisfaceret pro praeteritis, & futura mala excluderet, quæ sunt duæ partes pænitentiæ, sed quæ se extenderet ad observantiam totius Evangelicæ perfectionis, qua qui prius erant captivi, ac rei, capaces fierent regni, idemque hoc additione expressit, dum praecipiens pœnitentiam de qua jam diximus, quæ extenditur ad opera omnium aliarum virtutum, quam ideò vocamus pœnitentiam Evangelicam, quia totius Evangelii est materia, atque compendium; idque clarum est; nam regnum Cæleste, est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo qui praecipiens pœnitentiam, eam statim declarat ad proportionem talis regni, quòd asserit esse propinquum, vel quasi praesens, inquit enim, quòd jam appropinquavit, vult quod pœnitentia fit, omnium malorum exclusione, & satisfactione perfecta, sed hæc talis esse non potest, nisi se extendat ad opera omnium virtutum, ergo. Prob. minor, peccator, peccans, duo mala facit, relinquit bonum virtutis, & legis, & ponit malum oppositum, ergo non potest dici, quod perfectè pœniteat, & retractet, nisi taliter excludendo omne malum vitii, & ponendo bonum omne virtutis; siquidem peccans, nedum Deum offendit, sed legem, sed virtutem, ergo omnibus habet debitum satisfaciendi, Deo quidem per dolorem, & per satisfactionem de praeteritis, & propositum efficax emmendationis, quæ est substantialis pœnitentia, legi autem, & virtuti, & iterum in ipsis Deo, per fugam omnis mali, & positionem omnis boni.

Sed dices, ut verè quem pœniteat, etiam perfectè, satis est, quod doleat de commissa culpa, nullamque velit admittere, ergò sicuti non debet dolere de eo, quod non fecit, ita nec est debitor in linea virtutis, quam non læsit, non ergo debet satisfacere per omnes actus aliarum virtutum.

Respon. primò, hoc verum esse de pœnitentia, secundum se præcisè considerata, non verò de pœnitentia Evangelica, quam Christus praecepit, & proposuit cum appropinquatione ad regnum æternum; cum enim eam præceperit, quam Joannes prædicaverat, cum eisdem verbis se explicuerat, dicens facite fructus dignos pænitentiæ, non potest intelligi de pœnitentia sterili, sed de fructifera, porrò tales fructus important perfectam observantiam totius legis, ut clarum est.

Dices, ergo Christianus post pœnitentiam peccans, jam peccat duplici peccato, in ea scilicet linea, in qua delinquit, & contra præceptum pœnitentiæ Evangelicæ, vel hoc præceptum non est diversum ab aliis.

A Respon. neg. suppositum, supponitur enim, quod peccata multiplicentur juxta multiplicitatem praeceptorum, quod cum Divo Thoma, & ejus Schola, negant Patres Salmaticenses, & non multiplicari nisi cum praeceptis multiplicentur etiam motiva formalia, & particularia, non verò Generalia; motivum autem pœnitentiæ sic explicatæ, est generale, correspondens fini ultimo, scilicet regno Cælorum. [illegible]

Dices, quid ergo operatur hoc præceptum? Resp. quod modum praescribit satisfactionis, quam Deo offenso debet peccator, nisi intendit minorem in qualitatem satisfactionis, & majorem appropinquationem ad regnum æternum, [illegible] [illegible] potest [illegible] appropinquaverit per Christum ad nos [illegible] & nos ip-

B si appropinquemus per pœnitentiam, ac propterea Christus, dicens appropinquavit regnum Cælorum, significavit, quod in eo, quod prius dicebat pœnitentiam agite, invitavit nos, ut ipsi appropinquemus, tollentes distantiam, qua abfuimus ab illo per pœnitentiam. Insuper [illegible] tempora, [illegible] post [illegible] ad charitatem, & meritum, tollendo ejus impedimenta, quippe per violationem peculiarium præceptorum [illegible] his omnibus peccatores se privant. Insuper notandum, quod est præceptum affirmativum, quod ex vi sua non obligat distinctè, pro semper, sed tempore determinato, cum scilicet est pœnitendum, ex declaratione Ecclesiæ, vel in periculo mortis, vel in gravi tentatione desperationis; &

C tunc ex eo tenemur habere animum satisfaciendi per observantiam totius legis. Nunc in his est immorandum, cum ex Patrum Salmaticensium Doctrina, de vitiis, & peccatis, & de circumstantiis satis de istis constare possit.

Secundò responderi potest, posita instantia, neg. antec. ad probationem infertam in consequentia, qua videtur illud probari posse, contra antec. ergo non est debitor in linea virtutis, quam non læsit, distin. conseq., quam non læsit materialiter, conced., quam non læsit formaliter, quoad perfectionem, neg. quia ut dictum est, omnes virtutes in statu perfecto invicem pendent, ita ut ablata perfectione unius, nulla sit perfecta. Objectio autem est de pœnitentia perfecta, quæ modo in priori solutione dicto, cadit sub praecepto comprehenden-

D te alia peculiaria præcepta.

ARTICULUS V.

An omnes teneantur hoc præcepto.

Diversimodè quidem pœnitentiæ præceptum, in novo Testamento promulgatum est, ideò dubitari posset primò, an eodem modo semper obligaverit, Prius tamen de illo, ut a Christo nunc promulgato, immò & condito quosnam obliget, quæstio resolvenda est, sicque patebit, ad primum propositum.

Dicendum est, omnes afficere absolutè tale præceptum; hæc conclusio, est de fide, quod sic ostenditur. Pœnitentia necessaria est secundum fidem,

peccatoribus, ut fiuuntur. Sed secundum fidem omnes sumus peccatores, ergo secundum fidem omnes pœnitentia indigemus simpliciter; sed hoc præceptum afficit omnes necessitatem pœnitentiæ habentes, ergo &c. Major clare habetur Marci 13. ubi Christus sic loquitur peccatoribus. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Minor constat, ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. Apostoli *ad Roman. cap. 3. non est justus quisquam*, & ibidem, *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, & Joan. ep. 1. *cap. primo, si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, & ibidem, *si dixerimus, quod peccatum non habemus, mendacem facimus eum*, & Job. cap. 25. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*; & alibi, *in Angelis suis reperit pravitatem*, & psal. 115. *ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*, & psalmi 142. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia nullus apud te justificabitur homo*; & tota clamat Scriptura, & in hoc solum ista propositio videri posset non esse de fide, quia constat experientia, inductione, & evidentia; sed nec propter hoc concedi potest, quod non sit de fide, quia licet unicuique constet de seipso, tamen solus ille, qui scrutatur renes, & corda, hoc scire potest, & testificari de omnibus; de omnibus, inquam, una excepta beatissima Immaculata, ac semper prædicabili, ac dulcissima Virgine, Incarnatæ Sapientiæ, & Innocentiæ Matre Sanctissima, quam Concilium Tridentinum dignissime ex communi hoc infortunio, ac dedecore peccati proprii actualis excepit, ne quis imposterum vereatur, eam, etiam ab originali macula mundissimam omni puriori modo asserere, sicut enim universales sunt illæ propositiones Apostoli, & Scripturæ, quæ omnes asserunt peccatores quod utique significat proprio, & personali peccato infectos, vel mortali, vel veniali, ita universalis est illa propositio ejusdem Apostoli. Omnes in Adam peccaverunt, ergo, sicut hoc non obstante Concilium, a pluribus illis expressa universalitate peccatorum, illibatam Dei Matrem excepit, ita intelligi debet, cum eadem exceptione, etiam universalitas ista, omnes in Adam peccaverunt. Nec refert, quod illud est peccatum naturæ, quæ tota in primo homine vitiata est, idque expressit Apostolus dicens, omnes in Adam peccaverunt, peccatum vero actuale, est peccatum personæ liberæ in se, unde videtur valde lata disparitas. Respon. enim, nullam esse disparitatem quoad intentum, quia, quod homo peccet peccato actuali, non supponit, ex parte Dei aliquid positivum, sed solam negationem auxilii efficacis, totumque peccatum in sua linea morali, proprium hominis est, quod vero peccet in alio, supponit ex parte Dei, liberam translationem moralem voluntatum filiorum in Patrem, sine qua translatione, certe nemo peccasset in Adamo, ergo fortiori ratione credendum est, quod Deus ad salvandam Matrem a periculo maculæ in Adamo, eam in ipso non incluserit, hac morali inclusione sibi libera, si ipsam ab omni actuali servavit immunem, ad quod requirebatur auxilium efficax positivum, determinans ejusdem intellectum, & voluntatem, de

A immediata, immo magis descendit cum natura ad quemlibet potentia proxima ad peccandum personaliter, quam macula contracta in Adamo. Nam quod detur potentia talis ad peccatum, oritur ex impræscindibili ratione suppositi creati, eo quod fit ex nihilo; maculari autem, vel non maculari in Adamo, sicut contineri moraliter in illo, vel excipi ab illo, non est impræscindibile a natura humana creata, ideo Christus secundum fidem verus homo, secundum fidem non peccavit in Adamo; ergo quæ excipitur a termino universalitatis omnino impræscindibilis, scilicet ab actuali peccato, quod est terminus potentiæ proximæ ad peccandum, multo magis eximenda est a termino illius inclusionis, sic concreto, quæ potuit extendi, & non extendi, secundum libitum divinæ voluntatis, & dat res ipsi fundamentum; si enim Deus creavit Adam

B innocentem, qui erat principium, unde tota descenderet humana progenies, ne macula crederetur homini essentialis, neve Deo imputaretur peccatum, defectus enim, qui incipit cum esse rei, tribuitur speciali auctori illius rei, ergo electa ad principium reparationis, ad Maternitatem Redemptoris, secerni debuit, tamquam novum principium sanctitatis inviolabilis, & alterius ordinis determinate sancti, non proxime indifferentis ad bonum, & malum, sicut Adam. Nec sit, qui causetur hanc, quasi non ad rem, digressionem, semper enim nobis ad rem est, beatissimæ illibatæ Innocentiæ contemplatio, cui nedum omne tempus, sed æternam devovemus, utinam, æternitatem! Quæ sem-

C per, & meruit, & a Deo privilegium obtinuit, quo modo intra dicendi, vel disputandi leges, ejus memoriam coarctare vilis audeat creatura.

Sic ergo etiam id obiter dictum, si ea non dedignatur, animus, est, completa, hac in honorem Filii ejus, de ipsius verbo opella, totum quidquid nobis superesse ipsa voluerit temporis, ejus Immaculatæ Conceptionis elogiis, tota obsequente, & plaudente divina Scriptura, psallente Sanctorum Patrum choro consecrare, novissimum nobis utinam ipsa candore suo emmundet anhelitum, ut eam sonans, qua ipsa primo concepta est, desinat in puritatem. Parcat interim Immaculata (hoc enim est, ut opposita juxta se posita magis elucescant) si inter peccata, eam recordamur.

Nunc quantum spectat ad quæstionem, satis re-

D manet probata conclusio, quia dicimus, quod prædicavit Joannes pœnitentiam, sed eam Christus præcepit, & ratio est, quia Joannes præcursor legislatoris, non legislator erat, & ut præco illius publicabat eam quidem sed ut obligaret, ubi legislator eam prius præcepisset, at ipse non condidit legem; pœnitentiam igitur nunciavit, secundum jus naturæ debitam, & prænunciavit divino præcepto debendam, nam etsi addiderit motivum supernaturale, appropinquantis regni cœlorum, hoc tamen illis incognitum erat, qui terrena sapiebant, & sicut per baptismum suum, populum præparabat ad baptismum Christi, ita per prædicationem, præparabat ad Evangelium regni. Unde Marcus explicuit appropinquationem regni, dictam a Christo, quod significaret, credite Evangelio,

quod

quod non applicatur eodem modo, dicto Joannis cum hoc non inveniatur in Scriptura, immò nec Evangelium tunc erat præsens.

Prædicare jussit Christus Apostolis pœnitentiam, utique eandem cum fide Evangelii, de quo nemo dubitat, ideò eandem, & Petrus prædicavit in die Pentecostes, actorum 2. dicens *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Domini Jesu Christi*, & in secunda prædicatione ejus, dicitur act. 3. *Pęnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Satis jam ergo de pœnitentia, quantum ad nos spectat.

ARTICULUS VI.

De aliis Evangelii præceptis, & moralitatibus.

EVangelicis eliquatum lacrymis Margaritum, illo planè prætiosius, in quo potabile fudit regnum Cleopatra, pœnitentiam hactenus propinavimus, illo vel longè æstimabilius, illud enim pęnitendum erat, hæc pęnitentia, illud perdidit regnum, hoc omnia pendet regna, quæ aquirit in uno cęlorum regno, divino clamante Ecclesiaste, qui plusquam Salomon est: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ast quem intendit terminum; ad quid, quasi sui oblitum, pęnitenti appropinquat regnum cęlorum? non enim ait, *pœnitentiam agite, ut appropinquetis regno cœlorum, sed pęnitentiam agite*, venit ad vos enim, quasi quærens in vobis se ipsam, beatitudo, & gavisa est, quia appropinquavit quæ nullo indiget, cui sufficit id, quod est ipsa, regnum cęlorum. Quid hoc est? nisi quia per pęnitentiam, ipsa sibi superadditur beatitudo, & quæ lacrymas nescit, lacrymis adolescit in gaudium, se seque ingeminat sibi. *Gaudium*, inquit, Salvator, *erit in cœlo super uno peccatore, pœnitentiam agente*, ut inferas, gaudium hoc non esset in cęlo, nisi peccator ageret pęnitentiam, & sibi quodammodò deesset, si ipsi deesset pęnitens, sic quod appropinquavit, eo rediret vacuum regnum cęlorum. Hinc assimilatum est regnum cęlorum homini, utique diviti, qui omnia possidet, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, homini, qui cum esset dives pro nobis egenus factus est, qui semetipsum exinanivit, ut impleret gaudium suum, quippe non venerat vocare justos, sed peccatores ad pęnitentiam, homini, inquam, negotiatori, quærenti bonas margaritas, omnes nempe in nobis virtutes; inventa autem una pretiosa margarita, pęnitentia videlicet, dedit omnia sua, immò se ipsum, & comparavit eam, ut gaudium faceret in cęlo, quanto magis in terra? super uno peccatore pęnitentiam agente. Ast quorsum ista superius explicata? quid hæc ad articuli intentum? nempe ut inferas, si talis est evangelica pęnitentia, ut correspondentem omnibus, singulisque virtutibus augeat, merito sui, beatitudinem, ergo talis est ut virtutes omnes in se sola concludat, ergo & præceptum ad illam adstringens, ad alias alligantia præcepta comprehendit, qui igitur licet brevi, rudique minerva expressum pęnitentię evangelicæ præceptum propinavimus, cætera omnia, ethicæ Evangelicę præcepta sic prælibavimus, sicque & muneri nostro, & studiorum vestrorum siti nihil debemus. Quod si, nec in hoc quiescit, religiosa sciendi concupiscentia, ad sapientissimos Sanctorum Patrum latices accedat, vel in illis sistat, quæ brevi offert compendio, at non brevi diligentia, doctissimus P. Cornelius Alapide, tomo primo in Evangelia, post Monotessaron in principio, quæ non quidem, ut labori parceret, sed ne actum ageret eruditissimus P. l'Haye in biblia sua maxima, uti tanto opere digna, transcripta sibi studiosisque omnibus adaptavit, nosque ideò, quos veritatis amor, non novitatis alicit, discendique potius, quam docendi studium urget, sapientiorum parentes consilio, hic recensemus, eo vel maximè ducti, quod quæ ex Evangeliis hic elicit celeberimus Pater, cum iis, quæ concludit Angelicus Doctor, prima secundæ, a quęst. 107. ac potissimum tota quæst. 108., planè concordant. Sic ergo P. Cornelius Alap. loco citato.

In Evangeliis solerter expendendum, & secernendum est, an id quod Christus ait, sit consilium, an præceptum, an promissio, an permissio dumtaxat &c. Sit igitur.

CAPUT IV.

Breviter recensens moralitates Sacræ Scripturæ in novo Testamento, ex P. Cornelio Alapide, in præliminaribus Evangeliorum.

ARTICULUS I.

Præcepta Evangelio propria, nec in lege veteri expressa.

1. *PÆnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Math. 4. 17.*

2. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est. Math. c. 5. 16.*

3. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Math. c. 5. 23.*

4. *Esto consentiens adversario (actori, & accusatori, quem verbo, & verbere lęsisti) tuo, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministris, & in carcerem mittaris. Math. 5. 25.*

5. *Qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam, in corde suo. Math. 5. 28.*

6. *Quod si oculus tuus (vel manus) dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Math. 5. 29.*

7. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Math. 5. 32.*

8. *Diligite inimicos vestros, uti filii sitis Patris* A *vestri, qui in Cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. Math. 5. 43.*

9. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio, qui autem dixerit, fatuè, reus erit gehennæ ignis. Math. 5. 22.*

10. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis, apud Patrem vestrum, qui in Cælis est. Math. 6. 1.*

11. *Tu autem cum oraveris, intrà in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi, ibidem vers. 6.*

12. *Orantes nolite multum loqui ore (sed corde)* B *sicut Ethnici. Ibidem vers. 7.*

13. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua &c.*

14. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra &c. sed in cælo. Math. 6. 19.*

15. *Non potestis Deo servire, & Mamonæ. Math. 6. 24.*

16. *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Math. 6. 25.*

17. *Quærite ergò primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergò soliciti esse in crastinum. Math. 6. 33.*

18. *Nolite judicare, ut non judicemini. Mat. 7. 1.*

19. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis* C *margaritas vestras ante porcos. q. d.* Nolite sancta dogmata tradere incredulis, & obstinatis; qui ea irrideant, & subsannent. *Math. 7. 6.*

20. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Math. 7. 12.*

21. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa est, quæ ducit ad perditionem. Math. 1. 13.*

22. *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Math. 12. 32.*

23. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die Judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Math. 12. 36.*

24. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Math. 18. 3.*

25. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Ibid. vers. 15.*

26. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Ibidem.*

27. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit; sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus. Ibidem. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Ibidem. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Joan. 13. 34.* His adde præcepta sacramentorum, quæ inferius.

ARTICULUS II.

Consilia Evangelica. Quæ omnia sunt de actibus heroicis virtutum Christianarum, immò, Apostolicarum.

1. *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Math. 3. 15.*

2. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Math. 5. 3.*

3. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

4. *Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.*

5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

6. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

7. *Beati mundi corde: quoniam ipsi Deum videbunt.*

8. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

9. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

10. *Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Ibidem.*

11. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram. Math. 5. 39.*

12. *Et qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium. Ibidem v. 40.*

13. *Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo, & alia duo. Ibidem v. 41.*

14. *Omni petenti te, tribue, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas. Lucæ 6. 30. Math. 5. 42.*

15. *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Math. 5. 48.*

16. *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Math. 8. 22.*

17. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester omnes autem vos fratres estis. Math. 23. 8.*

18. *Et Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in Cælis est. Ibidem. Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus. Ibidem.*

19. *Qui major est vestrum, erit minister vester.* D *Qui autem se exaltabit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur, Ibidem.*

ARTICULUS III.

Mixta, hoc est, partim consilia, partim præcepta.

1. *EGO autem dico vobis, non jurate omninò. Math. 5. 34.*

2. *Sit autem sermo vester, est, est; non, non, quod autem his abundantius est, a malo est. Math. 5. 37.*

3. *Cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito,* quæ dixit cum jejunas, noli

noli id ostentare, sed cela, dissimula, per corporis, animique alacritatem, & lætitiam. *Math.* 6. 17. Idem dixit, de eleemosina. *v.* 3. de oratione. *vers.* 6.

4. *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Math.* 7. 7.

5. *Qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum, in nomine, justi; mercedem justi accipiet. Math.* 10. 41.

6. *Et quicunque potum dederit, uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Ibidem.*

7. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Math.* 11. 28.

8. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Math.* 12. 50.

9. *Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Math.* 16. 24.

10. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosinam. Luca* 12. 33.

11. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini, fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. Luca* 21. 36.

12. *Scrutamini Scripturas. Joan.* 5. 39.

13. *Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. Joan.* 6. 27.

14. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan.* 13. 37.

ARTICULUS IV.

Præcepta, & consilia a Christo seorsim data Apostolis.

1. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Math.* 4. 19.

2. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel. Math.* 10. 5.

3. *Euntes autem prædicate, dicentes, quia appropinquavit regnum celorum. Ibidem.*

4. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, demonia eiicite. Ibidem.*

5. *Gratis accepistis, gratis date. Ibidem.*

6. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Ibidem.*

7. *Non peram in via, neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo. Ibidem.*

8. *In quacumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis. Ibidem.*

9. *Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes. Pax huic domui. Ibidem.*

10. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Ibidem, vers.* 14. *Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Judicii, quam illi civitati. Ibidem.*

11. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum, Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Ibidem: vers.* 16.

12. *Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in Sinagogis suis flagellabunt vos. Ibidem, v.* 17. *Et ad præsides, & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus. Ibidem.*

13. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Ibidem, ver.* 19. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ibidem.*

14. *Cum autem persequentur vos, in civitate ista, fugite ad aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis,* 14. *Ibidem v.* 23.

15. *Ne ergo timueritis eos; Nihil enim est opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur. Ibidem v.* 26.

16. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Ibidem.*

17. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in Gehennam. Ibidem v.* 28.

18. *Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram, sed gladium; veni enim separare hominem adversus Patrem suum, & Filiam adversus Matrem suam, & Nurum adversus Socrum suam, & inimici hominis, domestici ejus. Ibidem, ver.* 34.

19. *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat Filium, aut Filiam super me, non est me dignus. Ibidem v.* 37.

20. *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

21. *Qui invenit animam suam, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Ibidem, v.* 35.

22. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Ibidem, v.* 40.

23. *Nemini dixeritis visionem* (Transfigurationis.) *Donec Filius hominis a mortuis resurgat. Matth.* 17. 9.

24. *Ut autem non scandalizemus eos*, Exactores de didrachma pro tributo, *vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te,* O' Petre. *Matth.* 17. 26.

25. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Matth.* 18. 18.

26. *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Matth.* 20. 26. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare*

animam

animam suam redemptionem pro multis. Ibidem.

27. *Tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum, vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Matth. 26. 38.*

28. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Lucæ 22. 32.*

29. *Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20. 27.*

30. *Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis &c. afferte de piscibus quos prendidistis nunc &c. venite, prandete. Joan. 21. 6., & sequen.*

31. *Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine, tu scis quia amo te; dixit ei, pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi: etiam Domine, tu scis, quia amo te, dicit ei, pasce agnos meos. Ibidem, v. 15.*

32. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Matth. 28. 19. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto. Lucæ 24. 49.*

ARTICULUS V.

Promissa Evangelica.

1. *NE timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi Filium, & vocabis nomen ejus Joannem. Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. Lucæ 1. 13.*

2. *Erit enim magnus coram Domino, vinum, & siceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero matris suæ. Ibidem.*

3. *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.*

4. *Et ipse præcedet ante illum, in Spiritu, & virtute Eliæ: ut convertat corda Patrum in Filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. Ibidem. Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum.*

5. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Ibidem. ver. 30.*

6. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum Matth. 5. 3.* ibidem & sequenti, Idem regnum, aliis titulis, & nominibus, cæteris septem beatitudinibus promittitur.

7. *Qui recipit vos, me recipit, & qui recipit me, recipit eum, qui me misit. Math. 10. 40.*

8. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Ibidem.*

9. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam. Ibidem.*

10. *Justi fulgebunt, sicut sol, in regno Patris eorum. Math. 13. 43.*

11. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est. Matth. 16. 7.*

12. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.*

13. *Et tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis. Matth. 16. 17.*

14. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Cælis est. Matth. 18. 19.*

15. *Tunc accedens Petrus ad eum dixit, Domine quoties peccabit in me Frater meus, & dimittam ei, usque septies? Ibidem. Dicit illi Jesus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Ibidem.*

16. *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Cælorum, Matth. 19. 12.*

17. *Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint; quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum. Dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Isaiæ cap. 26. ver. 4.*

18. *Vade, vende, quæ habes, & dà pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo, Matth. 19. 1.*

19. *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ; sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel.*

20. *Et omnis, qui reliquerit Domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem; aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ibidem.*

21. *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo. Matth. 22. 30.*

23. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Matth. 28. 20.*

22. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. 23.*

24. *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur novis.*

25. *Serpentes tollent: etsi mortiferum quid biberint non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Marc. 16. 17.*

26. *Habete fidem Dei.*

27. *Amen dico vobis; quia quicumque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.*

28. *Propterea dico vobis, omnia, quæ orantes petitis, credite, quia accipietis, & eveniet vobis. Marc. 11. 22.*

29. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum Verbum tuum in pace. Lucæ. 1. 29.*

30. *Spiritus Domini super me; propter quòd unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde. Ibidem.*

31. *Præ-*

A 31. *Prædicare captivis remissionem, & cæcis visum; dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Lucæ quarto, 18.*

32. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

33. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis. Lucæ 10. 19.*

34. *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10. 41.*

35. *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram* B *Angelis Dei. Luc. 12. 8. Math. 10. 32.*

36. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. Math. 6. 33.*

37. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur? Luca 12. 49.*

38. *Inicient vobis manus &c. ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. Luc. 21. 13.*

39. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum. Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis super thronos judicantes duodecim Tribus Israel. Luc. 22. 28.* C

40. *Pax vobis, ego sum nolite timere. Luc. 24. 36.*

41. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto. Ibidem v. 49.*

42. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, cum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Ibidem.*

43. *Et ipsi adorantes, regressi sunt in Hierusalem, cum gaudio magno. Et erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum. Amen. Ibidem.*

44. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum; & non rapiet eas quisquam de manu mea. Joan. 10. 27.*

D 45. *Vado parare vobis locum, et si abiero, & præparavero vobis locum iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Joan. 14. 2.*

46. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.*

47. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Jo. 14. 12.*

48. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, neque scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

49. *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Joan. 14. 16.*

A 50. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Jo. 14. 21.*

51. *Siquis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Joan. 14. 23.*

52. *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Joan. 15. 14.*

53. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Joan. 15. 15.*

54. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre* B *procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Joan. 16. 26.*

55. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Joan. 16. 13.*

56. *Sanctifica eos in veritate &c. & pro eis, ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Joan. 17. 17.*

57. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ibidem. v. 20.*

58. *Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat* C *mundus, quia tu me misisti. Ibi. v. 21. Et ego charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ibidem v. 22.*

59. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant charitatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me, ante constitutionem mundi. Joan. 17. 24.*

60. *Mulier ecce Filius tuus: deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Joan. 19. 26.*

ARTICULUS VI.

Minæ Evangelicæ.

1. *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel* D *civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.*

2. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Judicii, quam illi civitati. Math. 10. 14.*

3. *Væh tibi Corozaim, væh tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Math. 11. 22.*

4. *Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remissius erit, in die Judicii, quam vobis. Ibidem.*

5. *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem. Ibidem.*

6. *Veruntamen, dico vobis, quia terræ Sodomorum* remis-

remissiùs erit in die Judicii, quam tibi. Ibidem.

7. *Viri Ninivitæ surgent in Judicio, cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plusquam Jonas hic. Math. 12. 41.*

8. *Regina Austri surget in Judicio, cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic. Ibidem.*

9. *Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. Math. 13. 40.*

10. *Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor gentium. Ibidem v. 48.*

11. *Væh mundo ab scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen væh illi, per quem scandalum venit. Math. 18. 7.*

12. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te; bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Math. 18. 8.*

13. *Væh vobis Scribæ, & Pharisæi, hipocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines &c. Math. 23. 13.*

14. *Væh vobis Scribæ &c. quia comeditis domos viduarum &c. Math. 23. 13. & sequen.* ubi continuò usque ad finem capitis, væh, fulmen æternæ damnationis, in Scribas, ob eorum superbiam, avaritiam, sævitiam, impietatem denotat.

15. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum, & Altare. Math. 23. 35. Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam.*

16. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Ibidem.*

17. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire. Et cœperit percutere conservos suos. Manducet autem, & bibat cum ebriosis. Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora quam ignorat. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium. Math. 24. 48.*

18. *Et ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Math. 25. 46.*

19. *Væh homini illi (Judæ) per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Math. 26. 24.*

20. *Væh vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.*

21. *Væh vobis, qui saturati estis, quia esurietis; væh vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.*

22. *Væh, cum benedixerint vobis homines; secundum hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum. Luc. 6. 24.*

23. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

24. *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

25. *Omnis autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. Luc. 12. 47.*

26. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13. 3.*

Ex his jam duplici via prælibatam Evangelii moralem medullam, præcepta videlicet omnia, eisque affines moralitates exhibemus, in ipso nempe pœnitentiæ præcepto, & in se ipsis, sed inde subortientes quæstiones solvere, ad perfectè discernendum, quando modus tantum præceptivus sit, quando verò substantiam præcepti indicet, & cætera hujusmodi præcisè moralia, nostrum, ut evidens est, transcendit institutum; certè, & quidem sapientissimè statuit Congregatio nostra, in singulis Collegiis nostris pro septimo anno, quo studiosæ juventutis instructio consumatur, duo sint Prælectores, alter, qui ad Sacræ Scripturæ intelligentiam, studiosos erudiat, cui studio nos præsenti labore ministramus; alter, qui in moralibus, ad praxim applicatis: cui muneri perficiendo, præter sublimem Doctrinam Patrum nostrorum Salmaticensium, quæ magis eminet in statuendis generalibus moralitatis principiis, quam in singularibus, & practicis (hujuscemodi enim provinciam hactenus non susceperunt) providè admodum communi desiderio, ac necessitati satisfaceret, qui inter tot Patres, quos Doctrinæ fama inter nos, ad dignitates, & prælaturas exaltat) labori non parcens, formando sibi casus singulares, in iis sigillatim deveniret, ut in praxi, & præcepta hæc singula, & consilia, ad quæ tota reducitur Doctrina moralis, discerneret, & explicaret; id enim, qui nunc scribit, ætate, studiisque pluribus, plus autem languoribus gravatus sperare potius ab aliis debet, quam vel tentare per se ipsum. Et hæc satis pro Evangelicæ pœnitentiæ præcepto, quod primum Christi est; quia verò hæc ad charitatem specialiter ducit, quæ ultimum Evangelii, totiusque Sacræ Scripturæ præceptum est, ac totius perfectionis perfectio; in sola enim charitate, quæ in via meritum, in patria præmium est conveniunt, & uniuntur cum comprehensoribus viatores: de illa aliquid nunc prælibandum. Adsit, qui charitas est Deus, qui a fine usque ad finem nos ducat, a pœnitentia ad charitatem fortiter, adjuvans imbecillitatem nostram, & suaviter omnia disponens, atque perficiens per suavissimam videlicet charitatem. Id tamen interim Lector advertat, nos ibi perpaucha tantum, eaque dumtaxat, quæ instituto nostro Sacra Scriptura proponit, breviter meditari: Angelica enim, & divina Patrum Nostrorum Salmaticensium Doctrina; in Tractatu de charitate, ita universa prævenit, quæ possent hoc loco, a nobis desiderari, ut (ne actum optimè, agamus ineptè) nihil supersit, nisi eorum sapientiam admirari, & frui charitate.

CAPUT

CAPUT V.

Videlicet breves notationes de summo, omniumque maximo, ac proprio Christi præcepto, scilicet, de charitate.

ARTICULUS I.

De multiplici charitatis, sive divini amoris præcepto.

OMnia unum præceptum sunt, de amoris pręcepto, inquit Gregor. hom. 27. in Evangelia, quia omne mandatum de sola dilectione est: si ergo unum præceptum omnia præcepta sunt, ergo unum est omnia simul præcepta, ut sicut omnia veniunt in unum, sic unum in omnia dividi possit. Ita quidem in genere causæ finalis, quia finis legis est charitas, & etiam efficientis, quia sicut multæ virtutes ex una charitate generantur omnesque ex ea vivunt, sicut se habent virtutes, ita proportionaliter, & præcepta; in genere tamen causæ formalis intrinsecę determinatę, non ita; quælibet enim virtus, ejusque proindè præceptum in propria linea, intrinseco gaudet motivo, quo specificatur, & distinguitur, ut Patres Salmaticenses ex Divo Thoma, in toto tractatu de virtutibus, & etiam de merito, ac passim ubique eggregiè semper, & consequenter ostendunt. Omnia igitur præcepta virtutum, in unico uniuntur charitatis: pręceptum verò charitatis, in hac consideratione in alia dividi nequit, natura enim ejus, est cætera unire, in quæ non dividitur, ne desinat esse illud unum, illud summum, a quò omnia, ad quòd omnia; Ita infinito suo didicit ex objecto, quòd Deus est, ipseque unus, & omnia, omnia trahens ad se ipsum, in ea, quæ ut finis ultimus trahit, quæ ut primum efficiens producit, non dividitur, nec dividi potest, ne aliquid, vel minimum desinat esse, aut posse, si in id, vel in cætera se se dividendo partiatur. Privilegium hoc est excellentissimæ perfectionis, & perfectissimæ unitatis, & natura amoris est unitas.

Sed dices: si ita est, jam titulus articuli, tollit charitatis præceptum, cujus negat unitatem, inquirens de multiplici divinæ charitatis præcepto.

Respond. neg. consequ. unicum omninò est charitatis præceptum, quoad substantiam, quoad rationem pręcepti, quoad excellentiam; ejus objectum coincidit cum fine ultimo omnium, & ipsius, ibique sistit, qua unitate nulla major, quia tamen, quo illud perfectius, eo nos imperfectiores, quo illud magis unum est, eo pluribus, nobis opus est cognitionibus, ut illud, & mente percipiamus, & opere compleamus. Pluribus, necesse est, convincamur, & trahamur ad illud unum, quòd est necessarium, qui ex conditione nostra, in pluribus occupamur. Unicum præceptum est, sed multiplex

A ejus est intimatio, & quælibet ex illis, quia pręceptum charitatis continet, dicitur esse idipsum, quòd continet; In hoc sensu multiplex est, quòd re ipsa semper est unum. De tali multiplicitate tantę unitatis hic quęrimus.

Quò circa illud rememorandum est, quòd & vulgò notum est, & refert Eruditissimus Emmanuel Thesaurus in sua Rethorica, responsum scilicet illud sapientis, qui interrogatus, ex quonam certo indicio verus amicus, posset dignosci, respondit ex amore: Sed quia idipsum esse videbatur cum quæstione responsum, reassumpsit interrogans, undenam, an verus sit amor ille, de quo dicis, quòd amicum probat, ostendes? iterum verò, & idem, ille respondit, amore, omni eo videlicet, quòd in amore, & integro cognoscis, & diviso
B legis amore, explicato, idest per partes ostenso, discernes; Planè semper diligit, qui amicus est, docet Scriptura, si semper, ergo & dum incipit, & dum continuatur, & dum desinit, in principio, in medio, in fine sui esse, amicus semper amicus est, idque totum in hac sola dictione comprehenditur, cum dixi, amore; amo, re scilicet amor; &; idest, amor est, amici siquidem esse, amor est, sed melius sic responsum intellige, amore distingue, idest, a more, ore, re; Inde ergo veri amici indicium accipe, idest à more, quia mos amici unius, est idem, qui est & alterius, eadem virtus, & studium; Ore, cum enim lingua sit cordis nuncia, amici dilectio, quę nutritur in corde, se se manifestat in ore, in verbis, in nutibus, Re, quia
C non in sola meditatione, ac speculatione, quę solatur amantem, sed in facto, & reipsa, quæ juvat amicum, vera amicitia declaratur. Unica ergo dictio est, unica res, & multiplex amor, quo amicitia intrinsecè constituitur, oritur, vivit, operatur, ostenditur; quid mirum igitur, si & amoris præceptum unum sit, & multiplex, immò unum esse non possit, nisi sit multiplex in sensu explicato? Interroget nunc quilibet, qua ratione, quantum est ex parte ipsius, ille, qui nullius eget, qui fecit omnia, qui nihil odit eorum, quę fecit, qui dignatus est, in suam nos exaltare amicitiam dicens, jam non dicam vos servos, sed amicos, qua inquam ratione, suam erga nos amicitiam ostenderit? Respondebimus amore, more, ore, Re, at quia quam vis amicus, & Deus tamen, & Domi-
D nus est, cujus est, & regere, & imperare, utrumque & amicitiam videlicet, & dominium, unico conjunxit in pręcepto; ast quo pręcepto? amoris, vel potius pręcepto, quòd amor est, nusquam enim adeò clarè emicuit divinus amor erga hominem, quam ubi dignatus est, ab homine velle amari, quandoquidem nullus ab eo amari desiderat, quem prius non amat, & quidem ipse prior dilexit, ut prędicat Apostolus charitatis. Vis ergo nosse, quo pręcepto id pręcipit nobis? Respondemus amore, more, ore, re, amore, & hoc est mysticum charitatis pręceptum; quòd intimavit nobis amore suo; more, hoc est morale pręceptum, quòd ostendit exemplo; ore, hoc est litterale, quod docuit verbo; re, hoc est reale pręceptum amoris, quòd & re ipsa, idest facto, & in

omni re, quia omnia nobis fecit, omnia nobis donavit, semper insinuat. Infinitus est amans, interminabilis amor, universalissimum æquè, & singulare præceptum est, cujus ita explicationi, sicut & perfecto implemento, sola sufficere valet æternitas. Quid ergo? ne omninò sileamus, quod dicere omninò non possumus, prælibamus; hoc pro nunc satis, ut appareat, qualiter, & in quo sensu multiplex dici possit, divinæ præceptum charitatis, paucis autem, quia tanto semper exigui, immò & nihil sumus amori, distincta divisionis hujus membra, iterum in singulis singula reuniendo, attingemus.

ARTICULUS II.

De mystico divini amoris præcepto, divino amore.

DUplicem esse in Sacris litteris sensum, litteralem videlicet, & mysticum, & communiter notum est, & nos, cum de sensibus Sacræ Scripturæ agemus, explicabimus. Sensus litteralis est, qui per verba formaliter, & conceptum dicentis exponitur: mysticus verò, sive spiritualis est ille, qui per res verbis significatas proponitur, ita ut dicenti sint res ipsæ, seù facta pro dictionibus; sicut autem familiare est Spiritui Sancto, loqui rebus, ut recondita manifestet mysteria, ita nihil vetat, eum uti rebus loco verborum, ad intimanda, vel confirmanda, alias disertis verbis explanata præcepta; ut sic omnimodis, & intimata, & declarata, & confirmata, omne intercludant transgressoribus, vel ignorantiæ, vel oblivionis effugium. Quod si in cæteris præceptis id decet, in eo charitatis, quod summum est, & præ omnibus necessarium, & universa complectens, id fieri debuit, & factum est; litteralem hujuscemodi præcepti intimationem in Sacris litteris sæpius verbis expressam, noverunt omnes; nosque prout brevitati conceditur, paucis inferius prelibabimus. Nunc igitur mysticam, secundum quam loquitur Deus, rebus, consideramus, statimque concludimus.

Dicendum est mysticum charitatis preceptum esse, ipsum Dei erga nos amorem. Stat pro conclusione ipsum lumen naturæ; & experientia: nulla enim lex fortius obligat, & quadam latenti violentia coarctat ad amandum; quam amor, unde proloquium, si vis amari, ama. Hinc in canticis *cap. 8. fortis est, ut mors dilectio*, quia sicut vis mortis necessitat, & invincibiliter vitam sibi subiicit, ita dilectio, qua quis alterum diligit, illum suaviter, sed fortissimè convincit ad redamandum, ex quo inter utrumque amorem, talis consurgit diligendi emulatio, ut neuter alteri cedat, majorque ex amore, redamandi consurgat obligatio quam sit sua causa, scilicet primus amor, ideoque subditur, *dura sicut infernus æmulatio*, dura hoc est perseverans, & nemini cedens, ergo nedum preceptum amoris est amor, sed plusquam preceptum, nedum mystica obligatio, sed realis quedam nobilis necessitas, libertatem amati cogens, ad se suaviter necessitandum, ad redamandum, nec ab

A ea eximitur, nisi qui minus vivit (si dari possit,) quam mortuus, mortuus enim adhuc amor excitat, quia fortis est, ut mors dilectio; idque amoris Apostolus sic expressit, *prima Joan. cap. 3. Qui non diligit manet in morte*, ac proinde est plusquam mortuus, quia, qui moritur, cadit a vita per mortem, qui vero dilectus non diligit, jam a vita lapsus, manet mortuus, habitator sui nihili, manens in morte, mortuo pejor, quia voluntate propriam, & facit, & nutrit mortem.

Nullum ergo potentius, nullum vividius, divini amoris preceptum est, quam Dei erga nos amor; Iste est, per quem Deus attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, amor enim Dei, erga nos, quia causam non habet, ideò non potest dici propter finem, sed a fine, quate-
B nus ab eo procedit, qui finis est omnium, & finis sui; & ex hoc ipso est alpha, & omega, principium, & finis, amor ergo ille a fine est, quia sui principium, & idem finis est sui: propter finem non dicitur, ne putetur esse causatus. Dicitur verò attingens a fine usque ad finem fortiter, quia fortiter attrahit nos ad redamandum, & quia amor noster est verè ad finem, immò & propter ipsum Deum, ut propriè propter finem, ideò medio amore nostro, quem causat, pertingere dicitur usque ad finem; ly enim fortiter, efficaciam designat divini amoris, nostrum ad se moventis, non verò ipsum Dei amorem ad se, qui nihil efficit, nec fortis dici potest, quia nihil habet, quod vincat, & quia efficacia illa, qua amor Dei ad
C nos, nostrum ad se movet amorem, fortissima quidem ratio est, sed in linea amoris, qui sicut voluntarietatem, ita suavitatem includit, ideò dicitur attingens a fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.

Sed dices, contra hanc probationem, eam (ut patet ab initio) uti deductam ex lumine nature; ex experientia, & natura amoris, naturali tantum via procedere, ideòque non concludere de precepto charitatis, quòd est supernaturale, & summum super omnia precepta cujuscumque ordinis, nec multò minus de precepto mystico amoris, de quo nunc agimus; mysticum enim, nedum supernaturale est, sed in hac eadem linea reconditum importat mysterium, & proprium est Sacre Scripture, ad cujus intelligentiam sola fides pertingit.

D Respon. divinum erga nos amorem, quia ad omnem ordinem se extendit, bona enim omnia, sive naturalia sint, sive supernaturalia, quæ in nobis sunt, ex eo procedunt, in utroque ordine cum proportione esse preceptum nos obligans ad redamandum. Hic ergo sensus est probationis, amor Dei erga nos absolutè nos trahit, & determinat, ut ipsum, quantum possumus, diligamus, & ad id lumen ipsum nature nos excitat. In omni ordine semper idem est amor ille, Deo connaturalis, non enim dicitur aliquando supernaturalis comparativè ad ipsum, sed ad nos, quatenus bona nobis communicat, que supra nostram naturam sunt, & respiciunt divinam aliquam rationem, prout est in Deo, qui respectus cum certè sit supra nostram, totamque naturam, dicitur, supernaturalis, que

est

est Doctrina Divi Thomę, ac Patrum Salmaticensium de visione Dei, & alibi frequenter; Quia verò diximus, quòd lumen naturę nos incitat, ut Deum quantum possumus diligamus, supposito, & urgente summo illius erga nos amore, non est sensus, quod lumen naturę ad supernaturalia determinatè se extendat, cum hoc sit munus fidei, sed quod lumen naturę, in propria linea, id præstat directè, in linea verò supernaturali indirectè, quatenus, & lumen, & inclinatio naturalis, est ad bonum secundum se, ideoque ad majus bonum magis, & quia supernaturale bonum, cum sit excellentius, & perfectius, magisque proinde perficiens hominem, ad illud etiam sub ratione magis boni, ut tale est, adjuta elevatione maxime propendit natura, quia sicue gratia non destruit, sed perficit naturam, ita natura, quę semper amat suam perfectionem, ad ipsam, & ad quodcumque bonum talis ordinis inclinatur, nec mirum est; potentia siquidem obedientialis, quæ est ad ea, quæ superant naturam, eidem insita est a Deo, ex eo quod homo ad imaginem Dei creatus sit, & ad summum bonum scilicet beatitudinem, quæ in solo Deo est, consequendam; quapropter quoddam veluti vestigium, aut initium supernaturalitatis habet ex propriæ condicione naturæ, quod sufficit, ut generaliter concipiens in divino erga se amore, maximum bonum, & radicem omnis boni, quodcumque, aut qualecumque illud sit, pondere tanti amoris se sentiat coarctari ad redamandum, quantum potest, & ad desiderandum plus posse amare, quam possit: quòd est Dei erga nos amorem, esse præceptum mysticum dilectionis Dei super omnia.

Probatur secundò, quæ Dei sunt non novit nisi Spiritus Dei, cum ergo consulamus de hoc præcepto mystico, quod ejus propriissimum est ex omni capite, cum ipse sit substantialiter amor, & loqui per res ita sit ei proprium in Sacra Scriptura, ut nulli alteri attribui possit, ut ipso dante videbimus cum de sensibus Sacræ Scripturæ ex professo, proprio loco agemus. Quid igitur ad illa divagemur, idem & conclusionem posuit, & ejus suppositum, ipsamque probavit, *Hierem. cap. 31. In charitate*, inquit, *perpetua dilexi te*, quia ab ijs, qui Dei amorem erga nos, omni certiorem, & sensibiliorem experientia, quemque nos supponimus, vel non animadvertunt, vel ingrata perversitate excæcati, prorsus ignorant, negari fortè poterat, ipse clarissimè dignatus est, amorem suum profiteri, dicens, in charitate perpetua dilexi te, & hæc ipsa non obscura fuit de excessu amoris ejusdem, scilicet Incarnationis, prophetia, ut ex his, quæ sequuntur in citato capite, si lector nolit oscitanter præterire, deprehenditur; Cum enim jam commune proloquium sit; amor descendit; qui dixit, in charitate perpetua dilexi te, utique asseruit, & prædixit se descensurum, quod fieri non poterat, nisi quod grave est, & terrestre, scilicet humanum corpus assumeret, & ponderosas nimium iniquitates omnium hominum sibi imponeret deferendas, per scalam cœli, scilicet crucem suam, ad redemptionem. Sed notabile est, quod ait, *in charitate perpetua dilexi te*, ipse æternus, qui sine charitate

A esse non potest, quia Deus charitas est, nos temporales, quia cœpimus, ideò æternitatem temporali intellectu nequimus apprehendere, & charitatem ipsam, quia, perpetua est, & Deus est, comprehendere hic non valemus, quid ergo eramus in perpetuum, qui non eramus? forte ne Deus diligebat nihil, qui nos diligebat, etiam cum nihil eramus? Absit tamen, quod dicamus Deum dilexisse nihil. Sic enim diceremus, resistente Scriptura, quod Deus non dilexit, nam qui nihil diligit, evidens est, quod non diligit, sicut clarum est, quod nihil non est bonum. Juxta doctrinam itaque Doctoris Angelici, sæpè a Patribus nostris Salmaticensibus mirabili subtilitate illustratam, toto ferè tomo primo, in primam partem, ac tomo primo in primam secundæ. Objectum formale divini amoris est

B divina bonitas essentialis, cui coæternus est amor, non enim in Deo sicut in nobis objectum præcedit, & causat actum, sed ipsi coæquatur, cum sit actus purus, & ipsum objectum primarium, & ipse actus; cum verò ad objecta secundaria se extendit, est quædam activa diffusio divinæ perfectionis, quæ diligendo facit sibi objectum, quod diligit, & ipsum facere amando, est intransitivè ipsum facere amabile, & amatum sine distinctione. In charitate, itaque, perpetua, hoc est in se ipso, qui est verus amor, & summum bonum, dilexit nos, tribuendo nobis futuritionem, & quia omnia futura ipsi sunt physicè præsentia in æternitate, in qua quantum est ex parte ipsius, nulla contingit mutatio, in hoc sensu verissimum est, quod ait, in cha-

C ritate perpetua dilexi te, ab æterno tribuens tibi, & omnibus bonis, quæ nunc habes, futuritionem in te, & præsentiam in mea æternitate, ideoque & perpetuam dilectionem meam, sine qua nihil bonum. Ideoque non ait, charitate perpetua (licet etiam hoc verum esse possee in prædicto sensu) dilexi te, sed in charitate perpetua, scilicet manens ego in mea perpetua charitate, quæ nedum perpetua, sed ipsa perpetuitas est; in charitate perpetua, idest in æternitate, te mihi præsentem, semper dilexi. Hic ergo est amor ille, quem supponit nostra conclusio, qui cum verissima res sit, immò rerum omnium causa, capax planè est, ut ipsa hac re ipso amore, verbis istis per Prophetam expresso, Deus qui rebus loquitur, verè loquatur, & quia res ista, cum sit summum bonum, summè se

D amabilem ostendit, cumque sit verus amor, ex natura sua petat ab amato redamationem, ideò concludimus hunc amorem esse, mysticum præceptum, ac suavem quamdam charitatis necessitatem.

Ulterius tamen, & magis intimè conclusionem nostram, seu melius suam infert Spiritus Sanctus, in eo quod sequitur, *ideò attraxi te*. Ad cujus intelligentiam revocanda est celebris doctrina D. Thomæ, etiam Philosopho suffragante, intellectum nempè, cum sit ex propria natura apprehensivus, trahere ad se objectum; voluntatem verò, cum sit affectiva inclinatio totius ad quærendum bonum, & perfectionem ejusdem, trahi ab objecto, quod cum extra ipsam sit, ipsaque ex se cæca, illam trahere non potest, nisi per eum intellectus eidem voluntati imprimatur motio ipsa objecti, scilicet

 boni,

boni, intentionaliter præsentati, ut ad ejus realitatem obtinendam exeat a se, ut inde ad se redeat, ex ejus realitate perfecta, & saturata; & quidem movetur ad volendum bonum, & amandum, extractione ejusdem boni, ad ipsum verò operandum, si operabile est, vel quærendum in actu, & efficaciter, si aquirendum est, non movetur nisi per actum intellectus, qui dicitur imperium, cum quadam reflexione supra se ipsam, scilicet addito, quod nempe, nedum objectum bonum sit, sed & ipsum operari, seu quærere, & practicè sequi, & exequi per media, eidem voluntati congruit, determinatè impellatur, non quidem necessariò, sed efficaciter inducendo voluntatem, ut se se ipsam liberè, sed cum omni determinatione compellat, quę impulsio, ut id obiter advertamus, nedum non lædit libertatem, sed indispensabilis est, ut libertas ipsa se exerceat, transeundo de potentia ad actum; quod applicatum proportione servata, ad efficaciam divinæ præmotionis, ostendit evidenter, ne dum per ipsam non tolli libertatem, quin potius, ut libertas, quę est potentia activa aliquando se exerceat connaturaliter, eandem præmotionem præ requiri, sicut & ipsum intellectus determinantis imperium, & propria obedientia voluntatis, ad tale imperium se se moventis, in quo quidam Modernus, nomine solo Thomista, revera tamen novitatis amator, admodum hallucinatur; hanc autem libertatis Doctrinam, ideò addidimus, ne aliquem pungat scrupulus, cum dicimus, præceptum hoc mysticum charitatis, nempe divinum amorem erga nos, voluntatem nostram suavi quadam necessitate, plusquam præcepta alia, quę movent tantum moraliter, adigere ad redamandum. Ex prenotata verò Thomistica, communique doctrina, & allatus textus intelligitur, & inde conclusionis probatio jam clarescit. Si enim nos Deus, in perpetua charitate dilexit, & ideò nos attraxit, jam ratio, quare nos trhaxit, & trahit, fuit, & est, quia nos dilexit, & diligit, & quia nostrum trahi est nostrum amare, tota ratio quare nos amamus eum est ejus dilectio, si autem tota ratio quare amamus eum est ejus dilectio per quam trahimur, qui semper trahimur a bono, per imperium rationis, quod est efficacissimum, uti plusquam præceptum, ergo dilectio Dei erga nos, & est bonum nostrum verum, & per suum veritatem, ac bonitatem determinans intellectum, ad imperandum voluntati nostrę redamationem, verè est mysticum charitatis pręceptum; quo scilicet amore, ut re, Deus loquitur ad nos, ac nobis ostendit voluntatem suam, & debitum nostrum ad cum, quantum possumus redamandum; Nec plus requiritur, ut patet, ad hoc ut ejus dilectio dicatur, & sit mysticum præceptum charitatis; supponitur enim explicitum litterale, ac reale præceptum charitatis in Sacris litteris, unde hoc mysticum, non est, nisi ejus confirmatio, insinuatio, ac nova illius intimatio afferens, illic non adeo expressam aliquam rationem obligationis ejusdem; Quod si novum quid, sive novam formalitatem, aut expressionem hoc mysticum præceptum superaddit ad obligationem prioris illius litteralis, quatenus per illud pręcipitur amor Dei absolutè, per hoc vero redamatio, quę relativa est, jam in illo magis attenditur amor amicitię, quo diligitur Deus, ut summè bonus in se ipso; in hoc vero amor Dei, ut est bonus nobis, per propriam dilectionem, & nos nobis, & omnia nobis bona per illam largitur, in quo elucet in nobis debitum gratitudinis, sive justitię, cui tamen satisfacere nequimus; si hoc dices, plane inficias non ibimus; hęc tamen omnia nos debere Deo, & pręceptum naturale est, & ex Sacris litteris passim eddocemur, unde pręceptum mysticum, etiam quoad illa, est nova quędam intimatio, & recordatio prioris obligationis, & ad eam implendam impulsus, non enim novam nos inducimus ex hoc mystico pręcepto realem obligationem, nec gloriamur de novitate doctrinę quam semper ęquè timemus, ac falsitatem. Antiquissima est hęc doctrina, sicut ipsa divina erga nos dilectio, semper a nobis exigens redamationem, & sicut lumen naturę, ac rationalitas ipsa. Consultò autem Patrum, ac potissimum Augustini testimoniis abstinuimus, non quia non sit conclusio ista, omnium benè sentientium sensus, cum sit evidens lumine naturę, ut in initio proposuimus, sed quia in sequentibus excitandum Augustiniani amoris incendium, satis ad hęc etiam illuminanda se extendet. Pro nunc ad claritatem sufficiet Gregorius *hom.* 17. *in Evangel.* ubi ait de Christo, utique & de Deo: *ipsa ejus facta præcepta sunt*, cur ergò amor Dei ad nos, non erit charitatis pręceptum?

3. Prob. quod ex generalibus principiis sensus mystici deduximus, ex illis inferendo, divinam erga nos dilectionem esse mysticum charitatis pręceptum, quia videlicet per suum amorem, tamquam per rem maximè significativam, Deus ostendit se velle a nobis, quantum possumus, redamari, quod est pręcipere. Pręceptum enim est expressio voluntatis legislatoris, cui obedire jure omni tenemur, quod & nihil amplius intendit nostra conclusio, quod in quam ex generalibus principiis legitimè deductum, & probatum est; hoc ipsum ex speciali ratione, quam suggerit Spiritus Sanctus in Scripturis, plenè firmatur. Si igitur queras specialiter in pręsenti, quomodo Deus per amorem suum loquatur tamquam per rem habentem verè rationem vocis, quantum sufficit ad intimandum nobis charitatis præceptum, re tamquam voce. Respondet Spiritus Sanctus, *Sapientiæ cap. primò*, ibi enim de se ipso ait. *Cordis ejus scilicet hominis scrutator est verus, & linguæ ejus eruditor: quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Certè Spiritus Domini amor est, & quia ibi consideratur, quatenus ad nos se extendit, subdit, quod replevit orbem terrarum; orbis terrarum homo est, de terra eductus, interram reversurus, illic finem habiturus, unde novit originem, circulus terrarum, a terra, in terram; ideò replicata significatione terræ, dictus orbis terrarum; hunc orbem replevit Spiritus Domini, qui continet in se omnia, & omnia huic orbi terrarum, amore suo donavit, unde & Apostolus ait *prima Chorin. cap. 3. omnia vestra sunt*, ex quo oritur, quod cum Spiritum Domini ingratus a se repellit, nihil est, quia nihil fiunt homines cum pec-

peccant, ait Augustinus, & Psalmo 102. Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum. Replevit ergo amor Dei erga nos, orbem terrarum, vel iste orbis homo sit, vel mundus totus, quem creavit propter hominem, & replevit amore suo, qui continet omnia, & ex quo omnia; sed ad quid? interroga, ecce *scientiam habet vocis*, ipse amor est sibi vox, facit vocem, loquitur, se ipso explicat, se esse amandum, quia amat; sicut enim in scientia, ex præmissis sequitur consequentia, quæ cum premissis est intra eandem lineam, quia in illis continetur, ita in hac scientia vocis, quam habet amor Dei, aliud inferri nequit, nisi amor, qui quidem debilis est, nam conclusio semper sequitur debiliorem partem, ex divina tamen dilectione erga nos, quæ stat loco præmissarum, ipse enim prior, & in charitate perpetua dilexit nos, necessariò sequi debet; & sicut positis præmissis non potest intellectus benè ordinatus, suspendere assensum conclusionis, ita posita divina ad nos dilectione, ex suppositione, quod rectum servare velimus ordinem, necessariò sequitur in nobis redamatio. Quæ doctrina originem habet, ex illa Divi Thomæ, jam in commune proloquium translata; sicut se habent principia in speculabilibus, ita fines in practicabilibus. Jam ergo patet, quod quia res ista, divina videlicet erga nos dilectio, habet rationem, & scientiam vocis, non solum ex principiis generalibus sensus mystici, sed ex propria speciali ratione, mystica locutio est, & quia scientiam habet vocis, illationem suæ lineæ, scilicet amorem Dei petit a nobis, quod est esse mysticum charitatis præceptum.

ARTICULUS III.

De morali charitatis precepto.

Dilectionem Dei erga nos, licet mysticum, rigorosum tamen æquè, ac suave, nobis esse charitatis præceptum jam vidimus. At quia in hoc ipso eximius, & inexplicabilis amor Dei ad homines elucet, quod & amando, & per ipsum amorem, quo nihil amabilius, diligi se præcipiat, ex hoc ipso divinæ veritas amicitiæ magis comprobatur, quod qui bonorum nostrorum non eget, a nobis egenis ideò se velit amari, quia hoc nobis maximum bonum est in hac via, ipsum nempe diligere, etiam ut bonum nobis, ut & in confessionibus, & de diligendo Deo, & in soliloquiis frequenter clamat Augustinus. Si ergo iterum quæras, unde dignoscitur hæc amicitia? Iterum respondebimus, ut jam dicebamus præcepto amoris, amore, & quia hic in sua integritate satis percipi non potest, per partes eundem consideramus, & addiscimus. Amore, hoc est a more, ore, re. Si ergo amor ejus ad nos præceptum est mysticum charitatis. Mos ejusdem amantis, qui est semper indesinenter benefacere amato, novum præceptum charitatis dici debet, nempe morale, tum quia, ab hoc suavissimo Dei more, sic denominatur, tum quia exemplum, & exemplar amandi, tum quia amor

A practicus est, & effectivus, qui non in sola contemplatione consumatur; tum denique, quia a nobis nequit impleri, nisi per continuos, ideoque ex multiplici capite morales virtutum actus, totamque exigit voluntatem; Ex his liquidò constat, & titulus articuli, in quo sensu procedat, & consequenter in quo sensu accipienda sit, mox subjicienda conclusio.

Dicendum est. Divina erga nos beneficia, & quidquid sumus, & quidquid habemus, & omnia, quæ speramus, quæ erimus, & quæ in nobis erunt, quia beneficia Dei, sunt Dei amores, præceptum esse morale charitatis in sensu explicato.

Ad cujus intelligentiam, ex communi Doctrina notandum, beneficia quidem exigere recompensationem ab eo, qui recipit; statim enim posito beneficio exurgit obligatio ex naturali præcepto gratitudinis, ad retribuendum. Sed hoc tantum inter homines locum habet, quia in quolibet ex illis, sicut dandi est capacitas, ita & recipiendi; Deus verò, qui bonorum nostrorum non eget, ex sua summa perfectione, quia nullo potest bono carere, incapax est, aliquod beneficium recipiendi a sua creatura, cujus & auctor, & Dominus est, & primum principium, & ultimus finis, & quidquid illa potest, jam Dei est, cujus est etiam ipsa ejus potentia. At quia (humano modo loquimur) nemo debet esse pejoris conditionis, ex eo quod melior sit, ut ex eo quod plus dat, quam quilibet, aut det, aut possit dare, minus illi debeatur; non ideo quia Deus summum bonum est in se ipso, cui nihil possit augeri, aut quia, & quidquid habet homo, & ipsum esse suum, ab eodem donatur, ideò minus ipsi debemus proportione servata sed quidquid possumus, & omni modo quo possumus, tamquam fructum operis ejus, de jure naturæ debemus; idque, secundum Angelici Doctrinam 22. qu. 106. articulo primo, & deinceps, unde hæc omnia haurimus, retribuimus, & per cultum, ac protestationem, & gratiarum actionem, & laudis confessionem, quę spectant ad religionem, per quam respicimus Deum, ut primum principium, ex quo & nos, & omnia, & tamquam ultimum finem, ad quem & nos, & omnia, ac multo magis per affectum dilectionis intimum, scilicet per charitatem, cum sic interius, ubi ipse videt, & exterius, coram cœlo, & terra, tamquam cui universa, & nos ipsos debemus, toto corde, & opere protestamur. Sic ergo postulat, & jus naturæ in naturalibus, & jus gratiæ quæ est divina natura participata in nobis, in supernaturalibus. Quibus sic firmatis, jam clarè constat, quommodo beneficia a Deo nobis collata, sint præceptum morale charitatis, scilicet per modum meriti (causa enim meritoria in sensu Theologico dicitur, & est causa moralis) si enim ex beneficiis ejus obligamur, ad ipsum diligendum modo explicato interius, & exterius, qui aliud ei retribuere nequimus; sicut inter talia beneficia & nos ipsos, & quidquid nobis largitus est, recensemus, & his semper vincimur, ac tantæ bonitati, perfectioni, & amori inferiores sine comparatione nos agnoscimus, jam tenemur eum diligere toto corde, to-

ta

ta anima, tota mente, omnibus viribus, ideoque omnibus actibus, omnibus rebus, omnibus modis, ac sic semper super omnia, nec aliud venit nomine præcepti moralis, charitatis. Hæc explicatio conclusionis est, hæc probatio, quæ tamen magis clarescit, ex his, quę ex Augustino adducemus.

Secunda probatio. Quod nos asserimus supponit, & commendat, qui errare non potest Christus, ergo & verum, & certissimum est: ostenditur antecedens. Lucæ cap. 7. Rogatus Jesus a quodam Pharisæo, qui dicebatur Simon, in Domo ejus discubuit, & ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, videns, quòd ad peccatorem accessisset, sperare didicit, se non repellendam, si quamvis peccatrix appropinquaret; irruit ergo opportuna beneficio, importuna convivio, obtulit lacrymas, quas respueret Simon, sed Christus esuriret; lacrymis rigavit pedes ejus, capillis tersit; unguento unxit (ex quo deprehendimus, Christum discalceatum incessisse) vel in convivio, pænituit, remissionem obtinuit. Tunc Pharisæus, qui dicebat intra se, si hic esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, & Prophetam planè novit, qui cordis sui erat auditor, & pœnitentis Salvator; Nam respondens Jesus silenti, dixit. *Duo debitores erant cuidam fæneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque, quis ergo eum plus diligit? respondens Simon dixit; æstimo, quia is, cui plus donavit, at ille dixit ei, rectè judicasti*, ex quo discursu, sic per totum, data opera, extenso, ita quisque debet arguere. Ergò supponit veritatis Magister, beneficia, & dona, necessariam esse amoris mensuram, talemque ex eis oriri obligationem amandi, ideoque & morale præceptum, ac moralem, quòd idem est, amandi naturalem necessitatem, ut non quod debeamus, ex præcepto arguamus, ut in cæteris præceptis, sed ex eo, quod recipimus, ipsum præceptum deducamus, sicut in necessariò connexis solemus arguere; non igitur dubitandum, quod Christus, & nobis sic asserentibus non dicat, rectè judicastis, asserentes præceptum morale charitatis esse beneficia divina, innumera, & omnem captum nostrum excedentia; ideoque, si idem diceret Angelis; in homines notissima, & super maxima contuli beneficia, & majora quidem, quam vobis, quis ergò me plus diligit, super omnia? responderent ipsi, hi, quibus plus donasti; & quidem, quod plus nobis donaverit, asserit Apostolus, *ad Hebræos cap. 3. nusquam enim*, inquit, *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Prius autem dixerat, cap. primo. *Cui enim umquam dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te*, & prosequitur, sicut & ad Romanos, ostendens, quam pretiosa nobis, cum filio promissa donavit. Concludit verò, hic *ad Hebræos cap. 2. Propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne fortè perefluamus*, & allegat dictum Psalm. 8. *quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis,*

A *quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus; in eo enim, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit, non subjectum ei.* Sic ergo, quod plus nobis donaverit, quam Angelis ostendit Apostolus, an verò plusquam Angeli, eum nos diligamus, quis ostendet, ut sit firma nostra conclusio. Respondèmus. Caput nostrum Christus incomparabiliter plusquam omnes simul Angelici Spiritus, Deum dilexit; illi enim per charitatem, Deo id subiiciunt, quòd ex natura sua eidem subiectum est, propriam videlicet excellentiam; Christus verò, cum Deus esset, & homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, in quo divinam subjecit dignitatem, immensa sic charitate B infinitè satisfaciens Deo, pro nobis, scilicet pro toto corpore suo, quòd est Ecclesia; in hoc satis verificatur, quod per caput nostrum, plusquàm Angeli Deum diligimus, & quamvis inter omnia beneficia, hoc majus sit, quod tale caput nobis donavit, pro quo beneficio nemo satis potest diligere, nisi idemmet Christus, in hoc tamen ipso ejusdem beneficio, quòd est ipse, satis diligimus per ipsum caput nostrum; unde in hoc, miro prorsus modo verificatur, quod homo idest natura ipsa, & Ecclesia, & plus recepit, & intransitivè plus dilexit donantem. Ad hoc ergo planè respexit, quòd ait Christus. Ita quidem, & suadente Apostolo Gentium passim in suis epistolis, ut notissimum est, & ex communi Patrum sensu C tenendum est; at quia præceptum charitatis, sive mysticum, de quo supra præcedenti articulo, sive morale, de quo nunc, nos afficit sigillatim, singulos, & immediatè, singuli enim, & a Deo dilecti, & ab eo summis beneficiis cumulati, eo strictè tenemur; ideo (retenta tamen priori doctrina, quæ subdendæ non contradicit) addendum, sive secundo respondendum, quod.

Cum ait Christus, eum qui plus recipit, plus etiam diligere, sensus ejus est, plus diligit, idest plus debet diligere, ita Gregorius lib. 6. ep. 22. & constat ex ipso contextu, proposuit enim quæstionem per exemplum eorum, qui debebant, alius quingentos denarios, alius quinquaginta, quibus, cum fænerator donasset priora debita, debitum novum gratitudinis, & dilectionis, ipsis ex natu- D ra donationis exurgens, non donavit, ergo potius firmavit. Fuit ergo commutatio debitorum, in unum dilectionis, idque proinde, in eo quòd ex illo exemplo intulit, est asserendum, quòd est ipsa nostra conclusio in terminis. Ex quo patet non adeò præsentem textum esse intellectu difficilem, ut teneamur pro ejus explicatione recurrere, ad expositionem cujusdam celebris Commentatoris, hoc loco, Lucæ cap. 17. quod nempe Christi discursus sit argumentum inversum, inferens ex remissione debiti, dilectionem, ubi potius videtur concludenda remissio debiti ex dilectione; facilius enim, & planius explicatur, si dicamus ibi inferri ex remissione majoris debiti, debitum majoris dilectionis.

Nec refert, quod Christus concluserit ibi, de

Mag

Magdalenæ, remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum, quasi assignans Magdalenæ dilectionem, quia multa fuit, causam fuisse, & mensuram remissionis peccatorum multorum ejusdem; obstat enim, quod statim subdit dicens, cui autem minus dimittitur, minus diligit; ubi è converso assignat tamquam mensuram, & causam dilectionis ipsam remissionem peccatorum; hæc autem apparens varietas ejusdem sensus, ex eo oritur, quod juxta celebrem, & optimè fundatam Doctrinam Divi Thomæ, quam subtiliter explicant, & sustinent Nostri Patres Salmaticenses, de justificatione, & in toto tractatu de gratia, & alibi frequenter, cum nequeant, adhuc attenta divina omnipotentia, simul coexistere peccatum, & gratia sanctificans ac charitas, diversa causarum genera, sive prioritatum, debent necessariò assignari, in justificatione, per quam fit verus motus de peccato ad gratiam, ut salvetur & necessitas charitatis actualis ad expulsionem peccati, quæ est ejus remissio, & simul ipsa necessitas remissionis, aut exclusionis peccati, ad receptionem gratiæ, & charitatis. Itaque in genere causæ efficientis, seù formalis necessariò præcedit gratia, & ipsa dilectio, peccati ablationem; in genere verò causæ materialis dispositivæ, peccati remissio præcedit gratiam, & dilectionem, cum ergo in Sacra Scriptura, ac potissimum in præsenti textu Lucæ, inquitur præcedentia remissionis, ad dilectionem, exprimitur ex parte infundentis gratiam, & dilectionem, præparatio subjecti, ad dilectionem, & obligatio immediata ejusdem recipientis, ad plus diligendum, quòd est præceptum morale charitatis, consistens in obligatione orta ex insigni beneficio condonationis peccati, quòd est maximum debitum; ex parte vero ipsius subjecti, dispositio necessaria, ut ibi charitas connaturali sibi modo recipiatur, & in eodem instanti charitas prorumpat in dilectionem, cum verò dicitur, quod remittuntur, ei peccata quia dilexit, tunc exprimitur efficacia charitatis; in genere causæ efficientis, & formalis, sive quod dominetur simpliciter homini illi, qui prius erat peccator, aversus a Deo, & ex parte Dei, perfectus amor effectivus, quo in illo subjecto complete producit donum sanctificationis. Aliter etiam dicitur, quod simul, & semel absolutè infunditur charitas, & amor elicitur, & peccatum expellitur, seù remittitur; tamen quoad connaturalem receptionem gratiæ, & charitatis intelligitur prius expulsio ipsa peccati, quòd ferè in idem recidit; in præsenti tamen quoad specialem hunc textum addi potest, agi specialiter de mensura; quod videlicet, quia eum peccata plura sunt, majus est impedimentum gratiæ, ideò & majus est beneficium remissio illa peccatorum, & majorem infert obligationem diligendi condonatorem, ideò concluditur, cui minus dimittitur, minus diligit, & quia in Evangelio instruit Christus totam Ecclesiam, scilicet, & Doctos, & simplices, ideò sapientissimè procedit, modo quodam accomodato etiam rudibus, unde quia secundum communiorem intelligendi modum, concipimus prius tollenda esse impedimenta, quam forma inducatur, ideoque & prius auferenda esse peccata, quam gratia infundatur, prius tollendam esse inimicitiam, quam amicitia exerceatur, & dilectio, & tantam oriri amandi obligationem, quantum est beneficium, quo aufertur impedimentum amoris, ideò hoc totum plano, & sapientissimo modo, exprimit in hoc toto contextu, ut non sit necesse dicere, quòd ibi sit argumentum inversum, aut quòd aliquid obstet nostræ conclusioni, acceptæ in sensu, fortè jam nimis explicato.

Nec ibi prætereundum, quamvis brevi calamo procedamus; Rigidos quosdam ex hoc textu sanè intellecto posse, & debere opinionem suam corrigere; asserentibus enim, necessariam esse contritionem (quæ verè includit actum charitatis, & gratiam sanctificantem supponit) ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, resistit hoc loco Evangelium. Nam Christus Dominus Auctor Sacramentorum, pœnitentem ibi absolvens Magdalenam, hunc ordinem in suo discursu præscripsit pœnitentiæ, ut prius fieret remissio peccati, & confessio, quæ in lacrymis Magdalenæ enituit initiativè conversæ ad Deum, & petentis perfectè converti per gratiam, & perfectam dilectionem, deinde virtute absolutionis Christi fieret verè diligens Deum, & ex attritione oriretur contritio, virtute Sacramenti, quòd ex eo patet, quod cum nondum eam absolverat, in toto illo contextu, prius meminit condonationis peccati, (cui ex parte pœnitentis correspondet attritio, quæ amorem includit imperfectum, ortum ex auxilio actuali, non ex gratia habituali, quæ nondum adest) deinde dilectionis; cum verò eam absolvit, ait, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, asserens causam remissionis, utique perfectæ peccatorum, esse dilectionem multam, hoc est perfectam, quæ est actus charitatis infusæ, virtute absolutionis; & quia Simon ille Pharisæus (qui a Patribus hic dicitur fictè Sanctus, & adhuc verus peccator) nondum dolebat de peccatis suis, nec illa per signa pœnitentiæ confitebatur, ideòque neque absolvebatur, de illo, & ad illum loquens, qui minora quidem, quam Magdalena peccata commiserat, sed de illis nondum eum pœnitebat, subdidit, cui verò minus dimittitur, minus diligit, assignans remissionem peccatorum, ut causam dilectionis. Sed jam satis, ne ad non nostra divagari videamur.

His videtur textus Lucæ satis expositus, quantum spectat ad præsens, ast insurgit ibi quidam Comentator: nempe ad cap. 7. Lucæ ad vers. 42. in fine, quandam asserens sibi fortè visam D. Ambrosii expositionem, quam dissimulare non licet, ait ergo: aliter hæc explicat S. Ambros. lib. de Tobia cap. 22., Christum scilicet, prius remisisse peccata Magdalenæ, ipsam deinde Christo gratam, amplius eum dilexisse, ideoque Christum prævidentem hanc ejus gratitudinem, & dilectionem primitus peccata ejus remisisse. Hæc Comentator; at quis non miretur, ubi audit Augustini Magistrum in medium produci, ut fautorem scientiæ mediæ, quasi verò ignorasset Apostolum ubique clamantem; quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris,

ris, quasi non acceperis? quid dicis Paule? gratia A Dei sum id quod sum, pro me autem nihil gloriabor. Hoc novit Ambrosius, huic non contradicit, ex Ambrosii dictis non potest inferri sicut ex verbis comentarii. Glorietur pro se Magdalena, se ideo gratiam, & charitatem accepisse, quia erat consensura, utique prævie ad gratiam; quam nisi consensura foret, scilicet amatura, non accepisset, Gratia fuit illi, præmium futuri amoris; & consensus, qui prævisus, fuit causa collationis gratiæ; seipsam ergo discrevit, quæ ideò gratiam recepit, quia prius fuerat, ea bene usura, & consensura: sed vastam nimis provinciam susciperemus, si hæc ad Judicium cogeremus; satis est, quod se defendat Ambrosii textus, dum torquetur usque ad martyrium, hoc est ad testimonium perhibendum veritati. Hæc igitur sunt verba Ambrosii, lib. de Tobia, cap. 22. ubi totum Lucæ, ut nos supra, commemorat locum, & sic discurrens. *Rectè* inquit, *judicavit Pharisæus, qui malè cogitavit putans, quòd ignoraret magis Dominus peccata mulieris, quam donaret. Sed laudatur ejus sententia, ut excusatio ei omnis adimatur. Plus remissum est Ecclesiæ, quæ congregata est ex populo nationum, quoniam plus debebat, sed & ipsa plus solvit, non exigenti, sed donanti.* Et post pauca, quasi arguens Pharisæum, qui putabat Christum ignorare, quod mulier illa esset peccatrix, inquit: *adverte, quod Dominus, & misericordiam impertit, ut liberalis, & judicium, cum miseratione dispensat. ante donavit per gratiam, sed quibus donaret sciebat. Non habet, quòd excuset Judæus. Plura donavit illi; mihi quasi ingrato minora concessit. Scivit tamen, quòd & ille quasi ingratus non possit solvere, quòd accepisset, & Ecclesia memor gratiæ, eo plura solveret, quo plura meruisset.* Ibi sistit caput illud 22. brevissimum, quod pugnat contra Pharisæum calumniantem Dominum, non contra gratiæ defensores. Immò ex eo sic argui potest contra Comentatorem. Si scivit Dominus, quòd ille quasi ingratus non posset solvere, quòd accepisset, ut ait Ambrosius, & tamen illi dedit non soluturo, ergo Magdalenæ, quæ memor gratiæ, eo plura solvit, quo plura meruit, non ideò dedit, quia prævidit soluturam, qui utrique non potenti solvere, jam donaverat, sed ideò Magdalena plus dilexit, quia ei datum est, ut plus diligeret, quòd ex se, nec factura erat, nec prævideri potuit, quòd ex se faceret, quæ ex se nihil poterat, & ideò nihil erat factura, sine eo, qui non habentibus ex se unde redderent, donavit utrisque; hic est sensus Apostoli, immò Apostolorum Doctoris Jesu Christi. Hic Augustini ubique, Divi Thomæ, & Thomistarum, aliorumque Patrum, hic Magni Ambrosii, in hoc potissimum capite, ut verba ipsissima ipsius sonant, notissimum hoc est ergo, jam satis.

Tertia probatio ea est, quam verè Seraphicam, de divini hoc amoris præcepto exhibent, duo Seraphim clamantes, nedum alter ad alterum, sed ad cœlum, & terram, sanctissimæ gloriam charitatis, in divinorum beneficiorum concentu; illic ardet Teresia, hic uritur Augustinus, eodem rogo ferventes, benefica flamma succenso: In angustiis latissimi cordis sui gemit Teresia; Recipiendis par beneficiis, retribuendo impar amori se se cor discerpit, & Seraphicas implorat sagittas, ut vel dilatetur, vel succumbat. Ad æternitatem appellat, ut infinita illa extensione compenset, quòd amoris sui deficit intensioni, ut sic aliqua quasi justitiæ specie posita, eam amplius quasi ingratam divina beneficia non accusent, sic quotidie jurans: misericordias Domini in æternum cantabo; at quia, & sic in æternum cantare, novum, & interminabile beneficium est, novum iterum innovatur in illo amoris præceptum; cui plene, & perfectè, nec ipsa satisfacere possit beatitudo, quæ & ipsa est beneficium. Ita intra flammas suas se se versans Teresia, plus posse nesciens, B plus retribuere non valens, ita angebatur, ut (testis est Sacra Rota in bulla Canonizationis ejusdem) sæpius petens exclamaret, beneficiis in se divinis modum imponi. Ita sentiebat Teresia vim præcepti moralis charitatis, ita illam practicè asseruit, ut nihil amplius sit addendum, sed quis, ubi de amore agitur, erumpentes de Augustini incendio suavissimas charitatis scintillas, ac fortissimas æquè ad intentum rationes valeat dissimulare? Omnia opera ejus, & facta, & scripta, unicum constant testimonium afferti, sed ea quis vel degustet? quæ tamen in libro de diligendo Deo expressit, saltem prælibare, nec ipsa brevitas vetat. Sic ergo libro citato, cap. secundo.

Ad Dei, inquit, *dilectionem in nobis excipiendam,* C *nutriendam, & augendam, nihil ita valet, sicut beneficiorum ejus frequens, & diligens recordatio, vel consideratio. Tanta enim nobis tribuit, & tanta retribuit, quod deficit anima nostra in consideratione beneficiorum ejus &c. Audi igitur ò homo illud omnium mandatorum, & primum, & maximum, quod nimis mandavit, & nimis custodiri voluit, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. quasi dicat, sic enim prædicant beneficia ejus.* Pergit verò, & per plura, humanam describit excellentiam, quæ & ipsa est donum Dei; ac concludit: *magnum est quod tibi dedit, sed majus, quòd in te diligit. Quid tibi dedit ò anima mea sponsus tuus? respice universum mundum istum, & considera, si in eo aliquid sit, quod tibi non serviat: omnis creatura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur &c.* D *Quis ergo putas hæc instituit? Quis illud naturæ præcepit, ut uno censu tibi serviat? beneficium accipis, & auctorem non cognoscis, donum in manifesto est, largitor occultus. Quicumque ergo ille est, multum nobis contulit, & qui tantum dare voluit, multum dilexit. Tantum ergo diligens, & tam diligendus, dono suo demonstratur. Et quam stultum est, amorem tam potentis, non ultrò concupiscere? quam impium, quam perversum est, tam diligentem non amare? Si autem ista diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia, ut arrham Sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini; sic tamen ut memineris semper, quòd illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum, nec ista cum illo, sed ista propter illum, atque per ista illum, & super ista diligas illum.* Ita Augustinus, & quidem, si quæ præsenti proposito quadrant, essent

essent huc transferenda, totum facilè librum transcriberemus. Satis sit prælibasse, vel hæc minima quædam, ut invitatus ex his lector, properet, & satietur ad fontem, Interim verò ex his concludat, quam verum, quam evidens sit, quòd asseruimus; divina videlicet beneficia, in sensu superiùs explanato, esse verum præceptum morale charitatis.

ARTICULUS IV.

De charitatis præcepto, ore, & re dato.

LOquebatur olim Deus ad Moysen facie ad faciem, idest ore ad os, & similis, Dei ad hominem amoris expressio, ab exitu de terrestri paradiso nusquam fuerat, vel audita, vel visa, & hoc quidem tunc factum est, cum legem Deus, per illum dedit omni populo suo, idest & illis, & nobis, cujus primum præceptum est charitatis, aliaque illud ipsum præcepta, veluti regia cohors ornabant. Hæc fuit prima illa lex, & ore ad os data, & digito Dei vivi in tabulis lapideis sculpta, ut omni modo charitatis præceptum intimaretur, ore scilicet, & re, nihilque deesset, ad divini amoris erga homines testimonium, qui a creatura sua, ut ipsam perficiat, dignatur amari. Et hoc jam satis esset ad id, quòd ab initio assumpsimus, præceptum videlicet charitatis tam multipliciter promulgatum, ut vidimus, & hic iterum ostendemus, esse maximam divini erga nos amoris significationem, factam, amore, more, ore, re. Sed ad altiora vocamur. Quid enim est præceptum charitatis ore datum, nisi quod verbo datum est? explicet ergo amoris Apostolus sigillatim tale præceptum: *In principio* (inquit Joan. cap. primo) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; sed quia Pater, & Verbum spirant Spiritum Sanctum, qui substantialis est ipse divinus amor, hæc prior, & æterna fuit idea, & exemplar divini amoris erga homines, ut scilicet per Verbum suum tota Trinitas crearet hominem, & omnia propter hominem, & sic ex processione Spiritus Sancti per Verbum, etiam nos per idem Verbum procedentes & creati, disceremus per amorem in ipsum transformari debere; quod enim per Verbum procedit, debet esse amor. Ultima tamen est processio nostra a Trinitate, per Verbum; ideoque quia a suo summè distat principio, ideo non sumus nos substantialis amor, sed substantiæ nostræ ipsa creatio, præceptum est amoris, nosque ipsi per Verbum producti, sumus nobis ipsis debitum charitatis, quibus dedit potestatem filios Dei fieri, non natura, sed adoptione, ut ad ejus imitationem eodem Verbo, per quod facti sumus adjuvante, procedat semper in nobis Spiritus Sancti radius, charitatis amor, & diffundatur in cordibus nostris charitas, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ecce ergò præceptum oris scilicet verbale, per Verbum, per quod & facti sumus, & omnia facta sunt nobis, ut Deum amemus, amore describentes in nobis ineffabilem vocibus, processionem Spiritus Sancti, sic obedientes

A Evangelio, quo nobis præcipitur, estote perfecti; sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est. Et quidem quid clarius?

Parata homini mox futuro universà jam creaturà, *creavit Deus hominem, ad imaginem suam* (*genesis primo*) *ad imaginem Dei creavit illum*, hoc totum est, quòd hactenus diximus, totumque mysterium hoc magnum, per brevem hunc textum expositum manet, sed & ipsum eundem textum cap. 2. eadem exponit Scriptura, dicens: *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*; ecce oris præceptum, ex ore procedit spiritus, & inspiratio, quis nesciat? ergo ex ore Dei processit Spiritus hominis, quem inspiravit in faciem ejus, scilicet rationalis anima, spiraculum vitæ, & ita B creans Deus hominem, quasi per osculum, quòd amoris, & amantissimæ communicationis est insigne, Dei amorem, quasi animam hominis, & animam animæ, ei infudit, ut sciret homo, se tantum vivere, cum Deum amaret, ut explicat Joan. *epist. 1. cap. 3. qui enim non diligit, manet in morte*: Hoc igitur verum est charitatis præceptum, ore, & re datum: ore quidem, quia inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; & re, quia ex hoc factus est homo in animam viventem, quæ est ejus realis substantia, & ideò substantiale præceptum dilectionis, quia si ab eo recedat, manet in morte.

Nec ibi quis opponat. Quo fundamento Deo os attribuimus, qui Spiritus est? Respondemus C enim eodem, & fundamento, & sensu, quo eidem, inspirationem vitalis spiraculi attribuit Scriptura, eodem prorsus, quo & dicebatur, audibiliter postmodum, ad eundem Adamum locutus, & sicut verbaliter illi intimavit præceptum, ne ederet de ligno; sic & realiter intimavit præceptum dilectionis, diligendo, & inspirando in faciem ejus spiraculum vitæ; nec in præsenti, aut tempus sufficit, aut locus, exponendi clarius, qua analogia similes procedant expressiones, nisi quòd hæ sunt expositiones seù declarationes, humano modo, ut intelligatur spiritus, hominibus factæ, illius, quòd in initio, vel Genesis dicitur, vel Evangelii Joan., & eorum, quæ consequenter attexuntur.

Hæc autem mirabili fervore, & suavitate con- D firmat, & exornat Augustinus *lib. de diligendo Deo, capite 6. Prius cogita ò anima mea, quòd aliquando non fueris, & ut esse inciperes, hoc Dei dono acceperis: donum ergo ejus erat, ut fieres; sed numquid aliquid ei dederas, priusquam fieres, quod tibi hoc redderet, ut fieres? Nihil tu dedisse poteras, priusquam fieres, qui utique, si nihil amplius dedisset, pro eo ipso tamen semper a nobis laudandus esset, & diligendus, nunc autem amplius dedit, nos enim ad similitudinem suam traxit: voluit ad se trahere per similitudinem, quos ad se trahebat per dilectionem: nam quod per dilectionem datum est, nec melius, nec deterius, quam per dilectionem rependi potest, accepisti autem hoc, per dilectionem*. Ita August., & hæc est assertio nostra, tam in priori, quam in præsenti articulo, licet diversimodè applicata, illio attendendo

tendendo beneficia divina magis in communi, hic in particulari aliqua; omnia enim quis attinget? facilius est, ea recipere, quam vel cogitare, & ipsa eadem aliqualiter meminisse, novum beneficium est, ipsumque, ex illis amare, novus semper amoris ejus erga nos effectus est: pergamus ergò insistentes eidem semper præcepto charitatis, ore, & re tam mirabiliter intimato.

Multifariè, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, scilicet primitus in Moyse, ut in initio audivimus, postmodum & in cæteris, in quorum, & in propria persona, inquit, David. 2. *Reg. cap. 23. Spiritus Domini locutus est, per me, & sermo ejus per linguam meam*, novissime, ait Apostolus, *ad Hebr. cap. primo, locutus est nobis in Filio*. Immenso videlicet parum videbatur amori, si tantummodo per Verbum produceret omnia, quæ donaret, & per Prophetas majora promitteret, nisi & Verbum ipsum, per quod facta sunt omnia, nobis simul cum omnibus largiretur. Dedit Filium suum, dedit Verbum ipsum substantiale, ut sic reverà, & ore simul, & re, qua nulla major, diligeret; ore enim verbum datur, atque hoc, quia Deus est, ille utique est, qui ait; Ego sum, qui sum, ut verissimè, & Verbum sit, & ipsum plenissimum esse. Hoc nempe est, quòd in initio cantici amoris petebat Sponsa, dicens, osculetur me osculo oris sui. Osculatus fuerat, cum crearet, scilicet infundendo corpori spiritum; ipseque Creator, quia Deus Spiritus est, sine corpore, ore mystico tunc tantummodo osculum mysticum dedit, ipsumque osculum fuit Spiritus, inspiravit enim in faciem ejus spiraculum vitæ. Hoc ergo petebat sponsa, ut reale, & corporeum os assumeret, ut reale osculum daret toti naturæ, quam in rationali sic sibi uniret per reale osculum, ore reali, ut summo hoc beneficio fieret ipse nobis palpabile præceptum charitatis, sic ore, & re promulgatum. Hinc Augustinus *libro, de diligendo Deo, capite 6. citato* post superius relata, subdit. *Jam nunc tibi narrare incipiam, quantum iste sponsus tuus, qui tam excellens apparuit, cum te conderet, humiliari dignatus est, cum te repararet. Illic tam sublimis, hic tam humilis, non tamen hic, quam illic minus admirabilis. Illic potenter magna tibi contulit, hic misericorditer pro te dira sustinuit: ut enim relevaret te, illuc, unde cecideras, ipse descendere dignatus est huc, ubi jacebas, & ut tibi justè redderetur, quod perdideras, ipse dignatus est piè pati, quod tolerabas: descendit ergo, suscepit, sustinuit, vicit, restauravit, descendit ad mortalem, suscepit mortalitatem, sustinuit passionem, vicit mortem restauravit hominem: ecce anima mea obstupesce, cogita quantum te diligat &c. pulcra fueras ejus munere, fœda facta es tua iniquitate, sed rursum mundata es, & facta formosa, ejus pietate, operante tamen utrobique ejus charitate. Olim cum non esses dilexit, ut conderet, cum fœda esses, dilexit, ut pulcram faceret, & ut ostendat tibi quantum te diligat, non nisi moriendo a morte liberare te voluit &c. grandi itaque dignatione primo homini spiraculum vitæ, desuper primus formator infudit, sed multò majori charitate pro eodem homine, non jam sua dedit, sed se*

A *ipsum impendit, atque tradidit: magnum quidem est de Deo, quòd esse me sentio, sed multò plus est, quod transisse ipsum video, in pretium meum, quoniam quidem tam copioso munere redemptio agitur; ut homo Deum valere videatur: nulla dilectio major, nullus amor sincerior, nullus affectus ardentior; mortuus est pro me innocens, nihil quod amaret, in me inveniens &c. ecce in malis quoque nostris, ejus singularem dilectionem cognoscimus, ut cum tam de bonis, quam de malis nostris omnibus singulariter diligamus &c. quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi, vis nempe ut diligam te, & quomodo diligam te, quantum diligam te? quis sum? qui diligam te?* Post plura autem ulterius enarrata beneficia Dei, concludit *cap. 15.* quod nos ubique asserimus. *Quid ergò hæc volunt, quid faciunt diligenter considerata,*
B *nisi ut considerantis animum, ab omni penitus abstractum amore, ad Deum diligendum, qui hæc contulit mirabiliter rapiant, vehementer afficiant*; & hoc ipsum est esse præceptum charitatis, quod quia modo nuper explicato datum est ore, & verbo ipso Dei, ipsaque re, quæ est ipse Filius Dei nobis donatus, pro nobis oblatus in Redemptionem; clarissimè jam constat id, quòd articulus indicat, & alias propositum, & ibi luculenter est resolutum.

At quia inter insignia Dei beneficia, qua nos ad amandum fæliciter adstrinxit, illud, & quidem primum supra recensuimus, divino ore, & re prolatum, cum creavit hominem formans eum, & inspirans in faciem ejus spiraculum vitæ, quia il-
C luc & beneficium fuit eximium, & beneficii alterius singularissimi Prophetia, sive initium, hoc denique per illud præsignatum, dissimulare non licet. Inspiravit tunc spiraculum vitæ, ut fieret homo in animam viventem, suum exinde ipsi Verbum donavit in proprio filio suo, ne qui vivebat mutus sine verbo utique divino, inter cæteras jaceret creaturas; ast ne frustrà donatum ei esset divinum Verbum, eidem divinam, immò divinas largitus est linguas, & ut in omni halitu attraheret ipsum Dei spiritum; en replevit totum orbem terrarum. Quis planè non novit? Factus est in die Sanctissimo Pentecostes, factus est repente de Cœlo sonus, tamquam spiritus vehementis, & re-
D plevit totam Domum, ubi erant sedentes, immò ut prophetaverat sapiens: Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis, ideoque & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, ibique uti intimabatur charitatis præceptum, sic & simul implebatur, & ut impleretur exinde semper, donabat amorem auctor amoris Spiritus Sanctus. Charitas enim (ut exinde sentiebat Apostolus) diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Nulla solemnior hujus præcepti, & perfectior fuit intimatio; cæperat enim, cum in tabulis lapideis figebatur. Diliges Dominum Deum tuum, inter fulgura, & tonitrua in Sinai, ibique completa est per sonum de cœlo, ut cui videlicet tota cœlorum armonia obsequebatur, cum scriberetur in cordibus, immò in corde, fecerat enim charitas,

ritas, omnium cor unum, & animam unam, nec defuit lingua, immò plures linguæ ad illud promulgandum, nec spiritus ad confirmandum, & vivificandum, nec lux ad declarandum, & illustrandum, idque totius illius beneficii breve compendium est. Fuit præceptum charitatis, amore, ore, re, promulgatum, quia Spiritu Sancto, quia donis simul omnibus confirmatum, ut nihil hadeq re jam superfit addendum, & quidem nihil addendum, ad intenti probationem, ad exigentiam tamen materiæ, quam tractamus, nunquam silendum foret, ut ore saltem aut calamo aliquantisper, vel minimo dicendi obsequio responderemus tantæ dilectioni, ac præcepto diligendi tam mirabiliter, & excellenter, ore, & re dato. Ne tamen opus nimis excrescat, cum quasi per digressionem quamdam præter institutum nostrum, mystica hac, & morali methodo, devotioni potius quam studio famulamur, breviter adorantes Sacramentorum, ac beneficiorum simul maximum, & ineffabile, ad ulteriora transimus; viaticum enim est hominum, & cibus Angelorum, & simul Dominus, & Redemptor, & refectio omnium. Quis loquetur potentias Domini, qui dare potuit, & dedit, & dat, quòd nemo vel a longe possibile valeret, vel suspicari; se se ipsum Deus homo offert, donat homini in cibum, qui fecit, & reficit hominem, & se se ipsum hominem fecit, & cibum, ut Deo homines pasteret quos Deus, Deo redemit, immenso amori, superexcelso operi, quòd est ipse operator, placet succumbere; fidei enim hoc scientiæ est Sacramentum; hoc solum quantum ad præsens spectat, licet inspicere, quam mirabile in eo eluceat charitatis præceptum, ore, & re datum. Sacramentum est charitatis, & ipsa charitas, quia Deus charitas est, ipsa effigies est, & exemplar amoris, hominem enim Deum omninò unum continet, ostendens qualiter homines Deo charitate uniantur. Amor siquidem est unio, duo copulans, vel copulare intendens; qui manducat, inquit, meam carnem, in me manet, & ego in eo. Hæc est forma præcepti charitatis, quòd ipsum dicebat Joan. de ipsa charitate, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ore datur, per verba videlicet consecrationis, & re, quia idemmet Verbum Dei, & homo, ore datum est, oh quam mirabiliter, nempe ut ore daretur in mortuo Redemptore, novum os apertum est, cum lancea latus ejus aperuit, ex quo vulnere, ut sentit Augustinus, & cum eo communiter omnes, omnia Sacramenta fluxerunt. Novum os in demortuo apertum est, ut divinæ illius mortis meritum secum ferret, & nemo dubitaret etiam post mortem in Christo os esse, ex quo procederet; semper enim, & ante, & post mortem Verbum fuit æternum, dans, & datum nobis, amans, & præcipiens, immò ipse Legislator, ipsum præceptum amoris. Ita quidem: sed in hoc maximè ostenditur præceptum charitatis in hoc ineffabili Sacramento intimè haberi, quòd ipse ejusdem auctor Christus, cum in ultima cœna, cum illud institueret, quasi illud definiens ait: *mandatum novum do vobis, ut diligatis*, ipseque Evangelista id narraturus præmisit, *cum*

A *dilexisset suos, in finem dilexit eos, & cœna facta &c.* Quo nihil clarius.

Nec refert si dicas, ibi loquitur Christus de mutua ad proximos charitate; dixit enim: mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Nam, & ipse addidit, sicut ego dilexi vos, & insuper hoc ipsum maximum est beneficium, ut ne dum ipse nos amet, sed præcipiat ut & ceteri nos diligant, & ut magis crescat charitas, nos diligentes diligamus. Et planè quis nesciat dilectio proximi est consequens, cujus antecedens est dilectio Dei, & idem est habitus charitatis, secundum communiorem doctrinam, quo & Deum diligimus, & proximum, in quo considerantes divinam bonitatem diffusam, & participatam, Deum in se, & Deum in proximis amamus,

B immò si alio motivo, vel quid aliud in proximis diligimus, amor non est charitatis. Et hac ratione, hactenus dilectionis proximi sigilatim non meminimus, illi applicandum supponentes tanquam consequenti, quidquid de divina dilectione, tamquam de vero ejus antecedente dictum fuit. At quia jam satis in his speculationibus, vel mysticis, vel moralibus nos detinuit, devotio amoris, & amor devotionis, magis quam studium nobis impositum; jam ad complementum præcepti hujus litteraliter accepti, aliqua addemus, quæ utraque contenunt dilectionem, sed magis præceptum ipsum, prout in Evangelio reperitur. Sit itaque

ARTICULUS V.

C *De Evangelico litterali charitatis præcepto.*

Notissimum est, etiam in veteri instrumento præceptum charitatis, & ad Deum, & ad proximum, tamquam præcipuum contineri; habemus Deuteronomii cap. 6. *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*; & Levit. cap. 19. post præcepta, quæ proximum concernunt, dicitur, *non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, diliges amicum tuum sicut te ipsum &c.* quia verò, & clarius, & efficacius habetur pluries, utrumque tale præceptum in Evangelio, ideò dicitur evangelicum charitatis præceptum. Celebre est illud Math. cap. 22. ubi legis doctor interrogabat Christum; *Magister, quòd est mandatum magnum in lege:*

D *ait illi Jesus: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum; secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum, in his duobus mandatis, universa lex pendet, & Prophetæ.* Ad quem locum notat Origenes, in cat. aur. Divi Thomæ, quod apud Judæos in quæstione adhuc erat, quodnam esset mandatum majus, ideoque sic declaratum, ut maximum inter mandata, præceptum potius Christi quam veteris testamenti, ac propterea Evangelicum dici debet, idque maximè, si compararetur ad alibi in novo testamento explicata charitatis præcepta, quorum forte infra fiet commemoratio. Pro nunc autem quæres, quantum ad primum.

 Si

Si respondens Christus Legis Doctori recitavit præceptum, quod erat in lege, cur non eisdem verbis? loco enim citato Deuteronomii dicitur diliges &c. *ex tota fortitudine tua*, quod Christus non dixit, sed Lucæ cap. 10. approbavit dicendum esse, *ex omnibus viribus tuis*.

Respondere quis posset, per verba æquipollentia, utrumque convenire, nam pro *tota fortitudine*, additum est *ex omnibus viribus tuis*, quod idem videtur, si tamen formaliter consideretur dictum illud, ex tota fortitudine tua, aliquid diversum importat, ac ex omnibus viribus. Fortitudo enim locum non habet, nisi cum aliquis impugnatur, ideò munus proprium fortitudinis est, medium ponere inter timorem, & audaciam, ut notat Aristot. in Ethicis, & Rethoricis; agere autem totis viribus, designat naturæ propensionem, & virtutem boni, ac ultimi finis, universa sibi subordinantis; dicimus ergo, quam sapientissimus veritatis Magister assignavit quidem præceptum, quod erat in lege, sed accomodatum ad statum novæ legis, ad quem illud, ut prius erat, ordinabatur. Constat autem ex communi proloquio, ex doctrina Augustini dessumpto, quod brevis est differentia legis, & Evangelii: timor, & amor; illic enim, quia per timorem homines ducebantur, opus erat fortitudine ad amandum, qui enim timetur, vix diligi potest, nisi timor compescatur, quod est opus fortitudinis, quia objectum timoris, aliquod genus mali est saltem apprehensi; nam quis timeat bonum, quod ex natura sua ad se trahit, quis non fugiat ab eo, quod timet? tunc ergo præcipienda erat Dei dilectio, ad quam requirebatur fortitudo, cum esset status servitutis; in statu verò libertatis, qua libertate Christus nos liberavit, non per timorem, ducimur ad amorem, sed per amorem ipsum ad semper magis amandum, & per amorem ad amorem scilicet ut solum hoc timeamus, ne ab amore deflectamus; exercet ibi spontè, suaviterque omnes vires suas amans, ut serviat amato, qui de servitute nos liberavit, & asseruit in sortem Filiorum Dei. Locum hic fortitudo non habet, ubi tota difficultas esset, tam insigne, tam excellens bonum non amare omnibus viribus, ideò infelices, qui non amaverunt, plorant in æternum ejulantes: *sap. cap. 5. Ambulavimus vias difficiles*. Illic, quia præsumebant homines de se ipsis, & quia locum habebat servilis amor, dicebatur in fortitudine tua, ibi verò, ut prævidebat David, præceptum secum trahit vires, & gratiam ad diligendum; ideò Deus ipse hoc modo dicitur firmamentum nostrum, fortitudo nostra, adjutor noster, sicque quodammodo Deo diligimus Deum, sicque ille in futuro ait, respiciens statum hunc præsentem nobis. Psal. 17. diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adjutor meus.

Quæres secundo, quoad id in quo præceptum utrumque, & vetus, & novum concordat, quid sit diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & quo ad id, quòd additur in novo, ex tota mente, ex omnibus viribus.

Respond. quod quia melior methodus est ab imperfectioribus ad perfectiora procedere, ideo prius, quod debili nostro intelligendi modulo nobis suppetit, nostrum quidem, at non diversum ab eo, quod tradunt PP. potissimum verò Augustinus, & Thomas, nisi fortè quoad modum, esse proponendum. Et quidem omnes asserunt, id hujuscemodi præcepto juberi, videlicet Deum diligendum esse simpliciter super omnia, quòd idem est, ac tamquam ultimum finem absolutè, & naturæ, & gratiæ; at quia in hoc ipso sua est latitudo, quam tamen ex propria expressione, & replicatione totalitatis, videtur restringere modus intimandi tale præceptum, notanda est particula, qua utitur, dicens, ex; per hanc enim videtur exprimi perfectio, quam in nobis exigit dilectionis. Certè particula *ex* videtur excludere id, quòd afficit, sicut cum ex materia educitur forma, hæc ab illa exire intelligitur, & esse ab ea quid valdè diversum, cum hæc sit actus, illa verò potentia, cum vero uniuntur, non dicitur forma uniri ex materia, sed cum materia in ordine ad tertium, quòd est substantiale compositum, si ergo dilectio charitatis debet esse ex corde, & non tantum ex corde, sed ex toto corde nostro, ex tota anima, ex tota mente, debet quodammodo diligens Deum, cor suum relinquere totum, animam totam, & totam mentem suam, idest cor a se ipso discedere, sicut enim per proprium amorem, magis semper accedit ad seipsum, ita per amorem Dei, eo gradu, quo accedit ad Deum, recedit ab amore sui; ideoque tunc perfectè satisfacit præcepto, cum ex toto se ipso discedit: ad quòd intelligendum maximè juvat, aurea Doctrina B. P. N. Joannis a Cruce, in toto opere suo mystico, docens perfectam sui abnegationem, & depurationem, a se ipso, etiam in via spirituali, ut ex nihilo sui totius, ad verum totum, in quo verius invenit se totam anima deducatur; & ex obscuritate sui chaos, in quo ex distantia lucis frigescit, ad vivam evolet amoris flammam, in qua dulciter ardeat per charitatem, & suaviter videat per donum sapientiæ, cujus actus est mystica Theologia, ardens divinæ caliginis intuitio; de quo Deo dante suo loco erit aliquid prælibandum. At quia in hac rigorosa expressione acceptum præceptum, modum potius præcepti significat, quam præcepti substantiam, modum inquam, de quo ait Augustinus: modus diligendi Deum, est diligere sine modo, ideò ly ex toto corde, ex tota anima &c. potest, & debet dupliciter accipi, juxta principia Divi Thomæ 22. quæst. 44., & aliis sequentibus. Totum ergo primo modo sumitur, prout dicit formalem totalitatem, quæ in hoc consistit ut ei non opponatur aliud totum formaliter, quæ est expressio ultimi finis, & est sensus, quod Deus diligatur ex toto corde, idest proprio bono negando totalitatem formalem, eamque per dilectionem Deo, seù bono divino tribuendo, cui non obstat, quòd aliqua admittantur, quæ totalitatem formalem ultimi finis a bono divino non tollunt, quæ quidem plurima sunt, at subduntur totalitati boni divini prædominantis simpliciter toti voluntati, & omnibus affectibus

ejusdem

ejusdem, aliquibus quidem, ea refrænando, ut sunt venialia, ne hujusmodi totalitati formali bellum indicant, aliquos verò, ad se positivè trahendo, & informando, ut sunt actus boni morales in linea cujuscumque virtutis. Et in hoc sensu procedit substantia præcepti dilectionis Dei, ex toto corde, scilicet ex toto formali ad totum formale; quia enim voluntas diligendo exit ad bonum, quod amat, iste exitus, hic præceptus debet esse, ex totalitate formali proprii boni; quod ex imperfectione, & limitatione nostra exigit ab appetitu tributum totalitatis formalis, ut ex hac totalitate ipsi denegata, subdatur totalitati formali boni divini. At totum alio etiam modo sumitur, non solum formaliter, ut dictum est, sed etiam materialiter simul, & secundum omnes ac singulas partes, aut etiam particulas concernentes hujuscemodi totalitatem; & hæc est expressio maximæ perfectionis charitatis, quam quidem in via Sancti appetunt, sed solum in patria obtinent, avulsa anima a corpore; corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, ubi unum est necessarium; ex qua doctrina solutum manet, quod aliquos timoratæ conscientiæ torquet, habentes zelum, sed non secundum scientiam, qui timent, ne quæ venialia ex se sunt, sint morales violationes præcepti charitatis; qui ea diligit, jam non diligit ex toto corde Deum, hoc secundo modo, qui certè non constituit præceptum quoad substantiam, sed quoad summam perfectionem patriæ, quæ est mensura perfectionis amoris possibilis moraliter in via, nam tanto major & perfectior est hic charitas, quanto magis ad illam appropinquat. Et hæc est communis Doctrina Augustini, Divi Thomæ. PP. Salmaticensium, in tractat. de ultimo fine, & ubique, ac simul ferè omnium: ex hac etiam doctrina, æqualiter explicata manet propria ratio extasis, cum enim oriatur ex impetu amoris qui sua perfectione detinetur per vinculum corporis, ex ipso, ex omni parte ejus, ex quolibet creato quodammodo per ipsum divellitur spiritus, ascendens ad suum totum, & secum nesciens trahit quod relinquit, unde oritur oblivio totalis sui ipsius, propriique modi essendi, ut cum Paulus raptus dicit, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit; modum enim essendi puri spiritus, & similiter operandi, saltem transeunter superinduit sic affectus, ut amor, qui vincit omnia, ipsum vincat amantem, sicut explicat Angelicus Doctor, ad eum locum Apostoli, & ne aliquid ommittamus, notabilis est modus loquendi, quo utitur Deus in hoc præcepto: non enim tantummodo ait, ex toto corde, sed addidit tuo, ita, & in sequentibus, ex quo denotatur Dei amorem exigere, ut proprium relinquamus, ex quo tamquam termino à quo, qui in omni motu relinquitur, oritur charitatis tendentia in Deum, tamquam verum ultimum finem, cum enim amor charitatis sit amor amicitiæ, vult bonum amato, non sibi, immò cum se homo nequeat non diligere, ubi tamen afficitur amore amicitiæ, diligit quidem se, sed amico, non sibi, & hoc ma-

A ximè exprimitur per ly *ex tuo*.

Hoc autem retento, quia non pugnat, cum his, quæ subiicimus, eum verum semper consonet vero. Aliam etiam significationem advertimus, in ly ex toto corde tuo, & iis, quæ adduntur. Dicitur enim ex toto, ut denotetur suavitas amoris, qui debet oriri ex plena ac libenti voluntate, suavi, idest sua vi, non coactè, hoc enim pugnat cum ipsa amoris substantia, qui est impulsus intrinsecus voluntatis se moventis ad bonum, a quo allicitur, & quòd ipsi placet; dicitur ergo ex toto, quia qui quasi coactè diligit, in hoc ipso cor suum dividit, huic quidem objecto ex necessitate, alteri ex naturali quadam inclinatione, quòd est evidenter, non amare ex toto, sed ex parte.

B Nec refert, si dicas, ad quid ergo præceptum, per quòd obligetur homo ad amorem? jam ex hoc ipso, quod obligatur ad amorem, cogitur, moraliter saltem ad amorem, ubi autem est necessitas sive coactio quædam, implicat in terminis, quòd sit ex toto, quia quatenus cogitur, diminuitur, ut patet ex dictis.

Respond. quod si præceptum hoc esset juris tantum positivi, & non de ultimo fine, sive de summo bono, censeretur per ipsum fieri quamdam moralem coactionem, quæ tamen non est coactio, sed determinatio quædam libertatis, quam ipsa appetit, ut nempe determinetur ad bonum; ast hoc præceptum, prius est juris naturæ, quod semper supponit inclinationem in natura ad id, quod præcipit, & est de ultimo fine vero, qui

C coincidit cum primo principio, à quo, & ad quem recta naturæ inclinatio, ut procedit, sic & semper tendit; explicatur autem in Sacra Scriptura, & innovatur, in ordine etiam supernaturali, & intimatur tamquam verum præceptum, ut distractam ad intermedia bona, & ad proprium placitum recolligat voluntatem, ad unum verum, & summum bonum, & nonnisi vitio nostro oritur, quod indigeamus simili præcepto, nos determinante, unde revera nulla est in eo, nec moralis coactio nisi negativa, videlicet ad tollenda impedimenta, quæ nos retrahunt ab eo, quod maximè natura desiderat in omni ordine, scilicet uniri summo bono, quod ergo dicimus obligari nos ex hoc præcepto, ut diligamus ex toto corde, idest non diviso, & suavi non coacto, in hoc elucet

D obligatio, ad nos avertendum ab impedimentis hujus plenæ dilectionis, ut sic libentissimè, & toto affectu feramur in Deum. Nec novum est, quod in hoc etiam præcepto inveniamus, sive distinguamus negativum a positivo, cum generale hoc sit in omnibus præceptis affirmativis, ut in se includant præceptum negativum, contra suum oppositum, ut est generalis Doctrina præsupposita in tota Theologia morali: dicamus ergo, quod cum dicitur in hoc præcepto, *ex toto corde &c.* sensus primò est non dividendum esse cor impedimentis hujus amoris, in qua pugna est difficultas. Sed ex hoc sequitur sensus proprius affirmativus, & directus præcepti, idest diligendi ex toto corde Deum, in quo ablatis impedimentis, maxima suavitas, pax, & gaudium, & cætera bona, ac dona,

na, quæ charitati connectuntur, inveniuntur, absque ulla, vel imaginabili coactione.

Ad hoc verò magis firmandum, explicatio etiam addenda est, ex qua discernamus, quam propriè in hoc præcepto ponitur ly tuum, idest ex toto corde tuo &c. ubi notandum, quod quamvis revera, qui ex nihilo sumus, nihil ex nobis habeamus, & quidquid a Deo habemus, donatum quidem a Deo, nostrum fiat, at plenum dominium per se tale, quòd importat jus disponendi de re tamquam sua absque omni dependentia, non habemus, sed participatum a Deo; unum tamen est, quo constituimur verè Domini, scilicet libertas, per quam sumus Domini nostrorum actuum; quamvis autem, etiam libertas nostra sit participata a Deo, ideoque apud ipsum sit jus exigendi aliquos actus specialiter, quòd jus per leges explicatur; tamen adhuc posito tali jure, & intimato, adhuc in potestate nostra est, agere, vel non agere, obedire, vel non, cuilibet legi, in quo declaratur reale, verum, & phisicum dominium, quòd habemus nostrorum actuum, per quod dominium possumus; licet infæliciter, ipsi summo omnium domino contradicere, in exercitio nostræ libertatis; habemus ergo verum dominium nostrorum actuum, ideoque cordis, animæ, & mentis nostræ. Et hoc est, quòd a nobis exigit infinita divina bonitas hoc præcepto, quòd a singulis petit dilectionem, ex toto, inqui, corde tuo, ut tuum est, totam igitur libertatem ei debemus, qui nos faciens liberos fecit Dominos, & dignatus est, quasi a se abdicare dominium nostrorum actuum, ut eo, quòd nostrum ipse nobis fecit, ad illum tendamus a quo est radix ejus, & per amorem transformata voluntate nostra in eum, qui est primordialiter Dominus Dominorum, idest omnium libertate pollentium, coalescant rivi cum fonte, & dominium nostrum, cum divino, per quod fimus verè Domini perfectissimè, ita ut a nostra possessione nec ipse summus Dominus evadat. Hinc est, quod toties Propheta David, Deum ipsum vocat verè suum, & Dominum omnium verè suum, quasi amans evadat Dominus, non solum suorum actuum, quorum dominium auctori suo ressignat, sed & Dominus ipsius Domini sui, ideoque & de ipso ait: voluntatem timentium se faciet, Psal. 44., & Psal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ. Tantum est amoris meritum, tanta vis, cum ex omnibus viribus tuis amas: hæc est proprietas illa nostra, quam petit, cum singulis ait: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, idque, & ejus effectum, in ipsis verbis exprimit, dicens, diliges, & ex hoc ipso intransitivè ipse Dominus ipse Deus, quem diligis, a te possidetur, ideò fit tuus, Dominum Deum tuum; tu das, quod tuum est, nempe libertatem, totum cor, quod parum quid est, ipseque, qui dederat tibi dominium, jam dum amatur, donat cum dominio suo Dominium ipsum, Deum ipsum totum, qui fit tuus per amorem, & hoc est, diliges Dominum Deum tuum, sic enim hoc ipsum exponit in canticis, dilectionis magistra, Sponsa Domini sui, cap. 6. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, & cap. 7. Ego

A dilecto meo, & ad me conversio ejus. His juxta simplicitatem moduli nostri exhibitis, ut & tanti momenti præceptum plenè innotescat, & quæ dicta sunt, ex toto quidem corde, ad veritati, & amori quantum possumus deserviendum confirmentur ac lucem aliquam accipiant, ad SS. PP. accedimus.

Et in primis quidquid dictum fuit toto hoc capite, in superioribus articulis, breviter complectitur, Basilius, in Luc. cap. 10. in catena aurea Divi Thomæ. Sic enim inquit: *si quis quærit, qualiter divina charitas poterit obtineri, dicemus, quod indocibilis est divina dilectio, nam nec lucis gaudere præsentia, nec vitam amplecti, ab alio didicimus, vel amare parentes, aut alumnos, & multò magis dilactionis doctrinam, sed seminalis quædam*
B *ratio, nobis insita est, intrinsecus habens causas, ut homo Deo adhereat, quam rationem accipiens, Doctrina divinorum præceptorum, colere diligenter, fovere cautè, & ad perfectionem divinæ gratiæ perducere consuevit; naturaliter enim bonum amamus; amamus etiam propinquum, & cognatum, nec non, & benefactoribus sponte totam dilectionem perfundimus; si igitur bonus est Deus, omnia verò bonum desiderant, quod voluntariè perficitur, naturaliter bonis inest; quæ etsi per bonitatem minimè novissemus, ex hoc tamen, quòd ab ipso processimus, tenemur ipsum supra modum omnem amare, scilicet tamquam nobis cognatum; major etiam est, & benefactor omnibus, quæ naturaliter diliguntur. Est igitur primum & præcipuum mandatum divinæ dilectionis*; sic Basil.
C nunc autem quomodo explicent Patres, ea, quæ in hoc præcepto ennumerantur, attende. Idem Basil. in Lucam: *quod dicitur totâ mente tua, in cætera non recipit Sectionem, quam enim dilectionem in infimis expenderis, hæc necessariò a toto deficiet, sicut in vase pleno, quidquid eruperit foras, necesse est id plenitudini deroget*, ità Basilius &c., Gregor. Niss. ibidem, distinguit triplicem gradum vitæ, quem Deo in ejus dilectionem debemus impendere, vegetativum, sensitivum, & rationalem; *dicendo ergo cor, naturam, substantiam corporalem viventis, significavit vegetativam; sed nutritivam; dicendo animam mediam, idest sensitivam; dicendo verò mentem, sublimiorem naturam, scilicet rationalem indicavit, & considerativam potentiam, & ita hæc omnia suo modo, divinæ debent dilectioni subiici, & de-*
D *servire*; qua in re, & ipse, & alii Patres, exprimi notant imaginem Trinitatis, in nobis impressam, & in tribus gradibus vitæ, & in tribus potentiis rationalis naturæ, & quisque eorum, juxtà quamdam proportionem ad Trinitatem, tria in Evangelico recensito proposita meditatur: unde D. Maximus; *cum hac igitur intentione*, inquit, *trinam ad Deum dilectionem lex pertractat, ut avellat nos a trina mundi habitudine, qua respicitur ad possessiones, ad gloriam, & ad voluptates, in quibus etiam tentatus est Christus*. Simul autem unit hæc Theodoretus, dicens: *Hic igitur intelligendum, quòd oportet nos, omnem virtutem animæ, amori divino subiicere, & hoc quidem viriliter, & non remissè*; aliter Chrisostom. *sup. Matth. in cap. 22. diligere Deum ex toto corde est, ut cor tuum non sit*

inclina-

inclinatum ad dilectionem alicujus rei, magis quam Dei. Diligere autem ex tota anima Deum, est certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide: alius enim est amor cordis, & alius est amor animæ, amor cordis quodammodo carnalis, ut etiam carnaliter diligamus Deum, quod facere non possumus, nisi recedamus ab amore mondialium rerum. Cordis ergo amor sentitur in corde; amor verò animæ non sentitur, sed intelligitur, quia in Judicio animæ consistit; qui enim credit, apud Deum esse omne bonum, & nihil boni extra ipsum, hic diligit Deum ex tota anima. Tota verò mente diligere Deum, est, ut omnes sensus Deo vacent, cujus enim intellectus Deo ministrat, cujus sapientia circa Deum est, cujus cogitatio ea, quæ Dei sunt tractat, cujus memoria, quæ bona sunt recordatur, tota mente diligit Deum; similiter explicat Augustinus, *de Doctrina Christiana, lib. 1.* cap. 11. *Deum ex toto corde diligere præciperis, ut omnes cogitationes tuas; ex tota anima, ut omnem vitam tuam; ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum in illum conferas, a quo habes ea quæ conferas. Nullam ergo vitæ tuæ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illic rapiatur quo totus dilectionis impetus currit, tunc enim est optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabile bonum: strictius Glosa: ex toto corde idest intellectu; anima, idest voluntate; mente, idest memoria, ut nihil ei contrarium velis, sentias, aut recorderis:* adde ex Origene, *secundum totam recordationem, & operationem, & cogitationem.* Conclude cum Bernardo. Serm. 20. in cant. *Mihi videtur amor cordis ad zelum pertinere affectionis; animæ verò amor, ad industriam, seù Judicium rationis: virtutis verò dilectio, ad animi posse referri constantiam, quasi dicat, dilige Dominum Deum tuum, toto, & pleno cordis affectu; dilige tota rationis vigilantia, & circumspectione (idest mente.) dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas;* plura etiam habere poteris, apud Ugon. a S. Charo, locis citati Evangelii, cæterosque Patres, quos ne opus nimis excrescat, brevitati donamus; advertit autem prudenter Cornelius Alap. in c. 6. Deuteronomii, idem pluribus dicendi modis inculcari, ut magis imprimatur; nam non esse diversam substantialiter intimationem hujus præcepti, ex eo constat, quod cum revera sit unum præceptum, in uno loco uno modo exprimitur, in alio additur aliquid, ad energiam; ubique verò totalitas affectus, & respectus ad verum ultimum finem super omnia simpliciter diligendum exprimitur: cui adde ex Divo Thoma loco citato, intimè in his omnibus significari Dei amorem, qui hoc præcepto mandatur, esse amorem verè appretiativum, qui etiam absque sensibili illo, ac tenero affectu, erga Deum, qui a multis proprio sensui deditis censetur esse verus amor charitatis, exercetur. Distinguit autem Divus Thomas loco pariter citato, & aliis pluribus, amorem, qui hic præcipitur, in amorem substantialem Dei, qui pugnat cum peccato mortali, ad quem amorem simpliciter obligamur ex hoc præcepto, ut supra vidimus, & amorem perfectum,

A qui haberi potest hic in via, qui est fervidus, & pugnat cum peccato veniali, & amorem perfectissimum, qui quadrat totaliter, nedum præcepto, sed & omnibus particulis ejus, & modis intelligendi, in eoque importat incessantem, & numquam interruptam attentionem ad Deum, & hoc modo, solum in patria haberi potest, nec potest intelligi, quòd hoc modo nobis hic præcipiatur a Deo, qui non præcipit impossibilia, sed perfecta, idest primò explicatum, & secundo; ita ut ad primum simpliciter teneamur, ad secundum verò juxtà proportionem, & qualitatem status, in quo quisque vivit, & juxtà proprias leges, quæ omnes ad Dei amorem tendunt, in quo universaliter tota perfectio cujuscumque status consistit. Videatur Augustinus, lib. de spiritu, & litt. cap. ultimo, ubi id
B. explicat. Et hæc jam satis de divina dilectione, ejusque præcepto, prout respicit Deum, quia verò secundariò respicit etiam proximum, quoad hanc etiam partem de eo aliquid dicemus. Sit ergo.

ARTICULUS VI.

De charitatis præcepto prout respicit proximum.

HActenus de charitatis præcepto prout respicit proprium, ac principale objectum, finem ultimum, summum bonum, Deum, actum est, & quidem nobis, qui compendio, & brevitati studemus, satis hoc videbatur: cum enim ratio diligi-
C bilitatis sit sola bonitas, & hæc in solo Deo substantialiter, primordialiter, plenè simpliciter, & fontaliter reperiatur, in creaturis verò, veluti in rivos ac situlas ex se deficientes derivetur; ita & præceptum charitatis, & charitas ipsa, proportione servata, & illum, & istas respicit, ideòque, & doctrina de primario illo respectu tradita, facilè ad secundaria objecta derivatur, & applicatur. Verum quia, per charitatem non diligimus in creaturis, quòd in se ex propriis meritis habent, seù in creaturis creaturas, aut in hominibus homines utcumque, sed proximos, quæ ratio specialiter exprimitur in præcepto, & est peculiaris quædam applicatio divinæ diligibilitatis ad nos, solam enim divinam diligibilitatem respicit chari-
D tas, cum sit virtus divina, & Theologica, ideò aliqua breviter de charitatis præcepto, prout respicit proximos necesse est breviter saltem, & cursim prælibare.

Nihil notius hoc præcepto, quòd frequentissimè in Sacris litteris repplicatum, latere non potest; etsi etiam in antiquo Testamento, specialiter tamen intimatur in novo, in iisdem ferè semper terminis, ad differentiam præcepti charitatis Dei, quod diversis modis invenitur expressum, ut in superioribus notavimus. Matth. tamen *cap.* 22. disertè sic explicatur. Respondens enim Christus interroganti, *quod nam est mandatum magnum in lege,* ait, *diliges Dominum Deum tuum &c. secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quamvis verò clarum adeo sit, non modi-

cæ,

cæ, ad plenam ejus intelligentiam exurgunt quæstiones, quibus licet breviter (vel enim major earum discussio ad Doctores morales, vel ad Expositores appellat) tenemur respondere.

1 Prima est: quis ibi dicatur proximus, quem tenemur diligere, & rursus an sit unus tantum, sicuti singularis locutio videtur innuere, an plures, an omnes homines, an aliquid aliud præter homines.

Primam quæstionem excitavit idem Legisperitus Luc. cap. 10., qui Matth. cap. 22. interrogaverat Christum, *quodnam est mandatum majus in lege*, nam apud Lucam loco citato prosequitur, *quis est meus proximus?* respondítque ibi Christus, sed sapientissimum, & arcanum ejus responsum, quia includit mysterium, post pauca meditabimur: Pro modo igitur litteram præcisam præcepti attendentes, respondemus, nomine proximi intelligi rationem quamdam generalem, & quidem supernaturalem, ac supponentem quidem naturam & substantiam ejus, in qua convenimus omnes homines, quippe homo est animal sociabile, & societas sicut proximitatem importat, & similitudinem, ita naturaliter exigit, & causat mutuum naturalem amorem, in linea tamen, & ordine naturæ, quem ordinem charitas supponit, sed non eum attendit formaliter; Ratio igitur formalis, quam attendit charitas, & respicit præceptum, ea est quam assignat D. Thom., & cum eo communiter Doctores 22. *quæst.* 44. *articulo* 7. *in corpore*, ubi sic. *Ratio diligendi tangitur, ex eo quod proximus nominatur: propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, & secundum naturalem Dei imaginem, & secundum capacitatem gloriæ, nec refert utrum dicatur proximus, vel frater, ut habetur, prima Joan. cap. 4. vel amicus, ut habetur Levitici cap. 19. quia per hoc eadem affinitas designatur*: sic ille, ubi notatur primo, quod quamvis dicatur, quod proximi attenduntur à charitate secundum naturalem Dei imaginem, in qua convenimus, quia homo ad imaginem Dei factus est, hæc tamen ratio supernaturalis est, quia Trinitas, ad cujus imaginem facti sumus, est objectum supernaturale, & hæc eadem similitudo, saltem quoad modum, & terminum est revelata nobis in Sacra Scriptura, & per fidem creditur: notandum etiam, quoad id, quod additur ab Angelico, *& secundum capacitatem gloriæ*, in hac ratione contineri, omnes alias rationes, vel assignatas in Scriptura, vel additas à Doctoribus, quæ ad duas reducuntur, prima est, quia omnes eodem pretio, sanguine videlicet D. N. Jesu Christi redempti sumus, in quo summam erga omnes dilectionem suam Deus ostendit, ideoque ab eo discedimus, cum non amamus eos, quos ipse amavit, & amat ut suos à se redemptos, & simul invicem sibi unitos, quod frequenter repetit Apostolus in suis Epistolis, & alibi sæpè in Sacra Scriptura habetur; secunda ratio est, quæ ferè primam includit, scilicet unitas corporis mystici, sub capite Christo, cujus omnes nos sumus partes invicem cohærentes per omnem juncturam, alter autem alterius membra in Christo Jesu Domino Nostro, quamvis autem Infide-

A les, & Inimici Ecclesiæ sint membra actu rescissa ab hoc corpore, tamquam putrida, & nociva, quia tamen donec vivunt in mundo, vivificari possunt, per fidem, & gratiam, & redire ad unitatem Ecclesiæ, cui se ipsos debent; ad eos quoque se extendit charitas, & ejus præceptum, quia adhuc sunt capaces gratiæ, & gloriæ, ut disertè Augustin. *in Psalm.* 54. *quamdiu ità sunt*, inquit, *ut nos exerceant, non eos oderimus, quia in eo, quod malus est, quis eorum utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus, & plerumque, cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis &c.* Immò in hoc ipso commendavit Deus charitatem suam (quam nos vult imitari) *quod cum adhuc peccatores* (adde, & iniqui, ac Infideles) *essemus, reconciliavit nos sibi*, inquit Apost. *Rom. cap.* 5. ergò
B & ad eos charitas proximi se debet extendere, ad hoc maximè, ut reducantur &c.

Sed contra hanc generalitatem, & extensionem proximitatis, urget non modica (saltem apparenter) difficultas, ex ipso textu Evangelii. Quæramus igitur cum Legisperito supra citato, & à Christo Domino percunctemur. *Quis est meus proximus, ut eum diligam?* infallibiliter respondebit sapientia, per parabolam: (*eodem loco, Lucæ cap.* 10.) hujusmodi: homo descendens ab Hierusalem in Jericho, a latronibus expoliatus, ac vulneratus, in via jacens: Levita, ac Sacerdote ipsum prætereuntibus, a Samaritano transeunte, diligenter curatus fuit. *Quis ex istis*, inquit Christus, *est ejus proximus? respondit Legisperitus, puto, quòd*
C *is, qui fecit in ipsum misericordiam*, & hæc responsio, a Christo comprobata fuit: ex qua doctrina sequitur, nos non teneri, ex hoc præcepto charitatis alium diligere, nisi quem habemus tamquam proximum, proximum verò illum nobis esse tantummodo, qui facit nobiscum misericordiam, ideòque contra præceptum Christi, Matth. cap. 5. diligite inimicos vestros, nos non teneri ad dilectionem inimicorum, quippe qui ut tales sunt, non faciunt nobiscum misericordiam; si enim, qui vulneratus fuit, ac demum a Samaritano curatus, interrogaretur, quem diligeret ut proximum, an latrones, an Levitam, an Sacerdotem? rectè responderet, non, sed eum qui fecit in me misericordiam, ergo cum Christus sic proximum, quem tenemur diligere, definiat, non est locus præallega-
D tæ extensioni proximitatis, sed potius nomine proximi veniet amicus strictè acceptus, non in ea latitudine, quam afferebat Angelicus Doctor.

Respon. primò, notando, quòd in toto illo Lucæ contextu, non negatur quod Levita, & Sacerdos essent proximi illius vulnerati, sed potius supponitur, ideoque implicitè asseritur, quod debuissent ex præcepto charitatis, ejus misereri; ex modo enim dicendi damnatur eorum inhumanitas, non miserentium proximi sui, idque sufficeret ad salvandam intelligentiam Angelici, ac communem, cum explicat, quis veniat nomine proximi in hoc præcepto. Secundo notandum, quòd ut habetur eo loco, ille Legisperitus, non ignorabat, quis esset suus proximus, aliter nec esset Legis naturæ peritus, quod cuilibet homini competit nesciens; sed

sed tentabat Christum, ut ibi dicitur, tentans eum, & ex hoc ipso jam sine charitate, ac fide procesfit, ideoque de hoc potius, a veritatis, & virtutis, ac charitatis Magistro potius argui, & convinci, ac proprio sui ipsius ore damnari debuit, quam alieno, id quod sciebat, doceri: Sciens ergo Jesus cor illius vanum, immò & malum, ostendit ei, qualis esse debebat, ut mereretur Christo approximare, & ab eo verè discere, quod se nescire fingebat, & reverà in praxi nesciebat. Quis ergo esset suus proximus speculativè sciebat, ideò hoc Christus non docuit, ne frustra loqueretur: practicè charitatem violabat, contra hoc arguit Christus, & ipsum Samaritani exemplo ad se revocavit. Idque ex eo maximè patet, quod notat Evangelista dicens, ille autem volens justificare se ipsum, dixit: quis est meus proximus? Se deprehensum novit in dolo, justificare se voluit, sed frustra, quia sine charitate nulla est justitia. Patet igitur ad instantiam, proximum verè esse, quem describit Angelicus, & quia in ea ratione conveniunt, & Levita, & Sacerdos, non habentes misericordiam, & Samaritanus qui eam exercuit, & latrones, qui spoliant, & inimici, qui nocent, & amici, qui diligunt, ideò ad eos diligendos, & vulneratus ille, & nos charitatis præcepto tenemur. Nec contradicit Christus huic Doctrinæ, cui concordat Scriptura, sed arguit Pharisæum non observantem præceptum, in ea ipsa interrogatione, & quia proximus relationem importat, relativa autem ad invicem se tollunt, & ponunt, si proximus vulnerati fuit Samaritanus, proximus Samaritani fuit vulneratus ille, & cum in eadem ratione proximi diligibilis convenirent cum eodem, & Levita, & Sacerdos, & Samaritanus, eodem invicem præcepto tenebantur, quod plures violantes, se proximos facto negarunt, mentientes, unus observando, se proximum esse facto comprobavit, ideò interrogavit Christus; quis ejus proximus est, ac demum conclusit, non docendo, quis esset proximus, quòd ibi supponebatur, sed suadendo misericordiam, & veritate dicens, *vade, & tu, & fac similiter*, at ne nos detineat apparentia hæc difficultatis, quæ sola textus inspectione evanescit: audi Augustinum.

Secundo igitur respond. ex Augustino, qui & hactenus dicta, & universa quæ addi possent, breviter, at sapientissimè comprehendit, *lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 30.*, & habetur in catena aurea Divi Thomæ Luc. cap. 10. *Ex hoc intelligimus eum esse proximum, cui exhibendum est officium misericordiæ, si indigeat, & exhibendum esset, si indigeret; ex quo jam consequens est, ut etiam ille, a quo nobis vicissim exhibendum est, proximus noster est, proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest; Nullum autem exceptum esse, cui misericordiæ denegetur officium quis non videat? dicente Domino, benefacite his, qui oderunt vos, unde manifestum est, hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum etiam Sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, ex quo, & ipse Dominus proximum nostrum se dici voluit, significans se opitulatum esse semivivo jacenti in via.* Ita Augustinus; cui nihil addendum, nisi attentio, & admiratio, explicat enim, & litteram, & sensum parabolæ, & præcepti, & solvit opposita, & toti satisfacit quæstioni, quoad omnem ejus partem; sic enim deprehendimus, & quis sit proximus, & cujus consequentes sumus proximi, & non unum esse in individuo, sed omnes convenientes in eadem ratione relativa, ob quam rationem, singulari præceptum utitur locutione, simul innuens, quod Christus intendit, quomodo omnes nos & ex vi, & exigentia charitatis, unum sumus, & quòd etiam Angeli diligendi sunt ex charitate, Angeli utique boni, nam in malis deficit capacitas gloriæ, ex obstinatione nequitiæ, quæ semel ab ipsis electa, in æternum invariabilis perseverat; non enim in præcepto supernaturali, virtutis videlicet Theologicæ consideratur sola natura, sed magis finis, ad quem illi inconvertibiles, sine spe sunt in damnatione confixi. Sed & hoc ex Augustini Doctrina deducitur, nempe toto, & totali, omnique charitatis præcepto, nos teneri diligere Christum Dominum. Primo quidem præcepto, quia verè Deus est, suumque nobis revelavit divinitatem, ut cognitam immò & communicatam diligeremus, qui novimus sola nostra faciliter amare: secundo autem præcepto, quia proximus noster factus est, ut ei ex relationis consequentia proximi, eum amemus. Verbum enim Caro factum est, & habitavit in nobis, in nobis utique, nam intus vim suam concipit amor, ipseque, nedum capax gloriæ, de quo dicimus, vidimus gloriam ejus, plenum gratiæ, & veritatis, & nos gloriæ suæ proximè capaces effecit, ejusque cum ipso cohæredes. Rom. cap. 8. qui cum argueretur, Joan. cap. 8. Samaritanus es tu, & Dæmonium habes, secundum negavit, primum concessit, quia verè Samaritanus, descendit ad vulnera nostra, solvitque pro nobis sanguinem suum, qui incideramus in latrones, dæmones videlicet a quibus expoliati, & vulnerati, immò, & bis mortui jacebamus in via, sicque vere, & in facto, se proximum nobis fecit, quia fecit nobiscum misericordiam; quin immò ut ei omni modo proximi essemus, passus est, & ipse in via flagellatus, ac denique crucifixus, & ait, ò vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus, & expectavi, qui simul contristaretur, & non fuit, qui me consolaretur, & non inveni. Quid plura? quæ proximitas major? ipse se fecit omnes, qui indigent misericordia, qui de singulis eorum ait, cum ipso sum in tribulatione Psal. 90., & Matth. cap. 25., quòd uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sic ergo, vel diligimus Christum in se ipso, eique pro nobis patienti compatimur, & jam proximitatis rationem diligimus, ideoque & nos ipsos simul in illo, ratione relationis diligimus, vel proximum indigentem misericordia, & sic in illo eundem ipsum Christum, qui dixit se esse eum ipsum, ideoque iterum, & nos ipsos in ipso, qui indigemus omnes, & singuli gratia, & misericordia ipsius, totamque proinde proximitatem in uno semper totius relationis concreto fundamento, ac termino amamus, & sicut alibi dicitur, de oratione, sic

 & dice-

& dicere possumus nunc de charitate, & charitas nostra in sinu nostro convertitur ad nos ipsos: hocque totum unica est consequentia sublimis Doctrinæ Sapientissimi Augustini; & tota explicatio præcepti charitatis totius, ac potissimum secundi, quo mandatur nobis dilectio proximorum.

Quæres secundo circa mensuram expressam hujus amoris: cum enim dicatur, diliges proximum tuum, sicut te ipsum, videtur apparens quædam implicantia, & impossibilitas in adjecto; certè plus diligit homo naturaliter se ipsum; quam alium quemlibet, unde & Philos. 9. *Ethic.* ait, *amicabilia, quæ sunt ad alterum, sunt ex amicabilibus ad se*: constat autem, quod propter quod unumquodque tale, & illud magis, ergo magis diligit homo se ipsum, quam cæteros, & etiam ratio evidens est, quia data est a Deo naturaliter homini voluntas, quæ est inclinatio propriæ naturæ, ad bonum proprii suppositi, quæ in hoc perficitur, quod sibi bonum aquirat, sicque quodam circulo uniatur finis principio, sicut ergo homo non habet in se voluntatem alterius, nec naturam illius, ita nec inclinationem habere potest æqualem ad bonum illius; amare autem est velle bonum; videtur itaque implicantia, quod quis diligat alterum, sicut se ipsum, quæ sic magis explicatur: si diligo Petrum, sicut me ipsum, jam quia ex principio naturæ plus diligo me ipsum, quam Petrum, jam diligo Petrum, plusquam Petrum.

His tamen, & similibus non obstantibus, præceptum charitatis proximi, ut nempe diligat, quis proximum suum sicut se ipsum, nulla laborat implicantia, si rectè intelligatur, ut illud declarat Angelicus Doctor loco citato 22. *quæst.* 44. *articulo* 7. *in corpore*, ibi: *Modus dilectionis tangitur, cum dicitur, sicut te ipsum; quod non est intelligendum, quantum ad hoc quòd aliquis diligat proximum sibi æqualiter, sed similiter sibi, & hoc tripliciter, primo quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi sancta: secundo ex parte regulæ dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo, in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi justa: Tertio ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum, propter propriam utilitatem, vel delectationem, sed ea ratione, qua velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit vera, nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem, vel delectationem, non verè diligit proximum, sed se ipsum.* Hæc D. Thomas, ex quibus solutum manet quidquid opponitur, & explicatum plenè hoc præceptum; ubi advertendum quòd in hac particula *sicut te ipsum*, non ponitur, aut substantia aut quantitas, sed præcisè modus actionis præceptæ; objectiones verò versantur circa substantiam, & quantitatem; præcipitur ergò substantia dilectionis, in hoc quod dicitur, diliges proximum tuum, modus verò præfigitur, in addito, sicut te ipsum, in quo maximè explicatur unio illi, quam causat charitas inter diligentem, & dilectum, de qua solet dici, ami-

A cus est alter ego, etiam loquendo de amore naturali, quod certè salvatur, etiamsi amicus, seù diligens, nec habeat individualem alterius inclinationem, quæ est voluntas, nec tantum diligat alterum, quantum amat se ipsum. Ac denique concludendum, hæc moraliter esse intelligenda, non metaphisicè aut mathematicè, sicut arguens videtur procedere.

Secundò respondetur, retenta semper Angelici, communique Doctrina hactenus tradita, obligationem diligendi proximum generaliter, alteram esse naturalem, quæ sistit intra limites naturæ rationalis, quamque etiam Philosophi naturales noverunt, & fundatur in unitate naturæ, in similitudine, & sociabilitate, & hæc sequitur modum, quem sibi præscribit lumen naturæ, & virtutes

B politicæ, & principium illud, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, quod tibi vis fieri, alteri facias, cujus etiam meminit Evangelium, & adversus hujusmodi obligationem, fortè saltem apparenter militarent objecta, si hæc obligatio naturalis tantum explicaretur modo illo, quo præceptum charitatis nunc explicatur. Nunc autem de hoc præcisè non agimus: aliud est præceptum supernaturale charitatis, de quo nunc, & certè contra hoc non militant rationes illæ naturales, ut clarum est: rationes enim talis dilectionis sunt admodum superiores, & communes, in principiis altioribus radicatæ, de quibus supra, hoc eodem articulo satis dictum fuit, & ex Doctrina Angelici mox tradita satis constat, nunc in supernatura-

C li præcepto rem esse, quod quidem non destruit naturam, sed illam perficit, & elevat, & proprio fine, propriisque principiis regulatur.

Sed dices, supposita Augustini, aliorumque Patrum Doctrina, quod nomine proximi veniant etiam Angeli, quomodo possumus Angelos diligere, sicut nos ipsos? ipsi quoad naturam longè nobis perfectiores sunt, & nobiliores, & quia gratia perficit naturam, erit in illis gratia perfectior ut naturam elevet perfectiorem; insuper jam sunt in termino gloriæ, nec illos juvare possumus imbecilles viatores, qui ab illis juvari quotidie indigentes gemimus; cum igitur, & superiores sint, & ex omni parte meliores, nec ipsis possimus esse proximi juxtà Doctrinam Evangelii, eo modo, quo Samaritanus vulnerato, cessat mutua relatio

D proximi, maximè supposita vulgata Philosophi Doctrina, quod similitudo fundat amorem, & inter inæquales cedit amicitia, quod videtur ibi etiam exprimi in hoc quod additur proximum tuum, sicut te ipsum.

Respondetur, per mensuram metaphisicam non regulari moralia, sed proportione quadam, quæ inter omnes concives Regni Cœlestis, sive Ecclesiæ vere datur. Insuper, etiam anima rationalis, spiritus est substantialiter, & capax beatitudinis, quæ in Dei visione consistit, quæ est formalis, & propria ratio, quam charitas attendit, ut suprà notavimus ex doctrina Angelici; satis ergo proximi sunt formaliter, etsi non materialiter, quam solam diversitatem observat objectio. Hinc ad singula, quæ opponuntur, respond. perfectiores,

res, & nobiliores nobis sunt Angeli, natura: sed charitas hoc motivo non regulatur, ut dictum est: gratia in illis major, & perfectior, distinguo, quoad effectum, transeat, quoad formam, & intensionem, neg. magis quidem apparet effectus extensivus gratiæ in purè spirituali natura, at revera gratia, quoad suam perfectionem naturalem, superior omni natura creata, & creabili, commensuratur cum divina natura, cujus est formalis participatio, & recipitur in potentia obedientiali creaturæ rationalis, quæ est pura potentia, Deum respiciens, ut omnipotentem, ut supremum, elevantem, ut exlegem, sicut explicatur frequenter in suo spicilegio a N. P. Laurentio, estque eadem in homine, & Angelo, & quamvis supponat specificam perfectionem naturæ, non tamen ab ea specificatur, vel variatur; aliter oporteret concedere, quod major gratia fuisset, aut esset in infimo Angelo, quam in Christo, qui caput est Angelorum; nam simpliciter & metaphisicè perfectior est natura Angeli, quam cujusvis hominis, ut homo est. Angeli sunt in termino, nec juvari a nobis possunt, conc; sed nos adjuvant, & custodiunt, si autem proximus est, qui juvari potest, ergo & qui juvare, ob mutuam relationem proximitatis, immò juxtà sensum immediatum Evangelii, proximus dicitur potius ille, qui juvat, quam qui juvatur; quod propter excellentiam super homines, qua fulgent Angeli, non detur æqualitas requisita ad amorem, & amicitiam, ad summum probat in linea naturali, at charitas respicit similitudinem in ordine supernaturali gratiæ, & gloriæ, in qua certè homines Angelis assimilantur, ut certum est apud omnes, & ratione puritatis, homines erunt sicut Angeli Dei in coelo.

ARTICULUS VII.

Alias quæstiunculas circa hoc præceptum expediens.

ORdine doctrinæ esset hic inquirendum, de ordine diligendorum ex vi hujus præcepti, & de dilectione inimici: At quia hoc spectat ad Theologos morales, & perfectè resolvitur à Patribus nostris Salmanticensibus, in tractatu de charitate, & ex præsenti, quod tractamus præcepto, nulla circa hoc emergit difficultas scripturalis, ad quam solum ex instituto nostro respicimus, potius alias quæstiunculas, quę tamen non minoris momenti sunt, attendimus: post duas igitur, quæ præcedenti articulo aliqualiter urgebant.

Quæres tertio; cum hoc eodem loco Mathæi, Salvator, posito primo charitatis præcepto, de dilectione Dei super omnia, statim subdat, de dilectione proximi: *secundum autem simile est huic; diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, quommodo intelligatur, quod hoc secundum est simile primo: obstare enim videtur, quod si primum est verè primum, & maximum mandatum in lege, secundum, quia tale est, & tale dicitur, jam non videtur simile illi, quia maximum non habet simile: illud est de diligendo Deo ultimo fine, super

A omnia, ex toto corde, ex tota anima &c. hoc autem est de diligendo proximo, qui non potest diligi ordinatè tamquam ultimus finis, nec super omnia, nec ex toto corde, ut evidens est, non ergo simile est illi; dilectio Dei mensuram non habet, cum ipse sit bonum infinitum, cui totum quidquid sumus, & erimus, & speramus, debemus; & tritum est illud Augustini, *modus diligendi Deum, est, ipsum diligere sine modo*: dilectioni verò proximi modus taxatur in ipsomet pręcepto, ut scilicet diligas proximum tuum, sicut te ipsum, non ergo apparet, qualiter hoc secundum præceptum sit simile primo, cum quo nec convenit in substantia, nec in termino, nec in modo, Insuper quilibet etiam absque præcepto diligit se ipsum, sic enim petit natura, & certè
B inquit Apostolus ad Eph. cap. 5. nemo umquam carnem suam odio habuit; præcipitur ergo in hoc secundo dilectio naturalis, dum dicitur, diliges proximum tuum, sicut te ipsum, nempe ut diligamus proximum sine præcepto, quod implicat; ideòquè nec hoc pręceptum eo modo, quo est, est simile primo, quod est supernaturale.

Respon. quęstioni: verè divinum, divinaque sapientia dignum fuisse responsum, cum ait Christus: secundum autem simile huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum: & quidem si non esset secundum, nec esset simile, quia esset idem; ejusdem autem ad se ipsum sicut non est relatio, quę oppositio quædam est, ita nec similitudo, quæ fundat relationem, sed identitas: ast quomodo
C simile si secundum? primò, quia in decalogo, duo sunt genera præceptorum, primum eorum, quæ Deum respiciunt, & dicuntur primæ tabulæ, & hęc continentur in præcepto dilectionis Dei, quod ideò primum dicitur, & maximum; aliud eorum, quæ respiciunt proximum, & dicuntur secundæ tabulæ, & hęc omnia continentur in præcepto dilectionis proximi, quod ideò dicitur secundum, & illi simile, quia sicut illud continet primam partem decalogi, ita istud continet secundam, & ita hoc præceptum nequit comparari cum aliis, quæ continet, sed cum primo, in quo cętera priora continentur: cum autem subsequatur ad primum, nihil post ipsum remanet implendum, quæ enim spectant ad proximum in eo continentur, unde ait Apostol. *ad Roma cap. 13. omne*
D *præceptum legis in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum, & ad Galat. cap. 5. qui proximum diligit, legem implevit*, ideò, & secundum, & primo simile est, quia primum perfectionem præscribit charitatis, secundum autem perfectionem legis, qua posita aquiritur perfectio charitatis, secundum enim propriè est, quod refertur ad primum.

Secundò dicitur tale propriissimè, secundum videlicet, & simile primo, quia Deus creavit hominem ad imaginem, & similitudinem suam, utique secundam, nam prima substantialis similitudo Patris est Filius ipsi æqualis, figura substantiæ ejus, speculum sine macula, & imago bonitatis illius, portansque omnia verbo virtutis suæ, ergo cum præcipitur diligi similitudo Dei secunda, sci-

licet proximus, tale præceptum erit secundum, & ipsum simile primo, quo præcipitur diligi Deum, ideo ait Chrisostomus, ad hunc locum, explicans hanc rationem similis, & secundi; *qui amat hominem, simile est, sicut, qui Deum amat, quia imago Dei est homo, in quo Deus diligitur, sicuti Rex in sua imagine honoratur.*

Tertio, dicitur simile, & secundum, quia ad primum se habet per connexionem consequentem tamquam ad rationem a priori, ex cujus negatione sequitur, per illationem a posteriori, negatio primi: *duo enim hæc mandata*, inquit Theophil. ad hunc locum, *sunt sibi consona, & reciprocè convertuntur; nam qui diligit Deum, diligit & facturam suam: principale autem factorum ejus*, *est homo*, & in hac illatione, tùm positivè, cùm negativè reciproca, perpetuus est divus Joan. Apostol. in suis epistolis, immò, & tota Scriptura.

Quartò: Rationem, quare simile hoc præceptum dicatur primo cum omni proprietate, assignat Hilar. *in Math. hoc loco*, altius tendens; sensum ejus non verbi damus: nam sicut jam superius meminimus. Primus inter omnes proximos nostros est Christus, qui formam servi accepit, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo, verus scilicet Deus, & verus homo, qui quod erat permansit, & quod non erat assumpsit, omninò similis Patri per divinam naturam, & simpliciter similis nobis per humanam: nemini autem magis propriè convenit ratio proximi nostri, quam ei, qui fecit nobiscum misericordiam suam, factus pro nobis reconciliatio nostra, redemptio, & pretium, ipseque caput nostrum, quo planè nihil toti corpori potest esse proximius; ad hunc ergo proximum potissimum respiciens hoc præceptum, verè dicitur secundum; secunda enim ipse est in Trinitate Persona, & se se humiliavit in inferiores partes terræ, ut esset novissimus virorum, omnibusque secundus, & quoad hoc, secundum hoc præceptum est verè simile primò; ita ut idem officii, & meriti sit in utroque, inquit Hilarius, quia cum diligimus Christum, diligimus etiam Patrem, & Spiritum Sanctum, neque enim aut Dei sine Christo, aut Christi, sine Deo potest utilis esse dilectio.

Quintò resolvit Abulensis, omninò ad litteram, hoc loco Math. qu. 328. dicendum ita, quia vocatur simile primo, idest in actu, nam primum de dilectione est, & etiam secundum, & ista est intentio Christi, ut non putaretur illud præceptum esse alterius generis actus; & quæ alii dicunt, ad hactenus notatas considerationes reducuntur.

Ex his facilè constat, ad rationes illas dubitandi, sive potius cavillationes quas ideò adduximus, non quia sint alicujus momenti, sed quia ab aliquo, qui magis ingenio pollet, quam pietate, aliquando eas audivimus, & fortè audiri ex similibus poterunt; dicimus ergo ad primum, quod Deus est etiam summum ens, & omnibus modis maximus, & tamen homo est a Deo factus ad similitudinem suam, ergo, & maximum præceptum potest habere simile, immò facilius est invenire simile ei, quod est perfectius, quam rei, quæ sit minima,

A in re enim majori, plures dantur perfectiones, quarum aliqua participata in inferiori, similitudinem aliquam ostendat cum aliqua reperta fontaliter in majori, res autem minima, vix, nisi in alio minimo habet similitudinem sui, quæ quia minima, vix possit considerari, sed & nos supra eum Abulensi ostendimus, in quo hoc secundum præceptum sit simile primo; & insuper, ea omnia, quæ adducuntur, simili ratione corruunt, quia videlicet accipiunt simile pro eodem in omni ratione, sicque se destruunt, si enim adesset totalis paritas, vel identitas, non esset locus similitudini, quæ cum sit fundamentum relativę oppositionis, de necessitate debet esse inter plura.

Ad secundum, ad abundantiam dicimus, similitudinem horum præceptorum esse, quod in eo-
B dem genere amoris versantur, & ut dicantur similia, satis esse, quod sicut primum est totale, quia est ad summum bonum, ita secundum sit cum mensura, quia respicit bonum participatum.

Ad tertium dicimus, hoc præceptum esse supernaturale, ut in eodem ordine, sicut nos ipsos diligimus, ita, & alios diligamus; & quidem potest amor, quo quis diligit se ipsum, etiam in ordine supernaturali esse mensura dilectionis alterius in eodem ordine, quia in ipso etiam plus homo diligit se ipsum, quam alios. Gratia enim perficit naturam, & elevat ad suum finem, ideò magis inclinat hominem ad diligendum se ipsum etiam supernaturaliter, quam cæteros, quia recipitur in proprio hujus hominis supposito, quæ
C est Doctrina Angelici, quam sepè notant, & semper servant nostri Patres Salmaticenses in tractatu de beatitudine, & in eo de gratia, & alibi passim.

His fractis cavillis, antequam ulterius procedamus, negligenda non est consequentia, quæ saltem obiter, nostrum monet obsequium. Ex eo enim, quod in quarta ratione observavimus, nempe hoc secundum præceptum nos specialiter, & principaliter ducere ad dilectionem suavissimam Christi Domini, in quo relucet per prius, & notabilius ratio proximi nostri, qui cum esset Deus, a quo infinitè distamus, infinitam hanc superavit, infinito amore suo distantiam, & Divinę Personę humanam copulavit naturam, ut jam de eo verè dicamus,
D quia caro, & frater noster est, eoque proximior factus est nobis, quo majorem in nos peccatores fecit misericordiam: ex hoc inquam sequitur, Beatissimam Virginem in hoc ordine diligendorum, juxta hoc præceptum esse post Christum Dominum primam proximam nostram, veram matrem primi proximi nostri, Dei, & hominis, in qua & facta, & celebrata est divina ad nos proximitas, & ineffabilis misericordia, quæque propterea antonomasticè dicitur Mater Misericordiæ, ab hac siquidem divina progenie in humanis, quæ illius est, ortum habuit, quòd vel ipsa cecinit: fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen ejus, & misericordia ejus a progenie in progenies: verè Samaritano melior ipsa, ac magis misericors, de nobis vulneratis, & expoliatis in via, maternam verè curam egit, in hoc ipso quod fuit Dei Mater,

qui

qui nos redemit, eique sanguinem dedit, quo tamquam pretio nostro, pro nobis soluto a Filio suo, ad divinam resurgeremus vitam, in quo ipso, & Mater Dei hominis, & divinorum fuit simul hominum omnium; qui propterea, per totam æternitatem ei gratias agent, tamquam suæ Redemptionis, & beatitudinis fonti, Matri, ac Mari gratiarum omnium immenso; ea est, quæ ut servos liberaret, se se Domini, cujus Mater erat, declaravit ancillam; & in hoc ipso, nedum Dei, sed & omnium hominum ad salutem condiendam, se se fecit ancillam, ne in aliquo ratio proximæ nostræ in ea deficeret; quia enim nos servi eramus, ipsa Ancilla fuit. Pater æternus in hoc nobis approximare dignatus est, quia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, Filium suum Unigenitum dedit, qui tamen nihilominus semper fuit, apud ipsum, est, & erit Filius suus. Sed & hanc rationem proximitatis ad nos æmulata est amantissima Virgo, & propriis quidem impensis: Nam propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, sub cruce Filii sui, passa est sibi Filium auferri, modo ut nos Filios faceret Dei, passa est inquam, sibi filium auferri, cum Joanne signato, a moriente pro nobis Jesu Filio suo, dictum est ei: Mulier ecce Filius tuus; passa inquam est, sibi Filium, ideoque & Matrem auferri, vel saltem denominationem interrumpi: moriente siquidem Filio, in naturalibus cessat relatio maternitatis, quæ tamen interrupta quidem fuit in Virgine, quoad extrinsecam denominationem, non quoad realitatem, tum quia moriebatur Filius ejus statim resurrecturus, tum quia suppositum Filii sui erat æternum, & idem ipse ex ea genitus fuit, idem post resurrectionem, qui antea erat nulla mediante naturali generatione, vel maternitate, divina enim, quæ semper eadem fuit, est Paternitas. Hæc igitur in summo, & primo gradu, est verissimè proxima nostra, & plusquam Mater; nihil enim nasci nobis profuit, nisi redimi profuisset. Ad hanc igitur specialissimo diligendam, venerandam, adorandam amore, præcepto hoc fælicissimè cogimur, & quoad hanc, sicut nullus ea similior Deo Filio suo, ita in omni sui parte hoc præceptum secundum, omni alio præcepto similius est illi primo.

Sed simul dictis obiicies, & eisdem excitatus, quæres, an Beatissima Virgo, potius primo diligenda, sit ex præcepto, quam ex secundo, an ex utroque, an quodam tertio? hæc enim singula, & probari possunt, & aliqualiter impugnari.

Quod spectet ad primum ostenditur: quamvis enim Deus non sit, quia tamen eam Deus super omnes creaturas suas dilexit, super earum omnium ordines elevavit, & infinitus, in ea quodammodo sibi terminum fecit, dignamque se matrem fecit, & ex ea humanitatem assumpsit, ut jure naturæ ipsi subditus esse posset; talemque constituit, ut ejus dignitas ab eo solum, qui Deum comprehendat, possit attingi, ergo cum ex principiis Angelici, tanto quis melior sit, quanto propinquius accedit ad optimum, ipsa in linea boni, melior est omni bono creato, per accessum ad summum bonum, eodem igitur præcepto diligenda est, quo diligitur Deus; cum enim sumus in via peregrinantes a Domino, hic non concipimus Deum, prout est in se, sed ut summum bonum superius omni bono, & ita concipimus perfectionem Dei Matris, ut quid superius omni bono creato, ergo eodem etiam præcepto diligemus, non illo, quo diligimus nobis notos consimiles, & concives hujus vitæ, quos juvare, & ad invicem ab ipsis juvari possumus, in miseriis nostris.

Secundo quis audeat dicere, teneor diligere Beatam Virginem tantum, sicut me ipsum? oh quam vilis hæc esset mensura! quasi verò non esset homo pulvis, & Filius hominis vermis. Si amare idem est, ac velle bonum ei quem amamus; amare alterum sicut seipsum, est illi velle bonum, quod nobis optamus: porrò quis audeat sibi desiderare aut Patrem, aut proportione servatâ Matrem Dei esse, ut sic Dei Matrem diligat sicut se ipsum. In peccatis concepit nos Mater nostra: ipsa Immaculata. Nos semper clamamus, dimitte nobis debita nostra, ipsa canit, fecit mihi magna qui potens est, & magnificat anima mea Dominum; denique ipsa est, quæ sibi nec similem visa est, nec habere sequentem; ubi ergo proportio vel minima, ut eam quis diligat sicut se ipsum?

Jam igitur quid dicemus? primò præcepto jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus, quid superest nobis, ut eo diligamus, & Virginem juxta idem præceptum; assimilavit quidem ipsa sibi Deum, quæ eum genuit hominem, & humilis Ancilla, eum peperit, qui humiliavit se ipsum usque ad mortem, ex charitate sua; ut autem primo præcepto diligenda esset, opus fuisset, ut è converso, Deus ipsam verè faceret Deum, quod implicat in terminis ex omni parte, nec concipi potest ullo modo.

Dices, nonne suprà, ex Hilario statuimus, Christum ipsum Deum, & hominem diligendum a nobis specialiter hoc secundo præcepto, uti primum ac specialissimum proximum nostrum? ergo & idipsum concedere debemus de Beatissima Virgine, è converso.

Respon. ex Hilario conclusum esse, utroque præcepto diligendum esse Christum, quia inquit, nec Dei sine Christo, nec Christi sine Deo potest utilis esse dilectio, par tamen ratio positivè non probat de Beatissima Virgine, ut evidens est: sic diligendo Christum non coarctatur amor ad hanc mensuram, ut quis eum diligat sicut se ipsum, sed eo trahitur, quo ducit primum præceptum, ut ex toto corde &c. eum diligamus. Ad hoc autem cum Beatissima Virgo non sit Deus, difficile est, quod dilectionis ejus præceptum nos dirigat.

Sed pace dubitantium dictum sit, neg. suppositum questionis hujus, procedit enim quasi dividens in ratione diligibilis, Christum à Beatissima Virgine, nam sicut Patrem sine Filio, aut utrumque sine Spiritu Sancto, videre nemo potest, ut celeberimè concludunt ex Angelico, prima parte, Patres nostri Salmaticenses de visione Dei, disp. 7. d. 2. Ita nec diligere quis Filium sine Patre, & è converso potiori ratione convincitur, cum voluntas

luntas non sit præcisiva, & bonum tale esse non possit, nisi perfectum, & completum, ita nec quis diliget Filium Virginis, sine Virgine Matre, ergo eadem ratione, eodemque ex præcepto jubetur dilectio Christi, & Beatissimæ Virginis; si non est separabilis in ratione boni, ideòque & diligibilis in Christo, ab humanitate divinitas, quippe bonum ut tale, est existens, & existentia in Christo est existentia Dei, sicut & subsistentia, illa enim non solum ista convenit Personæ, & ipsius propriissima esse debet, ita nec separabile est in Virgine Matre, quod sit Mater hominis, ab hoc quod sit Mater Dei, sola enim natura, nec concipitur, nec nascitur, sed suppositum existens, & ratione ejus, ut quod sumpti, & in concreto, natura, vel naturæ, ergo in ratione diligibilis, quæ sumitur, ut perfecta, & completa, involuit diligibilitas Matris Dei, respectum ad Filium Deum, ejusque supra meritum reflectit, ut & de hoc verificetur; non diligitur Christus Deus homo, Filius Virginis, nisi ad Matrem tendat respectus, & cum respectu affectus, nec diligitur Mater Dei hominis, nisi utrumque contingat dilectio ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris. Et certè hoc ipsum docuit eadem Sapientissima Virgo, quæ licet humilima, tamen æquè, & veracissima cecinit, quia respexit nihilitatem Ancillæ suæ; nihil enim non est amabile, ideò se a propria Maternitate, estatica quadam humilitate prescindens, se nihil dixit esse, ex proprio, ut tota realitas, bonitas, amabilitas ipsius, ea tantum esse credatur, quam ipsi ex propriis fecit Filius ejus, homo Deus, de quo subdit, fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum, idest summè bonum, summè amabile est nomen ejus; quod nomen? nempe nomen Filii, Filii mei, Filii Dei, qui propterea in Evangelio, se singulariter sic nominabat, scilicet Filius hominis, quòd ut alibi vidimus, idem est ac Filius Virginis, Filius siquidem non Virginis, est Filius hominum, & solus Virginis Filius, est Filius hominis. Ecquis audeat dubitare? qui eam fecit sic amabilem, eam certè voluit sic amari; Qui ipsi se donavit Filium, quomodo etiam cum se ipso, non omnia ei donavit, diceret Apostolus? qui constituit eam Dominam Domini sui, ac propterea ipsa eum, quem genuit, adoravit, & iterum idem ipse ab ea adoratus, erat subditus illi, numquid se diligi pateretur toto corde, ab eo qui Matrem suam toto corde non diligeret, ubi illam eamdem, idem ipse toto corde dilexit? miraris, si audis, Deus Virginem toto corde dilexit; at non miratur, qui verè credit fidelis: medium est cor, in quo vita; medius est in Trinitate Filius Dei, in quo vita erat, & vita erat. Dedit ei Deus Filium suum sub eodem munere veri Filii, ergo ei cor dedit, & toto sic eam corde dilexit, toto, inquam corde, quia nedum Pater dedit ei cor, Filium suum, sed & ipse Filius dedit ei se ipsum in Filium; & Spiritus Sanctus, qui Deus, Dei amor est, eidem Filiationem Virginis, & corpus aptavit: Toto ergo Deo, Deus Mariam dilexit, ut plus dilectionis concipi nequeat, quam Virgini dare, ut sic conciperet

A ret toto Deo diligente, & donante cor Dei, Deum, Filium Dei.

Ast quorsum ista? ecce ut nempe colligamus, quo præcepto, quo amore Mariam diligamus: sic enim ait, eam fortè respiciens Filius ejus Joann. cap. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: ac si diceret: imitatores mei estote, ut alibi inquit, estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est, & sicut ego dilexi vos, invicem vos diligite, ergo sicut Pater meus dilexit Mariam Matrem meam, sicut ego eandem dilexi, & Spiritus Sanctus supervenit super eam, & vos eam diligite, & quia tota Trinitas eam toto corde dilexit, & vos eam diligite toto corde, tota anima, omni mente, omni salute vestra, ipsa enim vestri Mater est dilectissima

B Salvatoris: constat ergo Beatissimam Virginem diligendam esse, & secundo quidem præcepto, quia proxima nostra, speciali modo, & primo, quia vera Dei Mater, & ab eo dilectissima toto corde, omnique potentia, & fortitudine: sicut de Deo dicitur nobis in Deuteronom. diliges Dominum Deum tuum &c., & ex tota fortitudine tua; omni siquidem potentia dilexit eam Deus, quia eam sibi elegit veram Matrem quod videbatur hominibus impossibile, & adhuc factum, est ineffabile, & sic ipsa cecinit, fecit mihi magna qui potens est, tota fortitudine, quia ut hoc innueret, eidem hoc ipsum annunciavit per Gabrielem, qui dicitur fortitudo Dei: diligenda sic ergo a nobis, proportione servata, sicut Deus dilexit illam, Deus qui-

C dem sibi eam Matrem constituendo, nos eam nobis Matrem agnoscendo, venerando, invocando, acceptando misericordiæ ejus viscera, in quibus nos genuit, & visitat, & vivificat, respiciens ad nos semper ex alto, immò & altissimo gloriæ suæ trono, Virgo potens, Mater misericordiæ, Refugium Sanctorum, & peccatorum: nec videatur inconsequens, si additum sit, diligendam nobis esse secundo etiam præcepto, respectu enim ad ipsam tale præceptum, non indicat nobis, ut diligamus eam sicut nos ipsos, cui nos ipsos debemus, non explicatur in hoc mensura, sed causalitas, est que hic sensus: diliges Virginem sicut te ipsum, hoc est nisi diligis Virginem, unde omne bonum tuum, non diligis te ipsum: nisi ipsi te totum devoveas, te tollis a te ipso, qui hoc solum a Filio ejus Re-

D demptore tuo obtinebis, quod per manus pietatis ejus, ipse ad te derivabit; ut testatur sæpè Bernardus.

Quod si nec adhuc plenè quiescis, audi Legislatorem explicantem præceptum suum: inquit enim Christus, Joan. cap. 15. post allegata verba præcepti, sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos; qui enim dixerat: hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, explicat qualiter ipse dilexerit eos, nempe sicut Pater ejus dilexit eum, ex quo legitimè infertur: diligite vos invicem, sicut Pater meus dilexit me, ergo & Matrem Dei diligere debemus, sicut Pater æternus dilexit eam, quia sic dilexit eam, ut Filiam, cui ut Filiæ suæ ipsum Filium tuum dedit, ergo cum similes comparationes, sicut & gratiæ, in sola

Virgine

Virgine singulariter locum habeant; singularem quemdam dilectionis modum explicant ei a nobis deberi, ex præcepto, utinam & ex necessitate exequeremur.

Si autem quæras, quis sit hic singularis modus dilectionis, quam Virgini Sanctissimæ debemus. Respon. quod quamvis ex dictis satis pro modulo nostro, eum explicare conati simus, quòd utinam simus affecuti, addere breviſſimè aliud quid non incongruit, dicimus igitur quod sicuti Deo soli, ut Creatori debetur latria; sanctis verò quatenus dominium aliquod a Deo participant, sive superioritatem, quod maximè in eo splendet, quod dominati sunt sibi, debetur dulia, at Beatiſſimæ Virgini, debetur specialis quædam adoratio, uti Matri Dei, juxtà communem Theologorum sententiam, quam supponit, & concedit Angelicus Doctor 22. quæst. 103. articulo 3. quæ est inferior quidem latrii, sed superior dulia, ipsaque dicitur hyperdulia, ità proportione servata, quamvis eadem charitate diligamus Deum, & Beatiſſimam Virginem, & proximos, quia ratio diligendi hęc plura est unica, scilicet divina bonitas, quæ est formale charitatis objectum (sicut eadem Religionis virtute colimus Deum, & Beatiſſimam Virginem, & Sanctos) diversimodè tamen, & in diverso gradu participata eadem divina bonitas respiciens Beatiſſimam Dei Matrem, specialem erga eam exigit dilectionem, quæ divinam non adæquat, sed longe superat eam, quam proximis debemus; quantam verò ei debeamus, non est assignabile arithmeticè, quia sicut divina Maternitas est dignitatis infinitæ, ut notum est in omni Schola, ac potiſſimum Thomistica, ita debitum amoris appretiativi, quo ei tenemur, non habet limitem, quia ratio talis debiti, mensurabilis tantum est cum proximitate, quam habet Mater Dei ad Deum. Et quidem hęc omnia minus sunt justo, sed de hoc ipso, in imbecillitate nostra gloriamur, sic enim constat, ab hominis ingenio, quantumvis conemur, meritorum ipsius verticem semper fugere, in imperiingibilem sublimitatem, ipsam tamen acceptare Filiorum suorum desideria, cujus humilitas sola, tantam adæquat dignitatem; ipsa enim est, quæ ad summum exaltata Maternitatis Divinæ fastigium, cum non haberet quo amplius ascenderet, descendit, & omnium Imperatori se gloriata fuit Ancillam, ipsique Deo Filio suo, non minus humilitatem ministravit, quam humanitatem, qui talis Filius, talis Ancillæ humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen super omne nomen, Jesu videlicet, quòd ipsemet Jesus, ut supra vidimus interpretatus est, Filius hominis, nempe Filius Virginis. Tantæ ergo Matris tanti Filii, & nos ejusdem gratia, & miseratione filioli, ut eam etiam silendo laudemus, cum magno Leo. ne sentiamus, bonum nobis esse, quod vincimur, & in ejus laude succumbimus, & cum Bernardo concludamus: totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, Mariam hanc diligamus, veneremur, invocemus, quia sic (ecce præceptum dilectionis Mariæ) est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Utinam sic

A omnes, utinam sic perfectè, in via, in patria, in æternum; fiat, fiat.

ARTICULUS VIII.

Duas breviter resolvens quæstiunculas, ad tractatus complementum.

QUI & primum, & ultimum, ut omnia media comprehenderemus meditari proposuimus præceptum, audimus jam, qui nos sistit: primum quidem pœnitentiæ fuiſſe præceptum ex initio novimus prædicationis Christi, cui nequid prius apparere posset prælusit Præcursor, qui tamquam vox, illud intonuit, quod Verbum mox præcepit, dicens, pœnitentiam agite, appropin-

B pinquavit enim in vos regnum Cœlorum, qua ratione verò charitatis præceptum, sit Evangelii noviſſimum, non facilè apparet; postquam enim Pharisæo Legis Doctori Christus respondit, quòd usque modo innuimus, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c., & proximum tuum sicut te ipsum, adhuc plura idem Christus & docuit, & præcepit, quin immò hoc ipsum recitavit tamquam legis præceptum, non expresſè ut Evangelium.

Sed hæc levia sunt, immò ex hoc, quod tunc recitaverit tale pręceptum, ut ex lege, proprium Christi pręceptum quęrentes, invenięmus: Joan. cap. 15. hoc est pręceptum meum, inquit, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, & eodem capite.

C Hęc mando vobis, ut diligatis invicem, qui est noviſſimus locus, ubi aliquid pręcipiat Christus, in forma pręcepti. Sed etiam tempus attendendo, noviſſimum est, nam prope mortem, quod tempus est testandi, & aperiendi ultimam voluntatem suam, in ultima cœna instituto jam Sanctiſſimo vitę, ac mortis viatico, postquam lavit pedes Discipulorum suorum, conclusit omnia, dicens: mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, & replicavit, ut & vos diligatis invicem; In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, Joan. cap. 13., & quod prosequitur idem Joannes, usque ad Passionem Christi, totum fermè commendatio, & innovatio est ejusdem mandati. Sed ex hoc oritur quęstio, quia, quamvis noviſſimè hoc

D est in fine vitę, Hoc pręceptum intimaverit Christus, novum non videbatur, cum & prius in lege antiquiſſimum esset, & in tota Christi prędicatione insinuatum, & facto, & dicto, immò ante legem scriptam insitum esset rationali naturę, a creatione Adę, ideoque damnatus Cain, quia illius primus fuerat crudelis transgreſſor, secundo, quomodo novum, si nihil sub sole novum, inquit Ecclesiastes, & ipsum, quod faciendum est, ipsum jam factum est, & pręceſſit. Alia etiam, quę novitatem hanc offuscant, opponi possent, sed brevitas obviat, & clamat finis tractatus.

Dicendum verò est, hoc mandatum, quòd noviſſimè intimavit Christus propriiſſimè dici, & esse novum; propter multas easque efficaces rationes.

Primò,

Primò, quia novum semper est inclinationi humanæ, quæ semper tendit ad bonum proprium, & commodum, illud quandoque postponere bono aliorum; est enim præceptum hoc supernaturale, & ideò superans naturam, ait enim Christus, ut diligatis invicem sicut dilexi vos; ita ait, qui posuit animam suam pro ovibus suis, per cujus sanguinem reconciliati sumus Deo.

Secundò, quia per hoc ablata est vetustas litteræ, quæ occidit, per novitatem spiritus qui vivificat; si autem vivificat, facit renasci, quòd est esse maximè novum, *ut serviamus Deo in novitate spiritus, non in vetustate litteræ*, ait Apostol. *ad Roman. cap.* 7., & ideo postquam Christus hoc mandatum indixit, promisit spiritum Sanctum, indeque Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: quæ omnia licet prædicta per Joelem, aliosque Prophetas ut futura, numquam tamen visa fuerant, ideò & novissima, & multò magis nova fuerunt.

Tertiò, quia diligi omnibus placet; præceptum ergo, quo diligimur ab omnibus, omnibus placet, & quod simul omnes diligamus, omnibus placere debet, notum est enim, si vis amari ama; constat autem, quod omnia nova placent, & quæ verè placent, nova sunt; ideò mandatum hoc antonomasticè dicitur, novum.

Quartò, novum; dicitur, ut quoties meminerimus talis mandati, ac si tunc inciperet, illud exequamur, & quia numquam satis impletur, semper exigit implementum, & sicut æternitas semper nova est, quia numquam patitur, ex sua duratione defectum, semper novum hoc est mandatum, cui ex hoc quod jam fuerit, nihil deperit vigoris ad obligationem.

Quinto, novum; etsi enim, mandatum dilectionis proximi, absolutè præcesserit ab initio rationalis creaturæ, tamen quoad mensuram, & rationem ipsi præfixam, præcedere non potuit Christum, ait autem, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. Inaudita planè, & divinæ magna insinuatio charitatis, omnino nova; nemo enim alterum umquam sic dilexerat, sicut Christus omnes, nemo amorem suum ità impendit, ut pro mercede requireret, quod dilecti sui, invicem se ipsos simili amore diligerent, & ex hoc intelligerent, quantum ipse, qui taliter amavit, deberet ipse amari, & iterum redamari in se, & in suis, amore semper directo, & indivisibiliter semper reflexo, super primum diligentem, super dilectos, & rediligentes; quid magis novum? & quidem quia de Christo inquit Apostolus, Christus heri, & hodie, & in æternum, & sine amore Christus esse non potest, in quo requievit Spiritus Sanctus, qui ex ipso ac Patre procedit, ideò si amor ejus in hoc mandato præfigitur ad nostri mensuram, etiam mutuus amor noster debet, & semper fuisse, & futurus esse, & semper præsens esse, sicque omninò novus, hanc in mandatum refundens novitatem, vel a mandato recipiens, quę omnia nova sunt.

Sextò, quamvis omnia mandata, id implicitè jubeant de se ipsis, ex hoc ipso, quod sunt man-

A data, ut non violentur; ut tamen noscamus hoc maximè super omnia præceptum interesse, ad Legislatoris intentum, & salutem nostram, in eo intensissimè præcipitur, ut omninò servetur, & intactum conservetur, & in nullo, a nullo lædatur, quod divino modo, in hac solum expressione intimatur, cum dicitur, mandatum novum; nempe in hoc præcipuè mandatur servanda semper novitas, ideſt ut numquam frangatur, aut violetur, quod vetustis in rebus frequenti usu evenire consuevit, sed semper illibatum, & omninò novum, sicut acceptum est, conservetur, immaculata videlicet, & numquam interrupta ipsius observantia.

Septimò, novum verè, & omni jure dicitur hoc mandatum, videlicet non est illud veteris Testa-

B menti, sed novi, in quo Christus moriens, ut valeret Testamentum, legavit omnibus amabilitatem suam, sicut & redemptionem, & pretium beatitudinis, sanguinem suum, ut & universalis ratio diligendi omnes, & singulos, esset ipsius amabilitas tanta, quantus fuit ejus amor, si tantitatem habet infinitus amor; ut quisque & se diligens, diligeret in se Christum, & alium quemcumque diligens, in eo diligeret Christum, & amorem ipsius, qui quia infinitus est numquam exhauritur, aut finitur, ideò semper novus, semper novi nova hæreditas Testamenti; & hic est sensus proprius, & explicatio ipsius testatoris, qui statim subdidit; in hoc cognoscent omnes, quod mei estis, ideſt a me redempti Filii, & hæredes, si dilexeri-

C tis ad invicem. Hæc est novitas mandati, novitasque mandantis, de quo ait Gregor. *hom.* 32. *in Evangelia, quia Dominus*, inquit, *ac Redemptor noster, novus homo venit in mundum, nova precepta dedit mundo*, & quia omnia præcepta ejus in uno hoc colliguntur; ideò tota novitas in hoc unum redacta est, ipsumque solum, ab ipso noncupatum est, *mandatum novum*.

Octavò, ne studium nostrum, ubi agitur de amore, sicut Augustinus docet, langueſcat, cum ipso concludimus, ex tract. 65. in Joannem. *Nonne*, inquit, *in antiqua lege Dei, jam hoc erat mandatum, ubi scriptum est, diliges proximum tuum, sicut te ipsum; cur ergo novum mandatum appelletur a Domino; an quia exuto vetere induit nos novum hominem? innovat quippe audientem, vel potius obe-*

D *dientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus, ut a carnali dilectione distingueret; addidit, sicut ego dilexi vos, non sicut se diligunt, qui corrumpuntur, nec sicut se diligunt homines, quia homines sunt, sed sicut se diligunt, qui Dei sunt, & Filii Altissimi omnes, ut sint Filio unico fratres, ex dilectione diligentes invicem, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem, ubi satiabitur in bonis omne desiderium*. Ita Sapientissimus Augustinus, cui proinde nihil addendum; quamvis enim plures causas hujus novitatis adducat Alapide hoc loco, & etiam prima Joann. epistola, cap. 2. nobis hactenus allatæ sufficiunt, ne conquerente brevitate, transcribamus aliena, quæ omnibus in promptu sunt, & positis, quas explicuimus, veritati vix robur adiiciunt.

Ad

Ad ea, quæ primo loco obstare videbantur, jam satis superque respondent octo rationes recensitæ. Ad illud verò, quòd ait Ecclesiastes, nihil sub sole novum, primò dicimus, apertè textum illum procedere de contingentibus, sibique succedentibus, quæ quodam circulo semper innovantur, & veterascunt, ideò violenter ad alia transitur, maximè præcepta Evangelii, aliter, si omninò universaliter tale dictum intelligeretur, nec posset dici novum Testamentum, nec verum esset, quòd ait Hieremias, novum fecit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum: hoc tamen notabile, ex illo loco, quod tria specialiter, dumtaxat, nova dici possunt; novum Testamentum, quòd est lex amoris, ideoque & præceptum novum amoris condidit; nova Mater simul, & Virgo, Mater hominis Dei, ipseque Filius ejus, qui nedum novus, in omnibus, sed in hoc magis, quia fuit novissimus virorum, ut eum appellavit Isaias, verè novus, de quo propterea jure dictum est, vir oriens nomen ejus, quia semper oritur, semper generatur a Patre Filius Deus, semel a Matre homo Deus. Tertium novum est, eucharisticum miraculum semper novum, & ineffabile, quòd proinde, cum institutum fuit a Christo, tamquam amoris insuperabilis excessus, in eadem cœna, ejusdem institutio conjuncta fuit, cum institutione novi mandati amoris mutui, sic enim cum dilexisset suos, in hac utraque institutione in finem inexcessibili amore dilexit eos, sed hæc omnia supernaturalia sunt, & superant solem, ideò non sunt sub sole nova, sed de hoc loco Ecclesiastæ sermo erit, cum de regulis agemus, ideò pro nunc satis.

Remanet nunc quæstiuncula respiciens utrumque charitatis præceptum, qua videlicet ratione verum sit, sive quomodo intelligendum, quòd ait Christus Matthæi loco superius citato, cum posito utroque præcepto subdidit; in his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.

Respondetur, ad hoc satis constare ex dictis in principio hujus exiguæ tractationis de charitatis præcepto, ne tamen hinc Jejunus Lector recedat; breviter dicimus, quòd ubi plura sunt propter unum, ibi est tantum unum, ut sæpè Angelic. Doctor, tamquam axioma producit, cum autem lex, & Prophetæ fuerint propter novum Testamentum, ipsumque & illa propter Christum, qui est finis legis, accipiendo legem pro tota Scriptura, ut alibi suo loco ostendimus, ipseque Christus legem amoris uti propriam, & finem omnium aliorum statuerit, jam omnia ordinata ad amorem, & ad ejus præceptum, jam omnia sunt hoc solum, quod sapientissimè explicatur, in hoc quod dicit, in his duobus præceptis, amoris videlicet Dei, & proximi, universa lex pendet & Prophetæ; cum enim a fine pendeat id, quòd est propter finem, jam ab hoc præcepto omnia pendent, quia sunt propter ipsum. Pendet inquit, quia tale præceptum expectat, ut in ipso firmetur, & amplius non pendeat: vel pendet, quia omnis existimatio, sive gratia, & decor omnium præceptorum, & singulorum tanti est quantum appropinquat ad præceptum amoris tamquam ad mensuram suæ moralitatis; vel in his duobus pendet tamquam ornamentum, vel aliquid descendens ab ipsis; velut a fonte, & radice, simul & fructu notat D. Augustin. *de qq. Evangel. lib. 1. cap. 33.* explicat. *Pendet*, dixit *idest illuc referuntur, ubi habent finem*, & subdit Raban. ad hunc locum. *Ad duo enim hæc præcepta pertinet totus Decalogus; Præcepta quidem primæ tabulæ ad dilectionem Dei; præcepta secundæ, ad dilectionem proximi.* At Origenes in tabula aurea Divi Thomæ ad hunc locum, sic intelligit; *quia, qui omnia impleverit, quæ scripta sunt de Dei dilectione, & proximi, dignus est magnas gratias a Deo percipere, ut intelligat omnem legem, & Prophetas.* Nec displicet, si ad tempus illud præcipuè, quo hoc dicebat Christus, id referas; tunc enim verè pendebat universa lex, & Prophetæ, quia hæc quoad vetustatem suam, jam cedebant novo huic præcepto, in quo innovabatur tota vis legis, & quia nondum dixerat Christus de novo suo Testamento, consumatum est, nec id præstiterat per charitatem suam, propter quam tradidit semetipsum pro nobis in cruce pendens, ideò in illo præcepto pendebant tunc lex, & Prophetæ, quia tale præceptum ab ipso nondum erat perfectissimo impletum exemplo, quod Prophetæ prædixerant, & ad quod tota vetus lex suspirabat. Denique id addi potest, quod qui dixerat de se ipso, non veni legem solvere, sed adimplere, id & verbo nunc ostendit, reducendo omnem legem ad hoc præceptum, & facto, hoc exequendo; Sic enim conqueri non poterant Judæi se cogi per legem novam, a *Moyse* discedere; præceptum enim hujus legis, quod est charitatis, in se uno totam legem, sive per Moysem publicatam, sive per Prophetas commendatam, & defensam continebat, perficiebat, & consumabat, & id quidem non occultè, sed ut omnibus volentibus intueri, apertè constabat, nam quod pendet in alio, si pendet, apparet, non celatur, ideò dictum est, in his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ, sicque quiescere debebant, quia in his ipsis duobus præceptis observatis, adhuc tota lex, & Prophetæ observari constaret. Alia plura, quæ subdi possent, brevitati donamus; in his enim, quæ hactenus, & in præsenti articulo, & tota hac tractatione de præcepto charitatis obtulimus, continentur; & tota moralis bonitas Sacræ Scripturæ descripta est; in his enim charitatis præceptis, si tota lex pendet, & Prophetæ, pendet, idest consumatur, etiam eorum doctrina moralis, quæ in utroque Testamento continentur.

TRACTATUS IX.

DE NONA COGNITIONE SACRÆ SCRIPTURÆ, PER EJUS UNITATEM.

QUI non intelligit unum, nihil intelligit; inquit Philos. 4. Metap. ex quo D. Thomas qu. 21. de veritate, articulo 3. in corp. infert, unumquodque intantum intelligibile esse, in quantum est unum; nihil ergò proficies ad intelligentiam Scripturarum, qui earum non intelligit unitatem, oportet itaque, ne quod præcipuum est negligimus, ejus unitatem, ad cujus intelligentiam tendimus, diligentius perscrutemur.

CAPUT I.

De intima unitate Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

De unitate, & multis modis unitatis generaliter.

UNum, est indivisum in se, & divisum a quolibet alio, secundum Philosoph. 4. Metaph. cap. 3. unde quærunt Doctores in metaphis. an unitas consistat in positivo, an in negativo, aliaque scitu digna ab ejus scientiæ, vel potius naturalis sapientiæ Professoribus, quæ nos veluti conclusa supponimus, in via D. Thomæ, in qua tuti, & fortes, contrà omnem falsitatem persistentes, de veritate, quam Deus firmavit, gloriamur.

Importat igitur unitas per se primò, positivam rationem indivisi in se, quę cum ente convertitur, cui addit negationem, alterius esse, scilicet esse divisum a quolibet alio; Inquit enim Angelicus. *Quod lib. 10. articulo primo ad tertium; in ratione unius est duplex negatio, scilicet negatio negationis, & negatio rei, in ratione autem multitudinis, est secunda negatio tantum.* Est utique prima ejus ratio, negatio negationis, quę exprimitur per indivisum, cum enim divisio sit quædam negatio, eam negare est negare negationem, quod secundum Philos. constituit conceptum positivi, ergo cum hoc sit primum in ratione unius, unde dicitur indivisum in se, utique constituitur per positivum; primum quippe quòd est in re, eam constituit, ergo ly divisum a quolibet alio, importat negationem, siquidem divisio, ut dictum est negationem dicit, cum sit merum non esse aliud, sive exclusio alterius esse, quæ negatio, cum ibi permaneat non negata, remanet in termino negationis; atque hæc est vera ratio unitatis, sive unius, secundum Divum Thomam, & Philos. quidquid dicant alii, nam si cum ente convertitur, sanè non potest non esse aliquid positivum; nam contradictoria non convertuntur, si ipsum ens secundum Angelicum, non est intelligibile, nisi in quantum est unum, unde intellectus non intelligit plura, ut plura, jam aliquid positivum importat, dicit, & exprimit; ne dicamus, quòd prima ratio intelligibilis ab intellectu sit negatio, atque ideò, quòd intellectus, qui intelligendo fit omnia, jam intelligendo fit nihil. Non tamen propterea dicimus, quòd unum superaddit enti aliquid reale, diversum ab ente, quòd est impossibile, ne unum sit entis ens, sed quòd ejus conceptus, & expressio primaria est positiva, cujus tamen esse reale, est realitas entis.

At verò quia ex sua potentialitate entia creata multiplicantur, & valde distantem, ac variam inter se sortiuntur diversitatem, etiam unitas, quę cum ente convertitur, multis dicitur modis. Partitur igitur Philosoph. loco citato, unum, in per se, & per accidens; hoc dicitur esse, quod constat ex pluribus entibus completis, & in actu, illud verò, quòd in se dicit proprium sibi competens esse completum, non divagando ad alia genera, vel species, vel individua, & explicabile est per unicam definitionem. Iterum etiam partitur; Nam aliud est unum continuatione, ut linea, & aqua, aliud colligatione, ut domus, & alia, quæ arte fiunt, aliud ratione formæ unius, aliud ratione materiæ, ut liquores. Aliud est unum numero, aliud tantum specie, aliud tantum genere, de quibus fusè Metaphisici disputant. Sed & alios modos unitatis reperimus in Doctrina Divi Thomæ, vel qui prædictos a Philos. traditos explicant, vel iterum eorum aliquem subdividunt, 3. p. qu. 2. articulo 1. Unum fit ex multis, tripliciter, scilicet ordine tantum, ordine, & compositione, & per commixtionem; & in 4. dist. 9. articulo primo, qu. 3., & alibi sæpè, ubi unum propter unum, ibi est tantum unum, quòd alias repetit etiam de pluribus; ubi plura sunt propter unum, ibi est tantum unum, quòd intelligitur quasi moraliter, ut communiter DD., & hæc est unitas finis, vel ordinis, & 1. p. qu. 11. art. primo. Unum dicitur dupliciter, scilicet unum, quòd est principium numeri, & unum quod convertitur cum ente, & 3. p. quæst. 3. articulo 6. Unum numero dicitur dupliciter, scilicet unum unitate naturæ, & unum unitate personæ; Opuscul. 42. Unitas est dupliciter, scilicet unitas realis, & unitas intentionis, & 1. p. qu. 11. articulo primo. Unum numero dicitur tripliciter, scilicet primo indivisibile in potentia, vel secundum quantitatem, vel secundum essentiam, vel secundum utrumque. Secundo indivisum in actu, & in potentia cum situ, ut punctus. Tertio, nihil importans nisi indivisionem, scilicet unitas,

unitas, quæ est principium numeri, quæ scilicet inhæret alteri, nempe suo subjecto. Deinde alibi sæpè distinguit inter unum, quod se habet per modum mensuræ, & illud, quod convertitur cum ente, ex quo fundamentum sumunt Nostri Patres Complutenses, asserendi distinctionem realem inter unitatem prædicamentalem, & quantitatem ipsam, cujus est unitas, ut inde deducant numerum prædicamentalem esse verum ens per se, & veram speciem quantitatis, In logica de prædicamento quantitatis, ubi etiam alia tradunt, quæ spectant ad notitiam unitatis.

ARTICULUS II.

An Sacra Scriptura sit una, & quo unitatis modo.

Omnibus ferè modis, quos modo recensuimus Sacram Scripturam unam esse, ex supra pertractatis dilucidè habetur, sumendo eam secundum varias considerationes; faciliter ergo rem hanc, quæ diffusam videtur exigere disputationem, paucis absolvemus; sed claritatis gratia per plures conclusiones procedemus.

Dicendum est primo, Sacram Scripturam unam esse, non plures: In hac conclusione consideramus Scripturam formaliter, prout eam definivimus, vel melius descripsimus, quòd est loqui de ejus unitate specifica.

Probatur, Sacra Scriptura hoc modo considerata, est vera fidei regula, ut omnes Catholici de fide tenent, & etiam hæretici, quamvis sibi contradicentes concedunt, at qui Catholica Fides est una, ergo & Scriptura Sacra una est. Major est de Fide, immò & de præsuppositis ad Fidem, quę supponere debet suum objectum formale quod, idque formatur per rationem formalem sub qua, scilicet divinam revelationem, quæ est ipsa Sacra Scriptura. Prob. minor. Fides Catholica concernit veritatem divinam, porrò veritas consistit in indivisibili, ut supra vidimus, quidquid enim privativè non est divina veritas, vel falsum est, vel nihil est, si autem darentur plures Fides verè tales, earum differentiæ deberent opponi privativè, sicque essent, & non essent veræ, quia essent, & non essent de veritate, ergo est essentialiter una Fides: Tum etiam, Ecclesia constituitur per Fidem, sed Ecclesia una est simpliciter, isque est Fidei articulus, in Symbolo Nicæno, unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, ergo etiam Fides una est. Major est certa ex definitione Ecclesiæ, minor est de Fide, patet consequ. nequit enim multiplicari constitutivum salva unitate constituti, ergo Sacra Scriptura essentialiter una est, quæ est, consequ. primi sillogismi, & constat à fortiori; regula, & mensura, ut talis debet esse maxime una, aliter regula esse non potest, cum ad ejus unitatem debeant regulata commensurari, & in ipsa uniri, ut lumine naturæ notum est.

Confirmatur ex Concilio Tridentino, sess. 4. supponit enim Concilium hanc Scripturæ unitatem, si enim unam tantum declarat authenticam

A ex tot versionibus, ex tanta diversitate, unamque tantum vult esse canonicam, ergo supponit ipsam secundum se unam esse, ideoque tanta utitur diligentia, & declaratione, ut ejus tueatur unitatem, sine qua ejusdem tueri non posset veritatem, nec Ecclesiam inconcussam, ab erroribus defendere.

Confirmatur secundò, si daretur alia Sacra Scriptura, vel esset divinitus revelata, vel non, si secundum, ergo non esset Sacra Scriptura. Hæc enim essentialiter est specialissimum opus Dei revelantis, si primum ergo esset eadem cum ista, Deus enim sibi nequit esse contrarius, nec aliud possumus imaginari, de ipsa hac Scriptura, quam habemus, nisi quod sit divinæ veritatis revelatio, quæ quodammodo continuatur cum divinæ mentis infallibili, & intimo ejusdem intellectus verbo, concep-
B tu, idea, ac veritate.

Confirmatur tertiò, divina Scriptura, secundum fidem est inexpugnabilis, & æterna, & ideò dicit Christus, cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, ergo est simpliciter una, scilicet indivisa in se, & consequenter divisa ab omni alia conceptibili in omni genere. Prima consequ. prob. immò eam probat Christus Dominus, omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, & Domus supra Domum cadet &c. unde infert, quod regnum Belzebub stare non potest, quia scilicet divisum est in se ipso, ergo regnum veritatis, in quo captivantur hominum intellectus in obsequium fidei, scilicet Sacra Scriptura ipsa, si divideretur, caderet, si ergo cadere non potest, dividi non
C potest, ergo simpliciter necessariò, & essentialiter una est, cum perire non possit, nec ulterius in hoc immorandum.

Sed dices, ubi est perfectum simpliciter, & imperfectum, non est eadem unitas specifica, sed in Sacra Scriptura testamentum vetus est quid imperfectum, novum autem est simpliciter eo perfectius, ut supra probatum est de bonitate Sacræ Scripturę, ergo: Major prob. perfectio simpliciter talis est perfectio essentiæ constitutæ, ergo imperfectum si caret tali perfectione caret constitutione essentiæ, ergo habet aliud esse.

Confirmatur: veritas Sac. Scripturæ pendet a tempore, ergo mutabilis est, & divisibilis, immò & divisa. Prob. ant. plures ejus prophetiæ impletæ sunt, aliæ autem implendæ, ita ut si istæ non
D implerentur, nulla esset veritas prædictionis, ergo pendet a tempore, & cum tempus sit contingens, & mutabilitatem inferat, jam sequitur consequentia, quod sit divisibilis, quia si non impleretur, divideretur a veritate impletorum prædictio non impleta, immò cum res ita se habeant, quod nunc aliqua sunt impleta, alia implenda, jam divisa est. Prophetia enim impleta vera est, quia impleta, alia verò implenda, est tantum vera in potentia, ideoque etiam falsa in potentia, cum res illa prædicta, ut contingens possit esse, & non esse, ergo cum veritas copulas in indivisibili, jam fit divisio, ita ut possit dici duplex Scriptura, alia vera, alia verificabilis.

Respon. quod si argumentum valeret, nullum daretur compositum physicum, quod esset unius

speciei, materia enim comparata ad formam, est simpliciter imperfectior, cum nullum dicat actum; aliud ergo est comparare partem ad partem, aliud comparare ens completum cum incompleto, distin. igitur maj. in sensu dicto, & dist. min. & comparantur in ratione partis con. min. tamquam duo tota neg. min. unde probatio maj. stat pro conclusione, nam novum Testamentum, ideò est simpliciter perfectius, quia habet complementum, quod a Veteri exigebatur.

Sed & melius respon. quod, ut patet ex nostris probationibus, sumitur hic Scriptura formaliter, quatenus est una divina veritas, in qua ratione, cum ambo Testamenta sint ab uno veracissimo, & infallibili auctore, ut protestatur Concilium Tridentinum, loco citato, jam habenr eandem summam veritatem, nec considerantur hoc loco secundum materiam.

Confirmatio majorem apparenter habet difficultatem, tamen nihil convincit. Respon. enim, neg. ant., ad probationem admitto maj., & neg. suppositum min. Jam supra stabilitum est, quod veritas Sacræ Scripturæ est mensura eorum, quæ ennunciat, unde eodem modo se habent in esse veri, & prophetiæ, quæ impletæ sunt, & quæ sunt implendæ, & ratio est, quia omnes prophetiæ, quando prolatæ sunt, certè fi erant prophetiæ nondum erant impletæ, & tamen erant veræ, quippe omninò conformes cum divino intellectu, cujus erant, & sunt locutiones, ergo tunc arguendum erat, prophetia est simpliciter infallibilis, & vera, ergo infallibiliter evveniet, quod in ea prædicitur; unde potius tempus, & evventus a prophetia pendebat, quam ipsa a tempore, scilicet eadem prophetia hoc continebat, nunc verum est, quod ex. gr. Hierusalem desolabitur tali tempore, nunc etiam verum est, quod cum evveniet, dicent, desolatur; & cum hoc præteritum fuerit dicent, desolata est, itaque prophetia est immutabilis, quoad suam veritatem, & semper eadem quoad illam, & quoad esse propheticum, quia ambit modo explicato omne tempus, quod suæ veritati accommodat; nec valet inferre, ergo cum jam impleta fuerit, non est amplius prophetia, hæc enim concernit futurum, quod nunc non est cum transierit in præteritum: neg. enim consequ. tum quia, ut sit etiam nunc prophetia, non requiritur, quod etiam nunc sit futurum, quod prædixit, quia non prædixit illud, etiam pro hoc præsenti nunc, in quo nos sumus, fore futurum, sed quod nunc etiam verum sit, quod nempe res illa cum prophetata est, erat futura, & hoc prædicatum numquam amittet in æternum, tum etiam quia, includebat in se prædictionem veritatis, quæ foret in nostro tempore, in quo cum veritate dicimus rem præteriisse, & simul includit prædictionem veritatis, quæ nunc est futura, quia semper imposterum dicemus cum veritate, res alias futura, infallibiliter prophetata, nunc verè est præterita, quod totum in eo fundatur, quod veritas Scripturæ, est mensura veritatis rerum. Negamus igitur hypothesim illam, quæ est impossibilis, scilicet, si res prædicta non evveniret, nam ex quo prophetata est, infallibiliter eric,

A & ita patet ad totam instantiam.

Dicendum est secundo, Sacram Scripturam ex sua perfectione in esse ennunciativo, & secundum nostrum modum concipiendi limitatum, dici posse aliquo modo, unum per accidens.

Prob. quælibet pars Sacræ Scripturæ faciens perfectum sensum seorsim considerata, est in se ipsa vera, & perfecta ennunciatio, importans veram convenientiam prædicati cum subjecto, in quo consistit veritas ennunciationis, & secundum datam doctrinam, est regula realis convenientiæ, inter res ennunciatas, secundum eam rationem, secundum quam ennunciantur, ergo cum infinitæ propemodum hujusmodi rationes, in ipsa reperiantur, considerando ipsam, ut quoddam aggregatum talium ennunciationum, ipsam dicemus in hoc sensu unum

B per accidens, tale enim dicitur illud, quod constat ex pluribus entibus in actu: hoc autem trahet ex sua perfectione, & infallibili veritate, secundum quam in qualiber sui parte est divina locutio, ut patet, & ita concipitur a nobis, ex nostra limitatione, qui cum procedamus per præcisiones, & cum potentialitate, possumus unum concipere sine alio, etiamsi unum non possit esse, nisi revera sit cum alio, quod non esset si comprehensivè procederemus, aut modo angelico, sine processu, & dependentia a phantasmatibus, quæ res cum elara sit, non indiget ulteriori doctrina, si cum grano salis, debitaque advertentia, quæ sunt dicta, capiantur.

Sed obiicies: Quod est unum per accidens, est

C tale secundum quid, & est simpliciter plura, sed hoc non potest dici de Sacra Scriptura, in ulla consideratione, ergo. Major est principium, & velut axioma philosophi, Minor prob. plura, sive plures unitates, sunt plures realitates, & entitates, ergo, & plures veritates, quia hæc dicuntur ad convertentiam cum se transcendant, sed in Scriptura non potest dici, quod sit plures veritates simpliciter, cum veritas illius una sit, & divina. Ergo &c.

Respon. primo, conc. maj. neg. min. ad probat. neg. min. sunt enim plures veritates, idest plures ennunciationes veræ, quæ sunt una veritas formaliter applicata pluribus propositionibus, quæ ipsam quodamodo materialiter dividunt, quia eam participant, & ab ea regulantur.

D Vel secundò, trans. maj., & dist. min. non potest Sacra Scriptura esse simpliciter plures Scripturæ, conc. min. plures partes, quibus componitur neg. min. Vel tertiò si sit unum per accidens, unitate rationis, est simpliciter plura a parte rei neg. maj. si sit unum per accidens unitate quę sit talis secundum rem, conc. maj. sed &c. dist. min. talis per rationem, neg. min. realiter, conc. min., & neg. consequ. sicùr datur distinctio rationis, ita & unitas. Diximus autem, quod per solam pręcisionem, & imperfectum modum cognoscendi nostrum, dividuntur singulę ennunciationes Sac. Scrip. quatenus sumuntur seorsim, quę revera invicem coordinantur ex intentione veritatis loquentis.

ARTICULUS III.

An Sacra Scriptura sit una per continuationem.

Dicendum est tertiò, Sacram Scripturam esse unam, unitate continuationis. Hęc conclusio est communissima inter SS. PP., & Doctores, eamque probavimus in parvo compendio Sac. Scripturæ in singulis Sacræ Scripturæ libris, ideò rem hanc breviter pertransimus.

Prim. prob. ex Apostolo *ad Hebr. primo, multifariè, multisque modis loquens Deus Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in Filio*, continuata ergo fuit Dei locutio in Prophetis, & in Evangelio, scilicet & in veteri, & in novo Testamento, quod maximè exprimitur in illa modorum multiplicitate, si enim multiplicitas fuit in modis, ergo in locutione fuit unitas, in qua multiplicitas modorum unita fuit, si multis modis, cum modus non variet rem, cujus est modus, nisi modaliter, ergo multis modis, sed idem semper, loquens eandem veritatem locutus est, scilicet verbum, quod semel locutus est, & semper loquitur Deus Pater, & idipsum ostenditur; per hoc enim, quod Deus locutus sit Verbum suum in Prophetis, non impedit, quòd ipsum loquatur, & dicat in ipso, ergo semper eadem fuit locutio, cui continuatio alia assignari non potest, nisi diversorum modorum, qui successivè continuantur, quippe solum tales modi tempus concernunt, quod sua successione, sicut deservit æterno Deo loquenti, sic in ejus æternitate per suam successionem continuatur, & unitur.

Prob. secundo: continua sunt, quorum extrema sunt unum, definit Philosophus, sed de partibus Sacræ Scripturæ verificatur, quòd earum extrema sunt unum, ergo verificatur, quod sunt simpliciter continuæ, ideoque quod Sacra Scriptura sit una perfectè, unitate continuationis. Major est definitio acceptata communiter, & quamvis sit applicata materiali continuationi quantitatis realis, quæ opponitur discretæ, tamen sicut ex communi modo dicendi, transfertur nomen quantitatis corporum ad quantitatem virtutis, unde dicitur cum proprietate. Magnus Dominus, & magna virtus ejus, & minimus vocabitur in regno Cœlorum, & qui fecerit &c. magnus &c. ita ea, quæ dicuntur per se primò, de continuatione quantitatis, quæ est ejus differentia subalterna, possunt, & debent transferri ad genus aliud intelligibile, est enim eadem ratio utrobique, quia nempe nihil possumus pro hoc statu intelligere nisi ad modum quidditatis corporeæ; & quia quantitas est magis corporea, quam quodcumque aliud accidens materiale, corpus siquidem est per se primo vera species quantitatis, ideò non possumus melius indicare, quòd intelligimus etiam spirituale, vel insensatum, quam per analogiam ad ea, quæ sunt propria quantitatis, sicut ex ea etiam mutuamur rationem, & expressionem regulæ, mensuræ, numeri, partium, excessus, & similium, ad exprimenda immò ad intelligenda spiritualia, seù incorporea, quæ certò scimus ex suo conceptu excludere quantitatem, ergo etiam in præsenti bene possumus venari unitatem formalem Sacræ Scripturæ sive divinæ manifestationis, per definitionem propriam continui, non enim est translatè, aut metaphoricè loqui, ex quo communis usus, qui dat verbis proprietatem, sic & non aliter exprimit etiam ea, quæ non sunt quantitatis rigorosæ, ergo &c. Prob. min. nomine extremorum veniunt termini, inter quos res aliqua finita traditur, quidam verò termini sunt intrinseci, quidam verò extrinseci, intrinseci sunt genus & differentia, propter quod Deus caret genere, & differentia, quia est essentialiter infinitus, & in actu, nec in his potest quæri alia continuatio præter entitatem, eadem enim est entitas generis, & differentiæ, & in quantitate v. gr. in linea, extrema, & termini intrinseci, de suo genere sunt prima, & ultima pars assignabilis, quæ invicem continuantur mediis partibus per puncta, & partes proportionales continuatis; termini verò extrinseci, sunt locus, & similia adjacentia, ex quo intelliguntur extrema Sacræ Scripturæ formaliter cousiderata; sunt enim, si de extrinsecis loquamur, principium & finis ejusdem, si de intrinsecis, id per quod ipsa correspondet primo principio, & id, per quod correspondet ultimo fini, sed principium, & finis respectu ad ipsam sunt idem, quia nempe Deus est primum ejus speciale principium, Ego principium, qui & loquor vobis, & ejus speciali modo ultimus finis, quæ duæ rationes unum sunt, quia sunt unus Deus, ut patet, ergo loquendo de extremis extrinsecis, verum est de ipsa, quòd ejus extrema sunt unum; Sed etiam loquendo de extremis intrinsecis, id verificatur, id enim, per quod correspondet specialissimo suo principio est veritas, Psalm. 118. principium verborum tuorum veritas, id verò, per quod correspondet suo ultimo, & peculiari fini, est ipsa veritatis ejusdem communicatio, & diffusio, quæ unum est cum veritate, quatenus eandem ejus essentiam ratio utraque dicta constituit, & adæquat, cum nihil aliud sit, nisi divina veritas manifestata, vel ipsa veracissima, & infallibilis locutio Dei, ergo etiam hæc extrema sunt unum, prædicata siquidem essentialia, realiter non possunt distingui, sed sunt simpliciter una realitas, aliter essent plures essentiæ, ergo &c.

Prob. tertio: Philosophus loco citato, Metaphis. exemplificat hoc genus unitatis per continuationem, in linea, & in aqua, atqui Sacra Scriptura, verè dicitur aqua, prout eam intelligunt, & nominant Sancti Patres. Beda in cap. 5. num. Scripturam, aquam dicit amaram, quia peccantibus non parcit, dulcem verò, quia justis præmia repromittit æterna, aliis aqua benedicta, aliis maledicta. Philo in cantica, eam dicit fontem horti, puteum aquæ viventis. Ita & Origen. Ambros., Gregor. aliique passim; denique aqua viva, fons aquæ salientis in vitam æternam. Joan. 4. quæ quidem etsi mysticè, vel moraliter dicta sint, realem tamen etiam exprimunt unitatem, cum dicitur fons, puteus, fluvius, in quibus aqua est unita,

ta, vel canale, in quo aqua adunatur, ut transeat, & communicetur, ficut Cyrillus, & Galfrid. 5. in Genefim vel pifcina, grandi opere conftructa a Spiritu Sancto, ut Beda in 3. Efdr. fed & linea, magis propriè dicitur Sacra Scriptura, tum quia propria ratio lineæ eft effe regulam, & menfuram, cum fit prima fpecies in fuo genere, & revera ad menfurandum, etiam materialia utimur linea, tum quia ejus propria eft longitudo; conftat autem Sacram Scripturam effe regulam, & menfuram fidei, & fuperiori modo, quatenus ejus veritas non menfuratur a rebus, fed res menfurat, & eft prima in genere conformitatis, cum fit prima in ratione veritatis, veritas autem eft conformitas, & longiffima duratione, æterna eft, Verbum enim Domini manet in æternum: Infuper *Job.* 38. refpondens Job Dominus dicit. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi, quis pofuit menfuras ejus, fi nofti, aut quis tetendit fuper eam lineam?* quæ utique linea ipfa eft Sacra Scriptura, quæ incipit a prima creatione, primo Gen., & protenditur ad ultimum Dei Judicium, & æternitatem bonorum, & malorum in Evangel., & Apocalypfi, & præterea adeò una eft, ut cum Scriptura quælibet pluribus lineis conftet, hæc a Deo immediatè principaliter facta, qui femel locutus eft, & ad Deum in omni apice tendens, qui in ea dixit, Audi Ifrael Deus tuus, Deus unus eft, nedum Scriptura, fed una Dei linea propriiffimè dici poffit.

ARTICULUS IV.

Objectioni Satisfaciens.

Objicies primò, Teftamentum vetus, & novum nequeunt continuari, ergo Scriptura, quæ utroque conftat, non eft continua. Prob. ant. quando Sacra Scriptura dicitur effe continua, vel eft fermo de continuatione temporum, & hiftoriarum, vel de continuatione legum, & præceptorum, vel de continuatione fapientiæ, & doctrinarum, vel de continuatione librorum ad invicem, vel capitum, & fententiarum ejufdem libri, & omnium fimul librorum, vel de continuatione veritatis, aut rerum, vel infuper de continuatione horum omnium cum fingulis, & fingulorum cum omnibus invicem, & communiter, fed nihil horum verificatur abfolutè, & multò minus comparando vetus cum novo Teftamento ergo &c.

Minor habet plures partes, fufficit autem unam, vel alteram probare, quia fi femel probatur difcontinuatio in uno, jam probata manebit, quoad alia, ita faltem ut verificetur, cum fimpliciter non effe unam continuationem.

Quoad primam partem probatur, nam a tempore Machabæorum ufque ad principium Evangelii fluxerunt jam duo fæcula, de quibus nihil notatur in Sacra Scriptura, fed tam notabilis interruptio tollit continuationem, ficut ponit tam notabilem diftantiam, quæ fine divifione effe non poteft, ergo; ant. patet, confiderando tempora ut alibi notavimus. Secunda pars conftat apertè ex Evange-

A lio, per quod foluta funt præcepta legis. Ideò enim duraverunt præcepta decalogi, quia funt etiam naturæ, fed ceremonialia, quæ erant, fecundum Patrum communem, immò & Ecclefiæ fententiam, nedum mortua funt, fed mortifera in lege nova; Judicialia verò illius legis, mortua funt, ideò nec præcepta funt, nec confilia, ut oftendit Divus Thomas, prima fecundæ, quæft. 109. &c. ergo vetus, & novum Teftamentum non continuantur, quoad legem, & præcepta. Plus autem hoc convincitur ex Evangelio, Matth. cap. 5., ubi Chriftus. *Audiftis, quia dictum eft, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis, diligite inimicos veftros*, & toto illo capite Chriftus corrigit antiquam legem, mutando, & reformando, vel ut apparet, annullando, ac

B reprobando ejus præcepta, ex quo Manichæi arguunt, legem veterem non fuiffe bonam, ergo fi per novum tollitur vetus, non continuantur &c., ex quo etiam apparet probatio alterius partis, fiquidem in illo 5. cap. Matth. ut communiter dicunt omnes Catholici cum Auguftino de fermone D. in monte, & Ambrofio in Luc. cap. 6. continetur tamquam in fumma, tota Evangelii Doctrina. Quoad tertiam partem prob., nam non apparet, quare poft libros hiftoriales, ponantur fapientiales, & non potius prophetales, in ipfo veteri Teftamento, & in ipfis fapientialibus non apparet multoties connexio fententiarum, ficut in parabolis Salomonis, quæ folutæ funt: Quarta pars prob. quia hiftoria Job antiquiffima, ponitur

C poft libros Regum, quos præceffit, quafi immemorabiliter, unde valdè difficile eft fcire proprium tempus Job, cum in Genefi de ipfo mentio facta effe videatur, de quo Gregor. in præfat. ad lib. Job, & plurium librorum, & rerum tranfpofitio valdè notabilis invenitur, immò in memorato cap. Matth. 5. refertur fermo Domini in monte, ftatim in initio prædicationis Chrifti, qui tamen ut notat Alap., & Abul. in prædictum caput, multo poft habitus fuit, ergo nec utriufque eft connexio, nec ordo, unde nec unitas veritatis, non enim veritas eft, fi dicas, hoc anno factum, quod fæculo præterito evenit, unde probata hac deordinatione remanet etiam probata pars ultima illius minoris.

D Hoc argumentum plures requireret quæftiones, quę unitatem hujus tractatus, cum tędio dividerent, & brevitatem tollerent, quam profitemur. Refpondetur tamen primò, & facilè, quod ficut ex probationibus conclufionis conftat, non loquimur modo de continuatione materiali Sacrę Scripturę, materialiter accepta, fed formaliter, prout ftat fub unica, infallibili veritate divinę locutionis, & ab eodem principio, & fine, fi enim quęramus rationes demonftrativas omnium eorum, quę materialiter in Scriptura inveniuntur, & quare tali ordine, & modo dicantur, referendo ea ad circumftantias rerum, & temporum, fanè cęcutiemus. *Latent enim* inquit Ambrof. *in Luc. cap.* 1. *Divina myfteria, nec facilè quifquam poteft fcire confilium Dei. Quis enim cognovit fenfum Domini, aut quis confiliarius ejus fuit?* ideò fufficis nobis, id quod

quod Deus voluit nobis sufficere, nec nostrum est, si nec fuit Apostolorum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, sed satis est, & abundè, virtus Spiritus Sancti, quæ nobis suadet infallibilitatem revelatorum, secundum quod revelantur, ne altiora nobis quæramus, & scrutatores majestatis opprimamur a gloria. Nunc in forma resp. neg. ant. ad probationem, dicimus esse sermonem de omnibus illis, modo nunc explicato sumptis; ideoque neg. subsumpta min. cujus probationes vim nullam habent, contra hanc responsionem, quia procedunt quoad materialia materialiter accepta, quæ sunt in Sacra Scriptura; formalis enim revelatio continuat omnia revelata sub se, nec mensuratur a rebus, nec dependet a tempore, nec intentio revelantis est, dicere universa dicibilia, sed ea referre, quæ summa ejus sapientia referenda cognovit, redundatque mysteriis, & in dicendo quæ dicit, & in silendo, quæ silet, quibus mysteriis omnia continuantur eminenti modo, & latenti, quandoque quoad nos, formalissimo tamen modo, quoad se; ita quidem, at quia aliqua, quæ inferuntur in objectione merentur particularem responsionem saltem remissivè, ideò.

Respond. secundo iterum neg. ant. ad probationem, seù interrogationem respon. Sacram Scripturam esse continuam, quoad omnia ea, sed ubi materia requirit esse continuam, successivè, sicut enim tempus est quantitas continua, & nihilominus partes habet, quæ succedunt, ita ut nulla cum altera sit per se præsens, nisi ratione instantis, ita nil mirum, si in Sacræ Scripturæ materia, aliqua transierint, aliqua perseverent, & omnia vera sint, quia veritas Domini manet in æternum. Ad probationem in contrarium.

Ad primam dicendum, quòd historiæ ponuntur in Sacra Scriptura, quatenus Christum respiciunt, vel proximè, & propheticè, vel figuraliter, vel per sensum spiritualem; non ex professo, quasi intendat Spiritus Sanctus præcisè narrare historiam, ideò quòd historiam reliquerit alicujus temporis, ei qui profitetur se scribere adæquatam historiam, imputandum est, non Sacræ Scripturæ; Adde quod continuatio illa fuit facta per Prophetiam venturi Salvatoris, & per expectationem; constat ergo, ex Scriptura id quod principaliter spectabat ad intentum illius temporis. Adde secundo quod eximius, summusque, & impertransibilis Filii Dei adventus, ad homines, cum prope erat, umbras lumine suo tollebat, unde propinquitas ejus narrata fuit silentio, adeo enim minima credebatur distantia, ut vanum videretur, historiam illam texere, & ita fuit, si enim vanum non fuisset, Spiritus Sanctus eam scripsisset, vel denique Prophetiæ, quæ præcesserant, fuerunt pro historia illius temporis intermedii.

Ad secundam jam dictum est, continuationem Scripturæ esse successivam, præcepta, quæ cesserunt pro hoc tempore, pro suo tempore, pro quo data sunt, viguerunt, sicut tempus externum, hodie non est, nec debet esse, sed debet fuisse, quia de natura sua heri debebat esse præsens, non hodie, & hic est

A sensus Divi Thomæ prima secundæ loco citato. Ad probationem, ut convenit Evangelio, respon. Christus, non veni legem solvere, sed adimplere, ergo bona fuit, quam optimus adimplevit, eam autem adimplevit dupliciter, primo eam observando, lex enim vacua est, nisi impleatur per observantiam, secundò adimplevit, ea addendo, quæ deerant ad perfectionem, in iis enim vacuaverat, ideò dixit, audistis &c. ego autem dico vobis, in quibus addidit legi, eamque sic perduxit ad finem; intendit enim lex perficere hominem, ut probat Angelicus, & Augustinus supra loco citato, & prima secundæ; & ne error aliquis subrepat, notandum, quod primo loco dixit, audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, secunda pars hujus dicti certè

B non erat lex, sed dicterium hominum, quia numquam invenitur ista lex, quòd odio habeatur inimicus, Judæi tamen ita interpretabantur, quòd concessum erat de vindicta legali, oculum pro oculo, dentem pro dente &c. quia hoc videbatur odium, & quia concessio erat in corpore juris, putabant esse legem, non advertentes, quòd hoc concedebatur ministerio judicis, non præcipiebatur, aliter David peccasset parcens Sauli, & Absalon, & magis Joseph parcens fratribus, errorem ergo correxit Christus, non legem, eique addidit explicationem per modum præcepti, ut interrumperet errorem; cum autem dixit de libello repudii, locutus est de permissione Moysis, ad duritiem cordis Judæorum, ideò & in hoc declara-

C vit naturæ præceptum de matrimonio, & addidit explicitam prohibitionem actus externi, & interni circa alienam, quòd est magis in tuto ponere præceptum principale.

Ad probationem tertiæ partis; in epitome, assignata fuit ratio continuationis, quare in prioribus libris actum fuerit, non tantum de historiis, sed de sacrificiis, quibus subnecti debuit sacrificium laudis in Psalmis, & exemplis historialibus erudite, quia per utrumque sacrificium Deo appropinquantes, capaces sunt intelligendi sapientiam; aliasque congruentias reperies, apud Sanctos Patres, & Driedon, & Auctorem Synopsis, quæ dicitur Athanasii. Quòd autem sententię sapientiales, non sint inter se connexæ, est styli concisio, ad majorem singularum ponderationem, connexæ tamen sunt

D in principiis sapientiæ, & prudentiæ, quam docent, unde sicut una est scientia, etiamsi diversas valdè inferat conclusiones, qualis est Metaphysica, quæ agit de Deo, & creaturis infinitè distantibus a Deo, quia ea sic disparata uniuntur in iisdem principiis, seù formali objecto Metaphysicè, ita nihil ex tali modo dicendi in sapientialibus arguitur contra unitatem Scripturæ, quæ continua est cum proportione ad materiam, quam pertractat.

Ad probationem 4. partis, concedimus cum Origene in Ezech., & D. Gregor. antiquitatem Job usque ad tempora Patriarcharum recedentem, sed libri scriptio non habet tempus adeò certum, sicut nec auctorem, ut suo loco vidimus, ideò non debuit præponi historiis certi temporis. Addendum

etiam,

etiam, quia ut benè notat Ederus, lib. 2. Tab. 103. liber Job, si consideretur quoad verborum contextum, refertur ad Psalmos, si quoad vim argumentorum, refertur ad dialecticam Sacræ Scripturæ tractationem, qualem habemus, & in sapientialibus, & in prophetalibus; si rerum gestarum seriem spectemus, spectat ad historiam, pulcrè igitur collocatur, post historicos, & ante sapientiales, quia se habet per modum medii, in se extrema prædicta concludentis, in quo potius apparet vera continuatio, ejusque sapientissima collocatio. Quantum ad transpositionem, & deordinationem illam, de qua accusatur Sacra Scriptura, dicimus nullam esse, quia in ea non servatur temporis dependentia, sed doctrinæ, cum non sit data, ad discernenda præcisè tempora, sed ad veritatem, immò multoties materialis illa deordinatio indicat mysterium, quod prolixum esset in omnibus ostendere. Nec aliqua falsitas, aut deordinatio est in cap. 5. Matthæi, quia non dicitur ibi determinatè tempus illius sermonis in monte, sed ejus doctrina refertur, & factum ipsum narratur, ut ita magis unita, cum initio prædicationis Christi magis percipiatur ejus doctrina, immò quia magis necessaria erat ejus cognitio, quam temporis, addita est propè initium prædicationis; & quidem concedimus, quod dicens evenisse tali determinato anno, id quod multo ante, vel multo post evenit, falsum diceret, sed non dicitur in Evangelio, quod sermonem Christus habuerit determinate nunc, vel determinatè tunc. Sed post initium prædicationis, prædicata jam pœnitentia. Videatur D. August. de concord. Evangel. Jansen. Beuxames sub tali titulo, hoc loco, Alap. pariter, in cap. 5. Matth. Corruit itaque multipliciter tota objectio, sive collectio objectionum, quas seorsim etiam in epitome solutas invenies. Qualiter verò se habeat vetus Testamentum, ad novum; jam supra, etsi breviter, tamen satis ostendimus; & certè cum Apostolus, ad Galatas 3., & 4., & ad Titum secundo comparet Ecclesiam parvulo in Testamento veteri, ubi lex erat pędagogus, & sub elementis mundi, idest verę religionis exordiis, ut explicat Hieronymus, Ecclesia erudiebatur; in novo autem adulta, adoptionem Filiorum recepit, soluta a servitute, sub qua cæperat; quanto enim tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium, eo ipso probat Scripturæ unitatem, quia homo parvulus, & adultus non variat unitatem.

ARTICULUS V. APPENDIX.

Perfectam Sacræ Scripturæ unitatem breviter concludens.

Dicendum est 4. Sacram Scripturam esse unam unitate finis, & formæ, & ordinis. Hęc conclusio, quoad omnem sui partem multoties probata est, ut constat pariter ex Doctrina tradita in pręcedenti conclusione, & solutione objectionis.

Quòd enim sit una unitate finis, cum agebatur, [A] de ejus causa finali, abundè monstratum est, ita etiam, quod sit una unitate formę, cum de causa formali; quod sit una ordine, in proximè dictis declaratum est; de aliis verò modis unitatis, quos addidimus in principio, locum ibi non habet quęstio, ubi agimus de tota Scriptura formaliter considerata, non de iis rebus sigillatim, quę in ipsa referuntur, ad quas, tales modi unitatis possent pertinere.

Non tamen est ommittendum, quòd eleganter Hieronymus suggerit, enarrans verba Ecclesiast. cap. 12. faciendi plures libros nullus est finis, *Moris est Scripturarum, libros, quamvis plures, si inter se non discrepant, & de eadem re scribantur, unum volumen dicere: siquidem & Evangelium, & lex Domini immaculata convertens animas, singulari-* [B] *ter appellantur, cum plura sint Evangelia, & multa sint mandata legis: sic & volumen in Isaiæ sermone signatum, omnis Scriptura divina est, & uno capitulo libri, Ezechiel, Joannesque vescuntur. Salvator quoque, omnium retrò Sanctorum verbis Prophetatus, ait, in capitulo libri scriptum est de me: juxta hunc igitur sensum arbitror nunc præceptum, ne plures libri fiant; quidquid enim dixeris, si ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, unum volumen est, & innumerabiles libri una lex, unum Evangelium nominatur.* Hęc Hieronym. Hęc nos ad concludendam, omnibus modis unam Sacrę Scripturę unitatem.

CAPUT II.

[C]

De diversis divisionibus Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

An divisiones Sacræ Scripturæ in capita, & versus, ab initio extiterint.

Nihil magis opponitur unitati, quam divisio, adeoque unius cognitio, ita facit ad cognitionem alterius, ut Philos. unitatem aliter declarare nequiverit, quam per divisionem. Unum, dicens, est indivisum in se, & divisum a quolibet alio; ut ergo Scripturę unitatem plenè assequa- [D] mur, examinanda esset divisio ejus, at quia formaliter considerata, nullam subit divisionem, nisi per accidens, & modaliter, qua ratione dividitur, in historialem, Sapientialem, Propheticam, & simili aliqua alia divisione, de quibus jam multoties mentio fuit, restat solummodo, quam nondum tetigimus, hic breviter, materialem ejus divisionem, in capita, & versus, discutere, & aliquid etiam de librorum titulis prelibare. Quo circa, cum res sit de facto, pendens ab iis, quę ab antiquis auctoribus, modernisque collectoribus tradita sunt, sola auctoritate breviter quęstio est dirimenda.

Igitur primò supponendum est, morem antiquorum fuisse, qui scripserunt ante 13. sęcula circiter, & post etiam plurimos annos, ut scri-

berent

berent ne dum absque distinctione capitum, sed absque distinctione punctorum, comatum, & colorum, quas distinctiones in Scripturis ad similitudinem corporis humani inventas, clarè explicat Angelic. Doct. prol. 2. in Isaiam, ubi, ut id obiter dicamus, remanet exclusa conjectura cujusdam eruditissimi moderni, immò & Lypsii, & Mureti, qui dicunt, tempore Senecæ non fuisse in usu tales in scribendo distinctiones, pro eo enim, quod dicit Angelicus, citat Tullium, qui multo tempore procul dubio præcessit Senecam, ille siquidem floruit, sub Cæsare, & ante ipsum, qui primus fuerat Romanorum Imperator, hic verò sub Nerone. Excusari tamen possunt, eo quod fortè tempore Senecæ, non erat adhuc in communi usu, sed tantum apud diligentiores. Assumptum hujus suppositionis, constat ex accuratissimo Morino in Opuscul. de Hebræi, ac Græci textus integritate, pag. 196. Ubi hoc probat ex antiquissimis græcorum marmoribus, & inscriptionibus, nec non ex pluribus Græcis, ac latinis, Mss. quæ ipse vidit, sine ulla distinctione, non solum periodi, aut membri, sed neque dictionum; scribebant enim veteres illi, litteris Majusculis omnia, sine interpolatione, ut referunt Muretus, & Lypsius, in quamdam propositionem Senecæ epist. 40.

Quis autem primus fuerit Inventor hujusmodi distinctionum, res est incognita, dicunt tamen omnes hunc distinguendi morem spectare ad artem Rethoricę, unde etiam sentiunt, inter primos hujus artis Magistros, disquiri tantum posse similis distinctionis auctorem. Et planè de distinctione per capitula, idem dicendum est, adeò enim hujusmodi distinctiones erant incognitæ, ut confunderentur, unde Raban. ut refert D. Thomas loco citato, unum comam accipit pro capitulo uno dicens, in superiori coma provocabat ad pœnitentiam, idest in superiori capitulo. Et hæc quidem de græcis, & latinis.

Ex quo deduci potest saltem probabiliter, quod si ita erat mos apud priscos græcos, qui inter omnes mundi nationes, sapientiam affectabant, multò magis id dicendum erit de Hebræis, & quidem quòd ipsi antiquitus punctis, quæ nunc pro vocabulis habent, uterentur, omnes negant, cum sit sententia communis, novos characteres ab Esdra inventos, de quo videri potest N. P. Dominicus in sua Bibliotheca, lib. 3. sect. 1. cap. 15. Senensis, aliique Moderni, & antiqui, hoc enim non interest nostra.

Quibus prænotatis dicendum est, Sacram Scripturam a primis Scriptoribus primò conscriptam, non habuisse distinctiones, quas nunc habet capitulorum, versuum, ac titulorum; De quibus sigillatim aliquid hic breviter afferendum est, ex antiquis, & modernis Doctoribus, inter quos eluceet Xistus Senensis dignus, ut audiatur, *libro tertio Bibliothecæ Sacræ, de partitione, methodo quarta.*

Quòd ad divisionem attinet, inquit, sciendum est, hanc arithmeticam capitum, distinctionem, quam nunc in Bibliis habemus, recentem esse, nam ante quingentos annos, nullus sive apud Hebræos, sive apud Græcos invenitur Divinæ Scripturæ locus, numeratim citatus, præter Psalmos, quorum, ut ex actis Apostolicis apparet, usque ab initio nascentis Ecclesiæ adjectis numeris, mentionem facere solebant. Hos enim numeros, ut Hilarius in præfatione testatur, 70. Interpretum, ipsi Psalmis apposuerunt, & quæ nunc tam in græcis, quam in hebræis, & latinis editionibus spectantur, capitum divisiones, ac numeri, ex nostris latinis codicibus accepti sunt. Partiebantur namque vetustissimi illi Expositores Divinas Scripturas, easque citabant non capitum ennumeratione, & numerorum recitatione, sed per allegationes particularium historiarum, sicut Augustin. dixit, se scripsisse a principio Geneseos, usque ad expulsionem primorum parentum è Paradiso, & Gregor. etiam, se esposuisse a principio libri Regum, usque ad Davidis Regis unctionem, pro eo, quod nunc diceremus in tria priora Geneseos capita, & in 15. anteriora capita primi Regum; dividebant item, & in medium proponebant Scripturas, per locos, sive periodos, aut versus, aut versiculos, & sententias Sacrorum voluminum verbatim expressas, quas etiam capita, vel capitula interdum vocabant, v. gr. dicentes, de eo loco Pauli, ubi scriptum est, veritatem dico vobis in Christo ad Rom. usque ad eum locum, ubi dicitur, ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vel de eo, quod scriptum est, in Job, Boves arabant, & Asinæ pascebantur.

Patet ergo partitionem hanc capitum, immò & versuum, quam in Scriptura nunc habemus recentem esse, ita cum Xisto, etiam N. P. Dominicus, sect. 1. lib. 3. cap. 90. concl. 3. aliique communiter, uno vel altero excepto, quos impugnat Eruditissimus Modernus ex nostris, quem cùm vix ad instans videre potuerimus, ideò non adducimus. Res tamen est, non magni momenti, nobis, qui ad magis necessaria properamus.

ARTICULUS II.

De Inventore divisionis, quam nunc habemus in Sacris Bibliis.

QUis verò fuerit inventor capitum eo modo, quo nunc habemus, auctoritate, & conjectura satis notum putamus. Dicimus eo modo, quo nunc habemus, nam quasdam distinctiones, necessariò etiam antiqui induxerunt, ad certificandum testimonia, quæ ex Scripturis citabant, sive ad confutandos hæreticos, sivè ad firmandam intelligentiam unius textus ex altero, unde citabant, v. gr. Paulus in Pericope de Episcopatu, ad Titum &c. intelligentes nomine Pericope, vel materias, vel partem aliquam ex sententia magis notabilem, in quo allucinantur aliqui arbitrantes, capita, sicut nunc sunt, etiam a veteribus fuisse distincta, quod non est verum. Communis verò consensus, auctorem distinctionum, capitumque, quæ nunc habemus supponit, aut asserit fuisse Hugonem Cardinalem Burgundum, ex Florentissimo Ordine Prædicatorum, & Doctorum in omni sapientia, & doctrina, qui ut refert Spondan. ad annum Christi 1252. concordantias Bibliorum conficien-

ficiendas, cum primus suscepisset, quòd opus ritè perfici non poterat, nisi fixae aliquae divisiones, magno studio, ac labore Sacris Bibliis adderentur, & per se conatus est, & per viros Sapientiores illius saeculi, id prius praestare; refert Serarius in Prolegomenis, hoc loco. Et sanè hoc certum est, quod solum a tempore Ugonis praedicti, invenitur apud Doctores usus hujusmodi capitum, in citationibus Scripturarum, ut observat Sixtus Senensis, loco citato, in fine, immò & Judaei, ut Rabbi David Kimki, ceterique recentiores, ex eo tempore, eundem capitum numerum observant, quem latinis debent Hebraei, Graeci, aliique omnes, quod verum esset etiam, si talis numeri auctor fuisset, vel Hieronymus, vel Cassiodorus, de quibus aliqui dubitant, valdè singulariter, quia carent valido fundamento.

Quantum ad versiculorum, seù versuum distinctionem, incredibile est, quam magno studio, ac labore, & planè sine fructu, aliqui Moderni quantum temporis insumpserint, in re parvi momenti, in qua nihil concludunt, idque apparet in praememorati Moderni ex nostris eruditissimi, prolixa Crisi, de hoc minimo articulo, quem hac in re imitandum non censemus; dicimus ergo inter tot litigantes, neminem revera posse assignari; determinatum hujus distinctionis versuum, quam nunc, habemus, auctorem. Ugo enim capitum distinctor, versus non distinxit, sed ad tollendum quaerentium taedium, & laborem, qui uterentur suis concordantiis biblicis, columnas distinxit per litteras A. B. C. D. quae distinctio adhuc extat in Bibliis, & claritatem addit concordantiis, sed numerus versuum, est veluti subdistinctio hujus distinctionis, unde sub qualibet litera inveniuntur plures versus, quibus numeri correspondent; & litterae suum servant ordinem, & numeri suum, absque confusione; patet igitur, id quòd Ugo invenit esse diversum quid, a versiculorum distinctione. Negari tamen non potest, maximè huic inventioni contulisse, textum hebraeum, in quo plures hujusmodi punctuatae distinctiones inveniebantur, non quidem textum originalem, sed eum, qui tempore Hieronymi circumibat, & ipsum Hieronymum, qui in praefatione Paralypom., & Isaiae asserit, se ad eruditionem simpliciorum Fratrum, & utilitatem legentium, easdem commatum incisiones, & intervallorum distantias, quas in Hebraeis codicibus invenerat, in translatione sua servasse, & de hac, aliisque similibus punctuationibus, & distinctionibus, magna cura adhibitis, Augustinus summoperè laudat Hieronymum in suis epistolis ad ipsum; & planè credendum est, quod cum Hebraei capitum distinctionem, in originali textu non haberent, sed totus erat, quasi unum Pasuch, ut dicunt R. Elias, & Magistri Cabalistici, quos ipse citat, ad intelligentiam Bibliorum, aliquam excogitarint distinctionem, quae postea majori studio perfecta est, per commata saltem, & colos, & intervalla, ut invenit Hieronymus, & complevit etiam in sua translatione, & quia facilè est inventis addere, sicut Ugo addidit capita, & litteras in columnis, ita alii postea addiderunt litteris numeros versiculorum, cum quadam proportione, vel perfecti sensus, vel periodi, & haec sunt, quę colligere potuimus, cum majori probabilitate ex tanta opinionum varietate, ac divisione, quarum vel meminisse, confusionis potius esset, quam eruditionis.

ARTICULUS III.

De Inscriptionibus librorum, & titulis.

NUnc de inscriptionibus, & titulis, an fuerint, non quidem capitibus, quae ipsi non distinxerunt, sed libris appositi, a propriis Scriptoribus canonicis, facilis est responsio, ex praefatiuncula Threnorum, de qua suprastatuimus, non esse canonicam, ergo eodem modo tenendum est, nec illam, nec multo minus alios titulos, seù inscriptiones à Scriptore Canonico additas, aliter procul dubio canonicae essent. Hoc autem debet intelligi de titulis, seù inscriptionibus externis, quę in vulgata solent diverso imprimi charactere. Si enim quęras de aliis titulis, seù inscriptionibus, quę se habent per modum initis, sicut sunt. Factum est Verbum Domini, visio, onus, quod vidit, & similie, sunt particulę textus canonici, verè positę a Sacris Scriptoribus, sicut enim cum inter dicendum addunt, hęc dicit Dominus, vel ad distinguendum Prophetiam, replicant, onus, vel visio, certum est tales dicendi modos esse proprios Prophetarum, ita etiam convincitur, quando similia ponunt in principio, ut benè advertit Ribera in cap. 1. Oseę.

Nec refert, quòd ex Oseę principio videtur opponi, additur enim illi principio, quòd est, verba Amos qui fuit in Pastoribus &c. ante duos annos terraemotus, ex quibus verbis aliqui deducunt, non esse positum a Propheta, dum scriberet, sed duobus annis post scriptionem, quando evenerat jam a duobus annis terręmotus. Non inquam refert, si enim Propheta erat, quid implicat, quod Prophetavit duobus annis ante illum terręmotum, qui praedicto, ab eodem tempore evenit? cum & Daniel ea prędixerit, quę post 70. hebdomadas eventura erant, ac tot Prophetę, primum, ac secundum excidium Hierusalem, & Messię adventum, aliaque quorum eventum partim vidimus, partim expectamus? vel dicamus, quòd Amos prius prophetavit, ante nempe duos annos terręmotus, postea verò hoc scripsit.

Specialem Moderni critici meditantur hic quęstionem circa titulos Evangeliorum, an ipsi Evangelistę, illos apposuerint. Rationabilior tamen, & communior sententia est, eos non apposuisse. Ita Seniores Doctores cum Chrisostomo, hom. 1. in ad Rom., & Maldonato in Evangel. princip., & antiquioribus Patribus. Et ratio est sive conjectura, (non enim habemus originalia,) quia Evangelistę non intendebant, nisi Christi veritatem factorum, & prędicationis enarrare, quę communiter ab Apostolis prędicabatur, unde quod proprium nomen apponerent, frustra erat. Tum etiam, si apposuissent proprium nomen, non diceret

ceret Apostol. secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, cum non detur Pauli Evangelium, quòd Hieronym. intelligit dictum de Evangelio Lucæ, cum ergo Apostol. illud Evangelium dicat suum, signum est, quòd Evangelium scribebant nomine Ecclesiæ, unde frustra suum apponeret nomen. Tum etiam tertio, nam quatuor Evangelia nominant SS. Patres, vel potius 4. libros unius Evangelii; ad quid ergo distinguerent? Nam auctores Sacræ Scripturæ scripserunt dictata a Spiritu Sancto, qui erat auctor ipsius specialissimus, & propterea, ut vidimus supra, libri Moysis, & plures alii, sine Scriptoris nomine scripti sunt, ob venerationem primi, & verissimi auctoris; erumpentibus autem Hæreticorum insidiis, ex quibus apocryphi quidam libri, sub nomine librorum Sacrorum, & Evangelia ficticia, sub nomine 12. Apostolorum prodierunt, ut supra vidimus, necesse fuit, ut Ecclesia materiales etiam inscriptiones apponeret, suorum scilicet scriptorum nomina, in iis, quę velut legitima recipiebant, ne fideles errarent, & hanc putamus veriorem rationem horum titulorum, non enim fructuosum judicamus, in criticis, de facto quæstionibus, absque ulla conclusione veritatis, tempus pretiosissimum, studio divinæ veritatis consecratum, occupare.

Quod si obiicias, Paulum, omnesque Scriptores epistolarum canonicarum, proprium nomen addidisse, immò & Joannem in Apocalypsi; opponemus & nos, in veteri Testamento omnes ferè libros sine titulo fuisse, unde regulam habere non possumus ad asserendum, vel quod illis debuissent apponi, vel quod in istis ommitti. Sed perseverant nihilominus rationes adductæ, quoad Evangelia, epistolis autem iidem Scriptores canonici nomen apposuerunt, quia ut constat legenti, etiam apud prophanos auctores, mos semper fuit, epistolas nomine scribentis consignare, cum soleant loco personæ scribentis mitti, & scribentem, uti loquentem representare; sunt enim inventæ in solatium absentiæ, ideò debuerunt etiam Scriptores canonici epistolarum, supposito, quod epistolas scribebant, hunc morem sequi. Apocalypsis autem, ut supra vidimus, ex Petro Aureolo, est epistola scripta 7. Ecclesiis, quæ sunt in Asia, & ipse liber idipsum explicat.

ARTICULUS IV.

Specialis difficultas de modo titulorum Evangelii.

MAjorem inveniunt difficultatem prædicti Moderni, cum inquirunt, quare dicatur v. gr. Evangelium Jesu Christi secundum Matthæum, secundum Marcum &c., & non potius Matthæi, Marci &c., & quidem in hoc nullum est mysterium, nisi quod delicata nimis latina lingua, facilè patitur æquivocationem, simplices enim non discernerent fortè, an ly Matthæi v. gr. conjungeretur cum ly Christi, ita ut Christus esset Matthæi, an verò cum ly Evangelium, ideò invenerunt clariorem loquendi modum. Ratio autem etiam esse potest, quia cum quatuor Cronistæ scripserint Evangelium, oportebat eorum scripta distinguere, siquidem aliquam in quibusdam videntur præseferre accidentalem diversitatem, quæ planè est secundum modum scribendi singulorum, ideò adhoc exprimendum, dicitur Evangelium, secundum Matth. idest secundum, quod scribit Matthæus, secundum Marcum, idest secundum, quod scribit Marcus, nec aptior sanè poterat expressio reperiri. Cæterum, sapientissime sic dici, potior ratio est, quia Ecclesia in vulgata, eum approbat usu.

Sed obiicies, hujusmodi titulus non est canonicus, cum non sit a Scriptoribus canonicis positus, ergo non incurreret anathema Concilii, qui talem titulum, vel titulos negaret, sicut argui potest etiam de arithmetica capitum dispositione, atqui ex hoc maxima sequeretur Doctrinæ Sacræ deordinatio, nec esset locus intelligentiæ Sanctorum Patrum, nec modus arguendi contra hæreticos, immò ipsis daretur ansa invertendi totam Sacram Scripturam; ergo si hoc sequitur, ut clarum est, ex eo quod dicamus tales titulos non esse appositos ab ipsis, qui primò Sacras litteras scripserunt, vel dicendum est, eos esse ab ipsis appositos, vel ostendere oportet quommodò sint vel non sint canonici, supra enim diximus, quòd aliquid esse canonicum quoad se, idem est ac esse specialiter a Spiritu Sancto, hoc autem si non est, Ecclesia per suam approbationem non potest facere, quod sit, immò esset mendax talis declaratio, ut patet, quòd impossibile est Ecclesiæ.

Hanc instantiam, etsi apud nostros Criticos non invenerimus, tamen opponere voluimus, tum quia non modicam habet apparentiam; in re alias modica, tum ut appareat non esse adeò leves hujusmodi quæstiones, ut primò aspectu videntur, ideoque non extra rem Criticos prædictos, in eis diutius immorari, etsi non satis, quoad rationes.

Respon. advertendo, quod (ut sæpè advertit N. P. Dominicus, locis etiam supracitatis, etsi ad aliud propositum) aliquid esse canonicum dignoscitur duppliciter, vel per expressam Ecclesiæ declarationem, vel per inveteratum usum; cui addendum, aliquid esse canonicum posse dupplicite contingere vel ratione sui, ut tota Sacra Scriptura, vel ratione connexionis (aut circumstantiæ, sive ut quo, & modaliter) cum aliquo per se canonico, sicuti sunt commata, quæ quamvis formaliter non sint a Spiritu Sancto, ita tamen distinguunt sensus, ut eis ablatis, hic & nunc variaretur substantialiter veritas Scripturarum, sicut in regulis Deo dante ostendemus, & hæc sunt virtualiter a Spiritu Sancto, ut patet, & antequam apponerentur formaliter, erant contenta in illa veritate, sive parte, quam afficiunt, ut distincta ab alia, ex intentione dicentis.

Ex quibus patet respons. ad difficilem objectionem. Respon. dist. ant. non est canonicus quoad se, formaliter, ut quod, admitt. antec. non est canonicus quoad se virtualiter, & ut quo formaliter, neg. ant., vel clarius, non est à Spiritu Sancto formaliter, conc. ant. virtualiter neg. ant. dicimus ergo

quod tales tituli sunt a Spiritu Sancto virtualiter, sunt verò canonici formaliter quoad acceptationem Ecclesiæ factam ex usu, sumendo canonicum quoad nos, quæ responsio clara est ex prænotato, cum sit eadem ratio de comatibus, necessariisque punctuationibus, quibus innititur verus sensus scribentis, ac de titulis cum proportione, ideò neg. consequ. Adde primò, quod ad hoc ut aliquid sit canonicum, & tamquam de Fide, non sola explicita Ecclesiæ declaratio operatur, sed etiam traditio supplet, immò & communis Patrum consensus, ut ex eodem Concilio, loco citato habemus, & probant omnes Controversistæ, unde qui negaret, vel tolleret tales titulos, incurreret anath. Concilii, indirectè quidem in comparatione ad primum decretum, ut explicatum est, directè verò, quoad secundum, quia se opponeret directè, traditioni, & usui Ecclesiæ asserenti eos titulos necessariò apponendos, ad tollendos errores, & confusionem Sacri Textus, & communi Patrum consensui, & Ecclesiæ Fidelium, cum non inveniatur, qui ejusmodi titulis non utatur ab immemorabili, ad discernendum, unum librum, ab alio.

Adde secundò, quod etsi tituli illi non sint appositi a primis Scriptoribus, tamen non est impossibile, immò valde probabile, quod ex speciali assistentia Spiritus Sancti appositi fuerint, vel ab Ecclesia, vel ab Apostolis; neque enim hoc esset condere Sacram Scripturam, sed potius immediatè explicare, faciendo explicitum, quod prius erat implicitum, ubi id necessarium est ad intelligentiam sacræ veritatis, quod est munus proprium Ecclesiæ. Ita proportione servata dici potest etiam de arithmetica, capitum distinctione, quamvis cum talis partitio, non sit omninò per se necessaria ad intelligentiam veritatis, & ideò quoad eam sustinendam angi non debeamus eodem modo, ac de titulis Evangeliorum, Esset tamen magna temeritas, & errori valdè proxima, eorum ablatio, aut variatio, quæ nunc ex usu Ecclesiæ, & Sanctorum, in praxi admodum approbata est; immò cum in decreto Concilii graviter præcipiatur, ut vulgatam integram cum omnibus suis partibus acceptemus, uti authenticam, & canonicam, sic argui potest, si capita confunderentur, vel tollerentur in totum, aut in partem, jam variarentur partes in esse partium secundum illam dispositionem, quam concepit Concilium, in eo decreto; non enim aliud concepit, nisi id, quod erat in vulgata, quam approbabat, nec eam aliter, aut alio modo, ac tunc erat, quæque posita correctione completè apparuit, concessit, aut canonizavit; ergo totum illud prohibuit, ex quo aliter se habere posset, ergo contra tale decretum in eo casu, ab eo qui sic eam alteraret, non acceptaretur cum omnibus suis partibus, cum quibus, & secundum quas sic dispositas cadit sub canone, & decreto. Ex quibus jam abundè patet ad totam objectionem, & ad omne id, quod includit &c.

Sed dices; si ex decreto Concilii tenemur acceptare id, quod virtualiter in Sacra Scriptura continetur, nulla conclusio Theologica negari poterit, & prob. sequ., quælibet enim conclusio continetur virtualiter in suo antecedenti, sed ant. conclusionis Theologicæ est semper aliqua propositio Scripturæ, vel Ecclesiæ approbata, & revelata a Deo, cum hæc sit ratio, sub qua Theologiæ, sicut in proæmialibus Theologiæ communiter probant Thomistæ, aliique Theologi, ergo &c.

Respon. neg. sequel. ad probationem breviter dicimus, quod conclusio Theologica, non continetur immediatè in Sacra Scriptura, sed tantum mediatè, scilicet mediante una præmissa naturali, & certè quia conclusio sequitur debiliorem partem, potius comparatur cum scientia naturali entitativè, quam cum Fide, & Scriptura. Adde, quod conclusio continetur in præmissis secundum quod ex ipsis deducitur, aliquando per modum effectus in ordine essendi, & cognoscendi, sicut in demonstrationibus, aliquando præcisè, quoad cognosci, sicut in syllogismo opinativo, quod est impropriè contineri, ita aliquando per necessariam connexionem, aliquando per accidentalem, est enim syllogismus, quædam applicatio cognitionis causæ, ad hoc ut oriatur cognitio effectus, at non ita continetur in Scriptura, vel in tota, distinctio illa comatum, vel in Evangeliis distinctio titulorum, continentur enim idest implicitè sunt in ipsa, & cum explicitè ponuntur, apparet, quod sunt modi, ut dignoscatur veritas, & diruatur falsitas, unde nec sunt causa, nec effectus Sacræ Scripturæ, ideò est lata diversitas inter conclusionem Theologicam, & istos veluti modos explicationis, substantialis veritatis, ex quibus potius sequitur cognitio Sacræ Scripturæ, non verò horum cognitio, ex Scripturæ sequitur cognitione.

Sed quæres quid dicendum sit de argumentis, quæ capitibus sacrorum librorum præfiguntur. Respondetur, ea non esse canonica, nec alicujus auctoritatis. Ratio est, quia nec a Sacris Scriptoribus, qui capitula non distinxerunt, nec ab Ecclesia posita fuerunt, quæ de hoc nihil statuit, immò diverso imprimi voluit caractere, sicut quasdam Typographorum, vel correctorum diligentias, non autem uti partes Sacræ Scripturæ; sunt verò velut Judices, qui ante, vel post in libris apponuntur, ad facilitatem legentium.

Tum etiam, quia si essent alicujus auctoritatis, veritatem continerent, cum autem hæc sit una, non ita variarentur, sicut videmus, unde notat Sixtus Senensis lib. 3. Bibl. Sacræ p. 154. tantam esse talium titulorum capitalium, sive argumentorum diversitatem, præsertim in capitulis obscurioribus, qualia multa sunt in Prophetis, & in epistolis Pauli, ut in cap. 4. epist. ad Romanos, decem attestetur se invenisse argumenta, seu inscriptiones, in diversis impressionibus vulgatæ. Ex quibus aliquot, summam unius, aut duarum sententiarum totius capitis, cæteris ommissis perstringebant, aliæ longè a toto capitis scopo aberrabant, nonnullæ verò etiam cum tota capitis sententia ex diametro pugnabant.

Stet ergo talia argumenta capitum, esse quamdam speciem expositionis illius capituli, quæ dicitur collectio, & magnum requirit ingenii acumen, & rei sacræ peritiam, cum debeat esse comprehen-

sio

sio quædam totius, quod exponitur, at propterea cum sit valdè difficilis, non mirum, quod pauci eam assequantur, sed sicut expositio singularis maximè anonima non habet auctoritatem, nisi quam ex se sibi vendicat, ita capitum argumenta.

CAPUT III.

An Sacra Scriptura formaliter, & adæquatè considerata sit summè divisibilis, & an hoc deroget ejusdem perfectæ unitati.

Veritas Sacræ Scripturæ, ut suo loco vidimus, formaliter, & rigorosè considerata, procul omni dubio, est absolutè indivisibilis, & omninò una, cum sit ipsa divinæ locutionis conformitas, cum intellectu, & veracitate divina, quæ eadem est in omnibus, & singulis partibus ejusdem locutionis, quamvis enim non eodem modo, nobis appareat nam eam credimus, non comprehendimus; hoc tamen certò cognoscimus, eodem modo quoad se in omni eo, de quo verificatur, quod sit divina locutio, æqualiter reperiri, non ergo Sacram Scripturam, quoad se præcisè, & secundum hanc rationem divinæ veritatis nunc consideramus, sed potius eam in ordine ad nos, & concretum ejus adæquatum, quatenus ea, quæ loquitur in se vera denominat, eaque continet, & manifestat, secundum, quod, eam pertractant, & explicant Sacri Expositores, secundum quam considerationem est.

ARTICULUS I.

An Sacra Scriptura sit divisibilis.

Dicendum est, Sacram Scripturam esse summè divisibilem, & hoc non derogare ejusdem perfectissimæ unitati, quàm qu. prima descripsimus. Ita manifestè habemus ex Divo Thoma, in terminis, 2. sent. dis. 12. qu. 1. art. 2. ad Scripturæ in nullo derogatur, cum diversimodè exponitur, salva tamen Fide, quia majori veritate eam Spiritus Sanctus fœcundavit, quam aliquis homo adinvenire possit.

Hujus conclusionis tot testes sunt, & dicto, & facto eam comprobantes, immò & supponentes; quot sunt expositores Sacræ Scripturæ eorumque Auditores, & studiosi, totque sunt probationes, quot ab initio fuerunt expositiones, immò, & quot erunt, sic enim non testes futuros adhibemus, sed uti in exigentia præsentes. In tantum enim in dies semper multiplicantur, & multiplicabuntur expositiones, & expositores, quia posita etiam infinita propemodum multitudine ipsorum (ideò alii dabuntur, & dantur) nullus ex præteritis adæquavit perfectè Sacræ Scripturæ exponibilitatem, nullusque ex præsentibus, ergo nec ullus ex futuris id præstabit, quia eadem ratio una est quoad omnes, scilicet altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cujus cum incomprehensibilia sint judicia, & investigabiles semper viæ, posita una, vel pluribus, vel infinitis cognitionibus, numquam pervenitur ad comprehensionem; Ideoque dicuntur viæ non terminus, quia semper percurrendæ sunt, quòd est proprium viæ, ut talis; terminari verò nostræ cursibus intelligentiæ non possunt, namque quæ divina sunt, terminum illic tantummodo habent, ubi habuere principium, scilic. incomprehensibilem Deum, ergo Sacra Scriptura est summè divisibilis, & hoc perfectissimæ ejus non derogat unitati, ultima pars consequentis constat, quia si ejus perpetua exponibilitas inadæquabilis, ex eo oritur, quia est divina locutio, in eodem habens terminum, in quo habet principium, cum hæc sit maxima ratio, & perfectio unitatis, quam habet: potius talis exponibilitas oritur ex unitate, quam illi deroget, ideo enim summè & semper scrutanda, quia semper una, semper eadem, semper inadæquabilis.

Consequentia ergò ostenditur, ex quo totum consequens manebit probatum, nam expositio, nihil aliud est, quam quædam extractio alicujus occulti, quod prius latebat in alio, & ex eo, quasi latibulo trahitur ad lucem; hoc autem fieri non potest in nostro casu, nisi per divisionem quoad nos; cum enim quantumvis exponatur Scriptura, semper exponenda remaneat, jam illam exponere, est tantum quasi partem ejus exponere, partemque exponendam relinquere, ergo omnis ejus expositio est tantummodo quædam partis captio, scilicet activa participatio, & partitionis conatus, quæ in suo conceptu includit divisionem, nempe quoad nos; ergo si in infinitum exponibilis, pariter in infinitum divisibilis est, & consequenter summè semper una, quam unius conceptus expositio, nec exhaurit, nec minuit, sed tantum ostendit, quòd & ille in eadem semper continetur, est enim partitio quoad nos (& hoc bene notandum) ut incipiamus intelligere clarius, quòd antea nos latebat obscurius, & cum in ipsa perfectione, & unitate Scripturæ contineatur talis intelligibilitas, continetur talis partibilitas, sive communicabilitas ad intellectum nostrum.

Confirmatur primò, ex praxi, nam SS. PP. eo eruditi axiomate, quod qui bene distinguit, bene docet, & quod cibus solidus, nisi minuatur in partes, nequit ad nutritionem deservire; considerata soliditate, & magnitudine inadæquabili divinæ locutionis, eam non nisi partiendo, & subpartiendo, & iterum subtilius, & minutius repartiendo exposuerunt, & rursus alii, qui eis successerunt, invenerunt, quòd eadem methodo exponerent partiendo, & penetrando, ac denique se confessi sunt plus relinquere, quam assumerent, & ad apicem sibi possibilem se pervenisse arbitrati sunt, cum id unum scirent de Sacris Scripturis, se vel modicum, vel nihil scire; de quo potissimum sinceritas mirabilis Augustini in tanta sapientia, quam non satis, tum præterita, cum futura sæcula mirabuntur, gloriatur, ut passim in ejusdem operibus, ac præcipuè epistolis id repetat se in Sacris Scripturis, multò plura nescire, quam scire, vel se id scire verè, quod nesciret, qui sensus etiam fuit Hieronymi, & plerumque Sanctorum, inveritate, ergo summè

summe exponibilis, ideoque summe partibilis est. Ex pluribus autem exemplar hujus veritatis est, expositio vere Angelica D. Thomæ, in epist. Pauli, cujus prima vel in prologo verba continent, unius simplicis dictionis Scripturæ, scilicet *vas* divisionem; videlicet sic. incipit, *homines in Sacra Scriptura inveniuntur vasis comparati propter 4. scilicet propter constitutionem, repletionem, usum, & fructum*, & membris explicatis, iterum dividit, dicens. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia*, & iterum subdividit, quodlibet membrum eorum, quæ adducit ad cujusque ex prioribus explicationem, & applicationem ad Pauli virtutes. Primi autem capitis expositionem, sic exorditur. *Hæc epistola in duas partes dividitur, scilicet in salutationem, & epistolarem tractatum &c. circa primum tria facit &c.* & iterum, de primo horum trium dicit. *Circa quod tria consideranda sunt*, nec aliter melius ipse, aliique PP. putant se explicare Sacram Scripturam, ostendendo, quod illa sit, & contineat, nisi per divisiones divisionum, per quemdam quasi processum in infinitum, in quo insinuant, & ejus magnitudinem simul, & nostram parvitatem; ergo summè divisibilis est absque læsione suæ unitatis, quæ in hoc magis ostenditur inexauribilis.

Confirmatur secundò; Sacra Scriptura speculo comparatur, eo quod speculum, ob terrestrem materiam, quæ ei supponitur, retinet immissam speciem, & repræsentat objectum, non prout est in se, sed prout apparet in specie, de quo subtiliter, & pulcrè D. Thom. *in cap. 13. primæ Chorinth.*, *& Scriptura ob nostram materialitatem non repræsentat nobis Deum, prout est in sua essentia, sed prout relucet, in conceptibus, & similitudinibus creatis exprimibilibus, per verba, quæ etsi obscurè possunt tamen intelligi ab intellectu, fide adjuto, ergo sicut speculum divisum, eamdem imaginem repræsentat, sed multiplicatam, quia species ejusdem objecti multiplicantur ex divisione opposita opacitatis, ita & Scriptura, etsi divisa, eamdem semper repræsentat veritatem, quæ ex materialitate nostra, in speciebus illis materialiter quod immodo multiplicatur &c.*

Probatur secundò ex Psal. 44. Astitit Regina a dextris suis &c. circumdata varietate, quem textum exponit Ugo de Sancto Victore, uti dictum de Sacra Scriptura, quæ est Regina scientiarum, & addi potest illud Io. in Apocalypsi, cap. 5. quod agnus accepit de dextera sedentis in trono librum, scriptum intus, & foris, & signatum sigillis septem, ut sit Regina a dextris, quem communiter intelligunt Doctores esse Sacram Scripturam, quam cum agnus aperuisset, accepit regnum, cum sit Regina in se continens Evangelium regni, ut probat D. Thom. loco citato sæpè 22. qu. 101. de lege Evangelica, ubi notandum, quod solus agnus potuit aperire librum, & solvere signacula ejus, & quod liber ille erat scriptus intus, & foris; Tria autem ex his habemus; primum, quod Scriptura est circumdata varietate, quia varietas ejus facit circulum, qui ibi incipit, ubi definit, semper ergo ejus varietatem, & divisibilitatem, sive exponibilitatem, quantumvis scrutemur, semper erimus in principio mysteriorum ejus, idque inveniemus, quo circumdatur, non penetrabimus totum, quod intrinsecus abscondit, hoc enim est Dei essentia, & eam videre est, omnis gloria ejus, de qua eodem Psalmo, *omnis gloria ejus, Filiæ Regis ab intus*, dum autem conamur penetrare, arripimus fimbrias, scilicet id, quod revelatur exterius, in quo est varietas, unde perficit sensum, omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus, ejus quippe divisibilitas, & varietas, cum sit circa eam, & amictus ejus, ejusdem intimam non tangit unitatem.

Secundum, quod liber ille erat scriptus intus, & foris, & signatus sigillis septem, ut sciamus, quod etiam in eo, quod patere videtur, quia scriptum foris, tamen sub septem sigillis est, quæ sunt dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ, sub quibus vera eorum datur intelligentia, in virtute agni, & quia omne donum creatum participatio est, numquam exhaurit fontem sapientiæ, semperque remanet fons integerimus semper hauribilis, numquam exhauribilis, semper scrutanda Scriptura, numquam pro hoc statu adæquanda, qui bibit me, adhuc sitiet; Scriptus est foris, dicitur enim, siquis sitit, veniat ad me, & bibat, venite bibite vinum, quod miscui vobis, calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Exhibetur quippe omnibus intelligentia, datur petentibus, nemo excluditur, sed a nemine comprehenditur, & in hoc non deficit ipsa, sed nos, qui angusta ferimus vasa, unde cum plena sunt vasa hæc angustissima, fons adhuc manat, sed ipsa non implentur sicut contigit in vasis viduæ Ælisei, cum enim plena fuissent vasa pauca, stetit oleum 14. c. 4. Reg. ex quibus patet proposita conclusio.

Tertium est, quod solus agnus potuit aperire librum, & solvere signacula ejus, quia solus Christus potest adæquatè aperire sensus Scripturarum. Nonne cor nostrum &c. cum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? Lucæ c. ultimo, ergo sicut est impossibile hic in via, quod quantumvis perficiatur in nobis lumen sapientiæ, perveniat ad perfectionem donorum Christi, qui est ipsa Patris sapientia, & fruebatur essentia beatitudinis, scilicet visione divinæ essentiæ, ita etiam fieri non potest, ut aperiamus librum, & solvamus signacula ejus, semperque quantumvis conemur, semper nobis remanet aperibilis, scilicet exponibilis, scrutabilis, & in hoc sensu divisibilis Sacra Scriptura, ubi etiam notandum, quod librum prius aperuit, deinde solvit signacula ejus, ut sciamus, quod quando aperta esse cognoscimus mysteria Scripturarum, ex doctrina Christi, & Ecclesiæ, adhuc solvenda supersunt signacula; porrò signacula aliquod ostendunt impressum sibi stemma, & hoc planè cognoscibile, quod in Sacra Scriptura est esse locutionem Dei, ipsam namque Verbum Dei esse credimus, & plusquam credimus, quia constat apertissimè, cum similis doctrina ab hominibus esse non possit, sed hoc ipsum signaculum est; quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?

Probatur tertio ex illo Sapientiæ cap. 7. Infini-

tus

tus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati; si enim thesaurus est, si infinitus, ergo abscondita est, ergo semper est accipere extra, quæ est descriptio infiniti apud Philosophum, quod si infinitus Thesaurus, per hoc, quod ab ipsa quidquam quantum placet accipias, suam semper servat unitatem; quod verò de Sacra Scriptura loquatur sapiens compertum est, tum quia loquitur de sapientia, quæ ipsissima est Scriptura, & de doctrina Dei, ut ipse se explicat textus, doctrinæ siquidem correspondet disciplina in Auditore, ipseque modò de sapientia, modo de doctrina, modo de disciplina sermonem habet; tum quia si loquitur, ut ad litteram materialiter apparet, de sapientia illa, quam docet in illo libro, eadem est ratio de tota Scriptura, cujus una veritas, una doctrina, unus auctor, unus finis &c.

Quarto Probari potest, quia Sacra Scriptura est imago quædam divinæ ideæ, cui altissima quadam ratione conformatur, tum in ipsis rebus, quas ennunciat, tum in ipsa ratione ennunciandi, & manifestandi conceptus divinos; tum quia est quoddam divinum artefactum, ideoque ideam repræsentans sui auctoris; tum quia tradita est nobis, tamquam idea omnium operum vitæ nostræ, quæ cum sint propemodum infinita, vastissima tantum uniri possunt in idea propria Dei, cui proinde hæc, quæ ad id muneris nobis data est, tamquam ejus vicaria, debet omninò conformari; ergo sicut ob universalissimam sui perfectionem infinitam, divina idea, quæ quoad rem est ipsa divina essentia, & bonitas, ita infinitè communicabilis, sicut infinitè bona, semper est participabilis, & imitabilis in infinitum, quæ potestativæ imitationes sunt ipsæ creaturæ possibiles; ita ejus imago, scilicet Scriptura in sua linea, proportione servata, semper erit scrutabilis, idest imitabilis per nostros conceptus, quibus ipsam exponimus, idest conamur sensus illius imitari, & ad lucem eruere, quos illa servat in occulto, ergo etiam, sicut semper divina Idea una est in se, etiamsi terminet respectus plurium creaturarum, quæ invicem diversissimæ sunt, ita proportione servata in ejus imagine, quæ est divina Scriptura dicendum est, & quidem fortiori ratione, nam istæ expositiones nostræ, quibus Sacram Scripturam explicamus, sunt plures, ex sua imperfectione, quia videlicet neutra earum in suo genere illam obtinet perfectionem, quam exigit suum exponibile, etiam in illo determinato sinu, sive textu, seu parte; quælibet autem creatura possibilis, est quædam imitatio completa, in sua specie habens genus, & differentiam, quæ sunt ejus prædicata essentialia, & consistunt in indivisibili, unde refundunt ratione suæ terminationis distinctionem rationis in ipsam ideam; quapropter D. Thom. p. p. qu. 15. art. 2. ad quartum, inquit, respectus ideales, qui sunt in Deo, non sunt reales, sicuti personæ, sed tantum intellecti a Deo; ergo optimè deducitur in nostro casu, & divinam Scripturam semper esse exponibilem, seu divisibilem in sensu dicto, & eamdem realem servare semper unitatem.

Confirmatur, inter omnia generalissima entis, nihil

A magis unum, quam id quod magis, est, & essentialiter divisibile in infinitum, scilicet quantitas, ergo multo magis servabit unitatem suam Scriptura etiamsi modo dicto sit semper divisibilis in infinitum; hæc quippè non est materialis quædam, & propriissima divisibilitas ex parte ipsius, sed potius exuberantia perfectionis, ad quam impar noster intellectus, non potens aliquibus conatibus adæquatè pervenire, tentat alijs, & alijs certè distinctis, immò & divisis properare. P. ant. prædicamentum quantitatis præter unitatem trascendentalem, omni alteri prædicamento communem, propriam unitatem sibi vendicat omninò peculiarem, quæ dicitur unitas prædicamentalis, aliquid saltem incompletum superaddens ipsi ejus entitati, ac transcendentali unitati, quæ singulariter soli huic convenit prædicamento, de

B quo NN. PP. Complutenses in logicis fusè, ac sapienter, cum D. Thoma, & Philosopho agunt suo loco, scilicet in prædicamento quantitatis, ergo; nam id planè magis est unum, quod nedum ratione communi, est tale, sed etiam ratione suæ peculiaris essentiæ, sicut magis esse album diceretur id, quod nedum per albedinem omni albo communem, sed per aliam peculiarem sibi, superadditam communi, esset album, ergo cum quantitas sit in infinitum divisibilis, jam divisibilitas non pugnat cum unitate, & quidem hoc ipsum patet ex ipsa definitione unius, non enim dicitur unum esse, quod est indivisibile in se, & divisibile ab omni alio, sed id, quod in se est indivisum. Nec refert si dicas, verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, ergo ly indivisum idem est, ac indivisibile. Respon. enim

C primo, ita esse, cum traditur definitio per aliquid extrinsecum, vel per existentiam, non verò per intrinsecum, nam certè quælibet essentia debet actualiter actualitate essentiæ sua prędicata habere, hæc tamen quoad esse existentiæ aptitudinaliter tantum sumuntur, quia existentia non est de essentia. Secundò resp. etiamsi sumatur aptitudinaliter, nihil contra nos esse, quia ly indivisibile debet sumi in se, quod scilicet in se esse non potest, si semel dividatur; unde oportet componere formaliter ly in se, cum ly indivisum.

ARTICULUS II.

Objectiones contra dicta solvuntur.

D OBiicies primo, ex ac conclusione plura sequuntur, vel inconvenientia, vel falsa, ergo &c. P. ant. primo sequitur, Sacram Scripturam non esse regulam fidei, nam regula debet esse certa, & ex se notior omni regulato, si sit regula cognitionis, sed hoc modo, non esset certa Sacra Scriptura; nunquam enim satis cognita, semper esset abscondita, & in infinitum semper scrutabilis, ergo nec regula esset: 2. sequeretur, frustra esse datam a Deo, quæ nunquam perduceret ad finem; doctrina siquidem datur, ut addiscatur, ergo quæ semper latet, & nunquam adæquari potest, jam caret tali fine.

Tertio, nullam explicationem talem esse, ut reijci non possit, siquidem nulla punctum attingit, sed adhuc expectat meliorem, & hinc suspensus animus, ubique nutaret, ideoque nec verum dixisset Christus,

tus, qui asseruit se ædificare Ecclesiam suam supra petram, & quod nec portæ inferi prævalerent adversus eam; falsum dixisset Apostolus, qui dixit Fidelibus, ipsos ædificatos esse super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum &c. Quis enim eos intelligit, si semper aliquid remanet exponendum.

Quarto, ex hac sententia aperitur via procedendi contra decretum Concilij Tridentini sessione 4. frequenter memorata, quo decernit, nequis audeat Sacram Scripturam, ad proprios sensus contorquere contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est judicare de verò sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Sanctorum Patrum ipsam Sacram Scripturam interpretari audeat, aperitur inquam via contra hoc decretum, si enim semper exponibilis post quamlibet remanet expositionem, adhuc posita quacumque interpertatione, vel per Ecclesiam, vel per Sanctos Patres, erit inquirenda nova expositio, & interpretatio, nec justa erit lex, quæ prohibet studium veritatis, quam Deus inquirendam semper proposuit, & lex ipsa naturalis jubet inquiri, cum finis sit, perfectioque rationis.

Quinto, & ferè in idem recidit, jam Deus non providisset sufficienter Ecclesiæ, quæ possit terminare quæstionem per suam Sententiam, & interpretationem, quæ exhauriat exponibilitatem Sacræ Scripturæ 2. non stat responsio, quia cum hæc potestas habeatur ex Sacra Scriptura, semper erit scrutabilis, & incomprehensibilis, nec invenietur, qui possit eam adæquatè exponere etiam in hac parte, vel enim eam exponeret, cum fundamento in ipsa Sacra Scriptura, & ita rediret argumentum, vel sine tali fundamento, & ita nulla esset talis potestas, quam non constaret esse a Deo; unde & ipse Christus ideò dignam fide tradebat doctrinam, quia fundamentum infallibile habebat, in toto veteri Testamento in quo fuerat prænunciatus, prophetatus, & figuratus, & ipsam legem non solvebat, sed adimplebat.

Sextò sequitur, nullum etiam præceptum obligaré, si enim termini legis adhuc post declarationem, sunt declarandi usque in infinitum, semper prævalebit libertas, quæ est in possessione, sicque vacua erit tota lex divina, quia ad hoc, ut obligetur voluntas, debet intellectus convinci de obligatione legis ad individualem operationem, ut est principium in moralibus, ideoque esset semper invincibilis, idest quæ vinci numquam posset, ignorantia, si numquam plenè exponi posset Scriptura, & falsum esset, quod dixit Moyses populo, *Deuteron. cap. 3.* loquens de decalogo, *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum &c. nec in cælo situm, ut possis dicere, quis nostrum &c.* censuitque Moyses, quod si aliquod præceptum esset ita sublime, valere posset excusatio, & ob ejus obscuritatem, subditi ab eo liberarentur, ergo vel falsum dixisset, vel revera quodcumque præceptum si tale est, ut nos descripsimus Sacram Scripturam, vim obligandi non habet.

Septimo sequeretur, legem novam esse imperfectam, non enim sufficienter correxisset Christus malam

A intelligentiam præceptorum legis antiquæ, ex qua errabant Pharisæi, de quo videatur divus Thomas prima 2. qu. 108. art. 3. sermo enim ejus in monte, in quo secundum Augustinum docuit omnem divinæ legis perfectionem, & in quo inquit. D. Thomas, correxit malam intelligentiam Pharisæorum, etiam ipse semper exponibilis est, maximè cum valde sublimia contineat, in quorum intelligentia, sapientissimi Ecclesię Doctores, Augus., Ambr., Beda, aliique summopere laborarunt.

Hęc aliaque his similia, ex doctrina hæreticorum, fervidè pugnantium contra Sacrę Scripturę obscuritatem, ut effugiant, vel infringant Ecclesię judicium, hic opponi possent; nisi hęc, & alia omnia, sufficienter soluta essent proprio loco, cum de Sacrę Scripturę obscuritate agebamus; nunc au-
B tem hęc, data opera unitim proposita sunt, quia eadem facile doctrina, per quam, tradita prędicto loco confirmatur, solvi possunt.

Pro quo notandum est, veritatem, certitudinem, & claritatem sicut cognitionem, & comprehensionem, diversas rationes importare, nam veritas locutionis, est conformitas ejus cum intellectu, & cum esse rei, quam loquitur, seù manifestat; certitudo locutionis, est firmitas invariabilis, veritatis, quę ennunciatur, unde est quidam modus veritatis, qui non est ipsa veritas, ut constat in locutione opinativa, quę vera est, & non certa, & pręter hunc modum, certitudo locutionis importat firmam adhęsionem intellectus ennunciantis, ad verum, si enim esset firma adhęsio ad falsum, esset pertinacia. Cla-
C ritas autem locutionis importat quemdam modum proprium ipsius locutionis, expressivum luminis intellectus, evidenter cognoscentis proprium conceptum, terminis totaliter explicantibus rem quæ ennunciatur, & ejus esse, ac simul proprium evidens lumen exponentis, quę rationes, ut patet sunt omninò diversę a veritate, quę non pendet a claritate, & etiam ab ipsa certitudine, quę cęteris paribus major est in locutione obscura, si motivis fortioribus sit munita, quę voluntatem ad assensum trahant, supplendo quòd deest claritati. Cognitio, & comprehensio in hoc differunt, quòd cognitio est apprehensio, per quam intellectus unitur cum aliquo objecto, unde dicitur cognitio quasi conjunctio, sivè, unio intellectus cum notitia, quę ratio, ut patet generalissima est. Comprehensio autem,
D est talis cognitio, qua intellectus totum, & totaliter in se claudit objectum, ita ut nihil ejus lateat videntem; quę notissima sunt, & deducuntur ex doctrina divi Thomæ expensa a Patribus Salmaticensibus in tractatu de visione Dei sæpè, & in tractatu de Fide, disput. 2. dub. 5.

Secundò notandum, quod prædicta valdè impropriè dicuntur de lege, & præceptis; eorum enim qualibet perfectio desumitur a fine, & recta ratione; locutionem autem important tamquam medium, & conditionem requisitam, ut intimentur; ad hoc enim ut sit vera, & certa lex, sufficit, quod procedat ab habente legitimam potestatem in subditos, & quod ducat ad finem virtutis, quam concernit, unde potius dicitur bona, quam vera, quam doctrinam habemus ex Divo Thoma p. 2. qu. 98.

artic.

art. 1. in corpo. & alibi, ideoque tota ejus expositio, est ipsa intimatio, indicans actionem, ad quam obligat, quæ actio cum sit propria ipsius subditi, pervia est cognitioni ejusdem.

Per hanc doctrinam evanescunt omnia, quæ opponuntur. Respon. igitur neg. sequ. quoad omnem ejus partem, sicut eam neg. Apostol. qui & exclamat Rom. cap. 11. ò altitudo divitiarum sapientiæ &c. & nihilominus prædicabat in universo mundo fidei veritatem, contra ea omnia, quæ hic opponuntur, sicut & David toto Psalmo 118. ac præcipuè canens, *dà mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*; & iterum, *mirabilia testimonia tua, ideò scrutata est ea anima mea*, & alibi, *judicia Dei abyssus multa*, & alibi, *eloquia Domini &c. argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum*, omnesque Sancti Patres, qui tot multiplicarunt divinæ Scripturæ expositiones.

Ad primam probationem, neg. sequ. ad probat. con. regulam debere esse certam, & notiorem regulato, in eo, in quo est regula. Sed Sacra Scriptura est regula certitudinis fidei, non claritatis cognitionis, est regula veritatis, quæ quo sublimior eò & obscurior, ideoque magis indigens quoad nos diminutione obscuritatis, quæ diminutio fit per declarationem Ecclesiæ, & Patrum explicationem.

Ad secundam, neg. seq. doctrina datur ad hoc, ut addiscatur, sed si doctrina sit superioris ordinis, multo studio opus est, ut mens ad eam sublevetur: datur ut addiscatur, sed non ut comprehendatur, quando est ex se summa; datur ut credatur, eamque creditam, discipulus contempletur, ut ejus altitudinem deprehendens semper celsissimam, majori cum obsequio credat, & facilius credat, inde cognoscens se imparem ad penetrandum, & gaudeat de divina eminentia, ut de ea nostra Sancta Mat. Teresia gloriabatur, dicens, parvulus sane esset Deus, si eum ego minima comprehendere possem.

Ad tertiam neg. sequ. immo suppositum; sanè si quæramus expositionem Sacræ Scripturæ, quæ eam totaliter adæquet, jam fidem evacuamus, diceret Apostol. qui ad Chorinth. p. cap. 13. inquit, *nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*. Quærimus impossibile, talis enim expositio contineret clarè, siquidem exponeret, idest extraheret ex obscuritate, arcana illa verbi, quæ non licet homini loqui, quia nec pro hoc statu licet audire, aut intelligere illa in se. Qui rotam solis in se ipsa videre non possumus, quod tamen aquilæ datum est, rerum omnium creatorem in se ipso expositum, quem nec aquila lumine gloriæ erudita, & Spiritus Sancti lingua instructus effari potuit Paulus, quod possibile imaginemur in se attingere, ut nullatenus lateat?

Sed dices, si ad hoc perviam expositionis perveniri non potest, frustrà ergo sunt omnes expositiones, finis enim exponentis est manifestatio rei latentis.

Respon. neg. consequ. sanè cum exclusus homo à Paradiso non habeat copiam ligni vitæ, cujus fructu avertat mortem, omnes morimur, cur ergo alimur, & cibos quærimus, cum finis comestionis sit longitudo, & diuturnitas vitæ? sicut ergo ad
A vitam protrahendam, quantum patitur conditio hęc mortalis, conamur arcere mortem, & planè non frustra, ita etsi per viam expositionis non possimus pervenire ad omnimodam claritatem mysteriorum Dei, quæ hunc statum non decet, eam tamen non frustra hac via procuramus minorem obscuritatem, quæ haberi potest in hoc tenebroso loco, & donec dies illucescat; illi quibus dictum est vos estis lux mundi, non debent latere sub modio, sed lucem suam qualemcumque effundere, ut qui post ipsos ingrediuntur, lumen videant, qui enim ambulat omninò in tenebris, nescit quo vadat, aut quo cadat, ideoque nec quommodo resurget, unde clamat Spiritus Sanctus, surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Patet igitur ad tertiam illius sequelę partem,
B non esse reiiciendas Patrum expositiones, quas veneratur Ecclesia, quia punctum veritatis attingunt, etsi non punctum comprehensionis, vel claritatis, quia hoc reservatus statui visionis, nec suspensus esse potest animus, aut nutare, quia satis veritas proposita est ab Ecclesia, & infallibilis fidei certitudo, posita evidentia credibilitatis, captivat totam mentem in obsequium divinę veritatis, & immutabilis veritas Domini manet in ęternum, & Ecclesia eo ipso, quo impugnatur gloriosior crescit, & fortior perseverat. Denique, & hę, & similes objectiones vanæ sunt, quia veritas consistit in indivisibili, & ideò Expositores non addunt Scripturę veritatem, sed in veritatis obsequium aliquam claritatem, nec certitudinem, quę major esse in via non potest, augent, sed demonstrant,
C quantum possunt, ut dirigant in viam pacis, & vitę, sedentes in tenebris, & umbra mortis.

Ad quartam neg. ant. immò retorquetur argumentum: in illo decreto approbat Ecclesia unanimem Patrum consensum, qui ut veritatem unanimiter tuerentur, eam diversis expositionibus non quidem diversis quoad veritatem, sed quoad claritatem, seù enucleationem, & quoad sensus, quos in Scriptura contineri deprehendunt, ad eandem tamen veritatem, & certitudinem tendentes, Sacras Scripturas illustrarunt, ergo censet Ecclesia semper Scripturam esse exponibilem, & scrutabilem, aliter unum tantùm ex Patribus approbaret, sicut enim lucernę plures, plus illuminant noctis obscuritatem, nunquam tamen adęquant meridiem,
D ita plures expositores, Scripturas, & obscuras mentes, sed semper remanet obscuritas fidei, donec, qui in sole posuit tabernaculum suum, clarè indicet sponsę suę Ecclesię, vel animę fideli, ubi pascat, ubicubet in meridie, illa utique, de qua David canebat, satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Ex his autem, & prænotatis patet plena responsio; quia non per hoc quod Sacra Scriptura, quoad claritatem mysteriorum, & sensuum semper sit exponibilis, non propterea quoad fidei dogmata, alibi sistit, quam in judicio Ecclesiæ, nam quantum ad hæc, tantum est exponibilis per visionem beatam, quoad evidentiam in patria, & per Spiritum Sanctum assistentem Ecclesiæ hic in via, quoad credibilitatem, seù ad credendum; nec dicimus nos, aut aliquis Catholicus, licere unicuique ad proprium

sensum Scripturam detorquere, quod prohibet Concilium, quodque non est exponere sensum Scripturæ, quod præstant Expositores, sed proprio humano eam deturpare, & testem eam facere ad comprobandam vanitatem humanæ imaginationis, quod verè est adulterii species quædam, ut dicit Divus Thomas.

Immò ex hoc Decreto magis roborata manet concl. omnis quippe exceptio firmat legem in contrarium, ergo si Concilium prohibet eam tantum expositionem impropriè dictam, seu proprius detorsionem, & adulterium, quo ad proprios sensus petulantia ingenia trahunt Scripturas, contra Ecclesiæ, & Patrum veras Expositiones, Jam omnis alia expositio verè talis, nec contradicens Ecclesiæ aut Sanctis Patribus, eo ipso conceditur, ergo supponit Ecclesia Sacram Scripturam in sensu explicato semper esse exponibilem.

Ad quintam, eodem modò respondetur, & ideò sustinetur tradita responsio juxta id, quod dictum est, quia quoad dogmata, sola judex est Ecclesia, nec ea disquisitioni humanæ commissa sunt, cum sint certissima, & verissima; quæstio autem ita dicitur, quia quærit, non quia supponit quæsitu veritatem, aut certitudinem. Unde ad primam replicam negamus, quòd hoc modo recedatur a conclusione, sic explicata; quia quoad dogmata fidei, Sacra Scriptura est fidei regula, ejusque complementum est Ecclesia, sive Spiritus Sanctus, per eam certò significans proprium sensum suæ veritatis, in Sacra Scriptura revelatæ, ideò talia dogmata nullam expectant a privatis personis substantialem declarationem, licet claritatem aliquam accidentalem non excludant, quod satis est ad conclusionis veritatem etiam universaliter intellectam.

Ad secundam replicam resp. jam alias simile argumentum fuisse solutum, cum de obscuritate Sacræ Scripturæ dicebamus, pro nunc tamen dicimus, potestatem Ecclesiæ, articulum fidei esse, quo fides resolvitur in Spiritum Sanctum, Ecclesiæ infallibiliter assistentem, & hoc quidem ex Scriptura habemus, sed tamquam principium, & dogma, de quo dictum est, non esse exponendum, sed proponendum, ut est secundum fidem, & ipsa fide dignum. Sicut enim principia in scientiis sunt indemonstrabilia, sed sufficit, ut talia sint, quod explicatis terminis congruant lumini naturali, ita in fide, ejus principia non sunt exponibilia secundum suam substantiam, sed satis est, quod intellectis terminis congruant lumini fidei; at quia antequam detur lumen fidei, quòd est superadditum intellectui, debent ipsa principia approbari, ut ipsis approbatis acceptetur fides, cui congruunt, ideò prius ostendi debent credibilia talia principia, & hæc ostensio nequit fieri, nisi illi lumini, quòd est ante fidem saltem actualem, ut patet, quia fit in ordine ad fidem habendam, debet ergo ostendi lumini naturali, evidens credibilitas talium principiorum, ut homo assentiatur illi, assensu ipsis proportionato, scilicet assensu fidei, sive ne eis resistat, quæ in se evidenter capere non potest, eisque cedendo quodammodo, sive juri suo renunciando rationabiliter, elevetur per fidem ad supernaturalem assensum;

A inter hæc autem principia, præcipuum est potestas Ecclesiæ, cui proponenti cæteros articulos, ut a Deo revelatos, credit homo, & acceptat eos, ut ab ipsa proponuntur. Hic ergo est processus fidei, seu ad fidem ex parte subjecti, cui naturaliter minus repugnat credere pluribus, quam paucis, vel uni tantum, ut apparet in fide humana.

Sed dices, hoc est fundare fidem divinam in humana ratione, quasi homo habeat in propria natura principium fidei divinæ, quòd est tollere fidem a proprio ordine. Sed huic instantiæ tenentur omnes Theologi respondere, cum omnes asserant, quòd evidentia credibilitatis, debet fidem actualem præcedere, ne quis leviter credat; cum igitur illa evidentia credibilitatis debeat ante fidem præcognosci, debet cognosci per lumen naturale, & ad sum-
B mum cum aliquo auxilio supernaturali initiativè. Hinc neg. ant. vel dist. ant. negativè, & dispositive conc. formaliter, neg. ant. Hoc enim est tantum disponere subjectum, ut cedat juri naturali, quòd habet, ne se convinci permittat, ad dicendum ita esse id, quòd in se non videt ita esse, hoc autem jus suppletur, per evidentiam credibilitatis, quæ succedit loco evidentiæ rei, afficiendo ipsum actum credendi, non ipsum objectum in se ipso, & ideò habet intellectus adhuc quod cedat, quæ cessio præcise considerata, est ante fidem in esse præparativo, & initiativo; nisi dicamus, & fortè melius, quòd etsi præparatio ac dispositio explicata ad fidem, ipsam saltem naturæ prioritate præcedat, fit tamen per auxilium supernaturale, sicut est illud, per quod movemur ad piam affectionem, sive dilectionem,
C quæ fidem præcedit, & hoc est gratia præveniens, & auxilium proportionatum fini, ad quem conducit.

Ad instantiam ergo, de Ecclesia jam patet, hunc articulum non esse scrutabilem, sed infallibilem quoad se, ex ipsa Scriptura, & cum sit ex primo credendis, etiam ex parte subjecti est certissimus de fide, ablata omni ratione resistendi, præparatoriè per evidentiam credibilitatis; Fortius autem retorquetur, quòd ultimo loco dicitur, si Christus, ideò cum prædicaret, erat dignus fide, quia vetus Testamentum ipsi testimonium perhibebat, ergo & Ecclesia digna fide est, quia ipsi tota Scriptura immò Christus perhibet testimonium, & nihilominus certum est, quod Christus plura exposuit de veteri
D Testamento, ergo illa erant exponibilia, cur ergo etiam de hoc non arguunt, testificatio facta de ipso in veteri Testamento erat exponibilis, ergo non utique determinatè dici potest testificatio de ipso. Siquidem si respondent certum esse, quod vetus Testamentum testificabatur de ipso, solum poterat hæc testificatio aliqualiter dilucidari, sed per expositionem non variaretur; hoc idem & nos dicemus de Ecclesia &c.

Ad sextum, & septimum jam patet ex notabili secundo; negamus itaque legem semper esse declarabilem, aut non statim obligare post ordinariam promulgationem, & de hoc jam satis dictum fuit, cum ageremus de obscuritate Sac. Script. Doctrinalia siquidem, & moralia diversimodè regulantur, nec legem interpretari formaliter potest, nisi qui

potest

potest legem condere, unde solus Deus, vel Ecclesia jus habet exponendi legem divinam. Quod verò dicitur de sermone Domini in monte, constat ex ipso textu, & ex dicendis infra de præceptis Evangelii, non fuisse rigorosam legem, ea enim omnia non fuerunt præcepta simpliciter talia, sicut ea violare non est peccatum simpliciter tale; sed erant quædam regula perfectionis, ad quam ducit Evangelium regni Dei, proponendo prœmia diversa, diversis virtutibus, ideò nil mirum, quòd ad perfectionem suadendam, & ad directionem animarum in via, quæ non omnibus tam facilè nota est, laborarunt Sancti Patres, & hoc sano modo intellectum satis est, ne in infinitum abeamus.

His satisfactum credimus objectioni tot laqueis innodatæ ex hæreticorum perfidia; qui plura voluerit adeat controversistas, Bellarminum, Gravinam, & Theologos in tractatu de fide, præcipuè Patres Salmaticenses, nam data opera hujusmodi auctores, ferè intactos reliquimus, in hac quæstione, tum ne nimium diffusa tædium generaret, tum ut locum relinquamus meliori doctrinæ, ad quam recurrat, cui ista non sufficit, illis enim ex animo subscribimus.

ARTICULUS III.

An Sacra Scriptura in omni sui parte, prædictam habeat exponibilitatem.

EXcitamur ad ità inquirendum, argumento, quod conclusioni in antecedenti stabilitæ, opponi potest. Vel enim in singulis suis partibus Sacra Scriptura, æqualem habet divisibilitatem, seu exponibilitatem, vel non; si primum, ergo & dogmata, & præcepta id habebunt, quod sustineri non potest; si secundum, ergo non in omni sui parte est divina locutio, vel Sacra Scriptura, quòd est idem, idque falsum est, & contra mentem Concilii, & Ecclesiæ, sicque Fides ex hoc nutaret, cum posset dubitari, quænam esset hæc pars in ea, quæ non esset divina locutio. Prob. conf. ideò enim eam diximus, ita semper exponibilem, quia est Verbum Dei, ejus Doctrina, & sapientia, ergo si hæc proprietas oritur, ex ratione locutionis divinæ, ubi æqualem exponibilitatem non invenimus, jam declinare eam partem concludemus, a ratione divinæ locutionis.

Confirm. si talis divisibilitas oritur ex perfectissima unitate Sacræ Scripturæ, talis pars, in qua ea non invenitur a tali perfecta unitate excluderetur, ergo & a priori ratione divinæ Scripturæ, vel Sacra Scriptura una erit, & una non erit, quòd est nullo modo unam esse, nam de uno non verificantur contradictoria, nisi quatenus definit esse unum.

Confirmatur 2. Certum est, & patet per evidentem experientiam, quòd aliqua loca Scripturæ sunt magis lateris sensus, alia verò apertioris, dantur enim ænigmata, & parabolæ. de quibus seorsim, Deo dante, uti obscurioribus, alibi agendum erit: Alia verò dantur, per quæ ænigmata ipsa explicantur, Sacra enim Scriptura sæpe in uno loco expli-

A cat, quòd in alio loco abscondit, ut ex Augustino, & Patribus ostendemus in regulis, & est res ex se notissima, ergo falsum est, quòd fuit assertum, ipsam nempe semper esse exponibilem; quòd enim clarum est, expositione non indiget, quòd est obscurum, ab ipsa Scriptura explicatur.

Ut ergo, & quæstioni simul, & argumento fiat satis. Notandum est, primò, sivè recolendum, quòd alias dictum est, quòd sicut compositum humanum, quia est perfectum, & ex sua perfectione ei competit habere diversas operationes, ad quas diversa requiruntur instrumenta, ac propterea, in ipsis organis sensuum præcipuè internorum, diversa sunt primarum qualitatum temperamenta; quia memoria v. gr. perficitur per humidum temperatum, quo facilè recipit, & per calidum, & siccum, quo
B facilè operatur, & retinet species, quòd temperamentum non convenit imaginativæ, aut sensui communi, ordinatis solum ad recipiendum, & ministrandum phantasmata. Temperamentum cordis est igneum, & aereum; cum sit officina spirituum. Cerebrum verò frigidum, ne ex ejus calore confundantur operationes animales. Ita proportione servata Sacra Scriptura, cum data sit ad perficiendum hominem, in ordine ad supernaturalem finem, ad quem dirigitur per operationes spirituales, cumque hæ sint valde diversæ, aliæ enim spectant ad intellectum, aliæ ad voluntatem, & rursus in singula ex his potentiis, plures variæque virtutes, ac maxima latitudo potentiæ obedientalis, & magna pariter latitudo graduum, in cujuslibet virtutis linea;
C cum res ita sit, necesse est Sacram Scripturam, ob suam perfectionem, pluribus ætherogeneis partibus gaudere; ad quòd accedit varietas magna personarum, graduum, & officiorum, quibus Ecclesiastica componitur hierarchia, cujus regula adæquata est Sacra Scriptura (Ecclesiam supponimus) quæ proinde habere debet, quo omnes dirigat ad Dei gloriam, & ad perfectam similitudinem Cælestis Hierarchiæ, ac triumphantis Ecclesiæ, quæ omnia si vel minimum ponderemus, distincta petent volumina. Stet igitur, & talem partium diversitatem deberi Sacræ Scripturæ ob suam perfectionem, & quòd sicut homo non ammittit suam unitatem perfectam, aut suam formam, & definitionem, aut veritatem sui esse, per tantam partium diversitatem, etiamsi, & spiritu, & corpore componatur; Ita Sacra Scriptura,
D ex diversitate suarum partium, quarum aliæ simplicibus, aliæ sapientibus, aliæ innocentibus, aliæ peccatoribus, aliæ activis, aliæ contemplativis, aliæ cum proportione incipientibus, proficientibus, perfectis; hæ superioribus, ac magistris, hæ rudibus, ac ignorantibus dirigendis ordinantur, suam non ammittit unitatem, sed potius unitatem Ecclesiæ tribuit, nec veritatem, quæ summa, una, & indivisibilis ejus forma est, quin potius ad eam omnia trahit. Una igitur omnibus accomodatur, cum ab eo sit, & ad eum tendat, qui dixit: venite ad me omnes, & mittit servos ad exitus viarum, ut surdos, & cæcos, & claudos introducant, ut domus sua impleatur.

Secundò notandum est, quòd expositio Sacræ Scripturæ, non est fidei examen, aut principiorum

ejus. Hæc enim debent supponi, eorumque veritas inconcussa, est lydius lapis, ad quem quælibet expositio probari debet. Quæ ergo sunt principia fidei necessaria, uti satis nota, ab expositoribus supponuntur ut vera, atque certissima, sed quia fides est de obscuris, conantur eorum quantum fas est, minuere, quoad nos obscuritatem, eruendo aliquos sensus, qui latebant, seù melius ostendendo, quommodo sensus fidei reperitur etiam in ea parte, in qua non apparebat, ex quo major unitas, & universalitas dignoscitur veritatis. Vel quia, ut dictum est maxima in Ecclesia est diversitas personarum, officiorum, virtutum, & actionum, id præstant Sacri Expositores, ut quæ mysteria solis nota erant sapientibus, etiam insipientibus aliqualiter illucescant, ut & ipsi sapientiam discant, & qui mali, convertantur, & qui boni perficiantur; semper enim ad ulteriora contendit, qui altissimum tendit ad finem, *sapientiam autem loquimur inter perfectos*, ait Ap. *1. Chorint. c. 2.*

Tertio, & propter eandem rationem, etiam notandum est, quòd ut infra videbimus, in Sacra Scriptura dantur sensus (semper verò supponitur fides) aliqui, aliis subtiliores, profundiores, ac magis elevati, & è converso alii simpliciores, & hoc tam in ordine ad doctrinam, quam in ordine ad mores, tam loquendo de litteralibus, quam de mysticis seù spiritualibus. Gratiam verò interpretationis sermonum, donum intellectus, & scientiæ, & sapientiæ dat Spiritus Sanctus pluribus, prout vult, ut plus minusque sensus introspiciant latentes, eosque eruant, ac communicent, ad perficiendam Ecclesiam.

Quartò, ut alias etiam advertimus. Partes Sacræ Scripturæ, possunt vel seorsim considerari, vel secundum coordinationem, quam habent ad partes principaliores, & in iis ad totum. Unde SS. PP. ut videre est in expositionibus Augus. Ambrosii; divi Thomæ; Chrisostomi, Gregorii, aliorumque, qui eos sequuntur, exponentes, vel librum unum, vel Psalmum, vel Epistolas, primò quærunt totius intentionem, & sensum, quasi communem omnibus partibus, deindè sigillatim partes ipsas, & secundum se, & prout deserviunt, suo fini exponunt; unde multoties pars illa, quæ seorsim tamquam una oratio videtur apertissima, in ordine ad totum, vel etiam ad aliquas compartes, non sine magno lumine, & labore declaratur. Hinc.

Dicendum est primò dogmata fidei, & præcepta divina formaliter in esse talium considerata, non sunt exponibilia quoad substantiam, sed tantum accidentaliter, & quasi extrinsecè, semel posita, ut est de facto, declaratione Ecclesiæ.

Ista conclusio est de fide, & habetur in gestis primæ Ephes. Synodi, ubi perlecto symbolo Nicenæ Synodi, decrevit Concilium, aliam fidem nulli licere proferre, vel conscribere, vel componere præter definitum à SS. Patribus, qui in Nicena Synodo congregati sunt, cum Spiritu Sancto, & hoc sub anathemate, quòd etiam reiteratur in gestis Calcedon. Concilii, ergo. Patet cons. si enim adhuc dogmata fidei remanerent exponib. secundum substantiam, secundum illam non essent sufficienter exposita, ergo non potuisset Concilium ea statuere sine debita expositione, immò cum dicat nulli licere aliam fidem, supponit hanc rectam fidem, jam simpliciter constitutam, aliter id quòd superadderetur, non esset alia fides, ut patet.

Confirmatur, si essent exponibilia, possent admitti diversæ expositiones, quæ variarent, sicut in aliis admittuntur locis interpretabilibus Sacræ Scripturæ, unde non idem omnes dicerent, & sic tolleretur unitas Ecclesiæ, quia non servaretur id, quòd dicit Apostolus 1. *ad Chorin.* 1. quòd maximè explicat unitatem Ecclesiæ. *Id ipsum dicatis omnes, nec sint in vobis scismata*, quòd esse non potest, nisi dogmata fidei unicam tantum habeant expositionem, quoad substantiam.

Confirmatur 2. ad Petrum, ejusq; successores spectat tantummodo, finaliter determinare, quæ sunt fidei, ut prob. D. Thom. 22. qu. 1. ar. 10. & cons. omnes Catholici tenent, ergo cum Pontifex determinaverit jam finaliter dogmata fidei, implicat, quòd sint exponibilia secundum substantiam, aliter non finaliter determinasset, nec satis fecisset muneri suo, nec Fides, quæ esset determinabilis, determinatè obligaret.

Confirm. 3. Christus dixit Petro. Luc. 22. ego rogo pro te Petre &c., & tu aliquando conversus confirma fratres tuos; siquidem nulla esset confirmatio facta à Petro, quoad fratres suos in Fide, si adhuc ea esset exponibilis substantialiter, confirmatio enim supponit rem in esse, ipsamque munit, & firmat.

Sed obiicies, in aliquibus Conciliis exposita fuerunt noviter dogmata fidei, quantum ad substantiam, ergo sunt exponibilia etiam post declarationem Ecclesiæ, patet cons. nam ea Concilia ante supponebant primam Ecclesiæ declarationem. Ant. prob. nam in determinatione Concilii Calcedon. dicitur, quòd illi, qui fuerant congregati in Concilio Constantinopolitano, doctrinam de Spiritu Sancto tradiderunt, quæ nihilominus mutata est ab Ecclesia, quia in priori Symbolo dicebatur in Spiritum Sanctum à Patre procedentem, postea verò additum, est qui a Patre, Filioque procedit.

Confirm. ex D. Thoma 22. qu. 1. art. 7. ubi loquens de fidei articulis, dicit secundum Gregorium, quòd secundum incrementa temporum crevit etiam scientia Sanctorum Patrum, & quanto viciniores fuerunt adventui Salvatoris, tanto Sacramenta salutis plenius perceperunt. Deinde ipse in corp. articuli dicit, quòd quantum ad explicationem, crevit numerus articulorum, ergo tales articuli, in quibus prima fidei dogmata, quoad substantiam continentur, erant explicabilia, & exponibilia, cur ergo modo pariter non erunt?

Resp. ad objectionem dis. ant. exposita, idest completa est priorum Conciliorum declaratio, con. ant. exposita quoad substantiam, neg. ant. & ita respon. D. Thom. 1. qu. 36. art. 2. ad secundum, Inquit enim; sequens Concilium, non faciebat aliud Symbolum, quam primum, sed id quòd implicitè continebatur in primo symbolo, per aliqua addita explanabatur in 2. contra hæreses insurgentes, ubi notandum, quòd loquitur de symbolo, quòd importat dogma fidei, ut declaratum ab Ecclesia, non dogma fidei,

quoad

quoad substantiam præcise, ut continetur in Scriptura; sic igitur Ecclesia in secundo Concilio, non facit novam expositionem dogmatis fidei; sed insurgentes, ut compescat errores, propriam declarat declarationem, quæ quidem quando facta est, sufficiens erat, inspecta dogmatis exigentia; sed ingruentibus novis hæreticorum tenebris, quasi obscurata quoad nos illa prior declaratio, nova contra hæreses declaratione indigebat, ut ostnederetur etiam cæcutientibus, quid semper continuit illud fidei dogma. Adde quod, cum in priori symbolo dicebatur, in Spiritum Sanctum, a Patre procedentem, nec negatum fuit, nec suspensum, quòd etiam a Filio procederet; Pater enim nomen est relativum ad Filium, & ibi ex vi materiæ sumitur ut relativum, agitur enim de amore, qui certè est inter duos, ex propria ratione, & hi duo in divinis nequeunt esse nisi Pater, & Filius in ordine ad Spiritum Sanctum, maximè cum sit eadem in utroque summa perfectio, & bonitas, objectum amoris.

Ad confirmationem, conc. ant., loquitur enim de Patribus veteris Testamenti qui erant in nube, quoad ea, quæ nobis in Christi luce clarescunt, nec aliter conveniebat illi statui imperfecto, cui satis erat Fides in venturum Messiam, ut in ea justificarentur, tunc igitur fidei dogmata erant prophetica, & exponenda per factum, scilicet per ejus adventum.

Ad id, quod additur ex eodem Angelico, ipse se explicat, secundum nostram conclusionem, inquit enim, *sic ergo dicendum, quod quantum ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum, per temporum successionem, quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicitè, sed quantum &c.* prosequitur, ut in confirmatione. Sed insuper addendum, quod D. Thomas comparat eo loco fidem novi Testamenti, cum Fide veterum Patrum, illa autem erat imperfecta, ejusque dogmata, ut dictum est, erant exponenda per ipsum implementum prophetiæ; nos autem hic consideramus dogmata fidei, quoad substantiam, habita semel declaratione Ecclesiæ, unde est lata diversitas.

Secunda pars conclusionis, de præceptis legis divinæ quoad substantiam, potius supponenda est, quam probanda; sufficiet igitur eam ostendere, & explicare per verba Angelici Præceptoris, *p. 2. qu. 109. art. 2. ad secundum* ubi inquit: *legi divinæ conveniens erat, ut non solum provideret homini in his, ad quæ ratio non potest, sed etiam in his, circa quæ contigit rationem hominis impediri; Ratio autem hominis, circa præcepta moralia, quantum ad ipsa communissima, præcepta legis naturæ non poterat errare in universali; sed tantum propter consuetudinem peccandi, obscurabatur in particularibus agendis. Circa alia verò præcepta moralia, quæ sunt quasi conclusiones, deductæ ex communibus principiis legis naturæ, multorum ratio oberrabat, ita ut quadam, quæ sunt secundum se mala, ratio multorum licita judicaret, unde oportuit contra utrumque defectum homini subvenire, per auctoritatem legis divinæ, sicut etiam inter credenda &c.*

A Ex quo deducitur, quod ipsa lex divina, quoad præcepta moralia, quæ etiam naturalia sunt, addidit auctoritativam declarationem, per quam tenebras peccati, & corruptionem rationis, quibus obscurabatur lumen, & lex naturæ, devicit, quommodò ergo erunt exponibilia, quoad substantiam talia præcepta, si ipsa divina lex, est ipsa eorum expositio auctoritativa, dans eis lumen, & pondus? vel ergo sumitur lex divina, in hac ratione auctoritativæ declarationis, & sic satis clara est, cum sit ipsa declaratio, & nobis sufficienter applicata per propositionem, & intimationem Ecclesiæ, vel sumitur quoad substantiam præceptorum; & hoc modo sunt ipsa naturalis luminis, lex, & naturalia præcepta virtutum, applicata, & confirmata pondere divinæ legis, & hoc modo sunt per se nota B naturæ, ablato per illam applicationem impedimento; vel sumuntur quoad accidentalem, & materialem extensionem, & hoc modo si sunt exponibilia, jam est probata etiam ultima pars conclusionis.

ARTICULUS IV.

Complectens, quæ desunt ad perfectionem hujus materiæ.

Dicendum est secundo; Non omnes partes, & singulas Sacræ Scripturæ si seorsim, & præcisè sumantur, sunt æqualiter exponibiles: hæc conclusio ad sensum patet, non enim singulæ proposi- C tiones fundant præter sensum litteralem, vel plures litterales, quem vel quos habent, sensum spiritualem, neque omnes in se sunt vel parabolicæ, vel ænigmaticæ, vel per aliam figuram, sensus celant, nec in hoc est immorandum, res enim clara est, & magis clarescet, cum de sensibus Sac. Scripturæ agemus, aut regulas tractabimus.

Dicendum est tertiò, id quod superiori quæstione resolutum est, convenit Sacræ Scripturæ quoad omnes, & singulas ejus partes, si sumuntur prout stant sub coordinatione, & divina veritate, atque intentionem respiciunt totius.

Hæc conclusio probata jam fuit præcedenti quæstione, cum enim Sacra Scriptura sit semper divisibilis, idest exponibilis, hoc debet habere ratione suarum partium, immò quia totum non distingui- D tur a suis partibus, simul sumptis, & unitis, illud certè concluditur de ejus partibus simul sumptis, idest sub coordinatione, quod probatur de ipsa adæquatè considerata.

Probatur etiam peculiari ratione: tanta divisibilitas, seu exponibilitas, quam convenire Sacræ Scripturæ probatum est, oritur ex ejus eximia unitate, & perfectione, quia nempe, paulatim solummodo attingi potest, quod in se summum est. Sed ejus partes majorem exprimunt perfectionem, per hoc quod sumantur unitim sub coordinatione, & respectu ad Deum loquentem, ejusque veritatem, ergo. Major constat ex supradictis. Minor prob. ex doctrina D. Thomæ 22. qu. 1. art. 2. in c. ubi ponit hanc diversitatem, inter intellectum divinum, & nostrum, quod divinus ob suam simplicitatem

cogno-

cognoscit etiam complexa incomplexè. Noster verò ob suam potentialitatem cognoscit etiam incomplexa complexè, unde concludit, quod objectum fidei secundum se, & in se, est aliquid incomplexum, sed ut attingibile a nobis, sive reflectendo supra objectum, & modum nostræ cognitionis, dicitur aliquod complexum; ergo Sacra Scriptura considerata secundum coordinationem, dicit maiorem propinquitatem, vel minorem distantiam ab ipsa divina veritate, & modo proprio, quam habet veritas ex parte Dei, siquidem etsi sub hac ratione non sit aliquid incomplexum, majorem tamen dicit unitatem, quæ minus recedit a simplicitate, ex quo manifestè sequitur, hoc modo consideratam, esse magis exponibilem, quia magis absconditur, & recedit a nobis, quo magis accedit ad Deum, neque amplius in hoc est immorandum, cum res clara sit, majori non indigens expositione, positis iis, quæ supra notavimus.

Ex quibus, & ex hactenus deductis, argumentum primò loco positum cum suis confirmationibus, in præcedenti articulo, enervatum cadit. Respond. enim, quod sicut in secundâ conclusione dictum est, non omnes partes Sacræ Scripturæ seorsim sumptæ, sed omnes sub coordinatione æqualiter sunt exponibiles, quia prout sic potius sumuntur formaliter, & sunt ipsa tota Sacra Scriptura, quam materialiter; ad probationem prout obstare videtur secundæ conclusioni. Resp. neg. conseq. quia ut ostensum est in primò notabili, dignatur Deus suam attemperare locutionem, cum diversis membris Ecclesiæ, & quamvis, cum loquitur ad simplices, non videatur exprimere excellentiam divinæ locutionis, eam tamen exprimit, coordinando illam, & si simplicem locutionem cum sublimibus mysteriis, ideòque prout divinam exprimit sapientiam, semper est exponibilis.

Ad primam confirmationem, resp. illa pars excluderetur ab unitate, & perfectione Sacræ Scripturæ, si non posset summi cum coordinatione, sive si excluderet illam coordinationem, transeat, si non excludit, neg. ant. sufficit ergo ut dictum est, quod revera sicut est de facto, quælibet pars stet sub tali ordine, &c.

Secunda confirmatio probat nostram secundam conclusionem, neg. tamen consequ. nam quamvis ita sit, quod Sacra Scriptura explicat se ipsam, hic tamen labor est, invenire, ubi nam se explicat, & etiam dato, quod pervium sit, hoc invenire, probandum erit, quod textus explicativus, vel explicatus, non possit aliter exponi, sed si hoc etiam constaret, diceremus, quod tunc sumuntur illæ partes seorsim, ut verò stant sub coordinatione tot mysteriorum, semper remanent scrutandi plures sinus reconditi divinæ sapientiæ.

Nec refert si contra hactenus dicta obiicias, falsum, esse, quod ea, quæ videntur simpliciter dicta in Sacra Scriptura, etiamsi sumantur seorsim, non sint exponibilia; Unico satis hoc probatur exemplo. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*, sunt prima Genes. verba, quæ videntur simpliciora, & clariora esse non posse, & tamen Marsinenghus, eruditissimus auctor Glosæ magnæ, adhuc succosè procedens, ferè tomi magni dimidium consumpit, in explicando, ly in principio, & multo plus in exponendo ly creavit Cœlum, & terram, & tamen Moderni Expositores, post ipsum, ut Pereira, habent quid addant, & Moderni Critici multo plura excitant dubia, & quæstiones super iisdem, ita ut tria priora Geneseos capita, quæ simplici narratione procedunt, plures tomos exigant expositionis, & nondum finis, ergo quo minimi videntur apices, eo maximè exponibiles sunt.

Resp. primò, prædicta verba videri quidem, & esse simplici veritate proposita, sed in se ratione materiæ continent mundum universum, & creatorem mundi, omniumque scientiarum objecta exhauriunt, unde nil mirum, si volumina prodierint, & prodeant, quasi sine fine, pro eorum expositione.

Secundò, quod Doctores non se extendunt in expositione rigorosa illorum verborum, quæ in se facilem habent intelligentiam, sed in aliis quæstionibus, quæ non ex textu, nisi occasionaliter, & valdè remotè oriuntur.

Tertiò, ideò illa verba tantam mereri expositionem, quia sumuntur sub coordinatione, uti prima, quæ ad sequentia mysteria referuntur, illæque dictiones, sic explicatæ pandunt viam, ad earundem intelligentiam, & varios sensus, quos habent in reliquo Scripturæ: Nam & ille dicitur lib. Genes., & Evangelium Matthæi, lib. generationis Jesu Christi; incipit Genes. In principio creavit Deus, & Evangelista Joan. in principio erat Verbum, excitantur ergo mentes Expositorum ex similibus relationibus, ut sensus inde eruant, quos possunt, ex quibus alia pariter loca Scripturæ intelligantur.

Est tamen argumentum non spernendum contra unitatem Sac. Script. quòd hucusque reservavimus, ne tractatus confunderentur. Non apparet quomodo possit salvari unitas Sacræ Scripturæ, admittendo communem Patrum omnium, Theologorumque sententiam, distinguentem in Sacra Scriptura plures sensus, litteralem scilicet, & spiritualem, quorum singuli pariter subdividuntur. Constat enim ex logicis, quòd æquivoca a demonstrationibus excluduntur, eo quod contineant plures sensus, quia hoc est contra unitatem veram locutionis cujuscumque, ergo si tot sensus, in tota ferè Scriptura distinguuntur, nullo modo ejus unitas potest salvari, cumque hoc sit omninò proprium ejusdem Scripturæ, ipsa non habet radicem formalis unitatis, quæ habet in se, & juxta suam exigentiam, formalem pluralitatem.

Cui argumento, ut respondeamus, oportet prius diligenter de sensibus Sacræ Scripturæ tractatum instituere, sic enim etiam rectus ordo postulat, quia talis pluralitas, ut videbimus, est proprietas Sac. Script. ideòque in fine hujus partis, non est prætereunda, sit ergo.

TRACTATUS X.

DE SENSIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ.

CAPUT I.

Generalia tractans ad Scripturæ sensus pertinentia.

ARTICULUS I.

Quid non sit, quidve sit sens. Sacræ Scripturæ.

SApientissimè inquit sapiens. Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia, cujus incoruptio facit esse proximum Deo, cap. 6. Mortuis siquidem circumamicta caracteribus, & quasi contumulata membranis, adhuc sensum conservat, immò & plures sensus. Illa quippe est, de qua dixit Christus, *Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus, & vita sunt*, nedum spiritualia, sed spiritus, nedum viva, sed vita, & nedum sentiuntur, sed sensus sunt, quæ enim tantummodò viva sunt, mori possunt, sed vita non moritur; etsi morti nectatur, adhuc semper est vita, semper spiritus, semper sensus; Verba igitur, quæ loquitur Deus, spiritus sunt, quia Deus spiritus est; & spiritualem semper sensum custodiunt, intimeque in visceribus, vita sunt, quia ipse vita est, & ex quo ipse mortale corpus assumpsit, ut omnes vivificaret, spiritus quidem adhuc vivificat, scilicet sensus spiritualis, sed littera, idest sensus litteralis, non occidit, quia continet vitam. Hinc vitam duplicem in novo Testamento annunciavit Jo. cap. 1. de utroque dicens. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, vita erat, quia sensus spiritualis vivificat, & vita erat etiam litteralis, quatenus est lux hominum, eis fidem ministrans, & vitam, cum sit veritatis, fidei, omnisque intelligentiæ fundamentum, unde & subdit, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Ex his sublimi quodam circuitu, ea ferè omnia, quæ exiguus complectitur iste tractatus, concluduntur, ad majorem tamen claritatem, magis distinctè procedendo, prius de sensu Sacræ Scripturæ secundum se, quid non sit, & quid sit discernere oportet, Ne sensum, qui spiritus est cum eo, qui veluti corpus est, confundamus; ex quo enim divina carnem assumpsit sapientia, ita spiritus, & sensus confæderantur, ut studio non modico opus sit, ad utrumque discernendum.

Hæc dictio sensus, vulgò communiter potentiam significat, vel internam, vel externam, qua animal versatur circa externa corporea objecta, primò cognoscenda; de qua re agitur, in libris de Anima, ideoque tales potentias sic vocari, dicit Isydorus, lib. 2. Orig. cap. 1. quia per eos anima

A subtilissimè totum corpus agitat, vigore sentiendi. Ex hac autem communi significatione, transtulere eandem dictionem sapientes, ad significandum mentis intelligentiam, conceptumque determinatum, ad quem terminatur intellectus, seù vigor rationis, & hæc etiam est propria, non metaphorica significatio, quia sic accipiunt homines in communi usu loquendi hanc dictionem, etiam pro rationali sententia; sic enim postulat connexio, quæ est inter intellectum, & sensitivam partem, quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, pro hoc statu, & intellectus ipse intelligit per conversio-
B nem ad phantasmata, quæ sunt rationes sensatæ, ac denique ipse intellectus, cum sit propria, ac nobilior potentia rationalis partis, omnem sensuum perfectionem eminenter formaliter continet. Hinc cum magna proprietate, operatio sensitivæ potentiæ, dicitur sensatio, quia est quoddam initium, ad hoc ut in intellectu perfectus exurgat conceptus, qui dicitur sensus, quasi continens sensuum materialium perfectionem, & determinatio cognitionis dicitur sententia, quasi sensus entis, sensus verus, & de entitate rei, quam solus intellectus
C attingit, cum habeat pro objecto proprio ens.

Significat ergo hæc dictio cum proprietate, conceptum mentis, sive intelligentiam determinatam. Ideò dum *Sap. 7.* dicitur, *optavi, & datus est mihi sensus*, idem est, ac si dicat, data est mihi intelligentia, & dum Paulus *p. Chorin. 2.* dicit. *Nos autem sensum Christi habemus*, dicere voluit mentem Christi attingimus, aut cognoscimus, vel ut explicat. D. Th. prædicto cap. *Nos autem spirituales, viri sensum Christi habemus, idest recipimus in nobis sapientiam Christi, ad judicandum; judicare autem
D est sententiare*, & plura ibidem habet Angelicus ad eundem sensum explicandum, consonat etiam quod dicitur Roman. 11. ut explicat Tertull. lib. contra Hermog. cap. 17., & alibi, & quia qui prudens, & sapiens est, facilè dat sententiam, ideo dicitur vir sensatus, ut *Ecclesiast. 15. Ab uno sensato inhabitabitur patria*, idest ab uno sapiente, vel prudente, ut vertit Pagnin., & alii ab uno Cordato, *& Ecclesiast. primo, bonus sensus, usque ad tempus abscondet verba illius, & labia multorum enarrabunt sensum illius.*

At quia voces, sive locutio, & scriptio institu-

ta

ta ad manifestationem interni conceptus, ab eo formaliter non differunt, ideò sicut conceptum dicimus, sensum, ita ipsum in locutione, vel scriptione deprehendentes, dicimus, novisse, quid dicens, vel scribens sentiat sive sensum ejus, ideoque veritatem, seu sententiam ab eo sic expressam dicimus esse sensum ejus.

Hinc bene notat N. P. Anton. *prælud. 3. dub. 1. num. 2.* dicens *cum de scripturæ sensibus sermo instituitur, tria, quæ inter se connexa sunt, sensus nomine accipiuntur. Primò veritas, seu sententia, quam verba sacra significant, secundo conceptus ille, qui correspondet in intellectu divino verbis, illam veritatem a Spiritu Sancto intentam significantibus. Tertio conceptus noster verus, & conformis conceptui divino, quem de veritate significata per verba prædicta formamus, & licet antecedenter ad tertium jam in Sacra Scriptura sensus sit, non tamen sine illo, nos Scripturæ sensum habemus.*

Duo tamen adhuc notanda videntur, primum est, nomen sensus speciali proprietate dici, de sensu Sacræ Scripturæ. Cum enim sensus, utpote determinatus ad unum, circa proprium sensibile operando falli non possit, infallibilitatem sensus Scripturæ proprii, melius explicare non possumus, quam hoc nomine, ut nos eum cognoscentes, eum quasi sentire supplentem defectum claritatis infallibilitate divinæ veritatis profiteamur.

Secundum est, quod quamvis eadem sit veritas in locutione, seu scriptione, quæ est in intellectu loquentis, seu scribentis, eadem tamen veritas, seu conceptus, prout est in ipsa manifestatione, aliquid aliud importat, ut nempè sit in ipsa ex intentione dicentis; cum enim loqui sit actio exterior, vel saltem effectus exterior, ut est in divina locutione, quia Deus non agit actione transeunti formaliter, pendet a voluntate, quæ semper in operando intendit finem; concipere verò præcisè, potest non esse propter finem intentum, quia spectat præcisè ad intellectum, & quia ut dictum est, quoad nos sensus Dei, non est sensus, nisi a nobis concipiatur in sua manifestatione nobis facta, non potest dici aliquis conceptus esse sensus Sacræ Scripturæ adæquatè, nisi nos concipiamus simul eum esse correspondentem conceptui divino, & ejus intentioni, quia enim illum concipimus, ut in manifestatione contentum, eum etiam concipimus ut correspondentem intentioni ejusdem. Quod bene notandum est, cum in tali advertentia habeamus regulam necessariam ad discernendum sensus veros, ab apparentibus. Siquidem ubi invenimus, sive apparet nobis aliquis sensus, indignus divina intentione, seu manifestatione, ut intenta, & directa ad ipsum, tunc procul omni dubio concludemus eum non esse sensum Sacræ Scripturæ, quam regulam aliis verbis & alio fine traditam ab Augustino, aliisque Patribus, alibi Deo dante, cum occurret, pertractabimus.

Hæc autem aliquantò diffusius, quam fit mos aliorum, in præsenti extendimus, quia ad intelligentiam Scripturarum, quam intendimus, multo magis necessaria est notitia sensuum Sacræ Scripturæ, tum in genere, cum in specie, quam plures aliæ

A curiositates, in quibus aliqui Moderni prurientes auribus legendum, quasi otiosè versantur.

Et verò, sic explicata definitione, quid nominis, clara etiam est communis definitio, quid rei, seu potius descriptio sensus Sacræ Scripturæ, quæ omnium ferè consensu, si se habet. Sensus Sacræ Scripturæ, est conceptus ille, quem verba sacra litteris consignata ex intentione Spiritus Sancti immediatè, vel mediatè significant, quæ definitio, ut patet, explicat sensum, ut Sacræ Scripturæ potius, quam ut sensum in abstracto, nam ly conceptus in definitione positus, idem est, ac si in ea poneretur sensus, unde potius est quædam explicatio definitionis, quam definitio, hoc quippe complexum, nempe sensus Sacræ Scripturæ, potius est definitio, quam definitum, in qua importatur ly sensus tamquam
B genus, ly Sacræ Scripturæ tamquam differentia, secundum regulam definibilium in abstracto, apud logicos. Hæc igitur explicatio, qualiscumque illa sit hujus definitionis, sanè optima est, cum eam communiter admittant omnes veri Theologi, quorum communitas constituit principium doctrinale, irrefragabile; nec aliquid addendum, pro ejus declaratione, cum sit ipsa explicatio, ejusque termini satis constent ex prænotatis. Sed quia aliqua videtur difficultas in eo, quod dicitur, mediatè, vel immediatè significant, advertendum est, quod ut ex D. Thoma qu. sequenti videbimus, privilegium est Sacræ Scripturæ, uti duplici genere significationis ad manifestandum proprios sensus, scilicet utitur verbis institutis ad significandum, quod est com-
C mune omni alteri Scripturæ, & insuper utitur rebus ad significandas alias res, & talis conceptus significatus per illas res, est etiam ipse proprius sensus Scripturæ, in quo differt ab omni alia, quæ non sit divina Scriptura, & quia quando significat sensum per res, non assumit res materialiter, sed eas ipsas res, per proprias earum voces significat, quod est mediatè significare, scilicet mediante re, & voce, propterea in descriptione dicitur, quam verba mediatè, vel immediatè significant, est itaque diversus valde modus significandi sensum divinum utrobique, & unus ex his modis communis, nempe immediatus, videtur ibi positus quasi expressio generica, alius verò specialis quasi expressio differentialis, ut appareat aliqua similitudo definitionis, etiam in hac parte: & locum non habeat objectio,
D qua opponi poterat, hanc definitionem, potius esse divisionem, qua dividitur sensus Scripturæ in eum, qui immediatè, & in eum, qui mediatè significatur; hæc enim in alia quæstione, ut sunt membra dividentia sensum Scripturæ, examinabuntur, nunc autem ponuntur prout unum eorum est aliquid generale omni alteri sensui alterius, cujuscumque Scripturæ, alter autem, ut determinatè soli Sacræ Scripturæ conveniens.

Advertendum etiam est secundo; ad prædictæ explicationis, seu definitionis intelligentiam, quod ly mediatè, vel immediatè designat tantummodo, ipsum significationis modum, non verò intentionem Spiritus Sancti, quia talis intentio, ita mediante voce intendit aliquem sensum manifestare, sicut mediante re, unde hoc modo considaratus uterque sen-

sus,

ſus, eadem ratione dici poteſt mediatus, vel immediatus, cum igitur aſſignatur diverſitas inter utrumque, hęc non attenditur penes intentionem, vel ſignificationem intentam, ſed penes modum ipſum ſignificationis, quia inter ſignificationem immediatam, & ſenſum ſignificatum, mediat tantummodo vox, quę non ponit in numero, ideò dicitur ſignificatio immediata, inter ſignificationem verò mediatam, & ſenſum intentum, mediat alia res, & inſuper vox ſignificativa, ipſius rei mediantis, ideoque dicitur mediata, ut etiam ſupra explicuimus. At quia non omnes ęquè hanc doctrinam admittunt propterea inſtituitur.

ARTICULUS II.

Quotuplex ſit ſenſus Sacræ Scripturæ.

ÆQuè nota, ac controverſa eſt ea, quę nunc fuit explicata ſenſus Sacrę Scripturæ diviſio, qua primò dividitur in ſenſum litteralem, qui dicitur immediatus, & ſpiritualem, qui dicitur mediatus, ſive per res prius ſignificatas. Quamvis autem hæretici, quos infra referemus in extrema declinent, in duas claſſes diviſi, quarum altera negat ſpiritualem ſenſum, altera litteralem, tamen.

Dicendum eſt cum omnibus ferè Catholicis, dari in Scriptura duplicem ſenſum prædictum, litteralem, qui ſignificat immediatè conceptum a Spiritu Sancto intentum, & ſpiritualem, qui medio litterali ſignificat res, ut ſignificativas alterius conceptus intenti a Spiritu Sancto.

In hac concluſione perpetuus eſt D. Thomas, eamque docet apertiſſimè, & ſuſtinet, quodlib. 7. artic. 14., & 15., & 16., & de potentia, q. 4. artic. 1., & in 4. diſtinc. 21. q. 1. artic. 2. q. 1. ad 3., & pr. p. q. 1. artic. 10., & in toto aureo opere expoſitionum epiſ. D. Paul. praxi docet, quod ſemper ſuſtinet ratione, eumque ſequitur univerſa ejus ſchola loco citato, & prima parte. Omneſque ita ſentiunt Eccleſię DD. unanimi conſenſu omneſque antiqui, ac moderni DD. Expoſitores, & Theologi (quos, uno excepto Abulenſi; qui, ſingularem hac in re ſibi effingit ſententiam) referunt, & ſequuntur Scalante in clyp. lib. 1. cap. 14. Lorca 22. de locis Cathol. diſput. 4. Bellarm. lib. 3. de Verb. D. cap. 3. N. P. Anton. loco citato. N. P. Dominicus in bibl. lib. 3. ſect. 1. cap. 109. N. P. Franciſcus in Apocalyp. tom. pr. diſp. 1. N. P. Philip. in primam partem diſp. 2. dub. 6. &c.

Concluſio eſt de fide, tum quia eſt communis conſenſus SS. PP., tum quia nemo eam negare poteſt, niſi neget plures textus Sac. Script. unde.

Primò ſic arguitur, contra Lutherum ſpecialiter, alioſque negantes ſenſum ſpiritualem; non poteſt ſalvari ſenſus litteralis Sac. Scrip. niſi admittatur ſpiritualis; Luth. aſſerit ſenſum litteralem, ergo ad hominem convincitur de ſpirituali, min., & conſeq. conſtant, prob. maj. ipſa littera Sac. Scrip. in quibuſdam locis, ſpiritualiter exponit alium locum ejuſdem Sac. Scrip., ita ut ipſa littera per ſenſum directum proprium, & immediatum exprimat, in alio

A

tali, vel tali loco, ſenſum fuiſſe, & eſſe ſpiritualem, ergo &c.

Prob. ant. Gen. cap. ſecundo. Dicitur, *quam ob rem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, hic planè locus litteralis eſt, & litteraliter illum accepit Chriſtus. Matth. 19. ſed niſi etiam ſpiritualiter hunc ipſum intelligamus, neganda erit littera Apoſtoli, ad Epheſ. cap. 5. ubi eundem, & Adæ, & Chriſti ſermonem referens, in eo reperit expreſſum indiſſolubile matrimonium Chriſti, & Eccleſiæ, ergo; min. prob. dicit enim Apoſtolus *erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto, & Eccleſia*; ſanè ſenſus litteralis Apoſtoli hoc loco eſt, quod per rem illam ſcilicet unionem indiſſolubilem mariti

B

& uxoris, ſignificatur matrimonium Chriſti, & Eccleſiæ, ita ut hic ſit littera, quòd illic eſt myſterium, quia hic litteraliter exprimitur, illud eſſe Sacramentum, & myſterium, ergo ſi ſenſus ſpiritualis ammandandus eſt; neganda eſt littera Apoſtoli hoc loco.

Sed dices contra hoc, etiam ſiſtendo in linea catholica obiici poſſe, ex hoc loco intentum non convinci, quia iſte ſenſus myſticus, ſecundum quem dicitur, rem illam, ſcilicet unionem viri, & uxoris, ſignificare unionem Chriſti, & Eccleſię, non eſt revera ſenſus ſpiritualis, de quo eſt quęſtio in preſenti, agimus enim de ſenſu ſpirituali juncto cum litterali; Oporteret igitur oſtendere, quod quando Adam, vel Chriſtus ita dixerunt, adeſſet

C

in eorum locutione, & ſenſus litteralis, qui certè apparebat, & inſuper repreſentatio rei illius, relata ad unionem Chriſti cum Eccleſia, hoc autem non erat, quia Apoſtolus dicit, talem ſignificationem eſſe ſuum conceptum, *Ego autem dico*, ſi Apoſtol. eſt, qui hoc dicit; non Adam, non Chriſtus hoc dixit, ad quid enim diceret, *ego autem dico*, ſi illi hoc dicere intendiſſent. Eſt ergo ſenſus inventus ab Apoſtolo, & quia totus ſignificatur per verba immediatè hoc aſſerentia, eſt ſenſus immediatus, ideoque litteralis.

Reſpon. primo, neg. ant. ad prob. neg. iterum ant. ad probationem conc. ant., & revera talem ſenſum myſticum in verbis Adę, & Chriſti contineri oſtendit Apoſtolus, quia id quòd Apoſtol. dicit tamquam ſuum, eſt explicatio myſterii, quod

D

prius latebat in illis verbis, non autem ſenſus ille; & id quod litterale eſt in verbis Apoſtoli; eſt ipſa explicatio, unde ad id innuendum inquit, *ego autem dico*, ſenſus enim myſticus eſt ille, qui continetur in re dicta, non qui dicitur. Dicere autem eſt explicare, & talis explicatio in preſenti, comparata ad ſenſum myſticum, eſt id quo, comparata verò ad propriam immediatam ſignificationem eſt ſenſus, qui, ſive id quod, quia ſic litteraliter ſe habet, ita tamen, ut qui negaret hanc litteram, negaret etiam veritatem, quam manifeſtat, & è converſo, ut clarum eſt, unde ſemper currit argumentum, contra quòd opponitur inſtantia.

Reſp. ſecundo, ſive magis explicatur preced. reſpon. verba Apoſtoli clariſſimè oſtendere, quòd in

verbis Christi, & Adę continebatur sensus mysticus pręter litteralem. Ea enim refert, & statim subdit *Sacramentum hoc magnum est*, constat autem, quod Sacramentum, est quoddam secretum, sive occultum mysterium, quod non apparet in verbis ipsis, quę de re materiali proferuntur, & in ea litteraliter sistunt, jam igitur per hanc expressionem docet Apostol. in littera, quam citaverat, latere Sacramentum magnum, immò ne intelligatur, non unum tantum Sacramentum in eis latere, postquam asseruit indefinitè, in illis verbis latere Sacramentum, subdit, quid sentiat ipse, determinando Sacramentum, ut sic, adhoc peculiare, non negando alia, quę fortè latent, ideò subdit *Ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, & hęc omnia sunt juxta Doctrinam D. Thom. in pręd. cap. lect. 10. ubi addit, quod 4. sunt Sacramenta magna in Ecclesia, scilicet baptismus ratione effectus, confirmatio ratione Ministri, Eucharistia ratione continentię, & Matrimonium ratione significationis quia significat conjunctionem Christi, & Ecclesię, & hoc est ad quòd Apostolus determinat suam explicationem: Prosequitur autem idem Angel. exponendo mysticè litteram citatam ab Apostolo.

3. Respon. ex eodem Angel. Doctore, loco citato, sensum illum, ut respicientem Christum, verè fuisse, & in Verbis Adę, & in verbis Christi intentum, cui nihil officit, quòd Apostolus dicat. Ego autem dico, quia & in Apostolo idem loquebatur Spiritus Sanctus, qui & in Adam, & in Christo in prędictis verbis. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed ipsius S. qui loquitur in vobis, Matth.* 10. immò principaliter intentus fuit ille sensus mysticus, ut observat idem Angelic. versus finem ejusdem lectionis. Ubi sic ait, *quedam sunt in Sacra Scriptura veteris Testamenti, que tantum dicuntur de Christo, sicut illud Psalm. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, & illud Isai. 7. Ecce Virgo concipiet &c. quedam verò, de Christo, & aliis &c. exponi possunt, sed tunc de Christo principaliter, de aliis verò in figura Christi, sicut predictum exemplum, & ideo primum exponendum est de Christo, & postea de alus &c. Quòd ibi praestat Apostolus, & ideo postquam exposuit hoc de Christo, transit ad alios, applicando litteram, explicato jam mysterio principaliter intento, unde statim subdit, verumtamen, & vos singuli unusquisque uxorem suam diligat.*

Secundo Prob., simili argumento: nam *Gen.* 16. dicitur; *peperitque Agar Abrahe Filium, qui vocavit nomen ejus Ismael*, & 21. *Vocavitque Abram nomen Filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac*, quę certè historia est, & tamen in ea contineri sensum mysticum, & spiritualem representatum per res illic significatas, nemo negare potest, nisi neget litteram Apostoli, *ad Galat.* 4. ubi dicit, *scriptum est, quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera &c. que sunt per allegoriam dicta. Hec enim sunt duo Testamenta*, ubi ne dicatur, quod Apostolus format novum sensum, idem asserit, talia verba historica, fuisse dicta per allegoriam, quę est sensus spiritualis, ut videbimus infra. Videatur D. Thom. hoc loco, lect. 7. ubi quidquid spectat ad pręsentem tractatum, Angelico more, paucis

A describit, exemplisque declarat. Et expositionem Apost. mirabiliter sua illustrat.

Tertio: Innumeri sunt textus scripturę, quos, si negemus spiritualem sensum habere, de necessitate, aliorum textuum litteram reiiciemus. Sicut de prioribus dicebamus. Prima Corint. 9. explicatur, & applicatur mysticus sensus illorum verborum, quę habentur, *Deuteron.* 15. *Non alligabis os bovi trituranti*, illic siquidem litteraliter dicitur, quia cum bos in triturando, seù etiam ruminando, moveat hinc inde utramque partem oris notabiliter, si alligaretur ei os, jam triturare non posset, & in hoc Apostolus mysticum sensum invenit, ne scilicet prędicatores impediantur, a populo alimenta recipere, ubi Apost. prob. nedum convenientiam, sed necessitatem sensus mystici, dicens; numquid B de bobus cura est Deo? q. D. non est putandum, quod Deus magis curet, & aliquid plus pręcipiat propter boves, quam propter ministros suos, si ergo pręcepit non alligari os, bovi trituranti, qui in triturando separat granum a paleis, ut ibi notat D. Thom. multò magis intendebat, sic dicens providere ministris suis, qui purgant aream Domini sui, & separant per Doctrinam, bonum ab inutili, & justos a peccatoribus, unde subdit: *an propter nos utique scripta sunt? quoniam debet, in spe, qui arat, arare &c.* ex quo probat nedum mysticum sensum necessariò admitti, sed eum esse ex intentione Spiritus Sancti.

Joan: cap. 3. ipsemet Christus, de se ipso exponit mysticum sensum serpentis, quem Moyses jussu Dei, exaltaverat in Deserto. Num. c. 21. ubi C ne negetur litteralis Christi locutio, necesse sensus mysticus debet admitti.

Math. 12. idem Christus historiam Jonæ, quæ habetur in ejus prophetia, mysticè significasse ipsius Christi Sepulturam, & resurrectionem, clarè exponit, quis litteram neget Evangelii?

Deniquè universali quadam, sed & efficaci ratione probant communiter Catholici hanc conclusionem. Hoc modo; quæ in lege naturæ, vel in statu legis scriptæ gesta sunt, litteris demandata noscuntur, ut cognoscatur ea fuisse, umbram, & figuram eorum, quæ in lege nova videmus, ergo talis significatio facta per res, & gesta sic descripta, fuit intenta a Spiritu Sancto, sed hæc significatio sic descripta importat sensum mysticum, ergo hic necessario admittendus est, ut intentus a Spiritu Sancto. Ma: probata est supra, cum ageremus de D causa finali Sacræ Scripturæ, eamque satis praxis ipsa ostendit, sed & prob. non magis intererat quod scriberentur, ac quod fierent, sed fiebant; ut significarent legem novam, ergo etiam ad hoc scripta sunt, cum certum sit immediatum fuisse scriptionis finem, ut res, de qua scribitur cognoscatur, secundum id, quod principaliter est, principaliter autem res illæ erant, ut significarent.

Prob. etiam ex Apostolo sępe citato: quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, hæc autem doctrina est, ut credamus. Jo: cap. ultimo. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis*, inter credenda verò præcipuum est, quod Christus est Filius Dei, in lege promissus, sic enim Fides nostra

ad

ad utrumque extenditur Testamentum, ergo.

Confirmatur; de vet. testamento inqu: Apost, *omnia in figura contigebant illis, bibebant autem, de consequente eos petra, petra autem erat Christus*. In Noè Arca, & in apperto Mari, per quod Hebręi transierunt significabatur Baptismus, Petri 1. cap. 3. & Paulus, *omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt*. In cœlesti manna, Eucharistiæ Sacramentum, ut ipse innuit Christus. *Patres vestri manducaverunt Manna* &c. de percussa petra exeuntes aquæ, ex Christo in Cruce vulnerato fluxura Sacramenta significabant. Sed hęc, & his similia, per hoc quod scribantur, non desinunt esse figuræ, immò in notitiam posterorum deveniunt, ut tales, ergo retinent suam significationem, quam habent ut res, sed talis significatio non est litteralis, quia res non sunt litteræ, ergò erit alius modus specie distinctus, quem, quia latet sub cortice litteræ, cum littera non dicat per rem illam, hoc vel illud significari, ideò conceptus, qui significatur in illis dicitur sensus mysticus, idest mysteriosus, & absconditus, & ad similitudinem Spiritus, qui in Corpore absconditur, dicitur Spiritualis.

Addit hic N. P. Domin. præter praxim Sanctorum Patrum, communem, qui ita omnes intellexerunt, & eorum auctoritates, pro quibus brevitatis gratia ad ipsos Fontes, aliosquæ DD. qui in eorum productione abundant, remittimus. Unam, vel alteram tantummodo vacat adducere rationem, aut convenientiam.

Prima est, Verbum Dei Increatum, est essentialiter infinita expressio divinæ intelligentiæ, ejusque terminus, non quod ipsam finiat, sed quia in ipso tamquam in eo, quo adęquatur, infinitè sistit, & quamvis divinam essentiam per se primo exprimat, omnia tamen etiam possibilia, & cognoscibilia continet, ideòque etiam omnia quę Verbum Creatum, unde sicut a Patre Deo, omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur, ita etiam a Verbo ejus, omne Verbum. Sed Sacra Scriptura, tevera est divina locutio, & inter omnia creata, Dei substantiali Verbo, proximius Verbum, sicut alias obstendimus, ergo ipsum saltem in hoc de necessitate debet imitari, ut sit specialiter expressiva modo, qui aliis creatis expressionibus non convenit, scilicet significando per res, & voces, quæ est ratio Divi Thomæ p. p. qu. 1. art. 10. quam suo loco expendemus. Ergo utrumque debet habere, per quod probata manet adæquatè conclusio, etiam contra Negantes litteralem, quamvis enim talis error, ita sit contra rationem, & experientiam, ut reiici potius debeat tamquam insania, ideoque in prioribus, de ipso nihil curavimus, tamen ex pręsenti ratione convincitur; si enim ex eo quod Sacra Scriptura, sit Divini Verbi tam proxima participatio, ei præter generalem modum significandi, quo gaudent cætera creata verba debet modus proprius assignari, per quem discernatur ab illis, & cognoscatur esse Dei locutio, quommodo ei denegari poterit, & id quod in ipsa experimur, & id, quod creatæ locutionis, communis quidem, sed unica perfectio est? ad probandum autem expressius, sen-

A sum litteralem dari in Scriptura; videatur P. N. Philippus, disp. 2. dub. 4. p. p.

Confirmatur etiam; divina Scriptura, & divina locutio est, & ad homines est, ergo debet utrumque in ipsa posse discerni, ergo si ex qua parte; Deum specialem cognoscit auctorem, habet proprium modum significandi spiritualem, quia Deus Spiritus est, etiam ex qua parte ad homines est, debet habere humanum modum significandi, litteralem videlicet, & sensibilem, non latentem, & qui omni homini pervius esse possit; ipse certè cum Deus esset, dignatus est veram humanitatem assumere, & inter homines servata divinitate, quasi sub modiò, ostendit, quem modum cum hominibus conversandi ex sua dignatione elegerit, proportione igitur quadam, seu analogia voluit infe- B ri, quod si ipse fuit Verbum homo, spiritus, & caro, ita & Verbum ejus, in quo sensum utique absconditum, & sensum patentem ostendit, quæ omnes convenientiæ, & rationes sunt efficacissimæ, eoque firmius convincunt, quò & profundius, ex Angelici Doctoris ratione, tum loco citato, tum ad Galat. cap. 4. & alibi sæpè ennascentes, in ejus veritate solidantur.

Addunt alias alii, ut ex August. lib. 12. confess. cap. 1. & infra, nempè magis commendari, & sic decere Sacram Scripturam; quanto enim Scriptura fecundior, tanto & eminentior, sui sapientiam, & facundiam commendat auctoris.

Ita deniquè ex D. Thoma, & loco citato, & quodlib. pariter, supra notato, nempè rem sic es- C se debuisse, ut sublimiora Dei mysteria absconderentur indignis, & dulcia saperent amicis ejus in divina lege meditantibus die, ac nocte, sed de hoc fortè alibi, nam dicta sufficiunt.

ARTICULUS III.

Sententiæ oppositæ referuntur, & argumenta primæ classis earum solvuntur.

TRes ut supra notavimus, contra hanc Chatolicam veritatem militant errores. Primus est hæreticorum negantium sensum spiritualem, admittunt enim solum historicum, seù litteralem. Quorum primus est Porphirius, qui ut referr Eusebius, lib. 6. hist. cap. 13. Origenis studium reprehendit, D quia in mysticis sensibus laborat, ipse enim sensum spiritualem, sicut & alia fidei Christianę mysteria irridet, lib. 3. contra Christianos. Ita etiam Celsus apud Origen. lib. 4. Erasmus in præfat. paraphr. ad Imperatorem. Luth. &c. qui vocant allegorias, ludos otiosorum hominum. Kecherman, qui inter errores pontificios a se confictos hunc ponit primò loco, in Scriptura esse plures sensus, singularis inter Catholicos Abulensis, in cap. 2. Mich. qu. 57. & in cap. 13. qu. 28. admittit plures sensus litterales in Scriptura, & etiam mysticum, sed hunc dicit non esse intentum a Spiritu Sancto, neque determinatum, nec in eo Scripturam impleri; addita etiam fuit nota quædam marginalis, ad qu. 73. in cap. 6. Josue, quę dicit sensum mysticum nihil aliud esse, quam somnia

Concionatorum, quam tamen intrusam esse ab hereticis, defendit Lorca 22. de locis Theolog. lib. 1. disp. 14. ideoque merito expuncta est, ut notat etiam N. P. Anton. loco citato.

Aliqs error extremus, & hereticus Sebastiani Franchii, præfatione ad paradoxa, sensum litteralem de medio tollit, & vocat gladium Antichristi, cui adhæsit olim etiam Philo Judeus, lib. de vita contemplativa, qui ita erravit, ut notat August. lib. 12. contra Faustum cap. 39. quia cum Christum non haberet, in quem referret, quæ diceret, ostium non invenit, & variis est actus erroribus.

Ut autem cum majori claritate procedamus sigillatim argumenta primæ classis hæreticorum, deinde Abulens. referemus, & primò argumentum utrisque commune.

Argu. primo, detorquendo ratione Divi Thomę, qui art. 10. memorato, prob. dari hos duos sensus in Scriptura, eo quod Deus liberè uti potest, nedum verbis, quod omnibus commune est, sed etiam rebus, ad significandum: Per hoc quod Deus hoc possit, gratis asseritur ita factum esse, nam de potentia ad actum non tenet argumentum, quod ergo ita factum sit, quod nempè Deus hoc voluerit, deberet constare ex revelatione deducta ex Scriptura, vel traditione, vel Ecclesiæ deffinitione, sed ita non constat, vel assignetur, ubi, & unde hoc constet, ergò &c.

Respon. D. Thom. efficaciter probare existentiam duplicis sensus in Scriptura, non enim nudè arguit de potentia ad actum, sed rationem inserit probativam actus ex potentia, quia nempè Deus, qui dicendo facit, & faciendo dicit, sicut diversissimo a Creaturis modo agit, & loquitur, ita modum habere debet peculiarem significandi suum conceptum, hic autem modus debet esse protestativus summi, & primi entis, qui alius esse non potest, quam locutio per res ipsas, idque totum dicit, assumens illud suæ probationis, & conclusionis principium, nempè; resp. dicendum, quod auctor Sacræ Scripturæ est Deus. Ubi nota quod in tali principio Sacram Scripturam supponit dignam Deo, qualiter autem sit verè specialissimum opus Dei, deducit ex divina potentia, quæ certè debet in tali opere elucere, nec ibi sistit, sed ut strictissimè concludat, procedit, & ex Apostol. ad Hebr. 7. & ex Dyonis. de Ecclesiastica Hierarchia, & ex August. 12. Confessionum, deducens, & ostendens de facto exercitam in Scriptura, & ex ipsa Scriptura hanc sensuum pluralitatem, Calumnia ergo potius est, quam argumentum; Hinc in forma respon. neg. ant. ad probationem, dis. ant. de potentia precisè determinabili, non tenet argumentum, ad actum, conc. ant. de potentia determinata, & per rationem conjuncta cum actu, sive de potentia in actu, ad aliquam formalitatem actus, non tenet argumentum neg. ant. nam Deus de facto est auctor Sacræ Scripturæ; probatur autem in hoc actu haberi hanc proprietatem sensus mystici, quia cum Deus, hoc possit, & ex fine actus, qui est manifestare differentiam sui auctoris, ab aliis, hoc exigatur, necessariò asserendum

A videtur, ita esse, & insuper ita esse ostendimus supra ex Scriptura ipsa, & iterum ostendi potest duplici exemplo. Joan: 19. ubi, cum dixisset Joan. Christo Domino, non fuisse confracta crura, subdit, *facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo Exod.* 10. Id certè dictum est in exodo litteraliter de agno illo Paschali, si ergo impletum dicitur in Christo, dictum est mysticè de Christo, quatenus agno illo paschali Spiritus Sanctus usus est, ad significandum Christum futurum, si enim non ita est, jam nec dici posset, ut impleretur Scriptura, ut dicit Joan: de Christo.

Secundo Oseæ 11. Ex Ægypto vocavi Filium meum, quod ad litteram dictum est de populo Israel educto ab Ægypto in manu forti, a Deo, & B tamen talem eductionem populi sic explicatam, assumpsit Spiritus Sanctus in illo loco ad significandum eductionem, & reditum Christi de Ægypto, sicut Math. 2. cap. ubi completum hoc esse ostenditur per relationem ad dictum Oseæ.

Sed obiicies, hæc aliaque testimonia non convincunt, quia dici potest, ea litteraliter non mysticè dicta fuisse de Christo per prophetiam, & hoc multò magis in sententia D. Thom. quæ admittit multos sensus litterales dari posse in eadem littera: ideoque Abulens. qu. 28. in cap. 13. Math. asserit locum Oseæ litteraliter esse de Christo per modum prophetiæ.

Resp. quòd etsi non sit erroneum dicere, quòd in textibus prædictis sit sensus litteralis de Christo probabilius tamen, & communius accipiuntur de C Christo, in sensu mystico, nec tota vis consistit in textu particulari, cum ex Apostolo jam supra ostenderimus, de fide esse dari sensum mysticum, hoc enim supposito adducuntur etiam hęc exempla, quæ satis convincunt intentum, per hoc quod possint accipi, & de facto à pluribus in tali sensu accipiantur, ut ergo adversarius obtineat, debet ostendere, nullibi talem sensum reperiri, aut intendi in scriptura, quod nunquam faciet, nisi negando sensum litteralem Apostoli, ut supra ostendimus. De hoc autem convictus, etiamsi de prædicto textu particulari Oseæ ostendat, intelligi posse litteraliter, nihil evvincet, nisi ostendat intelligi non posse mysticè, quod præstare non potest.

Dices secundum doctrinam Jansenii in concord. Evangel. cap. 11. fol. 83. posse iterum responD deri, quod tunc etiam dicitur impleri scriptura, cum fit id, quod illa commemorat, etiamsi id non fuerit intentum a Spiritu Sancto, unde verba Oseę significabant ex intentione populum Israel tantum, sed Evangelista illa usurpavit, quia erant apta ad rem, quam tractabat, & sic ex Evangelio non habetur dicta fuisse aliquo modo de Christo.

Sed errat in hoc, temerè procedens Jansen. & satis est pro responsione, Ecclesiæ condemnatio, unde ut refert N. P. Franciscus loco citato, in novo expurgatorio, sic de illo loco Jansenij habetur. Scribe in margine, hic interpretandi Scripturas modus, parum tutus est in Fide, & prorsus reiiciendus, cum aliis exemplis, quæ in præsenti perperam interpretatur Jansen. &c.

Con-

Concluſivè nunc ad primum argumentum conſtat, quia, quod petit, ſuperius in probando concluſionem, oſtenſum eſt, & ſtat praxis communis Patrum, immò & Judæorum antiquiſſima, quam hoc loco adducunt Doctores, ut videre eſt apud Ruva, controv. 9. contra Lutherum, Vvitacherum &c. & P. Anton. P. Domin. P. Franciſ. locis citatis, ex quo convincitur, præter Scripturam, etiam ex traditione & praxi approbata ab Eccleſia, quæ SS. Patrum Doctrinam veneratur, dari ſenſum ſpiritualem.

Secund. argum. varietas ſenſus in eodem textu parit æquivocationem, & multiplicitatem, ideoque animi ſuſpenſionem, ergo nequit eſſe in Scriptura, quæ cum ſit opus Spiritus Sancti ad firmandam in fidei veritate Eccleſiam, omneſque fideles, debet abſque æquivocatione, certò, & firmiter oſtendere veritatem.

Confirm. Scriptura cum omnibus ſit ſcripta, debet eſſe clara, ut ab omnibus intelligatur, juxtà illud *Pſalm.* 118. *declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*, ſed multiplicitas ſenſuum obnubilat intellectum, ergo in ipſa non datur.

Confirm. 2. Deus condidit Scripturas, ut vitam noſtram utilibus præceptis, & monitis informaret & manifeſtaret voluntatem ſuam, ergo non eſt dicendum, quòd uſus fuerit abſconditis involucris, ſenſuum myſticorum, maximè quia ſi ſcripſit, ut intelligamus, ergo noſtrum modum loquendi adhibuit, nos autem rebus non loquimur, ſed tantum verbis.

Confirm. 3. nàm ut tuentur philoſophi cum Ariſtotele, & D. Thoma; intellectus noſter non poteſt intelligere plura ut plura, ſed ſi proponantur plura, vel diſtrhaitur ab intelligendo, vel illa ut unum intelligit, ergo ſi Sacra Scriptura data eſt, ut intelligatur, non poteſt plures, adeoque diſtantes ſenſus continere, quippe ſunt plura ut plura.

Reſpon. neg. ant. quia æquivoca ut philoſ. definit. ſunt quorum nomen eſt commune, ratio verò importata per nomen eſt omnino diverſa; in Sacra verò Scriptura, ſenſus literalis importatur per nomen; Spiritualis verò per rem proprio litterali nomine deſcriptam, unde non eſt locus æquivocationi, & hæc eſt ſolutio D. Thomę, qui, *ar.* 10. *qu.* 1. *p. p.* ſic fatur.

Ad primum ergo dicendum, quod multiplicitas horum ſenſuum non facit æquivocationem, aut aliam multiplicitatis ſpeciem, quia ſicut jam dictum eſt, ſenſus iſti non multiplicantur, propter hoc, quod una vox multa ſignificet, ſed quia ipſæ res ſignificatæ per voces, aliarum rerum poſſunt eſſe ſigna, & ita etiam nulla confuſio ſequitur in Sacra Scriptura, cum omnes ſenſus fundentur ſuper unum, ſcilicet litteralem &c.

Ad prim. & ſecond. confirmationem reſp. idem Angel. *quodl. 7. qu. 6. ar. 14. ad primum. Ad primum ergo dicendum, quod Auguſtin. dicit in libris de Doctrina Chriſtiana, utiliter eſt à Deo diſpoſitum, ut veritas in Sacra Scriptura, cum aliqua difficultate manifeſtetur, eſt enim hoc utile, ad tollendum faſtidium, quia ad ea, quæ ſunt difficilia, major ſurgit attentio, quæ tedium tollit, ſimiliter ex hoc tollitur ſuperbien-* A *di occaſio, dum homo difficulter veritatem Sacræ Scripturæ capere poteſt; ſimiliter per hoc veritas fidei, ab irriſione infidelium defenditur, unde Dominus Math. 7. nolite inquit, ſanctum dare canibus, & Dyoniſ. Timotheum monebat, ut ſancta ab immundis incontaminata ſervaret, & ita patet, quod convenit veritatem fidei, ſub diverſis ſenſibus in Sacra Scriptura tradi &c.*

Reſp. 2. quòd ad hæc omnia ſatis ſuperque dictum eſt ſupra, cum de obſcuritate Sacræ Scripturæ agebamus, contra eoſdem hæreticos, quia nemè ad omnia ſufficit, quæ poſſunt deſiderari à Fidelibus, & declaratio Eccleſiæ, cui ſemper aſſiſtit Spiritus Sanctus, & Patrum doctrina, ac conſenſus, & modus, quo Eccleſia à Deo regitur, & ſuos dirigit Fideles.

Ad id quod additur in ſecunda confirmatione, B ſupra dictum eſt, quod in divina locutione, & debuit reſplendere ejus dignatio, in hoc quod ſe accomodat nobis per ſenſum litteralem, ſed & ejuſdem excellentia, ſecundum quam habet modum proprium loquendi per res ipſas, idque ſuaviter præſtat, dum hunc ipſum loquendi modum fundat in noſtro, ſcilicet litterali.

Ad 3. confirm. conſtat in reſponſione ad argumentum, nec diverſi ſenſus proponuntur, cum aliqua confuſione, ſed debito ordine, ita ut unus fundetur in alio, ubi autem eſt ordo, ibi ſapientia locum habet, cujus eſt ordinare, ſi enim ordinat, utique circa plura verſatur, unde non ſequitur, quod plures ſenſus intelligantur ut unus, ſed ut plures, ordine quodam, ut dictum eſt.

Sed obiicies, aliter applicando doctrinam hujus C confirmationis, hoc pacto. Quilibet ſenſus ab auctore non intentus, non eſt ſenſus proprius Scripturæ illius, ſed implicat auctorem quemcumque ex Sacris Scriptoribus intendere plures ſenſus, ergo implicat etiam, eſſe plures ſenſus ejuſdem loci Sacræ Scripturæ: maj. eſt certa, prob. min. implicat quod Scriptor canonicus intelligat ſimul plures ſenſus, ergo & quod intendat, nequit enim intendere, quod non intelligit. Ant. prob. quia plura, ut plura ſimul nullus intelligit, nec poteſt dici, quod ſint ordinati, quia ſunt ſenſus omninò diverſi in ſpecie, & invicem inordinabiles, ſiquidem omninò ſimul eſſe debent in eadem Scriptura, ut diverſi, ut ſalvetur concluſio, ergo ſimul eſſe debent etiam in eodem intellectu, ut diverſi, quidquid D enim dicitur de ennunciatione vocali formaliter, eodem modo dici debet de interna, & mentali &c.

Reſp. conc. maj., & neg. ſuppoſitum minoris, quia ut dicit Angelic. loco citato, ex quodlibeto in ſolutione ad ſextum, auctor principalis Sacræ Scripturæ eſt Spiritus Sanctus, qui in uno verbo Sac. Scrip. intellexit multò plura, quam per Expoſitores Sacr. Scrip. exponantur, vel diſcernantur. Et ne aliquid inſolutum maneat ex contentis in hac objectione; ſubdit idem Angelicus; *Nec eſt etiam inconveniens, quod homo qui fuit cauſa inſtrumentalis Sacr. Scrip. in uno verbo plura intelligeret, quia Prophetæ, ut Hieronym. dicit, ſuper Oſeam, ita loquebantur de factis præſentibus, quod etiam intenderent futura ſignificare, unde non eſt impoſſibile ſimul plura intelligere, in quantum unum eſt figura alterius.*

Cui

Cui addere possumus secundum doctrinam ejusdem Angelici, in explicatione raptus Divi, Pauli 1. *ad Chorin. cap. 12. in iis, quæ fiunt in homine virtute divina, transcendi modum proprium operandi Naturæ, ideoque in illo rapeu Paulus intellexit, sine conversione ad phantasmata*; constat autem magis esse indispensabilem in homine viatore, hanc conversionem, quæ oritur ex unione Animæ ad Corpus, quam intelligere plura, ut plura absolutè, quia hoc oritur ex limitatione, & ex defectu comprehensionis perfectæ, entis etiam finiti.

Tertio argum. tales sensus sunt prorsus inutiles, ergo non est asserendum, eos in Sacra Scriptura reperiri. Pat. consequ. nam Roman. c. 15 dicitur, *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, ergo si ad eam sunt inutiles, nec sunt sensus proprii Scrip. P. ant. nam ex ejs scilicet mysticis, non potest sumi argumentum efficax ad demonstrandam fidei veritatem, ut innuit in locis citatis D. Thom., & Dyonis. ad Titum dicit, quod simbolica Theologia non est argumentativa, addę etiam, quia quòd auctoritatem non habet, non est proprium Scripturæ, nam ut D. August. 2. *sup. Genesim ad litteram, major est Sacræ Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas*.

Confirm. 1. nedum sunt inutiles, sed eos asserere perniciosum est, & causa erroris, vel saltem occasio, cum enim sint sensus absconditi, quilibet posset ab libitum Sacram Scripturam exponere, ad confirmandam propriam opinionem, nec posset convinci, quia sensus mysticus latens est, ita ut nec exponens, nec impugnans sufficienter eum deprehendat.

Confirm. 2. res propter diversas proprietates, quas habent, sunt valdè indeterminatæ, in significando, unde sicut ratione unius possunt significare in bonum, ita ratione alterius poterunt in malum; nam homo, cum sit indifferens, ut sit Sanctus, vel perversus, poterit significare utrumque; cum sit Spiritus, & caro, poterit ratione primi significare aliquid perfectum, ratione secundi aliquid deficiens, unde Filius hominis, aliquando sumitur pro Christo, qui se dignatus est sic appellare, aliquando pro peccatore, qui imitatur Adam, cujus filii sumus, & certè leo, modo significat Christum. *Vicit Leo, de Tribu Juda, Apoc. cap.* 5. modo Dæmonem, ut prima Petri cap. 5. aliquando voratorem, aut murmuratorem, *molas leonum confringet Dominus*, *Psal.* 57., aliquando persecutorem, *de ore leonis libera me Domine*, *Psal.* 21. ergo unusquisque aliquam rei proprietatem notans, poterit modo unum sensum mysticum deducere, modo oppositum per oppositam proprietatem, & ideò nulla erit firma veritas in Scriptura, sed eam quisque faciet deservire, nedum in opinionibus, sed etiam in iniquitatibus suis.

Resp. ad argumen. neg. ant. ad prob. transeat ant. quia pro modo de hac re non disputamus, dicimusque alia etiam esse in Scriptura etiam litteralia, ex quibus peculiare aliquòd, & efficax argumentum ad fidem firmandam non ennascitur, & non propterea desinunt esse partes ejus; quòd enim

A. arca Noè, esset tot cubitorum, & alia historialia, non apparet quale efficax ministrent argumentum ad fidem, litteraliter sumpta, unde dicendum est, quòd etiamsi ad argumentum sensus mysticus non deserviat, prodesse tamen potest ad persuadendum, & ad mores, ut in praxi, & eum fructu eo quotidie utuntur sacri præcones, quod planum est ad nostram Doctrinam deservire. Videatur D. Thom. 2. ad Timothæum cap. 3. in fin. ubi Doctrinæ Sacræ Scripturæ munera declarat, unde etiam ad id, quòd additur patet, quia etiam in hoc magna exprimitur auctoritas Scripturarum.

Ad utramque confirmationem, unica sufficit responsio ex Doctrina Angelici, loco citato, *in resp. ad tertium. Dicendum, quod sicut dicit August. in lib. de Doctrina Christiana, nihil est de necessariis*

B *ad fidem, quod occultè in aliquo loco Sacræ Scripturæ tradatur, quod non alibi manifestè exponatur, unde spiritualis expositio semper debet habere fulcimentum ab aliqua litterali expositione Sacræ Script.*, & ita vitatur omnis erroris occasio, ex quo patet in terminis ad primam confirmationem, unde etiam ad secund. resp. dist. ant. res sunt indeterminatæ &c. ex se ipsis admitt. in relatione ad alium textum, & ejus litteralem intelligentiam, neg. ant. Jam sæpè dictum est, & est doctrina Cajetani etiam in comm. art. 10. pr. qu. p. pr., & profundè semper contenta in discursu D. Thomæ quandocumque agit de Sacra Scriptura, valde diversum esse accipere unam partem Sac. Scrip. quasi seorsim, & secundum limites propriorum termi-

C norum, & eam considerare sub coordinatione aliarum, & sub relatione ad veritatem, & unitatem sui auctoris, & finis, & hæc doctrina maximè attendi debet, ubi agitur de sensu spirituali, quia si aliqua res apposita ad significandum sumatur secundum se præcisè, verum est, quòd ex diversitate suarum proprietatum etiam oppositarum, suspendit sensum ad indifferentiam; si tamen sumatur cum relatione in primis ad contextum, deinde ad veritates certas de fide, & expressas alibi litteraliter, omnia coordinando, secundum quod sunt a Spiritu Sancto invicem ordinata, & explicata, veritas determinata, tunc certò deprehenditur etiam ipsius sensus mystici, & talis esse cognoscitur etiam intentio Spiritus Sancti.

D Ex quo explicata manet, & clara Doctrina D. Thomæ, quam loco citato tradit, in responsione ad quartum, ubi assumit hoc ipsum, quòd in hac confirmatione obiicitur, nempe quod leo v. gr. ex se non significat determinatè, vel Christum, vel diabolum, ex varietate suarum proprietatum, ex quo ipse deducit, non posse trahi efficax argumentum ex sensu spirituali secundum se, sic enim dicit D. Thomas, quia prout sic accipitur leo secundum se, & quasi solitariè, non tamen id negat, si sumatur in relatione ad alium textum, & sub unitate, & coordinatione prædicta, tunc enim sicut determinatur significatio illa, ad unum, ita potest etiam rectè concludere in argumento, quia quod hoc non possit in prima consideratione, ideò est, inquit ibidem Angelicus, non propter defectum auctoritatis ipsius sensus spiritualis, sed ob naturam

similitu-

similitudinis, in qua fundatur, si ergo hæc similitudo accipitur, ut determinata modo dicto, tunc suam exerit auctoritatem, & vim inferendi. Unde falsum est omne id, quod concludi intenditur in hac objectione, nec datur tam liberâ erroris facultas, nec remanet suspensa veritas Scripturarum, ex sensu mystico, sed potius magis roborata, & una.

ARTICULUS IV.

Abulensis placitum profertur, & tollitur.

NON negat totaliter Abul. sensum spiritualem, sed eum Catholicis admittit, ast ita modificat, ut a Catholicis dissentire videatur, cum sustinens non esse intentum a Spiritu Sancto, ac verum Sacræ Scripturæ sensum. Ita saltem locis supra citatis; alibi tamen, ut bene advertit N. P. Dominicus, se ipsum corrigit, quasi veritate convictus, sed quid senserit denique, nostrum non est hic concludere, sed ejusdem argumentis respondere.

Argument. primò; illum solum cum veritate dicimus esse sensum alicujus scripturæ, qui per ejus verba scripta significatur, atqui res etiam scriptæ, non sunt verba Scripturæ, ergo ille non est verus sensus alicujus Scripturæ, qui significatur per res in ea scriptas, hujusmodi est sensus mysticus &c.

Confirmatur primò, ille est sensus alicujus Scripturæ, per quem, vel ratione cujus, sive in quo dicitur esse vera vel falsa, sed Scriptura Sacra, nec est vera, nec falsa per sensus mysticos, ergo &c. Min. prob. tunc dicitur propositio vera, vel falsa, quando res ennunciata est, vel non est in se, sicut in significatione ennunciatur; quòd enim per verba non significatur, non est verum, nec falsum, quia hoc spectat ad propositionem, sed sensus mystici significantur per res, quæ non sunt per se primò formaliter veræ, vel falsæ; ergo secundum illos Scriptura, nec vera dici potest, nec falsa.

Confirm. 2. Si littera significaret hos sensus, jam esset determinatè falsa, quia eo ipso diceret significari per litteram, quòd per oppositum debet significari per res, & hoc non diceret per res, sed per verba, ergo non potest per litteram explicari cum veritate talis sensus, ergo non est sensus Scripturæ, cujus unicum munus est, per litteram significare, id de quo scribitur.

Confirm. 3. tales sensus sunt multiplices, & sæpè discordantes, ergo non possunt per litteram, quæ veritatem contineat, nosificari; veritas enim una est in littera, nec potest oppositio, & multiplicitas simul subesse uni veritati &c. ergo.

Respon. ad argum. dist. maj. qui per ejus verba scripta significatur, vel mediatè, vel immediatè conc. maj. solum immediatè, neg. maj., & dist. min. non sunt verba Scripturæ, nec per verba Scripturæ significantur, neg. min. non sunt verba ipsa immediata, conc. min., & neg. consequ. Apparens itaque non vera est difficultas, & patet ex supra notatis responsio; addi etiam potest, quod res sumptæ a Deo ad significandum, sunt verba, quia revera pro verbo accipitur id, per quod aliquid

A cum veritate, & propriè significatur, idque peculiariter habetur in locutione divina; primaria enim Dei dictio ea est, qua Pater Verbum producit substantiale, ideoque loqui divinum, quod est quædam expositio ejusdem Verbi, nil mirum, quòd fit per aliquid reale, & certè cum gradus entis in creatis correspondeat primo enti, loqui per ens, est proprium Dei, quia sic manifestat plenitudinem entis, quam habet; locutio enim est manifestatio, & quælibet productio est aliqua manifestatio Dei, multò magis igitur ipsa manifestatio formalis erit per ens, nempe ipsa locutio; se ipsum enim loquitur Deus in Sacra Scriptura; Sed de hoc alibi dictum est, & iterum sermo redibit.

Ad confirm. respon. con. maj. & neg. min. non solum prout dicitur, sed etiam prout deberet dici,
B quia falsum in ipsa impossibile est, dicitur ergo vera per sensum mysticum, sed sicut iste sensus significatur per res, ita etiam per res verus est, sensus siquidem mysticus, qui est in illis Exodi verbis, *os non comminuetis ex eo*, sicut per rem nempe per agnum significatur, idest innuitur, ita per rem scilicet per Christum, & id quod in eo factum est, verificatur. Ad probatione dicimus primo, quod revera in Sacra Scriptura propositio non verificatur ex eo, quod res est, vel non est, nisi a posteriori, & quoad cognosci; nam veritas Scripturæ in sensu formali, non mensuratur à rebus, sed illas mensurat, ut suo loco ostendimus, & ex illa doctrina corruit hæc probatio. Sed ab illa prescindendo, dicimus 2. distinguendam esse maj. secundum
C quod res est, vel non est, oratio dicitur esse vera, vel falsa, eo modo, quo in oratione significatur, con. maj. diverso modo, neg. maj. ad infertam probationem; Dist. non est verum veritate humana, con. ant. veritate divina, quæ non alligatur ad verba, neg. ant. unde sicut est significatio per res, & veritas tali propositioni convenit, ei proportionata, & per se primo, quia talis modus significandi est specialiter à prima veritate, eique propterea conformis; constat enim quod veritas nihil aliud est, quam conformitas ad intellectum divinum, qui si ab aliis dicta, sibi conformat, multo magis ea, quæ ipse dicit, eo modo, quo dicit, erunt ipsi de necessitate conformia. Patet igitur, quod sicut Deus quoad hunc sensum, propriam habet modum loquendi, ita propriam in eo habet suæ
D veritatis significationem, quæ non solum in specie, sed etiam in genere necessaria est, cum sit impossibile in modo proprio loquendi Dei reperiri falsitatem, est autem ex sua specie hic modus proprie loquendi Dei, cum creatura id non possit, cui concessum est tantum loqui verbis, non rebus.

Ad 2. confirm. resp. neg. suppositum antec. in sensu formali, quia videtur supponere, quod sensus, qui habet hoc per modum differentiæ, ut significetur immediatè per res, possit significari primò per litteras, & esse idem sensus, hoc enim est impossibile. Sed non scrutando hoc suppositum. Secundo resp. neg. ant. quia si littera significaret hos sensus, jam litteraliter diceret, hos sensus significari per res immediatè, & non per litteras immediatè, unde sensus talis litteræ directus esset,

quod

quod sensus mysticus significatur per res, & ita sensus mysticus esset subjectum talis litteræ, sive prædicationis, non verò esset sensus ejusdem prædicationis, sicut cum dico hæc vox homo significat animal rationale, non est idem sensus hujus prædicationis, ac illius, in qua dico, homo est animal rationale, quia in hac secunda subjectum est, homo, de quo prædicatur, sua definitio, in priori verò subjectum est, vox talis, de qua prædicatur sua significatio. Hanc autem confirmationem ex professo objecimus ad præveniendum plures æquivocationes similes, quæ in hac materia ab hæreticis, vel ab aliis male sentientibus ad obnubilandam veritatem possunt opponi, & ex his patet plena responsio ad hanc involutam confirmationem.

Ad 3. resp. neg. ant. quia etsi una littera fundare possit plures sensus spirituales, eos fundat tantum quoad nos per modum indicantis rem significantem tales plures sensus, unde si est pluralitas materialis sensuum in aliquo loco, non est in littera, sed in re significata per litteram, res autem si semel plura significat, hoc habet per plures proprietates, & per comparationem ad plures alios textus ejusdem Scripturæ, in quibus explicatur, vel notificatur multiplex illa significatio contenta in illa re, nec potest talis pluralitas discordare formaliter propter unitatem, & coordinationem ejusdem Scripturæ, etsi materialiter videatur discordare, quod non attenditur, sed de his sermo redibit in hoc tractatu.

ARTICULUS V.

Incidentem solvens difficultatem.

An Prophetæ cognoverint omnes sensus suæ Prophetiæ.

SEcundum argumentum Abulens. jam supra solutum, est inter argumenta communia etiam hæreticis.

Argumentatur tertio Abulensis, contra stabilitam conclusionem; nam loquendo maximè de Prophetis, ille est sensus alicujus Prophetiæ, quem Propheta per illam significare intendit, & consequ. quem intelligit, sed Propheta non intelligit, & consequenter non intendit omnes sensus mysticos suæ Prophetiæ, quia sunt innumerabiles, ut constat ex tot expositionibus, quarum (etsi plurimæ) nullus est finis, ergo tales sensus non sunt proprii Prophetarum, ergo nec Sacræ Scripturæ; Major est certa; aliter non esset Propheta, qui loqueretur, sed Deus, implicat autem, quod Deus loquatur Prophetiam, cui omnia sunt præsentia. Insuper constat Danielis cap. 10., opus esse intelligentia ad Prophetiam; ibi enim dixit Danieli Gabriel, tu ergo animadverte, & intellige visionem, & alibi sæpè innuitur in Sacra Scriptura, quòd ad Prophetiam requiritur intelligentia.

Resp. primo, sicut in responsione articulo præcedenti tradita a Divo Thoma objectioni sub argumento, secundò positæ, trans. maj., & neg. min. quia non est inconveniens, quod Deus cum lumine Prophetico det etiam Prophetæ, ut possit intelligere plures sensus mysticos suæ Prophetiæ, ideò nec est inconveniens, quòd omnes, quia saltem in fine, ad quem ordinantur, possunt intelligi, sic enim habent coordinationem, & planè in hoc inclinat etiam August. lib. 12. confess. cap. 31., & ita tenet Scalante lib. 1. disp. 1. cap. 22. dub. 4. nempe Prophetas intellexisse omnes sensus suæ prophetiæ, quia hoc videtur proprium perfectæ prophetiæ.

Sed quoad hanc difficultatem, quæ satis agitatur a Doctoribus, cum D. Thomas non asserat positivè ita esse, sed precisè dicat, non esse inconveniens, nec de omnibus loquatur, sed de pluribus, & eodem modo etiam Augustin. non audemus asserere; dicere autem, quod Propheta aliquos tantum cognoscit, pro mensura luminis communicati, ut resolvit N. P. Anton. potest sustineri, & verum est, sed arguens dicet, hoc est quod quæritur, an nempe tantum sit lumen Prophetæ, ut per illud, sensus omnes suæ prophetiæ cognoscat, certum est enim, quod sine lumine nihil, & cum tanto lumine tantum percipiet.

Prius igitur certa ab incertis separanda sunt; certumque in primis esse debet, quod non omnes prophetę, aut semper, omnes sensus suæ prophetiæ cognoverunt, nam Daniel cap. 7. vidit thronum, aliaque mysteria, quę non intellexit, sed ab Angelo postea de illis instructus fuit, & cap. 12. non intellexit, quę audivit, ipsique de illis interroganti dictum est, vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usque ad prefinitum tempus; Ita act. cap. 20. vidit Petrus linteum, cujus mysterium tunc non intellexit, & alia plura loca addunt Doctores ad ostendendum, quod lumen propheticum non semper se extendit ad omnes sensus, unde D. Thom. 22. *qu.* 173. *art.* 4. *tamen*, inquit, *quia mens prophetæ est instrumentum deficiens, etiam verè prophetæ non omnia cognoscant, quæ in eorum visis, aut verbis, aut factis Spiritus Sanctus intendit.*

Certum etiam esse debet, quod aliquem sensum cognoscunt, ut distinguatur Prophetia ab instinctu Prophetico, per quem homo agitur, nec agit ipse aliquid formaliter humano modo, de quo, loco citato divus Thom. Hoc supposito notandum, est, quod Prophetia est gratia gratis data, quæ ordinatur ad utilitatem Ecclesiæ, ideoque, sicut datur ad hunc finem, tanta etiam datur, quantam talis finis requirit, subjectum verò, cui datur perficit tantum per accidens, & quia non potest sciri, nec deduci quantum talis luminis perfectionem exigeret utilitas Ecclesiæ in singulis Casibus, ideo non potest resolvi, quantum se extenderit in singulis, tale lumen, quo circa 7. Gradus Prophetiæ distinguunt Doctores, cum Divo Thoma, qui eos explicat loco citato, & alibi.

Hoc igitur probabilius, & generalius asserendum videtur ex Doctrina ejusdem Angelici loco citato, quòd cum Propheta sit procul fans, seù procul videns, & id quod procul videmus, non perfectè discernimus, sicut cum a longe videmus hominem, cognoscimus aliquod corpus mobile, vel

fortè

fortè hominem, sed quis homo sit, non distinguimus, ita Prophetæ, principales sensus, qui procul habebant suum implementum, videbant, cum quadam generalitate, in aliquo uno scilicet in eo, quem proferebant litterali sensu, non tamen distiguebant, quantum est ex vi Prophetiæ, & hoc sufficiebat, ut certò Prophetarent, diximus quantum est ex vi Prophetiæ, quia si Deus aliquando aliquid plus, sive distinctius manifestavit, ut Moysi, & David; hoc supra exigentiam Prophetiæ fuit, nec tali mensura sciri potest, quia talia dona Spiritus Sanctus distribuit singulis prout vult; Sicut enim non omnes Apostoli, cum Paulo rapti sunt ad tertium cœlum, nec omnes cum Petro viderunt gloriam Transfigurationis; & tamen verè fuerunt Apostoli, ita non omnes Prophetæ loquebantur facie ad faciem cum Deo, sicut Moys. nec fuerunt homines, ita specialiter effecti secundum cor Dei, sicut David, & tamen fuerunt veri Prophetæ, ergò ad rationem veræ Prophetiæ non requiritur tanta excellentia; sed sufficit explicata.

Confirm. etiam, quia Prophetia ordinatur ad fidem; quæcumque enim scripta sunt, ad nostram Doctrinam Scripta sunt &c. Ut spem habeamus, Fides autem est sperandarum substantia rerum; sed potest esse verâ fides absque eo; quod omnes sensus, qui sunt in Scriptura latius, cum distinctione cognoscantur, aut discernantur &c. Ergo etiam vera Prophetia sine tali discretione, potuit subsistere. Min. certa est in praxi; quis enim inter fideles, etiam doctissimus, & maximæ fidei, omnes illos sensus discernit? quis inter fideles non exclamat cum Apostolo, ò altitudo divitiarum sapientiæ &c. Sufficit autem ad veram fidem cognoscere, & credere, quod plura in Scripturæ verbis latent mysteria, eaque credere, vera esse, ut contenta in iis, quæ revelante Deo, & per Ecclesiam suam declarante noscuntur; Patet consequentia, quia medium ordinatum ad finem, in ea ratione, in qua medium est, nequit esse perfectius, aliter contingeret deordinatio.

Sed dices, Prophetia ordinatur ad fidem totius simul Ecclesiæ, atqui tota simul Ecclesia, omnem sensum Scripturæ cognoscit, ergo etiam Prophetia.

Resp. con. maj., & distin. min. omnem sensum cognovit per fidem præcisè, neg. min. per fidem, & assistentiam Spiritus Sancti specialissimam, aliaque ejus dona con. min., & neg. conf.

Verum est quod omnis veritas Scripturarum servatur in corde Ecclesiæ, cujus est verum à falso discernere, ut docet fides, sed hoc est, quid à fide substantialiter considerata distinctum, aliter non daretur vera fides in singulis fidelibus, qui tali carent cognitione, quod falsissimum est. In hoc ergo exequitur Christus promissionem suam, per quam dixit Apostolis, de Spiritu Sancto, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, & cum Spiritu Sancto dat Ecclesiæ suæ ad ipsam perficiendam, dona ejusdem Spiritus Sancti &c.

Resp. 2. Ad principale argumentum, & ex Doctrina ejusdem Sancti Doctoris, negatur major,

A quia ille est sensus alicujus Prophetiæ, quem Deus, per illam significare intendit, nam quod intendit Propheta, ut distinguitur a proprio lumine, est sensus hominis, sensus autem veræ Prophetiæ debet esse divinus; Deus enim est causa principalis peculiaris, & specialissima Prophetiæ, constat autem, quod finis; & agens sibi correspondent; vel ergo intelligat, vel non intelligat Propheta sensum suæ Prophetiæ, talis sensus debet esse divinus, & non consideratur in eo hominis intentio, quæ accidentaliter se habet ad intentum Dei, quem ipse homo principaliter, non facit. Undè nihil convincit id, quod dicitur in argumento, nempè quod implicat, Deum dicere Prophetiam, quia nihil Deo futurum est, siquidem non est de essentia Prophetiæ,

B quod ipsam dicenti, sit futurum, vel præsens id, quod dicitur, sed sufficit illud esse futurum audienti, quia ipsam dicens non Prophetat sibi, sed aliis, deinde falsum est, Dei cognitionem non attingere futurum; futura, namquè in tantum sunt Deo præsentia, in quantum ipsi præsens est eorum futuritio, & ipsi Deo non sunt futura, cum sit æternus, & omnia in æternitate cognoscat, nec variatur ipse, rerum esse variando, quia à rebus non pendet, sed potius res ipse, & earum duratio simpliciter, & omnibus modis ab ipso sunt, & mensurantur eminentissimo modo.

Ad id, quod additur concedimus, ad Prophetiam opus esse intelligentia, idest ad ipsam scrutandam, sic enim ille textus dicit, cum Gabriel explicabat Danieli visionem, vel eam ipsi propo-

C nebat, in quo facto Daniel erat Auditor, potius quam Propheta, & est magna diversitas in his duobus, quod Deus loquatur per Prophetam, & in hoc quod Deus, vel Angelus loquatur ad Prophetam; in utroque requiritur intelligentia, sed in primo Dei loquentis, in Secundo autem etiam intelligentia hominis audientis, ut intelligat, quod ipsi dicitur, nec propterea negamus omnem cognitionem Prophetæ, sed quoad hanc supponimus satis dictum fuisse in superiori responsione.

ARTICULUS VI.

Ex occasione 4. argumenti Abul. solvitur quæstio.

An Prophetia impleatur quoad sensus mysticos.

D QUarto argumentatur, si daretur in Prophetia sensus spiritualis, utique esset Propheticus, ergò & in illo posset impleri, vel esset in illo nunc impleta, hoc est falsum, ergò. Major est certa, nam ut Prophetia sit fidelis, & vera, debet adimpleri, secundum quod prædecit, ergo sicut impletur litteraliter, cum illud fit, quod ipsa litteraliter prædicit, ita dicetur impleri spiritualiter, cum id quod mediantibus rebus prædicit, de facto accidit; min. prob. Prophetia certò impletur litteraliter, ergo numquam spiritualiter, quia unius Scripturæ unicum est complementum.

Confirm. si Prophetia impleretur, quoad sensum mysticum, numquam posset esse certum ejus implementum, quia cum quilibet possit facere al-

legorias, & tropologias ad libitum, semper esset impleta, & semper esset implenda, quia nulla est Scriptura, quæ videatur impleta, cui non possimus dare aliquem sensum mysticum, secundum quem speretur implenda, quæ est contradictio; idque apparet, inqu. Abul. in Sacris Doctoribus, qui varios sensus mysticos ponunt, & omnes illi approbantur, nec unquam dicuntur errare in mysticis phrasibus.

Hoc argumentum proponit quæstionem non contemnendam, an scilicet Scriptura impleatur, quantum ad sensum mysticum, non quod mysticè impleatur, quia quando impletur, realiter impletur, sed quod realiter ponatur id, quod per sensum mysticum, nempe per res præsignificabatur, sicut omnia, quæ in veteri Testamento Christum præfigurabant, pro qua.

Dicendum est, ita esse necessariò asserendum ab omnibus Catholicis, quod breviter ostenditur, primò: certum est, quod omnia, quæ in veteri Testamento fiebant, erant figuræ prænunciantes Christum, ejusque novum Testamentum, qui est sensus totius Ecclesiæ, & unanimis Patrum sententia. Immò id litteraliter dicit Apostol. omnia in figura contingebant illis, sed æquè communis fidelium sententia est, quod per figuratum nempe Christum, impletæ sunt figuræ, sicut ipse inquit Christus, non veni legem solvere, sed adimplere, & perpetuo in suis epistolis multis modis asserit, explicat, inculcat Apost. Paulus, ergo cum sensus, quem formabant figuræ illæ, quæ nobis describuntur in veteri Testamento esset spiritualis, nemo fidelis negare potest, impletam esse Scripturam, quoad prædictum sensum.

Confirmatur Lucæ cap. ultimo, ipse Christus inquit; necesse est impleri, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me, quo in loco non distinxit Christus inter ea, quæ litteraliter, & ea quæ figurativè de ipso erant. Immò quæ litteraliter Christum prædicerent pauca erant, quæ verò figuraliter plurima, immò si accipiuntur secundum coordinationem ad finem principalem, qui erat ipse Christus, qui omnia perficere debebat, omnia sicut facta, ut eum significarent, ita scripta secundum hanc rationem de ipso erant; ad quid enim Deus ea in sua divina locutione afferret, quæ secundum se nihil divinum sonabant, si non per ea Deus homo signaretur, cum certum sit, quod omnia propter se ipsum operatus est Deus.

Sed quid plura? cum ad sensum constet ea, quæ in ceremoniis, & sacrificiis præcepta erant, fuisse mysteria, cum data opera ad hoc exprimendum plura essent præscripta, quæ secundum se, & propter se, non habebant determinatam bonitatem, aut virtutis eligibilitatem, ut inde deduceretur manifestè ea esse magnæ alicujus rei figuras, ad quam innuendam, & aliquo modo manifestandam, veritatem litteralis aliquando prophetarum sensus accedebat, ut vidimus supra agentes de Christo prædicto ad litteram in veteri Testamento.

Confirmatur secundò ad hominem contra Abulensem, nam torquetur valdè iste auctor, Deuteron. cap. 18. qu. 6. ut sustineat veritatem, quam negare non potest Evangelii, Joan. 5. ubi ait Do-

A minus. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit, quia ut ibi ipse, & fere omnes advertunt, & nos supra loco citato, Moys. in toto Pentateucho nihil ad litteram dixit de Christo, nisi illud, suscitabo prophetam de gente tua, similem tibi; quæ prophetia litteralis etiamsi a Moyse scripta fuerit, refertur tamen potius, ut facta ad Moysen a Deo, quam facta a Moyse populo suo. Quomodò ergo, si sensus spiritualis, vel non est proprius Scripturæ, vel non impletur, salvabit Evangelii veritatem, ut habetur Joan. 5. & etiam ut dicitur Lucæ ultimo, ubi Christus pergens cum discipulis in Emaus, incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur eis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant: sanè dictum illud, Prophetam de gente tua, non magnam expe-

B ctabat interpretationem, quia locus clarus est, & jam turbæ ipsæ, cum advenit Christus interpretatæ eum fuerant, dicentes, Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam, ergo si interpretabatur Christus Moysen de se ipso, quæ ille de ipso scripserat, vel plura alia ad litteram de illo scripserat, quod negat Abulensis, vel interpretabatur (quod magis propriè dicitur de sensu spirituali, quam litterali) quoad sensum spiritualem ea, quæ in eodem sensu, de ipso scripserat Moyses, quod displicet magis Abulensi, unde & ipse difficultate pressus inquit, Moysen plura de Christo scripsisse secundum alium sensum non litteralem, quia quasi omnia, quæ de sacrificiis, & similibus ceremonialibus dicuntur, ad Christum trahuntur.

C Addendum, ut bene notat N. P. Antonius loco citato, num. 17. quòd eodem cap. Joan. 5. inquit Christus Judæis, scrutamini Scripturas, quia vos putatis vitam æternam in illis habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, ubi meritò notant Chrisostom., & Euthim. quod Christus non dixit, legite, sed scrutamini, quia littera, legendo intelligitur, sensus verò spiritualis, scrutando deprehenditur. Legebant illi, non scrutabantur, ideò non cognoscebant, quod Scriptura implebatur in Christo, quem propterea persequebantur, quia non intelligebant esse Messiam, toto veteri Testamento figuratum &c.

Hinc respondetur argumento, conc. sequ. maj. & neg. min. ad prob. transeat ant., & neg. conseq.

D unius Scripturæ unicum est complementum, dist. ant. eo modo quo sumitur talis unitas, conc. ant. diverso modo, neg. ant. si tota prophetia veteris Testamenti, cum omnibus suis partibus sumatur, ut una, habet proportionatum sibi complementum, scilicet Christum, & omnia, quæ ad ipsum spectant, etiam secundum corpus ejus mysticum, quòd est Ecclesia. Si sumatur pro una Scriptura, unica ejus pars, sigillatim habet suum complementum, secundum quòd intenditur a Spiritu Sancto, ut talis, & eo ordine, quo intenditur. Si enim littera ponitur, ut litteraliter tantum significet Christum, sicut illud Psalmi, in siti mea potaverunt me aceto, completur adæquatè talis Scriptura sic accepta; in passione, in qua, cum dixisset, sitio, eum aceto potaverunt; si ponitur littera, ut exprimat rem,

rem, per quam intendit Spiritus Sanctus aliquid significare mysticè de Christo, sicut cum dixit in Exodo, de agno paschali, os non comminuetis ex eo, quòd impletum est quando in passione, cum jam mortuum invenissent Jesum, non fregerunt ejus crura, tunc littera ut talis, satis completur in hoc, quod fundat sensum spiritualem, significando rem illam scilicet agnum prout a Deo assumptum ad significandum, vel fortè melius dices, complebatur in hoc, quod ratione præcepti contenti in illa littera præstabant Judæi eam observantes, quando ossa agni paschalis non comminuebant, hoc enim præstando, seù exequendo, sua ipsa actione figurabant, quòd de Christo postea evenit, & hoc in illa littera intendebatur, unde in hoc implebatur; sensus autem spiritualis, ad quem fundandum ordinabatur illa littera, & ad quem formandum ordinabatur, & ille agnus, & illa observantia, completus est in passione Domini, ut notavit Evangelista, & quia, cum dicitur, una Scriptura, illa sumitur secundum suos sensus principaliter intentos, ideò absolutè & adęquatè dicitur similis pars Scripturę compleri, cum sensus spiritualis impletur, tunc enim quidquid in illa ordinabatur ad perfectionem sensus spiritualis, in hujus adęquato complemento censetur adęquatè compleri.

Ad confirmationem jam satis dictum est in solutione ultimę confirmationis hęretici delirii, ideò eadem Doctrina huic simili deservit difficultati solvendę. Resp. igitur, neg. maj. ad prob. negam. suppositum, quia verus sensus mysticus Scripturę Deum solum, ut principalem novit Auctorem, & qui fit ab homine, est aliqua similitudo ejus, non ipse. De vero autem sensu mystico, inquit D. Thom., & loco superius citato, *& p. p. quæst. 1. articul. 10. ad primum. Nihil sub spirituali sensu continetur; fidei necessarium; quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifestè non tradat, aut saltem constet per traditionem*. Addit Noster Antonius, *vel per Ecclesiæ declarationem; vel per unanimem Patrum consensum*; addimus nos, *ex Concilio Tridentino sess. 4.* sæpè citata, ideoque certissimè etiam constat de ejus determinatione, & implemento, quantum verò ad alios sensus mysticos non propheticos, quommodo constare possit, eos esse intentos a Spiritu Sancto; & diximus in prę allegata solutione, & explicabitur infra suo loco, unde magis discernetur, an aliquis erret, nec ne, in eruendo sensus mysticos.

Quinto argumento, vel iste sensus mysticus est intentus a Scriptura, vel non, si secundum, ergo non est sensus Scripturæ, si primum, ergo est litteralis, nam quidquid Scriptura significare intendit, est sensus litteralis, non enim exit Scriptura extra propriam spheram, aut limites, qui restringuntur ad verba significantia rem, pro qua sunt eadem verba instituta, tanquam signa scripta.

Resp. eligendo primam partem, sed in hoc sensu scilicet est intentus a Scriptura formaliter eo modo, quo intenditur ab auctore, utente tali Scriptura, & quia Spiritus Sanctus utitur verbis ad innuendam significationem, quam ipse intendit per res, ideò etiam Scriptura, ut ipsi deserviens hoc intendit, ut supra etiam diximus, & neg. conseq. quia sensus ille significatus per res, ad litteram non spectat, nisi tanquam aliquid connexum cum re, quam littera significat, unde littera nõ eggreditur suos limites, sistit enim quantum est ex se in significatione rei, ad quam est instituta, sed quia ejus auctor, per rem ipsam vult aliquid aliud significare, & hoc, ex hoc ipso est aliquid intimum illi rei, si littera intendit revera significare id quòd illam rem afficit, oportet quod intendat significare illum sensum mysticum, sed sicuti per hoc non deducitur, quod res significata, fiat littera, per quam manifestatur, ita nec deduci potest, quod sensus ille se tenens ex parte rei, fiat litteralis; & cautè advertendum est, quia similia argumenta valdè assimilantur sophismati.

2. Respon. vel potius addendum, tali argumento nihil convinci, quia procedit à Scriptura humana ad divinam; Solus enim Deus potest accomodare res ad significandum, & hinc habere sensum mysticum, ut videbimus est proprietas Sacrę Scripturę; Scriptura ergo, ut divina, non habet solam litteram, per quam significet, quod humanæ Scripturæ facit limitem, unde nec ultrà, ejus intentio se extendit, sed etiam significationem rerum includit, quam litterarum significatione operit; clarè igitur respon. iste sensus est intentus à Scriptura, sed divina, ergo est litteralis, neg. cons. quod Scriptura intendit, litterale est, dis. Scriptura humana admitt. Scriptura divina, litterale est solum, neg. ant. litterale, vel spirituale con. ant. &c.

ARTICULUS VII.

Continens erroris extremè oppositi rejectionem.

SOlum spiritualem sensum, in Scriptura admittit, ut supra retulimus, Sebastianus Franchius, ita etiam Manichęi, ut refert P. Philip. in p. p. disput. 2. d. 4. in quem errorem inclinat etiam Origenes saltem in praxi, de quo dicit Hieronym. Epist. ad Pammachium, de erroribus Joan. Hierosolimitani, Origenem, sic Paradisum terrestrem allegorizare, ut historiæ auferat veritatem, dum pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes coelestes intelligit, & tunicas pelliceas Adæ, & Evæ, corpora humana eorum interpretatur, quasi ante peccatum, sine corpore vixerint. Pro hoc errore adeò irrationabili, & Chimericho, nullum Doctores adducunt argumentum, aliquod tamen, ut magis eludatur, non frustra excogitari potest:

Prim. Sacra Scriptura est opus Dei specialissimum, ergo sensus quos continet, debent esse proprissimi ipsius Dei, sed sensus litteralis est communis omni etiam humanæ Scripturæ, ergo non est sensus proprius Dei, nec Scripturæ ejus, è contra sensus spiritualis soli Deo competere potest, ut probat D. Thom. locis supracitatis, ergo solus ipse erit sensus proprius Sacræ Scripturæ.

Confirmat., quælibet res, eò ipso, quod est creata a Deo, suum laudat auctorem, unde etiam coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, & adeò propriè ista lo-

loquuntur, ut in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, ergo res in ordine ad Deum sunt verba, ergo divina operatio est divina locutio, ergo è converso divina locutio est divina operatio, ergo per res tantum loquitur, non per verba, ut homines.

Resp. con. ant., & dis. conf. sensus specialissimus Dei loquentis ad homines, con. conf. Dei præcisè cognoscentis, & quoad se tantum, neg. conf. duo sunt, quæ Dei universalem, & peculiarem erga nos ostendunt benignitatem, & quod se accomodet per dignationem, ad nostrum modum loquendi, & quod ad nos instruendos, novum etiam adinvenerit modum, arcana sua nobis communicandi, primum in sensu litterali apparet, secundum in spirituali, sicut autem magis à nobis cognoscitur Deus, ex eo quod dignatus sit carnem sumere, & in humana natura humiliari usque ad mortem, quam per hoc, quod in majestate sua lucem habitat inaccessibilem, ante quam supremi spiritus velant faciem suam; ita, quæ sunt propria Dei, in Scriptura magis per litteralem sensum, quam per spiritualem dignoscuntur. Porrò sensus Scripturæ sunt id, quo aliquid divinum manifestatur, unde ille sensus magis Dei est proprius, quo magis Deus nobis manifestatur, ideoque, cum dicitur, sensus spiritualis magis proprius Dei, sumitur, ut qui & quo ad modum, quatenus hoc modo significare suos conceptus, homo non potest; ut videbimus, sed comparando utrumque sensum, ad suum auctorem, quatenus Deus utroque utitur ad manifestandum se ipsum, magis proprius ejus est litteralis, ob rationem adductam, unde nullo modo excludi debet, ne tollatur Scriptura, & ob rationem alias tactam, quia nempè spiritualis nequit haberi sine litterali, in quo fundatur ejus cognoscibilitas.

Ad confirmationem resp. primò, retorquendo instantiam sic; non datur tamquam proprius Scripturæ, sensus litteralis, ergo nihil probant adductæ auctoritates, quæ si aliquam vim habent, in littera, & litterali sensu eam habent, quod enim ibi cœli sumantur pro cœlis realibus, & materialibus, quos Deus produxit, certè sensus est litteralis, & gloria Dei, & firmamentum, & omnis terra, sumuntur litteraliter; tollatur ergo sensus litteralis, & nihil erit sensus spiritualis, cum sumitur lux, tanquam vox, per sensum mysticum.

Respon. 2. quod Creatura Dei suum dicitur laudare auctorem, quatenus ostendens suum esse, excitat rationalem creaturam, ad laudandum suum Creatorem, qui tam pulcra, tam bona producendo, suam ostendat infinitam bonitatem, qua pulcrum pulcherimus ipse mundum mente gerit; similique in imagine format. Sev. Bo. de consol. Philosophiæ, & hanc intelligentiam communiter habent Sancti Patres in hoc loco, & similibus, quæ quamvis doctrinalis, tamen litteralis est expositio; dum litteram explicet quidem, sed non egrediatur.

At communius, & principalius, sequendo intellectum Apostoli ad Rom. 10., exponitur ab omnibus spiritualiter adductus textus Psalmi, quod tempe cœli significant Apostolos, dicente Paulo loco citato, numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum; intelligitur itaq; textus iste, de prædicatione Apostolorum, & prædictum versiculum, de Apostolis canit Ecclesia, ponens etiam sermonem S. Greg. hom. 3. in Evangel. ubi pulcrè prædictam prosequitur expositionem, quam etiam idem habet *lib. 17. Moral. cap. 16.* ubi hunc Psalmum, eodem in sensu exponit, *quos enim cœlos hic accipimus, nisi Sanctos Apostolos, de quibus dicitur, cœli enarrant gloriam Dei*, quos tunc Spiritus Sanctus ornavit, quando replevit, quod Luca referente didicimus, qui ait, factus est repente de cœlo sonus &c. & repleti sunt &c. unde hæc expositio est quædam veluti traditio, non ergo significat eo solum modo, quo intendit arguens, sed spiritualem magis habet intellectum, ut tenet Ecclesia, ipseque de necessitate fundatur in litterali, ut clarum est, & apertè constat ex modo procedendi Expositorum, qui qualitates reales cœli applicant virtutibus Apostolorum: videatur N. Incognitus, ad prædictum Psal. 18.

Sed dato etiam toto antec. & discursu, negatur ultima conseq. applicando enim antec. ad Sacram Scripturam, loquitur quidem Deus in ipsa per res, sed illas significando per litteras, nec potest Sacra Scriptura dici formaliter divina locutio, per modum operationis; quia in Deo non datur actio formaliter transiens, sed tantum virtualiter, quæ ex parte agentis est ipse Deus, & ex parte passi est ipse effectus, ut passivè terminans actionem Dei, dicitur ergo divina locutio, per modum effectus Dei se volentis manifestare, sed quoad nos, quia præstat eundem effectum, quem præstaret, si esset actio, ideò consideratur, velut actio Dei. De hoc autem alibi dictum est.

ARTICULUS VIII.

Specialem explanans in præsenti controversam difficultatem.

ARgum. secundò: indignum est Deo, ei tribuere sensum litteralem, ut ab ipso intentum. Prob. ex Apostolo prima Chorin. 9. ubi, ut vidimus, accipit, & explicat in sensu spirituali, ut de prædicatoribus dictum, illud Exodi, non alligabis os bovi &c. ubi subdit, numquid de bobus cura est Deo? quasi hoc sit Deo indignum, & tamen sensus ille litteralis, ostendit per se primò, quod de bobus cura est Deo; ita argui potest, etiam de agno, de quo mandavit Deus, ne frangatur os ex illo; numquid de agnis cura est Deo, quos præcipiebat in sacrificiis occidi, ita & de leone, cum laudatur in Scriptura, tamquam symbolum Christi, & tamen litteralis sensus est de vero leone, sicut è converso aliquando vituperatur; quid enim peccavit verus leo, ut vituperetur a Deo qui creavit illum, & nihil odit eorum, quæ ipse fecit, & tamen sensus litteralis leonem vituperat. Insuper.

Arguitur ex August. qui lib. 17. de Civitate Dei, sæpe, & alibi sæpius, ac potissimum cap. 8. damnat eos, qui intelligunt ad litteram de Salomone

me dicta, est, quia secundum litteram patenter de Salomone prædicontur, quia si de Salomone sumantur, falsa sunt, ut prædicto cap. ostendit, ubi etiam minans grandem promissionem factam David a Deo 2. Reg. 7. de Filio ejus, ędificaturo templum Domini, qui certè fuit Salomon. *Hic ædificabit domum nomini meo, & dirigam thronum illius usque in æternum, ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, & cum venerit iniquitas ejus, redarguam eum &c. & fidelis erit domus ejus, & regnum ejus erit usque in æternum &c.* Hanc inq. tam grandem promissionem, qui putat in Salomone fuisse completam, multum errat, attendit enim, quod dictum est, hic ædificabit mihi domum, quoniam Salomon templum illud nobile struxit, & non attendit quod addit, fidelis erit domus ejus, & regnum ejus usq; in æternum coram me. Attendat ergo, & aspiciat domum Salomonis plenam mulieribus alienigenis &c. & non audeat existimare Deum, vel hoc promisisse mendaciter, vel talem Salomonem, domumque ejus futuram, non potuisse præscire.

Cum ergo sensus litteralis ibi sit falsus, facilè erit, si litteram attendamus sicut ibi, ita etiam alibi errare, ergo litteralis sensus non debet attendi, tamquam sensus Scripturæ, aut intentus a Deo, idque confirmatur; si vel minima pars falsitatis reperiretur in tota Sacra Scriptura, tota auctoritas ejus periret, ut bene prob. August. respondens Hieronymo, de mendacio officioso, & constat etiam ex communi sensu Ecclesiæ, ergo si sensus litteralis aliquando est falsus, nullus sensus litteralis Scripturæ habet auctoritatem, aut dici potest ullo modo sensus Scripturæ.

Hoc argumentum planè in aliquibus difficultate non caret, non tamen ea talis est, ut veritatem propterea deserere, aut cogamur, aut timeamus; sed Deo dante solvetur; Primò notando, quod quamvis sensus litteræ, & sensus litteralis videantur idem esse, & pro eodem multoties accipiantur, quia aliquoties sunt idem, in rigore tamen, quantum spectat ad præsentem tractatum, non sunt idem, quia sensus litteræ est ille, quem faciunt verba juxta illam significationem, quam habent ex placito communi, unde talis sensus est grammaticalis, vel vulgaris, & deservit per modum materię initiativæ sensus, qui verè dicitur litteralis. Cum enim non possimus res omnes ad scholas adducere inventa sunt nomina, quæ res significant ex communi sensu, ut sic de rebus possimus habere sermonem, inquit Philosophus. Quommodo autem iste sensus differat a vero litterali, constat in translatis, seu metaphoricis locutionibus, in quibus sensus litteræ est valdè diversus a sensu litterali, etiam in humano sermone, cum enim dicitur, prata rident, sensus litteræ est, quod revera prata idest terræ herbosæ rideant, idest emittant risum, qui planè sensus falsus, & ridiculus est, sensus autem litteralis etiam humanus, in tali casu est, prata florere, & animum ad ea divertentium exhilarare, sicut qui ridet, animi dilatationem ostendit, aliosq; exhilarat, & potius iste sensus dicitur loquentis, quam locutionis, & est valdè, ac eleganter expressus, per laconismum quemdam, in metaphorica [A] locutione contentum. Superaddit ergo sensus litteralis ad sensum litteræ, intentionem loquentis rationabilem, & intelligibilem secundum modum dicendi humanum, magis quàm secundum materialia verba, ut seorsim significant, & hoc oritur ex eo, quod sæpè innuimus, loquendo de Sacra Scriptura, quod ejus verba, vel etiam propositiones aliquæ possunt accipi prout in se sunt, vel prout stant sub coordinatione, & respectu ad alia, vel ad contextum, vel ad similia in eadem Sacra Scriptura, vel ad veritatem, & finem totius Sacræ Scripturæ; hoc enim debet esse tamquam principium, volentibus evitare errorem in intelligentia Scripturarum.

Secundò notandum, quod ad fundandum sensum spiritualem, semper debet intervenire saltem sensus [B] litteræ, quia res, quæ ad significandum assumitur, certè debet suo nomine scribi, aut aliquali nomine significari, qui dicitur sensus litteræ, & ideò lato modo loquendi utentes, solemus dicere, quod sensus spiritualis fundatur in litterali, scilicet saltem in sensu litteræ, aliquando tamen sensus spiritualis fundatur etiam, nedum in sensu litteræ quem semper supponit, sed etiam in sensu litterali, qui etiam secundum se est intentus, quamvis ferè semper, quando id contingit, ipse litteralis sensus sit intentus propter spiritualem.

Sit exemplum, illud Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum*; sensus litteræ materialis est, quod Deus vocavit, & reduxit ex terra illa, quæ vocatur Ægyptus, filium suum, usque modo, sic gram- [C] maticaliter intelligendo, non habemus sensum, nec litteralem historicum, nec spiritualem, si verò consideretur Scriptura, in qua idem Deus alias populum suum vocabat filium, sicut *Exodi 4. num. 22. Hæc dixit Dominus. Filius meus primogenitus Israel, dixi tibi, dimitte filium meum, ut serviat mihi*, & alibi similiter, Jam habemus sensum historicum & litteralem a Deo intentum, quo significavit eductionem Populi Israel de Ægypto, & hic sensus verus, historicus, conformis aliis etiam contextibus, & coordinationibus Sac. Scripturæ, ut quisque videt, in sua linea intenditur à Spiritu Sancto, utque litteralis sistit in re, quam manifestat; at quia si ponderemus tot mirabilia illius exitus secundum rem ipsam facta illi Populo ingrato, ac rebelli, ac taliter divinam irritanti justitiam, ut eos occiderit [D] ferè omnes in Deserto, ex quo ostendit apertissimè, quod non propter illos fiebant tot mirabilia, & tam prodigiosa eductio; deprehendimus, quod illa res, sive illa eductio, in illis verbis perfectè significata, aliquid aliud respiciebat, quod figurabat, & ad quod tendebat, & quòd facta fuit, ut illud significaret, quòd respiciebat, & manuducente Evangelista, cum narrat reductionem Jesu Christi Filii Dei Naturalis, ex Ægypto, cognoscimus, quòd in illis verbis, seù melius in illa re significata per eadem verba, latebat sensus spiritualis Propheticus, quo præsignificabatur egressus Christi de Ægypto, qui sensus fundatur in illo litterali ordinato ad ipsum, & in sensu illius litteræ, quæ ad utrumque suo ordine respiciebat.

His suppositis, facilè argumento respon. neg. ant.

ad

ad probation. dicimus sensum Apostoli esse, quòd A illa verba non erant dicta inseminis intransitivè, de solis bobus, ut boves sunt; hoc enim non est dicendum de Deo, qui creavit boves, & alia propter hominem, & consequenter illa curat, propter hominem, non propter ipsa; si autem nihil aliud præter bovis conservationem intendisset, quando dixit, non alligabis os bovi trituranti, steti{l}et ejus cura in solis bobus, ideò ad insinuandum, quòd aliud intendebat, inquit, *numquid de bobus cura est Deo*; cæterum cum hoc stat non esse indecens Deo, quod bovem secundario curaret, sicut & creavit, ideò sensus ille erat primò litteralis, quamvis ordinatus ad spiritualem, & eodem modo respondetur ad alia de agno, & de leone, cum autem leo laudatur, vel vituperatur, semper litteraliter verum est, secundum diversas leonis proprietates, id B quod dicitur, ideoque capax est talis veritas, constituendi sensum historicum intentum a Deo, in ordine tamen ad spiritualem.

Ad id, quod adducitur ex Augustino, respon. quod non dicit August. sensum litteralem illorum verborum falsum esse, neque hoc poterit umquam probari, sed dicit falsam esse intelligentiam eorum, qui asserunt talem textum impletum fuisse in Salomone, aut de ipso dictum fuisse, & ostendit non debere ita intelligi, immò ne quis putet falsum aliquid reperiri in Scriptura, damnat eorum intelligentiam, quia ex illa sequitur falsum aliquid in Scripturam refundi.

Sed instat probatio, habemus ex contextu litterali, dicta illa fuisse de Salomone, quia dicta sunt C de Filio David, qui ædificaret domum Nomini Domini, neque de alio Successore David, hoc verificatur, nisi de Salomone, vel assignetur, quinam sit sensus verus litteralis, si litteraliter illa dicta non fuerunt de Salomone, sicut enim non omnia quadrant Salomoni, nempè illud de domo fideli, ita etiam non omnia quadrant, alicui alteri, sicut illud de ædificatione templi.

Respondetur ex Doctrina Augustini, toto illo capite, & alibi etiam, quæ prolixum nimis esset referre, Sacrum Textum reverà in principio locutum fuisse litteraliter de Salomone, sed hic sensus litteralis significabat Salomonem, ut figuram Christi futuri, quo posito prosequitur textus, loquens directè de figurato, non amplius de figura, quasi explicans, & predicans id, quòd conveniebat Christo, figurato quidem per Salomonem, sed non in D omnibus, ut (sunt verba Augustini) *evidenter appareat quòd in illo, figura qualiscumque adumbrata sit, in isto autem ipsa veritas præsentata, ideò multa de illo dicuntur, quæ omninò ei convenire non possunt, Domino autem Christo aptissima perspicacitate conveniunt*, ex quo sequitur, quòd ea, quæ de Salomone videntur dicta, & tamen in eo non sunt completa, litteralem de eo sensum non habent, sed potius litteraliter de Christo fuere prædicta, ideòque textus ille in aliquibus de Salomone, ad litteram, & de Christo spiritualiter, in aliquibus Salomonem non tangit, sed litteraliter, Christum prædicit.

Et quamvis id Augustinus non dicat explicitè, ita se tamen sentire demonstrat, dum & aliqua de citato textu, & plura immò ferè omnia, quæ de Salomone videntur dicta Psalm. 71. qui titulo nominis ejus inscribitur, evidenter probat in Christo, non in Salomone fuisse completa, ergò & de illo litteraliter dicta, unde etiam subdit: *Nec ob aliud, vivente adhuc Patre suo David, regnare Salomon cœpit, quòd nulli illorum regum contingit, nisi, ut hinc quoque satis eluceat, non esse ipsum, quem Prophetia ista præsignat, quæ ad ejus Patrem loquitur, dicens: & erit, cum impleti fuerint dies tui, & dormietis cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui erit de ventre tuo, & preparabo regnum illius.*

Sed advertendum, quòd quamvis prædicta, litteraliter fuerint de Christo, ita ut possint dici litteralis prophetia de Christo, tamen quoad enuntiationem faciunt sensum mysticum, vult enim Augustinus, etiam illud, *ipse ædificabit domum nomini meo*, non esse de Salomone dictum, sed de Christo, qui ædificavit Ecclesiam, non de lapidibus mortuis, sed de hominibus, quibus dicit Apostolus, templum enim Dei Sanctum est quod estis vos, qui sensus sic explicatus certè est sensus spiritualis, ex qua parte ædificatio domus mystica sumitur. Constat autem ex huc usque dictis, sensum litteralem illius textus, & omnium totius Sacræ Scripturæ esse verissimum, imaginationem verò eorum, qui illum applicant totum Salomoni, ut faciunt Judæi, esse falsissimam, nec culpa est veritatis, si falso sensu proprio eam quisque deturpet. Ea verò, quæ notavimus, & si ad solutionem argumenti non videantur requiri, eam tamen clarificant, & ideò addita sunt, ut alia etiam solutio ad abundantiam inde elici possit, & dilucident hanc materiam.

Tertio argum. in pluribus Sac. Scrip. locis, sensus litteralis reprobatur, dicit enim Apostol. *littera occidit, spiritus autem vivificat 2. ad Corin. 3. c.*, & Rom. 2. laudatur circumcisio cordis in spiritu, non littera, & Rom. 7. non esse serviendum in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus. Immò ipse Christus inqu. Judæis: Scrutamini Scripturas, legebant enim tantum litteram, & non scrutabantur spiritum, propterea errabant, ergo sensus litteralis, erroris occasio est. Indè jam commune proloquium est, non esse sistendum in cortice litteræ, ut intelligatur, quia si littera est cortex, fructus veritatis, tali cortice purgandus est, ut possit sine errore gustari.

Resp. neg. ant. ad primum textum, jam alias dictum est, quod nomine litteræ venit carnalis intelligentia, vel antiqua lex, quæ si modo observatur, occidit, quia tollit fidem Christi, & ita intelligit hunc locum Augustin. ut alibi diximus. Addit autem D. Thom. hoc loco, quod littera occidit, quia lex antiqua non dabat gratiam, sed tantum occasionem peccati, ideò dicebatur occidere occasionaliter, nemo autem invenitur, qui hoc intelligat de sensu litterali, nisi fortè, ut advertit Bellarmin. de Verbi Dei interpretatione lib. 3. quod occidit littera, idest litteralis sensus à nobis confictus, vel tenaciter defensus occidit, ubi non est

est sistendum in littera. Quò circa August. Epis. 48. ad Vincentium, irridet donatistas, qui ex illis verbis, indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie, deducebant, nimis litteraliter tenendo sensum; seù significationem meridiei, Ecclesiam Dei solum in Africa remansisse; littera etiam dicitur occidere, ubi intelligitur per figuram, quod dicitur secundum proprietatem, sicut Zuingliani accipiunt verba illa Math. 26. Hoc est Corpus meum tanquam locutionem metonimicam, ubi est omninò propria, cęterum littera bene intellecta optima est.

Alii duo textus Apost. eundem sensum habent, ut primo loco dicebamus de primo, sensus porrò verborum Christi, non est damnare litteram, sed eos, qui semper in sola littera sistunt, ut carnales Judæi, qui propterea Christum negabant esse Messiam, in Lege promissum, quia non penetrabant sensus intimos Scripturarum, quamvis enim etiam litteraliter, prædictus esset ejus adventus, & ejus facta, tamen multo plures de illo erant prædictiones reconditæ, & spirituales, quam litterales, immò si præcipiebat, ut scrutarentur Scripturas, utique volebat, quod sensus litterales examinarent, nam sine tali studio, & examine, spiritualis sensus inveniri non potest firmiter, scilicet in uno loco absconditus, & per alium explicatus. Non igitur litteralis sensus est causa erroris, sed potius tollendi errorem, & obscuritatem, ut veritas, ejusque probatio deprehendatur.

Quod littera sit cortex, in sano sensu debet intelligi; sic enim dicitur, quia in se recondit spiritum, non quia littera sit abiicienda, si enim hæc dimitteretur, nihil remanebit, quia intimè continet sensum mysticum, ejusque non solum cortex, sed fundamentum est. Certè comparatur etiam Corpori, in quo est Anima, nec propterea licet Corpus abiicere, quia Anima pretiosior sit, sed utrumque est pars essentialis ejusdem compositi; & uterque sensus est pars divinæ locutionis &c.

CAPUT II.

De sensu litterali,

ARTICULUS I.

Quid sit sensus litteralis Sac. Scripturæ.

QUid sit litteralis sensus Scripturæ, satis constare potest ex dictis in præcedentibus, quia tamen non modicum variant opiniones, quantum ad ejus definitionem, seù descriptionem, novam instituimus disquisitionem.

Prima definitio est, quam tradit Fr. Joan: Segariensis apud P. Nostrum Antonium, prælud. 3. d. 3. nu. 19. sensus litteralis est omnis ille, qui à Spiritu Sancto fuit intentus; cui placito adhęrere dicuntur, Castro, & Burgensis, qui tamen reverà non concordant cum illo, & certè quia nemo ex Catholicis negat sensum litteralem esse intentum à Spiritu Sancto, quod solum dicunt prædic-
A ti auctores, si hoc sufficeret, ut aliquis ita asserens diceretur fautor hujus opinionis, omnium esse communis dici posset. Abulensis quidem posset pro ipsa adduci, cum enim ut vidimus sensum spiritualem, neget esse intentum a Spiritu Sancto, jam hoc ipso asserit solum litteralem id habere, nihil novi igitur affert Fr. Joannes supra id, quod sentit Abulensis, ideoque simul remanent sub impugnatione eadem, pro qua laboravit quæstio præcedens.

Alii sensum litteralem describunt, quod sit ille, quem immediatus Scriptor intendit, ponentes in hoc differentiam inter litteralem, & mysticum, quod iste sit intentus a Deo, ille verò a Scriptore, cum sit sensus proprius litteræ, quam Scriptor efformat, & ad ita sentiendum ex eo ducuntur, quia
B aliquando datur sensus litteralis falsus, sicut Gen. 3. eritis sicut dii, & alii similes; quos, cum sint falsi, repugnat referri in Deum, at non repugnat adscribi homini; Ita aliqui apud Ruam controv. 9. dub. 3.

Sed erroribus scatet hujusmodi opinio, primò quia tollit veram rationem Sacræ Scripturæ, cujus principalis, & specialissimus auctor est Deus, & hoc modo nihil esset firmum in Ecclesia, sensus enim spiritualis est absconditus in litterali, ergo si litteralis posset esse falsus, jam deficeret etiam spiritualis; nec posset amplius veritas probari efficaci argumento; hoc siquidem ex litterali desumitur: Motivum verò illud ridiculum est, ubi enim referuntur in Sacra Scriptura malè loquentium errores,
C referuntur ut errores illorum, quod est verissimum, nec aliquid verius dici potest, sicut dicit David Ps. 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, ita enim verum refertur, & falsum damnatur, sicut cum dicitur, audi Israel, Deus tuus, Deus unus est, & cum referuntur deceptoria verba serpentis, ut talia referuntur; & constat ex ipso contextu, ita ut nec grammaticus in explicando tales litteras possit errare, unde pudet in re tam palmari diutius detineri, in qua ex proprio dicto se damnant similes scioli.

Lyranus, & alii cum ipso, in 3. prologo postillæ, definit dicens, sensus litteralis conveniens, & qui de facto est in Sacra Scriptura, est qui per voces in acceptione propria sumptas significatur. Sentit enim iste auctor quod sensus litteræ Metapho-
D ricæ non est Sacræ Scripturę unde dicit; Scriptura alicubi non habet sensum litteralem, propriè loquendo, v. gr. Judic. 9. Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem, & Math. 5. Si manus tua scandalizat te &c. quia sensus litteralis est ille, qui propriè significatur, & talis non est hic, nec consimilis; sequeretur enim, quod sensus Sac. Scrip. esset falsus, quia ligna numquam hoc fecerunt.

Hæc opinio, quamvis velit verum dicere, tamen non dicit, verum enim est, quod si ea, quæ metaphoricè dicuntur, sumuntur ut dicta propriè, falsa sunt, sicut, quæ propriè significantur, si sumantur tamquam metaphoricè significata, sed similis modus procedendi, est error ex parte legentis, qui diversum format conceptum a conceptu loquentis, non ergo describi debet sensus litteralis, per re-

spectum

spectum ad ignorantiam legentis, sed potius ad men- A tem loquentis satis significatam per verba, quæ se satis manifestant, an stent metaphoricè, an verò propriè. Magis autem confutabitur in sequentibus quæstionibus, & etiam in hujus decursu.

Legitima igitur definitio sensus litteralis, ea est, quæ colligitur ex Hieronymo, ep. 150. ad Ædib. 9. q. August. lib. de utilitate credendi ad Honoratum, cap. 3. & ex D. Thoma locis sæpè citatis supra, universaque ejus schola in comment. art. 10. qu. pr. p. pr. quamque tradit, & explicat Sixtus Senensis. Biblioth. lib. 3. parag. 2. de duplici sensu Sac. Scripturæ; scilicet est ille sensus, seu conceptus, qui per verba Scripturæ Sacræ, sive in propria, sive in metaphorica acceptione sumpta, ex intentione Spiritus Sancti immediatè significatur, ita communiter. Cum autem rigorosa definitio non B sit, ut patet, sed solum descriptio, quæ etiam importat rei declarationem, magis placet, ea, quam Sixtus prædictus efformat, per quam communis ista dilucidatur; sensus historicus, seu litteralis Scripturæ est, quem rei gestæ narratio (vel rei, quæ manifestatur relatio) ac verborum series, sub communi, & usitata vocum, sive propria, sive metaphorica significatione, in exteriori litteræ cortice repræsentat; Additur utrobique de vocibus, sive propriè, sive metaphoricè, ubi metaphora generaliter accipitur prout omnis generis tropi sub metaphora comprehenduntur, an autem conveniat Sac. Scripturæ locutio metaphorica, seorsim, cum Divo Thoma, disputabitur.

Sed dices, per hoc quod dicatur, sive in propria, C sive metaphorica significatione, videtur non satis declarari hic sensus, sed potius magna confusio, quia omnis dictio, quæ aliquando sumitur metaphoricè, debet habere suum sensum proprium, aliter non posset ab illo transferri, ergo idem sensus Sac. Scripturæ erit verè talis, sive verba, per quæ exprimitur, sumantur propriè, sive sumantur metaphoricè, ex quo tamen omnia confunderentur, qui enim legit, vicit leo de Tribu Juda, vel intelligat leonem secundum significationem propriam, vel secundum metaphoricam, habebit sensum Sacræ Scripturæ, quod falsum est &c.

Respon. sensum illius descriptionis divisivè sumendum esse, quod nempe ratio sensus litteralis, non alligatur ad eum, qui per propriam expressionem significatur, sed etiam ad eum extenditur, qui D metaphoricè significatur. Quando verò sit locutio propria, & quando metaphorica, satis constat ex verborum serie, ut optimè explicat in sua descriptione Senens. cum enim hoc semper debeamus supponere, quod non potest illa locutio esse falsa, si videamus eam in proprio sensu veram non esse, statim cognoscimus accipiendam esse in metaphorico, & ubi dubium est, eam comparamus ad contextum, ad seriem, ad principia ejusdem Scripturæ, ad alios textus, ad communem Ecclesiæ intelligentiam, ad traditiones, & ad Patrum doctrinam, indeque deprehendimus, an propriè, an metaphoricè, locus illæ Scripturæ procedit, & hoc modo intellecta illa particula descriptionis, caret difficultate, & omnia optimè distinguuntur, nec sequitur sensum esse Sacræ Scripturæ, tam eum, qui ex eisdem verbis sumptis propriè, quam eum, qui ex eisdem, & eodem loco sumptis metaphoricè ennascitur, saltem regulariter, quia ubi sumenda sunt, cum proprietate, si absque proprietate sumantur non faciunt sensum intentum a Spiritu Sancto, idque maximè cavendum admonet August. de Doctrina Christiana lib. &c. sæpè citato, & patet in exemplo adducto, si enim ly leo accipiatur propriè pro animali, & non pro Christo, victoria eo loco aonnunciata non ostendit sensum a Spiritu Sancto intentum.

2. Dices superfluum esse id, quòd in tali descriptione additur, scilicet ex intentione Spiritus Sancti, tum quia verba significant, secundum quod communiter accipiuntur, vel communi placito sunt instituta ad significandum, non verò ex intentione dicentis. Tum etiam quia, ut obiicit Serar. in prolegom. cap. 21. qu. 2. non cognoscitur sensus ex intentione dicentis, sed potius ipsa intentio ex sensu significato per verba, hæc enim signa sunt eorum, quæ sunt in anima, ergo potius deberet definiri, sensus litteralis est ille, per quem verba significant, quid sit de intentione Spiritus Sancti.

Respond. neg. antec. ad primam probationem, dicendum, quod verba significant, secundum quod sunt instituta, sed ideò ita sunt instituta, ut loquens ea, illis possit uti ad manifestandum, quod intendit, quòd enim verba significent secundum se, est quid materiale, & etiam a psitaco proferuntur, quod verò ex cognitione dicentis, & deliberata intentione procedant, facit ea esse verba formalia, sunt igitur instituta, ut cum sua significatione deserviant loquenti formaliter, & utenti ratione, ad manifestandum quòd intendit, idque ex eis formaliter sumptis cognoscitur.

Ad secundam instantiam ex Serario respon. N. P. Antonius, necessariò appositam fuisse illam particulam, nam cum verba secundum acceptionem propriam, vel impropriam, plura significant, solum ex intentione dicentis possunt ad hanc, vel illam, significationem determinari, & licet ex verbis, quasi a posteriori colligatur intentio, quia illa signa sunt eorum, quæ sunt in anima, a priori tamen ex intentione colligenda est actualis verbi significatio. At quidquid sit de hac responsione, quæ in venerationem tanti viri sustineri potest explicata, tamen, quod cum non tanti intersit ad præsens, præstare non vacat.

Respond. quod loquens intendit proprium sensum, & eligit verba proportionata ad illum significandum, & quia illa intentio proprii sensus, est causa, ut eligantur hæc verba, hic & nunc, quæ proportionata ad illius manifestationem censentur, ideò dicitur, quod talia verba immediatè significant, hic & nunc, & hoc modo, ex intentione loquentis, unde non dicitur, quod intentio significet verbi, sed quod ea eligendo, & applicando, facit illa significare suum sensum, ideoque dicitur, ex intentione Spiritus Sancti verba immediatè sensum significant, nec negamus, quod ex verbis tamquam ex signis colligatur intentio, si enim ex verbis intelligitur

gitur sensus intentus; profectò ex verbis colligitur intentio, qua talis sensus intenditur, sed non intentio verborum, quia hæc non intenduntur, sed eliguntur, cognoscitur ergo ex verbis, eorum electio ad significandum sensum intentum, & ea sic significantia, esse effectum intentionis manifestandi talem sensum.

Ex quibus omnibus jam certò constat, duplicem esse litteralem sensum Sac. Scripturæ verè intentum a Spiritu Sancto, scilicet litteralem proprium, & litteralem, qui dicitur metaphoricus, sed quia aliquas peculiares difficultates patitur hæc divisio, maximè ex parte sensus metaphorici, consultò, sequendo morem Scholasticorum in præsenti, aliam ponimus quæstionem.

ARTICULUS II.

Quotuplex in Sacra Scriptura sit litteralis sensus.

DUplicem esse litteralem sensum in Scriptura, proprium videlicet, qui per verba in propria significatione sumpta, & improprium, sive metaphoricum, qui per verba translata significatur, certò certius est. De sensu proprio, ipsum revera, & decenter in ipsa reperiri, æquè indubitatum est; sed de sensu metaphorico, impugnantibus ipsum hæreticis, quasi divina locutione indignum, locus est quæstioni, unde si semel ostendemus, cum D. Thoma, talem sensum, divinam decere locutionem, stabilita erit ista divisio, & quæstioni satisfactum.

Prius verò notandum est, usum quidem invaluisse, sensum illum, qui per metaphoras manifestatur, vocandi metaphoricum, revera tamen secundum se, non est metaphoricus, cum in sensibus ut tales sunt, metaphora non reperiatur, nec potest dici secundum se improprius, cum ut sensus est, sit verè proprius in omni acceptione, tum respectu ad auctorem, tum respectu ad Scripturam, ejusque veritatem; Potest tamen dici metaphoricus, in subtiliori quadam acceptione, quatenus saltem quoad apparentiam, est sensus medius, quodammodo inter litteralem simpliciter dictum, & spiritualem, quia significatur per verba, & aliquo modo per res; In hoc enim differt a litterali proprio, quod in ipso immediatè per verba sensus significatur. Metaphoricus tamen significatur per verba, se primò significantia, aliquid aliud simile illi, quod significare intendimus, & mediante tali similitudine, ea transferimus ad significandum id, quod intendimus: sed hoc in rei veritate non officit, quin sit sensus litteralis verè immediatè significatus, quia in hoc tantum differt a proprio, quod in proprio non mutuamus voces ab aliis objectis, in eo vero, qui dicitur metaphoricus, mutuamus voces ab aliis objectis, sed sicut in mutuo transfertur verè dominium in mutuatarium, ita in hac commutatione Hæc vox v. gr. leo, vel lapis, semel in mutuum accepta a leone, vel lapide, cum aliqua ratione; quæ justificat contractum, & hæc est aliqua analogia v. gr. inter illa, & Christum, transit in dominium hujus objecti, significabilis, scilicet Chri-
A sti, eique proinde immediatè significando deservit, nec dici debet, quod propria significatio hujus vocis leo, mediet inter ipsam vocem, & Christum, ad quem transfertur, sed potius supponitur, si enim in hac propositione v. gr. vicit leo de Tribu Juda, transfertur, antequam veniat sub translationem, debet supponi, quod habeat proprietatem, a qua transfertur, quia terminus a quo supponi debet, nec mediare potest, inter mobile, & terminum ad quem; Ibi igitur leo immediatè significat Christum, & propriè ex parte rei significatè, scilicet Christi, ad cujus significationem, mutuo quodammodo accepta est talis vox a leone, dicitur autem impropriè ex parte vocis, comparando ipsam ad primam suam institutionem, secundum quam communi placito donata fuit leoni significando, &
B etiam quia, ut justificetur talis mutuatio, debet eadem vox secum ferre rationem, ob quam mutuata est, quæ ratio ut dictum est, importat similitudinem in fortitudine, & nobilitate, inter Christum, & leonem, ideò secum trahit aliquem respectum ad leonem, sine quo respectu nequit salvari similitudo, quam exprimit inter utrumque, cum similitudo semper sit inter duos, & hoc modo dicitur impropria loqutio, quæ hic, & nunc magis est propria, quam impropria significatio sensus intenti.

Ex qua notatione, explicata manet ratio propria sensus, qui dicitur metaphoricus, & quare sic dicatur, & insuper quomodò distinguatur talis sensus a sensu spirituali, in quo multo labore, &
C minimo fructu desudant plurimi, & nos inferius conabimur magis hæc declarare, quæ usque modo notavimus.

Inde etiam deducitur, qualis sit ista divisio sensus litteralis, non enim est divisio essentialis, quia revera utrobique immediatè significatur sensus proprius Spiritus Sancti, per voces, in quo sensus litteralis essentialiter distinguitur a spirituali, significato immediatè per res notificatas vocibus, vel propriis, vel impropriis, sed potius dici debet divisio modalis accidentalis, quatenus per verba significatur immediatè uterque sensus, sed diverso modo, se tenente ex parte significationis vocum, cui accidit, quod fiat per vocem, propria, vel mutuata significatione, ipsum sensum notificante, nam vox leo semel translata ad Christum, ita inducit reve-
D ra in cognitionem Christi, sicut ipsa vox Christus, addit tamen majorem aliquam expressionem, & distinctionem, seu claritatem, quam ipsa vox Christus, quia illa vox leo indicat, & distinguit in Christo specialiter fortitudinem; vox autem Christus, omnia, quæ in Christo sunt sine distinctione representat, quantum est ex se, ex quo deducitur etiam ratio, quare conveniat Sacræ Scripturæ, uti metaphoris, dicimus ergo magis propriè loquendo, hanc divisionem esse modalem accidentalem.

ARTICULUS III.

An conveniat Sacræ Scripturæ uti metaphoris.

Conclusio ; Dicendum est valde convenire Sacræ Scripturæ uti metaphoris, ideòque convenientem etiam esse divisionem sensus litteralis Sacræ Scripturæ in proprium, & metaphoricum, utrumque, modo præexplicato, accipiendo.

Hæc est in terminis sententia D. Thomæ p. p. qu. 1. art. 9. in corpore, totiusque ejusdem florentissimæ scholæ, quam prius Docuit Magnus Areopagita, locis ab eodem Angelico Doctore, eodem articulo citatis, & est communis consensio Sanctorum Patrum, ac Catholicorum ; quam passim docet D. Augustinus lib. contra mendac. cap. 10. lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 5., & lib. 10. de Civitate Dei, cap. 14. omnesq; PP. ac propterea conclusio est de Fide, juxta sensum Concilii Tridentini, sess. 4. quia est communis in ea Patrum consensus, immò totius Ecclesiæ.

Prob. primo, ratione D. Thomæ, loco citato ; Sacra Scriptura est data ad manifestandam hominibus divinam veritatem, ab eo, qui hominem viatorem ità constituit, ut spiritualia intelligere nequeat, nisi per conversionem ad phantasmata, idest per similitudinem corporum, eo quòd omnis intellectio a sensibus initium sumat, ergo convenientissimum est, quod Deus hominem docens in Sacra Scriptura, & eum perficiens secundum suam naturam, divina, & spiritualia tradat sub similitudine corporalium metaphorarum. Prob. cons. ideò conveniens est, quod Deus per similitudinem corporalium doceat spiritualia, quia sic perficit hominem secundum suam naturam, & statum viæ, sed aliquando magis perficitur per similitudinem metaphoricam, quam per propriam, absque eo quòd extrahatur a proprio statu, ergo eadem ratione, qua convenit ipsum uti in Scriptura, similitudine corporum, ad spiritualia tradenda, eadem ratione magis conveniet, quòd utatur similitudine corporearum metaphorarum. Prob. min. nam locutio metaphorica magis est distinctiva, ut vidimus in prænotatis, ergo magis habilis ad docendum, quia qui benè distinguit, benè docet, & magis in uno perficitur cognitio, cum nempe una specialis ratio explicatur, quod ut vidimus, facit magis metaphora, quam aliquando proprietas dicendi.

Confirmatur, ex eo, quod dicit idem Angelicus Doct. in argumento, sed contra, ubi sic arguit, dicitur *Oseæ 12. Ego visiones multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum*, in quo videtur explicari modus proprius procedendi Sacræ Scripturæ, in qua Deus in manibus Prophetarum se ipsum tradidit cognoscendum, mediantibus corporeis similitudinibus, subdit verò idem Angelicus, *tradere autem aliquid sub similitudine, est metaphoricum*, quæ propositio clara est, quia quod traditur sub similitudine, certè non traditur sub proprietate, & fit translatio illius corporei, quod planè ex natura sua, est in linea corporis, ad significandum aliquid alterius lineæ, scilicet spiritua-
A lis, ergo est quid metaphoricum.

Sed dices, ex hoc sequitur primò totam Sacram Scripturam esse metaphoricam, ideoque sensus litteralis proprius in ea non est.

Secundò sequitur, & hoc maximè ex ratione, quod solis metaphoris deberet uti, vel enim cum arguitur, ex nostra connaturalitate ad sensibilia, eam convenienter uti metaphoris concluditur adæquatè, vel non ; si primum, ergo, sicut ratio generalis est in antecedenti, ita generalitas deberet esse in consequenti, vel non concluditur adæquatè, & ita nihil concluditur, quia non apparet debita connexio antecedentis, & consequentis.

Respon. ad primum, neg. sequelam, quia plura traduntur in Scripturis, quæ non sunt secundum litteram, & rem, spiritualia ; sicut cum humanæ B narrantur Historiæ, in libris Regum, unde illud anteced. non extenditur ad omnia, ea, quæ in Scriptura traduntur ; quantum verò ad spiritualia, quæ ibi traduntur, non inconvenit dicere, quod metaphorica sit Scriptura, in sensu, in quo aperte loquitur D. Thomas, scilicet, quod metaphorica sit in comparatione ad objecta spiritualia, quæ per similitudines corporum, non explicantur propriè, sed adhuc non est metaphorica rigorosè, quod nos, qui aliam proprietatem exprimendi, aut intelligendi spiritualia non habemus, nisi per similitudinem corporum, & hinc est, quod spiritualia, sub similitudine corporum possunt nobis manifestari, vel locutione propria, vel locutione metaphorica.

C Ratio igitur D. Thomæ sic debet intelligi, supposito quod nos spiritualia non percipimus, nisi sub similitudine corporum, & quod Deus vult nos de spiritualibus, & divinis docere, secundum quod status noster requirit, jam de necessitate, utitur tali modo, quoad spiritualia, qui est metaphora, scilicet non propria significatio, ergo metaphora ex genere suo non repugnat divinæ locutioni, sed est necessaria, ergo etiam conveniet eidem, ex hac eadem ratione, uti metaphoris locutionis humanæ, quia hę magis aliquando congruunt ad perficiendum hominem, secundum suum modum cognoscendi hic in via, ut diximus in ratione. Sed hic urget secunda instantia, ad quam.

Respon. neg. sequelam, quia aliqua facilius intelligimus per locutionem propriam, aliqua per D metaphoricam, quod patet ad sensum, deinde non hic solus finis debet attendi, sed ad Deum spectat omnes rationes intimè perspicere, & secundum eas providere.

Dicimus ergo, quod arguens concludit adæquatè in comparatione ad cognitionem spiritualium, & quoad omnia, attenta exigentia materiæ ; & ex suppositione, nec novum esset, si concluderetur aliquod particulare, ex universali, sicut consuevit in Darii, & Ferio, ubi præmissa universalis determinatur per minorem particularem, quam formam imitamur in præsenti ; convenit Deum uti metaphoris corporalibus, cum vult suam locutionem accomodare homini viatori, sed in aliquibus accomodatur homini ejus locutio utendo metaphoris particularibus, in aliquibus, etiam illis non utendo,

ergo

ergo in aliquibus locis convenienter utitur locutione, particulari, metaphorica, in aliquibus non. Quod magis patebit in sequenti ratione ejusdem Angelici Doctoris, eodem loco.

2. Respon. sicut se habent omnes etiam sapientes ad intelligibile spirituale, ita se habent rudes, ad aliquod intelligibile etiam corporeum, Sacra autem Scriptura omnibus datur, & consequenter omnibus se debet accomodare. *Rom. 1. sapientibus, & insipientibus debitor sum*, ergo sicut ratione primi, in spiritualibus significandis procedit per metaphoricum modum generalem, docendi per similitudines corporeas superiora, ita, ut satisfaciat rudibus debet aliquando, cum requiritur, uti metaphoricis locutionibus particularibus in significatione etiam rei corporeæ, & aliquando cum illi indigent, ut summa novit sapientia, corporeas res exprimere locutione propria.

B

Quæ ratio sic exposita patens est, & continet totam doctrinam illius articuli, & quidquid ibi addit Cajetanus in suo doctissimo commentario, sic enim concluditur, & necessitas, & utilitas locutionis metaphoricæ, in Sacris litteris, quòd intendit Angelicus, ut videre est in solutione ad primum, & examinat ibi Cajetanus: necessitas quidem, saltem ad melius esse, ut explicat Cajet. necessitas verò ex suppositione, quod Deus vult perficere creaturam modo ipsius per suam locutionem, ut magis intimè videtur velle D. Thom. utilitas verò, eodem modo, quia hac in re consideratur utilitas creaturæ omnis gradus, ut omnes perveniant ad notitiam divinæ veritatis.

C

3. Probat hanc conclusionem P. N. Laurentius tomo primo, spicil. controv. 3. parage. 9. hoc pacto: specialis Auctor Sacræ Scripturæ est Deus, cujus locutioni nequit subesse falsum, ideoquè quidquid necesse est, ut salvetur veritas Scripturæ, totum necessariò in ipsa reperitur, & de ipsa afferendum est, eique proinde convenientissimum est, sed si omnia, quæ in ipsa sunt, accipiantur in sensu proprio, & non aliqua in metaphorico, non potest salvari veritas Scripturæ, ergo & metaphoræ in ipsa reperiuntur,& ita necessariò ei conveniunt, sicut necessariò ei convenit nihil falsum continere; Prob. min. si enim cum Christus dicitur leo, vitis, lapis &c. hæ dictiones sumantur in sensu proprio, falsum continent, si verò metaphoricè, optimè explicant singulæ per similitudinem, aliquam Christi propriam perfectionem, ergo.

D

Post hæc adducit duas rationes Divi Thomæ, quas priori loco expendimus, illisque obiicit, præter jam soluta. Cognitio supernatulalis habita de Deo, fit per descendentiam a divinis ad creata, & hæc est ratio ordinis, quem servat D. Thomas in sua summa, quem ipse assignat qu. 2. sed cognitio per metaphoras fit per ascensum a sensibilibus ad spiritualia, non videtur ergo conveniens Sacræ Scripturæ.

Respon. distin. majorem, cognitio supernaturalis judicativa conc. maj. apprehensiva neg. maj. admitt. min., & neg. consequ. duplex est cognitio, qua ad Deum tendimus, alia apprehensiva, & hæc fit per species desumptas a sensibilibus, vel per aliquas similitudines earum representatas in locutione metaphorica, & hæc cognitio supernaturalis, ut patet fit per assensum, & supponitur ad judicativam, in qua Fides consumatur: porrò hæc judicativa cognitio, quia importat assensum firmum, innititur motivo divinæ auctoritatis, ab eoque formaliter incipit, quia est ejus ratio formalis qua, ideoque dicitur quod cognitio hæc supernaturalis perfecta, fit per descensum. Ex quo sequitur, ut id obiter advertamus, sensum illum Scripturæ, qui dicitur metaphoricus, si formalissimè consideretur spectare ad apprehensionem, in quo differt a sensu spirituali, significato per res, quia hic magis spectat ad judicium, ut intuenti constabit, cum sit sensus consecutivus, quòd juvat ad discernendum unum ab altero.

Obiiciunt secundo communiter Doctores conclusioni, & rationibus, immò ipse D. Thom. artic. citato, hoc modo. Sacra Scriptura ordinata est ad manifestationem veritatis, metaphoræ è converso, seu similitudines veritatem occultant, ergo Sacra Scriptura non debet illis uti. Maj. est certa, min. prob. nam Dyonis. de Coel. Hierarchia cap. 1. eas vocat Sacra velamina, quorum varietas, divinum radium circumvelat.

Resp. conc. ant. quoad primam partem, & neg. quoad secundam; ad probationem resp. D. Thomas ad secundum, quod radius divinæ revelationis non destruitur propter figuras sensibiles, aut similitudines, sed remanet in sua veritate, ut mentes, quibus sit revelatio non permittat, in similitudinibus permanere, sed elevet eas ad cognitionem intelligibilium, & per eos, quibus revelatio facta est, alii etiam, circa hæc instruantur, deinde ostendit quòd etsi aliquam hæc velamina, videantur superaddere occultationem, ea tamen ad majorem manifestationem deservit; & ipsa inquit occultatio figurarum, utilis est ad exercitium studiosorum, & contra irrisiones Infidelium.

Addimus etiam ex Augustino, *ep. 117. quemadmodum aliqua per vitrum aut succinum pellucent jocundius, ità magis delectat veritas per imagines, & symbola collucens*, cui adstipulatur Petr. Chrisolog. *sermone 96.* assignans quarè Christus in parabolis loquebatur. *Si dicta, vel facta Christi passim carnalibus sensibus subiicerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quidquid humani vigoris est, & caloris; quarè Christus, varias suis parabolas proposuit, sicut enim in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis, lapidis ac ferri collisione flamatur, sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet &c. ac propterea multa elucet in hac obscuritate sapientia, unde Ecclesi. cap. 12. &c. Cum esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum, & narravit quæ fecerat, & investigans composuit parabolas multas &c.*

Obiiciunt 3. Si conveniens esset Scripturæ uti metaphoris, vel similitudinibus, maximè quia hæ ducunt in cognitionem Dei, & mysteriorum ejus, sed hæc ratio est nulla, ergo &c. Min. prob. si hæc ratio valeret, deberet Scriptura, metaphoras, & similitudines facere, sive desumere ex illis

 rebus,

rebus, quæ sunt nobiliores, & elevatiores, quia quo res sunt, Deo in perfectione propinquiores, eo etiam sunt ei magis similes, sed oppositum fieri videmus in Scriptura, ergo non utitur metaphoris, ob hanc rationem, immò nec debet uti; si enim utatur vilibus, hæ non sunt similes Deo, sed ab eo maximè distant, si utatur sublimibus, hæ quo altiores, eo sunt etiam magis abscondite, ergo nullis.

Resp. admittendo causalem maj. neg. minorem; ad probationem, neg. sequel. ad causam adductam, dist., res nobiliores sunt Deo magis similes, quoad se, conc. ant. quoad nos, & inadæquatè ad cognitionem nostram, & modum ejus, neg. ant. licet igitur nobiliora objecta, quoad suum esse, ad Deum realiter magis accedant, quam res viliores, tamen eo ipso magis distant a nostri humilitate intellectus, & minus ipsi deserviunt ad intelligentiam summi objecti, ut clarum est. Ad impugnationem, res viles non sunt similes Deo, nisi valdè remotè, dist. quoad se, transeat, quoad rationem signi, quoad nos, neg. ant. ad cujus intelligentiam tres D. Thomas rationes assignat, loco citato ad tertium, quarè Sacra Scriptura metaphoras sumat, ex vilibus. Prima est, inquit, ex Dyonisio, loco citato, quia propter hoc magis liberatur homo ab errore; manifestum enim apparet, quòd hæc secundum proprietatem non dicuntur de divinis, quod posset esse dubium, si sub figuris nobilium corporum describerentur divina, maximè apud illos, qui nihil aliud a corporibus nobilius excogitare noverunt: Secundo, quia hic modus convenientior est cognitioni, quam de Deo habemus in hac via, magis enim manifestatur nobis de ipso, quid non est, quam quid est, & ideò similitudines illarum rerum, quæ magis elongantur a Deo, veriorem nobis, faciunt æstimationem, quod sit supra, illud, quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertio quia per hujusmodi, divina magis occultantur indignis &c. quia qui superbi sunt, nec merentur divina, ac Deum cognoscere, qui abest a superbis, nec possunt ex humili, quam despiciunt similitudine, ad alta conscendere; humiles verò, quo se viliores putant, in abjectis illis similitudinibus, ad Deum facilè ascendunt, quem in sua ipsa abjectione, aut quasi anichilatione indagantur.

Contra conclusionem senserunt quidam hæretici, solum proprium asserentes sensum in Sacra Scriptura reperiri, contra quos scribit August. lib. contra mendacium, & epist. 119. ad Januariom. Ita etiam alii delirarunt, sine scopis intelligendam esse Scripturam. Unde Antromoporphitæ credunt, Deum habere humanam figuram, quia fecit hominem ad similitudinem suam. Abissini baptizati aqua, etiam ignem adhibebant, quia Matth. 3. dicitur, Christum baptizaturum Spiritu Sancto, & igne, & refert Cassian. colat. 8. cap. 3. quosdam Monachos, quia Matth. 10. dicitur, qui non accipit crucem suam, & sequitur me, ferebant in humeris ligneas cruces peræ grandes. Alisque errarunt, circa Eunuchos, intelligentes litteraliter propriè dictum, quod figuratè de castitate dixerat Christus. Sed horum omnium argumenta nihil differunt ab objeA ctionibus jam solutis, ipsique errores potius sapiunt dementiam, quam opinionem; ideò satis.

ARTICULUS IV.

An sensus litteralis proprius possit dividi.

Divisio sensus litteralis Sacræ Scripturæ in proprium, & metaphoricum, cum desumatur, non ex sensuum diversitate, ut sensus sunt, sed ex significandi eos diverso modo, ansam dedit aliquibus, dividendi etiam sensum proprium, multiplici divisione, quæ se tenet ex parte significationis, sed nec istæ, nec illa sunt in rigore propriæ sensus divisiones, easque sic vocamus dumtaxat, ut morem geramus modo loquendi plurium, quia cum pluri-
B bus est loquendum, quia revera cum dividimus sensum litteralem in proprium, & in improprium, dividimus modum significandi eundem sensum, in modum significandi proprium, & improprium, siquidem idem verè unus sensus, absque sui multiplicatione, aut mutatione, significatus in Scriptura per metaphoricam locutionem in uno loco, in altero per propriam significatur, quod expressè asserit D. Thomas, artic. 9. sæpe citato in responsione ad secundum, quod fortè non advertit N. P. Antonius, asserens primam illam divisionem esse generis in species, præl. 3. d. 4. in ultimis verbis, ubi etiam dicit, sensum metaphoricum dici improprium, non quia in ratione sensus improprius sit, sed quia improprius est respectu vocis, quæ transfertur ad
C impropriam significationem, de quo si disputare vacaret, dicendum videretur potius, vocem dici impropriam respectu sensus, quam sensum respectu vocis, quia sensus ex se non habet proprietatem, vel improprietatem in sua linea, sed vox, cujus proprietas, vel improprietas attenditur penes commune placitum, quo destinatur ad aliquid significandum, & deservit sensui, & ex hoc ipso, quod sit inventa ad sensum hunc manifestandum, comparativè ad hunc sensum sic in se notum, propria sit illius hic, & nunc, & si fit impropria, respectu primæ suæ ordinationis. Sed quidquid sit, parum enim hoc secundum interest, certum est, quod vir doctissimus, & fidus D. Thomæ discipulus noluit ipsi contradicere, dicendo eam divisionem esse generis in species, fortè enim sumpsit sensum in concreto vocis, &
D significationis, & hoc modo, sicut divisio significationis in propriam, & impropriam est essentialis, ita etiam divisio sensus in concreto sumpti, potest talis dici; quę obiter diximus ad complementum prioris quæst., & initium præsentis, ad quam respondendo, eas referemus divisiones, quę apud aliquos DD. reperiuntur, licet impropriè admodum, ut videbimus.

Prima est, quæ à Galarza, & Rua apud P. N. Antonium loco citato dub. 5. num. 31. refertur, dividentium sensum litteralem proprium in historicum, Ethiologicum, & Analogicum. Sed historicus dicitur ibi strictè, & propriissimè, qui simpliciter dictum, vel factum, prout fuit enarrat, sicut in princip. Gen. cum dicitur *creavit Deus cœlum, & terram*, ubi refertur, quid fecerit, quid dixerit Deus, *dixitque &c.* Ethiologicus, qui reddit

dit rationem dicti, vel facti. *Math. 1. vocabis nomen ejus Jesum*, & statim reddit rationem dicti Angelus dicens, *ipse enim salvum faciet Populum suum à peccatis*, ita & Beatissima Virgo *Luc. cap. 1. Magnificat &c. quia respexit humilitatem*, & multas rationes adducit, quare Dominum magnificet, quem verè magnificavit, cum parvulum faciens, eum maximum fecit agnosci. Analogicus est, qui utriusque Testamenti convenientiam ostendit, & passim invenitur in Evangelio, cum citatur vetus Testamentum, uti adimpletum, sicut Math. 2., & alibi sepè.

Sed hæc divisio secundum Divum Thom. 1. p. qu. 1. ar. 10. ad secundum, est potius nova divisio sensus Scripturæ generaliter sumpti, quam sensus litteraris proprii; eam enim tradit August. lib. de utilitate credendi cap. 3. dividens sensum Scripturæ, ut sic, qui prædictis addit etiam aliud membrum, scilicet sensum allegoricum, sub quo ut notat D. Thom. comprehendit omnem sensum spiritualem, unde alia tria membra remanent sub litterali, & cum possint reperiri singula, in litterali proprio, & improprio, non possunt esse membra, in quæ dividatur sensus litteralis proprius, ut distinguitur a metaphorico; & quidem, si rem consideremus attentius, dicemus, quod admittenda est ista divisio sensus litteralis Scripturæ secundum se, ut præscindit à proprio, & improprio, & ratione illius potest adaptari, tam proprio, quam improprio, & intimius hæc dividit sensum Scripturę, quia simplicitas sensus historici afficit sensum in se ipso, ut conceptum, & ut conceptibilem, sine alia mutatione. Rationabilitas sensus Ethiologici, ipsum afficit sensum, quia ipsum ut talem probat, & firmat, analogia similiter ipsum afficit sensum, quia dat ipsi lucem ex facto, & figuram, umbramque clarificat ex partè ipsius sensus, dicamus ergo etsi ista non sit divisio rigorosè logica sensus litteralis proprii, est tamen magis propria divisio sensus litteralis ut sic.

Alii sensum litteralem proprium dividunt, in tropologicum, allegoricum, & anagogicum, ita ut tropologicum appellent, qui ad mores pertinet, ut diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; allegoricum, qui instruit in rebus fidei; creditis in Deum, & in me credite: Accedentem ad Deum oportet credere, quod Deus est &c. Deus tuus unus est; & anagogicum, qui ad suprema nos ducit; quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est.

Hæc etiam divisio, eandem patitur difficultatem, ac præcedens, quia possunt ejus membra, etiam in quolibet sensu metaphorico reperiri, ideòque de illa, eodem modo discurrimus, ac de priori, id solum advertendo, quod cum communiter divisio sensus spiritualis in tropologicum, allegoricum, & anagogicum, sibi hæc membra, speciali titulo usurpaverit, jam ut tollatur æquivocatio, similis non est facienda divisio sensus litteralis, revera tamen falsum non ponit, qui sensum litteralem, ita dividit: immò etiam sensus ille litteralis, qui fundat tropologicum, potest & ipse eodem nomine appellari minus principaliter, quia ad ipsum ordinatur,

A sicut & ille, qui allegoricum, allegoricus, & qui anagogicum, anagogicus, respectivè tamen, quia cum pluribus est loquendum, nec ullo modo recedendum a Doctrina D. Thomæ, quodlib. 7. ar. 15., qui tamen modo traditæ non contradicit.

Tertia divisio sensus litteralis proprii, habetur ex Doctrina Illustriss. Caramuelis, lib. 1. Logicæ moralis, seù virtualis, c. 3. ar. 10. qui etiam in Sacra Scrip. distinguit sensum verum, ac realem, apparentem, & præsumptum, sensus realis est qui, & quadrat rei in se, & significationi; apparens est (qui & vocatur sensibilis) cum denominatur, seù significatur res, non prout est, sed prout nobis apparet, de præsumpto dicetur postea, nunc difficultas est de apparente, & quidem non modica, unde operæ pretium est, ea quæ dicit Caramuel perstrin-
B gere, ut Judicium de veritate ejus Doctrinæ ferri possit; probat itaque, dari sensum apparentem in Sacra Scriptura, cujus, dicit, plura sunt exemplar unum tantum adducit, quia sibi clarissimum. Dicitur *Gen. primò. Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei*, idest solem, *& luminare minus, ut præesset nocti*, idest lunam, *& stellas*, Ecce lunam luminare magnum appellat; est ne illa luminare post solem maximum? Negant omnes Astronomi, & inter eos Thico Brahæus, qui apud Petrum Gassen. in institutione astronomica inquit. 139. terras æquare rotam solis; 14. rotam Jovis., 22., illam Saturni; è converso luna ita minor terrà, ut 42. lunæ requirantur ad ęquandam magnitudinem terræ, & ad æquandam ma-
C gnitudinem canis majoris, requiruntur terræ 100. ergo ad eandem æquandam requiruntur lunę 4200. luna ergò non est realiter luminare magnum; ergo si eam Moyses talem dicit, non loquitur secundum veritatem scientificam Astronomicam, sed in sensu apparenti, quia licet minor aliis, major tamen apparet ob propinquitatem, quam habet ad terram, cum sit ultimum cœlum. Ita ille; at quia sensus iste apparens, in Sacra Scriptura assertus, videtur male sonare, obiicit sibi Caramuel; omnes doctrinæ, & sententiarum fundamenta, ex quibus hæreses, & absurda sequuntur, sunt falsa, nam ex veris falsa sequi non possunt. At in apparenti sensu multæ opinationes, & errores fundantur, ergò falsa sunt, quæ de sensu apparenti dicuntur. Prob. min. primò; Copernicæi, qui mo-
D tu totam tellurem annuo elocant, & iterum annuo propellunt, Longomentanęi, qui supra unum axem, motu diurno eam convolvunt, quando eos agredimur per loca Scripturæ, terra autem in æternum stat, & similia, respondent, Scripturam loqui in sensu apparenti, & sensibili, & ipsum conantur sustinere, dicentes, non esse intentum Scripturæ, homines facere Mathematicos, sed pios, & nisi aliqua loca, hoc modo exponamus, fatentes, quod Sacri Scriptores se attemperant rudi Populo, non assequemur sensum à Spiritu Sancto intentum, & plura ex his adducit Petrus Gassen. institutionis astronomicæ, lib. 3. cap. 4. &c.

Secundo Prob. eadem minor, omnes Sacramentarii, qui negant transubstantiationem veram a Catholicis assertam, sunt hæretici, quia recurrunt

ad

ad sensum apparentem, exponunt enim ly hoc est Corpus meum, idest, hoc apparet, & significat Corpus meum, & similiter ad formam calicis, ergo.

Respon. & Caram. hoc argumento suaderi, negandum esse, non usum sensus apparentis, sed abusum; scientia conditionata Dei abusi sunt Pelagiani, ergo ne hæc est neganda in Deo? Dei clementia, & misericordia omnes abutimur, ergò hęc Deo deneganda? Hinc argum. resp. dis. ma. omnes Doctrinæ sunt falsæ &c. ex quibus hæreses sequuntur per se, & vi bonæ dialecticæ, con. maj. ex quibus sequuntur, per accidens, & per ignorantiam logicæ; neg. majo. ad minor. resp. debebat subsumi, multi errores sequentur, & tunc falsa est &c. ostenditque hæreticos non posse fundare, aut probare suos errores, ex sensu apparenti; debent enim aliquo ex his modis arguere; vel omnes Sacræ Scripturæ textus sunt, in sensu apparenti; & non reali, aut verò sumendi, at hi, quibus probant Catholici, terram non moveri, vel Christi Corpus esse in altari, sunt tales, ergo &c. Vel saltem sic, aliqui Scrip. textus debent sumi in sensu apparenti, isti adducti à Catholicis sunt textus &c. Primus sillogismus est in Darii, & servat omnes leges, & min. est vera; at maj. falsissima, quia Deus realiter, & non apparenter creavit cœlum, & terram; Adamus verè comedit vetitum pomum; non apperenter, sed realissimè natus, & passus est Christus.

In 2. ma., & min. veræ sunt, sed consequens falsum, quia ex solis particularibus, nihil sequitur, in quacumque figura.

Defensa viriliter hac Doctrina, regulam ponit, ubi ex sensu grammatico sequitur manifestum absurdum, tunc & non alias ad apparentem, vel metaphoricum est recurrendum, eamque certissimam asserit, & dilucidari à P. Marino Mersenno in Gen. cap. 1.

Doctissimi quidem viri, cujus mirabile, & nimium fortè excellens ingenium semper elucet, veneranda potius foret, quam examinanda Doctrina, sed ubi de divina veritate agitur, ad soli Deo, & Ecclesiæ credendum, captivandus est intellectus, ideò ponitur.

ARTICULUS V.

An sustineri possit sensus apparens Caramuelis.

Dicimus itaque, quod si Caramuelis assertum, nullo alio nititur fundamento, quam expositione allata illius textus, Gen. primò, non potest sustineri. Immò mirabile est mentem illam adeò sublimem, & acutam cęcutisse circa lumen lunæ, quam fortè nimis sapiens (quia stultis amica est) videri voluit, non novisse. Accipiamus textum, *fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut praesset diei, & luminare minus, ut praesset nocti, & stellas*. Notet hic formalissimus Caramuel, quòd formalissimè loquitur Scriptura. Omnis comparatio est inter terminos, qui si sunt comparabiles, certè sunt; nihil enim nihilo, idem est, & non idem sine contradictione, quæ solum

A est inter ens, & non ens. Comparatio ergo supponit terminos, quommodo ergo comparet scribens historicè lunam cum stellis, quas nondum creatas esse narraverat? secundum se igitur solem, & lunam sumpsit in illo signo, quod fuit eorum creationis, quod ex parte eorum præcessit creationem aliarum stellarum, quòd exprimit, postea dicens, & stellas, ergo tunc non poterat rectè, & formalissimè loquens, lunam cum aliis stellis, quæ non erant, comparare ex parte rei narratæ, ergò ea luminaria tunc erant magna, & maxima quia majora non habebant, poterat igitur tantum illa ad invicem comparare, ut unum luminare diceretur majus, aliud minus, ut sicut realiter sunt, ita ad invicem comparentur, & quoad lucem, & quoad omnia, nec dixit duas stellas magnas, quia
B non ut stellas comparabat, sed ut luminaria, quæ ad invicem, & ad illuminationem comparabat, quę est eorum effectus. Pergat ulterius acutissimus Caramuel, & quoniam in illo opere omnia in omni facultate examinat, Grammaticè, Rhetoricè, Logicè, Theologicè, potest in omni facultate conveniri. Advertat ergo: hoc nomen luminare, ab illuminando dicitur, sive id quòd lumen effundit, parvum sit, sive magnum, ita ut si maximum corpus sit, sicut totum cœlum, parvum tamen effundat, lumen, parvum luminare dicetur; si minimum corpus sit, sicut adamas, vel Topazius, & maximum lumen spargat, dicetur ab omnibus luminare magnum, ad quid ergo mensurare corpus lunæ quoad quantitatem molis, ut dignoscatur, an
C ipsa si luminare magnum, ubi non corporis, non stellæ, non planetæ nomine significatur, sed nomine luminaris? numquid idem est corpus, & lumen? Cum illud umbram potius faciat, hoc umbram tollat? realiter ergò luminare magnum est luna, sive major, sive minor, sit stellis, vel relatis, cum ipsa refertur, vel referendis, luminare magnum est sol, si comparetur ad totum cœlum, quod sole, & omnibus stellis simul multo majus est, cum illum, omnesque contineat, & passim illas vacuo dividat, aut illudat, & tamen propriam lucem non habet, ut testis oculus est, nec cęca mathematica; cur non dicit Caramuel, etiam sol non est luminare magnum, quia cęlum ipso majus est, cui in lumine cuncta deserviunt, cum de hoc esset major ratio ex parte finis, hoc
D tamen non dicit, sed lunam tantum impugnat; Meritò ergo dicta est luminare magnum, quod realiter est. Magis ad rem arguisset, si negasset ipsam revera luminare magnum esse, quia etiam dum ita dicitur, vel crescit, vel decrescit, ideò vel major est, vel minor etiam se ipsa, ideoque indeterminatè semper est magnitudinis realis; & hæc indeterminatio ipsi naturalis est, nec fixè, ut scientia requirit, dici potest magna vel parva, ergò nec magna, nec luminare magnum, sed tunc diceremus, adhuc luminare magnum est, quia enim ipsi magnum lumen competit, ideò in ipso dicitur crescere, vel decrescere, quòd de aliis stellis non dicimus, quia ipse revera luminaria magna non sunt, nec luminaria, quia habent lucem, qua ipsæ videantur, (quod luminaris non est, eam tamen

non

non habent, qua cætera ostendant, ad quod luminare ordinatur.

Magis ad rem, si (quod August. dubitat, lib. 2. de Gen. ad litteram, cap. 15. quia quodammodo affirmat) assumpsisset, lunam scilicet cum creata est, positam fuisse in novilunio, quia debuit esse initium sui mensis lunaris, aliter enim debuisset statim decrescere, ideoque non fuisse luminare magnum, quia augendum erat, ut ad suum naturale augmentum deveniret. Sed tunc D. Thom. p. p. q. 70. art. 2. ad 5. responderet, fuisse conditam in plenilunio, ideò fuisse luminare magnum in sua linea; inquit enim, *dicendum, quod luna, quando perfecta est, oritur vespere, & occidit mane, & sic præest nocti*. Et satis probabile est, quod luna facta fuerit plena, sicut, & herbæ factæ sunt in sua perfectione, facientes semen, similiter animalia, & homo, nec mirum, si statim debuit decrescere, cum homo, qui ipsa perfectior est, statim nedum in Cœlo, sed a toto Cœlo decreverit, quod fortè ipsa statim decrescens indicavit, stultitia siquidem peccatum est, & stultus ut luna mutatur, inquit Sapiens.

Nec novum est Caramuelis argumentum, prius enim contra textum illum eodem modo arguit, Simplicius in Genesim, sed irridetur, & denique textus ipse suum realem sensum exponit, dum dicit, *ut præessent diei, ac nocti*, utique per illuminationem, illa igitur magnitudo erat expressio officii, & illuminationis, quia præesse debebant illuminando, non magnitudine corporis, sed proportione luminis, & quia nox est terminus, & privatio diei, tale ei debebatur lumen, quod cresceret, & decresceret, ne Jurisdictionem solis usurparet, & magnum dici potuit, quia quælibet lux in tenebris magna est, cum ipsas tollat, ubi illuminat; stet ergo similem expositionem omninò apparentem esse, & apparentiam quidem in tali Doctrina, non in Scriptura per ipsam probari.

Sed quæres: quid ergo sentiendum de hoc sensu apparente, sive sensibili: nam ex una parte fundamentum Caramuelis certè non subsistit, at ex alia, inconveniens oppositum ipse rationabiliter, & ingeniosè dissolvit, immò ratio suadet, debere ipsum admitti, quia realem sensum, vel sensus in eadem littera Spiritus Sancti, si aliquando penetraremus, jam nihil lateret, nec Sacra Scriptura esset obscura, nec in infinitum divisibilis, seu exponibilis, ut supra statuimus, oportet ergo, quòd id, quod cognoscimus, sit sensus apparens, quem ideò novimus, quia nobis apparet, & ita significatus est, ut nostro modo accomodaretur, sic enim proportione servata dicere possumus de Sacra Scriptura, sicut dicit Augustinus, ad Anum religiosam, de Deo videndo, ex auctoritate Ambrosii, quod nemo vivens vidit Deum in se ipso; etsi dicatur vidisse Deum, sicut Moyses ac Prophetæ aliqui, & alii quidam; sed non vidit, ut est, sed vidit, prout ipsi apparuit, & in eo, in quo se ipsi ostendit, ita & Scripturam intelligimus prout nobis apparet, ipsa enim est Dei revelatio, & ideò semper scrutanda remanet, & ostendendi supersunt aliqui ejus sensus.

A Ut respondeamus, notandum est, nos pro sensu non accipere ipsam denominationem, aut significationem, sed conceptum, qui significatur, ut semper supposuimus; accipere enim sensum pro denominatione est grammaticalis precisè consideratio, quæ attendit non id, quòd explicat, sed explicationem verbalem ejus, unde non potest Caramuel effugere difficultatem, vel confusionem doctrinæ; dicit enim, sensus apparens, sic vocatur, quia denominat res, non ut sunt, sed ut nobis apparent. Si loquitur de sensu qui denominat, jam non loquitur de sensu, qui est conceptus significatus, quia iste non denominat, cum non sit nomen, sed potius denominatur, quia explicatur, loquitur ergo de sensu, seu significatione grammaticali, quomodo igitur hunc sensum dari probat, ex eo quod

B re ipsa luna sit minor, & appareat nobis magna; hoc enim totùm non est sensus denominans, sed denominatus.

Ex ejus tamen doctrinà, colligi potest, prout ipse videtur explicare, quod sensus apparens est proprius sensus dicentis, qui se accomodat nostro modo cognoscendi, qui quod apparet, dicimus esse, unde est causa, ut dicens sic res denominet, scilicet prout apparent nobis; non prout sunt; in hoc sensu nullum est inconveniens, propter quod non possit admitti talis sensus in Scriptura, & prob. quia admittimus in ipsa sensum metaphoricum, qui debet simili modo explicari, nam locutio translata, certè non denominat rem, secundum quòd est, sic enim esset propria, sed secundum

C quod non est, & hoc præstat, ut se se accomodet modo nostro dicendi, & sic pro Christo ponit leonem, & agnum, qui non sunt Christus, ideoque August. *tractatu, in Joan.* 80. dicit, *vocatur agnus, leo, petra, lapis angularis, quæ magis ipsa sunt vera, unde sumuntur ista similitudines, non proprietates*, ergo etiam possumus admittere sensum apparentem, sic explicatum. Tum etiam propter ea, quæ adducta sunt, ex Doctrina Augustini, & Ambros. de videndo Deo, unde enim apparet necessitas inevitabilis asserendi prædictum sensum, ne Scriptura sibi contradicat, quæ dicit, Deum, nemo vidit umquam, non videbit me homo, & vivet, & tamen alibi dicit per Prophetam, vidi Dominum sedentem super solium &c., & Moys. loquebatur cum Deo, facie ad faciem, & vidi Domi-

D num, & salva facta est anima mea; debemus, siquidem accipere priora loca, in sensu verò, & reali, de visione divinæ essentiæ, & alia posteriora intelligere, quod loquantur in sensu apparenti dupliciter, primò quia significant, Prophetas Deum vidisse, prout illis apparuit, & in eo, in quo dignatus est eisdem apparere, secundò in sensu apparenti formali, de quo nunc agimus, quia nos, cum videmus aliquam rem in speculo, vel in aliqua specie creata, putamus eam absolutè videre, & solemus ita dicere, unde se se accomodans Propheta ad hunc dicendi, & concipiendi modum, dixit id, quod sibi contigit, non prout in se adæquatè illud fuit, sed eo modo, qui nobis apparere solet.

Quamvis tamen hæc sint vera, scrupulosum est

est hoc nomen sensus apparentis, & non debemus eo uti, nisi cum eis, qui sano modo eum intelligunt, propter duo, primò quia sicut in vulgari locutione, bonum apparens dicitur ex eo, quod bonum quidem videtur, sed revera malum est, ita sensus apparens potest confundi, cum vero apparente, & sumi pro falso, sicut de facto intelligimus esse verè falsum, quòd est apparenter verum; ideoque admittentes hunc sensum in Scriptura, videremur admittere in ea falsitatem, quòd est impossibile. Qui autem sano modo intelligit hanc locutionem, scilicet, datur sensus apparens, in Scriptura; eum esse verum sensum, & veritatem continere intelligit, siquidem, cum dicit Propheta. Vidi Dominum sedentem, ennunciatur vera visio, & non apparens, quia apparentia non est in veritate visionis, sed in modo, quatenus in alia specie vidit Deum, non in se, ideoque adhoc ut esset ibi falsitas, oporteret dicere. Vidi Dominum sicut est in se, & non in aliena specie, adhoc autem ut dicatur sensus apparens, sufficit, quod se accomodet nostro modo intelligendi, ut supra diximus.

Secundò, quia hæretici eum formant, ubi non est ad eludendam, sive inficiendam veritatem, & facilè decipient simplices, eum astruentes; melius ergo dicetur sensibilis, quam apparens, sed nec propterea veritas deserenda, potius erit cautè tractanda, & ad sensum apparentem numquam est recurrendum, nisi cum ex grammaticali significatione etiam metaphoricè sumpta, sequitur aliquòd inconveniens, vel falsum; quod rarissimè, & fortè numquam eveniet.

ARTICULUS VI.

Quid sentiendum de sensu præsumpto quem astruit Caramuel.

NUnc examinandum breviter tertium membrum divisionis, quam affert Caramuel, scilicet sensus præsumptus, ubi ponemus ejusdem explicationem, deinde an admittendus sit, in Scriptura, judicabimus: sensus ergo præsumptus est, qui vel sit, vel non sit, præsumitur esse, quia esse debet, aut solet, & fundatur in illa regula juris canonici, *inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, aut plerumque fieri consuevit*. Procedit ergo a forma, quę præsumitur in esse subjecto, & in esse præsumitur, quia inesse solet, aut debet, quia hæ consequentiæ, solet esse, ergo est; debet esse, ergo est. Donec constet de opposito, probabiles censendæ sunt, & ipsum consequens verum; sic in hebraica lingua, & tota Sacra pagina, famuli vocantur pueri, quia aliis servire non est proprium senum, sed puerorum; pro eodem accipitur Monialis, & Sancti Monialis, non quod omnes Moniales Sanctæ sint, sed quia esse debent. Ita præsbyteros Sanctos antiqui dicebant, & nos summum Pontificem Sanctissimum Patrem &c. Ita Magister dicitur, idest Magis ter, sciens, quam discipulus, quia talis esse debet, etsi aliquando non sit, aliaque adducit exempla, sed quommodo in Sacra Scriptura id habeatur non resolvit explicitè, sed putat fortè id esse sup-

A ponendum, ob primum exemplum de pueris, quamvis autem dubium sit, an debeat absolutè admitti.

Videtur tamen non posse negari, cum enim Sacra Scriptura sit obscura, magis in ea locum habere debet sensus præsumptus, quam quilibet alius, cum in ea regula fundetur, quæ cognitionem dirigit in obscuris, ut dictum est: Adde etiam, quod in idiotismo Hebræo, & Græco, sicut etiam in Latino, dantur quædam propriæ phrases, quæ faciunt sensum præsumptum, ut prædicta de pueris, aliæ etiam de hoc nomine fratris, Mulier, anima &c. de quibus Deo dante suo loco dicemus.

Sed pro veritate statuenda, notare oportet, Sacram Scripturam, etsi obscuram, tamen etiam esse semper, & in omni sui parte verissimam, unde, quamvis possimus aliquando dubitare, an hic, vel B ille sit ejus sensus, verisimilitudò hic non intrat, quoad sensum, sed quoad determinationem, cum, ea non apparet, cæterum quicumque ille sit, ejus proprius, scimus illum in se esse verissimum sensum. Dubitatio siquidem, in rebus ad fidem spectantibus, locum non habet, quia in hac materia, certò novimus, Ecclesia declarante, quinam sit, vel non sit genuinus sensus Sacræ Scripturæ. Et quidem, quia tota Sacra Scriptura, ad fidem spectat, prout a Spiritu Sancto tradita est, & Tridentinum prohibet fieri ejus interpretationem contra eum sensum, quem tenet Ecclesia, & unanimis Patrum consensus, ideò pro ejus intelligentia, ad prædictam regulam semper est confugiendum, & quilibet sensus, præsumptus in oppositum, esset hæretice C præsumptus, ideoque sensus præsumptus, tunc tantùm locum habet in Scriptura, quando etsi nobis non constet absolutè, hunc vel illum esse sensum proprium Scripturæ, quia tamen magis cohæret, cum eo, qui ab Ecclesia declaratur, & a SS. Patribus edocetur, præsumimus verè esse sensum illius, & hoc modo certum est admitti debere sensum præsumptum, qui sic dicitur, non quia nos illum faciamus, aut præsumamus facere, sed quia, verum esse sensum Spiritus Sancti cum fundamento judicamus, idque in omni expositione Catholicorum Doctorum planè contingit, cum res obscuras declarant, cum debito fundamento; præsumptio itaque potius est ex parte exponentis, quam ex parte sensus. Hinc.

Dicendum est sensum præsumptum, ut a Cara- D muele describitur, non posse admitti in Sacra Scriptura, quod si aliquo modo ad eam spectat, est sensus metaphoricus, atque ad eo ex hac parte, præsens divisio, non est sensus litteralis proprii.

Prima pars conclusionis ostenditur: sensus iste, secundum Caramuelem, secundum se est tantum, probabilis, non autem certus, ergo non est sensus Scripturæ, quæ in omni eo, quod ad ipsam spectat, certior est omni scientia naturali, antec. patet ex ejus explicatione, superius allata, consequ. est manifesta.

Prob. secundò veritas, & certitudo Scripturæ infallibilis est, independens ab omni principio creato, cum sit locutio divina, atqui sensus iste pendet ab eo, quod res ita soleat, aut debeat esse, quod non inducit necessariam veritatem, aut certitudi-

nem

nem in particulari, ergo: Prob. min. quod res, quæ debet, aut solet, ita esse, nunc ita sit, pendet a variabili causa creata, & pluribus contingentibus circumstantiis; debet homo servare omnia mandata Dei, quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia, quia planè mirabile, & rarum est, hominem esse in legis observatione perfectum; Solet fortis debilem superare, & tamen Deus infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, & Sampson a Dalila victus, & Golias Gigas, a David puero; ergo quod res debeat, aut soleat esse, non probat necessariò, aut certò, immò nec probabiliter, quod ita sit. Ad hominem enim sic arguitur: dicit Caramuel: Probabilis est consequentia, donec constet de opposito, sed dum ita infertur, debet, aut solet esse, ergo est, jam constat æquè de opposito, quia secundum unam causam, debet, aut solet, & secundum naturam plurium causarum, rarò fit id, quod debet, aut solet esse secundum illam, ut in exemplis adductis, ergo nec probabiliter, in peculiari facto concludit ille modus arguendi, maximè ubi intervenit causa superior, & suprema, ab omnibus independens.

Prob. 3. in Sacra Scriptura pueri vocantur famuli, quia solent famuli esse, non senes, cum igitur in Scriptura aliquis famulus dicitur puer, sensus præsumptus quis erit? Sanè, vel quod ille sit verè puer, aut Junior, vel quod ita nominetur, quia servus, & tamen non sit junior, si enim ita intelligatur, quod sit junior simul, & servus, non erit sensus præsumptus rationabilis, sed vel verus, vel falsus, atqui si vel primò, vel secundò modo sumatur puer, potest falsum esse, quod præsumitur, ut certum est, ergo sensus præsumptus potest esse verus, & falsus, & ad Sacram Scripturam non spectabit, ut sensus ipsius.

Hinc patet 2. pars conclusionis; cum enim Caramuel fidelissimus sit, Catholicus, ac subtilis Theologus, non intendit minuere veritatem, aut certitudinem Scripturæ, debet ergò reducere ad aliquam metaphoræ speciem, hunc suum sensum præsumptum, quia revera etiam ita est, nam sicut aliquis dicitur leo propter fortitudinem, ita si aliquis dicitur puer propter ministerium, quod est proprium pueri, aut secundum aliam speciem metaphoræ, pro qua nunc locus non est, ex quo tertia pars conclusionis non eget probatione.

Sed ut finem quæstioni imponamus, relictis aliis, quæ parum interfunt, ultima, eaque in communi Doctorum sensu magis propria divisio, est qua partiuntur sensum litteralem proprium, in eum qui exprimitur cum figura, & in eum, qui exprimitur sine illa; sicut enim dividunt sensum litteralem, ut sic, in eum, qui propriè, & in eum, qui metaphoricè significatur, ita nunc proprium dividunt, in figuratum, & non figuratum.

Sed obstat huic divisioni, quod ut habetur ex Quintiliano lib. 9. cap. 1. sicut nullum corpus datur sine figura, ita nulla oratio; ergo quælibet integra oratio Sacræ Scripturæ, erit figurata, & propterea locum non habet hæc divisio.

Respond. ex eodem Quintiliano loco citato, quod figura rigorosè considerata est conformatio, quædam rationis, remota à communi, & primum se offerente ratione, addunt aliqui, servata proprietate verborum, sumunt igitur hoc modo figuram, hi qui dividunt sensum Scripturæ in figuratum, & non figuratum, ut figuratus dicatur, qui exprimitur modo quodam immutante ordinariam dicendi simplicitatem.

Porrò sensus figuratus dividitur per omnes figuras, ita ut quælibet figura, vel dictionum, vel sententiarum constituat unum membrum hujus subdivisionis, dummodo servetur, semper verborum proprietas, aliter transiremus ad sensum metaphoricum de quo nunc non agimus.

At quia idem realiter sensus Sac. Script. potest per plures, & quasi per omnes figuras exhiberi, patet clarissimè, quod ista non est divisio sensus, sed modi dicendi, ideòque non est necesse hoc loco singula membra hujus imaginatæ divisionis examinare, ne Rhetoricæ demus, quod hic sublimi Theologiæ, debemus. Alias fortè ad rem erit hæc etiam breviter prælibare, cum regulas trademus ad intelligentiam Sacræ Scripturæ, pro modo autem qui plura voluerit, adeat Isagogem N. P. Antonii, ubique prælud. 3. excursu primò, & secundo, complectum habebit Sacræ Rhetorices candidatum, erudite concinnatum.

CAPUT III.

De sensu litterali metaphorico.

ARTICULUS I.

Quotuplex sit sensus metaphoricus.

IDem est, ac quærere in quot membra dividitur metaphora, genericè sumpta. Circa quod, ne omninò, iejuno calamo totam hanc materiam, eò quia Rethoricam videtur, pertranseamus, aliquid haustu brevissimo prælibabimus, innuendo potius quam vel explicando, vel disputando.

Metaphora igitur ex D. Augustino, *lib. 2. contrà Mendacium cap. 20. est, de re propria ad rem non propriam, verbi alicujus usurpata translatio*, vel ut Quintilian. *lib. 8. cap. 6. verbi, vel sermonis, a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* Tot igitur erunt, sive possunt esse metaphoræ, quot sunt è converso proprietates dicendi, immò plures, quia aliquæ sunt simplices, & non mutuæ, ut segetes fluctuant, aliæ mutuæ, ut alarum remigia, & remigiorum alæ, non autem dicitur, fluctus segetant; aliæ continuantur, aliæ variantur, singulæ autem quadruplices sunt. Primò fit translatio, ab animato, ad inanime. *Isa. 1. audite cœli, & auribus percipe terra:* Secundo ab inanimato ad animatum, *Ezech. 11. auferam cor lapideum, & cap. 3. ut adamantem, & silicem dedi faciem suam*; tamen hæc potius est metaphora explicata, & simplex similitudo cum proprietate. Tertiò ab animato ad inanimatum, ut supra, audite cœli, vel ut aliqui dicunt, cùm Christus dicitur agnus leo &c. & Judas, leoni assimilatur, tamen

in rigore hoc secundum spectat ad allegoriam.; Quartò, ab inanimi, ad inanime. *Zach.* 11. *aperi Libane portas tuas*, ubi Hierusalem dicitur Libanus, ob altitudinem, vel decorem.

Quod si fiat mutatio in singulis verbis, secundum se, & non ut in oratione conjunctis, metaphora habet 7. species, scilicet metaphora peculiariter dicta, quam nunc explicuimus.

2. Catachresis, & est abusio nominis, vel verbi, cum carentes expressione propria alicujus rei, a viciniori eam accipimus, ut pedes mensæ, frons tecti, cornua altaris, labium calicis. 2. Paralip. 5. hæc sanè partium, hominum, vel animalium sunt nomina, sed similes partes, in mensa, tecto, altari, & calice proprio nomine carent. Sic in mensa gaudia beatorum, & tormenta damnatorum exprimuntur, nomine fluminis, maris, escæ, & potus, in Sacra Scriptura, ut sæpè, & passim invenimus; quia proprio nomine carent, ob excessum supra hunc statum.

3. Sinecdoche, quæ secundum Bedam, aliosque, *est intellectio, qua aliud, ex alio intelligitur*; & fit 4. modis, primò totum pro parte ponitur. *Marc.* 16. *Jesum quæritis Nazarenum, & Jo.* 20. *Tulerunt Dominum meum*, ponitur totus Dominus Jesus pro ejus corpore. Secunda; pars pro toto ponitur, frequens usus in Scriptura, manducare panem, pro tota mensa, & omnibus cibis, qui in mensa lauta apponuntur, & caro pro homine ponitur, *Et. Verbum caro factum est, Jo pr.*, aliæ sunt hujus nominis caro, acceptiones morales, sed aliò spectant. Tertiò materia pro artefacto; *per contemptibile lignum; justum gubernans; Sap. cap.* 10. & bis, *in Sap. cap.* 14. *per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante*, scilicet pro navi, *fragilius lignum invocat*, pro Idolo. Quartò unum pro pluribus, vel plures pro uno. *Vidi impium superexaltatum, Psal.* 105. pro impiis; *fac nobis Deos* pro fac nobis Deum. *Exod.* 32.

Quintò. Tempus indeterminatum pro determinato. *Tota die expandi manus meas*, & tamen in cruce hora sexta extensus est. *Inclinavi cor meum, ad faciendas justificationes tuas in æternum*, pro tempore vitæ, vel obligationis præcepti. *Psal.* 118. & leguntur Evangelia in Ecclesia. *In illo tempore*;

Sextò. Determinatum, pro indeterminato. *Septies in die laudem dixi tibi, Psal. eodem*, pro semper, *semper laus ejus in ore meo, Psal.* 33. vel ponè è converso.

Septimò. Numerus completus, pro incompleto, aut incertus pro certo. *Tentaverunt me per decem vices, Num.* 14. idest sæpius: *Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies*, Petro Christus respondit, pro omni vice; 1. Reg. 2. *donec sterilis peperit plurimos*, in vulgata, sed vertunt 70. *donec sterilis peperit septem*.

Octavò. Genus ponitur pro specie. *Plantaverat enim Deus lignum. Gen.* 2., *& cap.* 6. *de cunctis viventibus sumes*; vivens sumitur, pro animali perfecto, quia imperfecta non sunt inducta in arcam; iterum *Math.* 6. loquens Christus de lilio, inquit, *si fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit &c.*

Nonò. Species pro genere: *Nec malagma curavit eos. Sap. cap.* 16. ponitur species, pro omni herba, & medicamine.

Quarta est antonomasia, desumpta ab excellentia, quæ rem exprimit, per id, in quo ipsa excellit; id enim, quod excellens est, dicitur nobile, quia magis cognoscibile, & applicatur personis tantum; definit eam Beda, *est significatio vice nominis posita, cum ex aliquo accidenti significatur persona*; fit tripliciter: *Projecisti sicut vulneratum, superbum*, idest luciferum, qui superbissimus est. *Ps.* 88. Ad hoc reduci potest, quod dicitur Christus, filius hominis, quia in eo est magna excellentia humilitatis, & amoris, esse hominis filium, & hoc modo singularis est, quia sic prædicat virginitatem illibatam suæ Sanctissimæ Matris, cujus solus Filius, nos autem Filii hominum, ideoque ad nos dicitur; Filii hominum, usquequaque gravi corde Filii hominum, dentes eorum arma &c.

Secundò. A proceritate, dicitur Goliath, qui in ipsa excellit, unde dictus Goliath ille, quem Adeodatus interfecit, in tertiò bello, quia staturæ eximiæ &c. 2. Reg. cap. 21.

Tertiò. Ab externis accidentibus, ut a genere. Christus dicitur Filius David, passim in Scriptura antonomasticè, & David filius Isai ab actione singulari, seu valdè notabili. Judas proditor, dilectus Joannes, Doctor Gentium Paulus, sive Apostolus. Habitator cœli Deus. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Psal.* 3. Quod si addatur etiam proprium nomen, non est antonomasia, sed epitheton: *dilectus Deo, & hominibus. Moyses. Eccles.* 45.

Quinta est metonymia, quæ a Beda dicitur transnominatio, cum nomen unius ponitur, pro nomine alterius, ob aliquam proximitatem, etiamsi omninò aliud sit hoc, & illud, in quo differt a Sinecdoche; frequentissimus in Scriptura est iste tropus, & fit multis modis, ponendo.

Primò. Continens pro contento. *Gen.* 24. *effundens hydriam in canalibus*: *Psal.* 104. *lætata est Ægyptus, in profectione eorum; Trenor. pr. omnes portæ ejus destructæ sunt*. D. Thom. pro portis destructis intelligit omnia defecisse, quæ in portis exercebantur.

Secundò. Contentum pro continente. *Luc.* 16. *accipe litteras tuas*, idest cartam in qua litteræ; 1. *Reg.* 6. *dimitte eam, ut vadat*, arca pro plaustro, sive pro bobus.

Tertiò. Vitium pro vitioso, vel virtus pro virtuoso, *& non defecit de plateis ejus usura, & dolus, Psal.* 54. pro usurariis, & dolosis.

Quartò. Præsidens pro re, cui præest. *Psal.* 78. *comederunt Jacob*, idest destruxerunt descendentes, & subditos Jacob. 1. *Regum* 13. *Percussit Jonathas stationem Philistinorum*, ibi dux pro populo.

Quintò. Effectus pro efficiente. *Ezech.* 8. *Idolum zeli*, quia causabat zelum, & è contra nomen causæ datur effectui, peccatum, & iniquitas ponitur pro pœna, quam causat, vel pro hostia, quæ pro ipso offertur, 2. *Chorin.* 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, idest hostia, seu sacrificium, ut notat ibi D. Thom. *Osæ.* 4. *peccata populi mei comedent*; idest oblata pro peccatis. Hoc

autem

autem nomen peccati, diversimodè accipitur in Scriptura, ut pro legali immunditia, *Levit.* 12: *Fœmina, quæ peperit, offerat turturem pro peccato*, scilicet pro immunditia, sicut & lepra ob similem rationem dicitur peccatum. Levi. 14. & accipitur pro materia peccati, Deuter. 9. peccatum vestrum igne combussi. De vitulo aureo &c.

Sextò. Frequentissima est, cum potentia, sive habitus pro objecto, vel è contra ponuntur: Virtus mea, fortitudo mea, amor meus, patientia mea dicitur Deus, in Psalmis, quia objectum, finis, & principium est omnis virtutis. Lev. 13. lepra dicitur mutare aspectum, & in hebræo, dicitur mutare oculum. Alibi etiam, ubi nostra vulgata colorem nominat, Hebr. dicit oculum. *Isa.* 8. *eimorem eius ne timeatis*, idest minas, *dominus ipse pavor vester*, quia solus timendus. *Ps.* 115. *Laudaverunt laudem eius*, idest opera laude digna. *Laus mea tu es. Jer.* 17. Post Metonymiam sequitur metalepsis, quæ rarò est in usu, & importat duplicationem Metonymiæ. Ideò breviter.

Septimò. Metalepsis, est mediata quædam metaphora, & geminata metonymia, obscurus tropus est, sed explicatur. Gen. 31. conqueritur Jacob de Laban, *mutavit mercedem meam decem vicibus*. Aquila vertit, *decem numero*. Simac. *decies numero*. 70. verò: 10. *agnis*. Miratur Hieron. *nescio, inquit, qua opinione ducti, cum verbum hebraicum monim magis numerum sonet, quam agnos, & hic sensus magis ex sequentibus probetur*. Sed August. 95. in Genes. 70. admittit, & exponit per Metalepsim, *decem agnos*, inquit, *pro decem temporibus* 70. *posuerunt, quibus oves, quas Jacob pascebat, per decennium pepererunt, bis quippe pariebant in anno. Primo anno accesserat cum semel eam peperevant, 6. anno cum semel peperissent subitò recessit, exorta necessitate, perfectis mediis verò quatuor annis bis pepererant, & concludit, quod in singulis partibus ovium, mutabat mercedem per. 6. annos, qui sunt decem agni, idest decem partus agnorum, per agnos partus agnorum, per duos partus unum annum, per* 10. *partus sex annos imperfectos*. Item *Math.* 2. *Rachel plorans filios suos*. Rachel in Bethlem sepulta, & contenta ponitur pro continente per metonymiam, ita continens significatum per Rachel, stat pro matribus plorantibus suorum stragem Infantum, quæ est metalepsis.

Eccles. 46. *ossa eorum pullulent de loco suo*. Metonymicè ossa pro sepulcris, sepulcra pro memoria, inde monumentum, quasi monimentorum, memoria pro gloria, ideò significatur per illa verba metalepticè, semper eorum gloria vivat.

Octavò. Allegoria verborum: hæc (non loquimur de allegoria rerum, quæ importat sensum spiritualem) *aliud verbis, aliud sensu ostendit, ac etiam contrarium, aliquando*. Quintil. *lib.* 8. *cap.* 6. ab aliis inversio dicitur, ab aliis continuatio metaphorarum, frequens est in Scriptura; ipse Christus Jo. 4. ea utitur, populos ad credendum dispositos per maturas segetes allegoricè describit, quæ aptæ sunt ad messem: alibi sæpè in Scriptura allegoria vineæ pro Ecclesia, & plurimæ, quæ passim occurrunt. Hujus prima species est,

A Ironia, sive irrisio, contrarium ac dicat, ostendens. Ita Elias ad Prophetas Baal, 3. *Reg.* 18. *clamate voce majori, Deus est enim Baal, & forsan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut dormit, ut excitetur*: Deum dicit, ut Deum non esse ostendat.

Gen. cap. 3. *ecce Adam, quasi unus ex nobis.* De Adamo nudo post peccatum dictum est, ut ex eo factus Deo dissimilis ostendatur.

An lateat in ea mendacium, disputat Caramuel, log. mor. lib. 1. cap. 5. & concludit negative, cum communi sententia, at nunc de hac re non vacat secunda species.

Antiphrasis, quæ est Ironia, in unico verbo consistens significante oppositum: Math. 26. ad nequissimum Judam, inquit; Christus: *Amice, ad quid*
B *venisti*; quæ planè expressio, attento facto, propriissima fuit, summeque expressiva. Inimicus siquidem erat, & inimicitiam signo amicitiæ consumabat; sicut igitur in facto, ita proprissimè significatus fuit in Verbo, Amice &c. 3. *Reg.* 21. *Benedixit Naboth Deum, & Regem*, hoc est maledixit, sed hoc examinabitur in regulis, quia similes phrases sæpè inveniuntur in Scriptura, & in Idiotismis &c. sic etiam dicitur per Antiphrasim; sanctificare, pro polluere. Deuteron. 22.

Tertia. Sarcasmos, addit supra Ironiam irrisionem, odii expressivam in mortuum, vel morientem. *Math.* 27. *alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce.*

C *Isai.* 14: *Infernus subter te conturbatus est, in occursum adventus tui suscitavit tibi Gigantes; omnes Principes terræ surrexerunt de soliis suis*, quod apertè dicit de superbo, seu Diabolo confuso, sub figura Regis Babylonis, unde concludit, *detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum &c.*

Quarta, ænigma; & est abstrusa, & incognita allegoria, dicta à Græcis scrupus, quasi lapillus torquens pedem, in calceo, quia mœrore afficitur, qui incidit in ænigma: *Jud.* 14. *de comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo* quod etiam problema dici solet; de Scripturæ ænigmatibus suo loco dicetur; sicut & de paræmiis idest proverbiis, & de parabolis, & similitudinibus, quæ confusim dicuntur ænigmata; ob oscuritatem, strophæ similitudines, apophtegmata, Gnomo, ob
D Doctrinam brevem, Apologi, & scommata, ob figuram, quam habent.

Quinta species est, charientismus, cum ea, quæ ex se dura sunt, & displicent, quadam dicendi gratia molliuntur. *Gen.* 29. ubi Jacob volens dicere Laban, quod esset impostor, & injustus phrasi sensum temperavit dicens; *Nonne pro Rachele servivi tibi? quare imposuisti mihi?* solet sic sepè Scriptura verbum ponere, quod minus significat, quam intendit, modesta quadam temperie. *Ecclesi.* 7. *noli velle mentiri, omne mendacium, assiduitas enim illius, non est bona*, quod tamen, nedum non est bonum, sed odiosissimum malum. Ubi etiam notabile illud; *noli velle, & mentiri, omne mendacium*, ubi videtur implicita quædam excusatio mentientis, non ex habitu, & voluntate determinata,

quod tamen non approbat, sed est modestia quædam dicendi. A

Levit. 20. Quòd eis præceptum non erat, ponitur pro vetitum erat. *Psal.* 57. *opera tua non proderunt tibi*, idest valdè nocebunt.

Sexta æpytasis est contraria chariantismo, cum scilicet verbis vehementibus utimur, quasi quadam exageratione ex parte modi dicendi; *Ad Roman.* 9. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, idest non amavi, non enim Deus odio habet aliquid eorum, quæ fecit, sed non amat, cum ei indebita, & gratuita negat, quòd ad fortiorem quamdam expressionem dicitur odium.

Lucæ 14. jubemur odio habere Patrem, & Matrem &c. qui jubemur, & inimicos diligere, sed prior illa est fortis expressio, dictans non esse amandum Patrem, & Matrem plusquam Deum, eos B Deo præponendo.

Ad hæbr. cap. 6. utraque utitur Apostolus dicens. *Hoc faciemus, siquidem permiserit Deus*, minus dicit, & plus significat (dic. D. Thom. hoc loco) permissio enim Dei non sufficit, ut quis quidquam faciat, sed concursus, & præmotio. E contra statim addit. *Impossibile est, eos qui illuminati &c.* impossibile sumitur pro difficili, ob fortiorem expressionem.

Septimo Astismus est tropus ingeniosus, & frequens, invenitur in omni dicto, quod rusticitate caret, & faceta urbanitate perpolitur, ad Gal. 5. ut putat Beda, habetur, cum dicitur, *utinam, & abscindantur, qui vos conturbant*, quæ non est maledicentia, sed astismus, ut notat Chrisost., Theophil. ac si diceret, de his, qui eos ad circumcisionem inducebant, si putant circumcisionem ita adeo prodesse, ipsi nedum circumcidantur, sed & castrentur, vel totaliter abscidantur, ut simul careant etiam occasione peccandi, si enim membri expilatio proficit, magis proficiet ablatio, quæ etiam est intelligentia Hieroymi, Augustini, & D. Thomæ &c.

Vide, quæ sequ. apud P. Antonium p. 222.

Octava post allegoriam, est periphrasis, & paraphrasis. Illa est circumlocutio id exprimens multis, quòd paucioribus verbis dici poterat, ut vel fœditatem circuitu evitet, vel ut veritatem clarius ornet; *Rom.* 1. *Fœminæ eorum mutaverunt naturalem usum, in eum, qui est contra naturam* honestè dicta inhonestas, ex circumlocutione velata turpitudo. *Prov.* 5. *bibe aquam, de cisterna tua, & fluenta putei tui*; Monet matrimonii fidelitatem, de qua intelligentia. P. Novarin. tractatu de aquis nuptialibus plura. Similiter aqua pedum, modestè in Scriptura explicatur urina, quæ ad pedes usque profluit; *Ezech.* 7. *omnia genua fluent aquis*, idest præ metu mingent; hic enim est effectus timoris. *Ezech. cap.* 16. *& fornicata est cum Ægyptiis vicinis tuis magnarum carnium*, *& cap.* 23. de eisdem quòd *habent carnes asinorum*; Modestissima significatio, immundissimi monstri.

Ad ornatum etiam, *ut Psal.* 2. *qui habitat in Cœlis*, pro Deo, ubi etiam est antonomasia, ut vides.

Paraphrasis, est declaratio eorum, quæ ab aliis obscurè dicta sunt, seu quædam expositio declarativa, sive paucioribus sive pluribus verbis, id præstet dummodo clarioribus, ut cum Christus parabolam seminis declarat, vel Evangelistæ dicta in veteri Testamento.

Hyperbaton, est transgressio ordinis in verbis, *Psalm.* 67. *si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ &c. dum discernit cœlestis Reges nive dealbabuntur in selmon.* Qui versus sunt difficiles ex hac figura, ut notat August. ibi &c., & *Psal.* 44. *sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent in corda inimicorum Regis.* V. Incognitum.

Psal. 23. *hic accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo*, sit inversio, prius enim est quod Deus misereatur, quam quod benedicat.

Hyperbole, est dictio fidem excedens, augendi, aut minuendi causa, non importat mendacium, quia ut Seneca *de benefic. cap.* 23. *numquam tantum sperat hyperbole, quantum audet, sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat.*

Numerorum 13. *vidimus monstra quædam filiorum Enach, quibus comparati quasi locustæ videbamur.*

Amos 9. Altitudo Amorhæi, dicitur altitudo cedri.

2. Regum 1. de Saul, & Jonata dicitur, *velociores aquilis, & leonibus fortiores.*

Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum, velut arenam, quæ est in littore maris*; ubi Augustinus. Ea locutione dictum est, quam græci dicunt hyperbolen, quæ utique tropica est, & non propria, quo tamen modo ut cæteris tropis uti solere Scripturam, C nullus, qui eam didicit, ambigit, & fit quando id, quod dicitur, longè est amplius, quam id quod eo dicto significatur. Quis enim non videat, quam sit incomparabiliter amplior, numerus arenæ, quam potest esse omnium hominum ab ipso Adam usque ad terminum sæculi?

De hoc tropo Doctissimus Caramuel, *cap.* 5. *citato*. *Oportet* inquit, *ut rem impossibilem dicat, ne mentiatur hyperbole, nam tunc movemur debere restringi vocem, ad significationem, quæ sit inter possibiles*; & post plura, *si enim narratur id, quod fieri potest, figura tollitur, & de verborum veritate, jure inquiret sinceritas, vel fiet æquivocatio vitiosa*; prosequitur idem, agens etiam de fabulis, quæ quamdam continent hyperbolem, & curiosa quæ D dam concludit, ultimò quærens an hyperboles locum habeat, in indulgentiis, quæ dicuntur plenissimæ propter Achatium Marchium de Valasco, qui tom. 2. verbo Indulgentias, videtur afferere, sed optimè negat Caramuel, quia cum dicitur plenissima Indulgentia, non est, quod sit plusquam plenariè remissiva pœnarum, cum sit impossibile, sed ob annexa alia beneficia potestatis absolvendi a reservatis, & commutandi vota &c.

Alias etiam figuras, seu tropos huc spectantes, hic subnectere non inutile foret, etsi enim hæc materia prima fronte videatur a gravi veritatis studio declinans, maximè tamen illud juvat, ac difficultatibus pluribus enodandis deservit, ita ut facilius Rhetor difficilem, quandoque textum attingat, quam Theologus, nihilque abjectum est, quod Deus pro-

propriæ locutioni dignatus fuit annectere, nec aliud similes modi dicendi æstimabile habent, in profanis Rhetorices Principibus, nisi quia ex divino Scripturæ fonte originem cognoverunt. Et quidem erat animus plurimos tropos, figuras, aliaque hujusmodi, quæ Comes Emmanuel Thesaurus, in sua Rhetorica, eruditissimo tractat ingenio, & sacra eruditione, ea videlicet omnia divinæ Scripturæ textibus decorare, sed quia ad has, quas retulimus, alia etiam, quæ sive a Thesauro, sive a P. Causino, sive a Mendoza, sive ab Auctore Palatii Reginæ eloquentiæ recensentur, referuntur, & nos excrescente jam nimis hoc opusculo, ad præfixa, & promissa implenda vocamur, supersedemus, quæ autem diximus, ex probatis Doctoribus, ac potissimum ex P. N. Antonio, qui hac in re magis excelluit, ex Caramuele Doctissimo omnigenæ eruditionis archetypo, aliisque, qui ferè omnes in idem coincidunt, accipere studuimus, ad compendium vocata.

CAPUT IV.

De pluralitate sensuum in eodem Scripturæ loco.

ARTICULUS I.

An sub eisdem Sacræ Scripturæ verbis multiplex litteralis sensus reperiatur.

Dicendum est primò, sub eisdem Sacræ Scripturæ verbis, sive in uno, & eodem loco, plures litterales sensus sæpè reperiri. Ita expressè D. August. in confession. a c. 18., & infrà, ac alibi frequenter D. Thomas quodlib. 7. citato, ar. 16. de potentia, qu. 4. ar. 1. ac pr. p. q. 1. ar. 10. in corpore, & cum eo universaliter omnes Thomistæ. Controversistæ, & Expositores, & ita sentiunt communiter Patres, ut modo videbimus.

Prob. primò, auctoritate Patrum in particulari. Hieronym. *ep. 103 ad Paulinum; In verbis*, asserit, *singulis libri Apocalyp. multiplices intelligentias latere*; constat autem quod sensus est ipsa verbi passiva intelligentia, etiam in sensu litterali, ut explicat N. P. Laurentius, tom. 1. controv. 3. parag. ultimo, si enim intelligatur de sensu mystico, hic non latet in verbo, sed in re, in qua continetur.

Basilius in proæm. operis de Spiritu Sancto, Chrisost. hom. 21. in Gen., & hom. 7. in primam ad Chorinthios, & in duabus concionibus ad 2. Chorin. cap. 4. in illud, habentes eundem spiritum, multos etiam sensus litterales in eodem loco, ex eadem ratione, qua utitur D. Thomas convincunt, atque ita intelligendos esse suadet communis cum sensus Doctorum, qui hæc loca cum Sanctis PP. quotquot vidimus in præsenti, adducunt.

D. Augustinum Caramuel ob hoc magnificat, Vasqu. reprehendit ob hanc sententiam, an ex illo, an ex hoc magis splendeat veritas Augustini, problema est, lector judicet.

Prob. 2. practicè in his verbis, in principio creavit Deus Cœlum, & terram, quibus verbis Augustin. 1. de Genesi ad litteram, & auctor imperfecti operis cap. 2. tres sensus litterales, & proprios notat, ut ly in principio, primò temporis initium. 2. Verbum Divinum. 3. primi creati scilicet cœli dignitatem significet, qui sensus omnes congruunt, neuter cum alio pugnat, & verè invicem servata unitate, & exigentia textus distinguuntur. In solo initio, seu in hac dictione, in principio, 15., & fortè plures præcipuos sensus doctissimè distinguit litterales, ac proprios. Martineng. in Glosa magna in 1. tomo, in principio, ad quem locum lectorem remittimus, ne nimium diffundamur, eos referendo, ex quo.

Confirm. primo, principium cujuscumque operis indicat, operis ejusdem perfectionem, & qualitatem, tamquam frons, caput, & facies, unde corpus, cui inest caput hominis, prudenter censetur homo, ita ut etiam monstrum habens perfectum caput humanum possit baptizari, sicut in moralibus docent Doctores, quod non ad probationem, sed ad expressionem spectat, sic ergo rationabiliter concludendum est a fortiori, quod cum Sacra Scriptura sit sapientissimum opus, nam est divina locutio, multò magis ostendet in sui fronte & capite scilicet in principio Gen. id, quod sibi proprium est in toto corpore, partium suarum proportione servata, ergo si tot continet sensus litterales simul, etiam patenter in primis verbis, hoc ei quodammodo concedendum est, tamquam naturalis proprietas suæ perfectionis, eique debita, juxtà suarum partium proportionem ad totum, de qua proportione, etiam alibi diximus.

Prob. 3. ex diversitate etiam versionum, quæ si fideliter factæ sunt, ut supponendum videtur, quia secundum regul. Juris Canon., & etiam naturalis, sive juris Genti, nemo præsumitur malus, nisi probetur, cur adeò diversæ sunt, sicut aliquando invenimus? Non alia hoc ratione evenire potest, nisi ob sensuum diversitatem litteralium, qui in primæva, ac originali littera continebantur, ergo.

Probo hoc (inquit Caram.) in simili, T. pr. lib. 1. cap. 3. sect. 4. idipsum grecum 70., & nostræ vulgatæ testimonium. Psalm. ut legimus nos 28., & undetrigesimo, ut hebræi numerant, cecinit David Habul, Adonai, Benei, Elim, & quia El Deum, & virum fortem, & arietem significat, 70. Interpretes bifariam transtulerunt hunc versum, & eorum verbi Noster vulgatus latinè reddidit dicens, afferte Domino Filii Dei, afferte Domino filios arietum, & aliam significationem, quam & 70., & vulgatus omiserant, nova ex hebræo translatio expressit dicens. Date Jehova, filii fortium. Patet ergo in ipso originali textu, verè in eisdem verbis fuisse plures litterales sensus, quæ in hoc genere est probatio æquivalens demonstrativæ, cum sumatur a priori, exprimo fonte.

Prob. 3. non enim ommittenda est ratio Divi Thomæ, etsi inclusa in auctoritate Patrum, quin immò ex hoc ipso fortior est. Potest autem breviter sic disponi.

Deus

Deus unico sui intellectus intuitu, semper universa comprehendit, ita ut sicut universaliter omnia, ita intelligens aliquid particulare, quælibet in ipso contenta, & ad ipsum spectantia quommodolibet, ex eo quòd ipsum cognoscat, comprehendat, sed ejus locutio est expressio mentis ipsius, saltem eo modo, quo capaces sunt homines ad eam percipiendam, ergo debet talis locutio, ut talis, & in ea parte, qua Deus cognovit, ita expedire nobis, simul continere saltem plures sensus litterales, Sacra autem Scriptura, ut centies ostendimus, est propria Dei locutio, ergo.

Major est infallibilis, cum Deus sit actus purus, minor a nobis alias ostensa est, & ex se nota. Consequ. autem manifesta est, quamvis enim deberet inferri universaliter, quòd omnes sensus ubique contineret, quantum est ex vi sui principii, tamen ratione limitationis nostræ, ad quorum doctrinam ordinatur, coarctatur ad plures absolutè, ubi divina novit sapientia, nos ita esse docendos.

Confirmatur primò, Deus auctor Sacræ Scripturæ cognovit simul omnes futuras, & possibiles hominum omnium cogitationes, omnesque ordinavit, & omnia eorum condidit objecta, & requisita, ut essent, vel non essent, sicut ipsi placuit, ergo sicut simul, & semel idem objectum diversimodè simul a diversis intelligi ab eo dependet, ita hanc supremam, in linea intelligendi creaturæ suæ causalitatis, extensionem, in sua locutione multò magis debuit manifestare, plures sensus & intelligentias pluribus in locis simul, sine confusione uniendo; sic enim ostendit, quod quando locutus est, omnia novit, quæ omnes creati intellectus imposterum, vel simul, vel seorsim in eodem loco Sacræ Scripturæ erant deprehensuri.

Et hoc est, quod dicit Divus Thomas, *quæst.* 4. *de potentia art. primò. Hoc ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet, ut sub una littera plures sensus contineat, ut sic, & diversis hominum intellectibus conveniat, & unusquisque miretur, se in divina Scriptura invenire veritatem, quam mente concepit, & per hoc contra infideles faciliùs defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex Sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus*; & infrà, *unde omnis veritas, quæ salva litteræ circumstantia, potest divinæ Scripturæ adaptari, est ejus sensus*.

Confirmatur, ex verbis ipsis Augustini *loco citato confess. cap.* 31. *Ita cum alius dixerit, quòd sentiens quod ego, & alius, immò illud quod ego? Religiosius id me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? & siquid tertium & siquid quartum, & si quid omninò aliud verum quidpiam in his verbis videt, cur non omnia illa visisse credatur, per quem Deus unus Sacras litteras, vera, & diversa visuris, multorum sensibus temperavit?* & prosequitur efficaciter; sed hæc satis quæ adduximus, quia & rationem, & confirmationem ac magis conclusionem mirificè illustrant.

Quartò probatur, denique practicè complendo secundam probationem, quæ prius deducta fuit ex principio Genes. ex eo quod qualitas operis deducitur ex ejus initio. Isai. cap. 58. dicit: *Generationem ejus quis enarrabit?* in his verbis clarè simul, & absque ulla detorsione continentur plures sensus verè litterales, & substantiales; Nam cum in toto illo capite economia Christi contineatur, nimirum ab ejus conceptione, usque ad ascensionem, sicque referantur ibi omnes labores, ac posteriores gloriæ ejus, jure merito fit mentio, generationis ejus, tam æternæ, quam temporalis, utraque enim mirabilis, ac divinitus impleta fuit, ac proinde ratione suæ excellentiæ, valdè commendat utraque, labores illos, quos tam eminens persona pro nobis sustinuit, & posteriores glorias, quæ eandem summopere decuerunt, credibiles facit, etsi summè mirabiles; dicitur ergo, *generationem ejus, quis enarrabit?* quia nec generatio ejus æterna, de qua hunc locum intelligit Euseb. Cæs. lib. 1. de præpar. Evangelii cap. 8. Cyrill. lib. 8. de Trinitate, Basil. lib. 1. contra Eunom. August. lib. 1. de symbolo ad Cathecum. cap. 3., & alii ferè universaliter. Nec generatio ejus temporalis, ex Matre Virgine, de qua hunc locum intelligunt. Justin. lib. quæstionum a Gentibus positarum, qu. 67. Tertullianus, lib. adversus Judæos, cap. 13. Chrisost. hom. de laudibus Joan. Baptistæ, ac plures, qui utramque asserunt intelligentiam, potest humana narratione comprehendi, unde communis Ecclesiæ, Conciliorum, Theologorum omniumque Fidelium sensus, & phrasis est, utramque ineffabilem esse, dicimus enim omnes ineffabile Trinitatis mysterium, in quo generatio Verbi includitur, & ineffabile Incarnationis mysterium; ex quo sic argui potest: Communis procul omni dubio sensus Ecclesiæ est, hunc locum, de utraq; Christi generatione dictum, ac propterea ipsa communi phrasi, eundem locum de utraque prædicat, dicens utramque ineffabilem, quam ille dixit inenarrabilem, ergo jam communis Ecclesiæ sententia est, in uno, eodemque Scripturæ loco, multiplicem litteralem sensum inveniri, ergo hæc conclusio non posset salva fide negari. Adde ad majorem confirmationem, & explicationem, quod non incongruè immò valdè connaturaliter ad litteram illius capitis, alius etiam sensus, in ea continetur. Generatio enim ex se; & per se primò est nomen activum, ut patet, ergo talis textus intelligitur etiam non minus principaliter, de generatione activa Christi, qui per passionem, & mortem, suam in eo capite narratam innumeros filios genuit per adoptionem, omnes eos, videlicet, quos per adoptionis gratiam ad suam extulit filiationem, & sic contextus ipse indicat, cum dicit, *si posuerit animam suam, videbit semen longævum, & in justitia sua justificabit ipse multos.* Nec refert, quod videatur sensus hic spiritualis, nam revera litteralis est, quia alind est, quod res significata per ipsum sensum, sive in ipso sit spiritualis; aliud est, quod sensus ipse spiritualis sit, res enim spiritualis, immò & sensus ipse spiritualis, per sensum verè litteralem potest significari, ut quando Apostolus explicat, sive eruit ex antiquo Testamento sensum spiritualem, hoc præstat per sensum litteralem, non igitur per hoc, quod Filiatio adoptiva per gratiam, sit spiritualis, colligitur, quod sensus, quem nunc pertractamus non sit verè litteralis, significatur…

gnificatur siquidem per litteram immediatè, & non per rem, neque in rigore dici potest, quod generatio Christi ex Virgine sit ordinata ad significandam Filiationem nostram adoptivam, sed potius ad illam ista, cum sit realis ejus effectus per realem scilicet gratiæ infusionem, in nos.

Adde etiam quartum, in hoc loco optimè assignari litteralem sensum, in hebræo siquidem ly generationem, scribitur per Dor., quæ dictio significat cuniculum, in quo multi homines coexistunt, sive vitam hominis, cum aliis pluribus. Porrò qui Christo Domino, sive ejus tempore coextiterunt, ipse usque ad mortem persecuti sunt, dicit ergo, & quidem cohærenter ad contextum, *generationem ejus quis enarrabit*, nempe quem cursum cum hominibus iniquis, quos labores, quam diram mortem sustinuit a perversis. & huc respexisse videtur ipse Christus, cum dixit, *generatio prava, & adultera, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ* &c., & inde, quod pro simili generatione, dignatus sit mori, admirabile omninò est qui erat contextus illius capitis, idque concludit Apostol. ad *Rom. cap. 5. commendat autem charitatem suam Deus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, pro nobis mortuus est.*

Nec est ommittenda animadversio notatu digna; quamvis enim dicamus, quia verissimum est, in eodem loco Scripturæ plures sæpè reperiri litterales sensus, non tamen propterea, ut eos quandoque inveniamus, torquendus est textus, tunc enim non est multiplex sensus Scripturæ, sed damnata licentia, vanè ædificandi in fundo alieno, id quod stare non potest, & est intrusi sensus humani, in divinas litteras, cum præsumptione nimis audaci, ideoquè data operà in textibus ad hinc conclusionem probandam practicè adductis, ad Sanctos Patres, ad sensum Ecclesiæ, ad versiones servato sine contextus, & connexione Sacræ litteræ semper inspeximus, ut in praxi appareret, & veritas conclusionis, & modus eam exercendi; ad quod regulam præfert, *Isai. cap. 48.* ubi dicit *ego Dominus Deus tuus, docens te utilia*, utilitas itaque Doctrinæ, & veritatis attendenda est in sensibus Scripturæ, quæcumque enim scripta sunt ad nostram Doctrinam scripta sunt, qua carent, ut in plurimum hominum inventa.

ARTICULUS II.

Quæ ex dictis præcedenti articulo deducantur.

EX probationibus hactenus perpensis, ad sensum patet, numerum sensuum litteralem, qui quandoque insunt uni Scripturæ loco, non esse restringendum ad numerum binarium, vel ternarium, ut aliqui volunt; Rationes enim non patiuntur hanc restrictionem, eamque tollit Augustin., & D. Thomas impugnat, & ipse expositiones textuum, quas proposuimus ex ipsa praxi convincunt, non esse admittendam. Additque Hieronym. *Danyel. 2. præcipit, ut involvat sermones, & signet librum, ut legant plurimi, & quærentes historiæ veritatem* (loquitur ergo de sensu litterali) *& propter obscuritatis magnitudinem, diversa opinentur*, & id ipsum convincitur ex his, quæ supra diximus, agentes de divisibilitate Sacræ Scripturæ.

A

Deducitur etiam contra Gabrielem Vasqu. falsum esse, omninoque rejiciendum ejus opinandi modum, p. p. qu. 1. art. 10. disp. 17. cap. 3. cum dicit plures in uno loco Scripturæ sensus litterales tunc reperiri, cum probabile est, Scriptorem secundarium omnes illos intellixisse; sanè Philosophorum axioma est, nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, unde falsum est è converso dicere, nihil est in sensu, quin prius fuerit in intellectu, non alia ratione, nisi quia intellectus accipit a sensu, non verò sensus ab intellectu. Nonne agimus de sensibus divinæ locutionis, quam recipit Sacer Scriptor a Deo? respondeat ergo potius tunc Scriptor, fortè (quia non est necesse) intelligit plures litterales sensus suæ Scripturæ, cum Deus illos dictat, & accomodat tali Scripturæ, non verò commensurat divinos sensus, cum Auctore humano, planè inauditum est, quòd ab Auctore secundario scire debeamus, quot sensus litterales in eo, quod scripsit contineantur, & tamen si dicit Vasqu, tunc solum dari, in eodem loco talem sensuum pluralitatem, cum illam intellexit auctor secundarius qui hoc aliunde nescire possumus, nisi ille, qui intellexit hoc dicat, deberemus expectare ab eo hanc notitiam.

B

Sed dicit, probabiliter possumus hoc deducere, scilicet Scriptorem tot intellixisse, vel non. Contra est, si hæc est regula multiplicitatis, erit etiam regula unitatis, ut sicut tunc dici debent plures, quando Scriptor cognovit plures, ità unum Scriptor cognovit unum, ergo sicut tantum probabile est, quod Sacer Scriptor cognoverit sensum, vel unum suæ Scripturæ, tantum probabile erit dari sensum litteralem in Scriptura, quod tamen adeò evidens est, ut nullus grammaticus ignoret, sed & subinfertur, ergo datur certè Prophetia, sine sensu litterali, ideoque sine veritate; patet consequentia, nam datur verè Prophetia, cujus sensum litteralem Propheta non novit. Caiphas enim, cum diceret, *expedit ut unus moriatur homo pro Populo, & non tota gens pereat*, sensum litteralem Propheticum hujus dicti, planè non novit, qui intendebat oppositum, hoc autem non dixit a se metipso, sed cum esset Pontifex anni illius, Prophetavit, est enim eadem ratio dedicente, & describeose, si ergò tot dantur sensus in aliquo loco, quot Scriptor cognovit, ubi nec unum cognoscit, jam nec unus datur, ubi litteralem Propheticum non cognovit, ille non dabitur. Prophetia autem sine sensu, non solum non est Prophetia, sed quoddam quasi blictri formaliter, ergo falsum erit, quòd Caiphas Prophetaverit; quommodo ergò Evangelista scribit, quod Prophetavit? & notandum, quod ait Evangelista, non solum illud dictum, fuisse Prophetiam, sed quod ipsa actio, sive locutio hominis illius, fuit Prophetatio, ut sciamus quod sensus Prophetiæ, non pendet a cognitione Prophetæ; Constat igitur omninò falsum esse placitum P. Vasqu., & hoc habetur clarissimè, ex probatio-

C

D

bationibus nostræ conclusionis, at maximè ex ratione D. Thomæ, quæ desumitur ex eminentia auctoris Sacræ Scripturæ specialissimi, scilicet Dei, & sublimi ejus intellectione.

Infertur 3. nulla ratione subsistere opinionem eorum, qui apud Scalante, & Gonzalez prout refert N. P. Anton. loco citato, num. 77. asserebant eundem Scripturæ locum, in eadem parte plures litterales sensus habere non posse, benè verò in diversis, ut illud 2. *Reg.* 3. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*, nam in citato cap. 3. intelligitur de Salomone, at in epist. ad hæbr. cap. 1. intelligitur de Christo. Hæc enim opinio evidenter corruit, per loca, quæ ad probandum conclusionem D. August., & D. Thomæ, immò & Ecclesiæ exposuimus, in eodem loco, & parte Scripturæ sistentes, immò sensus ipsos elimando ad contextum ipsum, ejusdem partis. Quantum verò attinet ad locum cap. 3. lib. 2. Regum, jam suprà ostensum est, etiam illic intelligi litteraliter dictum de Christo, per ea, quæ dicit Augustin. loco illic citato.

ARTICULUS III.

Oppositi placiti aliqua argumenta solvuntur.

Michael de Medina l. 6. de rectâ in Deum fide, conatur sustinere unitatem sensus litteralis, ita ut negat usquam in loco quovis Sacræ Scripturæ, duplicem, aut multiplicem sensum litteralem contineri.

Argumentatur primò, nam opposita sententia inducta est, ob timorem prodendi Evangelium, nam hi, qui sibi suadent, ex solo sensu litterali posse efficaciter argui, cum videant aliqua loca veteris Instrumenti, in novo ab Evangelistis, & Apostolis induci, in alio sensu diverso, ne cogantur dicere, quod Apostoli arguunt inefficaciter, ex sensu spirituali, confugiunt ad pluralitatem sensus litteralis, hoc autem non est necesse, quia apertè constat Sacros Scriptores, etiam à spirituali sensu efficaciter arguere, ergo.

Resp. loca illa, quæ manifestè ostendimus, continere plures litterales sensus, aliaque plura, quæ adduci possent, non fuisse à timore composita, quia non est Sacer Scriptor, nec virtus ejus, timor siquidem potius loqui dedisset, sed sunt veræ locutiones Dei, & veros ejusdem sensus litterales portendunt. An verò possit, an non ex spirituali sensu efficax argumentum deduci, & suprà affirmavimus, & infrà magis confirmabimus, positis tamen debitis circumstantiis.

Secundò. Argum. nullum dari poterit Sacræ Scripturæ testimonium, in quo sine dubio sint multi litterales sensus, nam quodcumque adducatur, vel reperietur habere litteralem, & spiritualem, qui aliquibus fortè videtur litteralis, vel quia aliam congruentem explicationem admittet, videbitur habere plures sensus litterales, qui in ipso non erant, sed in explicante.

Resp. jam nos satisfecisse practicè huic instantiæ, gratis ergo procedit omninò contra communem

A sensum Patrum, sine veritate, & ratione, & contra experientiam; Unde P. Bañez, p. p. q. 1. art. 10. dub. 7. concl. 3. temeritatis damnat eum, qui negat hanc litteralem sensuum pluralitatem in illo Gen. In principio creavit Deus cœlum, & terram, eo quod inc. firmiter, de summa Trinitate. Concilium Lateranense, sub Innocentio III. ex illo loco, duos errores condemnandos censuit; attento multiplici ejusdem sensu; sed quidquid sit de hoc, non enim definit, quia nota, liberent Medinam, at si non temerariè, saltem temerè, hoc est sine ratione, & contra praxim, communemque sententiam procedit.

Tertiò. Si sub eadem littera multiplex litteralis sensus lateret, tota Scripturæ firmitas nutaret, & incertum esset, ac fallax omne argumentum, ex

B Sacrâ litterâ assumptum, quia simile esset oraculis Apollinis, quæ duplici sensu decipiebant, ut illud Pirro Epirot. Regi responsum; aio te Æacida Romanos vincere posse.

Confirm. si ita esset, sicut asseritur, nec Judæi, nec Hæretici possent per Scripturam convinci, si enim unum sensum opponis, dicent, se ad alium appellare, quem sequi se fatentur.

Resp. neg. ant. & ejusque integram probationem, non enim sibi contradicunt plures sensus, qui in uno loco Scripturæ reperiuntur, ut in expositis vidimus, sed omnes in una veritate, & in uno non adunantur, unde potius veritas fidei adeò concurs, facilius convincit adversantes. Apollo autem suum nescius, æquivocè respondebat, ne mendax deprehenderetur, ut notat Theodoretus, serm. 10. contra Græcos, at Scripturæ Auctor scientia, sua res causat.

C

Ad confirmationem, neg. sequelam antecedentis. ad prob. neg. suppositum, supponitur enim, quod tales sensus sint contradictorii, ita ut qui vult se ab altero servare, in altero tutus sit, quod falsissimum est.

2. Resp. sensuum ablata multiplicitate, difficilius hæreticum convinci, cum enim unus tantum asseritur, si hæreticus asserat eum quem adducis, non esse verum sensum illius loci, ex auctoritate alicujus Patris, qui in alium inclinet, etiam non negando, quem tu opponis. Tunc si reponet hæreticus, unus tantum est verus sensus litteralis Sacræ Scripturæ, sed hic non est, quem tu opponis, quia alium

D invenio, docente Augustino, cui magis credo, quam tibi, ergo falsum opponis, non credo, ne errem tecum. Quid in sua opinione respondebit Medina? nos negam. maj. & ostendimus præclusam ubique, & undique viam, nedum effugiendi, sed apertum convincendi; nam sic redarguimus, sint ibi tres hæretici, primus asserit mundum fuisse ab æterno, 2. Angelos creatos fuisse ante creationem mundi; tertius, duo esse principia rerum, alterum bonum, alterum malum; omnibus, & singulis opponimus, prima Genes. verba, *In principio creavit*: nam in uno litteræ sensu sic locus ille accipitur. In principio, in initio temporis. Secundò in principio idest antequam quidquam factum esset. Tertiò in principio, idest in Filio, qui est Alpha, & Omega, principium, & finis, quos sensus Sancti Patres admittunt,

tunt, & probant. Arguat Medina contra primum, ex primo loco, & sensu, ille irridebit, non est hic sensus. Augustin. dicit secundum, & per te unus tantum esse potest, arguimus nos; negare non potest, quia revera textus, & hunc, & illos sensus habet, quos Sancti Patres agnoscunt, eodem modo ad proportionem contra alios arguimus, unde efficaciter D. Thomas 1. p. qu. *46.* artic. *3.* ex hoc triplici sensu, triplicem errorem confutat, nec immorandum, cum res pateat ad sensum.

ARTICULUS IV.

Specialis difficultas evolvitur.

ARgum. *4.* vel isti plures sensus continentur sub eadem littera disjunctivè, vel copulativè, neutrum dici potest; ergo nullo modo; P. min. si disjunctivè, jam ex illo loco non potest argui, aut concludi aliquid determinatum, ut patet, quia disjunctio excludit, non includit determinationem; si copulativè, ergo jam æquivocè concluditur, nec aliqua una veritas determinata locum habebit in conclusione.

Confirm. primò. D. Thom. hic articulo 10. citato, ad primum, tenet quod quando una vox immediatè multa significat, datur æquivocatio, ideoque salvat, eam non causaria a sensu litterali, & spirituali, quia una vox non multa significat, sed vox significat rem, & res aliquid aliud, sed ubi admittantur simul plures sensus litterales, in eodem loco, eadem vox immediatè plura significat; ergo est inevitabilis æquivocatio, quæ tamen in Scriptura admitti non debet, cum sit deceptiva, & causa erroris, quod omninò disconvenit regulæ veritatis, & fidei.

Confirm. 2. non solum æquivocatio esset in Sacra Scriptura, sed etiam amphibologia, vix enim hæ differunt, illa in hoc stat, quòd una dictio plura, & diversa significet; & hæc ex eo oritur, quod una oratio eadem plura significet, ut D. Thomas opuscul. *39.* cap. *4.* sed amphibologia, quæ causa est deceptionis, omninò amandari debet a regula veritatis, certissimaque supra omnem humanam, & demonstrativam Doctrinam, scilicet divina locutione, ergo & pluralitas litteralium sensuum in eodem loco.

Confirm. 3. ideò secundum Divum Thomam, quolib. *7.* art. 14. ad 4. ex spirituali sensu, utcumque nequit efficax argumentum deduci, quia iste mediis rebus significatur, eadem verò res pluribus potest esse similis, ob diversas proprietates, unde non potest deduci determinatè, quòd ad hanc veritatem specialiter significandam talis res sic assumpta, estque periculum fallaciæ consequentis, arguendo a termino consequenti, ad terminum antecedentem, quę argumentatio, nisi termini sint alias convertibiles est vitiosa; atqui posita sensuum litteralium pluralitate in uno loco ipse erit amplioris, & indeterminatę significationis, quam quęlibet veritas ex eo deducta; ergo malè concludet.

Hoc argumentum, quod difficultate non caret, adeò plures torsit, ut in diversa abirent, & inconcussam communemque Patrum Sententiam, quam tuemur omnes Catholici, non ea, qua par erat virilitate propugnarint; apparet enim implicantia quędam; Quia ex una parte & ratio, & praxis docet sæpè pluralitatem litteralium sensuum in uno, eodemque Scripturæ loco adunari, & ex eorum quolibet firmum, & efficax pro catholica veritate argumentum exurgere, ex alia æquivocationem immisceri, vel etiam amphibologiam, videtur innegabile, ideoque ratione, ac stabilibus arguendi regulis convinci, argumentum efficax non posse ex illa pluralitate prodire. Fit ergo, quod probatur, impossibile. Hinc tot responsa, quod Doctores, utinam, & tot solutiones. N. P. Anton. loco citato, à num. 86. refert copiosè; & validè videtur impugnare plurium responsiones, ipse nu. 90. paragr. 6. suam, quæ Bannez Valentiæ, Ruę. & Scalanti arridet, accuratè tradit, & diffusè, concedens ęquivocationem esse in illis locis, ubi pluralitatem sensuum invenimus, sed fortè suadente conscientia ęquivocationem hanc adeò paulatim minuit, quoad substantiam, ut dubitari jure possit quid concedat denique, cum æquivocationem admittit. Conatur quidem ostendere hanc concessionem non esse contrariam Doctrinæ D. Thomæ, quam altè repetit hinc inde, sed quod verè sit juxta illam non videtur concludere, immò nec concludi potest. Quid ergo? doctissimum virum, ac eruditione utraque præclarissimum veneramur, sed imperat fidelitas illa, quam veritati, & Angelico ejusdem dispensatori, plusquam nostris, ac nobis debemus, ne id admittamus, quod videtur inferre crimen gloriæ nostræ, vel quid minimum adhuc quoad apparentiam ab Angelica sententia deflectendo. Sed nec argumentum ad eas nos ducit angustias, ut id concedamus, quod aliquando cum D. Thoma negavimus. Breviter igitur quantum patitur difficultas, omissis aliorum responsis, quæ suæ relinquimus veritati, quam habent aliquo modo, vel habere desiderant.

Resp. primò ad maj. eligimus secundam partem, nempè plures sensus copulativè contineri in eodem loco; ad probationem in contrarium negamus, dari æquivocationem ob plures rationes, prima, nam ex Philosopho, æquivoca sunt, quorum nomen est commune, ratio verò importata per nomen est omninò diversa. Nota ly omninò diversa, quod non salvatur, nisi sint opposita, quæ enim non opponuntur, aliquo modo conveniunt, unde non sunt omninò diversa, debent igitur taliter esse diversa, ut vel privativè, vel contradictoriè implicitè se excludant; quia si contrariè tantum opponerentur, convenirent in genere; & in subjecto, ut ex definitione, unde non essent omninò diversa, & insuper debent in eo ipso, in quo differunt, cogi in idem nomen, sicut canis æquivocè dicitur, de cœlesti, terrestri, & marino, qui in eo quod canes sunt, scilicet per suam differentiam, sic veniunt sub idem nomen, porrò plures sensus litterales in eodem loco, non opponuntur, nec eorum significata, si sunt diversa, implicant in eodem subjecto. Exemplum supra expensum de generatio-

ne Christi, rem declarabit. Generationem ejus quis ennarrabit, inq. Propheta ly generationem quadruplicem sensum habet. Ly canis triplicem canem significat, quærimus; potest ne dari subjectum a parte rei, in quo reperiatur ratio canis cœlestis, terrestris, & marini? est chimæra impossibilis, propterea si uniantur in nomine, faciunt æquivocationem, quia etiam in illo servant inunibilem objectivè diversitatem; pergimus; potest ne dari subjectum, cui quadruplex illa generatio dicta a Propheta reperiatur unita? immò datur, & sine tali unione, divina mysteria, & Scripturæ veritas non subsisteret. Verificatur de ly ejus, scilicet Christi, generatio æterna, quia est Filius Dei, & sine ista non verificaretur alia, qua Deus homo natus est ex Virgine, & sine ista, non esset Redemptor, quia nec solus homo satisfactionem redderet, nec solus Deus mortem sustineret, ideò nec esset caput hominum, secundus Adam de cęlo cęlestis, qui filios sibi adoptare posset per gratiam, quæ est 3. generatio, ita & de 4. cum proportione dicendum; uniantur ergo hæc in uno eodemque subjecto, dicuntur diversi sensus, quia quilibet ex illis verus, potest seorsim etiam intelligi, sine exclusione tamen alterius, sed cum præcisione, sed non oppositi sunt, nec omninò diversi, quia in eodem subjecto conveniunt, & invicem eliciuntur. Ubi ergo est, vel æquivocatio, vel similitudo æquivocationis? dicimus igitur, quod quia semper qualibet pluralitas sensuum litteralium in Scriptura, ità importatur, ut significata per dictiones, in quibus continentur illi sensus, uniantur, vel in eodem subjecto, cui attribuuntur, ut in prædicto loco, in eodem agente, actione, aut modo actionis; ut in primo illo Gen. In principio creavit Deus cęlum & terram, vel in eodem fine, vel veritate, ideò implicat, quod detur in ipsis æquivocatio. Causalis sic universaliter probata constat, nam tota Sacra Scriptura, est ennunciativa, vel in se, in omni loco continet ennunciationem, ideò subjectum, & prædicatum, & utriusque unionem, ex quibus dignoscitur sensus quem loquens intendit; ubi igitur sunt plures litterales sensus, uniuntur, vel in subjecto, vel in prædicato, vel in ipso verbo, vel in modo aliquorum ex istis, aliter propositio esset falsa, quòd est impossibile.

2. Negamus dari æquivocationem in locis, de quibus nunc, quia ut multoties diximus ex D. Thoma, sensus, qui in uno loco obscurus est, & latens; in alio explicatur, quantum sufficit; vel igitur omnes illos sensus, qui litteraliter in uno Scripturæ loco inveniuntur, satis constat esse veros, nec repugnantes invicem, aut ipsi textui, aut loquenti, & tunc evidenter tollitur æquivocatio, cum non sit diversitas ad eam requisita, nec locus errori, qui ad ipsam sequitur; vel aliquis verus, & aliquis falsus, aut repugnans, & iste jam non est sensus Sacræ Scripturæ, de quo nunc, vel aliquis verus apertè, alius latens, & nimis obscurus; & iste explicabitur certè in alio loco Scripturę, vel etiam si non sit explicatus, non erit ęquivocatio, quia hęc plura significat ęqualiter, & sine dubio; pergimus igitur omninò extrà chorum, si ęquivocationem aliquam in Scriptura imaginamur.

Adde, quòd ut etiam ex Cajetano, alias notavimus, aliquis locus Scripturę potest sumi, vel pręcisè secundum se, vel ut stat sub coordinatione divinę, & unius locutionis, & veritatis, si hoc secundo modo, quilibet locus sumatur, pluralitas sensuum fundatur in respectu ad totum, sive in diversis respectibus unius loci ad totam divinam locutionem, in quo sensu, ita potest unus locus habere plures sensus, sicut tota divina locutio, & sicut non propterea tota simul Scriptura est ęquivoca, quia cum una sit, habet plures sensus, ita nec unus locus.

Adde 2. locutionem divinam, quantum ad ea, in quibus superat modum loquendi humanum, potius comparandam, & commensurandam esse cum divino intellectu, quam cum nostro dicendi modo, sicut ergo nemo audebit dicere divinam intellectionem, quę est perfectissimè una, in unica sui ratione, sub qua procedit, omnium intelligibilium concludens diversitatem, in suo ordine aut confusam, aut æquivocam esse, ita nequit hoc dicere de locutione divina, quæ divini intellectus quædam specialis imago est, quamvis ea verba in se quandoque contineat, quæ in humano sermone aliqua imperfectione laborarent; hæc siquidem a Deo, assumpta, & applicata, ac elevata ad divinos conceptus explicandos, aliam sortiuntur mensuram, quæ infallibilis una & suprema est, in qua omnia uniuntur, quæ additio profundam habet radicem in ratione Divi Thomæ, quam supra in probatione conclusionis expendimus, & optima est, ac consequenter excludens æquivocationem a Scriptura, quam nunquam in illa D. Thomas admisit.

Ad confirmationem primam dist. maj. D. Thomas, tenet, quod quando una vox immediatè multa significat, datur æquivocatio, semper, neg. maj., quando hoc, aliaque requisita ad eam concurrunt, conc. maj., & in hoc est hallucinatio, nam verum est quòd ubi datur æquivocatio, datur etiam vox, quæ immediatè multa significat, non tamen è converso, sicut omnis homo est animal, non verò omne animal est homo; quia plura significare est ratio superior ad æquivocationem, sicut animal ad hominem proportione servata, & ideò æquivocationem negat in loco continente sensum litteralem; & spiritualem, ex defectu rationis genericæ, quæ consistit in hoc, quod vox una plura significet. In hoc ergo sensu conc. min. negando absolutè consequentia.

2. Confirmatio eandem continet cum argumento difficultatem; eandemque obtinet solutionem, nec est immorandum.

Ad 3. confirmationem, conc. maj. in sensu, quem suo loco explicabimus, neg. min. quoad ly indeterminatè, quia est valdè lata diversitas, inter locum habentem spiritualem sensum, ex una parte, & eum qui habet plures sensus litterales simul, ex alia, quia sensus spiritualis significatur per rem, cujus significatio occulta est, cum superet nostrum modum ordinarium significandi, litteralis verò per voces, quæ ex se sunt significativæ, & stant loco rerum,

rerum, quas immediatè significant, ut inqu. Philosophus; unde quod significant, determinatè significant, si sunt institutæ ad determinatè significandum.

Sed dices, in hoc est difficultas, quia cum vox plura significat, non potest dici instituta adhoc ut determinatè significet, ergo.

Resp. dist. ant. cum vox plura significat, omninò diversa, & incompossibilia uni subjecto, conc. ant. si illa plura in aliquo uniantur, & eidem subjecto conveniant, neg. ant. patet respon. ex supra dictis ad excludendam æquivocationem, & benè notandum est, quod quamvis voces debeant servare in propositione significationem, quam habent ante ipsam, ea tamen in propositione restringitur, & ampliatur, variatque suppositionem juxta exigentiam signorum, vel conjunctionis cum aliis vocibus in eadem propositione, cæterasque locutionis circumstantias, & finem, sicut explicant logici in suis institutionibus, & propterea non est quæstio, an eadem vox plures sensus sine æquivocatione significet, sed an idem locus Sacræ Scripturæ habeat, quandoque plures sensus, absque æquivocatione. Locus enim non sumitur pro voce, sed potius pro propositione, vel oratione perfecta, vel aliquo textu completo, etiam per plures propositiones. Considerata igitur in propositione vox, quæ prius plura significabat, debet accipi secundum quòd exigit ipsa propositio, cui inservit, & propositio, secundum quòd exigit contextus, & contextus, secundum quod postulat veritas, & finis dicentis, & hoc modo clarè constabit an illa vox eandem pluralitatem significet in oratione, quam seorsim habebat, & planè tolletur omnis æquivocatio vel amphibologia.

Et hæc est Doctrina Augustini, *lib. 1. de Genesi, ad litteram, cap. ultimo* ubi inqu. *cum divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimum eligamus, quod certum apparuerit, eum sensisse, quem legimus; si autem hoc latet, id certè quòd circumstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat; si autem, & circumstantia Scripturæ pertractari, ac discuti non potest, saltem id solum, quod Fides sana præscribit; aliud est enim, quid potissimum Scriptor senserit, non agnoscere, aliud autem a regula pietatis aberrare &c.*

Respon. 2. brevissimè tamen ad totum argumentum, quòd etsi ex sensuum pluralitate, in uno loco perperam colligatur æquivocatio, vel amphibologia, concedi tamen potest analogiam in tali loco quandoque reperiri, analoga enim sunt, quorum nomen est commune, ratio verò importata per nomen, est partim eadem, & partim diversa, neque est inconveniens, quod prædicti sensus aliqua analogia analogentur sub eadem significatione, hæc enim non tollit sufficientem ab analogis unitatem, secundum quam possint esse medium in demonstratione, si sit analogia proportionalitatis propriæ, de qua Nostri Complutenses in Logica, ideò adhuc efficax argumentum sumi poterit ex singulis illis litteralibus sensibus, in uno loco

A contentis; & hoc modo magis videntur conciliari varia Doctorum responsa, nec reddi inutilis labor Eruditissimi P. Antonii loco citato, ubi ea doctrina possit (negata semper æquivocatione propriè dicta) ad analogiam in præsenti explicandam accomodari, per quod patet etiam proportione servata ad confirmationes.

ARTICULUS V.

An in Sacra Scriptura habeatur sensus spiritualis, sine litterali.

Ex connexione doctrinæ quæres, an sicut dantur Scripturæ loca, quæ plures litterales sensus habent, ita detur aliquis locus, in quo spi-
B ritualis, sine litterali inveniatur.

Jam supra impugnavimus suo loco hæreticos asserentes solum spiritualem sensum admitti in Scriptura, at quia aliqui etiam Catholici, non quidem ita universaliter, nec omnino tollendo litteralem sensum, sed asserunt in aliquibus locis dari sensum spiritualem sine litterali, oportet eorum placitum examinare.

Lyranus in prolog. 3. suæ Postillæ inquit in tropicis locutionibus propriè loquendo, sensum litteralem non inveniri, sed tantummodo spiritualem, cujus opinionis fons videtur fuisse Origenes hom. 2. in Genes. faventque alii huic placito; sicut jam supra vidimus. At quia illic, & etiam infrà, hunc dicendi modum ammandavimus, & efficaci ratione
C ostendimus, sensum litteralem dividi in proprium, & metaphoricum, quod stare non potest cum opinione Lyrani, supponi debet satis exclusa, ibi autem tantummodò excitatur, ut solvantur ejus motiva, quod loco prædicto non vacabat.

Argum. primo: PP. communiter asserunt recurrendum esse ad mysterium, ubi littera deficit, ergo sentiunt in aliquibus locis litteram deficere, ac solum spiritualem sensum esse proprium talis loci.

Confirm. ex D. Hieronymo, qui ep. 2. ad Nepotianum dicit, historiam Abisag. 3. Regum, cap. 1. solum posse intelligi in sensu spirituali, & hoc ipsum dicit de secunda circumcisione, Josue cap. 5. Lib. 1. adversus Jovinianum.

Respon. sensum Patrum esse, non quod littera
D positivè deficiat, vel careat omni sensu, sed quòd aliquando obscura, si non penetratur in ordine litterali transeamus ad mysterium, vel quòd aliquando non ponitur sensus ejus litteralis, nisi ad hoc, ut insinuet sensum spiritualem, tunc dicitur deficere, quia non est intenta, ut finis, in quo sistamus, sed ut medium ad sensum spiritualem, ad quem nos ducit; & sanè si rectè sensit, hoc asserere debet ipse Lyranus, cum sit inintelligibile dari sensum spiritualem in Scriptura, nisi res, quę ipsum significat, prius per voces, & litteras habentes sensum propriæ lineæ innotescat. Et eodem modo ad confirmationem respondetur.

Sed dices, sentit revera S. Doctor, litteram positivè, & absolutè deficere, inquit enim de historia Abisag. *Nonne sibi videtur, si occidentem se-*

quæris litteram, vel figmentum esse de Mimo, vel vitilitigatum ludicrum.

Et de secunda Circumcisione, ait: *si juxtà litteram accipimus, penitus stare non possunt, si enim duplex haberemus præputium, vel excisa pellicula, iterum nasceretur, rectè secunda circumcisio haberet locum.*

Respon. sentit litteram positivè deficere, sistentibus in ea, conc. ant. eam accipientibus, ut ordinatam ad sensum spiritualem, neg. ant. unde idem S. D. *præfatione in librum primum Isaiæ. Post historiæ veritatem, spiritualiter accipienda sunt omnia*, & ad illud, *cap. 13. ejusdem lib. 5., & erit Babylon. &c. Nolumus*, inquit, *intelligere, quod fuit, & quærimus audire, quod non fuit, & hæc dicimus non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quod spiritualis interpretatio debeat sequi ordinem historiæ*, & idem sæpissimè repetit.

Quod si adhuc insistas, dari in littera, quandoque positivum defectum, eo quod videtur narratio rei impossibilis, ut illa de secunda Circumcisione.

Respon. D. August. *in quæstionibus veteris Testamenti, qu. 6. non fuit dicta secunda circumcisio respectu ejusdem personæ, sed respectu ejusdem populi, a quo per 40. annos fuerat intermissa*, & ita exponit etiam Abul. ibi qu. 43.

Sed & pro allatis textibus, & pro aliis etiam, qui obiici possunt, ut videbimus in regulis. Resp. N. P. Anton. quod si aliquod inconveniens apparet in illis, secundum propriam litteralem significationem intellectis, debent intelligi metaphoricè, & hoc modo habebunt sensum verè litteralem, immediatè significantem res, aut actus, quibus significatur aliquid aliud, quod facit sensum spiritualem fundatum in litterali.

2. Argum. propriè loquendo sensus litteralis est ille, qui immediatè significatur per voces, sed id quod significatur per voces immediatè, in Scriptura, aliquando est falsum, ergo nec est sensus Scripturæ; Minor constat in omni metaphorica locutione, sicut *Matth. 18. si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum &c.* ubi nec manus abscindi præcipitur, nec hoc intenditur a Spiritu Sancto, ergo: similiter in apologis, quis dicat sensum litteralem esse Spiritus Sancti? sicut Judic. 9. Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem.

Respond. dist. maj. per voces, ut ponuntur, conc. maj. per voces, ut sunt primariò institutæ præcisè, neg. maj., dist. min. eodem proportionali modo, & neg. consequ. Voces ex usu communi sunt institutæ per se primò ad significandum propriè, sed ipse usus communis ita facilè eas applicat, ut significent metaphoricè, quod ipse usus metaphoræ dici possit, usus communis secundarius, sicut ergo cum vox propriè sumitur, significat immediatè, id pro quo significando primò instituta est, ita cum metaphoricè ponitur, significat immediatè id, ad quod significandum transfertur, ut alias intimius declaratum est, & hoc modo patet, quod locutio metaphorica, sicut illæ (de quibus in argumento) verum dicit; quod si dictum metaphoricè intelligatur, seu confundatur,

A cum propria, omnia falsa erunt; sed falsitas est perperam intelligentis, non dicentis, per quod patet ad ea, quæ opponuntur.

Quid autem in illo loco significetur nomine manus, aut pedis tritum est, nempe conjunctos, & amicos, ut explicant Sancti Patres, & præcipuè Gregor. *ut si eos adversarios in via Dei patimur videndo, & effugiendo nesciamus*. Quod si pro pede, & manu materialem pedem, & manum intelligimus, inidebit Bernard. serm. 2. de S. Michaele.

Ad locum Judicum, per ligna intelliguntur homines, qui sunt arbores inversæ, ut explicat Augustin. lib. contra Mendac. cap. 12., & 13. Oliva, Ficus, & vitis, idoneos ad regnum, ramnus verò tyrannos, & inhabiles significant.

Alia etiam similia opponit, quæ multoties so-
B luta sunt, vel in prædictis eorum solutio satis continetur.

ARTICULUS VI.

An in eodem loco, sub eadem littera reperiatur sensus litteralis proprius, & sensus litteralis metaphoricus.

Dicendum est, non implicare, immò de facto quandoque ita esse; sic docet praxis Expositorum, qui utrumque sensum in eodem loco reperiunt, ut advertit N. P. Anton., & nos ubi supra, carpentes ex veteri Testamento, quæ littera-
C liter dicta de Christo, in ipso fuerunt, practicè ostendimus. Ita statuit etiam Cornel. Alap. proœm. in Prophetas majores, canc. 5., & supponit Jansenius in concord. Evangel. multis in locis, & N. P. Philippus à Sanctiss. Trinitate, p. p. dis. 2. dub. 5. aliique permulti.

Prob. primò, nam eadem ratio, quæ suadet posse reperiri plures litterales sensus absolutè in eodem loco Scripturæ, eodem modo concludit de sensibus propriis in locutione propria, ac de sensu proprio, & metaphorico, immò magis de his, quam de illis, ergo si plures proprii in propria locutione, multò magis etiam proprius, & metaphoricus, in impropria admitti debent, ubi locus ipse id patitur. Prob. ant. procedit enim talis ratio ex summa perfectione, & universalitate divini intellectus,
D quæ aliquo modo debet relucere, in Sacra Scriptura, sed ex eo quod in aliquo loco utatur locutione metaphorica, non desinit, aut variatur talis perfectio, & universalitas, vel in se, vel in suo expressivo, ergo; Tum etiam quia locutio metaphorica, ex natura sua, est capax immò requirit, & importat sensum proprium, ad quem ex natura sua primitus, ut propria fuit instituta, & sensum improprium, ad quem significandum transfertur, non enim potest concipi, quod leo significet Christum, nisi quia ex sua institutione significat leonem fortem, ac generosum animal, ergo ad hoc ut in Scriptura locutio metaphorica habeat sensum proprium, & improprium, non requiritur, nisi quod intendatur a Spiritu Sancto, ergo majorem habet dispositionem, ut habeat sensum utrumque, quam

locutio propria plures proprios; hæc enim ex se ad plures se habere non sortitur ex suo genere.

Confirm. primò nam locutio metaphorica ex se quasi signatè, est locutio dupplex, quia quidquid metaphoricè sumitur, debet etiam conservare, quamvis non semper exercitè, suam propriam significationem, ergo quòd unus similis locus habeat utrumque sensum, quando contextus, vel regulæ a SS. PP. assignatæ id concedunt, nullo modo potest negari, sed potius omni ratione convincitur.

2. Prob., aliquos textus specialiter adducendo, quibus, etiamsi impropriè sumantur, non inconvenit, immò debet concedi, etiam sensus litteralis proprius. *Prov.* 11. habetur; *statera dolosa, abominatio est apud Deum*, qui locus litteraliter propriè accipitur, ut sensus proprius Spiritus Sancti; sicut etiam alibi insinuatur, statera, & statera, pondus, & pondus, utrumque &c., & Jansenius, aliique similiter ita intelligunt, & tamen si accipiatur metaphoricè de Judice iniquo, ut plures intelligunt, convenienter accipitur, in linea litterali sistendo; nam ut bene advertit N. P. Anton., locus hic non habet sensum spiritualem, quia non ponitur res aliqua, seù peculiaris statera, quæ fuerit facta ad significandum. Et cap. ultim. prov. idem Jansenius, litteraliter propriè exponit de Matrona prudenti, alii verò litteraliter metaphoricè de felicitate viri, qui sapientię despondit, quod fundamentum habet in libro sapientiæ ferè per totum, sed peculiariter a cap. 6.

3. Prob. ex August. 12. Confess. cap. 31. tota perfectio, quam habet, & habere potest humana Scriptura concedi debet divinæ, quæ totius divinę, humanæquè sapientiæ etiam practicum continet magisterium, sed habere in aliquo loco adhuc metaphorico, sensum proprium præter metaphoricum, est perfectio desiderabilis, etiam in humana Scriptura &c. Min. probari potest eruditis exemplis adductis a P. Antonio hoc loco, sed melius ex Augustino, loco citato, *Ego certè*, inquit, *quod intrepidus, de corde meo pronuncio; si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque, de his rebus capere posset, mea verba resonarent*, ergo.

Sed obiicies ex eodem August. lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 10. Verba Sacræ Scripturæ semper debent intelligi in sensu proprio; nisi sequatur absurdum, quo cogamur recurrere ad metaphoricum, ergo sensus intentus est proprius, non verò simul proprius, & metaphoricus.

Respon. dist., & explicando mentem Sancti Doctoris, qui non negat utrumque sensum in eodem loco posse reperiri, si enim utrumque invenimus, nulla ratio est alterum excludendi, sed innuit, non esse relinquendum leviter sensum proprium, metaphoricum dumtaxat adstruendo; clarum enim est, quod ubi utrumque invenimus, proprium non relinquimus, quod solum reprobat Augustin. ubi fit sine necessitate, sic enim daretur licentia quædam, invertendi Sacram Scripturam, ut faciunt Gnostici, Valentiniani, Marcionistæ, aliique hæretici, qui ut effugiant veritatem proprii sensus, tamquam

A metaphoricum accipiendum esse insistunt. Unde Munzerus *Joan.* 3. ubi dicitur, *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, negans verum baptismum aquæ naturalis, id intelligit de aqua tribulationis, dicente Psalmista; Intraverunt aquæ usque ad animam meam, qui locus planè metaphoricè exponitur de tribulatione, deficit autem in primo loco, quia uterque sensus, in eo admitti debet, ipseque litterali proprio relicto, recurrit ad metaphoricum, aliumque perperam negat.

2. Obiic. si admittimus in eodem loco sensum proprium, & metaphoricum, jam confundimus sensum litteralem metaphoricum, cum spirituali, ergo. Prob. ant. & spiritualis, & metaphoricus supponunt litteralem proprium, in quo fundantur, & nullus esset sensus litteralis proprius, qui non B posset dici litteralis metaphoricus, sumendo verba secundum aliquam figuram, vel tropum.

Resp. neg. ant. ad primam probationem, dist. ant. supponunt eodem modo neg. ant. modo valde diverso con. ant. sensus enim litteralis metaphoricus supponit verba illa, alias, & quasi signatè habere propriam significationem, quæ hic, & nunc exercitè transfertur, unde licet talia verba in aliquo loco propriam retineant significationem exercitè simul cum metaphorica, hoc non exigitur a sensu metaphorico. Sensus verò spiritualis, in litterali quidem fundatur, at non immediatè, sed prout litteralis res adducit, in quibus semper sine aliqua varietate fundatur; denique ille per voces, hic per res significatur, & verba fundant illum proximè, ut quod, C hunc autem ut quò, & remotè, uno verbo sensus metaphoricus fundatur in littera, spiritualis in sensu litterali, ut medio ad res significandas.

Ad 2. probationem neg. ant. ubi enim fundamentum non datur, utrumque sensum asserendi in eodem loco, perperam asseritur, ubi verò illud habemus, suadet Augustinus loco supracitato admitti debere, & lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 27. dicit, omnis sensus ædificativus charitatis, & non contrarius contextui fuit prævisus a Spiritu Sancto, quod etiam alibi docet, & nos fusius in regulis hanc rem pertractabimus.

ARTICULUS VII.

Quinam sit litteralis sensus in visionibus D *Prophetarum.*

MAjor est in resolvendo difficultas, in præsenti, quam in proponendo appareat; cum enim visio prophetica multiplex sit, nempe intellectualis, imaginaria, & sensibilis, & pluribus adhuc modis quælibet ex illis possit haberi, ut rudi saltem Minerva, in brevi tractatu de Prophetia superius distinximus, regulam generalem statuere doctrinaliter, vix videtur possibile, unde singulas visiones in particulari examinare oporteret, ut quid certum inde colligi posset, quod non est præsentis instituti, ac brevitatis, Noster tamen P. Ant. prælud. 3. dub. 13. a num. 100. conatur, aliquid generaliter statuere quod proponemus. Et iterum Galatea lib. 3. Institutionis Evang. cap. 3. opposita opinione pro-

procedens. At prius titulus explicatur.

Quærimus enim, an litteralis sensus verborum, quibus tales visiones narrantur, sint imagines illæ, quæ narrantur, ut tenet Galarza, an potius res illæ, ad quas significandas ordinantur tales visiones, ut tenet prædictus P. Antonius.

Fundamentum Galarzæ est, quia sensus litteralis historiæ est, id quod narratur, scilicet litteralis sensus, sicut principii Gen. In principio creavit Deus &c. est ipsa divina creatio illic expressa, quæ manifestari intenditur, ergo & sensus litteralis narratæ visionis est ipsa visio, ac imago visa, quæ manifestantur.

Sed probabilius cum secundò dicendum est, sensum litteralem hujusmodi narrationum, non esse descriptas imagines, sed id quod per illas repræsentatur; diximus probabilius, non quia conclusio quoad ea, ad quæ se extendit non sit certissima, cum sit Divi Thomæ, ut videbimus, sed quia alicui, vel aliquibus visionibus non æqualiter accommodari videtur, ac aliis. Referuntur pro hac conclusione D. Thom. locis infra citandis, Molina p. p. qu. 1. art. 10. disp. 2. Zumel ibi, qu. 2. Scalante lib. 1. dyp. cap. 25. L'Hajè prolegom. in Pentateuch. ar. 12. Rua contrOv. 9. dub. 4. Salmer. proleg. 19.

Explicatur conclusio. Propheta videns hujusmodi figuras, sicut Daniel cum vidit hircum caprarum, venientem ab occidente, ita vidit illam figuram, sicut qui legit scriptum hircum, non enim illa dictio, est hircus realis, sed nomen ejus, unde est quoddam signum, & figura ejus, si autem ly hircus in scripto staret metaphoricè, certum est, quod non deberet sumi pro hirco vero, sed pro eo quod per tale nomen metaphoricum, significaretur, scilicet pro aliquo Rege, ad quem significandum transfertur ab hirco vero, unde qui intelligeret illud nomen, pro hirco vero erraret. Sic ergo videns Propheta illam figuram, quæ est quædam objectiva locutio metaphorica, non debet accipere pro hirco vero, ne erret, sed pro illo, qui sic metaphoricè significatur; describens ergo quod vidit, dicit se vidisse metaphoram objectivam, unde duplex est sensus litteralis narrationis hujusmodi, alter proprius, quo significat, se verè (ly verè stat ex parte videntis) vidisse hanc figuram, alter verò metaphoricus, & hic est sensus metaphoræ visæ, quæ cum sit metaphora, certè non significat, ut talis nisi id, ad quod verba illa, vel figuræ, translata sunt. Ex quo apparet utramque opinionem posse conciliari. Galarza enim non irrationabiliter dicit, esse in narratione prophetica sensum litteralem proprium, sicut in alia historia, nec nos negamus, nec potest negare (quamvis videatur) P. Antonius. Hic verò dicit sensum illius figuræ, vel narrationis, ut refert figuram, esse id, ad quod significandum figura illa ostensa est, quod est verissimum, & valdè formaliter dictum, quia procedit secundum formalem significationem, quam habet metaphora ut talis, quod negare non potest Galarza, cùm sit omnium sententia, metaphoram non significare propriè, nec id, ad quod, ut nomen est instituta, sed id ad quod tale nomen trans-

A flatum est. Nunc itaque vere composita remanet veritas explicata, nec aliud intendit D. Thomas; ut legenti constabit, locis nunc adducendis, & hoc certum esse debet, quod historicè sumpta prophetica locutio narrativa visionis, significat propriè visionem, & figuram ut visam, quod realiter, & immediatè, & propriè verum est; hoc verò remanet probandum, quod ut prophetica illa narratio, sive illa visio, ac figura, quæ ipsam terminat, significat id, ad quod significandum ostensa est, & iste est ejus sensus litteralis.

Prob. ex D. Thoma in cap. 6. Isaiæ in principio. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c. ubi totum id, quòd in explicatione conclusionis dictum est edisserit. Item quodlib. 7. ar. 15. ad secundum, de visione Danielis, quæ ejus

B cap. 8. habetur, ait. *Hircus, vel alia hujusmodi per quæ aliæ personæ à Christo in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquæ, sed similitudines imaginariæ, ad hoc solum ostensæ, ut personæ illæ significarentur, unde illa significatio, quæ per illas similitudines personæ illæ, aut regna designantur, non pertinet nisi ad historicum sensum. Sed ad Christum designandum etiam illa, quæ in rei veritate contigerunt, ordinantur, sicut umbra ad veritatem, & ideò talis significatio, quæ per hujusmodi res Christus, aut ejus membra significantur, facit alium sensum præter historicum scilicet allegoricum, si alicubi verò inveniatur, quod Christus significetur per hujusmodi imaginarias similitudines; talis significatio non excedit sensum litteralem, sicut Christus significatur per lapidem,*

C *qui excisus est, de monte sine manibus, Danielis cap. 2. &c.* Hinc.

Prob. ratione: tales imagines non sunt res, ergo non significant spiritualem sensum: ant. est certum apud omnes, nec sunt multiplicanda entia sine necessitate, nec apparet ad quid creari deberent realiter illa visionum immediata objecta, cum imagines solæ sufficerent ad repræsentandum metaphoricè, quod intendit Spiritus Sanctus: Patet consequ. nam in hoc differt sensus spiritualis, à litterali, ut multoties dictum est. Confirmatur: eo ipso, quod visio illa, & ennarratio ejus sit Prophetica, jam tendit ad aliud, etiam litteraliter, ad diversitatem puræ historiæ, quæ sistit in re, quam refert, litteraliter sumpta; ergo figuræ illæ, earumque visio, & relatio, litteraliter aliud significant. Ad-

D de quod ipsæ figuræ, & signa ex natura sua sunt propter aliud immediatè, & sunt essentialiter quid transitivum, & ut quò, ergo earum expressio visa, & narrata, eadem ratione facit sensum interminatum, & incompletum, nisi jungatur cum suo figurato immediatò.

Sed obiicies primò: Abraham, cum jam immolaturus Isaac ab Angelo detentus stetit, & vidit arietem hærentem cornibus, habuit visionem Propheticam, & tamen aries ille fuit verus, ergo falsum est, quod in visione Prophetica interveniant solæ similitudines, & non res; Quod ille aries fuerit verus patet, nam de illo Abraham fecit verum sacrificium, & mactationem & combustionem; quod esse non posset, nisi esset aries verus, & est communis sententia, & fuit terminus

atta-

attractus realiter a divina providentia, de qua filio suo propheticè dixerat Abraham, *Deus providebit sibi victimam, fili mi, eodem cap. 22.* Quod illa fuerit visio Prophetica asserit Augustinus 16. *de civi. Dei, cap. 32.* ita & Ambros., & Cyrill. eodem loco, *pro Isaac aries idest pro deitate, immolata est humanitas Christi.* Expressius Ambros. *lib. 1. de Abraham Patriarcha, cap. 8.* ubi de hoc ariete: *Quis significatur nisi ille, de quo Scriptum est Psalm. 148: Exaltavit cornu Populi sui, cornu nostrum Christus est, elevatus, & exaltatus a terris. Hunc vidit Abraham in isto sacrificio, hujus passionem aspexit, & ideò ipse Dominus, ait de eo; Abraham voluit videre diem meum, vidit, & gavisus est; unde ait Scriptura, vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, ut dicant hodie, in monte Dominus apparuit, hoc est, quod apparuerit Abrahæ revelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit, demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit cornibus arietem; virgultum illud patibulum crucis est.* Ita Ambros. ita etiam Athanas. l. quæst. ad Antioch. qu. 48. Cum igitur tam apertè Patres, & visionem hanc Propheticam asserant de Christo, immò ipsum Evangelium hoc dicat, & aries fuerit realis, eodem modo significans Christum, ac si fuisset tantum figura, quia revera fuit figura Christi, quommodo stare potest, quod in visione Prophetica solum appareat figura, & non res, quommodo erit sensus litteralis id, quod visio, & narratio ejus significat, si alias, intervenit re ipsa, quæ simul res, & figura est instituta solum ad significandum, quod nos dicimus sensum spiritualem formare?

Respon. dis. ant: habuit visionem Propheticam similem aliis quoad modum conc. ant. similem aliis, quoad rem, neg. ant., & tamen aries ille fuit verus, conc. etiam hanc partem, & dis. cons. in omni visione utcumque Prophetica, conc. cons. in omni visione antonomasticè Prophetica, neg. consequ. Vel dicas visio, qua Abraham vidit arietem fuit actus naturalis visionis, terminatæ ad suum reale objectum, & facit sensum historicum; visio, qua in ariete vidit, sive prævidit Christum, fuit intellectualis, procedens a Prophetico lumine, & quia tam in sua visione, quam in ejus narratione, mediavit res, fundatur sensus spiritualis, ideoquè præcitati Patres interpretantur in sensu mystico, ut notat etiam Cornel. hoc loco. Sed D. Thom. ut patet, ex adductis ab ipso exemplis, loquitur, de visione purè, & antonomasticè Prophetica, in qua nihil immediatè habetur, quod pertineat ad ordinem rei, sed tantum ad ordinem signi, unde rationabiliter dicit, non esse in ea alium sensum, nisi litteralem, intellige vel positivè, vel negativè, positivè in respectu ad litteram, negativè respectu ad figuram, & signum; quod si littera non est, ipsi æquivalet, & non est res.

Addimus etiam, quod ut deducitur ex Ambrosio, tunc quidem in illo actu heroico, & ratione illius, dignatus est Deus, realiter ipsi Abrahæ revelare adventum suum, passionem, ac mortem, per lumen verum supernaturale, sed quod hoc immediatè noverit per visionem arietis, non habe-
A mus, sed tantum spiritualiter deducitur.

Obiicies secundò, vel Propheta videns illam similitudinem, aut figuram v. gr. leonem, putat se videre verum leonem, vel non, si primum, ita ipse decipitur, sicut nos decipimur, cum metaphoram sumimus propriè; si non putat, quommodo ergo dicit se vidisse quod revera non vidit, utrobique veritas patitur detrimentum, ut patet, quod integerimæ veritati Scripturæ non convenit, ergo neutrum possumus dicere; itaque recurrendum erit ad sensum spiritualem, ut in illo loquatur cum suam narrat visionem, & in narrando habet sensum litteralem directum.

Resp. quod putat se videre similitudinem, & propterea id innuunt Prophetæ ferè semper. Sicut, in visione 4. animalium Ezechielis apertè constat,
B in qua sæpè repetitur similitudo, visio, quasi &c. quæ indicant ipsum etiam reflexè novisse ea, quæ videbat, non esse res, sed signa, similitudines, & figuras. Et Joan. in Apocalyp. signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta sole &c. & multoties idem Joan. vocat visionem, mysteria, signa, ac si metaphoras quasdam, verum aliquid indicantes vidisset. Unde patet ad impugnationem hujus partis, quia non plus exprimit Propheta, quam quod videt. Quod si aliquando videatur loqui de similitudine, quasi de re, hoc est propter certitudinem Mysterii, quod per illam similitudinem videt, quæ est doctrina Patrum, qua sæpius utitur N. Incognitus in expositione Psalmorum. Nullum igitur veritas patitur detrimentum, nec est recur-
C rendum ad sensum spiritualem, qui non datur, ubi non datur vera res a Deo assumpta ad significandum.

Sed dices. Tales visiones, quæcumque illæ sint, debent fieri per species representativas objectorum realium, aliter nec fierent per figuras, aut similitudines; nam tam intellectus, quam sensus debent agere per species intimè unitas, tunc sic arguitur, tales species sunt ejusdem naturæ cum objectis, quæ representant, juxta doctrinam D. Thomæ, quam perpetuò defendunt Nostri PP. Complut. & Salmatic., ac tota florentissima Angelici schola; eadem enim est numero natura in specie impressa, expressa, & objecto, itaut semel servata specie alicujus objecti, in intellectu, & sensu, sive illud objectum realiter existat, sive non, eadem procedat
D cognitio, ergo quomodocumque fiat visio Prophetæ, si debet fieri per tales species, eodem modo se habet, sive res veræ, & reales ostendantur, & existant, sive non; atqui si visio procedat per res, sensus ejus litteralis erit ipsa res, non verò quod per res significari intenditur, ergo semper talem habet sensum litteralem, non verò eum, qui in conclusione asseritur.

Resp. quòd hujusmodi visiones fiunt per species representativas, sed impropriè, eo modo, quo locutiones metaphoricæ fiunt per vera nomina, sed ad aliud relata, atque translata, & adhoc datur lumen propheticum, ut per ipsum activè, & formaliter determinato intellectu, cognoscatur illas species, vel phantasmata esse representativa alterius terminativè, & quod V. Gra. lapis excisus de

monte,

monte, in sua specie datur videndus, ut quo, non ut quod, sivè transitivè, non terminativè, cognoscendo simul non esse rem, sed præcisam similitudinem rei; ad significandum aliud, quòd non est ipsa res, si enim speciei addatur talis modus repræsentandi, non sistit in re, in qua alias directè sistebat, unde non negamus, quod species sit ejusdem naturæ cum objecto, sed dicimus, quod talis identitas in nostro casu, reperitur tantum de materiali, & ad formandum signum, quocirca est diversitas inter speciem rei existentis, quæ manifestatur Prophetæ, & prædictam speciem significativam, de qua nunc dicimus, quia species rei, quæ verè existit, gerit proprium munus directum, & de ea intellectus format conceptum, qui per verba expressus, facit sensum litteralem, qui postea fundat spiritualem, & cum ipsa re ordinatur ad significandum aliquod mysterium, ideoque tunc ex re expressa oritur sensus spiritualis; Species autem rei similitudinariæ, est potius species similitudinis, quàm rei, remqu. ostendit, in se non esse, sed tantum repræsentari ad significandum, quod bene perpendenti in praxi, facilè constabit: per quod patet ad instantiam, quæ petebat hanc diversitatem assignari, dum eam negabat &c. simile quid etiam in speculo apparet, scilicet species speciei; sed de hoc alibi dictum est.

Obiicies tertio: diximus multoties ex Augustini, & Patrum communi sententia, quod totum vetus Testamentum est figura novi, ejusque umbra; ergo prophetia, ergo ejus sensus litteralis, est semper novum Testamentum, vel saltem aliquid, spectans ad ipsum, ant. est certum. Prob. consequ. nam sensus visionis propheticæ litteralis, est id quod significari per illam intendit Spiritus Sanctus, sed &c. ergo. Sed hoc dici non potest, aliter tolleretur sensus spiritualis.

Confirm. in ordine ad significandum, de materiali se habet, quod significatio fiat per rem, aut per ejus similitudinem objectivam, quod enim ponitur ad significandum, jam est in ordine signi, & solum in hoc ordine consideratur, sicut dicimus nos Thomistæ, per accidens esse, in ordine ad intelligendum, quod species repræsentativa, immò & ipsa natura repræsentata sit accidens, vel substantia, quia consideratur in solo ordine intelligibili, ratio verò substantiæ, & accidentis spectant ad ordinem entis.

Resp. conc. ant.; & neg. consequen. universaliter, quia plura quidem sunt litteraliter de novo Testamento, in veteri, ut alias ostendimus de Christo ad litteram, non verò omnia immediatè; quia certum est, quòd omnia quidem in figura contingebant illis, sed si contingebant, erant res figurantes, non nudæ quædam metaphoræ vel visiones, immò ipsæ visiones cum essent actus reales, erant res repræsentantes nostram fidem; ideò non tollitur sensus spiritualis.

Ad confirmat. dist. ant. de materiali se habet quoad se, vel quoad rem significatam, admittimus; quoad nos, neg. ant. quia cum rerum idioma sit valdè, obscurum, & latens, propriumque Dei solius, non est nobis æqualiter attingibile, ac modus

A significandi, per ordinaria signa, scilicet voces; adhoc tantum humanitus, & ex communi placito institutas, unde est diversitas inter ordinem intelligibilem, qui præscindit ab ordine rerum, & ordinem significativum, qui includit etiam res ipsas, ex supremi Domini placito, & intentione, ut infrà videbimus.

Obiic. 4. Ille est sensus litteralis alicujus Scripturæ, qui immediatè significatur per illam, sed id quòd intendit Spiritus Sanctus significare per visiones, & imagines, tam in se, quam in eorum narratione, non significatur immediatè, quin potius mediante figura, aut similitudine simpliciter. descripta, ergo non est sensus litteralis, aliter, si quia intenditur, dicitur, significari immediatè, idem erit verum etiam de sensu spirituali, qui cum
B datur, principaliter intenditur, ita ut etiam litteralis ordinetur ad eum.

Respond. dist. maj. qui immediatè formaliter, terminativè, & ut quod significatur, conc. maj. qui materialiter transitivè, & ut quo tantum significatur, neg. maj. & eodem modo dist. min., & negat. consequ. Patet responsio ex supra explicatis, in hac quæstione. Adde etiam, quod sicut effigies D. Petri depicta, non potest Petrum repræsentare, nisi per colores, quibus componitur, & tamen quia pictor non intendit significare colores, nec ipsam imaginem, sed per imaginem, Divum Petrum, ad quòd utitur illa imagine, & per illam Sanctum Petrum annunciat, & nihilominus id quod facit, est, effigies, ita proportione servata, etiam Propheta, vel me-
C lius Spiritus Sanctus, in ejus visione, vult quidem illas imagines videri, sed quia non habent in se rationem sufficientem, ut ibi sistat loquens, & intelligens (frustra enim Ezechiel vidisset figuram animalium; si ad nihilum illæ imagines visæ deservirent, nisi, ut sciretur visas fuisse, cum ex se sint de ordine signi) ideò earum sensus est id, ad quod terminantur; Adde etiam quod sicut intellectus quamvis ut intelligat debeat phantasmata speculari, & tamen objectum spirituale est immediatum ipsi; ita proportione servata &c.

CAPUT V.

D
De sensu spirituali Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit sensus spiritualis.

QUid sit sensus spiritualis Sacræ Scripturæ ex hactenus dictis satis superque constat, sed ut morem geramus, hoc ipsum distinctè pertractantibus, dicendum est, quod.

Sensus spiritualis Sacræ Scripturæ, est ille conceptus, quem ex intentione Spiritus Sancti. Res per verba significatæ significant. Hæc descriptio, ut patet ex supradictis optima est, nec brevius, nec verius explicari potest quidditas sensus spiritualis;

lis; per hoc quod dicitur conceptus significatus, ex intentione Spiritus Sancti, convenit cum litterali quocumque, per hoc verò, quod per res significetur propriam importat differentiam a litterali; immò per ly res per verba significatæ exprimitur, in litterali de necessitate fundari: nec est somniandum, eum dici spiritualem, eo quòd in materia tantum spirituali sistat; quia hoc etiam litterali potest competere, nec necessariò requiritur ad spiritualem; dicitur ergo talis, ut alias notavimus, quia ad modum spiritus latentis in corpore, continetur in littera, & etiam quia quando invenitur, videtur littera per ipsum animari, quæ si in se ipsa arctata manet, videtur quid mortuum, unde illud Apostoli, littera occidit, spiritus autem vivificat; vel melius dicitur spiritualis, quia talis sensus latebat regulariter in littera veteris Testamenti, quæ spiritum expectabat a Christo, cujus verba spiritus, & vita sunt, quique ad intelligentiam Scripturarum misit Spiritum Sanctum, ut doceret nos omnia, & hoc est, quod sæpè notat Angelicus, ut alias vidimus, dicens, veterem legem, præcepta quidem dedisse, sed non vitam, novam verò, simul secum afferre vitam, spiritum, vigorem, & gratiam; cum igitur sensum aliquem de veteri Testamento eruimus spectantem ad novum, scilicet Christum, vel ad Ecclesiam, eum dicimus spiritualem, vel denique, quia in hoc sensu dignoscitur modus loquendi proprius Dei per res, Deus autem spiritus est; & veri adoratores adorant eum in spiritu, & veritate, veritas siquidem maximè reperitur in locutione, per quam manifestatur, & unitur in sensu talis locutionis, spirituali, spiritus, & veritas. Per hæc autem ita explicatur quidditas spiritualis sensus, ut tamen non explicetur existentia, eam quippe semel probatam radicitus ab Angelico Doctore, p. p. qu. 1. art. 10. c. 2. Omnes supponimus, quia tamen non omnes eodem modo Angelici Doctrinam accipiunt, eam breviter explicamus, alibi circa eam fusius in hac tractatione disputaturi. Loco igitur citato, inquit Angelic. *Auctor Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quòd etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas.* Ad cujus explicationem notat Cajetan. eodem loco, & cum eo alii, quod cum accommodare res ad significandum, nihil aliud sit, quam facere eas non solum res esse, sed signa aliarum rerum, dupliciter intelligi potest res fieri signa. Uno modo in ipsa generatione rerum, ut scilicet simul fiant, ad hoc ut sint res, & signa aliarum rerum, alio modo adventitiè, ut res jam factæ accipiantur tamquam signa.

Si hæc accommodatio sumatur hoc modo secundo, non excedit hominis facultatem, quoniam res gestæ, & narratæ in aliis, possunt ab homine interpretari, ut signa aliarum, non solum per modum imitabilitatis, ut gesta fortia antiquorum imitanda sint a successoribus, sed per modum significationis, ut sic gesta illa, sint signa gerendorum.

Si autem sumatur primo modo adhuc potest dupliciter intelligi, scilicet universaliter, & particu-

A lariter; si particulariter, sic non excedit hominis potestatem; nam quilibet potest facere aliquos actus, vel aliquòd artificiale, & faciendo illa intendere, per illa significare aliam rem, ut patet. Sed quòd omnia, quæ narrantur gesta in tot historiis, ut res ad Doctrinam aliquam spectantes, ut sic, sint ex sui constitutione signa aliarum rerum, hoc excedit humanam facultatem &c., & subdit, *non enim ex adinventione nostra, petra, de qua fluxit Judæis aqua in deserto, facta est signum Christi, sed ad hoc ex illa petra fluxit aqua, ut in veritate esset fons aquæ, & esset signum Christi, qui fons est aquæ spiritualis, dicente Apostolo, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Ita Cajetanus.

B Quæ etsi sapienter dicta, non videntur tamen adæquare intentionem Angelicæ litteræ; quamvis enim de facto ita sit, quod homines non intendunt semper in agendo aliquid significare per res, vel per actiones, potuit tamen hoc esse; sicut enim dictiones ex natura sua non sunt signa, nisi ex humano placito, aliter essent signa naturalia, quod nemo dicit; sicut etiam Ægyptii per hieroglifica significabant sensus suos, & alii per gestus externos, ut etiam nunc cum iis, qui muti, & surdi nati sunt, non est dubitandum, quod homines possent, vel potuissent, ex communi consensu loqui per res, vel eas faciendo, vel per factas significando, hoc igitur humanam non excedit facultatem, quamvis non evenerit. At D. Thomas absolutè loquens, aliquid plus innuit, ut apparet.

C Adde quod tenetur Cajetanus sustinere omnia loca Sacræ Scripturæ, sensibus mystiris scatere, quod revera falsum est. Sed hæc ad aliqualem explicationem hic dicta sunt, plenior verò dabitur, cum ex professo quæremus, an habere sensum spiritualem, sit proprietas solius Sacræ Scripturæ.

Conclusio secunda. Hic jam ad divisionem mystici sensus tenemur, dividit eum D. Thomas loco citato in sensum allegoricum, moralem, & Anagogicum.

Rationem hujus divisionis assignat S. Doct. a priori sic, ex Apost. *ad Hebr.* 7. *lex vetus figura est novæ, ergo ea, quæ sunt res, vel facta veteris legis, significant ea, quæ sunt novi, & ex hoc habetur sensus allegoricus &c.*

D *Item ex Dionys. in Ecclesiast. hierarchia, ipsa nova lex est figura futuræ gloriæ, ergo res, & facta testamenti novi, significant aliquid æternæ gloriæ, & hic est sensus Anagogicus.*

In nova etiam lege, inqu. Angelic. *ea, quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, ergo ex his, quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, nostra operatio qualis esse debeat, præsignatur; & hic est sensus tropologicus, sive moralis.* Hic autem sensus, etsi specialiter describi videatur a Divo Thoma sistendo in novo Testamento, tamen etiam in veteri reperitur; idque innuit idem Angelicus per illam particulam, *vel in his, quæ Christum significant*, hæc enim ad vetus spectant, quod totum ad Christum respiciebat, ut sæpè vidimus &c.

Eandem habet divisionem idem S. Doct. 12. qu. 302. art. 2., & quodlibet. 7. art. 15., & Eucherius, lib. de spiritualibus formulis, omnesque Doctores universaliter consentiunt, qui altam etiam divisionem magis universalem, ex prædicta deducunt, hoc modo. Res quæ in Sacra Scriptura, per alias res, & facta significantur, vel pertinent ad Ecclesiam militantem, vel ad triumphantem; si ad primam, vel sunt credendæ, vel exequendæ: Si credendæ, erit sensus allegoricus, si agendæ erit tropologicus, vel moralis: Si spectant ad triumphantem, erit sensus anagogicus, quibus sensibus tres Theologicæ virtutes correspondent, & perficiuntur per illos. Fides per allegoricum, spes quę futuram gloriam respicit, per anagogicum, charitas, quæ operatur, & omnia ejus præceptum, in se præcepta concludit, in quo universa lex pendet, & Prophetæ, quæque probat perfectionem suam, per operis exhibitionem, per tropologicum, sive moralem. Posset etiam addito litterali sensu ad hunc triplicem, comparatio fieri ad quatuor virtutes cardinales, sed parvi refert, hic enim potius examinandum est, quid dicant DD. de hac divisione, & quam explicationem adducant, ut autem memoriæ retineantur, duobus carminibus tritis continentur.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Sed conqueritur (inquit Caramuel) P. Marcus Marinus Mersenus, quia allegoria, & anagogia dactylum, & spondæum, quod deberent, non exequant, ut ergo quiescat, alia carmina exequitur idem Caramuel. Logicæ mor. lib. 1. cap. 3. sect. 3.

Dicitur historicus, quem verba expressa resignant,
Est allegoricus, qui priscis ludit in umbris,
Moralis, per quem legum præcepta docemur,
Quid verò speres, anagogicus altius effert.

Ne verò P. Mersenn. grammaticæ obliviscatur, dum poeticæ nimis insistit, notat idem Caramuel, & admonet P. Mersennum, ut corrigat etiam suum carmen, quòd ad correctionem communis adagii composuit dicens.

Moralis, per quod vivendi forma docetur.

Admonet inquam de duplici solecismo, per quod, cum deberet dici, per quem, & de constructione verbi doceo, in qua exorbitat, vivendi enim normam docemur homines, illa autem non docetur. Sed hæc non intersunt, ad nostrum Institutum, nosq; ab omnibus, edoceri decet.

Non solum autem in uno, & eodem Sacræ Scripturæ loco, sed in eadem etiam dictione posse sensus omnes prædictos inveniri, dicunt plerique, & exemplificant, in uno Hierusalem nomine, quod historicè significat urbem illam notissimam, & mediante hac, significat allegoricè Ecclesiam, in qua uniti sunt fideles per communionem charitatis, & pacem, tropologicè animam devotam, in qua per observantiam præceptorum pax Dei invenitur, & anagogicè fœlicitatem æternam, quæ est essentialiter ipsa pacis visio, quæ est hujus nominis ethymologia, seù prima significatio.

Eucherius loco citato exemplificat in hac dictione, aqua, quę historicè elementarem aquam significat, quæ terram alluit, & interluit sicut in principio Geneseos, *congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida*. Tropologicè, significat tribulationem, *Psalm. 65. transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, & Isaia 43. cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te*. Item Sapientiam significat, *prov. 18. aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ*. Item hæreses *prov. 9. aquæ furtivæ dulciores sunt*. Item prosperitates mundi, *Joa. 4. omnis, qui biberit ex aqua hac sitiet iterum*. Allegoricè significat baptismum, *Ezech. 36. effundam super vos aquam mundam, & mundabimini &c., & Apocal. 17.* populos, *aquæ multæ, populi multi Isai. 32. Beati, qui seminatis super omnes aquas*. Item gratiam Spiritus Sancti, *Joan. 7. si quis sitit veniat, & bibat, & fluent de ventre ejus aquæ vivæ*.

Anagogicè, aqua exponitur de æterna beatitudine, *Hiere. c. 2. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*. Item de Angelis, *Psal. 18. aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*. Hæc Eucherius, quæ quidem pro exemplo deserviunt, sub quadam generalitate, & lato modo; Inde tamen non est deducendum, quod ubicumque in Scriptura reperitur hæc dictio aqua, omnes prædicti sensus reperiantur, hoc enim falsum est omninò, & propterea Eucherius secundum diversos sensus, diversa etiam posuit loca Scripturarum ad exemplum; Notandum etiam est, quoad prallegatam D. Eucherii expositionem, sive doctrinam, eo respexisse Sanctum Doctorem, ut intellegeremus per aquam plura significari in singulis mysticis sensibus, sed aliqua loca, quæ adduxit non habent sensum spiritualem, quin potius litteralem, vel proprium, vel metaphoricum, vel similitudinarium, sicut advertimus supra, agentes de divisione sensus litteralis, sed quoad rem ita non est, nisi ob quamdam similitudinem, quod maximè notandum est, quia si hæc non advertimus, omnia confunduntur, ob similitudinem, quam habet cum spirituali sensus litteralis, tropo, vel figura verborum ornatus; vel adaptatus ad finem proprium sensus spiritualis; rigorosè autem loquendo, sicut necesse est, ad evitandam confusionem, tunc solum locum habebit sensus spiritualis quicumque, quando in litterali ponitur factum, vel res aliqua expressa principaliter in littera, per modum rei, quam ibi probare possumus esse positam per modum rei significativæ in propria linea rei; si enim ponatur ibi medio nomine, quod constat ex contextu, vel alio modo esse translatum, sensus quem decerpimus, erit litteralis, non spiritualis. Et planè tota confusio inter sensum litteralem maximè metaphoricum, & spiritualem maximè tropologicum, qui a multis Expositoribus summopere confunduntur, & lectores suos æquè confundunt, oritur ex inadvertentia hujus principii. Quod ut evitetur, & simul prælibetur norma sensum spiritualem educendi, opere pretium est de hac re aliquid ulterius addere: quo circa.

Quæres, quinam fuerit Auctor sensus spiritualis, educendi ex Sacris litteris.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Auctore sensus spiritualis.

POrphirius Christiani nominis hostis, sensus spiritualis inventorem afficit Origenem, de quo, ut refert Eusebius ipse in lib. tertio adversus Christianos, inquit: *adhærent Christiani sermonibus Judaicarum Scripturarum, & ea quæ Moyses agresti, & simplici sermone conscripsit, divinitus sancita, & figuris, ænigmatibusque obtexta esse confirmant, atque ut ingentibus repleta mysteriis exponunt, cujus expositionis genus initium habuit a viro &c.* Origenes hic est.

Philo Judæus in libro de vita Theocitica, hanc inventionem tribuit Essæis, qui erant inter hebræos viri sanctitate, & religione præcipui, qui ab ex oriente diluculo, usque ad vesperam Sacras Scripturas legebant, & meditabantur earum allegorias. Alii aliis tribuunt, in hac re primatum. At nos Christiani rectius, ac verius Christum Dominum omnis veritatis Magistrum, & Auctorem, quo nemo melius novit, quid Spiritus Sanctus in eo quod dictavit, intendit, primum, & verum Principem hujus doctrinæ recognoscimus, qui inquit: *Ego principium, qui & loquor vobis*, & inveniens ipse in Scriptura sensum mysticum omnis generis, quomodò, & nos eum invenire possimus, ostendit, nedum per se ipsum, sed & per Apostolos, sicut per Doctorem gentium.

Allegoricam explanationem edocuit, cum loquens ad Judæos, de Joanne Baptista, ait *Math. cap. 17. Elias quidem venturus est, & restituet omnia, dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo, quæcumque voluerunt;* Quo modo significavit, Eliæ vitam in veteri Testamento fuisse typum vitæ Joannis, qui in exordio novi, venit in spiritu, & virtute Eliæ.

Apostol. etiam, *ad Galat. c. 4. scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, quæ sunt per allegoriam dicta.*

Tropologicum sensum invenire docuit, cum historiam pœnitentiæ Ninivitarum, *Math. 12.* & adventum Reginæ Sabæ ad Salomonem ad exprobrandos nequissimos Judæos, de eorum dura incredulitate adduxit, dicens: *Viri Ninivitæ surgent in Judicio, cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia in prædicatione Jonæ egerunt pænitentiam, & ecce plusquam Jonas hic, Regina Austri &c.* & denique frequenter usus hujus sensus in Christi prædicationibus invenitur. Sed & Allegorici, ut cum explicuit historiam Jonæ, de sua resurrectione, & alibi &c. & Paulus frequenter spiritualem sensum pertractat, ut de allegorico jam vidimus, & de tropologico patet peculiariter p. ad Chorin. 10., ubi historiam hebræorum, qui perierunt in deserto, ad mores accommodat. *Patres Nostri omnes mare transierunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, neque Idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis &c. neque tentemus Christum, sicut*
A *quidam earum tentaverunt, & à serpentibus perierunt. Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt &c.*

Anagogiam non ita frequenter habuit in terminis, in quibus nos eam sumimus in præsenti, quia altiori quadam methodo omnis ejus Doctrina litteraliter etiam, est quædam sublimis anagogia, quæ nos sursum ducit ad Deum, quòd advertens Petrus inquit: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes*, cumque totum vetus Testamentum figura sit novi, quòd est Evangelium regni, spiritus, gratiæ, & gloriæ, omnemque perfectionis Doctrinam beatitudinibus traditam concludens, sic ubique in veteri Testamento sua prædicatione aperuit, sensum reperiri anagogicum.

B Clarè Paulus Anagogicum aperit sensum, Heb. 11. cum repromissam Patribus terram Palæstinorum, dicit cœlestem Hierusalem, explicatque terram illam, tam vehementer a Patribus exoptatam, diutinisque adeò peregrinationibus exquisitam, non esse præsentem visibilem, & terrenam Chananæorum regionem, sed futuram cœlestem invisibilem patriam, meliora habentem fundamenta, & multorum millium Angelorum frequentiam.

ARTICULUS III.

Explicatur divisio sensus spiritualis.

AD majorem autem hujus divisionis, quam
C nunc tractamus, membrorumque ejus intelligentiam, ne aliquando in lectione Patrum aliqua obviet æquivocatio, notandum est.

Primò Patres aliquo modo diversificari, quoad hanc divisionem, de divisione Augustini non est dubium, quia eam explicat Angelicus loco citato, & nos supra aliquid innuimus, revera enim quoad substantiam admittit, quam communiter alii. Hieronymus aliquanto diversius eam sumit, *Epist. ad Edibiam qu. 12. Triplex*, inquit, *in corde nostro descriptio, & regula Scripturarum est. Prima ut intelligamus eas juxtà historiam, secundo juxtà Tropologiam, tertio juxtà intelligentiam spiritualem; in historia, eorum, quæ scripta sunt ordo servatur. In tropologia, de littera ad majora consurgimus, & quidquid in priori populo carnaliter factum est, juxtà*
D *moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumenta convertimus. In spiritali ad sublimiora transimus, terrena dimmittimus de futurorum beatitudine, & cælestibus disputamus, ut præsentis vitæ meditatio umbra futuræ sit beatitudinis*, hæc Hieronymo. Ubi ut patet, allegoricum in terminis non meminit, & tropologicum quasi a spirituali secernit. Attamen sic sublimiter processit Hieronym. quandoquidem tropologicus sensus sive moralis, etsi quoad rigorem præsentis instituti, sumatur tantum pro sensu mystico, tamen in vulgari acceptione latius patet, & complectitur aliquando metaphoricum, qui per locutionem tropicam significatur, qui est litteralis, & stat generaliter pro omni sensu Scripturæ, per quem moraliter exhortamur. Allegorici autem non meminit, quia sicut &

extit Ugo de Sancto Victore, & alii; omnis sensus spiritualis, dici solet allegoricus, & quia, etiam allegoricus specialiter dictus, cum credenda concernat, & ad fidem dirigatur, quæ est sperandarum substantia rerum, ipsa eadem futura, & æterna respicit bona, ad quæ specialiter respicit anagogia. Stet ergo SS. Doctores non opponi veritati explicatæ, & communiter acceptatæ, sed eam altiori quadam meditatione complecti. Quòd ut magis pateat, Sixtus Senen. in Bybliotheca supra lib. 3. paragr. 3. hoc schema exponit triplicis partitionis, nempe Bucherii, quam sequitur etiam Angelic. Doctor; D. Hieronymi, & Augustini, hoc modo. *Sacrarum litterarum quadruplex est expositio, quòd idem est, ac exponibilitas scilicet, & sensus. Secundum Eucherium, primo loco Quadrimembris; historica, quæ dividitur in propriam, & metaphoricam. Tropologica, allegorica, anagogica, in quas dividitur spiritualis. Hieronymi partitio Trimembris. Historica, tropologica, spiritualis, quæ duplex est scilicet allegorica, & anagogica, quæ præter historicam dividunt sensum mysticum. Augustini partitio, bimembris ex lib. de utilitate credendi ad Honoratum cap. 3. historica, quæ complectitur analogicam, & Ethiologicam, de quibus suo loco dictum est, allegorica, quæ in libro de vera Religione cap. 5. triplex assignatur. Prima, figuras præteritorum ad præsentia accommodat, quæ sibi nomen allegoriæ retinuit. Secunda ad mores, & affectiones animi pertinet, quæ dicitur tropologica. Tertia, ad incommutabilem æternitatem extollit, quæ dicitur anagogia.*

Hæc autem retulimus, ad tollendas æquivocationes, & ad majorem confirmationem, ac explicationem Doctrinæ Divi Thomæ, quæ sicut in aliis, ità & universalius in hac materia, pro regula est, nec ab ea discedunt, qui eam vix à longe salutare consueverunt Neoterici.

2. Etiam notandum, ut supra innuimus, duplicem esse allegoriam, aliam verborum, & aliam rerum, quam distinxit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 9. illam appellans allegoriam sermonis, hanc facti. At de vera Religione cap. 50. quadruplicem assignat allegoriam, scilicet historiæ, sermonis, facti, & Sacramenti, sed hæc coincidit cum priori, quia allegoria facti, & Sacramenti, est eadem, sicut ex alia parte allegoria historiæ, & sermonis.

3. Notandum, per sensum anagogicum non solum significari, quæ spectant ad gloriam, sed etiam per oppositum, quæ spectant ad Gehennam, quia contrariorum eadem est ratio, & disciplina, si tamen velimus eam, quæ concernit Gehennam specialiter nominare, dicemus, cum N. P. Antonio, sensum catagogicum.

Ultimò denique notandum, & memoriæ commendandum, nequæ superius, de sensu litterali, & inferius in præsenti de spirituali, sparsim conclusa sunt, mentem confundant, scilicet in communi quidem acceptione, 4. tantum esse sensus Scrip., scilicet litteralem, allegoricum, tropolog., & anagogicum, vel ut alii dicunt, 5. addendo litteralem improprium; sed secundum veritatem, & praxim, qua in tradendis regulis utemur, multò plures sunt assignandi, videlicet sensus litteralis proprius, metaphoricus, historicus sigillatim dictus. Æthiologicus, analogicus, similitudinariè tropologicus, allegoricus, anagogicus, figuratus, & non specialiter figuratus. Apparens juxta sanam Doctrinam intellectus. Præsumptus, qui explicatur pro illo sensu, qui subintelligitur, qui melius dicetur deductus, Propheticus, parabolicus, tropicus, qui idem est ac metaphoricus. Spiritualis, sive mysticus, qui triplex est, scilicet allegoricus allegoria facti, tropologicus, ex re, vel facto; anagogicus pariter propriè ex re, vel facto, quibus addimus, ut supra, sensum catagogicum.

ARTICULUS IV.

Difficilis objectio adversus datas divisiones resolvitur.

OBiicies contra hanc Anacephaleosim, sive contra omnes hactenus traditas divisiones. Primo, datur in Sacra Scriptura etiam sensus humanus, qui non fuit ennumeratus inter sensus litterales, qui tamen etiam sensus humanus potest dici sensus Scripturæ, quia est intentus a Spiritu Sancto. Probat ant. Illustr. Caramuel loco citato cujus sententia sic se habet. *Sensus litteralis adhuc in humanum; & divinum, seù philosophicum, & theologicum dividi debet, & si quæras, utrum in eadem propositione, uterque simul sensus humanus, & divinus aliquando concurrat, hoc est an eadem verba in uno sensu, ab homine, & in altero diverso à Deo proferri possint, assertivè respondeo, & illa Caiphæ verba quæ Jo. 11. recensentur, produco. Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit, ut unus moriatur homo pro Populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius Prophetavit &c.* ecce eadem materialia verba dicta sunt a Caipha, & a Spiritu Sancto, hoc est a Caipha, ut ab homine privato, & ab ipso velut a summò Pontifice, & priori illa modo habent sensum humanum, & Philosophicum, posteriori theologicum, & divinum. Erant ipsa iniqua, & sacrilega in consideratione priori; estuans enim rabie, & furore Caiphas trepidabat, ubi non erat timor, nam erat prorsus falsum, Populum Judaicum periturum, si in Christum crederet &c. At erant eadem verba Sanctissima, & verissima, in altera consideratione, non enim redempti fuissent homines, nisi patiendo, & moriendo fidejussor (licet innocens) prætium nostræ solveret captivitatis. Ita Caramuel.

Cujus rei ad probationem, alii etiam textus possent offerri, *si vis* (inquit Petrus Math. 17.) *faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum & Eliæ unum. Hæc autem dicebat nesciens quid diceret.* Hæc verba ut a Petro, sensum humanum faciunt, non divinum, ideò additum est; nesciens quid diceret, illis tamen usus est Spiritus Sanctus, ad ostendendam magnitudinem illius gloriæ, quæ sic hominem rapuit, ut nesciret quid diceret, & simul exprimeret, eam ita plenè beasse Apostolum, ut nihil aliud curaret in æternum, indeque sensum fidelibus suggestit tropologicum, & anagogicum,

primum

primum quidem ut scirent hunc locum proprium non esse lætitiæ, quæ hic nequit esse perpetua, cum tempus præsens laboris sit, & doloris. Secundum verò ut magis cor erigerent ad æternam gloriam, eamque magis optarent, quò major est, eoque majorem crederent, quò magis umbra ejus transiens tanta fuit, ut æquivocum ponere potuerit inter speciem, & speciem. Ita ex Remigio intelligit hunc locum D. Thomas in catena aurea, hoc cap. aliosque sensus addit morales, & mysticos, & litterales ex Hieronymo, & Origene, ita & Chrisostom. hoc loco eodem, & aliis.

Confirmari etiam potest ex multis locis Psalmorum, in quibus veram locutionem esse Spiritus Sancti ignorat nemo, & tamen datur etiam sensus humanus, quommodo enim non hominis sensus, & humanus sit. *Miserere mei Deus. Domine in furore tuo arguas me; genua mea infirmata sunt præ jejunio, & caro mea immutata est propter oleum*, & alia passim omninò humana reperimus, quæ certè divinum sensum directè non habent, & in Psalmis, & in Prophetis, qui tamen sensus intenti a Spiritu Sancto, ad docendum nos pænitentiam, orationem, humilitatem, cæterasque virtutes, sicut explicant communiter Expositores, in qua ratione Divinum etiam sensum, nempè proprium Dei præseferunt, ergo negari non potest sensus humanus Scripturæ.

Confirm. 2. in alia etiam acceptione sensus humanus concedendus est in Sacra Scriptura, nam sæpè sæpius in ipsa invenimus ennunciatas de Deo passiones humanas, iræ potissimum, & furoris, sicut & deambulationis Gen. cap. 3. *Ambulabat Dominus ad meridiem*, sicut & humanæ locutionis, ibidem, cum locutus est ad Adam, Evam, & serpentem; ad Cain, & similes, sicut etiam in libro Job; Responsa Domini ad Job; & denique humanis sensibus tota scatet Sacra Scriptura, de Deo loquens, sicut de homine, ergo sensus talium locorum saltem litteralis debet dici sensus humanus, sicut enim talis diceretur, si eadem ennunciasset de homine, ergo sicut eodem modo se gerit, loquens de Deo, eodem etiam modo dici debet humanus ille sensus, quem significat, nec planè quæstio est de nomine, ut patet, quia revera talis est sensus immediatus, qualem eum esse littera significat.

Resp. hæc objectio plura continet, quæ non modicam præseferunt difficultatem, sed intimè considerata, facilè dissolvi potest, non enim omninò negandum est in Sacra Scriptura dari aliquem sensum humanum, denominativè talem, & lato quodam modo, ac similitudinariè, cum quo optimè potest stare, quod sit sensus strictè, ac verè divinus, ex parte causæ efficientis specialissimè, quæ est Deus ac ex parte finis, qui pariter est ipse Deus, & ex parte formæ formaliter consideratæ, quæ est divina veritas; concedimus ergo dari sensum humanum denominativè, & ex parte causæ materialis, de qua, & cui fit talis locutio, ac ex parte modi dicendi, per quem supremus loquens dignatur se accommodare audientibus, seu discipulis, ad quorum eruditionem direxit hanc veluti epistolam, & doctrinam, ut suo loco, & sæpè ostendimus, sed

A id quod negamus, est quod qualiscumque sit sensus hic, qui dicitur humanus, sit distinctus ab ennumeratis in anacephaleosi divisionum, quas hactenus pertractavimus, quod intendere debet, & videtur objectio, ut impugnet propositam in illis doctrinam; quommodo autem hoc non obtineat, facilè constabit aliqua ex oppositis breviter examinando.

Respondemus igitur objectioni, neg. quod sensus humanus modo explicatus, non fuerit ennumeratus, sive in ennumeratis non contineatur. Ad probationem Caramuelis, neg. illam divisionem in termino formali divisionis, nam hæc debet habere membra se invicem excludentia, aliter non esset divisio, sensus autem humanus, qui admittitur in Scriptura, non excludit divinum ut ostensum est,

B ad doctrinam, & exemplum primo propositum.

Accedat ergo formulissimus, & acutus Caramuel, & consideret textum quem refert potissimum in ea parte. *Hoc autem a semetipso non dixit*; si a semetipso non dixit, quommodo ex furore, vel timore, vel malo animo dixit, aut sensit in dicendo; hæc mala quidem in semetipso habebat, sed eum a semetipso non diceret implicat in terminis, quod a passione, aut malitia suimetipsius, ea verba sensum haberent; cum Angelos loquebatur in Ezechiele, vel Daniele, vel aliquo ex Prophetis, ubi *& Angelus, qui loquebatur in me*; numquid Propheta loquebatur proprium sensum? absit, aliter Pseudoprophetæ fuissent, qui loquebantur de corde suo, scilicet proprium sensum; & dicebant, ut Deus

C conqueritur, *locutus est Dominus, cum ego non sim locutus*. Dicit Dominus: Si ergo a semetipso non est locutus Caiphas, sensum proprium non est locutus, per hoc igitur excluditur proprius sensus humanus Caiphæ: Examinet modo id, quod sequitur. *Sed cum esset Pontifex anni illius Prophetavit*; per hoc exponitur, a quo sit locutus, nempè a Deo per lumen Propheticum, quod accepit, eumque movit, loco proprii luminis, non igitur usus est proprio lumine, ergo nec in illis verbis habuit proprium sensum; sensus enim est conceptus, qui fit mediante aliquo lumine, si ergo non a semetipso, idest non a proprio lumine, sed a lumine Prophetien extraxit illa verba, per illa, significavit conceptum Propheticum, non suum; Voluntas certè non operatur, nisi mota ab intellectu,

D nec intellectus proximè eam movet, quæ cæca est, nisi lumine utens, quo ipse movetur, porro, quis dicat, per lumen Propheticum motam fuisse Caiphæ voluntatem, ad odium exprimendum, cum lumen Propheticum non relinquat in voluntate, nisi libertatem contradictionis, ut alias probavimus.

Insuper quod magis cavendum est, si potuit componi sensus humanus cum Prophetico in Caipha, erit jam concedendum, in omni dicto Prophetico reperiri sensum humanum, cum divino; cum non sit major ratio de Caipha, ac de Isaia, & aliis, & nihil erit simum in Sacra Scriptura, poterit enim sumi pro sensu Prophetæ sensus divinus, & è converso, & cum sensus hominis fallibilis sit, dabuntur plures sensus litterales fallibiles in Sacra Scriptura,

tura,

tura, nec poterit convinci hæreticus, quia dicet sæpè sensum, qui obiicitur ipsi, esse sensum hominis, non Dei; Videat ergo vir sapientissimus, quam periculosum sit adeò subtiliter, ad studium novitatis incumbere; quod enim dixit Christus, *Math. cap. 13. Omnis Scriba doctus in regno cælorum profert de thesauro suo nova, & vetera*, intelligunt communiter Patres, de novo, & veteri Testamento, non de nova inventione, quæ denominat Novatores.

Sed dices, interpretatio Caramuelis nova non est, aliqui enim ex Patribus ante ipsum ita senserunt. Theophilat. *in eundem locum. Hoc autem ipse prava quidem dixit intentione, tamen Spiritus Sancti gratia ore ejus usa est ad futuri præsagium, unde subditur, a semetipso non dixit.* Eodem loco Chrisostom. *cum autem illi hæsitabant, & in ordine consilii proponebant dicentes, quid facimus &c. unus inverecunde, & cum crudelitate clamavit &c.*

Resp. transeat, quod nova non sit interpretatio, sed nova est illatio sensus humani, in ea acceptione, quam habet Caram., sed nec multum premit Theophil. afferit enim pravam ejus intentionem, quam unusquisque interpretari potest in homine adeò perverso, sed quod ex illa intentione locutus verè fuerit, nemo probabit, cum textus dicat, quod a semetipso non dixit, ideò Theopil. subdens hanc exceptionem, destruxit id, quod videbatur dixisse, hom. 64. Chrisostom. modum describit dicentis, qui dat locum interpretationi, sed additum illud Evang., interpretationem determinat, unde non est contra nos: Immò stat pro nobis, argumento Origenis, tom. 28. sic enim secundum ipsum argui potest. Si hoc dicit Caiphas, proprium addens sensum, vel dicit verum, vel mentitur, dum dicit, expedit vobis &c. si verum dicit, salvantur hi, qui Christum damnarunt, fecerunt quippe, quod expedit; si mentitur, cum eadem sint verba, & Spiritus Sancti, & Caiphæ, jam Spirit. Sanctus dixit falsum, eadem enim verba quoad veritatem, vel falsitatem non mensurantur a dicente, sed ab objecto, quamvis quoad mendacium commensurentur etiam cum mente dicentis, unde concludit Origen. *qui ergo vult totam hanc locutionem esse veridicam, fatebitur etiam cuncta, quæ in hoc loco sunt, prophetiam esse, atque ideò, quod nullum sensum habuit a semetipso*, dicimus itaque, quod qui audierunt, putaverunt hoc dictum esse a Caipha ex semetipso, sed decepti sunt, quod solum voluit Theophil., & siquis alius videatur cum Caramuele sensisse.

Ad illud Petri. Respondetur humanum sensum intervenire ibi, per modum subjecti, non per modum sensus proprii Scripturæ, quia locus integer, & faciens sensum intentum a Spiritu Sancto est, quod Petrus, sic dicens nesciebat, quid diceret, sicut etiam cum dicenti eidem Petro ad Christum de Cruce, *non erit hoc tibi*, ista propositio de materiali, & per modum subjecti, se habet ad integrum sensum formandum cum alia, quæ sequitur, quia ei resp. Christus, *vade retrò Satanas, scandalum tu mihi es*, & hoc modo ut patet, quamvis in ore Petri illa verba, cum ea protulit, formarent completum sensum humanum, cum tamen referuntur in Scriptura, illum sensum afferunt per modum subjecti propositionis, eumdem sensum reprobantis, & hic est verus sensus litteralis Scripturæ, ut clarum est, & ità constat, ex eadem catena aurea Angelici Doctoris eodem loco, ex Hieronymo, Remig., & aliis Patribus, qui causam, quare erraverit Petrus, ita dicendo assignant. *Erravit siquidem Petrus, & humana sensit, sed divinè sensit, qui errorem scripsit, damnando.*

Ad primam confirmat. resp. nos alias auctoritate, & ratione solvisse idem argumentum; loquitur enim Deus per Prophetam, & in persona ejusdem Prophetæ, & cujuscumque peccatoris, docens orare, & quamvis videatur sensus humanus, tamen est divina locutio & Doctrina, & illa apparentia humani sensus, est figura, & modus, quo se se accommodat Deus homini, ut ipsum ad se reducat; hujusmodi autem sensus transeat, quod sit humanus, hoc modo, non constituit sensum diversum a figurato, & similitudinariè tropologico.

Ad secundam confirmationem dicimus, immò communis Patrum sententia est, hujusmodi loca debere sumi in sensu metaphorico, ut in regulis videbimus, quia magnum sequitur inconveniens, si propriè sumantur, imitatur autem Scriptura nostrum cognoscendi modum, unde sicut spiritualia non intelligimus, nisi obvelata phantasmatibus, & sacris velaminibus, ut loquitur Dyonis. de cœlesti hierarchia, ita Scriptura, divina attributa, nobis sic velata, humana quadam sub apparentia, quæ respectu ad Deum impropria est, proponit, & exinde vel effectum, vel causam ipsam sic depictam manifestat; Aliter etiam, idque optimè explicat Ambros. *de Noe, & arca cap. 4. circà medium. Habes*, inquit, *quia iratus Dominus est &c.* dein subdit, *neque enim Deus cogitat sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia, neque irascitur, quasi mutabilis; sed ideò hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offensam, tamquam eo usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur, aut ira, aut odio, aut passione ulla, videatur provocatus ad iracundiam &c.* non igitur sensus humanus ibi descriptus est diversus a metaphorico, vel a similitudinario aliquo, ex explicatis.

Obiicies secundo: præter ennumeratos admitti debet alius sensus, accommodatitius videlicet, quo ejusdem Sacræ Scripturæ verba, per quamdam extensionem ad rem aliam applicantur, quam Sacer Scriptor, nec litterali, nec spirituali sensu indicavit, & certè usus similis sensus frequens est, tum apud SS. PP. ac præcipuè Mellifluum Bernardum, tum apud Ecclesiam in suis officiis, ac per ipsum plura mysteria prius latentia intelliguntur, ergo est proprius sensus Sacræ Scripturæ, intentus a Spiritu Sancto.

Ut respond. huic objectioni oportet de hoc sensu aliquid quærere, & examinare. Sit igitur.

CAPUT

CAPUT VI.

De sensu accommodatitio.

ARTICULUS I.

An detur in Scriptura tamquam proprius ejus, sensus qui dicitur accommodatitius.

Dicendum est primò sensum accommodatitium, non esse proprium sensum Sacræ Scripturæ; ab aliis recensitis distinctum. Pro hac conclusione adducere possumus omnes Patres, qui hoc sensu utuntur, hi quippe cum faciunt, accommodantes verba Sacræ Scripturæ ad eam veritatem, quam tractant, vel suadendam, vel exornandam, unde potius ex eorum praxi constat hunc sensum esse quamdam compositionem plurium sensuum litteralium Scripturæ, ad aliquòd intentum ab ipsis PP. suadendum, quam sensum illius proprium. Ex hoc autem sic primò probatur conclusio.

Spiritus Sanctus, specialis Auctor Scripturæ, ideò dicitur etiam Auctor sensus spiritualis, & tamquam proprium intendere eundem sensum, quia res accommodat ad significandum, quod vult; atqui Sancti Patres, & Sacri Expositores, ideò dicuntur uti sensu accommodatitio, quia accommodant sensus Sacræ Scripturæ sive ejus verba, in quibus tales sensus continentur, ad significandos proprios conceptus, ergo ipsi sunt auctores, sicut propriæ Scripturæ, ita etiam sensus accommodatitii, quem habent in ipsa. Totus discursus patet.

Confirm. dupliciter sumi potest quilibet locus Scripturæ, vel sicut textus, vel sicut contextus, & iterum, vel sicut contextus immediatus, vel sicut contextus sub coordinatione totius Scripturæ attento scilicet fine immediato, vel mediato, vel ultimo; de qua distinctione jam sæpissimè dictum est, ita ut tamen in omni prædicta consideratione sumptus quilibet locus Scripturæ, specialem auctorem recognoscat Spiritum Sanctum, atqui in sensu accommodatitio, etsi retineantur verba Scripturæ, & aliquis ejus sensus, variatur tamen contextus, & coordinatio, quippe in hoc usus talis sensus consistit, ut ad aliam coordinationem trahatur, quam non habet in Scriptura, aliumque contextum faciat, & sit ibi sensus aliquis Scripturæ, tamquam arbor de Paradiso transplantata, ad majestatem, aut fertilitatem, & ornatum horti humani, ergo non potest dici, quod sit verè sensus Spiritus Sancti. Maximè quia revera non potest dici sensus, sed potius stylus, & imitatio humana styli Scripturæ divinæ, & sicut arbor transplantata de loco proprio ac sublimi ad humilem, vel arescit, vel valdè immutatur, ita ut vix propriam speciem conservet, ita Verba Dei accommodata hominum menti, ac Scripturæ, nisi id fiat ex speciali instinctu ejusdem Spiritus Sancti.

Secundo. Prob. ratione, quam N. P. Anton. in

A eo sæpè citato dub. 21. efficaciter expendit. Vel iste, qui dicitur sensus accommodatitius est intentus ab Spiritu Sancto, vel non. Si hoc secundum ergo jam non est sensus Sacræ Scripturæ, si primum, ergo non est accommodatitius, quia prò sensu accommodatitio communiter sumunt DD., illum, qui a proprio auctore primario fuit intentus ad aliquid peculiare, & ab accommodante transfertur ad aliquid diversum, qui planè discursus videtur evidens.

Sed dices, non est denegandum Sacræ Scripturæ, quod sine imperfectione, immò ex perfectione invenitur in libris profanis, in quibus ut patet in Virgiliocentonibus, & Homerocentonibus inveniuntur aliqui sensus accommodatitii, ita ut cum maxima proprietate, ex perfectione sensus primævi Au-
B ctoris, dicta quædam, cum suo vero ac naturali sensu, ad aliud etiam propositum fabrefacta videantur.

Responderi potest primò, ex Doctrina primæ probationis, neg. ant. quia quælibet perfectio humani operis, sapit imperfectionem, nec habet contextum, ita sapienter coordinatum, sicut Sacra Scriptura, unde negandum est Sacræ Scripturæ id, quòd habent humanæ Doctrinæ, etiamsi videatur in ipsis perfectum, quia talis perfectio oritur ex imperfectione, eo quod desit illis sapientissima illa divinæ veritatis coordinatio. Sed facilius respondetur.

Secundo: transeat rem ità esse in humanæ sapientiæ voluminibus, sed nec propterea dici potest,
C quòd ille sensus, qui ob rerum similitudinem aliis præterquam primæ, de qua prolatus est, possit applicari, sit intentus a primo illo auctore, etiam de istis rebus, quibus accommodatur, aliter non esset accommodatitius, ut patet juxta secundam probationem, alioquin, ut inquit Hieronym. *epist. ad Paulinum, Maronem, sine Christo possemus dicere Christianum, quia scripsit.*

Jam redit, & Virgo, redeunt saturnia regna;
Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Quæ verba facilè Christo accommodantur, nec desunt, qui propterea Virgilium audeant dicere, quodammodo vaticinatum fuisse, quod planè ipse noluit, ut ejus contextus declarat, & ideò Hieronymus reiicit hanc opinionem; Ita cum videmus aliquem subitaneo timore correptum, usurpamus
D illud Virgilii, de Ænea: obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit, aut cum miserum aliis compatientem videmus, illud ejusdem poetæ accommodamus a Didone dictum, non ignara mali, miseris succurrere disco, & tamen certissimum est, Virgilium de casu nostro cogitare non potuisse.

Dices 2. iste sensus accommodatitius fuit a Spiritu Sancto prævisus, ergo & intentus. Ant. est certum, nam non latet divinam præscientiam quælibet possibilis cogitatio hominum, & Angelorum, ex quo divinam ejusdem saltem a longe concludimus infinitatem, ergo talis sensus, ut accommodabilis, ideoque ipse accommodatitius, qui idem est, fuit a Spiritu Sancto intentus, propriusque proinde Sacræ Scripturæ. Prob. hæc consequentia,

si

si enim prævidit, & talem contexuit verborum dispositionem, & significationem, utique voluit talem esse, ut accommodaretur aliis etiam, quibus apta erat; quarè enim dicimus, quod intendit sensum litteralem, nisi quia talem litteram vult, quę illum significat? quare spiritualem, nisi quia talem rem exprimit, quæ ad illum nos ducit.

Resp. quodsi hoc argumentum convinceret intentum, convinceret etiam omnes interpretationes verborum Sacræ Scripturæ, quæ textui non faciunt violentiam, esse intentas a Spiritu Sancto, & sensus proprios Scripturæ, qui proindè essent de fide, cum enim convincitur aliquem sensum esse intentum a Spiritu Sancto, & esse proprium Scripturæ, jam de fide est. Prob. sequ., quia Spiritus Sanctus omnes tales interpretationes, procul dubio prævidit, & taliter contextum disposuit, ut ipsi non essent violentæ, hoc tamen nemo dicet; hoc obiter tacto, respond. con. an. at consequentiam negat N. P. Dominicus lib. 3. sect. 1. cap. 99. concl. 4., quia multum differt inter prævisionem inqu. quæ est merus actus intellectus, & intentionem, quæ est voluntatis, & possunt quoad aliquod speciale objectum separari. At quia ubi certa est prævisio, & sequitur actio, a prævisione non separatur intentio, & ita accidit in præsenti, quod Deus nempè prævidit accommodabilitatem illorum verborum, & de facto illam posuit, videtur adhuc difficultas persistere.

Addit tamen idem P. quod Deus prævidit concionatores, & expositores taliter accommodaturos, ipse tamen uti proprios non intendit.

Sed contra est, nam si prævidit, & exhibuit illam accommodabilitatem, ergo illam intendit, & consequenter ejus propria est, cum illa respectu ad Deum omnia comprehendentem id ipsum sit, ac illa verba sic disposita. Addi etiam potest, quod sicut dicimus nos Thomistæ, Deum non concurrere ad materiale peccati formaliter acceptum, quia sic posset argui, tamquam auctor peccati; eadem ratione, si Deus vult, & producit illam accommodabilitatem, ergo vult, & est auctor ipsius accommodatitii sensus.

Sustineri itaque potest solutio doctissimi Patris, sed aliter procedendo. Prævidit Deus &c. conc. ant. ergo intendit, dis. cons. intentione generali, conc. cons. intentione speciali, neg. consequ.

Explicatur hæc solutio; adhoc enim ut aliquis sensus proprius sit Scripturæ, debet esse a Deo, sicut ipsa, tamquam ab auctore particulari, & specialissimo, ideòque ex intentione speciali, ita ut inter ipsum, ut effectum, & Deum, ut causam particularem, non mediet aliqua alia causa effectiva principalis particularis; constat autem, quod sensus accommodatitius fit immediatè ab accommodatore, & quamvis dicatur consistere saltem in actu primò, in illa accomodabilitate, illa tamen est quid ex natura sua indifferens, & terminans intentionem generalem Dei, sicut prævidetur ad praxim reducenda, per causam secundam particularem. Sistit igitur intentio peculiaris Dei intra spheram suę locutionis; quatenus autem, aliquid in tali locutione inventum, respicit aliquid aliud

A sic ut tale respiciens intenditur, sed intentione generali auctoris omnium bonorum, ut pluribus exemplis posset explicari. Unico sic breviter. Planè prævidit Deus per verba sui Evangelii, movendos esse Antonium, Hilarionem, & alios ad fugam sęculi, & eximiam sanctitatem, certè & hoc intendit in sua Scriptura, at qua intentione? ut auctor gratię, & Sanctitatis ordinavit tamquam medium sua verba ad talem effectum; ut auctor verò specialis intendit illa verba, eorumque sensum speciali intentione, scilicet ut auctor regulę fidei, ac manifestator peculiaris proprię veritatis, sicut igitur actus, & conversio Sanctorum illorum non potest dici sensus proprius Sacrę Scripturę, sed effectus sensus Scripturę, & ejus scilicet auctoris, qui etiam est auctor gratię, & omnis boni, ita

B proportione servata, de sensu, seù melius stylo accommodatitio dicendum est.

Dices 3. sensus tropologicus nullis aliis finibus, quam pietatis circumscribitur, ita ut quocumque modo, Scripturę testimonia applicentur, dummodo pia sit applicatio ad bonos mores apta, verum sensum Scripturę contineat. dicit enim August. lib. 12. confess. cap. 30. & 31., sensum esse Scripturę omni id, quod piè cogitanti sine errore, & falsitate in verbis ejus occurrerit, sed sensus accommodatitius, hoc modo se habet, occurrit enim piè cogitanti in verbis Scripturę, & ad mores componendos solet deservire, ergo admittendus est inter sensus proprios Sacrę Scripturę.

Resp. dis. maj. si omnia, quę dicuntur in majo-

C ri accipiantur formaliter, con. eandem, si materialiter, neg. maj. Verum est, latissimam esse spheram sensus tropologici, quippè institutus est ad mores, & affectus hominum dirigendos, quorum latitudo, & varietas inimaginabilis est, & ad charitatem ordinatur, quę omnia in se pręcepta concludit, verum est etiam, quod Scripturę testimonia, quę sint formaliter ejus testimonia, etiam in ipsa applicatione proportionata, continent verum Scripturę sensum, & hic est sensus proprius Augustini, considerando ejus verba formaliter. Sed neg. min., & ad insertam probationem, occurrit piè cogitanti dis. an., & est effectus pię cogitationis conc. ant., & est sensus specialiter effectus a Deo in Scriptura, & suppositus ad piam cogitationem, neg. ant., & cons. siquidem talis sensus efficitur

D à pia cogitatione, ad quandam imitationem, deficientem tamen ipsius sensus Scripturę ideò ipsius non est. Unde nam oriatur hęc apparentia, quia videtur semper talis sensus, quodammodo erutus ex Scriptura, & tamen DD. id negant, dici potest, quod oritur ex ipsa verborum significatione primaria, quę eadem sunt, ac in Scriptura, & non statim discerni potest, an eundem faciant sensum in accommodatione, & in Scriptura, & oritur etiam ex identitate aliqua finis, quia ad pietatem ordinantur etiam ab accommodatore, sicut a proprio auctore ad pietatem pariter dirigebantur.

Dices 4. ex dictis sequi, sensum, seù stylum accommodatitium esse deceptorium, quia videtur esse Scripturę Sacrę, & non est, immò esse abusum, & usurpationem quandam dictorum Spiritus Sancti,

cti, per quam ipsa trahuntur ad sensum humanum, quę ex se a Deo posita sunt, ad divinum exprimendum, ideoque contemnendum esse, & damnandum, hoc tamen falsum est, & temerarium; oporteret enim in primis dulcissimam Bernardi locutionem de medio tollere, & divinum opusculum V. Thomę de Kempis, de imitatione Christi, in quo tot miracula, quot verba veneramur, experientia teste, cum per illa Deus ad cor loquatur, ablegare, quia hujusmodi stylo dulcescit, immò quod pejus est, adorabilis Ecclesię usus accommodandi in divinis officiis ad facta Sanctorum, quotidiè testimonia Scripturarum, non videretur tutus, quę omnia falsissima sunt, & maximę temeritatis, ut minimum, dicenda sunt a Catholicis.

Ut huic objectioni plenius satisfiat alium articulum disponere oportet.

ARTICULUS II.

An aliquo saltem modo sensus accommodatitius, dici possit sensus Scripturæ.

Dicendum est sensum accomodatitium, prout est in usu Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, etsi non sit intransitivè formalis sensus Spiritus Sancti, & Sacræ Scripturæ, eum tamen ferè semper continere, & exponere, ideòque veneratione dignissimum esse.

Prima pars hujus conclusionis hactenus probata fuit, & constat apertissimè. Secunda pars ostenditur exemplo. *Ecclesi. cap.* 44. dicitur de Noè, *inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio &c.* hunc locum S. Ecclesia accommodat Sanctis Pontificibus in eorum officio. Hic est sensus accommodatitius, videlicet, quod Spiritus Sanctus dixit de Noe, Ecclesia dicit de Ambrosio, de Augustino, Chrisostomo, aliisque Sanctis Pastoribus; si litteraliter consideretur, est veluti quædam translatio encomii a Sancto Noe, ad Sanctos Pastores, undè adæquatè non est utrobique idem sensus, sicut nec idem est, hoc animal rugibile, & leo, si tamen inadæquatè, & analogicè consideretur, est idem sensus, quia est idem prædicatum, in altero naturam, in altero designans proprietatem, & magis in exemplo præsenti, in quo est idem formaliter prædicatum justitiæ, & sanctitatis pastoralis, ergo saltem inadæquatè accommodatio ipsa continet sensum Scripturæ, quia ita de Noe dictum est, non quia præcisè Noe hic homo, sed quia justus, ergo de aliis etiam pastoribus ob eandem rationem dici debet, & sic ex illo elogiò eruitur hic sensus, cum in pastore reperitur justitia, sicut in Noe, eadem prædicatio formalis justitiæ fieri debet de illo sicut de Noe; utamur igitur eodem prædicato conservante eundem sensum, quem illic expressit, etiam cum laudamus alium pastorem justum, ubi ut patet servatur idem sensus formalis inadæquatè, prout est in prædicato, non in tota propositione, & sit translatio tantum materialis, ergo sensus accommodatitius servat, & continet eundem sensum Scripturæ formalem, saltem inadæquatè, & hoc quidem sistendo in littera. Quod si transeamus ad sensum spiritualem, jam apertè

A videmus hunc sensum accommodatitium (qui talis dicitur in comparatione ad litteram præcisè) nedum continere sensum spiritualem Scripturæ, sed potius esse ipsum expositum, qui prius in illo loco Ecclesiastici spiritualiter continebatur. Ostenditur hoc, certè sensus spiritualis est, qui significatur per res; quid significat Noè etiam ut expressus, in illa propositione Ecclesi.? Resp. Rabin., & Lyr. *Noe significat rectores Ecclesiæ, qui inter fluctus sæculi, arcam idest Ecclesiam regunt, & prædicant baptismum pænitentiæ, orationibus, & sacrificiis, Deum placantes humano generi.* Ita etiam Augustin. *in Psalm.* 132. *Noe significat Rectores Ecclesiæ, quia ipse arcam in diluvio gubernavit*, ergo Ecclesia prędicat de figurato, quod Scriptura dicit de figura, ut tali, qui est ipsissimus sensus spiritualis intentus

B a Spiritu Sancto in illo priori loco, ergo sensus, qui litteraliter dicitur accommodatitius, est spiritualiter ipse sensus Scripturæ, qui sicut prius continebatur in littera Scripturæ significante figuram, ita nunc continetur in expositione Ecclesiæ, & applicatione litterali, quam facit ad figuratum, quę est clarissima probatio præsentis conclusionis, cum sit inintelligibile, sensum eundem non esse Sacræ Scripturæ illum, qui prius in littera Scripturæ spiritualiter continebatur, & in applicatione Ecclesiæ clarè exponitur, & exhibetur per ipsam applicationem. Sensus igitur accommodatitius tamquam expositio quædam saltem virtualis, continet sensum proprium Spiritus Sancti, & Scripturæ &c.

C Nec aliquid inde sequitur, contra primam conclusionem, ipsa siquidem agebat de sensu accommodatitio, ut tali, scilicet litteraliter accepto, & comparato præcisè ad litteram Scripturæ, quæ est transportatio prædicati de subjecto in subjectum, & importat adæquatè sensum proprium accommodantis, non Spiritus Sancti, qui litterale illud prædicatum, alteri subjecto applicavit. Sed in via sensus spiritualis, hæc applicatio, est potius spiritualis expositio, quæ planè continet, & importat id, quod exponit. Plurima quidem suppeterent ad id confirmandum exempla, sed brevitas prohibet, satisque erit aliquid tantum ex Bernardo adducere, ut ex praxi Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, declarata simul, & roborata maneat conclusio, & cum proportione aliis etiam doctrina applicetur. Totum igitur damus mirabile opus Bernardi, & ne in hoc

D detineamur, aperto ejus codice primum, quod invenimus, sit exemplum. *Serm. prim. de Annuntiatione. Ut inhabitet*, inquit, *gloria in terra nostra, misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta, & seductrice cogitatione, testimonium perhibens de se ipso, & testimonium ejus verum non erat, sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet Spiritui nostro:* Accommodat. Bernard. ut videtur ad Annunciationis mysterium, textum Psal. 83. sed ad litteram totus ille Psalmus de eadem agit, prout includit Incarnationis mysterium, quod littera ipsa declarat, & communiter Expositores, est igitur nova quædam expressio expositiva, potius quàm

accommodatio. Pergit & per Scripturam exponit Scripturam, accommodando ipsam sibi, quæ est expositio per concordantiam, ut advertit Sixtus Senensis, lib. 3. de diversis Expositionibus, quod si id præstat, ut clarum est, jam habet revera utrumque sensum Sacræ Scripturæ ibi relatum, illum qui exponitur, & istum exponentem. Respicit in eo quod sequitur ad Pharisæum superbum, cujus conscientia superbia est, & turpitudinem ejus ostendit ex opposito, utens verbis Salvatoris, cum dixit Judæis, *ego testimonium perhibeo de me ipso*, quæ dum in oppositum applicat, indicat fuisse testimonium veræ humilitatis Salvatoris nostri, dum inquit de Pharisæo, *testimonium perhibens de se ipso, sed testimonium ejus verum non erat*; in quo est duplex expositio, verborum videlicet Pharisæi, & Salvatoris, & utrumque unit ad ostendendum, quæ sit gloria nostra, explicans dictum Psalmi adductum per similitudinariam Tropologiam, idque concludit applicans verba Apostoli ad intentum, in eo sensu, in quo ea dixit Apostolus; hic ergo quis non videat sensum Spiritus Sancti, ex sensu Spiritus Sancti explicatum, per expositivam accommodationem, quæ breviter, & profundè declarat sensum sensu? si omnia Scripturæ sunt, in ea divisim, hic unitim tradita, ergo omnia sensum proprium secum ferunt Spiritus Sancti, quippe idem auctor est, & ejus quod dicitur in Psalmis, & ejus quod dicitur in Evangelio, & ejus, quod per Apostolum prædicatur, nam, etsi materialiter hæc diversa sunt quoad libros, omnia tamen sub eadem coordinatione uniuntur, ut sæpius dictum est, aliter quommodo diceret Augustinus, & cum eo D. Thom. locis a nobis supra citatis, quod non invenitur locus in Sacra Scriptura difficilis, aut obscurus, qui in alio Scripturæ loco, clarius non patefcat! & hoc satis, ne in infinitum abeamus.

Hinc jam constat ad objectionem quartam in calce articuli præced. positam, negandam esse sequelam quoad omnes partes, si enim loquimur de sensu accommodatitio, quo utitur Ecclesia, jam vidimus, quod & videtur, & est verè, saltem virtualiter sensus Scripturæ, quia illum continet, vel exponit, vel inadequatè, vel saltem cum similitudine non ficta, sed per expositionem, ideò neminem decipit, ita proportione servata de sensu accommodatitio in praxi Patrum, unde non est abusus, sed verus usus, non usurpatio, sed explicatio, non ad sensum humanum, sed humano quodam studio ad divinum confirmandum assumpta.

Si autem loquamur generaliter de sensu accommodatitio, juxta praxim concionatorum, vel utcumque scribentium, si sit secundum debitas regulas, & imitando praxim Ecclesiæ, & non discedendo a Patrum communi consensu, non est contemnendus, sed pius, & quamvis non semper, tamen multoties similitudinariè, & tropologicè sensum Spiritus Sancti, ac proprium Scripturæ, vel involvet, vel explicabit, & saltem in hac etiam praxi salvatur cum proportione hæc secunda conclusio in hoc, quod talis stylus, seu sensus accommodatitius, indicabit per modum signi, & trahet mentem ad verum aliquem sensum Spiritus Sancti,

A cum hæc semper insit sigillatio, cuilibet clausulæ Sacræ Scripturæ, etiam seorsim positæ a proprio contextu, ut sapiat quid divinum, & divino quodam idiomate significet quid divinum, quod intelligunt illi, quibus dedit ipse Deus potestatem filios Dei fieri, qui sunt cives Sanctorum, & Domestici Dei, juxta quod dicit ipse Joan. cap. 8. Qui ex Deo est verba Dei audit &c. utique & intelligit, & discernit.

Per hæc etiam constat ad ultimam objectionem articuli ultimi, cap. 5., quæ ad præsentem nos vocavit. Siquidem qualis est sensus accommodatitius, explicatum est, & quommodo novum sensum supra ennumeratos in divisionibus non inducat jam satis deducitur; Consistit enim potius in modo quodam utendi sensibus Sacræ Scripturæ, vel eos explicandi,
B & applicandi, quam in novo aliquo sensu, & de hoc satis; ideò exclusus manet error Mouphesteni, quæ de Christo ad litteram dicta sunt in veteri Testamento, de eo dicta per accommodationem asserentis. Vid. N. P. Domin. p. 464., & 465.

Sed quæres, quid requiritur ad hoc, ut talis accommodatio licitè, & ritè fiat?

Respondetur in ipsa interrogatione innui responsionem, si enim esse debet accommodatio, debet esse proportio inter sensum, & materiam, cui accommodatur, ut notatur etiam in materiali quolibet artefacto; ubi enim non est aliqua convenientia inter aliqua, si unum alteri conamur applicare, deformitas est magis, quam adaptatio, & eo major
C deformitas, quo magis extrema distant, quia opposita juxta se posita magis elucescunt, unde irridet satyricus Horatius, similem chimeram, dicens humano capiti, cervicem pictor equinam &c. desinet in piscem mulier formosa supernè &c. & concludit, risum teneatis amici &c.

Iniquum est igitur, si ad facetias, aut ad res parum honestas, vel similes, seria Spiritus Sancti doctrina, violenta deformitate cogatur, quod strictissimè prohibet Tridentinum sess. 4. ut alias vidimus, & arguit Angelicus 22. qu. 168. art. 2. ad primum, & ibi Cajetan. omnesque de Deo benè sentientes, & sanè quæ vanitas videtur, magna indecentia est, cum divini Verbi præcones, in die Paschæ, & alias identidem, jocis corrumpunt Verbum Dei, quod numquam Sancti, ac multò minus
D Sanctus Sanctorum nedum fecerunt, sed semper damnarunt.

Secundò. Requiritur, ne accommodatitius sensus, ut litteralis verus intrudatur, quod reprehendit Hieronym. ep. ad Paulinum.

Tertiò. Ne verba sacra, in sensu impio accommodentur, ut Michael Servetus Lutheranus, qui illud Apocalyp. 12. Michael, & Angeli ejus, sibi suisque Sectariis impudentissimus applicabat, ut advertit N. P. Anton. in fine præludii tertii.

Ad hoc verò, ut ritè fiat, normam præbet praxis Ecclesiæ, Bernardi, Thomæ a Kempis, Petri Damiani, Bonaventuræ, aliorumque Patrum, apud quos sensus Scripturæ accommodatio, est potius expositio, & explicatio Scripturæ ex Scriptura, & ad eundem finem, quem ipsa respicit,

quam

quam proprii humani sensus confirmatio; Ideoque Verbi Dei insignes præcones, etiam nostris temporibus erubescunt sine lege loqui, magis quam Juristæ, & quos Scripturæ sensus propriis accommodant concionibus, semper, vel per alium ejusdem Scripturæ locum, vel Sanctorum Patrum auctoritate consignant, quæ methodus inter omnes maxime nitet, & utilitatem, delectabilitatem, honestatemque præsefert, ut experientia constat, ad quos fines, in unum tota dicendi ars perfecta collimat.

CAPUT VII.

De sensu spirituali, quoad efficaciam

An ex sensu spirituali possit desumi argumentum efficax ad fidei dogmata, & contra hæreticos.

ARTICULUS I.

Continens prænotanda.

ARgumentum prout spectat ad præsens describi potest, quod sit rationis processus ad concludendam veritatem. Quintilian. lib. 5. cap. 10. describit illud, quod sit ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud. At universalius acceptum definit Angelic. Doct. 3. p. qu. 55. art. 5. *est ratio, rei dubiæ fidem faciens*, & habetur ex Boetio, ut idem Angelicus notat in cap. 10. *Epistol. ad Hebr. lect.* 1. per hoc autem, quod dicitur rei dubiæ, non excluditur illa ratio, quæ probat res fidei, cum ipsa non sit res dubia; sed sumitur negativè prout dubium stat pro quolibet defectu cognoscibilitatis, vel cognitionis; quatenus per argumentum, magis certificatur intellectus, quam sine illo, vel dubia res ponitur ad significandum, quòd adhoc, ut ratio dicatur argumentum, debet quantum est ex se habere vim ad tollendum dubium, si adsit, saltem ex imperfectione intellectus, qui de re certa, non est convictus, illaque, incomparatione ad talem intellectum, dicitur dubia. Vel argumentum ita dicitur, quia mentem arguit, subdit idem Angelicus, & secundum aliam litteram, ubi in prædicto cap. dicitur argumentum, ponitur convictio, ex quo significatur, quod verè in sensu proprio Divi Thomæ, argumentum est ratio mentem convincens.

Porrò argumentum latè sumptum, aliud est necessitatem inducens, sive, demonstrativum, & hoc solum, ut verum argumentum recognoscit Caramuel, adhoc restringens definitionem, dicens; argumentatio *est oratio, in qua, ex quibusdam præmissis, aliquid necessariò, aut potius infallibiliter infertur*. Ita *lib. 2. logic. moral. cap. 4. sect.* 3. Quod autem ex Angelici ethymologia, supra relata, deducitur est, aliud ut in pluribus veritatem concludens; sive ducens, non coarctans ad veritatem. Hujus autem tres gradus assignat N. P. Anton. prælud. 3. citato, dub. 15. secundum quod, ratio A non necessitans, magis vel minus ad certitudinem totalem appropinquat. Ubi enim ratio firma, & gravis est, juxta Doctrinam N. P. Lauren. de probabilitate, etsi non fiat scientia, tamen fides, vel opinio generatur, itaut fides, inqu. Angel. Doctor loco citato ad Hebræos, ex suo genere media sit inter scientiam, & opinionem; ita tamen, ut si Fides sit Theologica, scientiam superet in certitudine, ex nobilitate, & eminentia sui objecti, cui cedit quoad evidentiam, & ad has generaliter acceptas, tendit dialectica topica, ubi autem ratio solam verisimilitudinem, habet, generatur suspicio, quæ tamen ex energia verisimilitudinis, aliquando accedit ad probabilitatem, seù opinionem, cum nempe etsi intellectus non determinetur ad unam partem cum formidine, ut facit opinio, in- B clinatur tamen valdè, ad quod Rhetorica operatur. Aliquando autem per solam figuram, & repræsentationem excitatur inclinatio ad vitium, vel virtutem, quod poetica facit, voluntatem potius tentans, quam intellectum, non enim per rationem, aut verisimilitudinem procedit, sed per harum similitudinem, repræsentatione formatam, ex quo 4. habemus genera argumentorum, demonstrativum, topicum, Rhetoricum, poeticum.

Quod Rhetoricum, & poeticum ex sensu spirituali desumatur, nemo negat, & experientia constat. Quod probabile, & efficax in sua linea, ubi maximè Patris alicujus accedit auctoritas; deducitur cum ex experientia, cum ex auctoritate Angelici, p. p. qu. 1. art. 8., *& hoc totum* (suadet C Augustin. *epist.* 119. *de ritibus Ecclesiæ*) *ita se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum, plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam si verbis propriis diceretur apertissimè*, & subdit, *credo, quod ipse animæ motus quamdiù rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur, si verò feratur ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritualia, quæ ipsis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in favilla, ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem, & quietem.* Hoc ergo supponimus: quærimus verò de argumento infallibili, & efficaci, an ex sensu spirituali haberi possit ad convincendos hæreticos, qui Sacram Scripturam admittunt, & aliquem, vel aliquos fidei articulos negant, non enim quærimus an ex hoc sensu trahi possit argu- D mentum ad probandum fidei principia absolutè, nulla siquidem facultas propria probat principia, sed supponit, & ad summum a posteriori eadem suadet; principia autem fidei in ipsa Scriptura continentur; & hæc est Doctrina D. Thom. loco proximè citato ex prima p. Ideò idem etiam 1. pr. secundæ qu. 1. articulo 5. ostendit, quòd ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ apud recipientes ipsam, quę sunt ipsa fidei principia, ita aliquid probatur, sicut ex principiis naturaliter notis, aliquid probatur apud omnes.

ARTICULUS II.

Quæstionem resolvens.

DUÆ hac in re extremæ militare videntur sententiæ, quæ si bene advertantur, idem fere concludunt. Prima est Angelici Doctoris, & Augustini, negans ex spirituali sensu efficax argumentum deduci, nam *p. p. qu. 1. art. 10. ad primum*, inquit S. Doctor, *omnes sensus fundantur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo trahi potest argumentum, non autem ex his, quæ secundum Allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam*. Idemque docuit ex eodem Augustino *in prolog. primo sententiar. ad Anibaldum, qu. 2. art. 5. ad secundum*, ubi hæc habet ex Augustino lib. de Doctrina Christiana, *nihil secundum spiritualem sensum, est in Scriptura exponendum* (utique ad confirmandam aliquam fidei veritatem) *quod alibi secundum sensum litteralem manifestè non exprimatur*, & hinc subdit Angelicus *unde & sensus spiritualis non est idoneus ad aliquid confirmandum (scilicet, de fidei articulis) nisi sensu litterali fulciatur*, ex quibus adeò patenter apparet, quid sentiat D. Thomas, ut mirabile sit, aliquos Thomistas, de D. Thomæ sententia disputare, & mirabilius, quòd oppositam sententiam id faciè Magistri statuant, & defendant. Inter istos N. P. Antonius innumerabili Neotericorum choro stipatus, quibus accenset etiam Thomistas scribentes in art. 10. citatum D. Thom., & quod plus est etiam PP. Salmatic. tractatu, de Angelis, disput. 10. d. 1. num. 4., & hæc est opposita sententia; antequam verò utramque conciliemus, oportet primò breviter utramque, quoad probationes, quas adducunt examinare, & primò Angelici sententia debet proferri.

Pro qua dicendum est ex sensu spirituali præcisè, & seorsim sumpto a litterali, per quem alibi in Sacra Scriptura declaretur, non posse desumi efficax argumentum. Hæc procul dubio est assertio D. Thomæ, & Augustini, & pro ea adduci debent omnes Thomistæ, quos pro se adducit P. Antonius, immò & ipse, qui quoad substantiam, idipsum asserit, & præcipuè Nostri Patres Salmaticenses loco citato, ubi probantes primum Angeli peccatum fuisse superbiæ, ex auctoritate Isai. cap. 14., ubi de Rege Tyri ad litteram dicitur, *detracta est ad Inferos superbia tua &c.* sibi obiiciunt, quòd ex sensu spirituali non deducitur efficax argumentum; prædictus verò textus de Lucifero intelligitur tantum spiritualiter, & respondent, quod quamvis ita sit, quòd ex sensu spirituali non habetur efficax argumentum, si sumatur præcisè, ubi tamen constat ex ipsa Scriptura alibi explicante, & ex unanimi Patrum consensu, sensum illum esse verè intentum a Spi. San. efficax ministrat argumentum, ut suadet ratio Divi Thomæ, citato ar. 10. Nec de hoc contenti, addunt ex Bannez aliisque Sacris Interpretibus, eum locum de Lucifero ad litteram debere intelligi. Ita Aquinati fidissimus Salmaticensis, immò & totus, Carmelus.

A Prima prob. est, aperta auctoritas Augustini, & Thomæ, & Thomistarum, & P. Nostri Dominici lib. 3. sect. 1. cap. 103. versus finem. P. Lauren. tom. primo, controv. 3. num. 95. Seraphini a Port. Salmer, & Cajetani: primus in p. p. qu. 1. art. 10. Secundus prolegom 19. Tertius sæpe cum Divo Thoma, & aliis. Rationibus verò sic ostenditur desumptis ex D. Thoma locis citatis, aliisque, ex quodlib. 7., & locis sententiarum. Primò.

Argum. efficax, de quo nunc agimus, cum sit ed convincendum hæreticum de articulo fidei, debet eundem articulum habere pro conclusione, ergo debent etiam præmissæ esse de fide, certiori, & notiori, & infallibili veritate præditæ, patet consequ. quia conclusio sequitur debiliorem partem, unde si aliqua ex præmissis ab illa perfectione deficeret, quæ requiritur ad articulum fidei, qui debet inferri, talis articulus jam debiliorem partem

B sequeretur, ideoque nec esset infallibilis fidei articulus; sed sensus mysticus ex natura sua absconditus est, nec est notior articulo fidei, in quo ejusdem fidei substantia continetur, & insuper certum est apud omnes, sensum mysticum minus simpliciter notum esse litterali, ex sua specie, propterea nemo negat ex litterali sensu posse desumi efficax argumentum, quod de spirituali plures negant, sed articulus fidei semper importat litteralem sensum, ergo non potest inferri ex spirituali, cum sit notior illo ex sua natura.

C Sed dices eodem modo se habet uterque sensus, ergo ex utroque sensu æqualiter quantum est ex se potest desumi efficax argumentum. Prob. ant. nam si non constet ex Ecclesia, sensum hunc litteralem esse de fide, & intentum a Spiritu Sancto, non potest ex illo efficaciter argui, sicut dicimus etiam de spirituali.

Resp. neg. ant. ad probation. dist. ant. si non constet ex Ecclesia proponente, con. an. declarante neg. ant., & neg. consequ. certum est, quod si Ecclesia non proponat aliquid, ut credendum, ad illud non extenditur fides, unde illud Augustini, Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ auctoritas intervenirent, & hoc habet etiam litteralis sensus, at semel proposita ab Ecclesia tota Sacra Scriptura, ut canonica, quest. nostra procedit, & evidenter constat inæqualitas jam dicta inter utrum-

D que sensum; etiam supposito generali canone Ecclesiæ; de pluribus enim sensibus spiritualibus, immò de omnibus secundum se consideratis, nobis non constat, quod sint intenti a Spiritu Sancto nisi id specialiter, vel deprehendamus in littera Scripturæ, vel in communi consensu, & usu Patrum, & Ecclesiæ.

Confirm. modo, quo aliquid est sub divina revelatione, eo modo spectat ad fidem, atqui sensus spiritualis particularis, quantum est ex se, cum sit occultus, nescitur an sit sub divina revelatione, certò, & infallibiliter, ita ut de hoc nequeat dubitari, ergo nec spectat infallibiliter ad fidem, ergo nec potest nisi per aliquid infallibiliter de linea litterali, quæ ex se certa est, spectare ad fidem.

Dices

Dices de sensu spirituali etiam præcise considerato debet salvari, quod sit intentus a Spiritu Sancto, & plerumque magis intentus, quam litteralis, ergo ex propria ratione spectat ad fidem, nec ei obest obscuritas, quæ est de ratione formali fidei, ut talis, ergo quantum est ex se, ministrat efficax argumentum.

Resp. dist. ant. de sensu spirituali signato, & metaphysicè debet salvari conc. ant. de sensu spirituali exercito, subdist. accedente declaratione supra expl. conc. ant. ea non acced. neg. an. Præsens quæstio agitur de argumento efficaci practico ad convincendum in fide, hoc autem non desumitur a definitione sensus spiritualis, ut sic, sed ab aliquo peculiari, & quidem verum est quod si possumus probare, quod huic competat definitio sensus spiritualis, verè concludet, sed in hoc difficultas, quia se ipsum non manifestat, & nescimus an sit, nisi accedant extrinseca requisita quilibet autem habitus supponit an est sui objecti, si ergo nescimus an sit intentus a Spiritu Sancto, nescimus an sit objectum fidei. Immò dici potest quod illa definitio datur de eo, de quo supponitur an est jam præcognitum, non enim definitur id, de quo quærendum est, an sit, unde objectio videtur petere principium. Ad id, quod additur de obscuritate, dicimus eam non esse talem in fide, ut dubitet, quid credere debeat, sicut accidit in sensu mystico, de quo præcisè considerato dubitamus rationabiliter, an spectet ad fidem.

Replicabis, hoc est dicere paucis verbis, sensum spiritualem, quoad nos non suggerere argumentum efficax, bene verò quoad se; id enim, quod ipsi deest, est quod a nobis cognoscatur, ut verè talis.

Sed contra est, quia ipsa quæstio, cum agat de argumento efficaci, debet agere de sensu spirituali in ordine ad arguendum, ergo de ipso ut cognito a nobis, vel quod idem est de ipso, ut præcisè secundum se cognoscibili, in ordine ad inferendum, atqui secundum se, idest ex propriis præcisè non habet talem cognoscibilitatem infallibilem, ut eam possit tribuere litterali, quia non determinat, aut cogit intellectum, quoad suum an est, ergo nedum quoad nos, sed quoad propriam vim non potest ad hoc deservire.

Prob. 3. sensus spiritualis significatur per res, unde est sensus mediatus, & hoc habet ex propria differentia, quia nihil est magis proprium rei, ergo non potest ex ipso desumi efficax argumentum ad aliquem articulum fidei, qui cum litteralis sit, importat sensum immediatum; ant. admittitur ab omnibus. Prob. conseq. primò, de ratione principii ad convincendum habilis, est quod habeat sensum immediatum; ideoque philos. describit demonstrationem, quod sit argumentum procedens ex immediatis, prioribus, necessariis causisque conclusionis.

2. Prob. modus loquendi per res, est modus proprius Dei, pendens ab ejus libera voluntate, quod per hanc rem significet, vel non significet hoc, vel illud, sensus verò litteralis, qualis est in omni fidei articulo, importat veritatem necessariò veram, ut stat sub divina revelatione, quæ falsa esse non

A potest, nec pendet ejus veritas ab aliquo libero, cum in Deo veracitas sit essentialis, ergo non habet sensus spiritualis sufficientem necessitatem ex genere suo, & adæquatè, ut inferat articulum fidei.

Tertio res, quibus Deus aliquid significat, habent diversas proprietates, sicut & res ipsæ significabiles diversas inter se, & diversas ab iis, quæ reperiuntur in suis signis, vel figuris, unde per sensum spiritualem, sive per res numquam significatur adæquatè aliquod figuratum, nam certè figuratum principale veteris Testamenti, eorumque, quæ in ipso evenerunt, fuit Christus, qui est verus Deus, & verus homo. Inveniatur aliqua figura in veteri Testamento, per quam quidquid est in Christo simul, totum simul adæquatè significetur; B hoc est impossibile, & patet ad sensum, cum & Deus sit incomprehensibilis, & ineffabile Incarnationis mysterium, quommodo ergo ex sensu, qui est figurativus, convincetur, vel Incarnatio, vel divinitas Christi, cum plus semper sit in consequenti, quam possit esse in antecedenti? sicut littera probatur per litteram in ordine litterali, ita res deberet posse probari, per rem in spirituali, sed res figurata semper in plus est, quam res figurans, in omni consideratione, ergo est impossibile; semper enim præmissæ in argumento efficaci, debent perfecto modo continere conclusionem, nam nemo dat quod non habet.

Dices, præmissæ, satis est quod causent conclusionem, quoad cognosci ad quod non requiritur adæquatio rei ad rem.

C Sed contra est, quia hoc ipsum deficit in sensu spirituali, in se ipso præcisè ex propriis considerato; si enim cognoscibilitatem non habet determinatam, & necessariam, eo quod sit modus loquendi ex genere suo nobis ignotus, quommodo eam tribuet consequenti, quod ex se clarius est, cum procedat modo loquendi nobis noto. Nec volumus quod omnibus modis ant. contineat sive adæquet consequens, sed in esse cognoscibili, & in nostro casu in esse signi, itaut res significans adæquet rem significatam, in eo saltem, ad quod in ipsa significandum assumitur, hoc autem ex diversitate proprietatum mutua, determinatè non potest præstare res significans, sed tantum indeterminatè, & ideo D nullo modo per se adæquat figuratum in esse cognoscibili.

Dices, sensus spiritualis declaratus a Patribus &c. sufficiens est ad argumentum &c. ergo signum est, quod quantum est ex propriis hoc habet; declaratio enim non facit esse sensum intentum a Spiritu Sancto, eum qui prius non erat.

Resp. admisso ant. neg. conseq. ad probationem dist. ant. non facit quoad quid est, conc. ant. quoad an est neg. ant. patet responsio ex superioribus, dicimus etiam secundo, quod vis, quæ est in præmissis ad inferendum conclusionem est determinatio & unitas ipsarum, & quia hanc determinationem, sensus spiritualis ab extrinseco obtinet, ideò, & veram vim inferendi habet ab extrinseco; Non facit Ecclesia eum esse intentum, a Spiritu Sancto, qui non erat, sed eum fuisse ostendit, & quommo-

do

do terminaverit eam determinatè ostendit, quod est eum complere quoad veritatem explicatam, & unitatem. Iterum igitur, etiam (quod ferè in idem redit) dicamus, sensus spiritualis implicitè quoad se continet veritatem arguitivam, explicitè non, unde est in se ipso incompletus, in ordine ad fundandum argumentum, quia hoc magis pendet, ab explicito, quam ab implicito.

Resp. tertiò, quod quando ex sensu spirituali declarato, & determinato deducitur argumentum, quamvis dici possit ex illo inadequatè, non tamen adequatè natum, nam debet adequari ejus vis, ex ipso sensu litterali, per quem in ipsa Scriptura declaratur, & hoc est, quod dicit Angelicus loco citato ex prima parte, quod etsi dicamus ex sensu spirituali non posse argui efficaciter aliquid de fide, non propterea aliquid deperit Sacræ Scripturæ, quia quoad ea, quæ necessaria sunt ad fidem, nihil reperitur in sensu spirituali, quod alibi in ipsa Sacra Scriptura, non clarius per litteram significetur.

Dices, ergo frustra est sensus spiritualis in Scriptura.

Respond. neg. conseq. spectat enim ad majestatem divinæ locutionis, quod & communi, & singulari, proprioque sibi modo eadem veritas declaretur; Insuper non solum facta est Scriptura ad arguendum contra hæreticos, & si facta etiam esset ad hoc tantum (quod falsum est) adhuc deserviret ad hoc etiam sensus spiritualis, quia cum in omni sensu eadem veritas declaratur, magis constat de ejus unitate, & infallibilitate; unde potius sensus spirituali declaratus, deservit ad confirmationem, quam ad primò convincendum hæreticos, qui aliquem fidei articulum negant, quod magis patebit in sequenti ratione.

Conclusio prob. tertiò practicè, accedat Manichæus, qui negat vetus Testamentum, admisso novo. Arguat Catholicus ad ipsum convincendum ex novo Testamento efficaciter per sensum spiritualem; nisi procedat prius litteraliter, per litteram novi Testamenti, itaut ille cogatur negare novum, quod sustinet, nisi concedat antiquum, non convincet: dicet enim catholicus per duos Abrahæ filios probatur admittenda esse duo Testamenta, & proportio, quæ est inter illos, & ista, ostendit illos figuram horum fuisse; nihil autem non figuratur. Negabit ille suppositum, petis inquiet principium; figura sine historia non habetur; historia est veteris, quod vos dicitis, Testamenti, hoc verum esse prius probandum erat: reponit Cathol. hoc dicitur in novo Testamento, habetur ad Galatas 4. cap. scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit &c. hæc sunt duo Testamenta per allegoriam dicta: si admittit epistolam Pauli convincetur, sed ex quo argumento, vel ex quo sensu? planè totum hic litterale est; litteraliter recitat Paulus historiam veteris Testamenti, ergo ejus veritatem admittit, & supponit, refert sensum allegoricum latentem in illa historia, sed hæc recitatio litteralis est, dicit illum fuisse sensum allegoricum, sed ipse non facit illum sensum, & hoc litterale est; eadem allegoria explicata sed per litteram juvat ad confirmandam veritatem assertam litteraliter, quatenus ostenditur ab ipso canonicè, verum fuisse sensum spiritualem illum determinatè intentum a Spiritu Sancto qui significatur per res, in Genesis illo capite relatas. Si Manichæus epistolam Pauli non acceptat; aliqui enim inter illos soli fidunt Evangelio, inveniet Catholicus in Evangelio a Christo suppositum, & commendatum, quoad veritatem vetus Testamentum, sed hi textus erunt litterales. Inveniet Christum, veteris Testamenti sensus mysticos adduxisse, sed illi sensus non suffragantur ad arguendum, nisi littera ostendens, quod Christus ita litteraliter sensit, hæreticum moveat: res clara est, nec amplius immorandum.

4. Prob. ex Scriptura, *Sapientiæ cap. 9. nu. 17. sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de Altissimis, & sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines.*

Prima Chorin. 2. cap. Spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur, quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? nos autem sensum Christi habemus &c.

Ex quibus habemus, spiritualem sensum esse valdè ignotum secundum se, quamvis enim alias horum locorum inveniamus expositiones, quæ nobis non opponuntur, quasque veneramur, tamen juxta regulam Augustini, suadentis litteram accipiendam propriè, & litteraliter, ubi nullum sequitur inconveniens, etiam hos textus possumus, & debemus secundum litteram accipere, in quo sensu nullum absurdum est, ut clarum est, & manifestè convincunt pro conclusione asserta; quod patescet, considerando rationem, per quam D. Thomas prob. loco citato ex prima parte, pluralitatem sensuum in Scriptura, *quia*, inquit, *Sacræ Scripturæ auctor est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo potest facere, sed etiam res ipsas*, ergo sensus mysticus ita significatus, procedit a Deo ex sua divina potestate, ita ut quia proprius ei est hic modus, & non hominis, solus hic sensus ex omni parte antonomasticè sit sensus Dei. Hinc igitur dicit sapiens, *sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum*, in hoc significans, quod sola vel Scriptura ipsa, quæ est opus Spiritus Sancti, vel Ecclesia, cui assistit infallibiliter idem Spiritus Sanct., potest certè deprehendere, & determinare, quis sit sensus Domini, in tali linea; in hoc quod dicit, *& sic correcta sint semita eorum, qui sunt in terris*, designat sensum tropologicum morum directivum, & allegoricum credendorum; cum correctione, idest sine errore, per hoc quod innuit, de Altissimis, anagogicum, quia in circuitu pergit Spiritus, & qui de Altissimis venit, ad altissima redit, & omnes simul mysticos sensus exprimit in hoc, quod concludit, *& quæ tibi placent, didicerint homines.*

Locus autem Apostoli, apertè indicat difficultatem inveniendi, & determinandi sensum Domini, idest mysticum, ut suprà explicatum est: *Quis enim cognovit sensum Domini*, subdit *qui instruat eum*, ut in nostro casu, in quo difficile est taliter sensum mysticum deprehendere, ut satis sit ad nos, aliosque instruendos.

Si igitur tanta est difficultas ad sensum Domini determinatè sciendum, ex hoc ipso, quod sit sensus proprius Domini, jam ex sua sublimitate id habebit, ut non suggerat argumentum efficax ad convincendum in fide, hoc enim habent sublimiora, ut magis a nobis distent, vel ut magis nos ab ipsis distemus; nec possumus ea pertractare, sive audientes, sive docentes, ut nostra quodammodo fiant, quod necesse est ad convincendum, & activè, & passivè, Lux Deus est, & lucem inhabitat, sed inaccessibilem, ipse est suum esse intelligibile, & suum esse intellectum, ut statuit Angelicus p. p., & ubique, ast pro hoc statu cæcutimus, videmus per speculum, & in ænigmate, & scrutator Majestatis opprimitur a gloria &c.

Confirmatur, quamvis enim ex hoc videatur concludi, quod quantum est ex se sensus mysticus est aptissimus ad convincendum, totumque defectum nostrum esse, tamen revera non ita concluditur, nam significatio, ex se est essentialiter ordinata ad cognoscentem, ergo cum non solum ex defectu nostro privativo, sed ex defectu proprie hujus status, qui & ipse sapientissimè conditus est a Deo, & ad nostram cognitionem pro hoc statu, & ad nos in ipso dirigendos, condita sit Scriptura, omnisque ejus sensus, & significatio, id habebit in se sensus mysticus, quod non valeat ex se ad arguendum, si ex sui significatione, & nostro statu id oritur. Vide P. Dominicum p. 465.

Hinc igitur sententiam sine hæsitatione eligimus, nec aliqua momentum habet opposita, ut in ipsam inclinemur, cum & ipsa denique, hinc inde excurrens, ad nos redeat, vel nolens, ut constabit.

ARTICULUS III.

Opposita sententia, refertur ejusque argumenta solvuntur.

Bellum inter eos, quos Deus pacis habitare facit unius moris in Domo, ludus quidam est, in quo omnes vincunt. *Pax enim multa, diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, ad quarenus ludus non quiescit, certandum est, ut quiescat.

Primò suam sententiam proponit P. Antonius loco citato num. 120. quod sensui spirituali secundum se considerato, non minus competit, quòd ex illo argumentum efficax sumi possit, quam ex sensu litterali: In choro Doctorum, quibus accinit ipse, deest Regulator Angelicus, deest Augustinus, qui præsit, desunt Sancti Patres, & Thomistæ; qui vocantur, accedere videntur, sed non intrant. Ratio ejus prima sic se habet.

Quòd ex litterali possit tale argumentum deduci, provenit ex eo, quod sit intentus a Spiritu Sancto, qui nec falli, nec fallere potest, sed etiam spiritualis, est intentus a Spiritu Sancto, & aliquando magis, quam litteralis, ergo æquè ex uno, ac ex alio potest argumentum deduci efficax.

Confirmatur, *omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est, ad docendum, ad arguendum, & c. 2. ad* A *Timoth. cap. 3.* sed non minus est inspirata Sacra Scriptura a Spiritu Sancto, quoad sensum mysticum, quam quoad litteralem, ergo utrobique eadem ratio concludit.

Respon. quòd ex litterali &c. provenit ex hoc, quod sit intentus a Spiritu Sancto dist. maj., ex hoc tantum, neg. maj. ex hoc quod sit intentus, & immediatus, & ob alias rationes supra a nobis tactas conc. maj., & dist. min. etiam spiritualis est intentus, & eodem modo notificatus, & immediatus neg. min. intentus, & absconditus, & mediatus, conc. min., & neg. consequ. Constat responsio ex nostris probationibus supra adductis, nec eadem sunt repetenda. Et resp. in terminis Divi Thomæ huic argumento, *quod lib. 7. art. 14. ad quartum; non est propter defectum auctoritatis quòd ex sensu* B *spirituali non potest trahi efficax argum. sed ex ipsa natura similitudinis, qua fundatur spiritualis sensus.*

Ad confirmationem dicimus, quod si ille modus arguendi valeret, deberet etiam concludi, quod ex cauda canis Tobiæ posset deduci efficax argumentum ad convincendos hæreticos, ita ex ebrietate Noe, & idolatria populi, ex peccatis Salomonis, nam hæc narrans Scriptura est divinitus inspirata, ita argumentum præcisè probabile, esset argumentum efficax, nam illud primum tantum ex aliquibus locis erui potest, secundum quod cognoscuntur, ut dicit idem auctor sub eodem numero.

Debet ergo, & ipse respondere, quod omnis C Scriptura est utilis ad docendum proportione servata, & attento contextu, & fine, & sensuum qualitate, & cognoscibilitate, & applicabilitate cujuslibet loci, non æqualiter, & tunc non infert ex hoc, quod sensus spiritualis ex se efficax pariat argumentum.

2. Argui potest ex ipsius Doctrina, Christus, & Apostoli, ex sensibus spiritualibus efficacissimè argumentabantur, cognoscentes eos ab Spiritu Sancto intentos fuisse, ergo quantum est ex se, spiritualis sensus ministrat efficax argumentum &c. antec. quoad primam partem probat; nam Joan. 3. Christus, ex ænei serpentis exaltatione in deserto, probat exaltationem suam in cruce, quæ in priori fuerat allegoricè præsignata. Paul. ex illo *Deuteron. 25. non alligabis os bovi trituranti*, prob. pr. D Chorin. cap. 9. deberi alimenta ministris Evangelii, & ad Galat. 4. legalium cessationem, ex allegoria filiorum Abrahæ.

Confirmari etiam potest (etsi in hoc sobriè admodum procedat prædictus Doctor:) nam Matth. cap. 12. Christus defendit discipulos suos Sabbatho vellentes spicas, & contra calumnias Pharisæorum arguit per sensum allegoricum, & tropologicum, ex facto David, dicens, non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant, quommodo intravit in Domum Dei, & panes propositionis comedit? &c. Petrus etiam prima epist. cap. 3. prob. baptisma ex historia Noe, & arcæ. *Quòd & vos*, inquit, *similis formæ salvos facit baptisma*, quod est ex sensu allegorico arguere, & plurima denique passim inveniuntur in novo Testamento,

stamento, argumenta, quibus docemur ex sensu A
spirituali posse efficax argumentum sumi, pro rebus fidei.

Resp. P. Seraphinus a Porr. insignis commentator D. Thomæ, ar. 10. p. qu. p. partis in appendice, quod quando Christus, & Apostoli arguebant ex antiquo Testamento, non arguebant ex mystico sensu, sed ex litterali occulto, qui ab aliquibus Doctoribus dicitur mysticus, quia est ei valde similis, & adductis rationibus quidem ponderatis, subdit: mysticum ergo sensum vocarunt illi Doctores, sensum litteralem occultum, ad differentiam litteralis manifesti, & consequenter non accipiunt mysticum, vel spiritualem, prout distinguitur contra litteralem, sed ut contra qualitatem litteralis, seu contra litteralem talem, litteralis enim pro antiquo tempore usitatus, erat manifestus, ut patet; pro novo autem est multum occultus, & solum Prophetis, qui omnes ad diem Messiæ Prophetabant notus. Hæc ille; idipsum tenet etiam N. P. Laurentius controv. 3. ubi nostram sententiam confirmat, maximè quia errorem Moupheseni facilius destruit. B

Tam insignium virorum sententia, ex eorum sanè rationibus, & auctoritate, satis fundata apparet, unde nisi ex ea sequatur confusio inter sensus Sacræ Scripturæ, vel libertas afferendi mysticum esse litteralem, admittenda nobis videtur, & satis solvit argumentum; illud tamen huic tantum solutioni alligatum esse non arbitramur. Ideò.

Resp. admisso ant. neg. cons. non enim potest ex modo illo docendi, universaliter hæc sententia concludi, siquidem Spiritus Sanctus æquè intendit, & sensus illos spirituales, & sensus ipsos omnes Christi, & Discipulorum arguentium, eisque vim, & potestatem tribuit divinam, quæ non pendebat, quoad efficaciam, a sensibus antiqui Testamenti, sed a veritate inclusa in eorum præsentibus dictis: miracula, quæ operabantur, Sanctitas vitæ, vis Spiritus Sancti, cognitio, & explicatio omnium Scripturarum, vigor erat argumentorum, nec propterea nos ita possumus, quia illi sic potuerunt. Unde illud Christi Matth. cap. 11. *discite à me* explic. August. *discite a me; non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, sed discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*; sed ut clarius respondeamus, videamus singula, quæ adducuntur; Christus Joan. 3. suam D
prædicit exaltationem in cruce, eamque prius præfiguratam ostendit in exaltatione serpentis, nullum ibi apparet efficax argumentum, cum Judæi hoc non negarent, nec cognoscerent, & nihil erat suadendum, nisi per modum prophetiæ, quam dignabatur Christus explicare, & confirmare, ex illa figura, ut inde post factum concluderent ipsum esse, quòd antiquæ litteræ prophetaverant.

Ad illud Apostoli constat, vim potius ipsum posuisse in aliis rationibus, quas ibi posuit, deinde non ex vi sensus spiritualis arguit, sed potius per litteram, & rationes ostendit locum illum habuisse sensum illum spiritualem, quo sic probato, postea conclusit, deberi alimenta ministris Evangelii;

Vel etiam dici potest, quod Apostolus ostendit locum illum Deuteronom. habere quidem sensum litteralem proprium pro eo tempore, sed formaliter sumendum esse in sensu metaphorico; inquit enim, numquid de bobus cura est Deo?

Ad Galat. 4., explicat allegoriam, sed tota vis, ut patet, ibi non est ex Allegoria, nec verè in allegoria fundat argumentum, sed potius declarationem suæ sententiæ, legalium enim cessationem in suis epistolis, & in illa multò aliter probat, quam ex allegoria.

Ad confirmationem patet, quod ibi Christus arguit ab exemplo David, quod maximè movebat Judæos, non ex sensu mystico; nisi fortè, qui materialiter in exemplo involuebatur; & insuper alia subdit ad concludendam defensionem discipulorum.

Divus Petrus suadet a simili, & Evangelium, sive baptismum commendat, non autem argumentum facit, ad probandum simpliciter quòd ibi supponit, scilicet baptisma, ut textus ipse testatur, ac denique ubicumque invenitur in novo Testamento, probatio facta ex aliquo veteris spirituali sensu, vim principalem habet ex alio capite, vel ratione, vel non fit argumentum ad convincendum in fide.

Denique responderi potest argumento, & quæstioni, quod ubi nobis constat, per alium litteralem sensum ejusdem Scripturæ, vel per certam traditionem Ecclesiæ, & Patrum, aliquem sensum spiritualem verè esse talem, ex ipso efficaciter argui C
potest, sed vis argumenti erit fundata potius in illo litterali sensu Scripturæ supradicto, vel in ipsa Ecclesiæ traditione, quam in ipso spirituali sensu, quæ prima pars responsionis, est substantia Doctrinæ P. Antonii, & numerosi sui comitatus, ideò in hoc convenimus, solum in secunda discrepare videtur; Sed quia in praxi ostendimus, rem ita esse in iisdem ipsis locis, quæ ipse adducit ad probandum oppositum, non possumus rationabiliter convenire, sufficitque ad pacem, animi præparatio, ut cum hæc opinio, vel sui auctores nos convincant, per aliquos textus, vel rationes (quod non videtur factibile,) subscribemus.

2. Argument. ipse D. Thomas desumpsit argumentum efficax in materia fidei, ex sensu spirituali præcisè sumpto, ergo facto ipso correxit sententiam propriam, ideò hæc sententia potius favet Divo Thomæ, quam ei contradicat, si enim facto ipso retractavit, quòd antea speculativè videbatur asserere, signum est, placitum ejus denique fuisse, quòd antea displicuerat, plus enim suadent facta, quam verba, inquit enim Christus. *Joan. cap. 8. opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me*, & iterum, *alioquin operibus credite*. Antec. prob. Angelic. Doct. 3. p. qu. 62. articul. 5. in argumento, sed contra, & in corpore, probat, Sacramenta habere efficaciam ex passione Christi, quia fluxerunt ex latere Christi, pendentis in cruce, & hoc probat, quia ex eodem latere fluxit sanguis, & aqua, qui totus processus, ut patet in solo spirituali sensu fundatur, constat enim, quòd in aqua baptismus, & in sanguine Eucharistia solum

lum allegoricè fuerunt præfigurata, ergo cum posterior sit iste locus Angelici Doctoris ad illum primæ partis, immò ad omnes alios, in quibus contradicit; ultima hæc ejus sententia practica præferri debet, tamquam ultima ejus voluntas.

Respond. idem P. Antonius eodem loco, quod benè poterat D. Thomas sic efficaciter arguere, quia sensus ille spiritualis est acceptatus ab Ecclesia, & traditione certissima, & unanimi Patrum consensu, Glosæ, Augustini, Cyrilli, Apollinarii, Chrisostomi, Laurent. Justiniani, Cypriani, quos refert diligenter. Melius tamen addidisset, vim talis argumenti haberi, ex hac tam certa omnium Catholicorum notitia, quæ duo asserit, & virtutem Sacramentorum esse ex Christi passione, & hoc significari, ex eo quod ex latere ejus fluxit sanguis, & aqua, ex quo postea concluderet ex spirituali sensu, quantum est ex se, non posse sumi argumentum efficax, & necessarium ad convincendos hæreticos, in rebus fidei, quod erat in quæstione.

Vera tamen responsio, petenda est ex ipso textu Sancti Doctoris. Resp. ergo, neg. absolutè ant. quia falsum est, Sanctum Doctorem, ex sensu illo spirituali arguere. Argumentum sed contra, est hujusmodi. Sed contra est, quod super illud ad Rom. 5. in similitudinem prævaricationis Adæ &c. dic. Glosa, ex latere Christi dormientis in Cruce, fluxerunt Sacramenta, per quæ salvata est Ecclesia, sicque Sacramenta videntur habere virtutem ex passione Christi. Arguit igitur ex auctoritate Glosæ, non ex sensu spirituali, nec intendit efficaciter concludere; dicit enim, videtur, quo verbo utitur etiam in argumentis, quæ sibi opponit ad ostendendum, quod non habent vim, sed videntur habere, & raro in argumento, sed contrà, utitur tali verbo. Insuper argumentum, sed contrà, est mera oppositio, quam facit oppositæ sententiæ, ideoquè ut plurimum non curat an sit juxta seriem suæ Doctrinæ, quam alibi profitetur, sed plerumque solum ex auctoritate desumit aliorum, unde est argumentum dispositivum, potius, quam conclusivum.

In corpore verò, ubi propriam statuit sententiam, juxta connexionem mirabilem suæ Doctrinæ, quæ ubique una est, negamus, quod arguat ex spirituali sensu, ut evidens est legenti. Probat siquidem Sacramenta habere virtutem, ex passione Christi, quia Deus, est principalis auctor gratiæ, ad quem comparatur humanitas Christi, tamquam instrumentum conjunctum, Sacramentum verò, ut instrumentum separatum, ergo oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi, per ejus humanitatem in ejus Sacramenta derivetur, qua posita ratione efficaci, sed generali, eam determinat ad intentum, quod scilicet hoc instrumentum conjunctum efficienter meritoriè, & satisfactoriè liberavit nos a peccatis per passionem suam, qua obtulit se ipsum pro nobis, & ritum initiavit Christianæ Religionis, cum igitur hanc gratiam remissivam communicet nobis per Sacramenta, concludit hæc virtutem habere ex passione Christi. Ubi est hoc argumentum ex sensu spirituali? Vel alia fortè D. Thomæ summa impressa est quam non habemus: Post conclusionem autem stabilitam efficacissima ratione, ut ostenderet sensum spiritualem juvare ad quamdam confirmationem, seù declarationem veritatis probatę, subdit; In cujus signum de latere Christi pendentis in cruce, fluxerunt aqua, & sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, alterum ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta, & ita terminatur corpus articuli; unde inferimus majorem dictorum confirmationem, nam & dicto, & facto adamussim, a principio summę usque ad consumationem perpetuò docuit hæc eadem, quæ nos costanter asserimus.

Sed dices, nos aliquando superius admisisse, ex sensu spirituali posse desumi efficax argumentum, ergo inconsequenter nunc opinionem hanc reprobamus.

Resp. etiam nunc, rem intelligendo, juxtà Doctrinam, quam in hac quæstione uti in proprio loco statuimus, nos idipsum asserere, ita ut argumentum inde desumptum, sit confirmativum potius, quam primò demonstrativum, & robur præcipuum, ex alio litterali loco Scripturæ, & consensu Patrum, & Ecclesiæ accipiat; quamvis enim intentus sit a Spiritu Sancto, hoc non sufficit, quia non omnia intenduntur eodem modo, & inter veritatem talis sensus, & conclusionem deducendam contra hæreticum, mediat intellectus, & dispositio arguentis, & audientis; quod si fortè alibi aliquid exciderit contra præsentem Doctrinam, hoc fortè dictum erit in aliena sententia, vel cum suspensione expectante, ex præsenti quęstione decisionem &c.

Quæres ad complementum hujus materiæ, an ex sensu litterali metaphorico possit dessumi efficax argumentum, ad res fidei.

Resp. affirmativè, & prob. ita immediatè significatur sensus proprius Spiritus Sancti per locutionem metaphoricam, ac per propriam; dicitur enim translata locutio, ab uno ad alterum, ergo si est translata, jam ut talis in praxi non est amplius illius a quo transfertur, sed illius rei, ad quam, ergo sicut eum significabat propriè, significabat immediatè, ita cum est translata, etiam immediatè significat id, ad quod est translata, ergo si ex litterali proprio potest efficaciter argui, etiam ex metaphorico.

Inde tamen non sequitur, quod ex omni sensu metaphorico possit efficax argumentum haberi, sicut nec potest semper ex proprio; aliquando enim, sensus metaphoricus est valdè absconditus, & similis spirituali, aliquando indeterminatus est, ex vi signi adjuncti universalis, vel particularis, quod contingere potest, tam in proprio, quam in metaphorico, de quo Deo dante tractandum erit in regulis, quandoque etiam proprietas hebræi, vel græci idiomatis, determinationem, vel intelligentiam litteralis sensus abscondit, vel ex alio simili capite oritur talis obscuritas, ut deservire non valeat ad arguendum, nisi adjutus aliqua explicatione, quam alibi Scriptura ipsa præstet, quod in rebus necessariis ad fidem, semper ita evenire constanter asserunt SS. DD. Augustin., & Thomas, ut suprà vidimus, aut saltem unanimis Patrum

consensus declaret, quænam sit ejus intelligentia. Tunc enim hæc elucidatio nobis deserviet, ut intelligamus, non sensui ut concludat, ad diversitatem sensus spiritualis, qui per Patrum consensum completur, ut efficaciter concludat, quia ex suo genere non est institutus ad arguendum demonstrativè, ob rationes superius factas, cum hoc sit proprium tantummodo sensus litteralis, ut semper docent Angelicus, Augus., & Hieronym. Denique attendi debet quoad quemcumque litteralem, variatio, & figura, quæ non ita facilè deprehendi potest sine Patrum illuminatione, statim enim fit aliquando excursus, de persona ad personam, de Prophetia futuri, ad historiam præsentis, & è converso, & plures introducuntur, quasi interlocutores, sicut in dramate, vel simili opere polemico, in quibus nunc non detinemur, quia ut dictum est, hæc sibi proprium habent locum.

CAPUT VIII.

Ubinam in Scriptura Sacra, sensus mysticus reperiatur.

ARTICULUS I.

An in solo veteri Testamento sit sensus mysticus.

QUod in veteri Testamento detur sensus mysticus est de fide, ut constat ex Apostolo, qui ad Galat. cap. 4., & alibi sepè eum asserit in suis canonicis epistolis, ut supra ostensum est satis; dubitant igitur aliqui, an solum ad vetus Testamentum restringatur, an verò etiam reperiatur in novo.

Dicendum est, cum D. Thoma, etiam in novo Testamento omnes spirituales sensus reperiri. Ità expressè D. Angelicus *quodlib. 7. art. 15. ad 5.* ubi sic: *ea, quæ ad litteram de ipso Christo capite loquuntur, possunt exponi, & allegoricè, referendo ea ad corpus ejus mysticum, & moraliter referendo ad actus nostros, qui secundum ipsum debent reformari, & anagogicè, in quantum in Christo est nobis iter gloriæ demonstratum &c.* supra etiam dedimus, quæ p. p. qu. 1. art. 10. in corpore idem adducit, ad ostendendam hanc conclusionem. Ita cum ipso omnes Thomistæ &c. Prob. breviter, & sigillatim quoad omnem sensum.

De anagogico planè: resurrectio Christi, figura est, & exemplar resurrectionis nostræ, & ascensio Christi ascensionis nostræ, *ubi enim præcessit gloria capitis, spes vocatur, & corporis.* Leo Papa &c., & ipsa Ecclesia in collecta Ascensionis dicit, ut qui Redemptorem nostrum in cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus, & ipsemet Christus, Joan: *c. 17., ut ubi sum ego, illic & sit minister meus*, & Petrus in epistola primi &c., & pluries invenies similia in Evangelio, & apud Sanctos Patres, exponentes illud, *& cum*

A *exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Joan. cap. 12.*

De tropologico evidens est, omnis enim actio Christi instructio nostra moralis est, ideò dicebatur Magister docens verbo, & exemplo. *Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis. Joan. cap. 13. Sum etenim, sicut ergo lavi pedes vestros, ego Dominus, & Magister, ita & vos &c. & Math. cap. 11. discite à me, quia mitis sum* unde Gregori. quem alias dedimus, in quavis Christi actione magnam recognoscit Doctrinam, & Bernard. *non decet sub capite spinoso, membrum esse delicatum &c.* & Apostol. *ad Hebr.* 13. per rigorosam spiritualem tropologiam explicat circumstantiam illam passionis, quod videlicet extra portam passus sit, dicens: *Exeamus igitur ad eum extra castra, impro-*
B *perium ejus portantes.* Et certum est, plura Christum fecisse, ut sua actione aliud a nobis gerendum significaret, ut passim Expositores declarant, nec solum hoc constat de factis Christi, sed & de his, quæ fuerunt circa ipsum facta, unde Gregori. de resurrectione Christi, *ad cap. 16. res gestæ*, inquit, *aliquid in Ecclesia designat gerendum*, & ibi pudorè per tropologiam exponit, & unguenta, quæ attulerunt mulieres, & descensum ac vestes Angelorum, & de nativitate, *natus est corpore, ut tu nasceris Spiritu, factus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.*

De allegorico ostenditur. Tunc habetur hic sensus; cum aliquid fit, vel est, significans eorum aliquid, quæ spectant ad Christum, & Ecclesiam militantem,
C in novo autem Testamento, plura facta sunt, quæ figurabant alia in eodem Christo, vel in ejus Ecclesia facienda: Baptismus Christi figura fuit mortis, & sepulturæ ejus, quam baptismus noster, & ipse repræsentat; *ad Rom. cap. 6. consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, & ad Colos. 2. consepulti ei in baptismo*, ubi Theophil. *quod Christo est crux, & sepulcrum, id nobis est baptisma.* Vocatio Magorum, vocationem gentium præsignabat, ut notant Patres, & præcipuè Augus. *serm. 90. de tempore. Judæorum codices recitamus, ut tollatur dubitatio paganorum, qui jam illis magis figurabantur.* Asina, pullus ejus quibus usus est Christus, ut communis dat Patrum intelligentia, fuit complementum Prophetiæ Zachariæ cap. 9., & figura, ac Prophetia, *Asina enim, & pullo ejus in-*
D *sedit Christus, quia Synagogam prius illustravit, & populo Gentilium insidet jam nunc per fidem.* Ambros., & Beda; de quo vide P. Antonium, hoc loco; quod idem prænunciatur per cursum Petri, & Joannis ad sepulcrum, quia Joane præcucurrit citius Petro, sed Petrus prior intravit. Videatur ibi Gregorius.

Sed dices: figura imperfectior est figurato, ergo repugnat, quod Christus, & facta ipsius gerant munus figuræ, immò primitiva Ecclesia perfectior erat, quæ primitias Spiritus Sancti habebat, ut ait Apostol. *nos ipsi primitias Spiritus habentes*, non igitur quærendus est sensus mysticus in novo Testamento. Ant. est certum, & ex eo constat, quod status veteris Testamenti imperfectus erat, quia erat umbra tantum, & figura eorum,

rum, quæ futura erant in novo, quia omnia in A figura contingebant illis, de quo plura idem Apostol. passim in suis epistolis.

Respond. ex D. Thoma quodlib. citato, ad quintum, quod nullum inconveniens est, quod ea, quæ dicuntur de primitiva Ecclesia, exponantur, quantum ad futurum statum Ecclesiæ præsentis 2. ex eodem Angel. 3. *p. qu. 88. art. 3. ad secundum*, ubi inquit, *ipsa passio Christi licet sit aliquod signatum per alia sacrificia figuralia, est tamen signum alicuius rei observandæ a nobis, juxta illud p. Petri cap. 4. Christo igitur passo in carne, &c. vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne desiit a peccatis, ut jam non hominum desideriis, sed Dei voluntate, quod reliquum est, in carne vivat temporis.*

B Hæc igitur Doctrina debet componi, cum illa communi, & ejusdem etiam Angelici, quod figura imperfectior est figurato. Itaque respondem. dist. ant. figura imperfectior est figurato, si sit præcisè figura, con. an. si sit figura, & finis, & exemplar, in eo ipso, in quo est figura, neg. ant., & neg. conseq. dupliciter potest aliquid esse figura alterius, ita ut tota ejus perfectio in hoc consistat, & totum quod in ea est, ordinetur præcisè ad figurandum, & hoc non potest stare cum esse perfecto in illa linea, in qua figuratum dicit perfectionem, ut clarum est; id enim quod est tale propter aliud tantum, dicitur bonum per participationem, & secundum quid tantum, & ita se habebant, quæ fiebant in veteri Testamento. 2. modo aliquid potest esse figura alterius per modum C exemplaris, & finis, in quantum quod contemplata ejus perfectione cognoscimus, qualiter omnia, quæ ad ipsum tendunt, & ordinantur, debent se habere, ne fini, & exemplari disformia sint, nihilque ab eo participent perfectionis, quod est esse figuram eminenti modo, per modum regulæ, & perficiendis, non perfectibilis, & hoc modo se habent, Christus ejusque actiones, & passiones, & ipsa Ecclesia, quæ est mysticum ejusdem corpus, idque innuit D. Thom. loco citato, ex 3. parte, si enim passio Christi est signum, & signatum, jam qua signata est, habet rationem finis perfectissimi, ad quem veteris Testamenti figuræ ordinabantur; & ex hoc ipso habet rationem exemplaris, in quo tamquam in figura cernuntur nostræ futuræ actiones, quales esse debeant, idque D explic. D. Petrus in addito testimonio.

Accedit etiam, quod etsi concederetur, actiones Christi ad nostras ordinari, tamquam figuras, non ideò imperfectæ dici possent; quia ita ordinantur ad actiones nostras, ut easdem nostras actiones ordinent ultimatè ad Christum, in quo magna quidem dignatio, sed nulla imperfectio; quia potius perfectio maxima apparet, quod innuere videtur D. Thomas, in primo loco supracitato. Adde 2. quod sicut dicimus, propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & Incarnatus est &c. ly propter, dicente finem effectum, ita pariter dicitur figura, causans perfectionem in figurato, unde nihil est inconveniens. Disputant hic DD. de mente Abul. qui unicus videtur inter Catholicos, nostræ conclusioni refragari. Sed qui sibi illum opponunt, fingunt sibi hostem, quem feriant, ejus enim opinio est, quod quia allegoricus sensus ille est, secundum vulgarem intelligentiam, qui significat aliquid in Christo futurum, ideò non videtur quærendus in novo Testamento, in quo Christus jam venit; allegoricum igitur sensum in novo Testamento non videtur admittere sed eodem contextu alios spirituales sensus ipsi attribuit, per veram assertionem, ut patet, qu. 28. in cap. 3. Math. paragr. quod autem anagogicus &c. & planè in eo sensu, nihil falsum diceret Abul. si semel verum esset, quod allegoria præcisè concerneret Christum futurum. Hoc tamen negatur, quia, ut vidimus, una actio Christi, & terminabat figuram aliquam veteris Testamenti, & aliam futuram ejusdem Christi actionem figuraliter præveniebat, & jam unanimis Doctorum consensio est, quod allegoricus sensus, etiam mysticum Christi corpus concernit, de quo, quia usque in finem seculorum perdurabit, possunt aliquæ ejusdem actiones, futuras alias allegoricè præmonstrare, ut vidimus ex D. Thomæ sententia, primo loco citato ex quodlib. 7.

ARTICULUS II.

An in omni Sacræ Scripturæ loco sensus mysticus reperiatur.

Dicendum est primò, tum de veteri, quam de novo Testamento, non in omni Sacræ Scripturæ loco sensum mysticum reperiri. Hæc conclusio certissima æquè, ac communissima est; & patet ad sensum, eamque probant, & declarant Sancti Patres, D. Thom. quodlib. citato art. 15. ad 5. Hieronym. epist. ad Avitum, & Prolog. lib. 5. in Isaiam, & ad cap. 27. & 28. Hierem. ac intemperatè mysticum, sæpè damnat Origenem: D. Gregor. lib. 21. Moral. cap. 1. Augustin. lib. 17. de Civitate Dei, c. 3. ubi ut alias vidimus damnat, & errare ostendit eos, qui omnia in Sacis litteris allegoricis significationibus involvi contendunt, & eos, qui ad aliud declinant extremum, & denique communiter omnes excludunt.

Prob. ratione; sensus spiritualis est, qui significatur mediis rebus sensibilibus, effectis ad significandum vice verborum, sed in Sacra Scriptura, non in omni loco similes res invenimus, ergo nec sensus in omni loco latet spiritualis. Min. prob. pluribus in locis, vel mores diriguntur, vel virtus commendatur, vel vitia corriguntur immediatè per litteralem significationem, non referendo rem aliquam, vel actionem figurativam, sed doctrinam præcisissimam, ut cum dicitur; *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Deut. 6.* qui locus certè unicum sensum litteralem habet, ut notat Cassian. coll. 8. cap. 3. & cum alia similia præcepta, jurisque naturæ principia traduntur, ut frequenter in Sapientialibus, & alibi passim reperimus, in quibus ipsemet spiritualis sensus est litteralis, & immediatus, idest tractans de materia spirituali. Et quamvis aliqua sint in prædictis lo-

est, quæ metaphoris constant, ea tamen ex hoc ipso habent suum litteralem sensum, quem voces metaphoricè acceptæ, immediatè significant; Ut cum dicitur in Cantic. *cap. 7. Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*, litteraliter significatur prudentia Sponsæ, quæ res, & media ad virtutem necessaria a longe dignoscit, & quasi videtur olfacere.

Confirmatur; cum aliquid de Deo immediatè significatur, locus ille sensum spiritualem seu mysticum non admittit, quia nihil ibi sensibile narratur, ex quo aliud valeat significari.

Dicendum est secundò non omnis locus Sacræ Scripturæ habens sensum mysticum omnes tres sensus mysticos habet, sed alicubi unus, alicubi duo, alicubi omnes.

Huic etiam conclusioni omnes subscribunt, & experientia ipsa testatur; declaratur aliquibus exemplis. In illo Numer. cap. 21. de serpente Æneo, qui Jo. 3. allegoricè exponitur de Christo in cruce, nullus sensus moralis, aut anagogicus directe pullulat: sic de Christo extra Portam passo, ut constat ex Apost. ad Heb. cap. 13. eruitur per eundem Apostolum sensus moralis, scilicet abrenunciatio sæculi; allegoricus tamen, vel anagogicus illic, locum non habet: Idem Apostol. ad Galat. 4. allegoricè exponit, quod Abraham 2. filios habuit, immò & anagogicè, ut ibi patet, at nihil tropologicè: at verò ad Hebr. 3. & 4. illum locum *Psalmi 94. quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, declarat allegoricè, tropologicè, & anagogicè, ut attentè considerans Apostoli contextum deprehendet, & de hoc plura exempla supra notavimus.

Obiicies contra primam conclusionem. *Prima ad Chorin.* 10. *omnia in figura contingebant illis*, hoc ergo dicit Apostol. de veteri Testamento, ergo saltem in illo verum est, quod in omni loco illius datur sensus mysticus, ut videtur velle Origenes practicè, ubique mystica quærens.

Resp. conc. ant. & neg. cons. quæ contingebant in illo populo, notabiliter, concedi potest fuisse figuras, eaque proinde relata, sensum mysticum continere, at non ubique narrantur, quæ contingebant, sicut enim dantur libri Sapientiales, qui non sunt historiales; ita etiam est ipsa lex, quæ quamvis & ipsa figuras contineat, ut de cæremonialibus constat, & prob. D. Thom. quæst. 103. primæ secundæ, & alibi, tamen in moralibus non ita, de quo in nostra probatione agebamus.

Duplicem aliam responsionem huic objectioni adhibet N. P. Anton. loco citato, dub. 17. num. 134. sed prima non videtur solvere instantiam, ex quo enim quod addit, *scripta sunt autem, ad correptionem nostram*, potius videtur concedere, quod in illis omnibus contineatur, sensus tropologicus, quod nos quidem concedimus, cum narratur aliquid gestum specialiter ad significandum, quod planè voluit Apostol., sed hoc non ubique in veteri Testamento invenitur, & hoc idem videtur etiam ipse velle in secunda; Tradita autem a nobis magis quadrat verbis Apostoli, & a priori procedit ex natura mystici sensus.

Obiic. secundo Sancti PP. dicunt Sacram Scripturam brevem sermone, sensibus longam, & ex singulis ejus syllabis, & apicibus plura scatere mysteria, sed hæc non semper litteraliter apparent, ergo saltem spiritualiter verificantur, itaut in singulis locis mystici sensus inveniantur, & hoc tam in veteri Testamento, quam in novo concludit.

Confirm. Hieronym. *in proem. comment. in Isai.* ait; *post veritatem historiæ, spiritualiter accipienda sunt omnia, & ep. 13. totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est, qui edere vult nucem, frangat nucleum*, ubi planè universaliter loquitur S. Doct. ergo in omni &c.

Confirm. 2. per librum scriptum intus, & foris, quem vidit Joannes Apocalyp. cap. 5. contendunt omnes universim Patres, & Doctores intelligi Sacram Scripturam, scriptam foris per litteram, intus verò per sensum spiritualem latentem, ergo sicut tota litteram, ita tota spiritum, sive sensum mysticum nutrit in omni loco.

Objectioni respon. conc. maj. & dis. min. non semper litteraliter apparent, nec semper in omni loco spiritualiter latent, con. mi. semper ubique spiritaliter latent, neg. mi. & neg. cons. verè, & variè mirabiliter Sacra Scriptura, alicubi adeò sensibus abundat, ut inscrutabilis appareat, alicubi non ita, sed considerato contextu, & coordinatione, verum est omnem apicem, vel ratione sui, vel ratione aliorum, aut plures litterales, aut etiam spirituales sensus ministrare, nunc autem de quolibet loco in se, & ratione sui considerato est quæstio, & non ubique aliquid gestum ad significandum narratur. Dicere autem, ut respon. P. Anton. a PP. ita dici per hyperbolen, sicut dicit etiam P. Vasq. non audemus, cum aliunde satis, superque constet ad objectionem.

Ad primam confirmationem patet, Sanctum Doctorem loqui de locis historicis, ubi res gestæ, & significativæ narrantur, quod omnibus locis non competit. Ad secundum locum ejusdem, eodem modo intelligi dicimus, & de Scriptura generaliter considerata.

Ad secundam confirmationem, conc. ant. de tota Scriptura secundum se considerata, at de omni loco sigillatim, neg., & neg. cons. littera enim necessaria est Scripturæ, in omni loco, ut manifestetur divina locutio, immò ad omnem sensum requiritur, etiam spiritualem, qui in ipsa fundatur, cum autem non sit verum è converso, quod sensus spiritualis requiratur ad litteram, ideò manifesta disparitas elucet: Servata igitur natura cujuscumque sensus, tenet Patrum communis sententia, quod per illum librum intelligatur Scriptura, & duplex ejus sensus. Cum autem ex natura sua non ubique locum habeat spiritalis, nemo potest ubique eum asserere.

3. obiic. ex Paiva lib. 1. cap. 20. num. 7. quem singulariter nostræ conclusioni adversari constat ex relatis a N. P. Antonio, loco citato, num. 130.

Omnis locus, vel continet rem naturalem, vel supernaturalem; si naturalem, cum hæc ad supernaturalem ordinetur, & possit referri, erit ejus figura.

gura. Si supernaturalem, etiam potest referri, vel ad Ecclesiam triumphantem, vel ad Deum; inquit enim *Apost. 2. Chorinth. 3. omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, ergo ubique sensus mysticus erit: Nec refert, si resp. saltem ea, quę de Deo dicuntur, hanc rationem effugere, quia cum creatura sit aliqua Dei similitudo, ex his quę de Deo litteraliter dicuntur, aliquid ad creaturam deduci ratione similitudinis potest, & hic erit sensus spiritualis.

Resp. omnem rem, de qua agitur in Scriptura verè esse naturalem, vel supernaturalem, sed non omnem esse sensibilem, nec de omni re adhuc sensibili constare, quod effecta sit ad alterius significationem; verum est posse referri, sed probandum est, quod referatur, & habeat alias conditiones, ad mysticum sensum requisitas, & adhuc difficultas est, de doctrinalibus, & preceptis, in quibus nulla est apparentia mystici sensus, & multò minus in his, quę de Deo dicuntur; cui etsi similitudinem aliquam creatura habeat, non tamen ipse similis est creaturę, ut D. Thom. prob. pluribus locis, nec ad eam correfertur, nisi relatione rationis, quę non est res, ut fundet aliquem sensum. Potius autem sequitur ex hac instantia, quod ex his, quę de creaturis dicuntur sensus spiritualis habeatur per respectum ad Deum, quod verum est, ubi cętera requisita concurrant; Unde patet ad locum Apostoli in quo explicatur ordo finis, non significationis, de qua nunc agimus.

Contra secundam conclusionem neminem invenimus; nec valet impugnari.

CAPUT IX.

De sensu spirituali, quoad materiam.

ARTICULUS I.

An actio mala, & viri mali, non obstante malitia, possint spiritualiter significare bonum.

MAla operatio ignavi hominis, qui iniquè damnavit, & damnari curavit N. P. Antonium, eo quòd affirmativam partem in hac quęstione doceret, occasionem dedit, immò coegit eundem Doctissimum Patrem, mirabili eruditione, suam tueri, ac illustrare sententiam, ideoque novam indidit nobis rationem, qua ad eandem sequendam duceremur; si enim falsitas veritatem, ignorantia sapientiam, quodammodo velut causa, necessariò ad lucem prodire facit, tanta non est improportio, inter malam, & bonam actionem, ut per illam hæc valeat etiam figurari. Breviter verò quæstionem hanc absolvemus, quidquid enim erudite & sapienter dici posse circa illam videtur, prædictus auctor exposuit. Itaque.

Dicendum est primò, non obstante malitia, etiam actio mala relata in Sacra Scriptura, bonam potest, quandoque præfigurare. Explicatur conclusio. Etenim nemo unquam Catholicus dicet,

A malum, quia malum est formaliter, aut eligi efficaciter a Deo ad significandum, aut fieri, aut intendi, ut fiat ad significandum, ideò & in titulo, & in conclusione expressum est, *non obstante malitia*, ut malitiam secernamus ab actione, vel persona humana; supponimus enim adeò displicere, & remotam esse a Deo malitiam, ut hæc sola, possit fortè obstare, ne a Deo assumatur ad significandum actio, vel persona, cui malitia inhæret, sed considerando divini solis radios, cæno non infici, eam resolvimus non obstare. Accipimus igitur actionem, secundum quòd actio humana est, cui potius repugnat malitia, qua inficitur, non defectum actionis, quia revera hic non terminat efficientiam, sed defficientiam, unde ex terminis ipsis sic explicata remanet probata conclusio.

B Insuper non de omni actione, aut persona mala sermo est, sed tantum de aliquibus, ubi nempe natura actionis habet proportionem ad significandum aliud, præcisa malitia, idque non temerè judicandum est, sed Patribus vel docentibus, vel annuentibus. His positis.

Probat conclusionem P. Anton. quinque Ecclesiæ Doctorum expressa auctoritate, aliorumque Patrum, ac plurimorum Doctorum choros accinentes recitat, quorum catalogum, a nobis etiam quantum fieri potuit examinatum, fideliterque recognitum, qui voluerit, videat apud ipsum.

Ratio prima, est Divi Augustini, *lib. 22. contra Faustum, cap. 83. quando homo committit adulterium, de malo opere hominis, sequitur bonum opus*

C *Dei, scilicet, homo, de fecunditate feminum* (inquit Augustinus) *non de turpitudine vitiorum*, ergo multò magis mala hominis operatio poterit bonum aliquod præfigurare, non peccantis opere, sed scribentis scilicet Dei, prob. cons. minor siquidem apparet repugnantia in hoc, quòd entitas operis mali, quæ ex natura sua bonum sibi adjungi exigeret, ad bonum aliud significandum assumatur, quam quod bonum ipsum efficiat realiter; ad efficiendum enim concurrit actio secundum quòd existit, & effectum præcontinet, ad significandum verò concurrit, secundum quòd, in aliqua ratione similitudinem habet cum eo, quod significatur &c.

Confirmatur ex eodem Sancto Doctore, *in Ps. 54. ad 1. V. ne putetis*, inquit, *gratis esse malos, in hoc mundo, & nihil boni, de illis agere Deum*,

D & alibi etiam idem S. Doctor id confirmat. Si ergo de malis, qua mali sunt, Deus aliquid boni facit, quantò magis de malis actionibus, ut malæ non sunt, aliquid bonum significabit?

Prob. secundo, ex eodem S. Doctore, loco citato contra Faustum, aliud est malam actionem ordinare ad significandum, aliud verò eam proponere ad imitandum, hoc secundum quidem pessimum est, nec dicet aliquis Catholicus, eam ad hunc finem poni in Scriptura, sed potius proponitur, ut evitetur, & hoc bonum est, sicut si malum peccatori proponitur, ad hoc ut pæniteat, est optima propositio, ergo etiam, quòd eadem proponatur ad significandum aliquod bonum, bonum erit. Prob. consequ. Sicut bonum est, quod peccata evitentur, & quod de illis fiat pœnitentia, ita bonum

est,

est, quod Dei benignitas nobis eluceat, in hoc quod est, etiam malis uti nostris, ad bona prænuncianda, ergo &c.

Confirm. per accidens est in ordine ad significandum, quod res significans sit bona, vel mala, bonitas siquidem, vel malitia desumitur, per ordinem ad legem, & alium ordinem constituit; significatio potius spectat ad ordinem intelligibilem, & ordinem veri, qui spectat ad intellectum; sicut ista propositio, Petrus Apostolus est Sanctus, semper idem significat, sive proferatur a justo, sive ab iniquo, sive mala, sive bona intentione, sive proferatur cum animo mentiendi, sive cum animo veraci, ergo nihil interest in ordine ad significandum per res, & actiones, quòd actio sit bona vel mala.

Unde Hieronym. ad illa verba *Abac. primo ecce ego suscitabo Caldæos*, cum ea, quæ significant secundum modum litteræ indignationem, & captivitatem, exposuisset tropologicè, de libertate, & clementia, subdit. *Historia stricta est, & evagandi non habet facultatem: tropologia libera his tantum legibus circumscripta, ut pietatem sequatur intelligentia, sermonisque contextum, nec in rebus multum inter se contrariis violenta sit copulandis.*

Addit prædictus auctor, alia Patrum testimonia, quæ magis quadrant secundæ conclusioni, ideò satis probata hac prima conclusione, oppositæ sententiæ argumenta solvemus.

Negativam eligunt partem pauci quidam. Machim 1. p. qu. 1. ar. 10., disp. 8. sect. 4. corol. 3. Arrub. eodem loco; disp. 8. cap. 11. num. 53. Ribera in proœm. Malach.

Argum. primo adhoc ut actio aliqua spiritualiter significet aliquid debet abere cum eo similitudinem, & debet specialiter procedere a Deo, & ordinari ad significandum, sed nulla actio mala potest procedere specialiter a Deo, immò nec generaliter, nec a Deo ordinari ad significandum tamquam verbum ejus, ergo &c. Major est certa, & a nobis multoties afferta quoad primam partem, & tertiam; quoad secundam etiam constat, quia qui ex intentione loquitur, verba illa specialiter eligit, & format, per quæ suum sensum exprimat; modus autem proprius loquendi Dei, est per res, ergo id, per quod loquitur, debet specialiter producere, ex intentione, & electione. Min. a nemine negatur, nam objectum intentionis, & electionis etiam humanæ est bonum, non malum; quod tamen aliquando placet ex errore, qui in Deo esse non potest, ideoque esse malum in nobis ipse permittit, sed non facit, nec concurrit ad ejus materiale formaliter sumptum.

Resp. conc. maj., in sensu explicatæ conclusionis, & in eodem neg. min. quoad omnem partem: Nititur ergo argumentum in nihil, numquam enim dicimus, quòd actio mala secundum malitiam, quam habet, spiritualiter significet, sed quòd actio, quæ mala est, non impeditur, ex eo quod sit talis, a significando bonum, sicut non desinit esse ens, aliasque formalitates reales habere, ad quas Deus positivè concurrit; constat autem, quod ad id potest specialiter Deus concurrere, ad quod generaliter; sola enim malitia formalis, ejus fugit utramque causalitatem.

2. Argu. adhoc ut res, vel actio aliquid significet, debet hoc habère ex proprio esse, nec sufficit intentio significantis, sicut sufficit in verbis, quæ faciunt sensum litteralem, ex arbitrio, & intentione loquentis, sed actio mala ex natura sua non solum non proportionatur bono, sed illud excludit, ergo; Maj. prob. res significat per modum rei, ergo secundum esse, quod habet, tale enim esse non variatur per intentionem aut arbitrium loquentis, quia essentiæ sunt perpetuæ. Min. est evidens, ergo &c.

Ad hoc etiam argumentum constat ex dictis in explicatione, & probatione conclusionis, conceditur ergo, quod ut res significet & debet habere similitudinem, cum re significata, in eo, in quo eam significat, sed sicut eam adæquatè non significat, ita nec in omnibus ei debet parificari, nec assimilari, cum autem dicitur, quod actio mala significat bonum, non significat ut mala, ut dictum est, sed ut res, quia significatio spiritualis est in re prout res, ut mala autem non est res, ideò contra se ipsum stat argumentum.

Sed dices, malitia inficit totam actionem, ergo in nullo bona est, ergo in nullo assimilatur rei bonæ, nec proinde eam potest significare. Prob. ant. bonum ex integra causa, malum ex quocumque deffectu, ergo. Tum etiam, eo ipso, quod actio sit mala recedit ab ultimo verò fine, ergo non ordinatur ad aliquid bonum, si enim hæc duo possent simul esse, jam esset, & non esset ordinata ad Deum ut ultimum finem, esset quidem, quia a Deo agente propter se ipsum, esset ordinata ad Deum, ad quem bonum significatum tendit, non esset autem, quia mala cum sit, eò ipso tota recedit ab illo.

Resp. dis. ant. malit. inficit totam actionem, ut ab agente morali, & legibus subdito, con. ant. ut ab agente Physico neg. ant., & eodem modo distint. consequ. ab probationem dis. an. bonum morale est ex integra causa, con. ant. bonum Physicum, neg. an., & neg cons. certum est; quod ad hoc ut actus humanus sit bonus moraliter, debet procedere a prudentia, à qua nulla circumstantia mala conceditur, & ideò in linea morali non potest idem actus esse bonus simul, & malus, etiam secundum diversa; quia hæc diversa in uno actu sumuntur semper secundum idem principium, scilicet prudentiam, quæ est ratio D. Thomæ a Nostris Patribus Salmaticensibus egregiè expensa, tract. 9. de bonitate, & malitia, cæterum in linea Physica attenditur vis suorum principiorum, & ratio participationis in ratione entis, quæ numquam potest pertingere ad esse perfectissimum, cum sit participatio, ideo bonum convertitur cum ente, & sequitur ejus latitudinem in esse participationis, estque bonum, cum habet id, quod ipsi competit, suo modo deficienti, nec debet esse ex omni parte integrum; hoc data occasione dictum est; ad argumentum enim sufficit, quod in priori responsione dicebatur.

Ad id quod additur, etiam, eodem modo resp.

sed

sed & clarius, per quem nomodum, quod actio humana comparatur ad Deum tamquam ad auctorem, & finem naturalem, moralem, & divinum, primo modo in eam influit Deus, quoad ejus naturam, & realitatem, & ordinat eam ad finem divinum, scilicet ad se ipsum, 2. modo consideratur ut bona, vel mala; si mala, eam permittit tantum, non causat ullo modo, ut talem, ideò nec est ejus auctor, nec finis; 3. modo in eam influit, quatenus eam ordinat ad se ipsum (nisi sit mala) tamquam ad ultimum finem sui ipsius. Quando igitur ordinat actionem malam ad significandum, non consideratur ordo moralis, quia in eo, ipsam non ordinat in ullo genere causæ, sed ordo naturalis, quem Deus ordinat ad divinum, ut nempe significet per suum esse reale aliquod bonum, quod ordinatur ad ipsum, ut finem divinum, scilicet ipsius Dei, in quo nulla sequitur contradictio, quia malum non intrat in hanc ordinationem, nec defectus creaturæ subtrahentis a Deo propriam actionem, quantum potest; non enim potest ab eo eam subtrahere naturaliter consideratam, quia hoc non pendet a creatura, eo ipso quod agit. Ut mala verum est, quod tota recedit a Deo, sed tota ipsa non est moralitas, vel moralis, immò in hoc maximè elucet malitia, quod creatura utatur contra Dei legem, ea realitate, ad quam ipse Deus concurrit; unde ipse conqueritur, servire me fecisti, in iniquitatibus, qui locus intelligitur in linea morali, quia homo malè agendo postponit Deum suo bono proprio, quasi Domino servum, & quia divino concursu ad entitatem moralem actus humani abutitur, subtrahendo talem actum ab ejus lege.

ARTICULUS II.

Resolvitur quæstio quoad secundam partem.

Dicendum est secundò, in aliquibus impiis, & peccatoribus, qui recensentur in veteri Testamento, Salvatoris figuram inveniri, & per illos hunc spiritualiter, in Scriptura significari.

Hæc conclusio claritatis ergo proposita est, ut distincta a præcedenti, revera tamen idem continet; impius enim dicitur ab impietate, & peccator a peccato, unde non obest, quod sit peccator, ut optimum tamquam ejus figura, repræsentet, videtur tamen aliquid particulare præseferre, ut constabit ex probationibus, quæ potissimum in exemplis, ut a Sanctis Patribus intelliguntur, consistent, per quod magis roborata stabit etiam præcedens conclusio. Eandem Patrum universitatem, cum N. P. Antonio, ac in præcedenti adducere possumus, sed facilius apud ipsum collectos invenies. Ideò tantum aliquorum referemus expositiones, quoad peculiaria loca, & in primis.

Tertullian. lib. 4. advers. Marcion. cap. 21., & alibi sæpe, quæ dicit Isai. cap. 45. v. primo, de Cyro, exponit de Christo, qui locus sive habeat sensum litteralem de Cyro, & spiritualem de Christo, vel duplicem litteralem, alterum de Christo, alterum de Cyro Rege, ut nos alias innuimus, cum

A præclari Doctores hoc dottant cum nostro Incognito, quod ubi Christus nominatur in veteri Testamento, nisi aliquid obstet, sensus litteralis est de Christo salvatore, semper convincit intentum, nempe propositionem talem reperiri in eo qui alias iniquus est, ut in ipso aliquid boni etiam dici possit, quod intelligi possit de Christo.

Subscribit etiam Cyrill. Alexand. qui ad dictum cap. 45. Isaiæ, inquit: *conspicere, licet, optimè, in Cyro, ejusque factis, tamquam in imagine, divina, hæc præclara beneficia universæ terræ divinitus donata, per quæ scilicet Christum figurat.*

Gregor. lib. 4. Moral. cap. 3. & Eucherius, lib. 2. Regum cap. 31. ubi hic ait: *scire debes, quia veraciter Saul, qui post unctionem sacri chrismatis, quo Christus Dominus vocatus est, occidi meruit, mortem nostri Christi, quam sine culpa subire dignatus est, insinuat.*

B Salomon (jam quasi traditio est) significat Christum, ita enim sentiunt omnes, quorum plurimos refert eruditus Pineda de rebus Salomonis lib. 6. cap. 16., & ob hanc rationem videtur pluribus probabilius, eum denique salvum fuisse, qui tot mysteriis figura fuit Salvatoris, qui portavit iniquitates omnium nostrum, quos ob alias rationes secuti sumus, cum de anima Salomonis ageremus, inclinante in eandem decisionem Angelico Doctore, ut ibi diximus. Videatur Ambros. apolog. prima, pro David cap. 3. & apol. 2. cap. 6., & Augustinus lib. 17. de Civitate Dei cap. 8. & alibi

C sæpe, qui maximè facit pro præsenti conclusione, quamvis enim Salomonem damnet, tamen typum fuisse Christi semper defendit.

David in solario deambulans, Christi figura fuit. Greg. lib. 13. mor. cap. 16.; inquit enim, *cujus autem David in solario deambulans, typum tenet, nisi ejus, de quo scriptum est: In sole posuit tabernaculum suum?* Ubi prosequitur &c. Videatur Eucherius lib. 2. Regum, cap. 7. Ambros. apol. David, cap. 3., & 4. Augusti. lib. 22. contra Faustum, cap. 87. ubi asserit peccatum David, Christum in prophetia signasse, & Psal. 86. in Sampsone ingrediente ad Meretricem, agnoscit Christum venientem ad gentes.

Absalon, in quercu pendens, Christum non propria peccata, sed aliena in cruce luentem significat. Nissen. tract. 2. in Ps. cap. 11.

D Pro pluribus stat Hieronymus, qui solus ab adversariis adducitur contrà hanc conclusionem, hic l. 1. advers. Elvid. cap. 13. de Sampsone ait, quod licet conjugalis pudicitiæ exempla non dederit, typum tamen tenet Salvatoris, quod Meretricem ex gentibus adamavit Ecclesiam. Idipsum habet ep. 26. ad Evagr., & sup. ad Galat. cap. 1.

Sed ne amplius detineamur, ipse Christus stat pro hac Sententia, qui Math. 12., se repræsentatum fuisse declaravit, in Jona, qui fuit 3. diebus, & tribus noctibus in ventre ceti, quamvis certum sit, quod ad litteram hoc Jonas sustinuit, ut lueret peccatum suæ inobedientiæ, sed factum Christus adduxit in figuram, non peccatum, aut pœnam ut talem, in quo ipso ostendit, quomodo hactenus dicta intelligi debeant, & in praxi conclusio valeat deservire.

deservire. Videatur Hierony. in prol. Jonæ, ubi Christum sui typi interpretem fuisse commendat, additque Matth. 12., sudoris, vel maximè esse, totum Prophetam referre ad intelligentiam Salvatoris, quod fugerit, quod dormierit, quod præcipitatus in mare, ex quo intelligitur, quod si alias idem S. Doc. videtur huic sententiæ refragari, sensus ejus est, non omnia, ut typum, accipienda esse, cum in aliquo figuram Christi invenimus.

Denique probat. ex illo Zachariæ c. 13. quod dicitur de Pseudopropheta, a proprio Patre & Matre cruci affixo, propter mendacium. *Et dicetur ei, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum, & dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, quæ planè ad litteram dicuntur de illo Pseudopropheta, quia hæc vera fuit historia, uti Hieronym., & Theodoret. aliique Expositores ad hunc locum, & tamen typus fuit Christi, non in hoc, quod mentitus fuit, sed in hoc quòd a Patre, & Matre crucifixus. Ita enim, & Christus a Sinagoga, & Judæis progenitoribus suis fuit cruci affixus.

B

Probata igitur manet, & explicata conclusio, & ostensum est, Hieronymum pro ea stare, qui solus ab aliquibus adducitur in scrupulum.

Sed quæres, an sicut actio mala potest esse figura alicujus boni, ita & actio bona alicujus mali.

Respon. affirmativè; ob eandem rationem, & prob. Greg. *lib. 3. Mor. cap. 16.* citato, ubi bene gesta ab amicis Job, mala ab hæreticis perpetranda significare intelligit, unde subdit. *Plerumque res per historiam virtus est, per significationem culpa, sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est, in scripto autem Prophetia virtutis.* Videantur, quæ sequuntur, ubi pluribus idipsum ostendit Scripturarum exemplis.

C

Eodem modo dicendum est, quod & actio mala potuerit esse figura alterius mali, & propter eandem rationem, quia significatio non est de linea morali formaliter.

Sed dices: falsum est, quod significatio non sit de linea moris; cum enim aliqua actio mala, secundum suum esse naturale, significat aliquam actionem Christi, hæc sanè quæ significatur, optima est etiam in linea moris, & meriti infiniti, ergo cum actio significans eam respiciat, jam & ipsa est in linea moris.

D

Resp. neg. ant. ad probationem, actio Christi est optima de linea moris, dist. ant., ut respicit finem, & suppositum, supra quod reflectitur, est optima, & meriti infiniti, conc. ant., prout passivè significatur, subdistinguo, identicè est optima, conc. an. formaliter, & expressivè, neg. ant. patet respon., & explicatur. Per hoc quod quis dicat, vitium est contra rationem, hæc propositio, non est de linea vitii, sed est ennunciatio veritatis, cui ut tali accidit, quod materia, quam ennunciat sit moralis, vel saltem hanc ennunciationem esse bonam, vel malam, ita actio significans actionem Christi, sistit in sua linea significativa, & significat rem alterius ordinis, quia ex suo genere significativo, ad hoc est instituta, ut in omni ordine deserviat, secundum quòd applicatur, a significante.

CAPUT X.

De specialissima proprietate Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

An solius Sacræ Scripturæ proprium sit habere sensum spiritualem.

Dum proprietates, quæ transcendentes dicuntur, ideoque generales sunt, a metaphysica methodo mutuatas, Sacræ Scripturæ applicamus; ad hanc specialem, ac admodum considerabilem, doctrinæ ordo nos duxit, ut sicut proprietates peculiares essentiam complent, & coronant, ita per hanc extremam, & peculiarem. Prima pars præsentis modici operis quoad disputabilia consumetur, sacræque sic philosophiæ principia concludantur, probando proprietatem de essentia sui objecti, quod proprium munus est scientiæ.

Qua in quæstione, quæ difficilima est, & ex se, & ex DD. silentio, qui eam nimis sobriè pertractarunt, unica veritatis via est, Angelici Doctrinam brevem verbis, sapientia amplissimam meditari.

Dicendum est, proprium esse solius Sacræ Scripturæ, habere sensum spiritualem. Explicatur. Proprium, ut alias vidimus, est, quod competit omni, soli, & semper, & hæc est proprii rigorosa descriptio; quod autem nobis probandum est, ad ly soli restringitur, in quo est difficultas. Quod competat semper, certum est, qui enim spirituales sensus in ea inveniuntur, semper ei conveniunt, quia quamvis præfigurationes completę sint, adveniente figurato, non tamen ablatæ in esse significativo, quinimmò magis clarè ex hoc ipso, quod advenerit, & jucundius in facto, earum veritas lucet ad fidei consolationem: quod *omni*, potest intelligi tripliciter, scilicet quod omni ejus parti conveniat, & hoc falsum est, ut supra ostendimus, probantes non in omni loco Scripturæ sensum mysticum reperiri; Sed hoc non requiritur ad rigorem proprietatis rei perfectæ, quæ ex sua perfectione habet compositum ętherogeneum, cujus partes singulæ non convertuntur cum singulis proprietatibus totius, quia ad diversos effectus diversæ partes, diversas etiam petunt habere virtutes, ut alibi diximus. Secundò intelligi potest, quod conveniat omni, idest totalitati Sacræ Scripturæ, itant considerando ipsam, secundum unitatem sui contextus, propter hanc connexionem dici possit, unam partem, habere in alia, quod alia habet in se, sicut dicitur, quod oculus audit per aurem, & ambulat per pedem, & pes videt per oculum, & per cor totum corpus respirat, quia istæ sunt partes, & virtutes ejusdem suppositi, quarum quælibet dum operatur, toti operatur, & omni parti in eodem unitæ, & hoc modo certum est, quod habere sensum spiritualem, competit omni etiam parti Scripturæ

tatæ ob unitatem, & veritatem, quia ut hoc verum sit in hoc sensu, sufficit, & planè satis est ad proprietatem, quod detur, ubi datur. Tertio modo intelligi potest in rigore Philosophico, quod competat omni habenti integram essentiam talis speciei in individuo; & hoc modo etiam nulli dubium esse potest, quod habere sensus spirituales competat omni; quia etsi unum sit individuum in aliqua specie, sicut in Angelis, non tollitur ratio proprietatis, ad quam requiritur, quod nullum individuum sit talis speciei, cui proprietas illa non competat, hocque verificatur, etiam ubi unum est individuum in aliqua specie. Vel igitur dicamus, unam numero esse Sacram Scripturam, quia in diversis numerò exemplaribus, eandem retinet numericam unitatem: semel enim locutus est Deus, sive dicamus variatam esse numero materialiter, secundum diversas versiones, ubi illæ sint, fuerintque canonicæ, aut materialissimè, & per quamdam accidentalem multiplicitatem in singulis exemplaribus ejusdem vulgatæ canonicæ, cum certum sit, quod ubicumque vera divina Scriptura reperitur, sensus habet spirituales, jam in omni sensu competit hæc proprietas omni, unde tota difficultas reducitur ad ly soli, videtur enim aliis etiam Scripturis hoc convenire, ut nempe significent per res, & actiones, quas referunt.

Prob. primò auctoritate Augustini ep. 49. qu. ultima, *sicut*, inquit, *humana consuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur*, & *tractatu* 24. *in Joan. quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, Verbum est*, ubi ut bene notat P. Antonius, non dixit quia Christus homo est, aut aliud Deo instituit, sit eo expressit attributum, sed quia Verbum Dei est, ut indicaret loqui factis non competere Christo ut homini, sed ut Deo. D. Greg. sæpè hoc exprimit, ac precipuè l. 20. Moral. cap. primò, & aliis locis, quę dedimus, cum existentiam sensus spiritualis probavimus suo loco; D. Th. in cap. 4. ad Galat. lect. 7. & quodlib. 7. art. 16., ac specialiter prima p. qu. 1. ar. 10. tamquam in proprio loco; quem sequuntur omnes Thomistæ eodem loco, & ex Neotericis plurimi, ac denique ferè omnes communiter. Ratio D. Thomæ citato art. in corpore, sic se habet.

Auctor Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas, & ideò, cum in omni scientia voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatę per voces etiam significant aliquid, & hic dicitur sensus spiritualis.

Confirm. & explicatur hæc ratio. Ita se habent res ad Deum, sicut verba ad homines, sed homo propriè loquitur per verba, ut verba sunt, ergo Deus per res, ut res sunt, non quidem semper, sed prout ipse liberè disponit, quod valdè notandum est, ne dicas male intulisse Angelicum, quod Deus de facto rebus loquatur, quia potest, cum de potentia ad actum, non teneat consequentia, non enim arguit D. Thomas de potentia ad actum, sed ita discurrit, ut inferat, non semper, & ubique in Sacra Scriptura, Deum sic loqui, sed liberè, quia potest sic loqui, & non loqui, prout ipsi placet, optimè igitur arguit ex potestate, quę in Deo specialiter non est pura potentia, sed in actu est, quia Deus est actus, dicitur autem potestas, quia liberè procedit ad ita loquendum, & aliquando sic facit, aliquando non. Insuper arguit ex suppositione facti, idest Sacræ Scripturæ; inquit enim; Auctor Sacræ Scripturæ est Deus, non dixit potest esse, in hoc igitur, quod fecit, potestas ejus elucet, ideò potestatem hanc declarat, quæ jam est in facto ipso. Hoc obiter notare placuit, ne intempestiva objectione cursus rationis ad intentum, interrumpatur.

Nunc prob. maj. confirmationis: verba non habent aliud esse, nisi, quòd ab homine producantur, tamquam signa sui conceptus, cum ad id essentialiter sint instituta; res verò comparatæ ad Deum, ex natura sua sunt participationes entis divini ad manifestandam divinam bonitatem, quæ per illas se extendit, & diffundit, ergo secundum suum esse sunt signa divini entis, ejusque reales manifestationes, ergo quando dicitur, quod Deus illas accommodat ad significandas alias res, non dicitur quod extrahantur a propria natura, secundum quod comparantur ad Deum, sed sicut, quia verba ex se sunt signa etiam comparativè ad hominem, dicitur homo illa accommodare ad significandum, cum illa invicem componit, ut significent integrum ejus conceptum, prout est in mente hominis, vel etiam dicitur accommodare, cum transfert a propria significatione ad aliam, ut eundem conceptum melius exprimant, Ita dicitur, quod Deus accommodat unam rem, ad significandum aliam, cum unam rem, quæ respectu ad Deum est signum manifestans aliquam ejus perfectionem in se ipso, accommodat, & ordinat ad significandam eandem ejus perfectionem, ut participatam in alia re, unde non tolluntur res hoc modo a proprio ordine. Cum enim ut res una significet aliam, requiratur similitudo; & duæ res creatæ similes uniantur in representando eandem divinam perfectionem, quam participant, eodem modo secundum suum esse, & se ipsas invicem, & divinam perfectionem simul ostendunt, ac manifestant, quæ omnia fundantur in Doctrina ejusdem Angelici Doctoris, expensa profundè a Nostris Patribus Salmaticensibus, de ultimo fine, dub. 4., dis. 3. de ratione finalizandi ex parte creaturarum, cujus alias etiam meminimus, & in præsenti radicaliter exponit rationem Angelici Doctoris. Clarè idem S. D. *p. p. qu.* 12. *ar.* 3. *ad primum, sicut voces, ab homine formatæ sunt signa intellectualis scientiæ ejus, ita creaturæ a Deo conditæ sunt signa sapientiæ ejus, unde dicitur Eccles. primò, quod Deus effudit sapientiam suam super omnia opera sua*.

Addendum tamen, ut tacita quædam objectio dissolvatur, quod quando dicit Angelicus, Deum accommodare res ad significandum in Scriptura, sensus debet esse, quod quia Scriptura formalissimè est locutio, cum Deus in Scriptura per unam rem aliam significat, applicat illam realem rationem signi, quam explicuimus inesse omni rei, adhoc ut deserviat pro formali locutione, quæ ante hanc

accommodationem erat quædam realis manifestatio, sed non exercebat munus locutionis formalis, quale exercet in Scriptura; & quia quando facta est illa res, in sua realitate ordinabatur, ut ita significaret mediante Scriptura, sive ut ita innotesceret, ideò ipsum factum in se ipso realiter significabat inchoativè, id quod exercitè significat per modum completæ locutionis in ipsa Scriptura; quòd innuere videtur Augustinus cum *l. 22. contra Faustum, c.* 83. citato superius. De opere malo, quod secundum suam realitatem potest significare aliquid bonum, inquit; *quod hoc habet, non peccantis opere, sed scribentis*, & D. Gregor. lib. 3. mor. cap. 16. cum inquit, *quòd actio secundum se qualiscumque fit ex agente; in scripto est prophetia virtutis*. Hæc igitur est accommodatio rei ad significandum aliam rem, idest applicatio rei alicujus, quæ respectu ad Deum habet rationem signi (quod est commune omni rei creatæ) adhoc ut exerceat hanc rationem per modum locutionis, loco verbi. Et quia ut notissimum est, solum respectu Dei, qui rerum omnium primum efficitor, exemplar, & finis est, res omnes habent rationem signi, seu manifestationis, quæ ipso volente loqui, exercet rationem significationis locutivæ. Nulli autem creaturæ loquenti, hoc competere potest, ideò soli divinæ locutioni, scilicet Sacræ Scripturæ per modum proprietatis convenire potest, hebere sensum spiritualem, qui solus ille est, qui per res significatur. Quòd etsi prolixius, quam mens erat, explicatum sit, non displicet, quia mentem Angelici profundissimam videtur attingere, & conclusionem, & rationem ejus inconcussam satis probare.

ARTICULUS II.

Quæ obstent rationi Divi Thomæ.

ALiqui in cortice Angelicæ litteræ sistentes, cum hoc loco legunt proprium esse solius Dei, res accommodare ad significandum, opponunt, quod sibi videtur evidens. Videlicet etiam homines possunt accommodare res, ut res sunt, ad aliud præter rem ipsam significandum, & prob. tunc res, ut res sunt significant, quando adhoc primo fiunt, & ut sint, & ut significent, sed potest quilibet aliquid efficere, ut sit, & per ipsum suum esse, significet, ergo. Min. probat, & eam explicat N. P. Antonius, obiiciendo, num. 139. nullus prohibet, me alicujus cellam scopis mundare, ut munda sit, & per hoc ipsum significet munditiam, quam ille habere debet in se ipso, sic & hortuli noxias herbas evellere, ad ipsius cultum, & pulchritudinem, & adhoc significandum passiones radicitus evellendas, ut floreat spiritaliter cor nostrum, & Christi bonus odor simus in omni loco, ut floreant animæ quasi lilium, & frondeant in gratiam &c. ergo tunc actus illi significabunt, ut res, munditiam, & animæ cultum tropologicè, unde si scribantur, in sensu litterali significabunt actionem, & spiritualem habebunt, quo indicabunt virtutem, & directionem ad illam, non minus ac

A Scriptura, in qua aliqua Christi actio refertur, quia quisque fidelis instruitur litteraliter de Christi actione, & spiritualiter de agendis &c.

Huic difficultati cedere videtur Cajetanus, quem supra qu. prima retulimus, distinguit enim dupliciter intelligi posse, quod res accommodetur ad significandum, scilicet vel universaliter, vel particulariter; si particulariter, inquit, ut in objectione proposita, hoc non excedit hominis potestatem, quia quilibet potest facere aliquos actus, vel aliquid artificiale, & intendere per eadem, alia significare, sed quod omnia, quæ narrantur gesta in tot historiis, ut res ad doctrinam aliquam spectantes, ut sic sint in sui constitutione signa ad aliquid aliud, hoc excedit hominis facultatem, & Dei proprium est, unde & jure dicitur proprietas simB pliciter Sacræ Scripturæ.

Sed contra est, quia si concedit eodem modo esse in potestate hominis aliquid particulariter facere, ad significandum aliud, jam hoc erit in potestate hominis, etiam universaliter, est enim eadem ratio, cum hoc, secundum se non excedat hominis potestatem; quid enim prohibet, quod idipsum possit hodie in uno particulari, & cras in aliis, quòd heri potuit in aliquo; Maximè quia D. Thom. attendit proprietatem (saltem ut verba præseferunt) non actum universaliter in tota Scriptura, id bene prævidens, quòd ubique universaliter Scriptura non habet sensum spiritualem. Unde ut etiam alias notavimus, tenetur Cajetanus, sensum spiritualem ubique in Sacra Scriptura invenire, C quod tamen in suis expositionibus non præstat, nec planè potest.

112. Respondet Serarius cap. 21. qu. 9. quòd hæc opinio, quæ in humanis Scripturis sensum spiritualem non agnoscit, intelligenda est de illis, quæ jam sunt, non quæ esse, vel fieri potuerunt, nam homines postquam a Deo edocti sunt, res ad significandum accommodare, hoc optimè possunt.

Sed contra est, quia ratio Divi Thomæ fundatur in potestate, quæ soli Deo tribuitur, & negatur homini, ergo falsum est, quòd ejus sententia intelligi debeat de Scripturis humanis, quæ sunt vel fuerunt; vel enim fuerint, vel futuræ sint, numquam excedent hominis potestatem. Non igitur tam leviter in superficie ambulandum, ut quia homo aliquid quasi simile facere videatur apD parenter, dicatur id posse, ad quod solus Deus, ut talis habet potestatem.

3. Respond. Vasqu. ad hunc locum D. Thomæ, disp. 16. qu. 1. cap. 1. id verè solius Scripturæ proprium esse, non quod præcisè res significent sed quod significent futura, hæc enim duo simul hominum potestatem excedunt.

Sed contra est, nam hoc est, vel fugere difficultatem, vel declinare mentem Sancti Doctoris, nam nec difficultas oritur ex conditione rei significatæ, sed ex modo significandi, & medio significationis, nec D. Thomæ ratio confundit rationem sensus spiritualis cum Prophetia, nec divina potestas in hoc solum elucet, quod præcognoscat futura, sed de proprio modo significandi Dei agitur, qui hominum transcendit potestatem, unde omni-

nò

sò extra chorum est, exire a quæstione, ut quæstio dirimatur.

Et verò ne videamur scrupolosè interpretari, & animo impugnandi, tales responsiones reicere, ipsa D. Thomæ verba ex locis præcipuis in quibus hanc sustinet, & exprimit veritatem, Operæ pretium erit proferre. Quæ prima p. artic. citato dicit, jam attulimus. Quodlib. 7. artic. 1. fi. bi semper idem, ait: *in nulla scientia, humana industria inventa, propriè loquendo potest inveniri, nisi litteralis sensus; sed solum in ista Sacra Scrip., cujus auctor est Spiritus Sanctus.* Notetur ly propriè; quo solo excluditur omnis alia responsio ad objectionem, vel interpretatio rationis, quia prout sic impropriè, concedit, reperiri talem significandi modum in humana Scriptura, & mentem suam satis explicat, quod velit omni proprietate verum esse, quod Deo competit talis modus loquendi, ut talis, non homini.

In c. 4. ep. ad Galat. lec. 7. *est duplex, inq. significatio, una est per voces, alia est per res, quas voces significant, & hoc specialiter est in hac Scriptura, & non in aliis, & ideò in aliis scientiis, ab hominibus traditis, qui non possunt accommodare ad significandum, nisi tantum verba, voces solum significant.* Universaliter, & particulariter loquitur, ne Gajetanus distinguat, ne Serarius excipiat, eas Scripturas humanas, quæ Evangelio successerunt; Ne Vasqu. transeat ad Prophetiam, quippe homines sunt, etiam qui non Prophetant.

Responsio igitur sine hæsitatione, ex ratione Divi Thomæ benè intellecta, ennascitur, nam imaginariè tantum & impropriè, & per quamdam analogiam ineffieacem, homines rebus, vel actibus utuntur ad significandum, undè non rebus, ut res sunt, sed rebus abusivè tamquam signis utentes, aliquid significant, quod est impropriè, & per extrinsecam imitationem non veram divinæ locutionis, sed apparentem loqui. In forma ne. assump. ad prob. dis. maj. tunc res ut res sunt, significant, quando ad hoc primò fiunt, ut sint, & significent; Si cum primò fiunt, secundum suum esse sunt signa facientis, conc. ma. si cum primò fiunt, debet ipsis superaddi ratio signi, neg. ant., & eodem modo dist. min., quia res cum a Deo fiunt secundum suum esse sunt signa, & manifestationes respectu ad Deum, si simul cum idea rei, in Deo sit aliquis conceptus unitus ejus mentis, quem ipse velit manifestari, & scribi per modum locutionis, eo ipso res illa secundum suum esse significat, hoc totum realiter, & ex intima sui ratione, per quam in esse rei constituitur, sed in ordine ad hominem, qui non dat primò rei, quam facit, naturam, vel essentiam, sed tantum communicat ut causa secunda speciem, & existentiam, cum omni dependentia a causa prima omnia ordinante, res non dicit istum respectum, nec potest dicere; ideoque si homo per eam aliquid vult significare, superaddit rei id, quod res non habet, ut res, & ipsam transfert ab ordine rei, & signi divini, ad ordinem signi, qui est ordo proprius verborum, non rerum. Pro quo etiam notandum, quod existentia est ultima, & perfectissima actualitas, ideoque ultimus finis rerum, ut res sunt, unde quidquid rei superadditur præter existentiam, accidit rei, nec in ordine ad illud consideratur verè ut res, sed ut subjectum accidentale, ultra ordinem rei translatum; in respectu autem ad Deum, ordo rei est ordo signi, & ipsa existentia rei creatæ est ipsa significatio mentis ejus, & utriusque, ut a Deo procedit, ipsa divina bonitas est ultimus finis, quæ est tota rei præsentis, & disparitatis, ac rationis Angelicæ intima explicatio, per quam patet ad exemplum; potest enim conari homo quantum vult, ut significet per suam actionem aliquid impropriè semper, & accidentaliter, sed per quoddam ens rationis tantum videbitur significare quod vult, non per ens reale ut tale, nec simile est etiam quoad apparentiam de actione Christi, ac de actione religiosi, nam actio Christi, cum ipse sit caput influens in fideles omnes realiter instructionem, & gratiam, & cum tota Scriptura, in qua ejusdem actiones referuntur, tota sit ad nostram Doctrinam, ipse est reale, & primum exemplar omnis virtutis, si autem actio hominis virtuosa scribatur, erit præcisa historia, si scribatur etiam quod ita agebat, ut doceret, hæc erit historia, & laudabitur ejus bona intentio, & intelligetur, quod suæ actioni hunc addidit ipse respectum, & finem, & hæc etiam erit historia, vel ad summum arguemus, quod ipse imitatus est Christum in hoc, quod dedit exemplum bonum, & habuit intentionem instruendi alios, quantum potuit in bono, etiam per signa accidentaliter addita actioni, vel quod loquebatur Symbolicè, ut Ægyptii, de quo infra, quæ omnia sensum habent litteralem in Scriptis, vel directum, vel deductum a legente per ipsius intelligentiam.

Et hoc quidem sufficit ad explicationem rationis, & mentis D. Thomæ, & objectionem funditus evacuandam, aliam tamen magno studio elaboratam intelligentiam, non quidem nostræ oppositam, sed alia via procedentem habet hic P. Antonius, paragr. 4. num. 141., quæ quia ad veritatem conclusionis, & obsequium, ac lucem Angelicæ rationis mirificè conducit; non tamen cum ea diffusione, quæ apud ejus auctorem ipsam aliqualiter obscurat, placet adducere, & eligat lector, quam maluerit, vel teneat utramque, cum non repugnent.

Pro qua primò observandum, quod vera locutio significativa, debet fieri per verba, unde, si verificatur, quod aliquis loquitur per res, eodem modo debet verificari, quod res, ut res, sint formaliter verba illius. Porrò de propria ratione Verbi est, quod procedat a dicente, ad eumque dicat realem relationem originis. Ita D. Thomas in 2. dis. 17. qu. 2. ar. 2., & de veritate qu. 4. ar. 2., & 4. contra gent. cap. 11. Ideòque si verbum mentale in lapide poneretur, respectu illius non haberet rationem Verbi; inde verò sequitur eum, qui non profert verba, nec per se, nec per alium, qui loquatur nomine ipsius, non posse illis significare, ut verba sunt, sed solum ut sonus sunt.

2. Observandum: Quod de ratione Verbi est, procedere a loquente, non utcumque, sed per pro-

processionem spectantem ad intellectum, ut multoties docet D. Thomas, & loco citato contrà Gent. de verbo interiori dicit; est autem de ratione interioris verbi, quod est intentio illa, ut procedat ab intelligente, secundum suum intelligere &c. ac propterea Spiritus Sanctus, etsi procedat a Patre, etsi divina essentia sit ipse actualis intellectus communis omnibus personis, non potest dici Verbum, quia non procedit per intellectum, sed per voluntatem. Rationem primam, quare Verbum non sit, nisi procedat per intellectum, assignat Angelic. qu. 24. de verit. ar. 3. dicens: Verbum in sui ratione, manifestationem quamdam importat, manifestatio autem per se non invenitur nisi in intellectu; si enim aliquod, quod est extra intellectum manifestare dicitur, hoc non est, nisi secundum quod, ex ipso aliquid in intellectu relinquitur (scilicet species) quod postea est principium manifestativum in eo proximum, ergo manifestatio spectat ad intellectum, sed remotum potest esse extra eum, & ideo nomen verbi propriè dicitur de eo, quod procedit ab intellectu, quod verò ab intellectu non procedit, non potest Verbum dici, nisi metaphoricè, in quantum scilicet est aliquo modo manifestans (ex quo etiam nostra explicatio magis roboratur). Secundam deducimus ex p. p. qu. 107. ar. 1. Nam loqui est ordinare conceptum mentis ad alium, ut ipsi innotescat. Solus autem intellectus est, qui ordinat, & sicut solus est, qui intelligit, ita solus est qui explicat, ut intelligatur &c.

3. Observ. quod sicut homines convenerunt, ut cum profertur tale nomen, intelligatur talis persona, vel res, ita etiam conveniunt aliquando, ut per talem rem, tamquam per quoddam signum ad placitum, significetur aliud determinatum, sicut per ramum significetur vinum vendi in illa domo, ex qua exponitur, in quo casu, ut patet mera extrinseca ratio signi accidit ipsi rei, scilicet ramo, & est quoddam ens rationis, nec assumitur res ad significandum, ut res, nec aliqua similitudo, aut proportio in hoc reperitur, sed est mera fictio ad placitum.

Ad hoc igitur, ut res significat rem propriè, & in esse rei, plura requiruntur necessario.

Primò ut res significans sit sensibilis (de hac enim solum loquimur (& ratione alicujus proprietatis, seu rationis sensibilis, & intrinsecæ, habeat similitudinem cum re significata, aliter non significabit ut res, sicut ramus.

Secundò, quod res sit producta ab illo, qui per eam loquitur, & ex intentione, & ordinatione ad significandum per se in esse rei hujus, sicut loquens per verbum, debet ipsum producere, ex intentione, & ordinatione, ut per ipsum esse verbi significet, aliter qui non producit res, per eas non potest loqui, quia ista locutio fit per factum, nec sufficit, quod producat aliquam rei imaginem, ut facit pictor, qui re non loquitur, sed imagine rei, sicut Ægyptii qui loquebantur per Symbola, & picta ape, mel & aculeum habente, significabant regem cum justitia, & pietate, & serpente mordente sibi caudam, annum qui habet initium ubi finiturque, lo-

A cutio Symbolica imitatur quidem a longe, locutionem per res, quatenus per proprietatem unius rei, proprietatem alterius similis innuit, sed reverà declinat, quia V. Gr. apem non producit, sed imaginem ejus per colorum dispositionem repræsentat. Maximè quia, qui loquitur per res, earum existentiam attingit, & in suo esse eas producendo ordinat, & ordinando producit, ut significent, qui verò per imaginem, vel simili modo loquitur, non curat de rei existentia, sed tantum de proportione, & natura quasi metaphoricè considerata, etiamsi non existat.

Tertio. Necesse est, quod actio, per quam res illa producitur, ut jam diximus, sit intellectio, quia debet esse locutio, aliter non attingeret rem ut Verbum, ad hoc quippe ut res in esse rei, sit

B etiam verbum, etiam actio per quam fit, debet esse simul formaliter, & productio, & locutio, & ordinatio, quæ omnia essentialiter spectant ad intellectum; cum autem per unam actionem res fit, & per aliam assumitur ad significandum, jam patet, quod hæc secunda actio accidit rei productæ, & eam trahit ad alium ordinem. Et hæc omnia explicat Augustinus, tract. 24. in Joan. *Interrogemus*, inquit, *ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo; habent enim, si intelligantur, linguam suam, nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, Verbum est*, & idem tract. 44. in Joan. *ea, quæ fecit Dominus Noster Jesus Christus, & opera, & verba sunt; opera quia facta sunt, verba quia signa sunt*; quia ut procedunt ab homine

C solum sunt opera, sed ut sunt Verbi, & ideò a Deo procedunt, etiam verba sunt.

Ex qua doctrina apertissimè constat inconcussa veritas rationis D. Thomæ, quæ breviter sic proponi potest. Solus Deus, qui rebus indidit proprietates, eas perfectissimè novit, secundum quod res una per suam proprietatem proportionem habet ad alteram significandam, solus ipse producit res in esse rei, per actum intellectus, immò per ipsum suum substantiale Verbum, per quod omnia facta sunt, ergo solus ipse habet ea, quæ requiruntur, ut per res cum proprietate loquatur, ergo in sola ejus locutione potest inveniri talis vera, & propria significatio per res; sed Sacra Scriptura est vera Dei locutio, ut multoties probavimus, ergo in ipsa sola, potest reperiri hujusmodi significatio, & con-

D sequenter sensus spiritualis; patet evidenter discursus.

Confirmatur: solus Deus, & non homo dicendo facit, & facere ejus, dicere est; *ipse dixit, & facta sunt*. Psal. 32. dixit fiat, & factum est, Gen. primo, ergo sola ejus operatio, & non hominis est factio, & dictio, ergo est locutio per res, cum vult ipse suum dicere, & facere manifestare per modum locutionis, quæ supra dictionem addit communicationem ejusdem dictionis ad alterum, ut cognoscat.

Confirmatur secundò, hæc est differentia inter Deum rerum Auctorem, & hominem seu Artificem, quod hic facit opus suum, ideatum in intellectu, sed ut causa dependens, & per instrumenta, non per intellectum immediatè, nec potest ipsum

in

in esse conservant; Deus autem & facit, & conservat intelligendo, ergo Deus simpliciter habet omnia, quæ requiruntur, ut cum ei placet, propriissimè loquatur per res, non homo; nam propter hoc, quod Deus rem conservat ut rem, etiamsi rem factam ordinaret ad significandum (quod non potest esse, quia semper infinitè comprehendit totum ens, & eodem actu ordinat) verè per illam loqueretur, quia conservat in esse, ideoque eam continuò producit, & certè potest per ipsam rei durationem aliquid significare, quia hæc est passiva rei conservatio, de linea essendi.

Per hæc etiam patet ad objectionem; dicimus enim, quod qui herbas evellit, non producit illam actionem, per intellectionem, sicut & qui cellam mundat. Secundò qui herbas evellit, per herbas vult significare vitia, assumit, igitur herbas, quas ipse non facit, ad significandum, ita & qui cellam mundat, per cellam significare vult animam, ipse autem cellam non facit.

Dices saltem illa actio exterior, quam ipse facit, aliquid verè poterit significare, quia fit per potentiam locomotivam, quæ non distinguitur ab intellectu, in sententia valdè probabili.

Resp. neg. ant. ad prob. dicimus probabilius esse, quod distinguatur; vel transeat hoc; immediatè illa actio oritur a voluntate, quæ est potentia efficax executiva, applicans manus ad operandum, unde nihil interest, quod potentia locomotiva non distinguatur ab intellectu, & voluntate, si enim idem est cum intellectu, hoc ideò est, quia in ordine ad operationem externam, ad quam immediatè requiritur voluntas, etiam debet concurrere intellectus, ut dirigens voluntatem, non ut operans per se immediatè, & per intellectionem, Adde quod intellectus, ut practicus non exprimit rationem propriam intellectus, quia praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu, multò magis ergò actio ipsa exterior erit actus alterius potentiæ ab intellectu. Adde quod si sufficit distinctio virtualis in divinis, inter intellectum, & voluntatem, ad hoc ut Spir. S. non procedat, ut Verbum, multò magis distinctio realis in homine inter has duas potentias concludet, non posse esse Verbum, sive significare ut rem, id quod immediatè procedit a voluntate, licet radicaliter requiratur etiam intellectus.

Dices saltem Angelus poterit per res loqui, quia ipse agit per intellectum. Resp. neg. suppositum, nam Angelus non potest producere rem sensibilem, ut prob. D. Thom. p. p. qu. 110. ar. 2. Vel si aliquid potest ad extra in sensibus, hoc exequetur per voluntatem; nec ipse auctor est entis naturalis, nec ens naturale est signum perfectionis ejus, prout res est, nec existentiam rei principaliter communicat, cum sit creatura, nec illam conservat, quia ipsam principaliter non facit, nec continet rem sensibilem, cum spiritus sit, nec habet in se rationes omnium rerum activè, ut illas ordinet; & certè habet modum propriæ locutionis, scilicet per illuminationem, de quo Nostri PP. Salm. in suo tractatu &c.

ARTICULUS III.

Alias D. Thomæ rationes expendens ad intentam conclusionem.

ALiam etiam rationem ministrat Angel. *Quodlib. 7. ar. 16. dicens spiritualis sensus Scripturæ accipitur, ex hoc quod res cursum suum peragentes, significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur; sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod ejus solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est; sicut enim homo potest adhibere ad significandum aliquas voces, vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suæ providentiæ subjectarum.* Ex quibus verbis verè Angelicis, nedum una, sed plures pullulant rationes; unam duntaxat, vel alteram placet adducere, non enim tot requirit tam probata, & explicata conclusio.

Primò, ad hoc ut aliqua res significet ut res, debet taliter se habere, ut in significando conservet ordinem, & cursum suum, & in eo conservando significet, sed nulla res potest hoc habere, nisi in ordine ad Deum loquentem, ergo nulla res potest significare ut res, nisi in ordine ad ipsum, idest in locutione ipsius, non verò hominis. Prob. maj. si res, ut significet, transponenda est ab ordine, & cursu suo, qui est ordo, & cursus rerum, ut talium, jam non significat, ut res, quia jam exit ab illo, qui est ordo rerum, ut talium, ergo. Min. prob. cursus rerum ille est, quem Deus, earum conditor, qui earum est exemplar, & provisor præscribit, ita ut ratio a priori, quare res ad hoc, vel illud tendat, cursum habeat, & ordinetur, sit ipsa divina Idea, & Sapientia, & è converso ratio quare homo, sic vel sic rectè utatur rebus, easque ritè disponat, est ipsa rerum exigentia, ut patet, ergo sicut erraret homo, aliter ordinando res, ac earum ratio postulat, ita erraret cursus rerum, si aliter se haberet, ac divina sapientia, ac providentia, eis præfixit, ergo quod res sint, & significent, possunt tantum habere, quatenus divina providentia id eis præscribit, & sequitur consequentia.

Confirm. quia divina sapientia dat esse rebus, dicendo, homo verò dicit aliquid cum veritate, quia illud est, ergo in re, ut res est, sive in cursu rerum debet splendere hæc divina excellentia tamquam in vero ejus effectu, ut quantum est ex se (ubi eam Deus sit explicitè ordinans loquendo) sit res, & dictio, idest res, & id per quod Deus dicit aliud; sic enim & causam quantum fieri potest exprimit, & ordinem ipsum, quem in rebus posuit Deus, ut sicut una res ad aliam per talem ordinem tendit, ita una res aliam, ad exprimendum talem ordinem significet, ergo è contrario homo, qui & res, & ordinem earum supponit, illum non facit, sed sequitur, prout ipsæ res ostendunt in se ipsis esse a Deo ordinatas, non facit igitur significationem per res, sed illam intelligit, ubi sit facta a Deo.

Confirm.

Confirm. ex doctrina N. P. Dominici lib. 3. sec. 1. cap. 99. concl. 3. quae hanc D. Tho. rationem concernit. Ille solus potest determinare res ad significandum, ad quem pertinet ordinare omnia ad suum finem, & absolutè ordinare aliqua ad spiritualem, vel supernaturalem finem, quia solum ipse potest tradere signa certa, & determinata, erga talem finem, hic autem ut patet Deus est, & non homo &c. majorem explicat, & probat, subdens, sicut patet, quod a solo Deo possunt institui Sacramenta, quae sunt signa gratiae &c. Quia ergo homines non possunt res subjectas divinae providentiae in ordine ad finem talis providentiae, sic determinare, ut significent significatione certa, & determinata, ea quae ordinata sunt ad talem finem; propterea non possunt sensum mysticum instituere, sed Sacrae dumtaxat Scripturae peculiaris est. Similem etiam doctrinam affert N. P. Lauren. ad art. 10. qu. 1. p. p. ubi videri potest t. p. controv. 3. in fine.

2. Denique ratio, ex eo ennascitur, quod inquit Angelicus, *sicut enim homo potest adhibere ad significandum, aliquas voces, vel aliquas similitudines fictas, ità Deus adhibet ad significationem aliquorum, ipsum cursum rerum sua providentia subjectarum.* Ubi duo notantur: primum, quod summum potentiae hominis in hac materia est, adhibere aliquid fictum ad significandum aliquod verum, quod facit, vel per metaphoram, vel per simbolicam artem; sed nec in hoc, nec in utendo vera significatione disponit de rerum cursu, quia iste homini non subiicitur, unde etsi conetur eas ordinare, vel secundum earum cursum, aliquam ex eis ad significandum adhibere; ipse se illis accommodat, easque sequitur, non verò earum cursum accommodat sibi, quia earum cursus praecedit hominem, & essentialiter subest divinae providentiae, non humanae. Deus autem è converso, utitur ipso rerum cursu, cum adhibet rem ad significandum, quia est impossibile, quod non sit juxta rerum cursum id, quod ab eo disponitur in aliqua illarum, quae habent hunc cursum, ut a Deo dependeant; & ad ipsum tamquam ad finem ultimum tendant, juxta illud *Psal.* 118. *ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*; unde August. *lib.* 26. *contra Faustum: Id erit cuicumque naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturae.* Hinc breviter, sic arguitur; ipse rerum cursus, essentialem importat subordinationem divinae dispositioni, ergo si Deus rem aliquam applicat ad significandum, haec eadem significatio est ipse rerum cursus, ergo cum respectu ad hominem hoc sit impossibile, ut rerum cursus eidem essentialiter sit subjectus, cum & ipse homo, & omne opus ejus sit intra eundem cursum, eandemque subjectionem ad Deum, aeque etiam impossibile est, quod homo possit propriè uti rebus ad significandum.

Secundo etiam notandum, quod quia ordo ad finem ultimum, est regula omnis ordinis, ad, vel inter fines intermedios; & dependentia a primo efficiente, transcendit omnes dependentias rerum a causis secundis, ideò rerum cursus, de necessitate consistit, in coordinatione rerum, secundum hanc duplicem causam, ergo cum Deus rem adhibet ad significandam aliam rem, adhibet ipsum cursum rerum omnium sibi subjectarum; cum a tali coordinatione res nulla exire valeat, nisi abeat in nihilum, sed hoc, ut evidens est, nequit homo praestare, aliter creatura non esset, ergo nequit uti rebus ad significandum propriè, cum nequeat uti cursu rerum explicato; ergo si nequit uti cursu rerum, a tali cursu eas extrahit, cum eas adhibere conatur ad significandum.

Sed dices, potest homo uti eadem re ad significandum, qua utitur Deus, & idem per ipsam significare, quod per eandem significat Deus, ergo potest ipso rerum cursu uti ad significandum, pat. conf. si enim illa res, ex quo Deus illam sic adhibet, verè significat, immò eo ipso ipse cursus rerum ita significat, jam sistit etiam assumpta ab homine ad eundem effectum, intra eundem cursum, nec ab ipso extrahitur. Prob. ant. potest per eandem petram percussam a Moyse in Deserto, & per eundem serpentem aeneum ab eodem exaltatum, significare eadem Christi mysteria, quae Deus.

Resp. quod hec objectio nullam habet difficultatem, sicut enim potest dicere, & verè multoties dicit ea, quae litteraliter dicuntur in Sacra Scriptura, absque eo, quòd inde inferatur, posse hominem condere Sacram Scripturam, sicut ipsam condidit Deus, ita potest, & eadem, quę significavit Deus, per aliquas res dicere, & quòd ita res est, & quòd ita significat, & eandem significationem scriptis tradere, exprimendo litteraliter petram, & serpentem &c. eo animo, ut ita significent, sicut & in re significantur, & in Scriptura ponuntur; Sed haec est repetitio sensus spiritualis intenti a Spiritu Sancto, qui ideò significatur in Scriptura, ut eo edoceamur, & alios eum doceamus, non verò est, hominem formare sensum proprium, & ipsum per res significare, quod requireretur adhoc, ut non esset proprium solius Dei loqui per res, servato cursu, & ordine rerum in esse suo, & hoc patet ad sensum, unde non ideo tunc res servant cursum suum in significando, quia homo utatur illis ad significandum, sed quia ita Deus illis usus est, & hunc usum expressit homo per imitationem, sicut Pictor non ideò est Pater Leonis, quia bene leonem repraesentat.

2. Resp. neg. ant. ad probationem, & ipse homo produxit petram, & serpentem, & ordinavit neg. ant., & supposuit conc. ant., & neg. conf. Ut aliquis ordinet res, servando eas in cursu suo requiritur, ut hae & producantur, & exemplentur ab ipso, quia cursus rerum est iste, unde etsi apparenter homo idem significare videatur, & per eandem rem, per quam Deus, tamen non ita est, quia ipse nec fecit res, nec cursum earum ordinavit, sed potius in cursu earum ipse est, eique subiicitur. Adde quod, ut quis aliquid significet tali modo, debet hoc per intellectum posse comprehendere, nullus autem homo comprehendere potest rerum cursum, ut per eum, eoque servato simpliciter, aliquid valeat significare ex eadem scilicet ratione,

tione; quia homo ipse est intra ordinem rerum, & cursum, tamquam pars; comprehendens autem debet esse superius toto, quia ipsum intra se debet claudere.

Tertia respon. est una ex illis, quas P. Anton. adducit, nempe quòd idem significatum a Deo potest esse diversum, si ab homine significetur, sicut idem motus, qui ut effectus a Deo est juxta inclinationem naturæ, ut effectus verò ab homine, quandoque est violentus, juxtà auream Doctrinam Patrum Salmatic. tract. 20. disp. 5. num. 15. aliæ autem responsiones quia trahuntur ex prima ratione D. Thom. ad quam non putamus necessarium esse recursum, cum utraque sibi sufficientissima sit, ommittimus.

Objectiones tamen, quas plures opponunt Angelicæ, universalique sententiæ, etsi eas putemus superabundè præventas, ac solutas, ne eas negligere videamur, levi calamo perstringemus.

ARTICULUS IV.

Objectiones afferuntur, & solvuntur.

Objicies itaque primò, in fabulis Esopi, in symbolis Pitagoræ, in Poætarum figmentis, in emblemmatibus, & hieroglíphicis, rebus, & vocibus significatis, aliquid aliud ulterius significatur, in his omnibus, quæ tamen humana sunt, sensus spiritualis invenitur. Prob. ant. hæc enim non ratione sui inventa sunt, sed per modum medii ad aliquid significandum, ut sic indicata per species, modumque magis sensibilem, & per majus studium intellecta, memoriæ magis insiderent, & sic moralia principia omni hominum statui accommodata, faciliùs omnes juvarent. Probat hoc ipsum ant. P. Anton. loco citato num. 136. ex Macrobio aliisque eruditè.

Confirm. etiam, hi qui tradiderunt scientias naturales, passim etiam res accommodant ad alias res significandas. Prob. ant. apud antiquos, statera significabat justitiam, juxta illud Pitagoræ, stateram ne transilias, idest ne opereris aliquid a justitia alienum. Rursus annulus arctus significabat curas, & anxietates, eodem Pitagora suadente, annulum arctum ne gestato, hoceft depone curas, & vitæ anxietates; ignis significabat hominem iratum, dicente eodem, ignem gladio ne fodito; ira nimirum accensum ne provocato. Immò tota scientia Ægyptiorum tradebatur figuris rerum, ut patet ex toto opere Pyerii Valeriani, ac ex alio P. Causini de Symbolica Ægyptiorum sapientia &c.

Resp. ea omnia esse significationes usurpatas, per extractionem rerum ab ordine rerum ad ordinem signi, contra cursum ordinemque earum, eisque præcipuas deesse conditiones ex his, quas in rationum D. Thomæ decursu explicuimus, unde est communis responsio, tales similitudinarias locutiones esse metaphoricas; sensumque litteralem improprium formare; idem enim est in scripto, loco vigilantis servi, canem ponere, quod est metaphora, ac ipsum pingere, ut loco scriptionis pictura

A succedat, quod pariter asserit N. P. Laurentius, controv. 3. citata, in fine.

Eodem modo ad confirmationem dicimus, quia sicut cum res adducere ad scholas non possimus, ut de earum proprietate disputemus, ut olim dicebat Philosophus, inventæ sunt voces, & nomina, ità loco vocum, figurarum simulacra, vel vocibus vel alio modo exprimuntur, sed hæc omnia usum humanum, ac indigentiam, & limitationem important, è converso autem in sensu spirituali, Dei providentia, ac summa sapientia, modusque proprius ipsius, tum in ipsis factis, eorumque ordine, tum in ipsa significatione, & fine conspiciuntur.

Obiici. 2. verborum loco, uti rebus non est
B supra hominum facultatem, ut ipse usus probat apud nos, qui Sancti silentii tempore, immò & extrà illud, in locis sanctioribus, & in Eremo, perpetuò, nutibus utimur, & quidquid necesse est, significamus: Item ex cymbali sono cognoscimus, quid agendum, & quo eundum, & hæc ab humana lege ordinata sunt, & cursus servatur religiosæ observantiæ, nosque talia signa producimus; sicut etiam mos est in bello, ut viso igne, omnes congrediantur, vel recedant, propter insidias, & similia, quæ passim, in ordinata multitudine fieri solent, sic & Jonatas, primò Regum, cap. 20. convenit cum David, ut ipsum, per jactum sagittæ &c.

Respon. nihil addi in hac objectione, supra primam, vel enim hæc significant ut signa, & non
C ut res, vel metaphora quædam interest, quæ stat loco litteralis impropriæ significationis, etsi enim hæc juvent, ut servetur debitus observantiæ cursus, non tamen per ipsius observantiæ cursum illum, significamus, quod intendimus, quod si ipsa communitas religiosa, cælestem Hierusalem repræsentare dicitur, hic vel est sensus mysticus Sac. Scrip. pluribus in locis, vel ejusdem interpretatio, non verò significatio facta ab homine.

Obiici. 3. vel res, ut res sunt, in suo ordine habent rationem signi, ita ut ordo rei sit ipse ordo signi, vel non. Si primum, ergo etiam homo potest eas accommodare ad significandum; in tantum enim hoc illi denegavimus, inquantum, quòd hoc esset transferre ordinem rerum ad ordinem signi &c. si secundum, ergo nec Deus potest facere quod res
D ut res, sit signum. Prob. consequ. Deus non potest facere, quod res in se, ut talis secundum suum esse sit id, quod non est, quia nequit rerum essentias immutare, aliter posset contradictoria ponere; est autem primum principium indefectibile, quodlibet est, vel non est. Nec Deus potest facere, quòd ens necessarium, aliter se habeat, nec variare prædicata essentialia rerum, & hoc propter immutabilitatem suæ perfectissimæ ideæ, ergo si res ut res essentialiter non est signum, non potest Deus hoc facere, vel accidet rei, esse signum, & ita non significabit ut res, sed accidentaliter.

Confirm. significatio ut talis est ordinata ad intelligentiam ejus, cui fit significatio, ergo homo, cui fit talis significatio per res a Deo, est capax intelligendi, & de facto intelligit hoc rerum idioma,

ma, sive hanc per res locutionem, ergo sicut, qui novit aliquod idioma, potest per ipsum loqui, ita homo, ex quo intellexit hoc Dei idioma per res, poterit & ipse similiter loqui, ergo non est proprium Sacræ Scripturæ.

Confirm. secundo: eadem est ex Angelico Doctore, ut plures notavimus, doctrina in docente, & discente, solo nomine diversa, quia in eo dicitur doctrina, in hoc disciplina, illi propria sub eo nomine, huic propria sub isto, ergo ubi Deus docet per res, homo per res discit, ergo cum ex discipulo fiat Magister alterius, eodem modo scilicet per res loquendo, poterit alios, sicut didicit, sic docere &c.

Confirm. 3. signum non invenitur nisi duplex; aliud naturale, aliud ad placitum, quòd autem res significet, nec naturale est, nec ad placitum, ergo significare non potest; vel si aliquid ex his res habeat in linea rei, ut res est, non excedet potestatem humanam, quia naturale, non est supra naturam, & ad placitum, est intra eandem sphæram, ut patet de vocibus, quæ ad placitum significant.

Resp. hæc objectio apparenti difficultate non caret, sed præmissis probationibus, & explicationibus, quas oportet præ oculis habere; facilimæ est solutionis, pauca addendo.

Resp. igitur cum distinctione, eligendo primam partem dilemmatis, res ut res sunt in suo ordine habent rationem signi, distin. secundum rationem entis participati, conc. ant., secundum rationem entis, & rei ut sic, neg. antec. Ad consequ. subsumptum, ergo etiam homo potest eas accommodare &c. neg. conf. Res creatæ secundum quod sunt ens per participationem, quæ ratio ipsas transcendit, dicunt realem respectum ad suum participabile, ut exemplata ad exemplar, & quia secundum hanc rationem sunt quædam diffusiones, & extensiones divinæ perfectionis, eam ostendunt, & ideò ut supra diximus, sunt signa, & manifestationes ipsius realiter, hocque habent imbibitum in suo esse; cum verò ordinantur ad aliquid simile, per idipsum, quo respiciunt divinam perfectionem, respiciunt aliud sibi simile, ad quod ordinantur, illudque præsignificant, ut sibi unitum in suo exemplari. Sufficit ergo, quòd habeant rationem signi realis, secundum se, & objectivi, quam rationem Deo ordinante, & exprimente exercent, hoc vel illo modo proportionato, ut Deo placet; sicut ipsæ voces respectu nostri, habent quantum est ex se rationem signi supposito hominum placito &c. sed eam exercent secundum quòd a nobis accommodantur. Sed res quoad nos comparantur secundum quod dicunt præcisam rationem entis, & rei, ideò non habent eundem respectum exercere quoad nos, & ita se habent in ratione signi, quoad usum nostrum, sicut verba hebræa respectu ad eum, qui tale idioma non novit; In quo apparet ratio diversitatis inter Deum, & nos, quia Deus comprehendit res, & omnem earum respectum in particulari, & scit, quod facit, quippe facit per ipsum scire, earumque cursum ordinat, & causat, eoque uti potest ad auctu lem significationem; nos autem a tali notitia summè distamus, & similis

A praxis nobis est impossibilis, & quia significare activè, opus est cognoscentis, ideò nec significamus, nec possumus per res, sicut ille, quia nec sicut ille, eas penetramus, aut facimus; non ergo mirum, quod respectu ad unum cognoscentem, aliquid habeat intrinsecè rationem signi, quam non habet respectu ad non ita cognoscentem, hinc dicitur, quòd accidit rebus ratio signi, cum eis nos uti conamur ad significandum, quia eas non accipimus prout sunt, non enim sunt institutæ quoad nos, ut per eas significemus quidquam, cum rationem signi realis habere possint solum per respectum ad Deum, unde eas accipimus quasi voces, & tamen ratio vocis spectat ad signum humanum,

B & ipsa sunt signa divina.

Ad primam confirmationem con. ant. & conseq. & negatur ultima consequentia, quia homo intelligit quidem sensum, sed modum non penetrat, insuper intelligit quidem, quod Deus in hoc, vel illo loco loquitur per res, sed quia hoc pendet ab ejus voluntate, nec semper, & ubique in Sacra Scriptura ita loquitur, nec semper vult intelligi; & cum ita sit, latet ratio quare hac re utatur, & non alia ad significandum, qui verò intelligit adequatè aliquod idioma, intelligit universalitatem, & rationem ejus penetrat. Tertiò intelligit homo, quod Deus loquitur per res, sed simul intelligit hoc esse proprium Dei, unde sicut non sequitur, homo cognoscit quod Deus dicendo creat, ergo potest etiam ipse dicendo creare, ita nec tenet ista

C consequ. homo cognoscit quod Deus per res, ut res sunt, loquitur, ergo potest & ipse per res loqui; disparit. idiomatis est, quod omne idioma humanum est in eadem linea, nec substantialiter requirit aliquid plus in hoc homine, quam in illo. Modus autem loquendi per res formaliter, requirit in loquente, aliquid supra, nedum hominem sed & Angelum.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis, admittendum esse ant., & neg. conseq., aliud est loqui de doctrina, aliud de modo docendi, primam discit homo a Deo, & propterea Sancti Patres occulta mysteria invenerunt in modo proprio loquendi Dei, ea dicicerunt, & docuerunt, sed quia, quæ propria sunt primi Gubernatoris Dei, acqui-

D rere non est possibile, ideò nec ea discere, nec docere, talisque est, ut explicatum fuit, modus iste loquendi per res, ut res sunt.

Ad tertiam dicimus, eam divisionem tradi de signo philosophico, & humano, sive in ordine ad hominem, vel significantem, vel intelligentem objecta ordinis naturalis, tam quoad modum, quam quoad substantiam; non verò de signis in ordine ad Deum loquentem, ideo nihil contra nos.

Secundò. Respon., esse signum naturale simul, & ad placitum, naturale, quia id creatæ rei naturale est, quod de ipsa ordinat Deus, per cujus ordinem quælibet natura perficitur; ad placitum etiam, quia res stat loco signi ad placitum, quoad nos, sed divinum placitum rem facit, ideò quoad ipsum, esse signum ad placitum est rei, ut res est.

Obiic. 4. sensus accommodatitius ab omnibus conceditur, qui etsi non sit immediatè sensus Spiritus

ritus Sancti, cum tamen applicat, & aliquo modo includit, per quandam extensionem ad aliquid aliud, & est accommodatio sensus Sacræ Scripturæ ad aliquid aliud exprimendum, ergo si potest homo accommodare ipsum sensum Scripturæ, ad significandum proprium, multò magis poterit res ipsas accommodare ad significandum quod vult, maximè quia extensio, includit id, quod extendit, si ergo sit accommodatio sive extensio, alicujus sensus spiritualis facta ab homine, signum est, quod non est talis sensus extra sphæram humanæ potestatis.

Confirm. primò, homo per verba ipsa Sacræ Scripturæ multoties exprimit proprium sensum litteralem, ergo per res ipsas Sacræ Scripturæ exprimere potest suum sensum spiritualem, ant. est certum. Prob. conseq. Deus est auctor specialissimus totius Sacræ Scripturæ, & omnium ejus verborum, non minus ac rerum, quibus sensus ejus spiritualis significatur, ergo si hoc non obstante, propria ejus verba accipit ex illa, ad sensum humanum litteralem, id ipsum poterit etiam quoad res.

Confirm. secundò, sensus tropologicus est sensus mysticus, hunc homo potest facere, ergo: Minor prob. Christus lavans pedes Discipulorum per illam actionem nos mysticè docuit humilitatem, & charitatem, ut ipse statim exposuit, qui est sensus mysticus, subdidit verò, exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis, idque ad Apostolos dixit, qui erant ejus successores, respectu ad Ecclesiam, ad quos maximè pertinet exemplum dare, ergo cum ipsi postea similem exercebant actionem, quia ita faciebant, sicut ipse fecerat, ita significabant, sicut ipse significaverat, ergo cum ab homine refertur talis actio litteraliter, ea in se habet sensum mysticum &c.

Objection. resp. conc. an., & neg. consequ. sensus enim accommodatitius, inquit, N. P. Dominicus, est quædam veluti pictura divini sensus, quia solum exteriora ejus representat, per quamdam accidentalem imitationem, & quando utitur homo sensu mystico Scripturæ facit sensum litteralem, quasi expositivum illius. Ad additionem, dis. ant. Extensio includit materialiter id quod extendit, conc. ant. formaliter, neg. an. maximè quia extensio ipsa, est quædam explicatio, sicut autem argui non potest, homo potest explicare Sacram Scripturam, ergo ipsam potest facere. Ità etiam de hoc sensu.

Ad primam confirmationem, transeat ant., & neg. consequ. immò suppositum consequ. ad prob. dis. an. est auctor eodem modo, quoad utrumque, neg. an. diverso modo, con. an., & neg. consequentiam. Ex magna dignatione utitur Deus in Sacra Scriptura verbis communibus, ut se accommodet vulgari hominum intelligentiæ, sed ea applicat ad sensum proprium significandum, unde solum sub ea individuali coordinatione, dicuntur verba Sacræ Scripturæ, si ergo homo eisdem verbis utitur, & non in eodem sensu, seu coordinatione, apparenter tantum utitur verbis Scripturę, si eisdem verbis utitur, & eadem format, planè exprimir sensus Spiritus Sancti, non suum, nisi & ipse idem sentiat, & tunc ille sensus hominis est effectus sensus Spiritus Sancti, sicut disciplina, est effectus doctrinæ. Quoad disparitatem divinæ causalitatis ad sensum litteralem, & spiritualem, utrumque certè Deus specialiter causat, quatenus uterque est aliqua pars Sacræ Scripturæ, at in spirituali, modo proprio Dei, & non hominis utitur, in litterali, se accommodat modo humano; Hunc ergo, & non illum, potest homo, saltem quoad genus, in Scriptura humana significare.

Ad secundam confirmationem resp. conc. maj. & neg. min. ad prob. conced. quòd illa actio Christi, sensum mysticum habuit, sic à Deo ordinata ad nostram instructionem, cum verò similem exercemus, hæc est intenta in illo sensu mystico, nec aliud singnificat, nisi quod sumus ejus discipuli, ejusque doctrinam practicè expositam exequimur, & factum imitamur; modum autem illum, quo actio illa ordinata fuit à Deo, ad instructionem nostram, habere non possumus. Ubi notandum, quod sensus mysticus repertus in actione præfigurativa, in ipsa est, non verò in actione præfigurata, cum ponitur, nisi iterum hanc Deus ordinaret ad aliam significandam, cum igitur actio Christi fuerit figura exhortativa nostrarum, illa sensum habuit mysticum, non verò nostra, quod si videtur ei similis in præbendo aliis exemplum, sicut illa præbuit nobis, non sequitur nisi quod quatenus per modum similitudinis illam Christi repræsentat, illam faciat in mentem venire, veluti figuram earum, quas nos debemus, quia reverà illa movet in ista, & hæc vim ad id, ex se non habet, sed ex illa; & denique nostra, est quædam expositio virtutis, quam illa habet, ad hoc ut eam omnes sequantur.

ARTICULUS ULTIMUS.

Uter sensus sit nobilior, Spiritualis an litteralis.

HAnc quæstiunculam brevibus absolvemus, non enim multum interest, ad notitiam eorum, quæ hic tractamus. Sed ad complementum præsentis materiæ, & quia communiter eam Doctores brevissimè concludunt; Ubi notandum, quod:

Pluribus modis comparantur hi duo sensus, in genere suo; ut tamen rem hanc doctrinaliter decidamus, consideramus eos in omni genere causæ.

Et quidem in genere causæ efficientis, quatenus comparantur ut effectus, ad Deum, ut ipsorum efficientem causam peculiarem, cum eadem sit causa utriusque, & uterque ab ea intentus, non se excedunt, ut patet. Si comparentur prout ipsi sunt causa efficiens saltem lato modo; sensus litteralis nobilior est quàm spiritualis. Prob. sensus litteralis ex genere suo est efficax ad probandum aliquid de fide credendum, sive ad hæreticos convincendos, ut supra ostensum est: sensus spiritualis ex se ipso præcisè id non habet, ergo in hoc genere nobilior est litteralis, siquidem hoc habet, quia notior ex natura sua, & fidei regula est, ergo excedit &c.

Dicendum est secundo, in genere causæ finalis, quando uterque sensus concurrit in eodem loco, nobilior est spiritualis, quam litteralis, absolutè

tamen præſcindendo à ſimili caſu, litteralis alium A excedit.

Prima pars probatur, quando in eodem loco concurrunt, litteralis ordinatur ad ſpiritualem, ergo magis in eo caſu intenditur ipſe ſpiritualis, finis autem perfectior eſt his, quæ ſunt ad finem, ergo.

Secunda pars probatur præciſo concurſu prædicto, intentum præcipuum Spiritus Sancti in Sacra Scriptura, eſt ut doceamur, quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt, atqui ſenſus litteralis immediatè, & univerſaliter docet, ſpiritualis verò non docet, niſi per ipſum, nec iterum certè docet, niſi alibi per litteralem explicetur, ergo.

Quod ſi comparemus eos in hoc genere, ut tendunt ad finem generaliter, idem eſt finis Sacræ Scripturæ, de quo ſuo loco dictum eſt, ideò eadem eſt excellentia; ſi ad fines immediatos, quatenus unus in uno loco ordinatur ad Chriſtum, vel ad gloriam, alter verò ad aliquid creatum, quia hoc utrique identidem competit, non arguit diverſam perfectionem, quam habent ſinguli in genere ſuo.

Dicendum tertiò: In genere cauſæ materialis, cum unus ſit, quandoque materia alterius, non ſe excedunt. Quamvis enim hoc eodem modo invicem non habeant, quia numquam regulariter, litteralis in ſpirituali fundatur, at ſpiritualis ſemper in litterali, tamen uterque adinvicem ſunt ſibi forma, quatenus ſpiritualis formalizat, & erigit litteralem, quando in eo fundatur, & litteralis formalizat ſpiritualem, cum eum explicat, ut patet ad Galat. cap. 4., & alibi, in epiſtolis Pauli præcipuè, Si ergo uterque invicem ſe formalizant, uterque invicem ſunt ſibi materia.

Quod ſi in hoc genere comparantur, quatenus in particulari aliquis eorum verſatur, quandoque circa materiam excellentiorem, hoc utrique paſſim contingit, unde ex genere ſuo, quoad hoc non ſe excedunt. Tamen litteralis ob ſuam univerſalitatem, quia ad omnia ſe extendit latiſſimè, nec reſtringitur, ſicut ſpiritualis ad modum quemdam ſignificationis occultum, qui non ubique reperitur, certum eſt, quod litteralis eſt excellentior, etiam in hac conſideratione, & prob. ſenſus litteralis adæquat omnem materiam totius Sacræ Scripturę, & facit primariam, & continuam ſeriem illius, ergo eſt excellentior ſpirituali, hocque innuit Angelicus Doctor artic. 10. ſæpè citato quæſt. pr. pr. partis.

Dicendum eſt quartò: In genere cauſæ formalis nobilior eſt litteralis abſolutè, quam ſpiritualis. Prob. forma Sacræ Scripturæ dici poteſt veritas, certitudo infallibilis, ratio, doctrinæ coordinatio, expreſſio divinæ mentis, & voluntatis. Sed hæc omnia magis immediatè, & per ſe primò conſtituunt ſenſum litteralem, & ad ipſum ſpectant; ſpiritualis verò abſconditus eſt ex genere ſuo, ideoque ſolum per litteralem, hanc formam obtinet, & ratione illius ergo |&c.

Dicendum quintò, ſi pro cauſa formali accipitur modus ſignificandi, perfectior eſt ſpiritualis litterali. Probatur: modus enim loquendi per res eſt proprius Dei, excedens humanam poteſtatem, B modus loquendi per verba, communis etiam eſt hominibus, ergo ex hac parte &c.

Ex his autem omnibus conſtat ad argumentum, quod cauſam dedit præſenti tractatui, quommodo nempè Scriptura poſſit eſſe una, cum tanta ſenſuum diverſitate, hoc enim conſtare non poterat, niſi eam examinaremus, nunc autem conſtat eam diverſitatem oriri ex excellentia Sacrę Scripturę, & ex ſuis cauſis, ex quibus ſicut una eſt, ità nihil oriri poteſt, quod eandem tollat unitatem, ac denique, ſicut diverſitas credendorum non variat fidem, quæ una eſt de fide, quia veritas una eſt, ita diverſitas ſenſuum, quibus hæc credenda exprimuntur, ſub una ratione revelationis divinæ, & in ratione regulæ, quę majorem vel ęqualem ſolet C unitatem habere, ac regulatum, debet perfectam Sacrę Scripturę ſalvare unitatem, ab ejus auctore intentam.

Et hęc quidem Theologico more, ac ratiocinio, metaphyſica prope methodo, juxta inſtituti noſtri pręſcriptum, exacto quo potuimus ſtudio, Deo dante complevimus. At quia Sacram Scripturam, quę verbis conſtat, ac phraſibus, pertractamus, ejuſque ad intelligentiam, velis, remiſque contendimus, ideò abdicata diſputandi regula, ejuſdem proprietates divinę, cujuſdam grammatices adminiculo, ad examen vocare compellimur. Sit itaque.

Tractatus undecimus, de regulis ad intelligentiam Scripturarum ſive expoſitio generalis Sacrę Scripturę per regulas, ex propriis ſenſibus, & dicendi modis Sacrę Scripturę eductas, juxta Eccleſię, ac Patrum Doctrinam.

TRACTATUS XI.

DE PECULIARI COGNITIONE SAC. SCRIPT. PER REGULAS, SPECIMEN EXHIBENS GENERALIS EXPOSITIONIS EJUSDEM.

SIngularis doctrinę singularis est disciplina, ad quam proinde peculiares regulę pręrequiruntur, per quas ad assequendum, quod intendit studiosus, ordine quodam ascendat: qua propter hanc exigentiam, in pręsentiarum sumimus veluti proprietatem Sacrę Scripturę, quę summa doctrinarum doctrina est, ideoque magis recondita, quam sine peculiaribus ejusdem intelligentię regulis nemo deprehendet. Hujus igitur loci est, in quo adhuc inter proprietates Sacrę Scripturę versamur, hujuscemodi pręlibare. Regulas autem dicimus, non quidem Sacrę Scripturę (unicam enim ejus regulam esse supponimus, Spiritum Sanctum in ea loquentem, & in Ecclesia proponentem, declarantem, approbantem infallibilique auctoritate docentem) sed cognitionis sive intelligentiæ illius, ad quam tendimus. Utque clarius procedamus, has, quas aggredimur, dicimus regulas Sacrę Scripturæ, ut a nobis intelligendæ, quod prædicatum eidem intimum est, cum sit divina locutio ordinata ad hoc, ut audiatur, & intelligatur, ut eidem obediatur; obedire enim est idem, ac ob audire: porrò hoc nomen regulæ; bifariam sumi potest; vel strictè, sicut sumitur c. regula, primo, de regulis juris, in sexto Decretalium, ubi definitur, regula est, quæ rem totam breviter narrat, ita ut non ex regula jus, sed ex jure, quod est, regula fiat, quæ definitio proportione servata, aliquibus saltem ex regulis, quas trademus accommodabilis est, ita ut de illis dici possit, quod rem totam (de qua peculiariter agit) breviter narrat, ita tamen, ut non ex regula, Sacra Scriptura; sed ex Sacra Scriptura, regula quæque nascatur; vel latè prout est qualis, qualis directio, seu lucis scintilla, ad intelligendam veritatem, & vitandos errores, quos ex obscuritate, quandoque haurit humana imbecillitas, in quo sensu quodcumque theologicum theorema ad Sacram Scripturam accommodatum, prudens monitum ex Patrum doctrina enatum, ac similia, quæ hic offerimus, regula dici potest Sacræ Scripturæ intelligendæ. In hac itaque universalitate regulę nomen sumimus in pręsenti; Et quidem in votis erat, quotquot studio non modico ex Sanctis Patribus regulas notavimus, ordinatè, & uniformiter illustrare, & per applicationem ad Scripturas, singulas sub singulis occurrentes demonstrare, quod opus, totam planè Sacram Scripturam, exponendo facilè complecteretur, sed ars longa, vita brevis, vires breviores,
A corpore dehiscente, animum sistunt; aliquas igitur tantummodo prælibamus, ad excitandum studiosorum appetitum, in divinitus parato convivio Scripturarum. Incipimus, paramus, viam sternimus, utinam sit qui consumet.

CAPUT I.

Regulas magis generales prælibans.

ARTICULUS I.

Ad monita quadam generalia inspectio.

SUpponimus certissimè contra Lutherum, in
B addiscendis Sacris litteris magistros esse necessarios, nec sufficere laborem proprium. Ita communiter Patres, ac potissimum Hieronymus, epis. ad Paulinum, ita usus Ecclesiæ, & Concilium Tridentin. sess. 5. cap. 1. de reformatione; Hinc primum monitum est, ut & vivos magistros, qui peritiores sunt, & libros quos Ecclesia veneratur, nempe Sanctorum Patrum adeamus, nec circumferamur omni vento Doctrinæ ad circumventionem erroris, nec trahamur studio novitatis, quæ ferè semper suspecta est, sed antiquæ & probatissimæ studeamus veritati. Porrò in omni facultate, sicut ab antiquioribus magistris didicimus, ille non est spernendus, qui ex professo materiam ejus solam, & prolixo pertractat examine: ac quia immensurabilis sapientiæ abyssus, est Sacra Scriptu-
C ra, quamvis omnes Sacri Doctores ex professo illam scrutentur, non omnes illius sensus singuli, nec omnia ejusdem mysteria aperiunt universi, sed aliquis quoad unum sensum excellit, alius quoad alterum; hic magis recondita meditatur, ille ruminat clariora; Hinc Sixt. Senen. in Byblioth, lib. 3. sic distinguit; historiam hebræis, & græcis fontibus haustam, Hieronymo disces duce; allegorias, anagogemque recludent Origen., Ambros. exponent sensus formandis moribus aptos Chrisost., Gregor.: In dubiis, altaque locis caligine mersis, Aurelius lucem feret.

Monitum secundum notat doctissimus Ederus, quod potius est suppositio quædam; Notandus est ordo graduum, quibus non tantum ad perfectam ascendimus theologiam, sed etiam ad salutem, & vitam pertingimus æternam, Sacra manuducente Doctrina: verbum enim Dei est sapientia, & in-

telligentia nostra. Deut. c. 4. per verbum pervenitur ad intellectum, per intellectum ad rem, per rem ad rationem, per rationem ad viam, per viam ad veritatem, per veritatem ad vitam; additque ex Hugone lib. 3. Didascal. Tria sunt Sacræ hujus doctrinæ studioso necessaria, natura, qua facilè audita percipiat, & percepta firmiter retineat; exercitatio, qua scilicet per laborem, & sedulitatem naturalem, sensum excolat; disciplina, per quam laudabiliter vivens, mores cum scientia componat. Ad quod facit, quod Galenus in studioso homine septem desiderat necessaria, ad omnium rerum inquisitionem, & cognitionem, at quanto magis ad sublimissimam hanc sapientiam? Primò inquit, requiritur ingenium sagax, & docile, deinde assuefactio, & exercitatio ab ineunte ætate in omni disciplinarum genere. Tertiò assiduitas: quartò ut præceptores audiat præstantissimos, & celeberrimos; quintò inexplebile desiderium veritatis. Sextò cognitio ejus methodi, ac normę, qua verum discernitur a falso. Ultimò exercitium, & usus ejusdem methodi, sed nobis in his non vacat immorari, in quibus inter cetęros facundior N. P. Cherubinus in suo magno opere, tomo primo, diutissimè detinetur. Ad minus itaque ad alia monita descendamus oportet, ne supra mensuram opus adolescat.

Monitum tertium est, ut quantumvis obscurus sit textus, qui legentibus occurrit, id certissimè supponamus, in illo esse infallibilem veritatem, totamque difficultatem ex majestate quidem dicentis, sed magis ex ignorantia nostra oriri, non ex defectu veritatis, aut periculo falsitatis, quæ in Sacra Scriptura est impossibilis. Plura de hac humilitate, quæ ideò humilitas est, quia veritas, juxta sensum Magnæ Teresiæ, ac de aliis requisitis ad rectam intelligentiam dispositionibus tradunt Doctores, cum quibus N. P. Antonius in Isagoge, & P. L'Hayè in prologom. in principio &c. nos perpauca subdemus.

Monitum quartum, ut frequenter, attentè, cum veneratione, & oratione legamus. Ita pulcrè Gregor. *lib. 4. Moral. cap. 1. sicut ignotorum hominum facies cernimus, & corda nescimus, sed si familiari eis locutione conjungimur, usu colloquii, etiam cogitationes indagamus, ita cum in sacro eloquio sola historia aspicitur, nihil aliud, quam facies videtur, sed si huic, assiduo studio, & usu conjungimur, ejus nimirum mentem, quasi ex collocutionis familiaritate penetramus*. Et Petr. Crysolog. *sermon. 96. sicut latet ignis in ferro, & friget in silice, ipse tamen ignis, ferri, ac silicis collisione flammescit, sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet, idque magis suadet experientia ipsa Doctorum*.

Quintum; Motivum potius est, quam monitum, ex Apostolo, *ad Rom. cap. 15. in principio; quæcumque scripta sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt*, quòd expressè ait de Sacris Scripturis, ut patet ex contextu; sic ergo in omni eo, quod legimus in Sacra Scriptura, aliquid quærere debemus, aptum ad nostram cęterorumque doctrinam, maximè verò moralem, & hæc quidem regula est

A lectionis, & intelligentiæ, sed insimul non modicæ consolationis motivum, cum certi simus, ita nos assequi intentionem Spiritus Sancti, quando videlicet Sacræ Scripturæ incumbentes, eruimus salutis monita, ac veritatis, & doctrinam spei, & patientiæ, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus, & hoc bene notari, admodum exoptamus, ut cum magna fide, & gaudio, & profectu ac merito, hujusmodi studium attentissimè prosequamur. Qui enim ex professione nostra tenemur die, ac nocte in lege Domini (quæ secundum sensum Patrum, ipsa Sacra Scriptura est) meditari, & nostræ omniumque saluti pro viribus insistere, hac potissimum via, quod debemus, implemus.

Sextum monitum universa hactenus prælibata B complectens, est regula Divini Augustini *lib. 3. de Doctrina Christiana*, sic sapienter docentis. *In his omnibus libris, utpotè canonicis, timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei, cujus laboris prima observatio est, nosse libros istos; divinarum enim Scripturarum solertissimus erit indagator, quisquis primum libros canonicos noverit, totosque legeris, memoriæque mandaverit, etiamsi nondum intelligat; deinde si in eis, quæ apertè sunt posita, studuerit solertius, diligentiusque investigare, præcepta vivendi, regulasque credendi, quæ quantò quisque plura invenit, tanto est intelligentia capacior; In his enim, quæ apertè in Scripturis sunt posita, inveniuntur omnia illa, quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet, & charitatem; Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa divinarum* C *Scripturarum lingua, pergendum est in ea, quæ obscura sunt aperienda, & discutienda, ut ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla*. Augustini magisterio nihil addendum, nisi executio.

ARTICULUS II.

De regula distinctionis.

POst monita: quæ necessario erant præmittenda. Primi generis regulæ illæ sunt, quæ concernunt verba, & lectionem ipsam, primam videlicet intelligentiam, quæ secundum Augustinum prius est regulanda, ut ad altiora studium ascen- D dat. Prius igitur illis, licet brevissimam Operam damus: Prima autem inter hujusmodi, ea est, quæ dicitur regula distinctionis, quæ talis est:

In locis, ubi litera obscura est, vel connexio difficilis, cavendum, ne malè distinguatur, ubi non est distinguendum, vel ne conjungantur, quę secundum planam significationem jungi non debent, & rursus ne malè pronunciemus, aut figuram variemus, neve corripiamus, aut producamus syllabam vel unam, contra naturam, & linguæ, & locutionis. Hæc regula habetur ex Concilio Aguisgranensi, cap. 3. init. tomi secundi, & ex se clara est, illustrior tamen fiet exemplis.

Prim. Psalm. 49. frater non redimit, redimet homo, in volgata sic legimus, sine interrogatione, & facit sensum affirmativum in secunda parte.

Christum

Christum respicientem ad litteram, qui homo dicitur singularis, primogenitus in multis fratribus, ut ait Apostol. ad Roman. cap. 8. in multis fratribus, qui ad invicem fratres sunt, ipse verò in rigore locutionis non est frater, quia unigenitus Patris, & unigenitus Matris, ac redemptor fratrum, eorum videlicet, quos charitas jungit, qui sensus est ferè communis Patrum. At Augustin. eundem locum legit interrogativè, quia fortè sic habent 72. Interpretes (quod nobis non liceret) sic autem legendo facit sensum negativum, sed de Christo nequit intelligi, ac subtilem exigit expositionem, quam proprio Marte a vulgata recedendo excogitare, nobis non datur, attento Tridentini Decreto, quod sæpius recitavimus, ideoque cavendum est in similibus, ne temere procedamus.

Secund. exemplum spectans pariter ad figuram, habetur *Gen. c. 3. Ecce Adam quasi unus ex vobis*, cum sequ. quod planè dicitur ironicè, & revera est sensus negativus, & exprobratio motivi, a serpente, Evæ propositi, quove ductus est Adam ad peccandum, unde nequit sumi affirmativè, saltem quoad litteram, & primariò, quamvis mysticè referri possit ad Incarnationem veluti prophetia, nam in illa, una ex divinis personis facta est in similitudinem carnis peccati; vel moraliter, quasi Deus exprobraverit homini beneficium creationis, quando fecit illum ad imaginem, & similitudinem suam, quam tamen ingratus peccando deturpaverat. In his igitur sensibus sumi quidem potest affirmativè, & sine Ironia, non tamen litteraliter, ne videatur Deus commendare peccatum, dum illud damnat, & præmium peccati, similitudinem suam asserere, ubi pœnam justè assignat, laborem, & sudorem, ac omnia mundi infortunia.

Tertium exemplum. *Joan. cap. primo. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c.* ubi legit Arianus. In principio erat Verbum, & Verbum: erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat in principio, quo modo jungendi disjungenda, & disjungendi jungenda, tota ferè hæresis Ariana formatur, ex errore videlicet legentis, duo fuisse Verba, & Verbum Dei non esse Deum, sed creaturam.

Quartum est huic simile; habetur Gen. *primo cap. In principio creavit Deus cælum & terram; terra autem erat inanis, & vacua &c.* Sed Manichæus legit. In principio creavit Deus cœlum, & terram terra; erat inanis, & vacua, ex quo deducit duo dari prima principia, alterum bonum, alterum malum, bonum inquit scilicet Deum, qui creavit cœlum, malum verò, quod ibi dicitur terra, & creavit terram plenam miseriis; quæ idcircò adduximus, ut constet, quanti intersit, quod minimum Judicamus, scilicet correctè, & punctuatim legere, & quam insulsæ insaniæque sint hæreses, quæ errant in principiis, eaque ignaviter distorquent; ne convincantur.

Notandum verò est, quod periculum errandi ex hoc capite, maximè occurrit in his, quæ sunt sublimiora, sicut in locis citatis, & in epistolis Pauli, aliisque Canonicis, quæ propterea legi debent, cum simplicitate quidem, sed attentè, & scrutan-

A dæ non sunt, nisi per Sanctorum Patrum doctrinam, & Ecclesiæ regulam.

Notandum etiam, quod aliquando ambigua quidem occurrunt loca Scripturæ, sed utraque pars ambiguitatis, sanum format intellectum, ac proinde liberum est cuilibet, sicut alterutrum sentire, ita alterutro ex modis occurrentibus legere. Exempl. est Joan. loco citato, in eo quod sequitur. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat &c.* ubi supponimus neminem ita fatuum esse, ut judicet jungi posse, omnia per ipsum facta sunt & sine ipso, cum sit evidentissima contradictio; solum ambigunt plures circa illud, quod sequitur, & sine ipso factum est nihil quod factum est, an hoc totum jungi debeat, an disjungi ly nihil, a ly quod factum

B est, & iterum an jungi possit, ly, quod factum est, cum eo quod sequitur, scilicet in ipso vita erat.

Quò circa Augustin. *de natura boni, non sunt audienda deliramenta hominum, qui nihil hoc loco aliquid esse putant, quia ipsum nihil in fine sententiæ positum est, nec intelligunt nihil interesse, utrum dicatur, sine ipso nihil factum est, ac sine ipso factum est nihil*; sensus igitur Augustini, cui consentit Hilarius, cæterique Patres, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, idest sine exceptione alicujus, eorum quæ facta sunt, omnia a Deo facta sunt; non est extrà Dei causalitatem, nisi nihil, quod clarè patet ex Græco, qui legit pro

C ly nihil, neque unum, & Syrus, etiam non unum, clarius verò Arabicus, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso non fuit quidquam eorum, quæ facta sunt. Morem tamen gerit Augustinus *tractatu primo, in Jon. ad hunc locum*, etiam simplicem litteram transcendentibus, accipiens pro nihilo, quod factum est, peccatum, *quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant*, sed hoc ut legenti patet, Aug. dicit permissivè, ut ad legitimum litteræ sensum nunc explicatum ducat, ac propterea censuram Cornelii Alap. non meretur, qui hoc loco eum damnat dicens, *sed hoc subtilius est, quam solidius, ac coactius, quam germanius, teste Hieronymo, in cap. 2. Micheæ*; de ipso igitur potius Cornelio dicemus, hunc impugnandi modum, nec subtilem esse, nec solidum, & coactum esse non germanum, quia caret fundamento, cum in præ-

D dicto sensu non sistat Augustin. Patet ergo ex dictis legitimum, & legendi, & intelligendi modum hunc esse, scilicet conjungendo, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, idque confirmatur ex Cyrillo apud D. Thomam *in catena, Joan. pr. non apponemus finale punctum, ubi dicitur sine ipso factum est nihil, secundum Hæreticos: illi enim volentes Spiritum Sanctum creatum dicere, ajunt, quod factum est, in ipso vita erat, sed ita non potest intelligi, primum quidem, neque enim tempus erat hic, Spiritus Sancti meminisse; Sed si de Spiritu Sancto hoc dictum est (age secundum eorum interim legamus modum) ita enim nobis hoc inconveniens erit; cum enim dicitur; quod factum est, in ipso vita erat, Spiritum Sanctum dicunt vitam esse; sed vita hæc, & lux esse* inve-

invenitur, inducit enim, vita erat lux hominum, quo circa secundum eos lucem omnium, hunc Spiritum dicit, quod autem superius Verbum dixit, hic consequenter, & Deum, & vitam, & lucem nominat &c. A

Ex quo sequitur, ly nihil a ly quod factum est non debere disjungi, sed post ly quod factum est, punctum apponi debere, postque novam esse sententiam, id quod sequitur: In ipso vita erat &c. Ideò concludit August. *tractat. primo citato, non te abducant: pronuncia sic, quod factum est, hic subdistingue, & deinde infer. in illo vita erat.*

Nec tamen propterea damnandus esset, qui retento verò sensu prioris clausulæ, sive membri orationis, modo nuper explicato, legeret simul, quod factum est, in ipso vita erat (non quidem dicendo, quod factum est in ipso, vita erat, quia B in Deo nihil vel essentiale, vel personale reperitur, quod possit dici factum, hoc est creatum) nunc enim dispunctis jam, & deletis hæresibus Manichæorum, Valentini, Sabelii, cæterorumque, non est periculum, servato sano sensu juxta Ecclesiæ, & Patrum intelligentiam asserere, legere, & intelligere, quod omnis creatura, seù factura Dei, in divinis ideis æternaliter vixerit: unde Augustin. loco citato subdit. *Sic ergo Fratres charissimi, quia sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia, hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quidquid factum est, in illo vita est. Terram vides, est in arte terra; cælum vides, est in arte cælum, &c. sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* Id ipsum explicat sapienter Cartusia- C nus hoc loco, ex doctrina August. ac D. Thomæ ita & communiter Patres, ac Theologi, de divinis ideis, primæ partis quæstionibus primis. Concludimus denique cum Beda *in cap. primum Joan. quia Evangelista dixit omnem creaturam factam esse per Verbum, ne quis fortè crederet mutabilem ejus voluntatem, quasi qui subitò vellet facere creaturam, quam ab æterno nunquam ante fecerat, ideò docere curavit, factam quidem creaturam in tempore, sed in æterna Creatoris sapientia, quando, & quos crearet, semper fuisse dispositum, unde dicit, quod factum est, in ipso vita erat;* ex quibus clarum est, salvo vero sensu posse hunc locum duplici modo legi, quod in aliis etiam Sac. Scrip. locis, licet non adeò frequenter, occurrit. Sed ne diu de- D tineamur ad explicationem hujus regulæ, alterum duntaxat exemplum, vix pro modo attingimus.

Quintum exemplum, quantum intersit distinctio legentis, apparet in epistola Divi Jacobi. *Sunt quidam homines*, inquit, *impii; Dei nostram gratiam transferentes in luxuriam &c.* certè audivimus inconsideratos quosdam lectores, sine ulla interpunctione, aut coma legentes, simul impii Dei nostri gratiam &c., quæ conjunctio verè impietas, & Blasphemia est, quam vel hæreticus, vel Paganus exhorret. Qui plura voluerit, videat historiam Dominic. Bernini de Baptismo pro mortuis in princip.

ARTICULUS III.

Dilucidatio prioris regulæ per alias.

Adversus hactenus dicta opponi potest; si ambiguitas adhuc post loci occurrentis examen, perseverat, quid præstandum? libera ne fortè legenti, ac quod plus est, meditanti, erit pars utraque ambiguitatis? at veritas una est, nec semper sensus uterque veritati concordat.

Respondemus ex doctrina Magni August. *lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 3. ubi est ambiguitas dictionis, etiam post diligentiam distinctionis (quæ sufficit subitò legentibus) consule regulam fidei, quam de Scripturarum locis planioribus habere potueris, & intelligentiam Ecclesiæ quæ omnium regularum regula est, quod si adhuc durat ambiguitas, eò quod utraque pars fidei concordat, contextum ipsum sermonis consule, antecedentia, & consequentia, & integrum Auctoris conceptum, ac intentum, ac juxtà illum decerne.* Hæc regula, ut patet plures continet, quas suis locis curabimus prægustare? Exemplis res pro modo clarescet.

Primum proponit Augustin. *ex Apostolo, ad Philipp. cap. 1.* ubi, ait *quid eligam ignoro, compellor autem ex duobus concupiscentiam habens, dissolvi, & esse cum Christo &c.* ubi *incertum est, an compellatur ex duobus, an ex duobus concupiscentiam habens, sed ex sequentibus patet, quod vult dicere, compellor ex duobus, idest unum eligere ex duobus, nempe vel manere in vita propter vos, quod dicit necessarium, vel dissolvi, & esse cum Christo, quod concupiscit; subdit enim, manere in carne necessarium propter vos, quæ intelligentia oritur, ex consideratione præcedentium, & subsequentium ad obscuram locutionem, quamvis neuter sensus ex apparentibus, discordet a fide, vel a virtute.*

At quia scrupulizantur quidam, si quandoque audiant viros doctos, non adeò vulgari, tritaque via gradientes, ingeniosam, ac spiritualem intelligentiam educentes, quam tamen, & textus, & Scripturæ veritas patitur, ideò nota aliam regulam ex eodem Augustino, eodem loco. *Ubi* inquit, *utraque pars ambiguitatis, & fidei quadrat, & contextui vim non facit, utrumque est in potestate legentis.* Exemplum sit, *secunda ad Chorinth. cap. 7. Has ergo promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, & spiritus, perficientes Sanctificationem in timore Domini;* ly Spiritus stare potest, vel ante, vel post comam, sicque non incongruè dici potest, & Spiritus perficientes Sanctificationem, in timore Domini, quamvis magis vulgariter legamus, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, & Spiritus, perficientes Sanctificationem. Negari tamen nequit, melius esse per planam viam incedere, punctualiter legendo, juxtà correctiora exemplaria, ne nobis fidentes, quasi novitatis amatores, aberremus, quod tamen timendum non est, ubi Patrum patrocinium; utraque novit lectio vel intelligentia. Patet hoc *Psalm. 44.* ubi sic habemus. *Specie tua, & pulchretudine tua, intende prosperè,* distinguendo

do hanc partemà subsequenti, procede, & regna sicut distinguit Augustinus, aliique non pauci, in expositione prædicti Psalmi, & ita per plures ante ab hinc annos, a viris etiam doctis legi communiter audivimus, & rationabiliter; habet enim valdè propriè etiam intentio suam prosperitatem, eum videlicet ad optatum perducit finem; sic igitur legebatur, specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna; at subintrojerunt quidam Sacræ lectionis Zelatores, id carpentes, quasi extorta sit, & coacta lectio, quam Doctorum Doctor approbat Augustinus; sic dumtaxat legendum esse asserentes, specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna, adeoque propriæ hæserunt opinioni, ut impressores quaquà versum monuerint, comam ut apponerent inter intende, & prosperè, ac sic hoc ommisso fides pereclitaretur; discretè igitur procedendo, quia modus uterque legendi, & intelligendi pro se Patres habet approbatores, potest, & debet sustineri, at quia minor sit violentia choro canenti, melius est, si dicamus, intendere prosperè, procede, & regna, cum & verè propria, & planè nobilior hæc sit, ob tactam rationem, intelligentia.

Iterum autem ad principalem regulam, cui deservit, etiam præsens articulus redeundo, secundo exemplo ei insistit Augus. cap. 3. citato, quoad pronunciationem, sive figuram. *Ad Rom. cap.* 8. *quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est, qui condemnet? Christus Jesus &c.* ambiguum est an ly Deus qui justificat, sit responsio absoluta, ad ly quis accusabit adversus electos Dei. Fides tamen resistit, novimus enim Deum judicem esse, non accusatorem, ipseque Apostolus in eodem loco dicit, quos justificavit, hos, & glorificavit, utique electos suos, non igitur accusavit, vel accusabit, ne mutetur, vel sibi contradicat. Aliter igitur legendum est, ponendo videlicet ubique interrogationem. Quis accusabit? &c. Deus qui justificat? quod est negare cum energia: alius tamen ibi sensus præter adductum, satis planus apparet, sic enim intelligi potest, quis accusabit adversus electos Dei? ibi stat oratio, implicitam habens responsionem negativam, ac si dicat, impossibile est, quod aliquis accuset electos Dei; ut tales enim si accusarentur, accusaretur Deus, quod nequit concipi. Idque confirmat sequenti distincta oratione; Deus est qui justificat; quis est qui condemnet? Iterumque talem probat negationem ex Christi redemptione, quem sensum valdè planum, ac rationabilem, ipse edocet textus, si bene pensetur, ipsaque Apostoli intentio elegantissimè expressa; Christus Jesus &c.

Hic porrò notat Augustinus, aliud esse percunctationem, aliud verò interrogationem, illi enim per plura respondetur, huic autem per sic, vel non; ideoque ubi est interrogatio, si in responsione non invenias sic vel non, hoc subintelligitur ex vi alicujus rationis, in responsione inclusæ, quæ cogit concludere, vel affirmativè, vel negativè, quod si interrogationem audis, & non responsionem, ipsa responsio, ipsaque vel negatio, vel affirmatio subintelligitur in aliqua dictione, sive adjectione rationali, quæ interrogationi admiscetur; idque apparet in prædictis duobus legendi modis hunc textum Apostoli, ut facilè deprehendes.

Tertium exemplum Joan. *cap. primo: A Nazareth potest aliquid boni esse?* hæc secundum naturalem sensum, considerato textu, potius admiratio est, quam interrogatio, at si accipias per modum admirativæ interrogationis, vel interrogatio afficiat primam dictionem distinctè, quasi dicta a Nazareth? quasi miretur, quod in lege promissus, ut in Betlehem nasciturus, modo dicat, a Nazareth exisse, vel accipiatur interrogatio, ut afficiens totum dictum, Nathanaelis, semper consonat veritati, ubi advertendum, quod ista cum sit interrogatio admirativa, nec affirmationem exigit, nec negationem, aut implicitam, aut explicitam, quod si adhuc insistas ex natura interrogationis semper haberi, quod aliqua ei debeatur responsio affirmativa, vel negativa, implicita, vel explicita, lege contextum, & ex his, quæ ibi Christus dixit, intelliges tali interrogationi sensum in esse affirmativum, non enim, qui veritas est, laudasset eum, qui fuisset infidelis.

Ad completam hujus regulæ explicationem, notandum est etiam, non parum interesse, quòd aliqua syllaba, vel brevis producatur, vel longa corripiatur, valdè enim diversus est sensus, si ubi dicitur littera occidit, corripias, ac si producas; nam etsi in aliquo sensu verum sit, puod littera occasum habuit, quia vetus Testamentum, quoad cæremonialia, & judicialia cessavit, tamen absolutè dici non potest; Christo dicente *non veni legem solvere, sed adimplere. Matth. cap.* 5. in similibus igitur attendi debet contextus, cumque ubi Apostol. ait, littera occidit, secunda Chorin. cap. 3. subdit statim, spiritus autem vivificat, manifestè constat producendum esse ly occidit, sumptum a cædo, & non a cado, quia revera littera prout opponitur spiritui, idest carnaliter intellecta occidit.

Ad veriorem autem intelligentiam in similibus, expedit, quandoque consulere aliud idioma ex Magistralibus. *Psal.* 138. dicit Propheta; *non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto.* Si os corripias est singulare ossis, si producas est oris, idque discernitur consulendo græcum, hoc enim loco habetur oseon, quòd facit os ossis, unde subdit Augustinus, *mallem cum barbarismo dici ossum meum, quam ut ideò esset minus apertum, quia magis latinum.*

Quartum aliud exemplum, ad superiorem accedit explicationem, *ad Galat. cap.* 5. *quæ prædico vobis*, clarum est ly prædico vobis esse producendum; nam etsi Apostolus esset prædicator, & Doctor Gentium, ex textu tamen tale verbum determinatur ad significandam prædictionem potius, quam prædicationem, quia subdit, *sicut prædixi*, non verò sicut prædicavi.

Quintum. Alias etiam examinat Augustinus ambiguitates, quæ huc spectant, 1. *ad Thessal. cap.* 3. *propterea consolati sumus fratres in vobis*; intelli-

gi

gi potest, o fratres consolati sumus in vobis, vel consolati sumus hos fratres in vobis, sed græcum cum non habeat pares hos casus, clarè indicat vocativum esse, ly fratres, nec permutti posse, ut quis ad discernendum addat o, vel vertat, aut transponat dicens; consolationem habui in vobis fratres, quamvis ità clarius dici videretur, quòd ibi intendit Apostolus.

Sextum 1. ad Chorin. cap. 15. *Quotidiè morior per vestram gloriam*; dubium est, an ly, *per*, sic idem ac propter, an idem sit, ac *in*. An juramentum includat; at si græcum consulas, solvitur dubium, siquidem in græco habetur vox Jurantis, ideoque intelligitur idem esse ac si diceret, juro per vestram gloriam.

Hoc ferè totum ex Doctrina Augustini loco citato, aliisque paucis ad rem additis, desumpsimus, & deservire poterit pro cæteris ambiguitatibus, quæ frequenter occurrunt, quas in medium efferre nimis operosum, & nostro Instituto impervium foret. Satis sit quod idem Augustinus concludit, *Rarissimè igitur*, inquit, *in verbis propriis Scripturæ invenietur, ambiguitas, quam non aut circumstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scribentis intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ solvat inspectio*. Sed de his alibi forte agendum erit.

ARTICULUS IV.

Plures tradens regulas circa verba translata, & propria.

Propolita, & explicata regula distinctionis, occurrit non minori studio digna, regula proprietatis, & translationis, quam & per exempla, & per alias regulas explicare conabimur. Primò igitur advertendum est, ne verba aliquando præcipuè translata, semper sumantur, & ubique secundum eandem significationem, vel translationem. Hæc regula ex eodem Augustino desumitur, loco citato, & quidem applicabilis est etiam verbis propriis, ut faciunt, sive innuunt sensum spiritualem, quod nempe non in omni loco eundem spiritualem indicant sensum, sed accommodatè ad res, quas sigillatim exprimunt, attento contextu; sed de hoc, & constat ex dictis supra suo loco, de sensu spirituali, & alibi fortè dicemus. Pro nunc restringitur inspectio ad verba translata, vel etiam ad propria in sensu litterali secundario, nempe cum in uno loco significant propriè, & in alio translatè, sensus enim translatus tunc dicitur secundarius respectu ad intentionem talis verbi, seù dictionis; sicut lignum in Genesi significat litteraliter propriè arbores, ubi dicitur, *Genes. 2. cap. produxit Deus omne lignum*, sed non propterea ubique sumitur eodem modo, sed aliquando translatè, & iterum diversimodè, juxtà diversitatem locorum. Nam proverb. cap. 3. Sapientia dicitur lignum vitæ, & Ecclesiastæ c. 11. sicut & simile in Evangelio, si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Sapientia enim dicitur lignum vitæ, quia

A optimos parit fructus possessori suo, ut ex eis vivat, sicut arbor fæcunda; sed in secundo loco, lignum ponitur, prout significat rem immobilem, sicut enim lignum in ignem cadens, sinit se comburi ibi, ubi cadit, nec effugere potest, ita qui cadunt in Infernum, ibi in æternum comburentur inevitabiliter. Aliter etiam *Luca* 23. sumitur ut patet, cum ait Christus, *si in viridi ligno hoc faciunt, in arido, quid fiet?* & hæc satis, certè si in his omnibus locis, lignum secundum eandem significationem acciperetur, evidentes sequerentur errores, & numquam sensus etiam clariores Sacræ Scripturæ, secundum intentionem dicentis intelligi possent.

B Huic regulæ omninò affinis est, & ferè eadem illa, quæ sequitur; Non accipiatur tamquam dictum propriè, quod dictum est metaphoricè, nec è converso. Hæc regula evidens est, & testes ejus sunt innumeri errores, qui ex ejus inobservantia pullularunt, qui feriunt ipsum lumen naturæ.

Dicitur *Gen. cap. primo; creavit ergo Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum &c.* hoc nimis materialiter, & scrupulosè cum totali proprietate sumentes antropomorphitæ hæretici, Deum humanam formam, & corpus, & membra habere credunt, magis propriè quam habeat homo. Nec propterea dicimus, eam locutionem impropriam esse, nam verè Deus, & pro-

C priè creavit hominem, & ad veram imaginem suam, sed ly *ad* satis distinguit a Deo, hominem, qui non factus fuit omnimoda imago Dei, sed ad imaginem, ideoque erronea est illa intelligentia, quia ponit proprietatem in eo, in quo non est.

Matth. cap. 3., ait Joan. de Christo, *ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni*. Abyssini hæretici, ly igni, quòd est metaphoricè dictum, sumentes propriè, pro igne materiali, cum ibi ponatur pro charitate, Frontem baptizati, ferro candenti inurunt, legi amoris terrorem immiscentes. Nec planè absimilis huic est error, qui sequitur; *Matth. cap. 10.* Ad patientiam, & imitationem suam adhortans Redemptor Noster ait; *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, &*

D *tollat crucem suam* &c. dictum hoc impropriè, propriè arbitrantes dictum, quidam Monachi, ligneam crucem ad mensuram singulorum omnes ferebant quotidie cum risu cæterorum, & subsanatione, ut refert Cassian. collat. 8.

Similes errores innumeri addi possent, sicuti de abscindentibus sibi pedes, vel manus, vel etiam virilia, aut oculum sibimet eruentibus, eo quod propriè dictum acciperent de pede, manu, cæterisque membris, quod Math. 18. & alibi dicitur in Evang. quod dicitur de conjunctis, vel amicis, qui scandalum nobis præbent, sicut explicat Gregor. ad cap. 14. Math. cæterique Patres hoc loco, & consimilibus, sed dicta sufficiunt.

Non tamen ommittendum, quod Hieronym. ad illud Isaiæ cap. 11. habitabit lupus cum agno, quod litteraliter metaphoricè significat Paulum, qui dictus est lupus rapax, manè rapiens, & vespere dividens

dividens escas, eo quod etiam esset de tribu Beniamin, ut eleganter de ipso explicat Augustinus, Paulum, inquam, socium Petri, qui fuit primus inter agnos, scilicet fideles, quos Christus agnos suos dixit; *pasce agnos meos*. *Joan. cap.* 21. arguit Hebræos, qui contendebant præfatum Isaiæ locum, intelligi debere, litteraliter propriè, de lupo, & agno animalibus, simul pascendis in adventu Messiæ, nec solus Hieronymus contra Judæos sentit hoc loco, sed Patres communiter, inter quos Ambros. lib. 2. de Virginibus, hoc explicat de mutatione facta per Christi fidem in hominibus, quos de feris, agnos fecit, & pulcrè hunc locum applicat, militi, qui Virginem ad lupanar damnatam, ut a stupro defenderet, cum ea vestem commutavit, propter quod damnato ad supplicium occurrit Virgo, cum eo de Martyrio decertans, lisque pia in hoc demum devenit, ut simul uterque Martyrium gloriosè pro Christo sustinuerint. Videatur etiam Hieronym. ad cap. 40. Isaiæ &c.

Equalis autem, vel fortè majoris periculi est, ea, quæ ex contextu, & communiori intelligentia sumenda sunt propriè, ad metaphoram detorquere; sufficiat unum pro mille. Plura enim hoc modo torquet Lutherus dicta Evangelii, ac potissimum de Eucharistia, sicut etiam Calvinus, cæterique Hæretici cumplures, qui sic errant, ut semper errent, *Joan. cap.* 3. ait Christus; *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* ubi asseritur necessitas baptismi, & quidem litteraliter propriè, ut patet. At Munzerus intelligit, ly aqua, ut metaphoricè positum, pro tribulatione, juxta illud *Psalm. 68. Intraverunt aquæ, usque ad animam meam*, & ex hoc verum negat baptismum, tantum metaphoricè Christianus, volens in janua hærere, qui non vult ingredi Ecclesiam. Simul etiam laborant insania Gnostici, Valentiniani, Marcionistæ hæretici, perperam legentes, ac nequissimè torquentes, Sacram Scripturam. Immò quod mirabilius est, in hujuscemodi errores aliquando prolapsus est Origenes. Sed & Oleastrum sapientissimum virum, damnant quidam ob similem intelligendi modum, eo quod nimis propriè sumens in Genesi, serpentem, ei tribuerit verba verè humana, non advertentes, quod se correxit ut constat legenti. At quia statim quæret lector, quomodo cognoscemus, an locutio propria sit, an metaphorica; nisi enim hoc discerni possit, quam facilis, tam erit error excusabilis. Sit ideò.

ARTICULUS V.

Qua ratione discerni valeat in Scriptura, an locutio propria, an sit metaphorica.

Si de locis clarioribus loquamur, sincerè legenti, non verò ad calumniandum, sufficiens regula est, lumen ipsum naturæ. Quis enim adeò rudis, ut non intelligat metaphoricè dici, cum legit, vicit leo de Tribu Juda, radix David, notissimum enim est, non dari tribus bestiarum, sed hominum, nec David, radicem habuisse, sed arbores. Pro locis igitur obscuris, in quibus sunt verba continuata, quæ sensum reverà habent metaphoricum, & possent ob aliquam apparentiam propriè sumi, locum habet quæstio; ad cujus solutionem recolendo ea, quæ superius tradidimus juvat hæc regula videlicet.

Advertere diligenter oportet, ad ea, quæ præcedunt locum difficilem, & quæ sequuntur, quæ dicitur regula contextus, & huic materiæ, seu quæsito applicatur, per exempla.

Primum sit, *Isaiæ cap.* 11. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet &c.* huc usque, quantum est ex merito litteræ potest esse sensus proprius, atqui minimi certè Propheta pendebat, an virga aliqua materialis floreret, nec ne, aliquod planè majus prædicere intendisse, suadet majestas ipsa loquendi, qui igitur rationabiliter dubitas, an sit locutio propria, an metaphorica, procede, audi quod sequitur, & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & eo ex loco, quæ videbatur propria, clarè se metaphoricam ostendit, quandoquidem spiritus sapientiæ non est in materiali flore, quem una dies aperit, conficit una dies, sicque intelliges cum Hieronymo. *Nos autem virgam hanc de radice Jesse, Beatissimam Mariam Virginem intelligamus, & florem Dominum Jesum, qui dicit in cantico, Ego flos campi &c.*

Secundum, *Apocalyp. cap.* 19., *& ecce æquus albus, & qui sedebat super eum &c.* describit equum, & magis sessorem ejus; & quidem quæ dicit non solum ut visa, sed etiam ut expressa in ipsa visione sumi possunt in sensu proprio, de vero equo, & de vero ejus sessore, at ubi denique nomen sessoris pronunciat, quòd est Verbum Dei, jam apparet sensus metaphoricus, cum visionis, cum descriptionis antecedentis; atque ita pro equo albo accipitur humanitas innocens, assumpta a Verbo.

Tertium; similiter, *sequ. cap.* dicit; *aprehendit Draconem, & serpentem antiquum*; qui ibi sistit, non prohibetur hoc intelligere, de verò Dracone, at subdens Propheta, *qui est diabolus*, jam docet se Draconem, & serpentem accepisse metaphoricè, ac simul instruit, ut in similibus inspiciamus, antecedentia, & consequentia, ne tamquam proprium accipientes, quod metaphoricè dicitur, hallucinemur.

Quartum, *ad Galat. cap.* 5. *carnem suam crucifixerunt*, non novum esset in Scriptura, si crucifixionem propriè intelligeres, at quia prosequitur dicens, *cum vitiis, & concupiscentiis suis*, cum vitia, materialiter non crucifigantur, jam quisque advertit, crucifixionem sumendam esse metaphoricè, pro mortificatione, & patientia voluntaria, quam voluntarietatem significat additio illa, hoc est *crucifixerunt*.

Quintum. *Ad Rom. cap.* 2. *thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revalationis justi judicii Dei*; multiplex ibi est, & diversa metaphora, quæ cum proprietate confunditur, thesaurizare enim est, rem pretiosam, & materialem abscondere, ut servetur, quod certè iræ non convenit, nec ira propriè convenit Deo, at per hoc quod additur, in die iræ,

& revelationis justi judicii Dei, utraque metaphora lucem accipit, sicque apparet emphatica, & vivida expressio perversitatis humanæ, quæ videtur, data opera, sibi reservare, effectus justitiæ Dei, scilicet terrores, & pænas inexplicabiles, sicut avarus, congregat, & servat in thesauro pecunias; Simile quid habetur, *Luca, cap. 12. ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit*, cor enim ibi ponitur metaphoricè ad exprimendam talem intensionem affectus, ad rem amatam, ut ipsum cor, ex homine videatur extrahere, ut quiescat in thesauro, sed & thesaurus ponitur pro re concupita, quam sicut summè diligimus, ita plurimi æstimamus, sicut avarus pecuniam. Ubi advertendum, quod cum nobiles hujuscemodi metaphoræ occurrunt, studiosè insistere debemus, ut eas intimè scrutando penetremus; sic enim ex eis pulcherrimi sensus, & ad persuadendum aptissimi pullulabunt, maxima enim in illis absconditur sapientia, omni thesauro pretiosior. Videatur Oleaster, in princip. cap. 21. Job ad illud; *ducunt in bonis dies suos*, & illud; *Hieremiæ cap. 31. novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum &c.*

Et hæc quidem concernunt regulam contextus, intelligendis, seu discernendis metaphoricis locutionibus, a propriis, applicatam, aliam tamen ad intentum, quæ maximè juvat, in obscurioribus, & ænigmaticis locis tradit, cum magna profunditate Augustin. *lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10*, quæ admodum notanda est, & observanda, ad discernendum inter locutionem figuratam, & absolutam.

Reg. *quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, idest ad diligendum Deum, & proximum; neque ad fidei veritatem idest ad cognoscendum Deum propriè sumptum, referri potest figuratum esse certò cognoscas.*

Vel sicut alibi idem Augustin. *quidquid propriè sumptum ad regnum charitatis non spectat, ad idem est, tamquam metaphora, vel figura referendum.* Subdit verò conclusivè, *cap. 11. quidquid ergo asperum, & quasi sævum factu, dictuque in Sacris Scripturis legitur, ex persona Dei, vel Sanctorum ejus, ad regnum cupiditatis destruendum valet, & adhoc dictum est; ne proprietatis verborum inhærens, quòd omninò improprium est, intentioni scribentis attribuas:* quia tamen de regula in his extremis verbis contenta, suo loco sermo erit, ipsaque evidens est; regulæ, quam hic proposuimus pro nunc est insistendum, ad discernendum inter locutiones proprias, & figuratas. Pro cujus intelligentia, & usu, advertendum est legenti, an locutio, quæ occurrit, narrativa sit, an præceptiva: si narrativa est, & congruit contextui, cum proprietate intellecto, & intentioni scribentis, quæ ex tali contextu apparet, & simul fidei, si fidem, vel directè, vel indirectè concernit, locutio propria est, si aliquid ex prædictis ei desit cum proprietate sumptæ, metaphorica erit, interiusque scrutanda, juxta nunc præscripta, ne sensum metaphoricum, intentæ veritati repugnantem ei attribuamus; Et hæc quidem advertentia, cum grano

A salis adhibenda est; si enim narratum invenias, vel peccatum Adæ, vel infidelitatem populi idololatrantis, vel Petri negantis, aut Thomæ non credentis, non propterea debet legens, in sensu metaphorico, sumere talem narrationem, eo quod id quod narratur male sonet, immò malum sit, & pessimum, quamvis enim malum narretur, benè tamen narratur; & juxta fidem, ac bonos mores; quia sic narratur, ut detestabile, & vitandum, quòd est, bonum oppositum commendare; sensus igitur propositæ regulæ, & explicationis est, quando ex proprietate verborum, aut directè, aut reflexè, sequitur, vel approbatio falsi dogmatis, vel commendatio mali operis, sensus proprius vitari debet, & ad figuratum transeundum est, ne Spiritui Sancto scribenti notam im-
B possibilem inuramus: Itaque secundum Augustinum loco citato, c. 22. si quæ peccata magnorum virorum legeris, vel gestas proprietatem teneris, ad hunc usum assumas, ut quamvis aliqua figura futurorum subsit, tamen hoc discat legens, ut se numquam suis rectè factis extollat, cæterosque contemnat, cum videat tantorum virorum lapsum, & cavendas tempestates, & flenda naufragia: adhoc enim scripta sunt, ut Apostoli sententia, ubique tenenda sit, *qui videtur stare, videat, ne cadat, prima Chorin. cap. 10.* nulla enim ferè pagina Sacrorum librorum est, in qua non sonet; Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, & ecce hic, ut obiter advertas, modos intelligendi, & proficiendi in omni eo, quod historiale est,
C vel narrativum in Scriptura; si enim virtuosum est, quod narratur, clarum est, quod proponitur ad imitandum, vel desiderandum, & ne desperemus, factum videntes, quòd arduum, & quasi impervium videbatur. Si malum culpæ, ut illud detestemur, quod adeò in aliis displicet; vel narratum; si malum pœnæ, ut timeamus, & pœnitentia judicium præveniamus, si autem utrumque, ut humiliemur, & salutem nostram in spe, & timore orantes operemur. Qua verò ratione, mali homines, vel eorum prava opera, fuerint figura bonorum, in hoc enim sensu quandoque in Scriptura ponuntur, & alibi dictum est, & fortè iterum occurret dicendum.

Si verò locutio præceptiva est, & peccatum vetat, & bonum jubet, procul dubio propria locutio
D est, si aliter, non quidem reipsa, hoc enim in Scriptura non invenitur, sed apparenter, certè metaphorica, vel figurata locutio est, ad quod subdit Augustin. *cap. 16. si mala præcipere, vel bona videtur prohibere, tandiu diligenti consideratione versetur, quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur.* Exemplis clarescet.

Primum: *Joan. cap. 6. nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*; si verba, naturaliter ut apparent attendantur, facimus horrendum suadere videntur, quod quandoque audivimus consuetum esse, quibusdam hæreticis nostri temporis, in finibus germaniæ, qui puerulos furantur aliorum, eorumque barbaro edulio delectantur; hunc textum iniquissimè, & quasi ad contemptum allegantes: Sed vel cogitatu horribile nimis

nimis scelus; explicet igitur textum Augustin. ad rem nostram: *Figura est*, inquit, *præcipiens, passioni Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata est*; vel intelligè litteraliter quidem, sed sacramentaliter de Eucharistia, juxta communem Ecclesiæ intelligentiam, ne scandalizeris, & tu in hoc verbo, sicut carnales Judæi id audientes, & non intelligentes, cum Christus loqueretur.

Secundum. *Joan. c. 12. qui amat animam suam perdet eam*; Mortem videtur præcipere, ideoque cavet Augus. *tract. 55. in Jo: sed vide, ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic enim quidam maligni, & perversi homines, & in se ipsos sceleratiores homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant &c.* Quod planè intelligit, de Circumcellionibus, perperam hunc locum materialiter nimis sumentibus, ut patet in epistolis ejusdem Sancti Doctoris. Quid ergò? hoc certè non ducit ad regnum charitatis, ergò figurata locutio est; explicat primò idem, *loco citato, de Doctrina Christiana, perdet animam, idest perimet, atque ammittet usum ejus, quem nunc habet perversum, & præposterum, quo temporalibus inclinetur, ut æterna non quærat.* Vel sicut iterum idem Augustin. *in Jo: loco citato, hoc duobus modis intelligi potest, qui amat perdet, idest si amas, perdes, si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo, noli amare ne perdas, noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita; hoc autem quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus* (& recurrit ad regulam contextus) *sequitur enim, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam &c.* simile est, etiam, quod habetur *Lucæ c. 14. siquis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem &c.* qui locus similem moralem habet sensum, ut explic. Greg. homil. 37. in Evangel. quæ notissima est.

Tertium est, *Prov. cap. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, hic certè præcipit beneficentiam, prænuncians præceptum Christi de dilectione inimicorum. Math. cap. 5. hæc igitur propria locutio est, prosequitur tamen; *hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, hoc sonare videtur malevolentiam; figuratè igitur dictum est, ait S. Doctor, & cum ad malevolentiam proprietas, ad benevolentiam metaphora ducit, charitas ad hanc te vocat, quæ est finis legis, & ita intelliges, carbones ignis, urentes pęnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur inimici; dolebit enim se inimicum ejus, qui suæ subvenit miseriæ. Sed ibi non est prætereundum, dicta quædam sapientissima, in Sacra Scriptura inveniri, quæ in proloquium commune invaluerunt, sicuti est illud, *congero carbones super caput alterius*, hæc autem licet in se occultam, ex usu tamen, & intelligentia plurimorum, apertam habent significationem, quam invertere insignis ignaviæ, vel temeritatis ausus est, de his plurima Martinus del Rio in suo Adagiali, luculenter, ad quem remittimus lectorem, quantum verò ad præsens, rem satis penetrat explicatio allata Augustini, nam si-

A mile quid habet communis sensus; sicut enim carbones ignis rubescunt; ita quique eos gestaret in capite, totum se sentiret igniri, quasi ab igne superatus, eoque super indutus; ita ad exprimendam erubescentiam, qua undique interius exteriusque circumcingitur inimicus, videns sibi retribui bona pro malis, dicimus beneficentiam erga inimicum, congerere carbones super caput illius.

Quartum. Ecclesiastici *cap. 12. dà misericordiam, & ne suscipias peccatorem.* Posterior pars videtur vetare beneficentiam, immò & opponi priori parti, nam si misericordia est sublevatio alienę miserię, sicut miseria major, est peccatum, ita major misericordia erit sublevare, quod est suscipere peccatorem. Si ergo talis est sensus proprius, hoc dictum sumendum est figuratè, ut ibi scilicet ponaB tur pro peccato peccator, ut videlicet peccatum illius, nec foveas per misericordiam, nec suscipias, idest protegas, vel imiteris; misericors enim idem est, ac habens cor miserum, aliena utique miseria, cui compatitur, & affectu participat, quod in malis pęnę laudabile est, in malis culpę detestabile, nisi id fiat per detestationem, & per hoc quod adjuvetur, moveatur peccator ad pęnitentiam; sic ergò intellige: da misericordiam, indefinitè scilicet omnibus, & ne suscipias peccatorem, scilicet homini, etiamsi peccator sit, miserere, & adjuva illum, vel ut quidam intelligunt, quod nempe secunda pars sit confirmatio primę, da misericordiam, aliter evades peccator, quod idem est, ac ne suscipias in te peccatorem: Sufficiunt hęc quidem, at quia hęc reC gula maximè in usu est, operę prętium postulat, ut eam aliquantulum agitemus, ad hoc ut magis firmetur.

ARTICULUS VI.

Breviter objecta contra priorem regulam, & contra responsa, exhibens.

UNnica objectio est, sed plures continens: dices ergo, vel hęc regula universalis non est, & ita cum nesciatur, quando debeat applicari, insufficiens est, vel est universalis, & ita in omnibus occurrentibus in Scriptura, quę aliquid pręseferunt adversum beneficentię, ac charitati, aut denique bonis moribus, ea utendum erit, accipiendaque D erunt hujuscemodi dicta, tamquam figurata, non autem propriam exhibentia locutionem, atqui oppositum hujus habemus practicè, in ipsa Scriptura, ergo &c. hæc subsumpta minor pluribus ostenditur.

Primo: *Gen. cap. 22.* dixit Deus Abrahæ, *tolle Filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum &c.* hoc certè non sonat beneficentiam, sed potius ultimum excidium filio inferendum, immò parricidium præcipitur, quo quid crudelius, ipsique naturæ inaudibilius? debebat ergo Abraham hoc intelligere figuratè, & Filium suum spiritualiter Deo consecrare per affectum, & votum, & tamen terribile præceptum propriè intellexit, & quantum in ipso fuit, executus est, & quia sic propriè accepit præceptum, & credidit

Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam, ut subdit Scriptura, immò Deus ipse illum apertè laudavit dicens: *quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo &c.* numquid nos minus debemus credere Scripturæ, quam Abraham, quidquid igitur sævum in illa inveniatur, & proprie sumendum est, & facto exequendum.

Secundò: *Exodi cap. 3.* pręcepit Deus hebræis, ut spoliarent Ægyptios, & commodata asportarent, nulla in hoc charitas apparet, beneficentia nulla, debebant igitur etiam ipsi, hoc præceptum accipere figuratè, non propriè, nec tamen inveniri potest, quæ ibi lateat figura, propriè igitur intellexerunt, nec invenitur, qui eos audeat damnare.

Tertium: *Oseæ cap. primò*, præcipitur eidem Prophetæ, ut accipiat sibi uxorem fornicationum, & faciat sibi filios fornicationum, *quia fornicans fornicabitur terra à Domino, & cap. 3.* dicitur eidem; *Adhuc vade, & dilige mulierem, dilectam amico, & adulteram.* Hoc propriè acceptum liquido constat, non posse spectare ad regnum charitatis, & honestatis; cur igitur Propheta non usus fuit hac regula, ut eam turpitudinem figuratè intelligeret, maximè cum familiare esset Prophetis, plura audire, & cernere sub figuris? clarè tamen fatetur ipse, se facto propriè, quod ipsi demandatum fuerat, præstitisse.

Quartum. *Libro 3. Regum, cap. 20.* Vir quidam de filiis Prophetarum, dixit ad socium suum in sermone Domini, percute me, si in sermone Domini hoc jussit, certè fuit præceptum Domini, & patet ex ipso contextu; opponitur autem tale præceptum naturali decalogi, non occides, unde nedum beneficientiæ non congruit, & charitati, sed illam impugnat; censendum igitur est, quod audiens ille socius abstinens ab occisione, figuratè forsan dictum esse interpretatus, rectè se gesserit, sed hoc Scriptura non sustinet; subdit enim punitum fuisse morte à Deo tamquam divini præcepti transgressorem eum, qui jussus non occidit. Si ergò Sacra Scriptura huic regulæ positivè resistit, nec recta planè est, nec universalis, ut patet. Ibi autem sistit oppositio, non quia alii textus hujuscemodi desint, sed quia sic cogit brevitas, quam profitemur. Addendum tamen est, quod cum hęc omnia sic pręcepta, ex se sint contra legem naturę, multò magis in illis hęc regula, si teneret, locum haberet, vel habere debuisset, cum certum sit, quod nec Deus in lege naturę dispensare potest, ob efficacissimas rationes D. Thomę; falsum ergo est, locutiones illas in quibus pręcipi videtur, aliquid malum, accipiendas esse, uti figuratas, non proprias.

Responsio; hæc, & his similia, prima fronte difficilima apparent, tum in præsenti materia, cum alibi, ut puta, cum quæritur. An Deus dispensare valeat in lege naturæ, non tamen cogunt, ad deferendam veritatem, ut ex eorum solutione deprehendes. Ad argumentum igitur resp. hanc regulam esse universalem, universalitate non quidem metaphysica, sed regulari, & morali, ubi nempe non habetur ex divina revelatione oppositum, non quod aliquando id licere intelligamus, quod est verè malum, sed quia in eo casu malum non est revera, quod præcipitur, ideoque sic intellecta regula, est omninò universalis, idque ostenditur: nobis certissimè de fide constat, charitatem esse in præcepto: *hoc est præceptum meum, &c.* ait Christus. *Joan. cap. 15.*, & alibi nedum præcipitur charitas, sed & beneficentia adeò universaliter, ut eam debeamus etiam inimicis: *diligite inimicos vestros, benefacite his; qui oderunt vos. Math. cap. 5.* quin immò utriusque memoria præcipitur, *beneficientiæ autem, & communionis nolite oblivisci; ad hebr. cap. 13.* ideoque in doctrina fidei immediatè fundatur præsens regula: alia verò præcepta singularia, quæ inveniuntur in Scripturis, & nobis ab Ecclesia non declarantur, ad normam eorum, quæ certò constant, & declarata sunt, debemus intelligere, ne error contingat, atque ita reducere eorum ambiguitatem, ad charitatem, ut ad finem, & regulam præceptorum, *finis enim præcepti est charitas, prima ad Timoth. cap. primò.* Ex quo clarè apparet manifesta diversitas inter nos, & eos, qui ex Scripturis recensentur in argumento; nobis enim per Evangelium ab Ecclesia proponitur charitas, uti mensura, & regula præceptorum, eorumque intelligentiæ, illis verò Deus, & dabat peculiaria quædam præcepta, & simul revelabat modum ea intelligendi, ac prastandi in singulari casu respectivè, in quo ipso inclusa erat hæc regula; charitas enim præcipiebat eis obedientiam in illis casibus, nec considerandi eis erat materia præcepta peculiaris, sed tantum ejusdem subjectio ad divinam dispositionem, per quod patet ad omnia, & ad singula objecta sigillatim.

Ad primum quidem de Abrahamo dicendum est enim, quod tale præceptum sonabat beneficentiam, quia & charitatem Dei, & justitiam, qua Deo, ut universali Domino, universa debemus: præcipua enim perfectio creaturæ est, ut Deo obediat, vel ut per ipsam Deo obediatur, eam sequendo inclinationem, quæ inest omni enti creato, & intimior est propria inclinatione cujuscumque entis, ad proprium bonum suæ naturæ singularis, vel specificę. Perfectio siquidem rivi, est ad fontem, & participantis est, ad suum participabile; hoc tamen dicimus, supposito quod nota sit Dei jussio in proprio sensu, sicut nota fuit Abrahę, de quo dicitur, credidit Abraham Deo, si enim credidit, ergo habuit revelationem, quæ fidem exigebat.

Nec refert si dicas, præceptum fidei, non concernit revelationem particularem; ideoque damnantur plures hæretici, qui vel revelationi, vel spiritui particulari fidem Theologicam arbitrantur inniti; constat autem, quod revelatio facta Abrahæ particularis fuit, ergo &c.

Resp. (idque ad solutionem etiam reliquarum objectionum apprimè facit) per id, quod adducit Pereira, ad hunc locum, ex Divo Thoma, sive ex Thoma Anglo; *primis*, inquit, *Patriarchis, & Prophetis*, fiebant visiones, & revelationes universales, & *fundamentales, ideoque infallibiles, tamquam*

quam fundatoribus, & radicibus totius Ecclesiæ Dei, ideò nullo modo dubiæ erant, sicut sunt, quæ aliquando fiunt singularibus personis, quæ, fundata jam Ecclesia, & veritatis regulam vivam in capite Ecclesiæ scilicet Romano Pontifice, habente, fieri quandoque contingit, qui enim fundavit, & semper conservavit, rexitque Ecclesiam suam Deus, solus novit, congruum temporibus, ipsi statuere gubernationem per quod patet, ad replicam.

Addimus autem quantum ad præsentem casum, Abrahæ, videlicet ex Divo Thoma, prima 2. qu. 100. art. 8. Abraham non consensit in homicidium, quia debitum erat Isaac occidi ex Dei mandato, qui Dominus est vitæ, & mortis, cujus sententiæ, si homo coadjutor fit, auctoritate divina, non erit homicidia, sicut nec Deus. Ita etiam 22. qu. 104. art. 4.

Ad secundum, primò dici potest, plurimum debuisse Ægyptios hebræis, quos opprimebant, & oppresserant duris laboribus, ac minima, vel nulla mercede, & hoc quidem a charitate, & beneficientia longè aberat; ast quod sibi mutuata, vel commodata asportarent a suis debitoribus irrationabiliter invitis, jubente summo Judice, sicut justitiæ consentaneum erat, ita non erat difforme charitati, non igitur debebant adhuc salva hac regula hujusmodi præceptum figuratè accipere, sed omninò propriè, uti justam judicis indefectibilis sententiam.

Sed resp. 2. ex Cajetano, cæterisque Theologis ac Interpretibus, nihil in eo præcepto reperiri oppositum beneficientiæ, & charitati, quia & supremus rerum omnium Dominus, legitimum in eos transferebat rerum illarum dominium, & insuper jure gentium aut naturæ, hostes communes licet spoliare.

Ad tertium advertendum ex ipsa Scriptura, non præcepisse Deum Oseæ ut fornicaretur, immò implicat in terminis, quòd ipse esset fornicator, & accederet ad eam, quam habebat uxorem, & iterum adhuc implicat in terminis, quod fornicaretur, & ad eam accederet, cujus corporis dominium a Deo acceperat, etiam præscindendo a vero matrimonio, quod tamen intervenisse asserit Scriptura; nihil igitur in hoc facto, aut præcepto apparebat contrarium honestati; quod si mulier illa erat meretrix, hoc potius charitatis est, ut quis meretricem accipiat in uxorem, nam quantum est ex se, eam liberat, a meretricio.

Secundò, quod parum distat a priori solutione, ex Hieronymo ad hunc locum, constat, quod mulier illa prius quidem fuerat fornicaria, sed Oseas verum fecit matrimonium &c, additque Cornel. ibi ex D. Thoma, ex Domini imperio Oseam fecisse matrimonium temporaneum, & propterea usu communi videbatur, & dicebatur a nescientibus fornicator, Lyran., & Burgen. putant mulierem illam fuisse idolatram, & quidem attento contextu, bona est explicatio, quæ autem circa rem hanc nunc dicta sunt, benè notanda. Fuit enim in hac parte error græcorum, quem refert Alphons. de Castro dicentium licere fornicationem, quod perperam deducebant ex hoc loco Oseæ, arbitrantes mulierem illam, etiam respectu ad Oseam fuisse meretricem, quòd ex primæ responsionis doctrina constat esse falsissimum.

Ad quartum, pulcrè disputat Abulensis, ad locum citatum, qu. 20., & infra, legat cui vacat. Nos non immoramur, est enim casus quoad Doctrinam affinis primò, eandemque recipit solutionem; Deus enim æquè Dominus erat vitæ Isaac, ac vitæ prophetarum omnium, unde sicut laudavit Abraham executorem præcepti, ita congruè punivit Prophetam transgressorem, utrique enim certissimum lumen infudit, ut sine dubitatione illa dignoscerent, præceptum tale esse verè a Deo, qui est Dominus vitæ, & mortis, aliter nec priorem commendasset, nec posteriorem morti adjudicasset.

Addi verò potest, & ad omnia simul objecta, & ad ea, quæ obiici possunt (non enim omnia proponere, vel tractare præsentis est Instituti) præcipuè verò ad ea loca, in quibus clarè non apparet, quod Deus verè præceperit, ex D. Bernardo *lib. de præcepto, & dispensatione, cap. 7. sanè ubi simile aliquod a Sanctis hominibus fuisse legitur usurpatum, Scriptura non indicante, quod Deus ita præceperit, aut eos peccasse fatendum est, sicut homines, aut certè Prophetas, familiare a Deo consilium accepisse &c.* verum quia imperfecta videtur præsens Doctrina, nisi constet, quænam (inter ea, quæ jubentur in Scriptura) cadant sub consilio, quænam verò sub præcepto, regulam ad hoc discernendum, quam lector desiderat, operæ pretium erit breviter saltem, antequam in proposita principali regula, quæ pertractatur procedamus, exhibere, ideò, per modum quasi digressionis sequitur.

ARTICULUS VII.

Qualiter in locis obscuris discernantur præcepta, & consilia.

Moralium certè Doctorum provincia est inter consilia, & præcepta discernere, at quia in Sacra Scriptura, vel formaliter, vel originaliter utraque continentur, nostrum etiam percutit studium, præsens indago, quæ non utcumque, & ubique curat ista discernere, sed in locis obscuris, in quibus apparet jussio, vel suasio, & adhuc latet, an sit præceptiva, an consultiva; supposito igitur principiis, quæ in morali Doctrina traduntur, generalis admodum regula, ne divagemur, nobis sufficit ad intentum, ut sequitur.

Ad discernendum in locis obscuris, quænam sint sub consilio, quænam sub præcepto (ubi aliud ex contextu non occurrit resolutio) attende exempla Christi, & Sanctorum. Ministrat hanc regulam, Lucas *actorum primò*, dicens, *cæpit Jesus facere, & docere*, ita utrumque conjungens, ut ipsissima ejus operatio, Doctrina, probatio, conclusio, & operatio, ac executio sit perfectissima; estque communis Patrum sensus, potissimum verò Augustini, & Gregorii passim, quòd ipsa Christi facta, & facta simul, & verba sunt, ut sit semper sibi ipsi conformis filius Dei, qui & Filius,

lius, & ipsissimum verbum est, de quo proinde canit Psaltes, *Psal. 148., ipse dixit, & facta sunt*; addimus verò, etiam Sanctorum; ut tales enim certissimè spiritu Dei ducebantur, qui est spiritus sapientiæ, & intellectus, qui deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in luce stellarum nocte, ne errarent in via, idest in Christo, qui via, veritas & vita est. Ratione etiam ostenditur; commune enim proloquium est, plus docent exempla, quam verba, ubi ergo ex verbis non satis erudimur, clarius convincemur exemplis ejus, qui datus est nobis, ut sequamur vestigia ejus, & universaliter satis notum est, non potuisse esse præceptum communiter impositum, quod sanctè ab aliquibus fuit non observatum. Exemplis res clarescet.

Primum. Matth. cap. 5. cum percutimur ab aliquo in maxilla, jubemur porrigere illi, & alteram; ex parte modi dicendi, videtur præceptum, ex parte verò materiæ videtur consilium; qua ratione ergo id discernemus? consideremus factum Christi; percussus maxilla a servo nequam, in judicio, non porrexit alteram; evidens ergo est non fuisse præceptum, sed consilium, quòd aliquando, occurrente rationabili circumstantia, perfectius ommittitur, quam impletur, quòd in divinis præceptis non admittitur, quæ nostræ non subsunt, interpretationi; quòd autem dictum est de consilio, aliquando ex rationabili causa perfectius ommitti quam impleri, intelligendum est juxta Doctrinam Angelici, quoad exteriorem executionem, quantum verò ad præparationem animi, tunc etiam, & semper esse a viris perfectis servandum, certum est, quam & in ipso Christo fuisse, a fortiori convincitur, qui enim occurrit venientibus militibus, ut eum caperent, & occiderent, quis dubitet alteram maxillam oblaturum, si mysterium, & ratio id concederent, cum de Alapa, quæ mors non est, agebatur.

Secundum, item *Matth. cap. 5. dico vobis non jurare omninò, neque per cælum, quia tronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Hierosolymam, quia Civitas est magni Regis*: locus planè difficilis, & quæstio non modica, an sit præceptum, an consilium, prout in sua universalitate consideratur, sed per hanc regulam præceptum non esse universaliter dignoscimus, consulendo exemplum Apostoli, qui juravit, Ad Philip. cap. 1., & secundo. Ad Chorin. cap. 15. sed & Joseph juravit per salutem Pharaonis, Gen. cap. 41., & sponsus cantic. cap. 2. jurat per capreas, cervosque camporum; sumitur itaque tamquam consilium; melius enim est, nullo modo jurare, quando necessitas, & Dei gloria id non requirit (tunc enim, cum necesse est, si in veritate juras, laudat te Psalmista, *Psalm. 62. laudabuntur omnes, qui jurant in eo*) quam assuescere, cum non cogimur ad jurandum, ex quo oritur facilitas ad pejerandum; sicque de hoc consilio Christi, per quod defenditur præceptum Decalogi, de non pejerando, Prophetans David, ad modo citata verba, subdit, *quia obstructum est os loquentium iniqua*, scilicet per hoc consilium, & hoc quidem si sumatur jussio Christi generaliter, secundum hanc regulam, modo dicto suprà, intelligitur. Quod si, vel contextum consideres in particulari, vel finem hujus mandati inquiras, non est hujus loci respondere, sed breviter dicemus, quod cum prius dixerit Christus, *audistis quia dictum est antiquis, non perjurabis, ut habetur Exodi cap. 20., & Deuteron. cap. 5.* clarum est, quod ea, quæ subdit, ad perfectiorem ejusdem præcepti observantiam ducunt, sicque finis ejus est, errorem tollere Pharisæorum, qui Juramenta facta per creaturas, non obligare arbitrantes, facilimè pejerabant, ideoque vera esse juramenta etiam ea, quæ fiunt per creaturas asserit, & explicat, eorumque abusum, & impudentiam avertens, qui suo freti errore passim pro qualibet re minima jurabant per creaturas, id damnat dicens, *ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per Cælum &c.*, ideoque intelligendum est non jurari omninò posse, in vulgari, & ordinaria hominum confabulatione, & pro re quavis minima, & etiam in gravi, absque debitis comitibus juramenti. Quapropter subtiliter cavendum ab errore Pelagianorum, qui ut notat August. epist. 89., quæst. 5. sicut, & post eos Vvaldenses, & Vviclephistæ, & Anabaptistæ ex hoc textu, deducebant numquam Christianis licere jurare, quòd est contra fidem, & praxim Sanctorum, & Ecclesiæ, ut ex dictis patet, de quibus vide Augustin. loco citato, & serm. 28. de verbis Apostoli, & cap. 15. de mendac., & alibi passim, aliosque Patres &c. nobis enim non licet immorari.

At quia, quamvis hæc regula, verum doceat, tamen cum grano salis accipienda est, ne eam quis ultrà terminos proprios extendens, ad errorem accedat; ideò benè notandum, & cavendum est, quòd quamvis concludat negativè, videlicet, ut in exemplis, sic arguendo; Jussit Christus, ut percussi in una maxilla præbeamus illi, & alteram, Christus hoc non fecit, ergo non est præceptum, non tamen teneret, si sic argueres positivè sive affirmativè (si Christus hoc fecisset) Christus præbuit alteram maxillam, ergo talis jussio est præceptiva; & ratio est, quia certissimum, & infallibile est, Christum non violasse, sed implesse omnem legem, ideò tenet si hoc non præstitit, ergo hoc non erat, vel est præceptum, quia tamen nedum legem implevit, sed & omnem justitiam, & perfectionis apicem, ideò non tenet, hoc præstitit, ergo hoc fuit præceptum, sed addendum est, ergo hoc fuit, vel præceptum, vel consilium, vel quid superans utrumque, si datur; ex qua Doctrina, si non valdè facilis, minus tamen difficilis, intelligentia est textus, qui sequitur, qui plura involuit.

Math. cap. 19. Juveni suscitanti, quid adhuc mihi deest, respond. Christus; *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Jussio conditionata absolvit quæstionem, an hoc sit præceptum, an consilium absolutè; tamen accipiendo jussionem ut jacet, dubitant aliqui, an supposito, quod quis velit esse perfectus, debeat ex præcepto, an ex consilio vendere omnia, & dare pauperibus, certè si inspiciamus factum Christi,

& plu.

& plurium Sanctorum, immò Apostolorum, ac Discipulorum Christi; *qui circuibant in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Ad Hebr. cap.* 11.; attendendo priorem regulam, in capite articuli, positam, dicemus esse præceptum: ast quid inde? ait quidem Christus de se ipso; *vulpes habent foveas, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Math. cap.* 8. sed Lucæ cap. 19. Zachæum commendavit, qui dimidium tantum bonorum dedit pauperibus, at non omnia; & Magdalenam in amore suo, qui verior perfectio sanctitatis est, perfectam laudavit, Lucæ cap. 7. quæ tamen adhuc dominabatur in castello sui nominis, immò Ven. Beda in cap. 12. Lucæ, in quo est similis sententia asserit, *non hoc præceptum esse putandum est, ut nihil pecuniæ reservetur a Sanctis &c. cum & ipse Dominus loculos habuisse legatur &c. sed ne Domino propter ista serviatur, & ob inopiæ timorem justitia deseratur*, ne igitur contradictoria simul, inuramus dictis Christi, attendenda est animadversio nuper posita, prædictaque regula illic, dumtaxat utendum, ubi negativè concludi potest, in aliis autem concludendum est, Christus, & Sancti hoc, vel illud fecerunt, ergo ubi illud in Scriptura innuitur, etiam jubendo, intelligi debet, quod vel preceptum est, vel consilium, idque determinatè inferendum est, ergo ita facere bonum est: Quando verò intelligatur tamquam præceptum, aut quando, sit solum consilium, cum casus morales, qui evenire possunt, sint infiniti, non potest sub regula generali una concludi, sed recurrendum est, attentis omnibus circumstantiis cujuscumque casus, ad Ecclesiæ, ac Patrum praxim, & doctrinam, ut discernamus, ac morales Doctores consulendi; & quantum spectat ad præsens, certè, & Christus fuit pauperimus, & Apostoli, & Abraham fuit dives, aliique Sancti Imperatores, Pontifices, ac Magnates, qui modo, cum pauperibus, sanctitatis gloria coronantur, *quia cum illis in se ipso flureret mundus, in cordibus eorum jam aruerat*, ut ait Gregor. *hom.* 28. *in cap.* 4. *Joan.* non enim est census in crimine, sed affectus, isque potius præcipitur custodiendus, quam ille prohibeatur. Ubi etiam notandum, quod quando ex aliqua jussione, quæ in Scriptura occurrit, attentis factis Christi, & Sanctorum infertur, jussionem illam, & præceptum esse, & consilium, utrumque sed circa diversa verificatur; sicut apertè cernimus in præcepto eleemosinæ, de quo sæpius disputatur, an sit præceptum, an sit consilium, de quo D. Thom. 22. qu. 32. art. 5. concedit utrumque, seu melius utrumlibet, cum distinctione: si enim sumatur, quoad ea, quæ non sunt superflua statui, & personæ, & quoad illos pauperes, qui summa non laborant necessitate, est consilium; est verò in præcepto, quoad ea, quæ sunt superflua statui, & personæ, & respectu ad maximam pauperis necessitatem. Videatur loco citato, ubi hoc declarat, & ad eum locum vide Theologos, cavendo tamen a propositionibus damnatis. Ex his patet, non posse statui regulam generalissimam hujus discretionis, præter assignatam, ubi habet locum juxta additam doctri-

A nam, ubi verò non habet locum, singularia loca, & peculiares casus, peculiarem etiam petunt indaginem, & examen Doctorum. Hoc tamen prius semper curandum, ut textus ipse obscurus, qui occurrit, intelligatur secundum suum proprium, & verum sensum, ac postea illo attento, quæratur, an præceptum includat, an consilium; quocirca, quia pauci sunt textus, quorum substantialis sensus studiosis non innotescat, aliquos eorum placet examinare, seù prælibare, utinam brevitas, & institutio nostra pro omnibus locum daret.

ARTICULUS VIII.

B *Duo textus difficiles examinantur, ad exemplum.*

PRimò se se offert difficilis Scripturæ locus, *Eccles. cap.* 11. in quo apparet forma præcepti, sed quia, absconditus est substantialis ejusdem sensus, vix disputari potest, an præceptum, an consilium, contineat, nisi prius, quem sensum mittat liquidò constet: *dà, partem septem* (ait Ecclesiastes) *nec non & octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram*; Quamvis autem inter difficiliores, locus iste computetur, potest tamen secundum priores regulas, satis explicari, maximè verò secundum regulam contextus, cum enim prius ibi dicatur. *Mitte panem tuum, super transeuntes aquas*, idest super pauperes, penè deficientes præ inopia, aliaque similia attexantur, quæ misericordiam innuunt, satis intelligitur hic sermonem esse de eleemosina, ut omnes testantur Sacri Interpretes, sed nondum quiescit animus. Replicat enim, quid sunt hæc septem, quid hæc octo: quod si hoc latet, locum non habet quæstio, an sit præceptum, an consilium in illa jussione, *dà &c.* porrò quoad hanc intelligentiam, quot capita, tot sententiæ, & utinam omnes essent sententiæ.

C

1. Rab. Heccados, per hæc septem, accipit septem planetas, per octo verò octavum Cœlum, sed hoc est stultè dictum, quod melius stetillet in concavo lunæ; quid enim hoc addere, quid ad misericordiam?

2. Rab. Salom., & quidem satis congruè, per septem, accipit septem dies hebdomadæ, & per
D octo, diem octavum, ut sit sensus, omni die faciendam esse eleemosinam, ut non tota die, sibi, sed per aliquam etiam partem cujuscumque diei, operibus misericordiæ homo pius attendat: non tamen plenè satisfacit, ut patet, sed partim solum, hæc explicat.

3. Cajetan. per septem, accipit septem pauperes, dicens, fortè tunc familiare erat Judæis, dare eleemosinam septem pauperibus, ob reverentiam divinarum actionum, creationis mundi, & quietis Dei, quæ septem dies primos consumarunt: da itaque partem mensæ tuæ septem pauperibus, nec non & octo, idest si alius etiam supervenerit octavus, da illi etiam partem mensæ; bona est conjectura, & facilis explicatio.

4. Ugo Carens. hoc loco; da partem septem, idest

idest observa vetus Testamentum, quod per septenarium intelligitur propter septimum diem, annum, mensem, septimanam, quæ observari jubebantur, nec non & octo; insuper observa novum Testamentum, quod per octo intelligitur, ob octavam Resurrectionis, & simile est, quod legitur. *Michea cap. 5. suscitabit super eum septem pastores, & octo primates hominis, illos legis, hos Evangelii Doctores*; & ita sumitur in dativo ly septem, ut patet, quæ expositio non dissidet a contextu sequenti, etiamsi sit, de eleemosina.

5. Idem; da partem septem, idest da septem partes vitæ tuæ, immò & octo idest ultimam, quia octo sunt ætates hominis, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, virilitas, senectus, senium, & mors, seù transitus ad gloriam; vel aliter da vitam tuam septiformi gratiæ Dei, & etiam gloriæ, quæ cum perfectio sit, octava dicitur.

6. Idem Ugo. da partem septem, in genitivo casu, idest septenarii, cujus partes sunt ternarius, & quaternarius. Primus refertur ad Deum ob tres personas, secundus refertur ad proximum, ob quatuor elementa, nec non & octo, scilicet octonarius in quaternarium, & quaternarium dividitur, quorum alter ad doctrinam respicit, propter quatuor Evangelia, alter ad operationem propter quatuor virtutes Cardinales, estque hic sensus; *crede in Deum, doce proximum, & secundum Doctrinam Evangelicam operare*, alias fortè quindecim expositiones tradit idem auctor, quas videre non pigeat.

7. Osorius, Lyran. aliique accipiunt, semptem, adjectivè, & in accusativo, ut sit sensus, da septimam, & octavam partem divitiarum, eo fortè intuitu, quod Deo decima pars debebatur ex lege, quæ tamen modica erat, cui sensui affinis est alius ejusdem Lyrani, & aliorum, qui locum hunc accipiunt, ut sit suasio copiosæ eleemosinę, ut nullas homo prætereat occasiones benefaciendi proximo, & ita ly septem, & octo significat, ut semper aliquid addatur.

8. S. Bonav. dicit, senarium significare id, quod sufficit nobis, quidquid ultra est, in septem, & octo continetur, sicque præcipi hoc loco, ut de superfluo fiat elemosina, juxta conditionem proprii status, ut supra, & hoc planè eo respicere videtur, quod cum Deus omnia sex diebus creaverit, quæ ad hominem necessariò, & congruè spectant, videtur in sexenario, quidquid homini sufficit, significari.

9. Cornel. Alap. notat ex Hieronymo, significari per septenarium universitatem, eo quod omnes dies septimanæ, semper recurrentes sunt solummodo septem, idem pariter significat ternarius, ut enim ait Aristot. tria sunt omnia, scilicet prima omnia, eò fortè quod duo societatem importat unitatis, quæ societas, quid unum sapit, tria verò est complementum pluralitatis, jam si ad tria addis quatuor, & ad septem ex tribus, & quatuor genitum, addas octo, significatur infinita, & ingens admodum moltitudo, unde illud priscorum poętarum: o terque, quaterque beati.

A Sicque illud Ambr. *cap. 1. super tribus sceleribus damasci, & super quatuor, idest ob multa, & plurima ejus scelera non convertam eum, & Job: cap. 5. in sex tribulationibus liberabit te, & in septimo, idest plurimas continente, & maxima non tanget te malum*, unde Taumaturg. hic legit sic, *da liberaliter, & divide pluribus, at prius cuique sua*.

Ad hæc notat antiquum adagium omnia octo; de quo adducit plures priscorum rationes, ex quibus simul prænotatis, exponit hunc locum, tamquam consilium maximæ liberalitatis, in facienda eleemosina, quia semptem & octo omnia comprehendunt, additque idem esse, quod ait Christus

B *Lucæ cap. 6. omni petenti te tribue*, refertque hoc totum, ad veterum comedendi morem, qui adhibebant septem convivas, & ad summum octo, teste Macrobio, unde adag. septem convivium, novem convitium; Ad quod facit, quod teste Lampridio, Hæliogabalus, ad cœnam invitabat simul octo luscos, octo calvos, octo surdos, octo podagrosos, octo nigros, octo albos, octo longos, octo pigmęos, octo pingues, octo obesos, ut juxta se positi magis risum moverent; Ad laudem autem liberalitatis Tullius ajebat: *homines ad Deos nulla re proprius accedunt, quam dando: nihil habet fortuna melius, quam ut possis, nec natura melius, quam ut velis servare, quam plurimos*.

10. Tropolog. S. Ambr. in c. 6. Lucę applicat hunc locum ad octo beatitudines, dicens, man-
C datum accipis, octo illis partem dare fortasse benedictionibus, qui locus Ambrosii, difficilis, & inextricabilis etiam doctis viris aliquando apparvit; at sensus ejus est: fortasse accipis, idest intelligis mandatum illud, quod ponitur Eccles. c. 11. da partem septem, nec non & octo, ad istas benedictiones sive beatitudines respicere, quę & ipsę sunt octo, ut scilicet debeas dare partem vitæ tuæ, vel conatus tui, exercendæ paupertati quæ est prima beatitudo, partem verò mansuetudini, quæ est secunda, partem luctui, quæ est tertia, & ita cęteris consecutive, & dat causam hujus intelligentiæ; Sicut enim spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est, quasi dicat, sicut spes nostra, idest vita æterna, quam
D speramus, perficietur in octava Resurrectionis, cum re ipsa vitam speratam obtinebimus, ita octava beatitudinum est summa virtutum, quia continet hic numerus beatitudinum, omnes simul virtutes, & ita per unam octavam virtutum, assequemur octavam gloriæ. Pulcrè etiam idem Ambros. de Jacob Patriarcha, applicat hunc locum septem Machabæis, & Matri, quæ fuit octava.

11. S. Gregor. prolog. in Psalm. 6. pęnitent. explicat dandam esse partem, septem, idest vitæ activæ per opera misericordiæ, quæ sunt septem, & octo, idest vitæ contemplativæ, quæ superaddit unum; porrò unum est necessarium. Iterum verò idem hunc locum applicat ad 15. gradus altaris, nam 15. consurgit, ex octo, & septem; Septem designat virtutes, octo verò beatitudines, quem sensum habet Augustin. ep. 119. & Hieron. hoc loco. Sed hæc mystica sunt, ad hoc autem ea

ea vix propofuimus, ut magis appareat fenfus Patrum, qui fupponunt, hoc non effe præceptum, fed confilium; Præceptum enim litteraliter potius fumendum effe, quam myfticè, liquidò conftat.

12. *Caffian. lib. 2. de inftitutis renunciant: cap. 9. da partem feptem, quafi dicat, fabbato jejuna, dominica die feftum age &c.*

13. D. Ifidorus *lib. 1. de officiis cap. 24.* fic explicat. *Judæi celebrant feptem, qui eft requies, & fpectat ad mortuos, octo fpectat ad Chriftianos; octava enim eft dies vivorum, quia eft dies refurrectionis; Pars itaque, quæ erat feptem, jam tranfiit, defuncta enim eft lex, five ftatus legis, nos octavam tenemus, quæ eft ftatus Evangelii, ideò invenienda eft in Evangelio intelligentia, & difcretio præceptorum, & confiliorum.*

B Secundus locus æquè difficilis occurrit, qui quamvis prima fronte non præferat juffionem, includit tamen præceptum, immò & judicium, & Sententiam in tranfgreffores, fi intimè ponderetur, & quidem terribilis apparet. Ait, enim Chriftus, *Math. cap. 19. facilius eft camelum per foramen acus tranfire, quam divitem intrare in regnum cælorum;* fubditque: *Apud homines, hoc eft impoffibile, apud Deum autem omnia funt poffibilia,* ubi fub pœna mortis æternæ videntur divitiæ prohiberi, & cum forti quadam energia, quam explicat, & auget, ly impoffibile, damnatur avaritia, quafi piaculum, quantum eft ex fe irremiffibile.

C Ad quem locum D. Hieron. ait: *quomodo Abraham Ifaac, & Jacob Matthæus, & Zachæus intrant in regnum cælorum, cum fint divites, fed confidera, eum intraverunt, divites effe defliterunt.* Sed hæc intelligentia, fi nudè accipiatur, diffimulat difficultatem, & Evangelicæ vim fugit Sententiæ: quis enim nefciat, quod moriens homo, nihil fecum affumit ex propriis, ficque pauperior effe non poteft, five ditiffimus antea fuerit, five pauperimus, fi ergo qui divites effe defiluot, intrant regnum cælorum, omnes illud confequentur; & vana, ac fruftranea Sententia Evangelii remanebit: Intelligendus ergo eft Sanctus Doctor, quod tales, qui prius fueruot divites, divitias quas habebant, contempferunt aliquo faltem tempore vitæ fuæ, ficque tunc intrare cæperunt regnum cælorum, cum ab eis cor eorum exivit, ficqu. divites effe deftiterunt, divitias quidem habentes, fed eos divitiæ non

D habebant, quippe qui viri divitiarum effe deftiterunt, & quod hic, vel fimilis fuerit Hieronymi intellectus, ex eo conftat quòd idem alibi declaravit; nam lib. 2. dialog. adverfus Pelagianos, dicit de iifdem divitibus Sanctis, *non fibi fed aliis divites fuerunt, & difpenfatores magis Dei, quam divites.* Idem etiam ad Hedibiam, explicans illud Lucæ cap. 16. de mammona iniquitatis, ait: *pulerè dicit de iniquo Mammona, omnes enim divitiæ de iniquitate defcendunt, & nifi alter perdiderit, alter non poteft invenire: unde & illa vulgata fententia mihi videtur effe veriffima; dives aut iniquus, aut iniqui hæres,* ex quibus conftat, qualis fuerit prior ille Hieronymi fenfus.

Concordat pariter Auguftin. in hunc locum, qu. 47. *dives hic appellatur cupidus temporalium, & de illis fuperbiens, huic opponuntur pauperes fpiritu, quorum eft regnum Cælorum, & ideò ex oppofito dicitur, impoffibile, effe diviti regnum Cælorum,* dignus verè Auguftino intellectus.

Byblia Maxima exponit totum hunc textum per primum verfum ejufdem, ubi dicitur: dives difficilè intrabit in regnum Cœlorum, ideft per regulam contextus: ait enim. *Rectius impoffibile per difficile, quam difficile per impoffibile explicatur, nam impoffibile, per hiberbolem ponitur pro difficili, difficilè verò numquam ponitur pro impoffibili, eftque communis ferè Patrum fententia, quòd hic, impoffibile pro difficili, vel pro raro accipitur, ficut Ecclef. cap. 31. beatus vir, qui poft aurum non abiit; quis eft hic, & laudabimus eum? quafi dicat, nullus, vel rariffimus, & qui poffit fignari fingulariter.* Sic igitur principalem fenfum habemus, ut patet, fimilitudo autem illa, optimè ad rem facit, ficut enim camelus, ut ingrediatur per foramen acus, debet maximè fubtilizari, attenuari, & multum materiæ amittere; quod tamen fit difficulter, cum materiam quamlibet, valeat homo per artem, & debita inftrumenta dividendo minuere, ita dives, ut intret in regnum Cœlorum, cujus arcta via eft, ipfaque via Chriftus eft; qui fuit pauperimus, debet attenuari, & divitias relinquere, quod cum debeat propria exequi voluntate, quæ ab humana arte non pendet, cum liberima fit, planè difficilius effe, cameli ingreffu defcripto concluditur: explicatio Bernardo, aliifque eft familiaris.

Vel dicas, intelligi hoc naturaliter, non verò attenta Dei virtute, nam & camelus, fi partium ipfius fiat penetratio, Deo operante, vel ab eo auferatur, falva femper quantitatis effentia, extenfio in ordine ad locum, facilè per foramen acus tranfibit, fic, & impoffibilitas divitis, ad regnum Cœlorum, intelligitur attento curfu ordinario, fupernaturalis ordinis, & in fenfu compofito, fi enim attendamus vires gratiæ, & mifericordiæ, non eft impoffibile; verum tamen eft, quod pofita adhoc Dei gratia, non erit amplius dives in eodem fenfu, ac prius, fed vel cor ejus immutabitur, & divitias contemnet, ficque non erit dives formaliter in fenfu compofito, vel Deo jubente dives, ex hoc ipfo fubordinabit divitias vero ultimo fini.

Notandum etiam, quod pro camelo, hoc loco aliqui intelligunt funem nauticum, a camo fic dictum, ficut per foramen acus intelligunt, non feneftram acus, fed foramen apice acus factum; fed parum hæc interfunt, ideò nec curant de hac expofitione DD., ex his autem fatis patet recta totius præfentis textus intelligentia, qui procedit de divite formaliter, ideft, qui ponit ultimum finem in divitiis, contra quem ftat, & præceptum, hoc, & fententia, & impoffibilitas falutis in fenfu compofito; fed quia hoc fuppofita fide etiam præter hunc textum, ex fe clarè conftat, ut aliquid peculiare textus inouat, addendum eft, quod quia homo adhuc viator dicitur intrare in regnum Cœlorum, cum relicto peccato, incipit effe juftus, intrat enim tunc per jus, & meritum, relinquere autem affectum ad divitias, quo quis poffide-

tur; difficilimum est, ideò ad exprimendam hanc difficultatem, quę videtur, quędam impossibilitas, tali & sententia, & comparatione usus est Christus, quę proinde fortissimam illam adhęsionem ad divitias, qua homines illaqueati, durissima obligatione tenentur, ferit potius, quam conjunctionem divitiarum, & ultimi transitus ad beatitudinem. Et hęc satis. His enim pensatis satis apparet prohiberi hoc loco avaritiam simpliciter dictam; quæ in tota etiam Sacra Scriptura damnatur, ideoque in hoc, pręceptum negativum includi.

ARTICULUS IX.

Extensio regulæ D. Augustini ad sententias, quæ ex obscuritate videntur male sonantes.

NON solum ad narrationes, & pręcepta pertingit, quam tradidimus art. 5. regula Augustini, sed universalis est etiam ad sententias, quę absolutè ponuntur, ut nempe cum aliqua occurrit sententia, quę ex sua obscuritate, & ex propriis terminis, sonare videtur in malum, seù aliquod pręseferre, rectę rationi adversum, tandiù revolvatur; ut demum ejus intima enucleando, ad bonum, & rationi consonum sensum perducatur, nam, an, & quomodo figurata credi possit, jam ex loco citato constare potest. In Testamento veteri, potissimum verò in libris Sapientialibus, tot hujusmodi ebulliunt ęnigmata, ut ea vel referre, nedum explicare, pręsens transcendat institutum: unum igitur, vel alterum, ad exemplum proponere satis erit.

Ecclesi. cap. 42. Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens, hoc planè intellectu difficile ęnigma est, quod videtur laudare iniquitatem, & damnare beneficentiam; & quidem adeo difficilis, semper visa est hęc sententia, ut plures in ea offenderint; unde hęretici, qui dicunt planas, & claras esse Scripturas, quique ut plurimum, mulieres extollunt, in hac confunduntur. Hinc in tam varia abiere DD.

Vatabli Scholiastes, difficultatem declinans, vertit ex Hebręo; melior est deformitas viri, quam pulcra mulier: sed hęc versio non admittitur, utì discordans a Rabbinis, Josepho, aliisque qui legunt, sicut in vulgata habemus.

Lyran. explicat limitando, melior est, quantum ad cohabitationem, sed propositio directa hujus comparativę, hanc excludit limitationem ipsaque quæ limitatur eam abhorret, cum sit ex se universalis.

Alii secundum regulam, quam tractamus, putantes ex litterali sensu proprio oriri absurdum, mysticè procedunt, per virum namque accipiunt rationem, per mulierem verò concupiscentiam, qu. d. melius est a ratione corripi, quam a concupiscentia blandiente capi, sed trunca est interpretatio, nec ratio dici potest iniqua, cum omnis iniquitas sit contra rationem.

Levinus Lemnius Medicus lib. 4. de occultis naturę cap. 3. explicat dicens, quòd in agendis, quę

A exigunt consilium, adeo sit homo muliere perfectior, ut plus ratio splendeat in hominis socordia, & ignavia, quam in mulieris arte, & Doctrina, quę intelligentia aliquibus arridet. Idem etiam infra, sic sensum suum declarat aliter. Mulier adeò versipellis est, ut cum benefacere videtur, pejus malum in ea lateat, quam appareat in viro, iniquè agente; qui sensus rem videtur attingere, non tamen omninò dici potest prędicti auctoris, sed ex eo deducitur. Quia tamen adhuc, ex diversitate ipsa sensuum, mens detinetur, nec plenè obscuritas cędit; ad tollendam plenius difficultatem, & regula contextus, & Patrum firmior juvabit intelligentia, elucidans hactenus dicta.

Quocircà notandum, quod sequitur in textu sic, & mulier confundens in opprobrium, unde

B aliqui vertunt ex græco: potior est malitia viri, quam mulier benefica, mulier enim pudenda, probro est; ex quo apparet ibi sermonem esse de muliere nimis blanda, & inverecunda, quæ favet nimis alienis viris, quæque etiam vulgari idiomate vocatur *bonà*, & intelligitur pessima, hujus ergo iniquitatem comparat, cum viri iniquitate, idest austeritate, per quam durus nimis, quia non effœminatus apparet, adeoque eam damnat, ut ad ejus comparationem, vitium hominis transire videatur in virtutem. Ita quidem minus subtiliter, sed verius explicatur.

Huic adde ex Palatio: melius est (inquit) versari cum viro iniquo, quam cum fęmina blanda, illius enim iniquitas te eicit a malo, scilicet a se,

C hujus verò blandimenta provocant, & attrahunt ad pessimum, scilicet ad se; iniquum siquidem virum omnes fugiunt, blandam fęminam plerique exquirunt. Clarius hoc fiet, si consideres, bonum dici per convenientiam ad illum, cui dicitur bonum, hic porrò Syracides, fidelem instruit virum, eique dicit: melius, idest minus malum est sibi, malum, quod sibi irrogat homo iniquus, præbens argumenta patientiæ, quam illud quod sibi parit mulier sibi benigna apparenter, sed revera maligna nimis, ex hac enim sequetur sibi confusio, & opprobrium, quod confirmat Christus. *Matth. cap. 10. d. inimici hominis Domestici ejus*. Similis huic est expositio Sanctorum Chrisostomi, ac Dyonis. Chartus. aliorumque, etsi non omnium; aliqui enim ad mysticam ascendunt intelligentiam.

D Augustin. *de spiritu, & anima cap. 11. dividit se*, inquit, *ratio in duo, scilicet in sursum, & deorsum, sursum in sapientiam, deorsum in prudentiam, seù providentiam, quasi in virum, & mulierem &c. Melior est, qui per caleste desiderium accensus, carnem, necessaria etiam ei subtrahendo, affligit, quam qui per omnia commoda ei satisfacere contendit, nam melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*.

Alvarez de Paz. Melior est vir iniquus, idest publicus pænitens, qui se fatetur iniquum, quam mulier benefaciens, idest Pharisæus, qui etsi bonum operetur, tamen de bono se jactat.

Byblia Maxima hoc loco: iniquitas hic non sumitur pro peccato, sed pro damno, aut malo illato, ideò facilis est intellectus, quod nempe tolera-

lerabilius est, damna pati a viro, quam beneficia, & blanditias a fœmina, in quibus latet mors, unde, & benefaciens hic non exprimit virtutem beneficentiæ, sed realem maleficientiam, sub specie benignitatis, per quam fœmina decipit virum, idemque firmatur per illud, *prov. cap. 27. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oscula odientis*, & ita quidem satis.

Quia verò quæsitum est a nobis, quid in hac re sentiremus, respondimus, nos Sanctos Patres sequi, nec nova quærere, sed vera, ne tamen difficultatem fugere videremur, quam amamus, ad inveniendam veritatem, addidimus hoc intelligi posse de Adamo, & Eva; minus enim malum fuit peccatum Adæ, quam Eva benefaciens, quæ ut sciret cum viro suo, & posteris bonum, & malum, malum adscivit omnibus, ad peccatum inducens virum, & omnes ad ignorantiam filios suos; unde hæc est infelix hæreditas fœminarum, scilicet scandalum, de quo ibi loquitur sapiens, ut patet ex terminis, in qua linea certè major fuit fœminæ culpa, quam viri.

Iterum explicari potest, notando, quod dicitur *Lucæ cap. 22. Reges gentium dominantur earum, & qui potestatem habent, benefici vocantur*; dic ergo, melior idest minus nocens est vir iniquè judicans, quam mulier benefica, idest habens potestatem, quia non est nata ad dominium, *Gen. cap. 3. sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, quapropter enormem parit carnalis amor deordinationem, subdens fœminæ virum; amor enim descendit, idque est quod damnare, hic videtur Spiritus Sanctus.

Ex quibus obiter nota, meliores loci hujus, aliorumque similium expositiones, eas esse, quæ regulis utuntur, quas hactenus attulimus, & afferemus, ut liquet, nempe vel recurrendo ad alium Scripturæ locum, vel considerando contextum immediatum, & intentionem scribentis, unde non pugnat hic locus, ut supra intellectus, cum illo *Joan. cap. 3. qui benefacit ex Deo est, qui malefacit, non vidit Deum*; constat enim ex ipso præsenti contextu, quod benefacere mulieris, longè aliter sumitur, ac loco Joan. citato, & etiam ex comparatione, quæ fit beneficentiæ fœmineæ ad viri iniquitatem, & ex termino addito. Melior, quæ omnia satis singularem sensum efformant secundum intentionem scribentis, ut ex aliis etiam locis, & Patrum intelligentia declaravimus. Alterum nunc textum expediamus.

Non minorem præsefert difficultatem, calumniantibus potissimum hæreticis, qui colunt. Epicurum, id quod habetur, *Eccles. cap. 3. Unus est interitus hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius, & infra: quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum? & deprehendi, nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius.* Qui locus quò planè clarior, eo & difficilior, etiam doctissimos viros non minimum afflixit, tangit enim articulum fidei de immortalitate animæ, & finali resurrectione, & ex ejus nimis

A plana intelligentia plura sequuntur absurda. Hinc Doctorum conatus.

Paraphrastes Caldæus, ibi dicta restringit ad solos peccatores, sed hoc stare non potest, resistente ipso contextu, qui agit de homine, ut homo mortalis est, quod etiam competit Sanctis; itaque in oppositum communis sententia apud Cornelium hoc loco.

Thaumaturg. hoc loco; aliique cum D. Gregor. 4. dialogor. cap. 4. censent Ecclesiasten loqui ibi in sententia Epicureorum, qui negant immortalitatem animæ, idque probat Gregor. ad hominem, ostendens falsitatem harum propositionum, ex ipso Ecclesiaste, in propria sententia loquente: ait enim, *quid habet amplius sapiens a stulto, nisi ut pergat illuc, ubi est vita? & infra: quodcumque potes, in-*
B *stanter operare, quia nec ratio, nec scientia valet apud Inferos, quo tu properas*. Hæc vel similis explicatio potest sustineri. Ecclesiastes enim, quasi meditans humano modo, ut solent homines, prius dixerat, hoc dixi in corde meo, & quidem resistere videtur consequentia, quam infert, concludens, *& deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius*; sed responderi potest, etiam hanc conclusionem cadere sub eadem meditatione, quam expresserat dicens, *hoc dixi in corde meo*, scilicet humano, & cum hominibus meditante, quæ apparent.

Cum Hieronymo Angelic. d. p. p. qu. 75., ar. 6. ad primum, censet Salomonem loqui, ex propria mente, sed comparare hominem cum bestiis quoad
C corpus tantum, nam anima brutorum producitur ex virtute corporea, humana autem creatura, a Deo, *sic Gen. cap. 1. producat terra animam viventem*, at de solo homine ait. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, ideo concludit idem Ecclesiast. *cap. ultimo, revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum.*

Simile quid ait Bernard. serm. 82. in canti. quid mirum si similem sortimur exitum, qui similem bestiis sortimur introitum, utique in corpus? unde enim hominibus, nisi de similitudine bestiali, ille tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? ita homo in conceptu, & ortu, in vita, & morte comparatur jumentis. Id ipsum elegantius in suis meditationibus, idem Bernardus; *unde superbit homo, cujus conceptio culpa,*
D *nasci pœna, labor vita, necesse mori? post hominem vermis, post vermem fœtor, & horror, sic in non hominem vertitur omnis homo*; sicque nedum comparabilem cum jumentis hominem quoad corpus, sed & pejoris, ac deplorabilis conditionis esse, concludit, eo prorsus fine sic constitutum, quem respicit Ecclesiastes, ut nempe probetur, & humilietur, ac periculo careat superbiæ, qua dejectus est Angelus, per nimiam puri spiritus nobilitatem, ad infimam lapsus, etiam infrà omne corpus, ignominiam. His igitur suppositis, docente Angelico, ac suggerente Mellifluo, intelligi potest: dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet eos similes esse bestiis, & sensus, ut probaret eos Deus, & ostenderet eos similes esse bestiis, sic enim quandoq. in Scriptura sumitur sen-

sus causalis, & probat hanc similitudinem, quæ naturaliter etiam, & philosophicè vera est, enumerando ea, quæ scilicet hominibus communia sunt, & bestiis; conveniunt enim in genere, quod desumitur à materia; ideoque ea affert, quæ nobis, & bestiis accidunt, ex natura materiæ corruptibilis, nec aliter intelligi potest, ut patet ex eo, quod præmisit dicens, *ut probaret eos Deus*, ita illos assimilavit jumentis; ad quid enim probaret homines Deus, si essent in omnibus, sicut bestiæ, quæ statim quoad omnia morte corrumpuntur? legit autem Pagninus, *ut eligeret eos*, per quod apprimè totius loci hujus verior sensus declaratur: prosequitur: *idcircò unus est interitus &c.* nam revera cum hæc ad sensum, tam similiter, utrisque contingant, sola fides ad credendam certissimè immortalitatem animæ ascendit; quamvis enim aliis etiam naturalibus rationibus eam probent Philosophi, attentis tamen his, quæ hic narrantur, sola fides concludit: *unus ergo est interitus* (materialiter, & quoad suppositi, ac corporis resolutionem) *hominis, & jumentorum*; non enim post mortem homo est homo, & ideò quoad hoc æqua est utriusque conditio: *similiter spirant omnia*, intellige de respiratione, ut omnes communiter intelligunt, & quantum ad materialem durationem, & vitam, nihil habet homo jumento amplius; omnia scilicet, & homines, & jumenta pergunt ad unum locum, quippe de terra facta, ad terram redeunt, sicut & prius Adæ dixerat Deus, *terra es, & in terram ibis* &c.

Quis novit, si spiritus filiorum hominum ascendat sursum &c. Hieronym. explicat. *Non inter homines, & pecudes quoad animam nihil interesse contendit, sed adiiciendo, quis, difficultatem rei voluit demonstrare: pronomen enim, quis, in Scriptura, non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur, ut Isaiæ cap. 35. Quis enarrabit? &c. Psal. 14. quis habitabit? quis ascendet! cum enim respondeat assignans: quis ascendet, nemoe innocens manibus, & mundo corde, certè noluit omnes excludere; aut impossibilitatem innuere:* Ita etiam Ugo Cardinal. cæterique communiter, licet aliqui aliquid addant, ad majorem eorum quæ sequuntur, claritatem.

Quis novit? &c. Cajetan. *nullus enim philosophus hactenus demonstravit animam hominis esse immortalem, hoc intellige de rationibus; quæ omnibus pervia sint, & adæquatè ex omni parte perfectè demonstrent.*

Quis novit? &c. Cornelius ex Rabbi Salom. *hoc est, quis advertit, quis considerat? animam immortalem esse, & ex hac meditatione movetur ad sanctam vitam?*

Hæc quidem vera sunt, sed ad claritatem mirificè semper juvat considerare contextum, & alia loca Sacræ Scripturæ. Nunc ergo attendamus; ibi suprà Ecclesiastes arguit homines de vanitate, & de eo, quod se opprimunt in judiciis, sicut bestiæ, pro esca, & aviditate decertantes, obliti rationalitatis, charitatis, & justitiæ, videtur itaque non quidem in persona aliorum loqui, sed in propria, id significare intendens, quod attendendo ad malas atque brutales hominum operationes, in

A quibus nullatenus apparet rationalitas, dixit in corde suo; ex his aliud colligi nequit, nisi quod tamquam jumenta nascuntur, vivunt, & moriuntur, nihil supra hæc materialia, & carnalia considerantes: unde subdit, *quis novit*; idest quis eorum novit differentiam spiritus hominis, & jumenti, & hoc consonat cum eo, quod deplorat Hieremias *cap. 12. desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde, & Psal. 48. homo cum in honore esset non intellexit; assimilatus est jumentis insipientibus* (scilicet hoc loco Ecclesi.) *& similis factus est illis*, revera per suas operationes; ne verò desperent, quia tales sunt, admonet eos David. *Ps. 35.* dicens Redemptori; *homines, & jumenta salvabis Domine, cum multiplicaveris misericordiam tuam Deus*. Et certè, quod nihil ibi innuat
B Ecclesiastes, contra immortalitatem animæ, ex eo liquet, quod prius eodem capite dixerat; *& dixi, justum, & impium judicabit Dominus, & tempus omnis rei tunc erit*; si enim homo finiretur, sicut jumenta, non judicaretur umquam, ut evidens est; cum tamen plures malos videamus, nec ante mortem, nec in morte puniri, immortalis anima aliud expectat judicium.

Hic autem breviter nota, pulcrum cogitatum Augustini, in Ps. 103. *vestes bestiarum pelliceæ, quibus Deus induit Adamum post peccatum, significant nos bestiarum indolem per illud induisse, ideoque cum eis, nos exituros eorum mortalitatis*.

Quibus positis cessat omnis difficultas, quoad conclusionem hujus loci, scilicet, *& deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo &c.*
C significat enim, quod ex inconsiderata vita peccatorum, ipsi sic concludunt de se ipsis. De hoc tamen melius dicendum videtur sensum esse; *deprehendi, nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo*, suo idest verè humano, & rationali, & virtuoso; opera enim, quæ talia non sunt, hominis non sunt, sed bestiarum, quæ mærorem inducunt.

ARTICULUS X.

Appendix, aliam resolvens difficultatem.

Conditus homo ad æternitatem, dum tempore ducitur, tempus ignorat, quippe dum transit,
D fugit cognitionem sui, nec sibi, nec nobis sufficit, ut cognoscatur. Hinc ea, quæ tempus concernunt, tam difficilia sunt intellectu, ut experientia ipsa ea sistere, aut capere posse desperet: Hujuscemodi est locus ille Ecclesiastæ *c. primo, quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est: nihil sub sole novum &c.*

Non facilè dictu est, quot errores, obscuritate loci hujus sese protexerint, perperam tamen, Epicurei primum, huc confugiunt, qui teste Hieronymo afferunt per innumeras periodos eadem omninò, & eisdem locis, & per eosdem fieri, quod ab iisdem etiam id afferentibus prorsus inintelligibile est.

Origines lib. 3. Periarch. admittens magnum annum

annum Platonis, qui imaginabatur, & asserebat post duodecim millia annorum, omnia præterita revocanda, ut sint præsentia, ita ut post aliqua sæcula iidem, qui nunc vivimus, redeamus, & ita semper factum fuisse, & esse faciendum exponit, juxta illud Isaiæ cap. 65. ecce ego creo cęlos novos, & terram novam, quod ad sustinendam errorum suorum catenam intexuit Origines. Ita etiam Pitagorici, transmigrationem animarum effingentes, & quædam peculiaris secta apud indos, ut refert P. Daniel Bartol. in sua Asia, ubi meminit prædicationis D. Francisci Xaverii, adversus Fucarandonem, ejusdemque disputationis. Aliquos pariter, quandoque audivimus, solo nomine Christianos, & nec nomine quidem Catholicos, qui ad fovenda scelera sua, extinguendamque, ne remurmuraret, conscientiam suam, dicebant, peccata ex necessitate procedere, quia quod factum est, idem adhuc faciendum est, & quod aliquando fuit, idem esse, ac si non fuerit, quia adhuc futurum est. In quo non quidem discursu, sed latratu, plures hæreses, quam apices, ipsa damnat, nedum fides, sed & experientia, quia quisque peccator sentit, se peccare, quia liberè vult, & pęnitens se pęnitere, quia vult liberè, & à retractatis abstinere correctum, & certè, qui moritur ad eadem peccata, quæ vivens commisit, vel pęniteat, vel non, non revertitur, cum tempus jam præterierit libertatis, & corpus exanime jaceat, & peccandi principium, & instrumentum, Sed insulsam nimis dementiam prætereamus.

Rabbi Moys. hinc colligit, æternitatem mundi: alii Judæi plura sæcula, alii mille annos post resurrectionem, non advertentes, quod si idem futurum est quod fuit, non erunt fælices, ut somniantur, sed profugi, ut nunc, super terram.

Hi certè omnes errant in fide, & manifestam inferunt textui violentiam; cum enim argumentum, & intentio scribentis sit, ostendere vanitatem rerum omnium temporalium, & labilitatem, ac inconstantiam hominum terrenorum damnare, ipsi oppositum inde hauriunt, & concludunt, & ex eo, quod nihil novum esse sub sole denunciatur, contradictoriè, novos confingunt errores.

Non incongruè, licet quoad apparentiam minus universaliter dici potest, quod ita loquens Ecclesiastes, respiciebat ad tempus ipsum, quo ista scribebat, quæ & in perpetuum eadem duratura, quoad Doctrinam, & in praxi cęrnenda in rerum omnium semper simili vanitate. *Quid est quod fuit?* nempe quod scripsi ipse, quod futurum est, semper enim, & hæc leges, & hæc ibi descripta in facto videbis. *Quid est, quod factum est?* semper enim fuere, quidam saltem, sapientes, qui mundum contempserunt, idque semper faciendum erit, quia & semper cognoscent Sapientes, id esse faciendum, & facient. Vanitas fuit, & vanitas erit, semper a fatuis amata, & semper a sibi similibus amanda, semper a Sapientibus contempta, & semper contemnenda;

Hinc pluribus, & quidem meritò arridet expositio Eusebii, *de præparatione Evang. à cap. 5. ad 7.* cujus sensus est, hoc dici, ut notetur mundi fluA xus, & fuga, & corruptio; omnia prætereunt, alia succedunt similiter peritura, ut sic exponas; quid est quod fuit? (sume id quod fuit formaliter, ut fuit) ipsum quod futurum est, quia de hoc etiam aliquando dicetur, fuit. Quid est quod factum est? non est diversum in hoc, quod sit factum, ab eo, quod est faciendum, quia & de isto aliquando erit verum, factum est, quia omnia transeunt, & ipsum fieri eorum, & ipsum transire pertransit: Et ita nihil sub sole novum, quia statim ac sunt omnia, & singula veterascunt, quia transeunt; transire siquidem, in suo conceptu distantiam involuit a præsenti, ipsumque præsens indivisibile cum sit, non est intelligibile, quia omnia pro hoc statu intelligimus ad modum corporum, quæ essentialiter divisibilia B sunt. *Nihil novum*, ad hoc namque, ut novum aliquod esset, esse deberet diversum ab aliis, quoad durare, ac transire; quod tamen omnibus omninò commune est, quæ sunt sub sole, qui est causa generationis, & corruptionis. Nihil novum, cum enim dico, quod hoc est novum, jam præcessit, & nunc vetus est. præsens enim non sistit; & hæc expositio omninò similis in Sententia, licet verbis aliter ornata, communis est Hieronymi, Olympii, Albini, & Augustini, sæpè, ac lib. 12. de civitate Dei, cap. 13., & ad eam facit, quod ibi supradicitur: *Generatio vadit, & generatio venit*, juxta quam pericopen dici potest, planum sensum ejus esse, quod non efformantur novæ rerum species, sed sub eadem specie propria singularum rerum universa pertranseunt, & C ideò in præsenti, audiendi non sunt Hugo, & Cajetan. suspicantes hic Salomonem loqui in sententia Epicureorum, quia non audebat ab errore Alienigenarum uxorum suarum discedere, quod omninò improbabile est, & indecorum Spiritui Sancto, qui est auctor Sacræ Scripturæ.

Rabbin. quidam apud Galat. cap. 2. lib. 10. hoc loco dicta accipiunt, de lege nova adumbrata in veteri, ac si dicat. Eadem erunt in lege nova in re, quæ in antiqua fuerunt, veluti in umbrà, & figura; hæc tamen expositio, licet quod alias verum est, contineat, ad rem tamen non est, quæ enim ratio suadeat, eum respicere ad legem novam, qui ait, *nihil sub sole novum*.

Procopius ad illud. Isaiæ *cap. 48. Novum fe*D *cit Dominus super terram*, sentit Ecclesiasten hoc loco respexisse ad Christum Filium Virginis, qui fuit opus Dei omninò singulare, in rerum aliarum serie non recensendum, quia opus simpliciter novum, & æternum, & quia nondum venerat Christus ex Virgine, ideò pari veritate, & animositate conclusit, *nihil sub sole novum*. Nec incongruè per istum respectum explicari potest totus iste locus. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est*, quia nempe Christus Deus æternus, semper fuit Christus, heri, & hodie, & in æternum, ideò, & tunc cum scribebat Salomon, ipse fuerat, & ipse futurus tunc erat, & sub hoc sole, qui solus est & singularis, nihil aliud reperies, quod sit novum, & admirabile.

Quid est, quod factum est? idest de quo dicetur,

tur, & Verbum caro factum est? ipsum quod faciendum est, nondum enim Virgo pepererat, idcircò ad novitatem tam inexcogitati partus praespiciens, de quo dictum fuit: Novum creavit Dominus super terram, faemina circumdabit virum; clamavit, nihil (in comparitione talis portenti) sub sole novum. Placet consideratio, non tamen attento contextu, est litteralis expositio ut patet.

Augustin. loco citato, & Hieron., & Hugo; anagogicè exponunt de divina electione, qua ante saecula, universa praedefinivit Deus, & secundum Divum Thomam possumus intelligere, quod respectu ad Deum loquatur Salomon, nam coram ipso nihil praeteritum, nihil futurum, omnia ei praesentia in aeternitate, & in decreto, & eorum futuritio, ac praeteritio, etiam naturalis ipsi praesentissima est, cui nihil accidit; nihil ergo illi novum, quia ab aeterno ei cognitum est, quidquid factum fuit, aut fiet.

Nec omittendum mysterium Resurrectionis, quòd ibi intelligit latere Nissen. sic enim ad ejus intellectum explicatur, de anima, & corpore: *quid est quod fuit? id quod futurum est*, scilicet anima rationalis, creata quidem in tempore, sed immortalis duratura in aeternum; *quid est, quod factum est? id quod faciendum est*, scilicet corpus, utique factum, sed & idem faciendum, omninò idipsum resurrecturum, unde quia haec compositio mirabilis, & singularis est, & nihilominus in ipsa verificatur esse, fuisse, & futurum esse; & factum, & faciendum, quòd omnibus rebus (licet in alio sensu) commune est, ideò addidit, nihil sub sole novum.

Moraliter intelligitur etiam, ut volunt alii, dè via perfectionis, in qua quia non progredi, regredi est, ideò semper incipiendum, ut progredi conemur, semper dicendum cum David, *ego dixi, nunc caepi Psal. 76.* sicque verificatur, *quid est, quod fuit? ipsum quod futurum est, quid est quod factum est? ipsum, quod faciendum est*, sed & frangitur superbia singularitatis, quę quandoque imaginatur eo se pervenisse, quo nemo ante, dum dicitur, nihil sub sole novum.

Aliter etiam Cornel. Alap. explicat hunc textum, quod nempe Ecclesiastes retundere volens hominum curiositatem, qui vellent videre aliud saeculum, & novitates desiderant; ait nihil est novum, scilicet desiderabile sub sole, cum & similia his praecesserint, & meliora in cęlo sperentur; sola justitia, & virtus aeterna est, caetera evanescunt, ac si non essent. *Recedentes a te in terra scribentur. Hierem. cap. 17. Justi autem in perpetuum vivent. Sapien. cap. 5.*

Dices quommodo nihil sub sole novum esse, verum erit? nemo negare potest nova artis inventa, eo pretiosa; quo nova: nova prodigia, & miracula: *a saeculo non est auditum, quod quis sanaret oculos caeci nati. Joan. cap. 9.* Nonne novus Christus qui dictus est, novus Adam de Cęlo cęlestis? nova ejus praecepta, ut constat Matth. cap. 5. Testamentum novum, Sacramenta nova, & praemia, & signa? *Ecclesiast. cap. 36. Innova signa, & immuta mirabilia.*

Resp. ad haec omnia D. Thom. pr. p. qu. 73. ar. 1. ad tertium. Praecesserunt haec secundum similitudinem, sicut animae, quae nunc creantur, & similiter Incarnationis opus, quia ut dicitur ad Philipp. cap. 2. Dei Filius est in similitudinem factus; gloria etiam spiritalis secundum similitudinem praecessit in Angelis, corporalis verò in Coelo, praecipuè empyreo: hinc, quoad singula patet: artis inventa sunt similitudines, & imitationes naturae, cum in hoc consistat perfectio artis; prodigia pariter, & monstra, habent quoad omnes sui partes similitudinem, cum aliquo naturali, & quoad earundem compositionem, sunt accidentia, & defectus (praecipuè de monstris) virtutis generativae, & nova quoad homines, qui praeterita similia non noverunt: miracula pariter admiramur, ut nova, ex ignorantia causae, sed revera similitudinem habent, quoad substantiam, cum aliquibus, quoad modum verò cum aliis, & in se nova videntur, quia comparantur, cum termino improprio, scilicet cum natura, ad quam non spectant; de Christo jam dictum est, & certè supra naturam fuit ejus Incarnatio, sicut, & Maternitas Virginis, utriusque autem similitudo, in divinis quaerenda est. Si quid novum sub sole splendere concedendum est, hoc est Maternitas Virginis; fuit enim Mater, & Virgo, Mater naturalis hominis, & Dei in humana specie. At hoc loco Ecclesiastes, ut patet, naturalia, & caduca meditatur, rerumque humano intellectui perviarum, quae verò spectant ad fidem, caduca non sunt; cum fides sit sperandarum substantia rerum, quod si hoc utrumque lumine naturae pensamus, videmus similitudinem aliquam Christi in Adamo, qui fuit primus homo, hominum caput, Deoque producente non homine, vidit lucem, Eva ex Adami costa aedificata est, & dicta virago, ut enim ipsa esset, nulla laesa fuit Virginitas, prima Virgo sic producta Virginem adumbravit, quae Virgo gigneret, ut communis Patrum, & Conciliorum nos edocet intellectus. Novitas autem consistit in indivisibili, ut clarum est. Lex quae nova dicitur, est pefectio, & implementum antiquae, idcircò ejus auctor, inquit *Matth. cap. 5. Non veni legem solvere, sed adimplere*. Si lex antiqua in omni sui parte figura fuit, & umbra Christianae, ergo hujus praecessit similitudo in illa: & per haec patet etiam ad locum Ecclesiastici; si enim dicit, *innova*, ergo jam fuerant, si ait, *immuta*, jam igitur erant, quae immutari possent, & innovari portenta. Adde etiam ex Philosophi communi Doctrina, quòd omnia, quae sub Caelo sunt naturaliter cognoscibilia, habent sibi simile, cum constent aliquo genere, quod concipi nequit, sine similitudine omnium sub eo convenientium.

Melior verò ad haec omnia responsio est, quam nuper tetigimus eamque tradit Angelic. D. 4. sentent. dist. 48. qu. 2. ar. 1. ad primum, quod nempe hic loquitur Ecclesiastes de rebus naturalibus secundum cursum suum naturalem. Idem ponit August. de Civit. Dei loco citato, nam de Coelestibus, ac superioribus dicitur, Apocalyp. cap. 21. *ecce nova facio omnia*; Per quod solvitur objectio, quae

quæ videtur omninò convincere; nam si denique dices.

Saltem quæ prima fuerunt, & similitudines fuerunt eorum, quæ nunc postmodum fiunt, & fient, quis neget illa fuisse nova? aliter jam fiet processus retrogradus in infinitum, & concludetur, quod mundus fuit æternus, contra fidem, sicut hinc arguebat Rabbi Moyses.

Resp. loqui Ecclesiasten, de rebus secundum cursum naturæ, qui certè supponere debet initium, ipseque clarè loquitur, de his in quibus verificantur omnes temporis differentiæ. Futurum, præsens, & præteritum, quod de omninò primis dici nequit, quæ in rigore non fuere futura, quia tempus in quo verum esset, quòd erunt, non præcesserat, cum dicatur Gen. primò. In principio creavit Deus &c.

Quod si ratione adhuc postposita insistas, dicemus rigorosè nova etiam prima non erant, tum quia fiebant, ut essent similia, tum quia unum erant, quantum est ex se, cum his, quæ sequebantur, & perfecta sine illis non erant: tum quia non erat, cui nova essent, ut bene consideranti patebit; tum denique, quia omnia in æternum præcesserant in divinis idæis, in quibus perfectius res omnes elucent, quam in se ipsis.

Semper tamen in veritate sistendum, loqui Ecclesiasten de rebus, in suo ordine, cursuque naturæ consideratis, in quo de singulis verificatur; quod fuit, est, & erit, non erit, est, & erit, vel ut nuper juvenculus canebat; In fuit, est transit, non erit, id quòd erit, quòd & explicatio est præsentis loci, & novum simul fingit ænigma, quod de tempore agenti, semper contingit.

Hic autem, ne miretur lector, si effusius nimium calamus videatur: Ita necesse fuit, ut regulam ipsam, quam proposuimus ex Augustino, facto ostenderemus: nempe cum locus aliquis repugnans apparenter, occurrit, ita eum in omnem partem reversari oportere, ut tandem veritas elucescat, quòd in præsenti nos præstitisse arbitramur.

ARTICULUS XI.

Regulam proferens prioris extensivam, quoad mala, quæ Deo attribuuntur in Sacris Scripturis.

ITA semper intelligi debet Scriptura, ut numquam Deus asseratur auctor mali.

Textus omnes Sacræ Scripturæ, in quibus videtur Deo tamquam Auctori attribui malum, omnes communiter Doctores interpretantur, de malo pœnę, quod revera non est simpliciter malum, cum rectę rationi, recloque per justitiam appetitui conveniat, & ordinem reparet lęsum per culpam: malum verò dicitur secundum quid respectu peculiaris individui, quòd subordinatur bono communi, eique plus debet jure naturæ, quam sibi ipsi.

Nihil ergo repugnat, quod Deus hujus mali, quòd est simpliciter bonum, auctor dicatur; qua unica animadversione explicata satis videtur hæc

A regula, quam sic intellectam, ubique reperies apud Patres, Expositores, ac Theologos, ac diffusè explicatam apud Arboreum, in sua Theosophia. At quia pro aliquibus locis, primo aspectu, non videtur ita connaturalis hujuscemodi interpretatio, ideò ulterius procedendum est, brevi tamen gressu, ad hujus veritatis examen.

Supponenda sunt in primis, quæ fusè verè, ac sapienter docent, hauriuntque ex Angelico fonte Patres Salmaticenses, de prædestinatione, de scientia Dei, de vitiis, & peccatis, & alibi etiam, ubicumque occurrit hæc materia, quibus satis superque præsens regula explicatur, & roboratur, quia tamen institutum nostrum proprias habet difficultates, ex Scripturæ ipsius, vel potius intellectus nostri obscuritate suborientes, ut etiam in te-
B nebris lux affulgeat, sic breviter eas opponemus, ac Deo dante dissolvemus.

1. Amos inqu. *cap. 3. si fieri potest, ut ambulantes duo in via, minimè se cognoscant, & leo sine præda ad catulum suum revertatur, si decidet avis sine Aucupe in terram &c. si malum aliquod perpetratur in Civitate, quod non fecerit Dominus*. Ibi sane videtur, nedum pœna, sed & culpa Deo attribui tamquam auctori. Pendè quod dicit, ita etiam malum aliquod perpetratur; perpetrare communiter dicitur, de delicto, non de pœna; perpetrare sonat actionem, non passionem, porrò peccatum in actione consistit, pœna verò regulariter in passione: Et præterea, comparatio illa adeò universalis, non videtur posse ad solam pœnam si-
C ne extorsione restringi; tendit enim ad expressionem divini influxus & modo communi, ad culpam, & ad pœnam.

2. Isaiæ *cap. 27.*, secundum vulgatam legimus: *Ego Deus faciens pacem, & creans malum*; malum absolutè prolatum, stat pro culpa, juxta regulam Philosophicam, quæ transiit in adagium: analogum absolutè positum, stat pro famosiori; quod si conemur, id explicare hoc loco de pœna, obstare textus videtur, sic enim arguitur. Si de culpa intelligitur, jam obtinet opponens, si de pœna, eo ipso etiam, immò fortius intelligi debet de culpa, creatio enim nihil supponit; creare est primam rei radicem ac initium attingere, radix autem pęnæ culpa est, qui ergo creat pęnam, ex hoc ipso attingit, & culpam, ergo &c.

D 3. Hierem. *cap. 18. Hæc dicit Dominus, ecce ego fingo contra vos malum*, ibi etiam malum ponitur absolutè, sicut supra, reditque proinde eadem instantia; & specialiter, si fingit malum culpæ jam istam attingit, si malum pęnæ, ergo & malum culpæ, pæna enim relativa est culpæ, si ergo culpa supponitur pęna non fingitur, si fingitur pęna, eodem modo fingitur culpa: adde quod Deum non decet fictio.

4. Michea *cap. 1. descenderunt mala a Domino*; malum pluraliter comprehendere videtur plusquam malum pęnæ, quòd est solum secundum quid tale, & unius generis, & hac auctoritate utuntur ad suos errores, Manichæi, & Marcionitæ.

5. Apocalyp. *cap. 17. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum est illi*, scilicet Antichristo,

tichritto, *& dent regnum suum bestiæ*, qui locus A difficilè explicatur de pœna, cum clarè appareat, sermonem ibi esse de culpa, immò sic arguitur, ut exprimatur, diabolum fuisse instigatorem, ideoque & auctorem peccati Judæ proditoris: dicitur Joan. *cap. 13. cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Iscariotæ &c.* ergo cum eadem fermè phrasi utatur nunc de Deo, dicens: *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum est illi*, quod certè, ut ibi subditur, peccatum est, jam Scriptura Deum facit Auctorem peccati.

6. Exodi, *cap. 8. Induravit Deus, & obcæcavit cor Pharaonis* (sed & alibi in Scriptura Deus dicitur indurare cor hominis) postea verò puni- B vit pluribus plagis talem excæcationem, & duritiem, sicuti narratur in sequentibus, quo certè declaravit, eam fuisse peccatum, quod solum puniri meretur, ergo ejus auctor Deus, auctor fuit peccati.

Has verò objectiones præter morem, simul, & quasi coarcervatim proposuimus, quia eadem ferè doctrina refelluntur, sic enim consulimus, ubi locus est, brevitati, nec omnes propterea, quę plures sunt, sed peculiares, & magis apparentes collegimus, omnibus tamen facilè ex his, quę sequuntur, quisque occurret.

Ad quod notandum est, ex D. Augustino *lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 22. quod Deus reddit mala pro malis, scilicet pœnas pro delictis; bona pro malis, scilicet gratiam pro injustitia; bona pro bonis, scilicet gratiam pro gratia, at mala pro* C *bonis reddere Deo est impossibile, nisi fortè mala dicamus afflictiones, quas Deus justis immittit, ut mereantur majorem gloriam*, & ita salvatur universalitas divinæ dispositionis, in omnem boni, ac mali combinationem, si benè attendatur; in hoc tamen, quod dicitur reddere mala, pro malis, non est sensus, quod æquè malum sit, quod redditur, ac malum pro quo redditur, sed est quædam lata proportio, quod enim redditur, pœna est, id pro quo redditur est culpa, hæc est mala simpliciter, illa secundum quid, & denominativè in vulgati sensu, unde potius infligens pœnam reddit justa (hoc est bona) pro malis. Reddere verò æquale malum rigorosè, pro peccato, D Deus non potest, quia hoc esset reddere peccatum, pro peccato, sicque deberet dici, quod Deus posset peccare, in creaturam, quod inimaginabile est etiam Pagano.

2. Nota est vulgata Gregorii auctoritas: *omne peccatum, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum est, & pœna peccati*, sed in hoc quod dicitur pœna non sumitur peccatum in se ipso, ut tale, sed in sua causa, aut quasi causa, quatenus Deus in pœnam prioris peccati, subtrahit gratiam, qua subtracta sequitur ex mala hominis inclinatione, & dispositione peccatum aliud: & hoc modo Deus est causa peccati nostri, negativa, non privativa formaliter, quia Deus etiam non præsupposito in nobis alio priori peccato, gratiam dare non tenetur, nisi ex suppositione præcepti, sufficientem; & priori peccato offensus, quatenus reduplicativè, ac præcisè, ut justus consideratur, potius videtur, quod teneatur eam denegare peccatori, sumptam ut gratia est; sed de his Thelogi ex professo, nobis satis est concludere, quod quia inter subtractionem, seu denegationem gratiæ, & peccatum, mediat humana facultas, & libertas, in illud verè positivè influens, Deo non potest attribui culpa ut talis, sed in eo, quod habet de præsupposito in sensu explicato, in quo exprimit esse passivum, ut explicatum manet, in qua ratione certè pœnam exprimit non culpam, quis enim nesciat, quod culpa, in actione consistit, formaliter, pœna verò in passione? ex quibus, quæ inconcussam D. Augustini, ac Doctoris Angelici continent compendiosè Doctrinam, quisque facilè sanam, ac veram locorum, quæ opponuntur, aliorumque similium haurire poterit intelligentiam, quæ animum quietet: vel enim malum, quod Deo tamquam auctori attribuitur sumitur ut pœna in sensu explicato, ut docent communiter Patres, vel ut culpa, ut volunt hæretici, si primum, clara sunt omnia, si secundum, accipiendo culpam, secundum id, quod habet de passivo, nempe prout est subtractio gratiæ, & quid afflictivum, aut oppositum summo bono, prout est bonum creaturæ præcisè, aut per modum quasi arcentis negativè, non autem per modum impugnantis, etiam concedere possumus esse a Deo, dummodo cum grano salis, & cum debitis præcisionibus intelligatur, alio tamen modo sumpta culpa, ac sonat, & solet intelligi.

3. Nota (quod facilè constat ex dictis) quod subtractio gratiæ, quamvis sit privatio; ex parte creaturæ rationalis, ut elevatæ ad supernaturalem ordinem, aut saltem, ut elevabilis; homo enim per eam perficitur ad suum finem, eaque indiget, tum ratione debilitatis, & infirmitatis propriæ, tum ratione arduitatis, & excellentiæ boni, ad quod dirigitur, ideoque obstare gratiæ, est contra proprium bonum etiam naturæ, cum peccatum ex omni capite, sit contra inclinationem rationis naturalis; ex parte Dei tamen, eadem illa prædicta subtractio, non est privatio, non enim tenetur Deus, aut indiget, dare homini gratiam, cum sit contradictio in terminis, ut explicat Apostolus *ad Rom. cap. 11. si autem gratia, jam non ex meritis, alioquin gratia jam non est gratia*. Ex quibus semper magis clarescit intelligentia recta Sacræ Scripturæ, quoad ea, quæ opponuntur, vel opponi videntur; Placet tamen singulis sigillatim, brevi tamen calamo occurrere.

Ad primum, cum opponitur locus Amos Prophetæ, adest August. lib. unico, contra Adamantium Manichæum, potissimum verò cap. 26. *divina*, inquit, *providentia moderante, & gubernante, ita homo malè facit, quòd vult, ut malè patiatur, quod non vult: sic autem isti accusant Prophetam ista dicentem, ac si* in Evangelio non legerint: *Matth. cap. 1. Nonne duo passeres veneunt dipondio, & unus ex his non cadet in terram sine Patris voluntate*. Ita ergo Deus malum facit, quod non *ipsi Deo malum est, sed in iis, quos vindicat, unde nec est*

est contrarium, quòd obiicit Adamant. quòd arbor bona, bonos fructus facit, mala malos; quamvis enim malum sit gehenna damnato, justitia tamen Dei, bona est, & iste fructus est ex arbore bona: nunc ad argumentum dicimus, quamvis alia littera habeat, si malum aliquòd perpetratur, nostra tamen vulgata, quam sequimur, habet: *si erit malum in Civitate quod non fecerit Dominus*; ex qua variatione litterarum patet, non esse in originali verbum, quòd coarctet ad intelligendam culpam, sed quidquid sit, apertè ille textus, & contextus est comminatio pœnæ, intenditque suadere, quod quidquid durum, & sinistrum accideret populo illi, totum forent effectus iræ Dei, ne putarent fortuitò eventurum, ideò nihil contrà præsentem regulam, aut veritatem occurrit.

B Ad secundum negam. quod malum ibi absolutè proferatur formaliter, oportet enim regulariter ex contextu discere, quæ & qualis sit dictionum significatio; quamvis autem ad ly malum, non sit adhibita verbalis restrictio, totus tamen sensus est restrictivus, nam dum dicit, *ego Deus, faciens pacem*, ex hoc determinat, id quod sequitur ad significandum oppositum pacis, scilicet bellum; ideò subdit, *& creans malum*, immò si dicit creans, jam indicat se loqui de malo creabili, quod culpa pro formali competere non potest: peccatum (inquit Augustinus *in primum cap. Joan.*) *nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant*: certè peccatum juxta Angelicam mentem, non est aliqua natura, sed defectus naturæ, non sistit extra nihilum, sed ad nihilum tendit: Ad id quod additur, dicimus

C intelligi de tali pœna scilicet bello; ad impugnationem, neg. quod radix, & principium pœnæ, sit culpa, sed ait Augustinus loco citato, *radix, & principium pœnæ, justitia Dei est*, sed & notandum, quod belli creatio est in eo, quod Deus subitò immittat agressores, absque eo, quod provocentur, non enim est creatio metaphysica alicujus entis, nulla interveniente creata causa, sed est figurata locutio, & energia sermonis, secundum quem etiam dicitur Dominus Deus exercituum: Quæ responsio, deducitur ex Apostolo ad Rom. cap. 11. ex Augustino loco nuper citato, & ex Hieronymo ad prædictum locum Prophetæ.

D Ad tertium Hieronym. ibi: *mala*, inquit, *quæ nulla sua natura subsistunt, a Domino non creantur, sed creante se malo, Dominus judicat, cum res benè conditas, nobis malè agentibus in flagellum format, venenum, mors est homini, vita serpenti*. ex quo patet quid sit ego fingo contra vos malum, idest in flagellum, & malum vestrum formo res, quæ in se bonæ sunt, quod in humano intelligendi modo videtur importare fictionem, sed revera justitia est, illud verò malum, talc dicitur absolutè, sed limitatur ad dictum sensum, tum ex ly fingo, tum ex contextu, & quidem malum dicitur juxta morem audientis potius, quam dicentis, quia homines ex propria passione, mala dicunt, & metiuntur, idque grande malum esse intelligunt, per quod opprimuntur, & patiuntur contrà inclinationem physicam peculiaris, & individualis naturæ, nec aliquid facit adversum huic veritati, tam quod subditur,

A quia in hoc loco, culpa verè supponitur, cui Deus minatur, fictio autem non cadit supra pœnam, sed supra id quod vertitur in pœnam, cum alias creatum non sit, ut sit pœna.

Ad quartum ex Michæa: pulcrè Hieronym. ad eundem. *Quommodò*, inquit, *cecidit de cœlo Lucifer, & contritus est super terram, sic & hæc mala, quæ a Domino descenderunt, & venerunt ad portas Hierusalem*; sicque est sensus, vel quod flagella a Domino immissa, statim misericorditer contrita sunt: vel quod sicut Lucifer cecidit propria culpa, subtrahente Deo gratiam suam, sic cadunt, & peccatores, a Deo se avertentes, & discedentes, indeque patiuntur ratione culpæ, quæ pœnam a misericordi etiam Deo extorquet: Nec valet intelligentia illa mali pluralis, cui non consentit contextus, quem evidenti violentia torquent hæretici, ut legenti constat. Nec planè refert, quod adversus hanc gratiæ subtractionem, gratis conqueruntur peccatores, tum quia somniantur debitum contradictorium gratiæ, cum ex eo, quod ait occurrens illis Ambrosius, *ad Ps. 118. Versu. Propè es tu Domine, siquis ostia Domus claudat, numquid solis culpa, si non illuminat domum; pulsat januam tuam Verbum Dei &c. nihil quidem Deo obseratum, nihil clausum æterno lumini, sed portas malitiæ non dignatur aperire, conclavia non vult penetrare nequitiæ*.

Ad quintum, jam satis constat, ex dictis usque modo, quommodo peccatum aliquod sit simul, & peccatum, & pœna peccati, ideò difficile non est sensum attingere illius loci Apocalyp. Porrò claram exhibet ejusdem intelligentiam id, quod habetur *Psal. 80. ibi, & non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi*: & ecce statim pœna, *& dimisi eos secundum desideria cordis eorum*, ita & in præsenti; Deus dedit in corda eorum ut faciant, quod placitum est illi &c. hoc est dimisit eos secundum quod desiderat cor eorum, ut faciant, ecce ait, *ut faciant*: facient ergo ipsi per propriam malitiam id, ad quod sunt dimissi, & permissi: sicut & in Psal. additur, *ibunt in adinventionibus suis*. Vel secundo sensus esse potest, Deus dedit in corda eorum scilicet inspiravit, ut faciant, quod placitum est ei, scilicet Deo, qui ut eos puniat, vult regem eorum esse bestiam, talis enim rex competit populo bestiali; hocque totum, ut patet pœna est, & huic sensui potius favet, quod additur ex Joa. Evangelio.

Ad sextum, quoad locum Exodi, & alios consimiles textus, qui plures sunt, in quibus asseritur, Deum indurasse cor hominis, & similia; cum indurare in malo supponat jam culpam, & malum, clarum est, sermonem esse de pœna, supponente culpam, quod autem ex tali induratione sequatur peccatum aliud, gravissimè puniendum, cum inter indurationem, & novum peccatum mediet humana libertas, & perversitas, ipsi, & non Deo punienti, attribuitur; quam doctrinam passim exhibet Divus Thomas, perpetuus in hoc, quod totum illud accidit per gratiæ subtractionem, vel denegationem, ex qua fit in intellectu excæcatio, & in voluntate obduratio, post quas voluntariè labitur homo: Videatur August. loco cit. de gratia &c.

Vuu AR-

ARTICULUS XII.

Quem sensum habeant maledictiones, quæ in Sacra Scriptura proferuntur.

STatim & facilè respondemus, per regulam ex D. Augustino, potissimum, loco superius citato deductam: Sacra Scriptura ita maledictiones continet, ut nec Deus, qui est illius auctor, nec ipsa, quæ ejusdem locutio est, possit dici, maledica. Sensus est formalis, si enim latissime, & materialiter accipiamus, pro maledicere, hoc ipsum quòd est annunciare utcumque id, quod nobis malum videtur, quia immediatè, & materialiter nocet, clarum est, id in Sacra Scriptura reperiri. Accipimus ergo hic, maledictionem pro formali imprecatione, quæ est expressio animi malevoli, & odientis, quod planè Deo nequit attribui, qui nihil odit eorum, quæ fecit, & sicut per amorem applicantem, & determinantem liberè scientiam ipsius, quæ est causa omnis creati effectus, omnia in esse posuit, ità & conservat, unde clara apparet repugnantia in terminis; quod Deus aliquid creatum, odio habeat, cum idem sit aliquid esse & esse amatum a Deo. Ad regulæ autem claritatem, notandum est, maledictiones, utcumque tales, quæ occurrunt in Sacra Scriptura, esse in triplici differentia; aliquæ sunt, quas refert, ut ab aliis prolatas, nempè a viris malis, aut etiam a Diabolo: aliæ, quæ, proferuntur à Prophetis, per quos loquitur Deus, quæ modum quidem habent maledictionis, sed revera sunt comminationes, aut figuratæ locutiones: aliæ denique prolatæ per modum sententiæ. Primæ illæ maledictiones, ut sunt, quas amici Job, & ejus uxor, ipsi ingerebant, aliæque persimiles a fœminis potissimum iratis effusæ, cum sint præcisè relatæ, certè non refundunt in Deum, nec in ejus locutionem notam maledici, quia in ratione maledictionis supponuntur ad Scripturam, ipsas referentem: nam satis procul dubio distat, malum dicere, ab eo quòd est maledicere; malum siquidem benè dicitur, cum proponitur ad cautelam, & potius ordinatur ad benedictionem, quæ correspondet vitationi mali: unde August. *lib. contra Faustum Manichæum, cap. 54. numquid cujusquam membra distorta, depravant lucem, quæ illa demonstrat? sic nec cujusque malefacti, aut dicta, malam Scripturam faciunt; quia prodente legentibus innotescunt.*

Quoad alia itaque maledictionum genera, aliqualis, quibusdam difficultas apparet: plures namque occurrunt, quæ si modo communi intelligantur, eo videlicet, quo hominum dicta intelligimus, verè videntur maledictiones prolatæ a Deo, eique loquenti attribuendæ in ratione formali maledictionis, aliquas tantum ad exemplum obiiciemus.

Genes. cap. 3. 4. & 27. maledicta terra in opere tuo: maledictus eris super terram: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, Deut. c. 27. cumplures continet maledictiones, quibus Deus maledicit trasgressoribus legis, ut cum dicitur. *Maledictus, qui pervertit judicium:* ita & sequentib. capitib. &c. Hierem. *cap. 48. Maledictus, qui facit opus Dei fraudolenter, maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine &c. Job cap. 3. aperiens os suum maledixit diei suo: David, lib. 2. Regum cap. 1. Montes Gelboe nec ros, nec pluvia, veniant super vos*, ita lib. 4. Regum occurrunt plures Sancti Patris Nostri Eliæ nedum imprecationes comminatoriæ sed verè efficaces. Ita etiam in actis Apostol. cap. 5. D. Petrus maledixit Ananiæ, & Saphirræ uxori ejus, qui statim mortui sunt, & D. Paulus, *cap. 23.* adversus suum persecutorem; *percutiat te*, inquit, *Deus, paries dealbate*. Id autem magis apparet in Psalmis, immò totus ferè Psalmus 108. est imprecatio, & maledictio; quod si hujuscemodi non sunt veræ maledictiones, vix apparet, quænam alia imprecatio dici possit maledictio vera, & formalis.

Resp. ad hæc facilè constare ex dictis, sed ad claritatem, supponendum est id, quod evidens experientia in omni momento millies sentit, tuncque plus experitur, cum ingrata, vel non sentit, vel simulat se non sentire, Deum videlicet ex natura sua, undequaque, & infinitè pronum esse ad benefaciendum; est enim proprietas boni, communicatio sui; summique proinde boni summè communicare seipsum, & ad intra, & ad extra, ut benè ostendunt Theologi, de Incarnatione divini Verbi agentes, ideoque cuncta bonificare, ac perficere, ubi non obstat indurata perversitas nequissimæ voluntatis, toto conatu libertatis nitentis affectivè tollere, si posset, a Deo rationem summi boni, ex se igitur tendit divina bonitas ad bonum omnium, ad punitionem verò, & ad malum peculiare creaturæ non inclinatur, nisi ex ipsius boni exigentia, ut justitiæ satisfiat, quod sicuti summo, & universali bono debetur, ita est conforme superiori, ac principaliori ipsius creaturas etiam puniti inclinationi, quæ omnem aliam peculiarem, sibi subordinat inclinationem etiam reluctantem: in illo igitur rationabili sensu potest dici Deus maleficiens, aut maledicens formaliter; hoc enim, ut vidimus sonat affectum sistentem in malo pœnæ, ut malum est. Potius ergo homines maledictiones in se proferunt, & in ea, quæ ipsos concernunt, quando peccant, & quamvis asserant, se cum peccant, nolle sibi maledicere, est protestatio contraria facto, & se ipsam vanè protegens ignorantia, secundum quam aiebat Philosophus: omnis peccans est ignorans. Ex quo colligere possumus, quod objectæ maledictiones, ac similes in Sacra Scriptura relatæ, seu repertæ, videntur quidem maledictiones, a Deo emanatæ, at revera potius sunt narrationes peccatorum, & expressiones demeriti peccantium relativè ad divinam justitiam.

Hic autem intelligendi modus satis explicat omnes, & singulos relatos textus, ac similes, eique suffragantur Patres. Alia tamen consimili via ex eisdem sic procedi potest.

Cum Sacra Scriptura videtur maledicere, Prophetiam continet in Sententia, & si maledictionem præseferat in figura. Sic *Psal. 5. decidant a cogitationibus suis &c.* ubi Augustin. *Prophetia est,*

non

non maledixit eis; non enim optat, ut eveniat, sed certè, quod eventurum est; Psalm. 78. effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt &c. Glos. ordinaria: non malevolentiæ voto, sed spiritu prævisa dicuntur: quemadmodum enim Propheta non imperat Christo; quamvis modo imperativo pronunciet dicens, Psalm. 44. accingere gladio tuo super femur tuum &c. specie tua, & pulchritudine tua intende prospere procede, & regna, ita non optat, sed Prophetat, cum dicit, effunde iram tuam &c. Ita Augustin. Psalm. 27. da illis secundum opera eorum &c. Basil. nemo justum censet, quasi inimicis maledicat, non enim maledictionem hæc habent, sed justam Sententiam. Idipsum sentit Hieronym. ad illud Threnorum cap. 1. ingrediatur omne malum eorum coram te: Prophetia est non votum malitiæ, & idem Gregor. lib. 14. moral. cap. 7. & Anacletus Papa epist. 2. Quibus addi potest illud Chrisostomi, quod cum David, 1. Regum, cap. 24. ait ad Saul: Judicet Dominus inter me, & inter te, & ulciscatur. Non hoc dixit cupiens puniri Saulem, sed ut corrigeretur per formidinem, & a crimine se purgaret, ex quo deducitur, quod cum Sacra Scriptura videtur maledicere, potius formaliter benedicit, ostendit enim desiderium correctionis malorum, & emendationis, ad evitandam pęnam, & consequendam pœnitentiam, & gloriam, quæ tanto major omni alia benedictio est, quanto majus est gaudium in cœlo, super uno peccatore, pęnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis.

Hinc ad singula opposita, cum nulla supersit specialis difficultas, nihil remanet specialiter addendum. Placet tamen claritatis ergo, adducere Angelici Doctoris sensum, Job cap. 3. ubi ait, contingit aliquem alicui maledicere, primò declarando malum, quod alicui debetur, & sic sententia Judicis est dilusa pęnæ ejus, quem damnat, & per hunc modum intelligitur illud Gen. cap. 3. Maledicta terra in opere tuo, & cętera quæ obiiciuntur, ex Gen. Deuteron. & Jerem. 2. imprecando malum, vel optando, sicut legimus 1. Regum cap. 10. quod Philistæus maledixit David, in diis suis, & hoc non tribuitur Sacræ Scripturæ, nisi ut narratum, adhoc ut illud detestemur. Tertiò contingit aliquem dicere malum ennunciando, vel prænunciando, scilicet vel in præsenti, vel in futuro, quod si vere fiat, Prophetia est, ut constat in iis, quæ obiiciens addit, ex libris Regum; de David, & Elia, ac Psalmis, & actis Apostolorum; si autem proferatur malum, præscindendo a veritate, & falsitate; quod reprehenditur a Paulo, hæc est expressio mali cordis, animique infensi; quod in Sacra Scriptura non habetur; tamquam ex ipsa, sed narrativè, & detestativè: Ita ferè Angelicus.

Ad illud Job, idem addit, maledixit diei suo, in quantum mala sibi in illa accidisse commemoravit, & quæ sequuntur fuerunt, vel Sententiæ, vel Prophetiæ. Sicut specialiter ad imprecationes, quæ reperiuntur in Psalmis, subdit Euthimius ad Psal. 108. Imprecantis quidem personam videtur assumere, sed revera Prophetiam contexit malorum, quæ proditorem Judam, & complices

A ejus manebant. Nec plura. Satis enim D. Petrus act. cap. 1. significavit ea, quæ Psalmo prædicto habentur, maledictiones non esse, sed prædictiones, cum ait, sicut prædixit Spiritus Sanctus per os David, de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum; Inconcussa ergo manet veritas hujus regulæ.

CAPUT II.

De regulis minus generalibus Sacræ Scripturæ.

ARTICULUS I.

B *De modo dicendi Sacræ Scripturæ, circa inanimata.*

QUia aliquando de Inanimatis, Sacra Scriptura loquitur, ac si haberent animam, id materialiter intelligentes quidam, in ridiculos errores incidunt; cum Thalmudistis; imaginantibus ubique miracula, ut confundant mysteria; hæc igitur sit regula, cum talia loca occurrunt; non est sistendum in litera, sed haurienda ex contextu intelligentia; quo circa prius notamus.

Rhetorica quædam charis est, res animare, & ex hoc fortè pullulat phrasis illa, qua ad commendandam ingeniosam orationem dicimus, vi-
C vidam esse, & magis propriè Itali. Un dire pieno di vivezze. Cum autem in Sacra Scriptura omnis dicendi venustas efflorescat, ita ut sola possit jure appellari arbor Scientię, sive arbor vitæ, quam seu quas, aliqui volunt fuisse ficum, cui inscribitur flores mei fructus, quia sola Sacra Scriptura in ipsis floribus elocutionis, fructus exhibet divinæ veritatis, & folia ejus ad salutem gentium, ideò ei deesse non debuit hæc venustas, quę exurgit, ex hoc, quod per quemdam dicendi modum, res inanimes efferantur ad vitam, ut hoc exprimatur mysterio, per Sacram Scripturam omnia ad vitam elevari.

Si autem hic obiter quęras, cur adeò placeat, & verè sit admodum expressiva oratio sic anima-
D ta, seu potius animans; breviter dici potest, hoc ideò esse primò, quia omnia nova placent; cumque nihil magis novum esset, quam si de facto lapis volaret, cęlum loqueretur, flumina haberent manus, arbores disputarent &c. ideò hęc maximè placent, vel in dicto, & hinc excitatur animus, sic allectus, ad penetrandum, quid dicere intendat orator, sive quod sentiat; ac magis videtur sensum suum explicare, quia magis excitat novitate illa Auditorem ad intelligentiam: radix autem, quare hæc novitas adeò placeat, videtur esse, quia est quædam species creationis apparentis, quæ est, cum vera est, divina operatio, quam maximè, homo, etiam non advertens, ambit, tamquam Filius Adæ; 2. ratio est, quia amabile bonum, unicuique autem proprium: &

hæc inclinatio, sicut operatur in amando, sic etiam in intelligendo; ex quo fit, quod magis intelligimus, nobis similia, quia magis accedunt ad nostrum proprium esse; ideoque cum sic elevata inanimata, saltem in dicendo, repræsententur nobis similia, magis quia libentius, evadunt nobis intelligibilia. Hæc obiter, & in communi pro hoc modo dicendi. Sed si ad Sacram Scripturam reflectamus; aliquid in ipsa specialius habet talis loquendi modus, sic enim exprimitur (quod suo loco ostendimus, proprissimum esse Sacræ Scripturæ) Deum loqui rebus; & sicut quia nos loquimur vocibus, voces nostræ dicuntur animatæ expressiones, ità quia Deus loquitur rebus, respectu ad ipsum, res omnes, etiam in se inanimes, censentur animatæ voces, juxta illud, *Psalm. 92. elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam, a vocibus aquarum multarum*; quod statim explicat subdens, *testimonia tua* (idest tota Sacra Scriptura (*credibilia facta sunt nimis*, & *Psalm. 28. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*, ubi prosequitur, vocis, seù locutionis divinæ mirabiles, & modos enunciando, & effectus. Iterum: *Psal. 45. dedit vocem suam, mota est terra*; quia mota terra est vox Dei. & secundum hanc notationem plura intelliguntur loca Scripturæ, quia cum res animantur, ex modo loquendi ipsius proprio, per ipsum dicendi modum innuitur, quod per tales res, tamquam per proprias voces, Deus aliquid manifestat, ut sic impleatur, quod dicitur *Psal. 118., ordinatione tua perseverat Dies, quoniam omnia serviunt tibi*, & tunc ad intelligendum id specialius, quod per tales voces dicere intendit, notare oportet contextum, connexionem, & sensum principalem capitis, vel libri, quæ regula est principalis, omnes alias ferè ad se trahens. Aliæ enim, sicuti & præsens, ferè omnes sunt applicationes ejusdem ad aliquid peculiare, peculiarem aliquam addens difficultatem, propterea non immoramur. Aliqua tamen præsentem concernentia, afferre oportet exempla, & ad ea, Patrum intelligentias.

Joan. cap. 3. habetur, *Spiritus ubi vult, spirat, & nescis, unde veniat, aut quo vadat*: ibi Chrisostom. *hom. 25. quod dicit, ubi vult spirat, non significat, quod voluntate aliqua feratur ventus, sed liberum dicit ejus naturalem impetum, quia ab alio impediri non potest*: ita Chrisostom. indicans quomodo alios consimiles textus intelligere debeamus, scrutando nempe rerum proprietates, in quibus etiam inanimata, vel positivè, vel negativè conveniunt cum animatis, at melius textum consulendo, cernitur quare sic Scriptura loquatur; subdit enim, *sic est omnis, qui natus est ex Spiritu*, utique, *Spiritu Sancto*, juxta intentionem loquentis, quia & ventus regitur à Deo, & voluntas ejus, qui est in charitate regitur à Spiritu Sancto, & utriusque causa est occulta, operans mirabiliter &c.

Habac. cap. 2. quia lapis, de pariete clamabit, quod explicans Hieronym. ait: *tale quid & Dominus dicit in Evangelio contrà Pharisæos objurgantes, quare non increparet pueros acclamantes Hosanna: non*

A *legistis, inquit, quod scriptum est, Psal. 8. ex ore Infantium, & lactentium perfecisti laudem, & Lucæ cap. 19. Si isti tacuerint, lapides clamabunt. Licet enim multi ità intelligendum putent, si Judæi tacuerint, multitudo gentium confitebitur, tamen hæc expressior, & verior intelligentia est: etiamsi homines taceant, & signa mea, lingua invidens non loquatur, tamen lapides ipsi, & fundamenta murorum, & parietum ædificatio, meam poterunt magnitudinem personare, hoc est notificare &c.* ex quo obiter deducimus, cum de rebus inanimatis, tamquam de animatis Scriptura loquitur, non semper interesse metaphoram, sed aliquando, ubi agitur de divina potentia, propriam esse posse locutionem, sicut & ibi, & cum dicitur, *potens est Deus, de lapidibus istis* (scilicet Jordanis) *suscitare filios Abrahæ*; si

B enim ex nihilo, Adam, & omnia eduxit animantia in principio, cur de lapidibus suscitare non posset filios Abrahæ, hoc est fideles? si loquentem hominem, ex luto confecit, cur non posset ex lapidibus educere vel loquentes, vel voces, ut verum sit, quod lapis de pariete clamabit: notanter autem diximus propriam esse posse locutionem, quia potest etiam alius sensus admitti, cum illi textus, sive contextus, aut favet, aut saltem non resistit, observata intentione scribentis, non tamen facilè similes modi dicendi, exaggerationi adscribendi sunt, cum hæc rarissima sit. *Psal. 95. Lætentur cæli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum &c.* Ibi

C Euthym. *Solent Prophetæ sæpè numero, ipsis etiam inanimatis, & insensibilibus rebus, gaudium adscribere, quoties nimirum, summam aliquam volunt lætitiam annunciare, seu demonstrare, quasi etiam ipsa elementa, & sensu carentia lætentur, ut montes exultaverunt, ut arietes &c.* qui modus intelligendi facilis est, & pluribus locis modo ad lætitiam, modo ad tristitiam, ut textus exigit, potest adaptari; nec tamen propterea alii sensus, siqui a prædictis locis ministrantur, sunt negligendi.

Joel. c. pr. lugeat terra: ubi pulcrè Theodoretus, sensum innuens, quem persæpè habet Augustin. *loquuntur* (inquit) *Prophetæ aliquando ad res inanimes, ut cælum, & terram, non quia hæc ratione utantur, sed ut ratione præditos, ex inanimatis rebus excitent, & commoveant; ita solent homines*

D *communiter loqui, ad aliquem, ad quem non spectat commonitio, ut audiens peccator resipiscat*; & similes modos plures, ex Sacra Scriptura didicit Rhetorica: ni fortè intelligas, hunc esse sensum: audiat terra, vel lugeat terra: idest, etiamsi qui audit, sit ita durus, ac si non audiret, sicut terra, sciat tamen, tale esse id, quod dico, ut si ad terram ita spectaret, sicut spectat ad hominem, ipsa audiret, obediret, & lugeret, vel lugeat terra, idest suo modo, sicut enim homo lugens mæstus est, & tenebrosus, ita terra horrida fit, & obscura, vel denique lugeat terra, idest homo de terra creatus, & in terram resolvendus, ex quibus patet, nedum præclarus intelligendi modus, sed verba ipsa peculiaria, in singulis locis posita scrutanda esse, quia in ipsis rerum inanimatarum nominibus latent mysteria,

steria, sicut patet, ex nostri Incogniti, cæterorumque Patrum expositionibus. Nec ibi prætereundum, quod sicut in omni ente creato universalis, ac invincibilis inclinatio, est ad obediendum Deo Creatori suo, primoque enti, ita quidem quasi sensus, nostro dicendi modo, ad Deo obsequendum, eluget, ac propterea mirandum non est, quod rebus inanimatis, quandoque tribuatur sensus, cujus ostendunt similitudinem in ordine ad Deum, quod acutè penetrat D. Gregor. explicans, quomodo omnia elementa senserint, & cognoverint auctorem suum Incarnatum: *Mare*, inquit, *cognovit, quia sub pedibus ejus, se calcabile prebuit, terra cognovit, quia ipso moriente contremuit. Sol cognovit, quia in ejus passione obscuratus est &c.* ac demum concludit, *& tamen sola Judæorum corda, duriora saxis, scindi ad pœnitentiam nolunt.* Cum igitur de Inanimatis ita tractat Scriptura, ac si animata essent, non est sicut inepta Modernorum in suis concionibus sibi confingit, inutilis imaginatio, plausum quærens, ex ornatu impossibili, ex contradictoriis fictis, simul veris, ex abstractis sibi concretis, ex loquente cadavere veritatis, quam necant, & asserere profitentur, dum negant, sed potius mirabilis textura sapientiæ, vel respiciens ad mirabilia Dei, cui omnia serviunt, & sunt id, quod vult ea esse, qui fecit omnia, omnisciente voluntate sua, vel in nobis intendens affectum illum excitare, quem inanimatis appingit, vel sic in nobis ordinans intelligentiam, & eruditionem; nam revera in ratione divinæ vocis, omnia animata esse, dici possunt. Adde, vel aliquid prædicit mirabile a Deo faciendum, qui utitur ex dignatione sua, creaturis tamquam instrumentis, sicut de extremis mundi diebus dictum est; *Sap. c. 5. & pugnabit pro eo orbis terrarum, contra Insensatos, & armabit creaturam ad ultionem*, idest utetur omnibus ferè creaturis suis, ad terrendum simul, ac puniendum reprobos, & quia tunc etiam immobilia movebuntur virtute Dei occulta, motus enim videbitur, & non virtus, ideò de his agit tamquam animatis, quia nempe talia apparebunt (quod etiam in similibus locis notandum est) dicens *Ps. 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus: montes sicut cera fluxerunt: annunciaverunt cæli justitiam ejus*, sicut & alibi: *Stellæ stantes in ordine suo, contra Sysaram pugnaverunt. Judic. cap. 5.*

ARTICULUS II.

Quem sensum habeat Sacra Scriptura, ubi opus aliquod alicui tribuit.

Vastissimum pelagus palmo metiri nostræ non est brevitatis, nempe omnia simul, quæ id generis sunt, ut quærit titulus, sub regula una, certis limitibus cogere, captum nostrum excedit, ad ea igitur, quæ pluries occurrunt, non ad omnia intuitum dirigemus, quem morem hactenus servatum esse, & imposterum servandum esse, placet hic obiter admonere, ne tamquam minus fideles arguantur responsiones, quæ minus se se extendunt, quam quod prima fronte, vel exigere, vel promittere videantur tituli, vel quæsita; qui enim regulas tractamus, de his quæ regulariter tantum occurrunt, tenemur consulere, quod si omninò universalis, quandoque sit aliqua regula, hoc est ad abundantiam, nec talem universalitatem admodere præterimus. Quantum igitur spectat ad præsens; regula est.

Sacra Scriptura, aliquando, & quidem sæpè tribuit mandanti, vel consulenti opus, de quo agit, ac si esset exequens immediatè &c.

Facilè errabit, qui hanc regulam non advertet, ut constabit ex his, quæ addemus; ea tamen admodum rationabilis est, tum quia prudentis judicio, unum facit auctorem, mandans, aut consulens, cum exequente; sicut enim intellectus consulens, ac mandans voluntati, opus humanum, & voluntas exequens, cæteræque exteriores potentiæ, ac membra ipsa, & exteriora instrumenta, quibus utuntur, unam integrant causam adæquatam, ita consulens, & exequens, licet supposita importent materialiter diversa; & quæ alias possent diversas causas etiam formaliter constituere: tum etiam, quia talis dicendi modus est propria phrasis, sapientissimæ, sanctæque linguæ hebræorum, quam uti primigeniam servat Scriptura. Exemplis res patescet *l. 2. Regum, cap. 12.* Propheta Nathan ad David loquens, *Uriam*, inquit, *Hethæum percussisti gladio*, & tamen certum est, quod ipse non occidi. Hinc Abul. *percussisti, idest mandasti eum occidi, quia jusserat Joab, ut poneret Uriam in loco belli, ubi occideretur*; bene tamen dicitur ipse occidisse, quia ille agit, cujus nomine agitur, sicut ille possidet, cujus nomine res possidetur.

Job cap. 1. Dominus dedit, Dominus abstulit &c. certè diabolus omnia ei eripuerat, non Dominus. Gregor. *lib. 2. Moral. cap. 18. Sanctus vir, tentante adversario, cuncta perdiderat, sed tamen sciens quia contra se Sathan tentandi vires, nisi Deo permittente non haberet, non ait Dominus dedit, diabolus abstulit, sed Dominus dedit, Dominus abstulit.*

Math. cap. 26. Scriptum est, percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis: nisi recurramus ad hanc regulam, vix explicabitur hic locus, secundum verum sensum, quem habet; scimus enim Christum non a Deo, sed a Judæis occisum, sicut & alibi: *propter scelus Populi mei percussi eum*, at quia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, Filium suum unigenitum dedit, & Patre mandante Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, ideò dicitur percussus a Deo; ex quo Chrisostomus ad locum Math. citatum, hanc regulam elicit, & confirmat; *attendendum*, inquit, *id semper in Scripturis replicari, ut significetur, Christum, Dei voluntate fuisse crucifixum.*

Joan. cap. 3. Post hæc venit Jesus, & discipuli ejus, in Judeam iterum, & illic morabatur cum eis, & baptizabat; constat autem ex eodem Joan. *cap. 4.* disertis verbis, quod Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus, & ita communiter asserunt Patres, omnesque Catholici, ne tollant Evangelium;

lium; effe igitur manifesta contradictio, nisi utamur hac regula, quæ utrumque locum apertè conciliat; & ità Augustin. *tract. 13. in Joannem, baptizabat, quia ipse mandabat, non baptizabat, quia non tingebat; præbebant discipuli mynisterium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis.*

At quia sincerè procedimus ad veritatem, duo sunt quæ præsenti regulæ obstare videntur, nec sunt abscondenda. Primum est, quod ex ea sequi videtur, omnia quæ in Sacra Scriptura dicuntur facta a Deo, revera non fuisse ab eo facta, ad hoc enim ut verificetur quod ipse fecit, satis est; quod fieri illa mandaverit, voluerit vel consuluerit, sicque cum dicitur, Gen. primò, *creavit Deus cælum, & terram*, & creatio describitur omnis creaturæ; & quod fecit hominem de limo terræ, dicendum erit cum hæreticis, quod non creavit Deus ipse immediatè; sed fieri mandavit ab Angelis; maximè cum tali intelligentiæ suffragari videatur David, *Psalm. 148.* dicens, *ipse mandavit, & creata sunt.*

Secundum est, quod è converso sequitur, omnia quæ facta sunt ab hominibus; & fiunt juxta Dei mandatum, dici posse facta a Deo executivè, & absolutè; quinimmò, cum ipse mandet servari totam legem a nobis; cum illam observamus, ipse observator legis dicetur, ac si ad seipsum tulerit legem, sibimet subditus, & obediens, quæ planè absurda sunt, & omninò contra sensum Sacræ Scripturæ, & lumen ipsum naturæ, non ergo hæc regula est, sed deviatio.

Resp. non frustra in articuli initio nos monuisse, cum grano salis accipiendam esse hanc regulam, & alias etiam, non enim adeò universales sunt, ut totam omninò ambiant, undequaque Scripturam singulæ sigillatim; habent enim in quacumque Doctrina regulæ suas exceptiones, ex aliis regulis pullulantes, quia omnes sese invicem juvant, eique subordinantur, quæ jubet in omni obscuritate, examinandum esse contextum, & finem scribentis, per quod satis superque evacuantur objecta; ad majorem tamen claritatem addimus, & aliam huic consimilem, quæque ab August. traditur locis sup. citatis de doctrina Christiana, aliisque passim, & jam transiit in adagium, Sacram nempe Scripturam in obscuris accipiendam, & intelligendam esse ad litteram, cum ex tali intelligentia nullum sequitur inconveniens, vel absurdum, & quia aliquando oritur obscuritas, ex aliquo dicendi modo hebraici idiomatis proprio, sicut in præsenti materia, oportuit ad tollendam obscuritatem, inde in aliquibus locis subortam, hanc peculiarem regulam de mandante, & consulente proponere, quæ certè intelligitur, ubi is, de quo sermo est capax est mandandi, & exequendi, vel suscipiendi mandatum, aut consilium, ut omne tollatur absurdum, non ut inducatur. Ex quo fic breviter ad singula, quæ obiciuntur.

Resp. ad primum neg. suppositum, non enim diximus, *semper* (quod supponit, & impugnat obiciens) sed sæpè Sacra Scriptura tribuit aliquòd opus mandanti, ac si esset exequens. Nec insuper contra talem regulam militat objectio, non enim

A diximus, Sacra Scriptura aliquòd opus ità tribuit exequenti, ac si esset mandans; quòd impugnare videtur objectio, sed quòd aliquod opus ita tribuit mandanti, ac si esset exequens, quod locum habet dumtaxat, ubi certò scimus, eum, cui Sacra Scriptura opus tribuit, non esse executorem, & tunc hæc regula, adhuc salvat veritatem Sacræ Scripturæ; quia etiamsi videatur asserere eum esse executorem; qui revera non est, hoc provenit ex Hebræa dialecto, secundum quam de mandante ita agitur, ac si esset exequens; & contra hoc nihil facit objectio, ut patet; sed ne subtili præcisione videamur effugere difficultatem, quæ apparentia non caret.

Resp. neg. sequelam, ad probationem. Ad hoc ut verificetur, quod Deus aliquid fecit, sufficit B verificari, quòd illud mandavit, dist. ant. in illis, quæ possunt fieri ab alio, præterquam a Deo, conc. ant. in his, quæ a sola Dei potentia & virtute dependent; neg. ant. constat ex Philosophia, immò & solo lumine naturæ, creaturæ competere non posse, quod creet, ob infinitam distantiam inter ens, & nihil, quam nec superare, nec attingere potest id quòd ab alio est, nec in se habet plenitudinem entis primò participabilem, sed limitatè participatam. Si ergo ita est, cui quæso dicemus Deum demandasse, ut creet, cum in Scriptura dicitur, quòd ipse creavit? qua ratione intelligemus, eum esse mandantem rei impossibilis, & creaturæ impossibili; talis enim est creatura creatrix: si quando dicitur, in principio creavit C Deus Cælum, & terram, intelligitur ut mandans, ergo non in principio, nam ante principium creatura nulla fuit, cui id mandaret, cum sit de essentia creaturæ ut talis habuisse principium. Quod si dicas, Angelis mandavit, jam dicemus, ergo Angelus non est creatura, juxta priorem Doctrinam, & iterum sic, cum Scriptura attribuat Deo, eodem modo creationem cujusque creaturæ, eodem modo intelligi debet, quod sit Creator primi Angeli, & aliorum Angelorum, & aliarum creaturarum, si ergo dicitur Creator per mandatum, cui mandavit creationem primi Angeli? stat ergo inconcussa Doctrina hujus regulæ sic explicatæ, quòd cum de Deo agitur tamquam executore voluntatis suæ, intelligitur Deus mandans, ubi res, de qua agitur, vel opus potest a creatura ad exe-D cutionem deduci; cum verò id creatura non potest, id quòd attribuitur Deo, veram importat in ipso efficientiam, & executionem. In suum igitur nihilum Hæretici demergantur. Nec obstat, quòd additur, ex *Psalm. 148. ipse mandavit, & creata sunt.* Ea enim emphatica oratio est, ad exprimendam Divini Verbi efficaciam, quod nempe creaturæ, quæ nondum erat, mandavit, præcepit; dixit, ut esset, & statim fuit, idque est, quod quandoque mirantes dicimus, quasi definientes creationem, nempe ipsum nihil obedivit Deo, creatura videlicet, quæ non erat, ideoque nihil erat, Deo dicente, fiat, fuit; sensus siquidem Dei, dicentis, fiat; non erat quod res aliqua ab alia fieret, sed ex parte creaturæ fuit sensus immediate passivus, Deo agente: Et hunc sensum apertè

ipsa

ipsa docet Scriptura : Cum enim voluit Deus, quòd una creatura ex alia, & ab alia fieret, id planè expressit, ut cum dixit, *cap. 1. Gen. Producat terra herbam virentem &c. producant aquæ reptile &c.*, & talis productio non fuit creatio, sed eductio formæ materialis herbæ ex materia terræ, aeris, & aquæ ; per virtutem a Deo inditam terræ, quæ virtus per primam illam productionem, impressa fuit ipsis herbis, & plantis, ut generarent imposterum sibi simile, concurrente terra per generalem, seù universalem concursum, terminatum in singulis ad gradum vegetabilis, isque nunc est cursus naturæ. Res clara est, ideò non immorandum.

Ad secundum Resp. neg. seq. si enim ita esset arguendum, deberet etiam inferri ; Deus mandavit omnibus hominibus observantiam præceptorum suorum, si ergo sufficit ipsum esse mandantem, ut dicatur executor, jam tota observasio etiam futura præterita est, sicut mandatum ipsum, quæ illatio potius jocum sonat, quam consequentiam. Sed & hoc argumentum eodem morbo laborat, ac præcedens; nos dicimus aliquando, & sæpè, nunc arguens infert, semper. Nos ponimus regulam ad intelligendam Scripturam, quando ei, quem certò scimus esse tantum mandantem, tribuit opus, ac si esset exequens; nunc arguens vult ipse sine fundamento corrigere Scripturam, & attribuere opus mandanti, quod Scriptura illi non tribuit, sed potius subdito, cum agat de moralitate, quæ importat subjectionem ad legem, quam mandans, & Legislator eo ipso, quod talis est non habet ; Ubi igitur Scriptura fortè tribuat mandanti morali opus, ac si esset executor, si ille mandans sit Deus, qui est essentialiter exlex, & suprà omnem legem, quidquid, & quovis modo dicatur, non potest eodem modo intelligi de Deo, qui est supra legem ac de homine, qui est sub lege, ut evidens est, & ideò sistit in linea mandati; ne propositio destruat suum subjectum ; Si sermo sit de homine, qui est agens morale, & quamvis possit esse Legislator, & mandans, ex sua tamen propria, & communi omnibus hominibus conditione subditur legi ; illatio arguentis erit rationalis, nec aliquid sequetur inconveniens, sed regulæ nostræ conformabitur.

Resp. 2. si sano modo intelligatur sequela, verum concludere, quis enim nesciat inter verè Catholicos, Deum per modum Originis omnis boni, & adjutoris, & cooperatoris ad omne opus bonum creaturæ suæ concurrere, ita ut, & ipsa potentia ad bonum & opus, & ipsa hominis libertas (quæ cum sit libertas secunda a primo libero descendit) & ipsa applicatio potentię ad exercitium boni actus, a Deo habetur ? *Quis enim te discernit*, inquit Apostol. *quid autem habes quod non accepisti ? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis ? prima ad Chorin. cap. 4. & 2. ad Chorin. cap. 3. non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, & cap. præcedenti, Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu.* Perpetuus autem hujus veritatis defensor est Augustinus, &

A cum eo Angelicus, ac tota florentissima ejus schola, de cujus sapientia & gratia, gloriamur. Intellecta igitur in hoc sano sensu sequela, optima est, sed valdè cavendum, ne lateat venenum, ne voluntas humana a libertate, ac merito propterea denudetur, quòd abhorret Sacra Scriptura, & Ecclesia, & nos velle non possumus. Sistat quæso tota hæc tam interminata disputatio ; intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite ; satis enim totum hoc negotium composuit, & dilucidavit Isaias, *cap. 26.* dicens ; *Domine dabis pacem nobis* : at quando ? cum intelligemus sincerè, quod subdit : *omnia opera nostra, operatus es nobis Domine Deus noster*; si omnia opera nostra,

B ergo nullum opus nostrum evadit (malum enim opus non est, sed defectus operis, ut habet Augustin. in Joann.) de quo dici non debeat, *operatus es nobis Domine*; si & opera nostra, & ipse operatus, ergo ea ipso operante, nostra sunt opera, nos ea facimus, & quarè hoc ? quia operatus es nobis, non tibi, sed nobis utique operantibus eadem opera nostra, quæ ipse operaris, & ideò ea operaris nobis, & quommodo hæc stare possunt ? quia tu Dominus Deus Noster, Dominus, ideò liber; qui facit, & servat nobis libertatem, sive potentiæ, sive operis, quòd ideò nostrum est, quia ipse operando facit nostrum esse idem opus, qui fecit, & servat nos opus suum, & in eo, idest in nobis operatur, & velle, & perficere pro bona voluntate sua, faciente nostram esse,

C & nostram servante, faciendo ipse, dum facimus. Sic dabis pacem Domine Deus Noster, pacem agentibus. Pax enim, ut definit Augustinus, ordo est, isque verè ordo est, ut secundum liberum, in hoc tale sit, in quo secundum se totum, & in hoc quod potest, & in hoc quòd agit pendeat a primo : pacem disputantibus, ut qui eandem fateri debemus veritatem, eandem in veritate sentiamus, scilicet quæ tota in eo exprimitur, cum dicitur, *Domine Deus Noster*. Hæc obiter, & data occasione, nec in hac materia diffundimur, quia tritissima est ejus resolutio, cui allaborat tota ferè theologia, nec auctoritates agglomeramus, cum notissimum sit quidquid scripsit Augustinus, unicum esse hujus veritatis testimonium,

D quidquid Angelic. Doctor dictavit, hanc inspicere conclusionem, cum enim & Augustin., & Thom. consequenter semper procedant, etsi non semper hac de re disputent, ad hanc tamen veritatem semper collimant, consequens enim veritatis, est veritas, & hæc semper una.

ARTICULUS III.

De barbarismis, & minus culta eruditione quæ quandoque occurrit in Scripturis.

INfœlix sæculum! ad ea, jam descendimus tempora, quæ prędamnavit Apostolus; *2. ad Timoth: cap. 4.* dicens. *Erit enim tempus, cum sanam Doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus*, eoque ascendit audacia, ut Sacram ipsam Scripturam, si

si quandoque grammaticę regulas prętereat, sugillent, cum potius ea tantum regula dici possit, quę primę obsequitur veritati, cum dignatur Deus ad homines loqui. Hac de re jam alias nobis sermo fuit, ideò nunc breviter, quantum sufficit, ut dicendorum exigit ordo, quę Patres suggerunt, adducemus. Eruditus olim flagellis Hieronymus, didicit, in hac arbore verioris scientię non folia quęrere, sed fructus ruminare, & Ciceronianus esse desiit, ut esset Christianus; hinc ipse ad Paulinum: *Nolo* inquit, *ut offendaris in Scripturæ Sacræ simplicitate, & quasi vilitate verborum, quæ vel vitio Interpretum, vel de industria sic prolatæ sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, & in una eademque sententia aliter sentiret Doctus aliter indoctus.* Ecce igitur in omni apice Scripturæ quovis stylo, & quommodocumque procedat, semper mysteria, semper legentis utilitas splendet, & eruditio, & quidem non distinxit Petrus inter ea, quæ eleganter, & servato eruditionis, & elocutionis humanæ apice scripta sunt, & inter ea, quæ opposita via procedunt, sed *omnia*, inquit, *quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt;* Hinc & Gregor. *in præfat. ad Job*, quem alibi dedimus, ait. *Non barbarismi confusionem devito, situs, motusque præpositionum etiam, casusque servare contemno, quia indignum vehementer existimo, ut verba cælestis oraculi restringam sub regulis donati, neque etiam hæc ab ullis Interpretibus in Sacræ Scripturæ auctoritate servata sunt:* Addit verò Joan. Driedo *de translationibus Sacræ Scripturæ lib. 2. humili, simplici, & inaffectato sermone usus est Christus, usi sunt Apostoli, librorum Sacræ Scripturæ auctores, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentione spiritus, & virtutis: misit me Christus Evangelizare, ait Paul. non in sapientia sermonis, ut non evacuetur Crux Christi: Prima ad Chorin. cap. 2.*, & quidem teste Hieronymo, Paulus cum dixit, etsi imperitus sermone; sed non scientia, non tantum humilitatis, & modestiæ causa, sed verè hoc dixit, ubi distinguens scientiam, a sermone, peritiam illius, a peritia hujus non pendere satis ostendit; scientia enim veritatis, uti superior ad grammaticos apices, illos ex professo contemnit, ne inopem, & indigam tegumenti, facto calumnietur veritatem. Ita sentit Hieronym. in commenr. ad Galat. cap. 5., tractans sermonem Apostoli inferentis singularem numerum plurali, cum ait: *vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum; ne & tu tenteris*, additque idem Hieronymus; *Paulus Hebræus, & hebræis, & qui esset in vernaculo sermone doctissimus, profundos sensus aliena lingua exprimere non valebat, nec curabat magnopere de verbis, cum sensus esset in tuto.*

At Sciolorum, & levium hoc est, reprehendere, quæ non noverunt, idque dedignari, quo non sunt digni. Quæ vis, quæ eloquentia, quis ordo, quæ dicendi virtus in Sacris litteris, non resplendet? Pluribus ostendit Augustin. *lib. 4. de Doctrina Christiana*, nihil sapidius, eloquentius, & fortius, immò & ornatius inveniri posse epistolis Pauli, cæterisque pluribus Sacris libris; non enim

A ea ex profanis libris hausta sunt, sed rethoricos fontes, uti & cæteras omninò scientias, ut ex ipsa discerent universi, Sacra ab initio propinavit Scriptura. Hinc denique idem Augustinus eodem lib. quærit, *utrum auctores nostri, quorum scripta divinitus inspirata, canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes etiam sint nuncupandi*, & respond: *Quæ quidem quęstio, apud me ipsum, & apud eos, qui mecum quod dico sentiunt, facilimè solvitur. Nam ubi eos intelligo, non solum, nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse; sicut enim est eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, est & quæ senilem, nec jam dicenda est* B *eloquentia, si personæ non congruat eloquentis; ita est eloquentia, quæ viros summa auctoritate divinos decet; Ubi verò eos non intelligo, minus quidem mihi apparet, & eorum eloquentia, sed eam non dubito esse talem, qualis est, ubi intelligo; cui sanè eloquentiæ obscuritas quædam miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus tam inventione, quam exercitatione deberet &c.*, & in eodem sensu prosequitur. Ex quibus (ne diutius immorantes barbarismum admittamus brevitatis) evidens regula nascitur, quę sic proponi potest.

Cum in Sacra Scriptura, vel incultus nobis sermo videtur, vel barbarismos, aut sollecismos nobis occurrere judicamus, signum est, ea nos non percipere, quæ dicuntur; Hujus regulæ testem damus experientiam, nedum sapientissimi C Augustini; qui ut vidimus ita sincerè confessus est, sed & omnium nostrum, cum non stare possit: aliter Sacra Scriptura loqui non debuit, aliter nemo melius loqueretur, & nihilominus corrigi posset; in eo enim, in quo corrigi potest quis, certè melius loqui, aut potuit, aut debuit; Cum ergo asserere debeamus cum Augustino, eam aliter loqui non debuisse, ubi nobis aliter fortè videtur, evidens est, ea nos non percipere, quæ dicuntur; cujus rei radix est; quia res quælibet modum suum habet, quo petit sigillatim, & specialiter explicari, maximè attento fine, ad quem dicitur, & dignitate, & sapientia ejus, a quo dicitur, & indigentia illius, cui dicitur, ubi ergo hæc non intelligis, rem non assequeris, quę pro- D fertur, indeque jam vanè judicas, & irrationabiliter, eam malè proponi.

2. Confirmatur hæc regula: qui judicat errorem esse in aliqua locutione, judicat eam teneri ad aliquam dicendi legem, & ab ea deviare, ergo qui notat in Sacris libris barbarismum, vel quid simile, eo ipso judicat eam coarctari legibus grammaticorum; quibus hujuscemodi elocutio non concordat; ergo eo ipso non intelligit, a quo fit talis locutio, quod nempe est a Spiritu Santo, qui in linguis apparuit, stetitque supra singulos, quos erudivit, ut sciremus linguam ejus esse supra omne, nedum caput, sed & captum, & legem dare, non recipere linguam ignis, quæ sursum habet sphæram, non in infimis hisce, & puerilibus centrum; linguam amoris, quæ corda magis, &

opere

opere loquitur, quam ore; quæ universa componit, non componitur; Si in Sion in Pentecoste fuisset; Quale monstrum hoc miratus fuisset Philosophus, plures homines, unus homo (erat eorum cor unum, & anima una) linguas habet hic homo, sed supra caput, & hoc dixisset, quia nesciebat, quod labia talis linguæ, vel linguarum, sunt fines terræ. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Ps. 18.*, & Spiritus sic loquentium, *replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*. Ignis denique, talis lingua est, & scimus, quod ignem claudere, ac detinere intra proprios limites, terrena elementa non prævalent. Jam igitur, qui sic notat Scripturam, nescit quis in ea loquatur, multò minus igitur quid loquatur, vel quo fine, quo mysterio, qua lege, qua Sapientia; singulari enim, & individua omninò ratione hæc competunt taliter Deo, ut nulli competere similiter valeant creaturæ. Audiant ergo audaces scioli, propriæ judicium, & censuram censuræ; *Quis ex vobis arguet me de peccato* (ait Christus, *Joan. cap. 8.*) *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Sed hæc faciunt, quia non noverunt Patrem, neque me &c.*, & hæc satis in re tam evidenti; expedit tamen, ne videamur a more nostro recedentes, in sola sistere speculatione, regulam practicam invenire, ad præsentis complementum, eamque exemplis illustrare, ac dilucidare. Sit ergo.

ARTICULUS IV.

Practicam tradens regulam, ut mysterium inveniamus in Scriptura, ubi apparet barbarismus, vel grammaticalis obscuritas.

Formam tradens docendi Apostolus *ad Rom. cap. 1. Sapientibus*, inquit, *& insipientibus debitor sum*, non quod sapientes edocendi sint id, quod sciunt, sed quod hi sapientes sunt, qui suscipiunt disciplinam, quibus dicitur, *prov. cap. 8. audite disciplinam, & estote Sapientes*, sed in quo? in eo nempe, quod sequitur, *& nolite abiicere eam* His igitur, & nedum ipsis, sed & insipientibus qui scandalizantur, cum minus limato adamussim grammaticæ stylo, locum offendunt in Scriptura, debemus quidquid divino conari possumus adjuvante magisterio, quod Sancti Patres indefessè ministrant. Jam supra prædicto articulo vidimus ex Hieronymo, humilitatem dicendi, immò, & grammaticales transgressiones in Scriptura, non carere mysterio, eo saltem, ut etiam simplices indocti, sua modo instruantur, ipsaque Scriptura, sicut revera est, ita dignoscatur superior ad omnem regulam, vel docendi, vel dicendi; Nunc autem viam quærimus, qua in quolibet hujus generis textu, inveniamus, & causam, quare phrasis latina a suis regulis recedat in particulari, sive in singulis locis, & quommodo simul sensum primigenium, ideoque, & mysterium cujuscumque loci deprehendamus, ut hac via, & cesset scandalum insipientibus, & pateat sapientibus quod exquirunt. Notamus verò, ne nimium diffundamur, nos exempla allaturos, non tantum in his locis, quæ barbaram, vel a grammatica discedentem locutionem præseferunt, hæc enim pauca sunt; quantum in illis, quæ ob compendiosam, vel minus cultam locutionem, obscuram, & ambiguam habent significationem, quæ plurima sunt. Pro intelligentia igitur eorum, quæ ex minus culta latinitate generatim verum sensum abscondunt generalis regula est.

Ubi minus cultam latinitatem invenies, ex qua vel sensus verus, nimis videatur abscondi, vel æquivocatio, & ambiguitas gigni: consule peritos linguarum, ex quibus locorum occurrentium translatio in latinum facta est, vel saltem scrutare expressionem, & invenies mysterium.

Hanc regulam practicè probant Hieronymi immensi labores, indefessum studium, & pertinax diligentia, in aquirenda linguarum, ac potissimum hebraicæ peritia, ut quæ vel ab Interprete antiquiori nimium fideli, ubi lingua latina proprietatem hebraicam, cum sua puritate non sustinebat, vel quæ temporum injuria, & dolo Hæreticorum errata irrepserant, emendaret, genuino sensu originalis textus servato. Patet etiam ex Clemente V. in Concilio Viennensi, Clement. de Magistris. Ità etiam Augustin. de doctrina Christiana, & ubique indentidem, cæterique Patres, & docuerunt, & exercuerunt, ut notissimum est.

Nec refert si dicas: Concilium Tridentinum solam latinam vulgatam editionem Canonicam declaravit, sess. 4. jam sæpè citata, non decet ergò eam ad aliarum linguarum amussim corrigere in tis, quæ videntur locutionis aliquo vitio laborare; quidquid enim est præter latinam vulgatam, non est Canonicum. Sed absit; non dicimus vulgatam corrigendam esse per alias linguas, sed intelligentiam aperiendam per linguarum peritos, ut videamus, vulgatam non errare, sed ubi minus perfecta latinitas occurrit, necessarium id fuisse, ad fidelitatem, & unitatem sensus servandam, ubi diversitas linguarum pugnabit, vel saltem ut cognoscamus fidelitatem translationis, aliqui enim textus sunt, qui etiam in Hebræo, & Græco potissimum, grammaticos apices non servant, ut notat Sapientissimus Driedo *de translationibus lib. 2.*, dicens: *sunt etenim in Græco etiam sermone, quem & ipsi Evangelistæ, atque Apostoli, & ediderunt, & scripserunt, nonnulla posita præter rationem grammaticam, quemadmodum testantur viri in græcis litteris eruditissimi*: nec mirum, inquit, Augustinus, *lib. 2. de Doctrina Christiana. Consuetudo quippe vulgaris, cum barbarismo, plerumq; est utilior, quam literata sermonis integritas, sua novitate, aut perturbantis Ecclesiam, aut facientis sensum, vel ambiguum, vel minus apertum, vel minus consonum sensui expresso in primo fonte.*

Nunc ad regulæ nostræ praxim. Sed prius distinguendum; in ea sunt duæ partes. Prima quod ubi ex inculta quommodolibet latinitate, vel nimia obscuritas, vel ambiguitas emmergit, consulantur periti linguarum originalium; altera verò, quod

(idque præcipuè in barbarismis) scrutemur expressionem, & inveniemus mysterium: in hoc autem articulo expediemus secundam partem, quod brevius fieri potest, primam sequenti reservantes.

Quo circa, ut notat Driedo loco citato; *sunt per viros in arte latina eruditos nonnulli in editione latina, qua utimur, sollecismi notati, nempe primus. Math. cap. 22. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur; verbi nubo apud grammaticos certè non invenitur passivum, ut dici possit nubentur.*

Resp. cum Corn. Alap. eodem loco, græcam hanc esse expressionem, nam in græco, hoc loco dicitur, *neque ducunt uxores, neque nuptui dantur*, ideoque idem Interpres, *Luc. cap.* 20. ait, *neque traduntur ad nuptias*. Porrò communis, loci hujus intelligentia est, *non nubent*, idest viri, *neque nubentur*, idest fęminæ; fęmina enim tum reipsa passivè se habet in matrimonio, tum etiam apparenter; ob verecundiam enim, & subjectionem sibi connaturalem, non eligere sibi, & ad se vocare consuevit virum, ut ipsi nubat, sed a parentibus oblatum acceptare, & hoc totum magis exprimitur, in hoc, quod dicitur, *neque nubentur*, quam aliter; immò cum futuri essent Ariani, cæterique plures, qui sentirent, fęminas non resurrecturas, nisi in virili sexu, quod impugnat August. lib. 22. de Civitate Dei, cap. 17., ac alii Patres, necesse erat hoc loco, ubi communis asseritur resurrectio, ita loqui, ut signanter etiam fęminas secundum ipsarum individualem conditionem resurrecturas esse constaret, ad quod requirebatur passiva illa significatio, quæ solis fęminis connaturaliter adaptatur: Nec refert, quod dicendo, ut ait Lucas, *neque traduntur ad nuptias*, & evitatur barbara locutio, & idem sensus satis habetur. Resp. enim, utroque dicendi modo magis, quam altero, sensum, quem Scriptura intendit significari, ut patet, sed & comparando alterum alteri, magis exprimi quod intenditur, per hoc, quod dicatur, *neque nubentur*, nam tradi ad nuptias, est remota quædam locutio, quæ & viris competere potest, nubi verò solis fęminis, nec erat necesse, etiam Lucam hoc verbo uti, ubi semel eo usus erat Mathæus, nam eo posito per Mathæum, satis constabat, & Lucam eo se referre.

2. *Math. c. 6.* dicitur, *Nonne vos magis pluris estis illis?* ibi malè legentes, inveniunt minus grammaticam locutionem, ac si dicatur magis pluris, quod non admittunt grammatici, sed hæc cavillatio est, aut magis calumnia, non enim magis cadit supra pluris, sed super ly vos, nec est terminus comparans ly pluris, sed ly vos & ponitur pro potius, non pro pluris, ut rectè considerans deprehendet. At etiam data priori dictionum unione, cum ibi agatur de divina æstimatione, quæ tanti fecit hominem, ut Filium suum Unigenitum daret pro illo, quem prius fecerat ad imaginem, & similitudinem suam, non poterat aliter melius explicari, eam esse inexplicabilem, quam novum modum dicendi assumendo, magis pluris, ne intra communes terminos, aut rei, aut locutionis contineri posse videretur, quomodo enim, ars ministraret locutionem adaptatam rei, quam non agnovit? hæc igitur sit tamquam appendix regula, & responsio in similibus, quæ quandoque obiiciuntur. Ineffabilia videlicet esse communibus verbis, quæ communia, ac limitata non sunt Dei arcana, vulgari humanæque, aut intelligentiæ, aut arti naturaliter ignota.

3. *Math. cap.* 11. *surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:* Duo ibi opponunt, primum quod dicitur, surdi audiunt, mortui resurgunt, videntur enim propositiones impossibiles, quandiù enim de cæcis, vel surdis verificatur, quod tales sint, nec vident, nec audiunt, sicut & mortui, quandiu verificatur, quod mortui sunt, non resurgunt. Secundum est, pauperes evangelizantur, quod verbum vulgò hic sumitur activè, de Apostolis, & quasi majus miraculum asseritur, quod pauperes, qui contemnuntur, audiantur, ac ipsis credatur, & dici possit de ipsis, quod bona habeatur eorum annunciatio (hoc siquidem sonat evangelizatio) cum mundo, qui adorat aurum, prædicant paupertatem; majus inquam miraculum, quam quod, vel cæcis visus, vel surdis auditus, vel mortuis vita reddatur. Constat autem evangelizari activum, in grammatica non inveniri.

Respond. ad primum dici posse, quod alibi Christus. *Erratis nescientes Scripturas, ita enim hic dicitur, nempe surdi audiunt &c.* ut ostendatur in actu, quod ante prædixerat Isaias *cap.* 35. de adventu Christi, ut ibi citatur, *Deus ipse veniet, & salvabit nos: tunc aperientur oculi cęcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus clandus, & aperta erit lingua mutorum:* Non enim statim dicitur, surdi audiunt, sed prius ab Isaia dictum est, aures surdorum patebunt, ut intelligas, quod isti sunt, de quibus compendiosè hic concluditur, ad exprimendum miraculum: surdi audiunt, qui enim ex miraculo audiunt, quantum est ex ipsis adhuc surdi sunt, sed per miraculum, quo eis datur auditus, audiunt, sicque verum est surdi audiunt, & eodem proportionali modo, de aliis est intelligendum. Ad cujus doctrinæ claritatem recolenda sunt, quæ suo loco diximus, de unitate Sacræ Scripturæ.

Ad secundum dicimus, quod quidem admitti potest, ly evangelizantur formare sensum activum, ut putant Theophilat., & Euthym. hoc loco, sed tunc extraordinario verbo magnum exprimitur mysterium, quod grammatica non attingit, fit enim sic significatio quædam activa simul, & passiva, & erit sensus, pauperes evangelizantur, quia enim pauperes absolutè dicuntur, innuitur, quod id, a se ipsis non habent, quod dicunt, dum prædicant evangelium, juxta illud, quod ipsis ait Christus, *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, & quod dixerat de eodem spiritu, *docebit vos, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Math. cap.* 10. prædicant igitur Apostoli Evangelium, hoc activum est, sed quia id habent a Spiritu Sancto, isque in illis loquitur, quod in ipsis quamdam importat passionem, saltem negativè, hoc ideò passivum est, & utrumque mirificè in hoc exprimitur, pauperes evangelizantur.

Zz

Sed

Sed magis litteraliter procedendo, dicimus hoc verbum, ibi pronunciari passivè, ut revera sentit Hieron. Isaiæ cap. 61. Ita habetur ex Græco, & Syrus vertit, pauperibus evangelizatur, sicque magis conformatur textui Isaiæ, quem citat. *Ad annunciandum mansuetis misit me*, sive ut vertunt 72. Interpretes. *Ad evangelizandum pauperibus misit me*; est ergo sensus, pauperes evangelizantur; idest, ego prædico pauperibus evangelium, & illud ipsi suscipiunt, quod divites contemnunt, quod si ita sumptum hoc verbum minus latinum videtur abundantibus in sensu suo, satis latinum erit pauperibus, quibus potissimum prædicat Christus, qui etiam sic elegantissimè loquitur, dum auditoribus sese accommodare dignatur. Hinc sapientissimè ad propositum nostrum concludit, *& beatus, qui non fuerit scandalizatus in me*, utique nec loquente, nec operante.

4. *Matth. cap. 20. sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, hoc passivum ministrari, grammaticus non admittit.

Resp. neque grammaticalem esse hanc objectionem, docent enim grammatici, particulam aliquam, quandoque reticeri posse ad elegantiam, & laconismum, quia subintelligitur ex contextu sermonis, ut praxis communis docet, subintellige igitur; sibi, & planus, ac latinus erit textus, sicque dicetur, Filius hominis non venit sibi ministrari, sed ministrare, qui sensus cum omni claritate resultat ex contextu.

5. *Ad Galat. cap. 6. vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis: hoc ipsum considerans, ne & tu tenteris*: hoc loco, supra notavimus, fit transitus inconsonus a plurali ad singulare, & ipse Hieronymus concedit, ut jam supra vidimus, hoc esse præter rationem artis grammaticæ.

Resp. non esse transitum inconsonum, aliter descensus ab universali ad particulare, semper esset vitiosus, quod nemo aliqualiter rethoricam edoctus, audebit asserere, quin potius notabilis adpondum elucet Apostoli sensus; Locutus fuit in generali, normam præbens correctionis omnibus, spiritum lenitatis, qui est a Spiritu Sancto, ut notat eodem loco D. Thomas, & quia minus sibi applicat auditor, quod generaliter, & omnibus profertur; ut efficacior, sermo sit quoad omnes, & singulos, statim ad singulus sigillatim dirigit; applicatque, quod prius dixerat, addens peculiare motivum, scilicet, *hoc ipsum considerans, ne & tu tenteris*; idque cum insigni proprietate, nam, sicut tentatio non fit omnibus eodem modo, sed singulis juxtà proprias vires, quis accepit ad resistendum. *Non sinet vos tentari supra id, quod potestis &c.* ita etiam non est omnibus eodem modo consideranda, & timenda, sed illis magis, qui debiliores sunt, & faciliores ad lapsum, dicere ergo debuit, sicut dixit, singulariter ad unumquemque: *Hoc ipsum considerans, ne & tu tenteris*. Apparenter autem, ut quibusdam videtur, non cernitur rigorosa grammaticalis cohærentia, quia grammatica corticem litteræ dumtaxat considerat, unde incurrit periculum simile, ac Judaismus, at nobis

A quærendus est sensus, & veritas scrutanda, cui debet per se totam grammatica famulari.

ARTICULUS V.

Altera pars regulæ, quæ superest, exemplis illustratur.

Pars prior regulæ, quam nuper posuimus; quamque huic articulo reservavimus, erat, ubi minus cultam latinitatem invenies, ex qua vel sensus verus, nimis videatur abscondi, vel equivocatio, & ambiguitas gigni, consule peritos linguarum, ex quibus locorum occurrentium translatio in latinum facta est; ubi notandum, minus cultam latinitatem dici generaliter, quæ sensum præcipuum, non videtur satis in lucem B proferre, & distinguere ab aliis sensibus, qui fortè in ea apparent, sed non intenduntur; tunc enim procul dubio plurimum juvat, consulere linguarum peritos, quod & nos in præsenti, quantum præ angustia brevitatis nostræ licet præstare conamur, doctissimi Patris Alphonsi Salmeron. diligenti studio utentes, nec non & Patrum, ac diversarum versionum brevi examine, non servantes ordinem locorum, sed potius difficultatum. Plurima verò reservamus pro tractatu consequ. de proprietatibus, & phrasibus Sac. Scripturæ.

Prov. cap. 31. circulus aureus, in naribus suis, mulier pulcra, & fatua, ibi Laconismus proprius proverbiorum, locum non reliquit clarius loquendi; cæterum proprius sensus non est, circulus aureus in naribus suis; scilicet mulieris, sed suis, C stat substantivè pro immundo animali scilicet sue, cui comparatur mulier fatua, sic enim ex plerisque versionibus constat, & a Patribus usurpatur.

Sap. cap. 4. cani autem sunt sensus hominis; ibi certè a nugis fugiendum, cum agitur de canitie, ideò nec audiendi, qui dicunt ibi canem laudari, eo quod videatur rationis participium insigne sortiri, ita ut videatur habere hominis sensus, ad quod explicandum dictum sit, cani, hoc est ipsi cani, sunt dati sensus hominis, quod ineptè dicitur, & inferendo violentiam textui sapientis. Nec satisfacit, nisi explicetur, quod ait Salmeron. proleg. 13. quod nempe ly cani, est adjectivum nomen, non substantivum, cum enim canus derivetur a canitie, quæ est accidens, sumitur communiter pro adjectivo. D Sensus igitur proprius hujus loci, ex græco deprehenditur, qui legit, canities est sapientia hominibus, ita ut tamen sapientia sit subjectum, canities prædicatum, & concordat contextui, in quo insinuatur, non mensurandam annis sapientiam, sed potius è converso; ut qui est vir sensatus, etiamsi sit juvenis, decorem habeat senectutis, qui fortè sensus est Salmeronis.

Proverb. item cap. 30. formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum suum: ly formicæ sumitur in recto plurali, non in obliquo, ut ex græco habetur, sicque eleganter dictum est etiam latinè, quamvis aliter minus latinum videatur.

Psal. 104. semen Abrahæ, servi ejus, filii Jacob electi ejus, servi, & electi sumuntur in casu re-

cto a viris peritis, sicque concordat cum eo, quod ait Apostol. *non enim, qui ex Israel sunt, omnes sunt Israelitæ, sed qui fideles, ii sunt semen Abrahæ*, quod explicat Augustini in orat. contra Judęos.

Psalm. 77. generatio; quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo Spiritus ejus, minus latinum videtur, & sensum præsefert ambiguum; consule peritum linguarum; Hieronym. ipse vertit, simul, & explicat; *& non credidit Deo spiritus ejus*, & concordat caldæa versio. *dicens: non fuit fidelis in Deum Spiritus ejus.*

Psal. 18. si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero; ly mei ab aliquibus accipitur in plurali concorditer ad verbum plurale, quod sequitur, scilicet, non fuerint dominati; quod ab insigni verbi Dei præcone, aliquando concionante coram Sacra curia in prædicto sensu prolatum fuit, cum applausu, admiratione, æque ac invidia plurimorum, ut in nostris cronicis Italiæ habemus; Sed P. Salmer. hunc sensum abiicit, eo quod græca lectio dicat, *si mihi non dominentur*, & hebræa pariter, *si in me non fuerint dominati*, quod refertur ad id, quod præcedit, *ab alienis parce servo tuo*, quæ intelligentia valdè obscurat utrumque versum: ait enim: *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*, quod planè intelligitur de delictis occultis, a quibus specialiter petimus emundari, quia penitere de occulto, de ignoto vix possumus, & sequitur, *& ab alienis parce servo tuo*, quod emistichion, si intelligatur de alienis dominis, ut vult Salme. fit sensus nimium distans, & inconsequens, ut quisque videt, nec apparet quommodo rigorosè verificetur; *parce*, nisi sermo sit de delicto; Intelligamus ergo sicut Hebræa, & græca lectio docet; explicante Augustino, hunc locum, dum sic ait, *si mei non fuerint dominata occulta mea, & delicta aliena, tunc immaculatus ero; delicta*, inquit, *mea inquinant me, delicta aliena affligunt me, ab his munda me, ab illis parce. Tolle mihi ex corde malam cogitationem, repelle a me malum suasorem*, &c. sic Augustin. sic communiter Patres.

Psal. 109. dicitur: *Tecum principium in die virtutis tuæ*: principium sumunt vulgo grammatici, pro initio temporis, at hoc loco repugnat hæc intelligentia; si enim subditur, *ante Luciferum genui te*, jam explicatur æternitas, cujus exordium nullum est, ait Augustin. Lucifer enim ponitur pro omnibus syderibus, porrò sydera posita sunt in signa, in dies & annos, genitus ergo ante Luciferum, est genitus ante tempora; quommodo ergo tecum principium? Hebræi, eadem hic dictione scribunt; tecum principium, quo illud Isaiæ cap. 9. *factus est principatus super humerum ejus*, rectè igitur, hic pro principio intelligemus principatum, cohærenter ad id, quod præcedit: *dominare in medio inimicorum tuorum*. Sed melius etiam Augustin. peritissimus græcæ lectionis, pro principio id accipit, a quo est alius; Sic ergo de divina nativitate Christi, id intelligit, cujus principium Pater. Tecum ergo principium ab æterno, idest Pater & ipse æternus, generans in æternum, in die æternitatis. Quod si tunc cum eo principium, in die virtutis suæ, ergo & tunc cum eo in die virtutis suæ, Virginis Immaculatæ Maternitas; & ipsa enim est principium ejus, quia verè Mater Dei, a qua ipse Filius Dei, ideò semper electa, semper Immaculata, semper cum Filio suo, semper Filii sui, semper Sanctissima, & splendentissima, quam tenebræ nusquam, numquam comprehenderunt, quia secum in die virtutis Dei, in splendoribus Sanctorum, ac propterea Christus hunc locum de se ipso allegavit: *Matth. cap.* 21. usque ad illud, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Psal. 9. Inimici defecerunt frameæ in finem: Scandalizantur aliqui, ac si inimici veritatis, cum in finem damnantur, deficiant pœnæ, hoc est non puniantur in æternum, quod hæresim sapit Origenis; sensus ergo ex hebræo talis est, frameæ arma, iræ, inimici, evanescunt in finem, scilicet in morte, est enim ibi vox insultantis, & frameæ est casus rectus, Inimici obliquus singularis.

Psal. 126. cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris, mirum est, quam variè id accipiatur a pluribus, qui abundant in sensu suo: Ex Caldæo habes sensum litteralem materialem; sic enim legit: ecce hæreditas Domini Filii recti, præmium operum, nati fructus, quia nempe Judæi carnales, terrena præmia magni faciebant, hic promittitur bene operantibus merces, scilicet fecunditas bonæ prolis, quæ datur a Domino ad hæreditatem, melius tamen respiciendo ad Christum, ad quem semper tendit totum vetus Testamentum, sensus proprius, cui nulla littera contradicit, is est, cum dederit dilectis suis somnum, scilicet, cum morientur electi, ecce hæreditas Filii Domini, cui dixit Pater: *Psal. 2. dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, & quæ est hæc hæreditas? nempe redemptio, visio beata, de qua Joannes, *hæc est vita æterna, ut cognoscant te*, & August. *visio est tota merces*; merces fructus ventris, scilicet Christi, qui est benedictus fructus ventris Immaculatæ Virginis. Optimè Augustin. hoc loco, sed mysticè, de filiis Ecclesiæ, redit tamen in eundem sensum, quem modo dedimus.

Psal. 138. non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto; an os oris, an os ossis vix discernitur, docet tamen Hieronym. ex hebræo vertens: *non sunt occultata a te ossa mea, quibus a te factus sum in absconditis*, loquitur autem non cum osse, sed cum Deo.

Psal. 118. Inclinavi cor meum ad justificationes tuas in æternum propter retributionem: Hunc versum hæretici (quia agit de merito, quod ipsi impugnant ex errore, & invidia) arguunt, ut malè translatum; sed sine ratione, quia in omni lingua eundem sensum servat, ut ergo eos reiiciamus, consulendi sunt periti linguarum; alii verò mirantur, ac si Propheta servaret mandata, ob retributionem terrenam, non enim ibi aliquid additur retributioni, & populus ille *ad terrena bona* respiciebat, sed occurrit Hieronym. vertens

ex

et hebræo, *propter æternam retributionem*, & quamvis id non adderet; retributio posita per se, stat pro principali, quæ æterna est, ideoque cum de illa retributione loquitur, quæ tamen terrena non est, sed interna, & spiritualis in hac vita, addit aliquid, per quod qualis sit peculiaris retributio intelligi possit, *Psal.* 18. agens de mandatis, addensque de iisdem, *in custodiendis illis retributio multa*, ob suavitatem nempe, & quietem, qua fruitur animus in operatione virtutis, quæ sibi ipsi insigne præmium est.

Plura etiam occurrunt in novo Testamento similia; nobis sicut in veteri, ita & in novo sufficiet aliqua prælibare. Pluries reperimus, in quatuor Evangeliis, Christum, se ipsum appellantem *Filium hominis*, quod ubique verum est, sed quia plures habere potest optimos sensus, si quæras sensum magis directum & litteralem, consule græcos, & invenies, ly hominis, expressum cum articulo masculino, sicut etiam cum eodem nomine interpellatur Ezechiel, cap. 2. & sæpe, & Daniel, per quem articulum innuitur significare Filium Adæ, hoc est hominem ignotum, humilem, & obscurum, in quo nihil clarum, & nobile est, nisi esse hominem. Nec tamen excludi debet alius sensus, secundum quem Christus specialiter dicitur Filius hominis, ad distinctionem aliorum, qui sunt filii hominum, idest maris, & feminæ, ipse verò Filius Virginis tantum, secundum quem sensum non excluditur, quod sit Filius Adæ; nam etsi Filius humilimę Virginis, per eam tamen, sicut est Filius David, ita est etiam Filius Adæ, & quamvis attento articulo, verus sit primus sensus, tamen attento casu, verus etiam est secundus: Prophetę autem sic dicti sunt, in figura, Christus in veritate, & secundum personam cui applicatur, etiam secundum grammaticos intelligitur adjectum. Pulcrè, & subtiliter Hilarius hac de re, in cap. 16. Matth. ad illud Christi ad Petrum, quem dicunt homines esse Filium hominis? sed nos brevitas urget.

Roman. cap. 12. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, & prius *Roman. cap.* 5. *nam pro bono forsitan, quis audeat mori?* & *Matth. cap.* 6. *libera nos a malo*. *Item Isai. cap.* 5. *Veh qui dicitis bonum malum, & malum bonum*, & alibi sępe, quibus in locis latet, an bonum, & malum sumatur substantivè, an adjectivè. Sed in locis Apostoli clarum est, quod sumitur adjectivè, pro persona scilicet bona, vel mala, ut patet ex contextu, addit enim: *commendat autem charitatem suam Deus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus pro nobis Christus mortuus est*; ad illud *Matth. cap.* 6. Tertullianus, & Chrisostom. ex gręco legunt adjectivè, hoc est, *libera nos a malo Dæmone*: alii substantivè, hoc est ab omni genere mali, melius verò ex contextu, quia dicitur, *& ne nos inducas in tentationem*, accipitur, pro Dæmone tentatore, vel a malo morali. Locum Isaię Augustin. legit ex gręco, *væ iis, qui dicunt, quod bonum est malum, & quod malum est bonum*. Ex Aquila Hieronymus aliter: *veh qui dicitis malo bonus, & bono, malus est*, melius Augustin. ex

A contextu, qui semper debet attendi. Ubi notandum, quod ubi consultis peritis linguarum, & etiam attento contextu, adhuc non discernitur, attendenda est regula Augustini, de qua nos superius, scilicet eligenda est illa intelligentia, quę magis conducit ad regnum charitatis.

Joa. cap. 21. Christus ad Petrum. *Diligis me plus his?* quis discernat an sensus sit, plus his, hoc est plusquam istos, an plusquam isti, in omni enim lingua eadem est difficultas, sed contextus planè indicat secundum sensum, qui etiam magis accedit ad regnum charitatis. Eadem difficultas est, *pr. Chorin. cap.* 1. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus &c.* sed explicat Augustin. qui ex greco hunc locum passim legit, *sapientius est, quam homines*.

B Nomen virtutis etiam in Scriptura bifariam usurpatur, nunc pro robore, & fortitudine, nunc pro virtute morali. Sed de hoc alias dicendum erit, pro nunc ad contextus considerationem remittimus lectorem, ubi peritia linguarum non sufficit.

CAPUT III.

Agens de regulis intelligendi, & defendendi Sacram Scripturam.

C DEscribens, seu quasi definiens se ipsum in Scriptura, indefinibilis spiritus sapientiæ *Sap. cap.* 7. quippequę, & ipsa est Sacra Scriptura, inquit, *est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, certus, suavis, acutus, quem nihil vetat, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, intelligibilis, mundus, subtilis*, frustra ergo, cum sit intelligibilis, & certus, omnemque habens potentiam, & virtutem spiritus ejus, regulas, & eam intelligendi, & defendendi scrutamur. Ita quidem quantum est in ipsa; at non ita quantum est in nobis: fulget Meridies, at noctua non videt; *Solis vitium non est*, inquit Augustin. *sed cæcitatis*; In se ipso infinitè intelligibilis est Deus, at Deum nemo vidit umquam. Obtenebratur materia acies mentis, & D contumulata peccato ingemiscit. Quærimus ergo, & quo intelligamus, intelligibilem sapientiæ spiritum, a quo nos jam abscondimus nos ipsos cum Adamo; & quo defendamus certam, & invincibilem veritatem, quam cum eodem superbè impugnavimus. Hoc generale munus est regularum, & quas tradidimus, & quas trademus: harum tamen, quas nunc aggredimur, speciale. Eas reducimus ad quasdam quasi theses, seu principia, eisque veluti principiis utendum, ut cum singulis, & omnibus, sensum aliquem, sive interpretationem adversari, prospexeris, despicias, easque velut clypeum impugnantibus impertransibile; fidelis opponas.

ARTICULUS I.

Sintne omnia, quæ in Sacra Scriptura dicuntur, necessaria.

NEcessarium hic sumimus, non in strictiori significatione, sed prout opponitur superfluo, quòd idem est, nec sua caret difficultate, ubi vel synonima quædam apparent, vel manifestæ repetitiones occurrunt, vel finis latet sapientiæ loquentis. Hoc posito, & regula fit, & conclusio. In Sacra Scriptura nihil est superfluum. Probatio sole clarior, est ipsa Scriptura: si enim ad nihil aliud deservirent ea, quæ in ipsa videntur superfluere, nisi adhoc, ut ex illis argueremus nihil ex necessariis certè deesse, ubi adeò liberalis elucet, divinæ ministratio locutionis, ut etiam quæ necessaria non videntur effundat, jam revera non superfluerent.

Confirmatur: hóc satis est, ne aliquid dicatur superfluum in Scriptura, quod in ea dignetur Dominus loqui ad servos suos: non petiit Sponsus a Sponsa, ut ei aliquid determinatum loqueretur, sed (quod satis illi erat pretiosum) ut loqui dignaretur. *Sonet*, inquit, *cantic. cap.* 2. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Porrò vel vetus Testamentum inspiciamus, vel novum, certè utrobique loquitur Deus, locutione propria speciali, immediata in linea formalis locutionis, ut supra diffusè ostendimus, agentes de causa efficiente Sacræ Scripturæ, idque confirmat Apostol. *ad Hebr. cap.* 1. *multifariè, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis* (quod est vetus Testamentum) *novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*, quod est novum. Quid ergo æstimabilius, quam quod dignetur Dominus loqui, & in signum familiaritatis, ea etiam addere, quæ in se præcisè considerata fortè levia, vel iterata videntur? si ita præstat, ut ad amorem alliciat, quæ major causa quæratur, ne quæ dicuntur, superfluitate laborent. Adde & gloriam singularem Ecclesiæ, quæ in hoc elucet, de qua Sacer Psaltes laudabat Dominum, *Psal.* 147. *qui emmittit eloquium suum terræ*: in quo præcisè considerat, quod Deus nobis loquatur; additque, *qui annunciat Verbum suum Jacob*, postque distinguit, quæ loquitur, dicens, *justitias, & judicia sua Israel*: & concludit, *non fecit taliter omni nationi*; quidquid ergo dicat, dummodo dicat Deus, semper utile nobis, honestum ac delectabile, omni bono, omne afferens bonum, etiam quoad id, quod alias, & ab alio dictum, vel superflua esset, vel indifferens ennunciatio. Quis ergò calumniari audeat Verbum Dei, in eo, quod ad humana descendens hominibusque indulgens, divinis humana addere, vel immiscere dignetur, ac si liberalitas, & benignitas, vel superfluitas, vel nugacitas esset.

Prob. 2. Deus auctor est naturæ, auctor & gratiæ, naturam per supernaturalia elevans dona, ut eam approximet sibi. Si ergo hoc indidit naturæ, ut abhorreat superflua, ne divertatur per abvia, dum ad Deum tendit per compendiosa; unde ada-

A gium est: natura abhorret superflua, quantò magis hoc indidit gratiæ, & quidem essentialiter, si enim gratia est, ergo non superfluit. Porrò gratiæ prodigium est, quod Deus nobis dignetur loqui in Scripturis, nihil ergo in illis superfluum possumus imaginari.

3. Prob. & quidem fortissimè. *Ad Roman. cap.* 15. *quæcumque scripta sunt* (loquitur de Sacra Scriptura ut patet ex contextu). *ad nostram doctrinam scripta sunt*; vel ergo illud, quod accusas tamquam superfluum, scriptum est in eadem Scriptura, simul cum his, quæ necessaria dicis, & utilia, ab eodem specialissimo Sacræ Scripturæ auctore, vel aliunde descendens, aut intrusum: Si primum quod
B planè certissimum est, & innegabile secundum Fidem, dum agimus de Scriptura canonica, ergo etiam ea, quæ accusas, omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, ergo non superfluunt, cum habeant proprium finem, ad docendum conscripta a Deo; quod si in eis doctrinam non invenis, ignorantiam accusa, non Scripturam: postula ab eo sapientiam, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Secundum omninò falsum est, tum quia ea, quæ videntur superflua, contextum, qui maximè semper attendi debet, cum necessariis unum formant, tum quia partes sunt, vel partium partes Scripturæ Canonicæ, quas ex Tridentini decreto (sæpius dato) cum omnibus suis partibus tenemur amplecti. Tum denique, quia si (prout sæpius evenit in repetitionibus, quas potissimum aliqui impugnant, ut superfluas) quod absolutè pro-
C fertur, idem est, vel quoad verba, vel quoad sensum cum eo, quod repetitur, ergo eandem, & doctrinam includit, & veritatem, cum ipso, ergo si admittis; quod absolutè prolatum est, tibi contradicis, ejusdem non admittens repetitionem. Cum ergo aliquid in Scriptura occurrit, quod vel ad rem non videtur, vel quia replicatum, ideò frustraneum; certò scias tale non esse sapienter legenti, sed apparere negligenti. Jure meritò Sophocles apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum. Deum brevem Magistrum appellat. Pulcrè David, *Psal.* 61. *semel* inquit, *locutus est Deus*, & nihilominus addit: *duo hæc audivi*, ut intelligamus totam Scripturam unicam Dei esse sententiam, & quamvis plura similia, vel repetita in ea occurrant, hoc non
D obstare, quin *semel locutus sit Deus*, sic enim nostra indiget hebetudo, a qua divina locutio in se, & in loquente, nec mensuram sortitur, nec unitatem.

Ultima probatio, præter eas, quæ huc tendunt, & habentur supra de unitate Sacræ Scripturæ, & in toto hoc opusculo, erit responsio ad objecta, juxta mentem Patrum, quod statim exhibemus.

At quia dupliciter intelligi potest, nihil esse superfluum in Sacra Scriptura, primo quoad expressionem, seu verba. Secundo quoad res & sententias, ad quod utrumque, & regula, & conclusio, & probationes ejus se extendunt, dupliciterque propterea procedere potest obiiciens; ne confundatur doctrina, in præsenti articulo breviter, quæ primæ parti opponuntur solvemus, ea, quæ

secundæ

secundæ obviant, sequenti articulo reservantes.

Primò oppones, quod initio capitis adducebamus, quamvis ad aliud propositum, *cap. 7. libri Sapientiæ*, ubi sic de ipsa Sapientia dicitur: *est enim in illa, spiritus intelligentiæ Sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens*: & iterum, *humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis &c.* ubi ut clarum est bis ponitur, *subtilis*, bis etiam *certus*, immò, & mobilitas replicatur, & mundicia, nam prosequitur, *omnibus enim mobilibus, mobilior est sapientia, attingit autem ubique propter suam munditiam*, & quod magis notabile est, plura ex his, quæ adjiciuntur, æquipollent, nec aliqua ibi est, aut emphasis, aut affectus, ad quorum expressionem, necessaria sit repetitio, ergo frustra eadem, positivo discursu replicantur encomia.

Respon. pro se ipsò textus; si enim Spiritus, quem commendat, est unicus, & multiplex, explicari debebat per elogium, quod esset unum simul, & multiplex, ut prædicatum, & modus ipse orationis conformaretur subjecto. Qui planè sensus fuit Apostoli *ad Chorin. cap. 11.* ubi ait: *divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, postque ennarrat diversa dona, seù gratias, quæ ab ipso proveniunt, & concludit, *hæc autem omnia largitur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis &c.* si enim consideremus diversa attributa, per quæ efficacitas Spiritus Sancti hic describitur, eam diversitatem, ex diversis ejusdem effectibus, & largitionibus desumi cognoscemus, semperque replicandum erit, *unus autem Spiritus*, & quia aliqui ex illis effectibus invicem assimilantur, similibus pariter nominibus exprimi debent, & effectus, & attributa, quibus ipsi correspondent; quæ advertentia fugit eos, qui materialiter legunt, sed ad clariorem hujus rei notitiam, recolendum est, quod alibi frequenter, ex August., Hieronym., Ambros., cæterisque Patribus communiter, notavimus, & in praxi constat, nempe Sacram Scripturam consuevisse, quod aliquando dicit, per consequentia, vel circumstantia esplicare, quæ est celebris regula contextus, contra quam nemo disputat: ad id ergo, quod opponitur, dicimus, bis in hoc textu, absque figura poni, ly *subtilis*, & etiam ly *certus*, sed per circumstantia patet, diversimodè sumi, subtilem, & respectivè certum, in uno loco, ac in alio: subtilis enim primo loco dicitur, ut explicetur ly unicus, & multiplex assignando rationem multiplicitatis, subtilitatem, quia enim adeò subtilis est, ut in omnia simul se se insinuet unus, & idem, ideò dicitur unicus; & multiplex. At secundo loco subtilis dicitur, in linea intelligendi, ideò dicitur intelligibilis, mundus subtilis, assignando munditiem, & puritatem infinitam ab omni materia, tamquam rationem a priori infinitæ intelligibilitatis, & intelligentiæ, quæ subtiliter, & comprehensivo nomine vocatur subtilitas: Ita etiam certus, primo loco ponitur pro infallibilitate cognitionis, ex

A qua oritur suavitas operationis; qui enim infallibiliter cognoscit, absque omni dubietate, aut periculo nescientiæ, dulciter, & connaturaliter, ideoquè suaviter, quod idem est, ac sua sponte, operatur, ideò dicit certus suavis, amans bonum: Secundo loco ponitur pro vigore omnipotentis virtutis, cui nemo resistit, aut resistere potest, ideo dicit, certus, securus, omnem habens virtutem. Mobilitas autem, & munditia, replicari videtur, sed revera primo loco ponitur; secundo verò explicatur, ut apertissimè constat: Equipollentia autem illa apparens attributorum, formalis non est; sed materialis, & identitas, quæ apparet est expressio unitatis Spiritus; cui illa conveniunt, ut ex Apostolo dicebamus, ex quibus jam patet, eam, quæ superfluitas videtur in

B Sacra Scriptura, abundantiam esse mysteriorum, ac sapientissimæ veritatis: Sed & advertere placet, ut etiam secundò respondeas, ea ut plurimum, quæ repetita videntur, consulendo peritos linguarum, & varietatem translationum, quæ non sunt reprobatę, quommodo sensum diversum invicem efforment posse discerni; Ea porrò, quæ hactenus tradidimus, non ex proprio marte (ne detrimentum patiatur veritas) sed ex puro fonte Patrum, Augus., Ambrosii, Ricardi, Bernardi, Petri Damiani, aliorumque, quorum dicta, ex parte refert hoc loco Cornel. Alap. hausta propinamus, integras, & prolixas eorundem sententias brevitati donantes.

2. Oppones; *Job. cap. 33.* habetur, *semel, loquitur Deus, & idipsum secundò non repetit*, ergo cum

C in Sacra Scriptura apertas offendimus repetitiones, illæ utique non erunt divina locutio, sed quid illi superfluè adjectum.

Resp. 1. retorquendo argumentum: Semel &c., & idipsum 2. non repetit, ergo cum invenimus aliquod repetitum, illud non erit idipsum, quod primò locutus est, sed alium sensum, vel figuram superaddet, vel explicationem, vel determinationem, & complementum prioris locutionis, & hęc instantia, in eo vim aquirit, quod supponere debemus ex Tridentino, & totam Sacram Scripturam, & quamlibet ejus partem, esse verè Canonicam, ac propterea objectio de hoc dubitans, falsum supponit.

2. Resp. cap. 33. Job non continere directam

D locutionem Spiritus Sancti, sed exprobrationem, qua Eliù amicus Job, ipsi insultabat, quæ ad Sacram Scripturam spectat, ut quid relatum, & tota ejus veritas est, quod Eliù sic dixit, sicut & cum *Psal. 13.* dicitur, *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, ly *non est Deus*, aliam veritatem non habet, nisi quod verum est, impium, Athæum disisse in corde suo. Non est Deus, ideoque es verbis illis directè sumptis, nullum potest sumi argumentum, sicut alias conclusum reliquimus. Prima tamen responsio, punctum magis attingit.

3. Directè contra regulam, & thæsim sic. *Psal. 6. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit*; Vel prima, vel secunda pars versus superfluit, cum equipolleant.

Respon.

Respon. Augustinus, ea quæ hactenus diximus, confirmans: *crebrò ejusdem sententiæ repetitio, non quasi narrantis necessitatem, sed affectum exultantis ostendit, sic enim loqui, gaudentes solent, ut non semel sufficiat id enunciare, de quo gaudent.* Pulcrè autem Incognitus hoc loco; *nota, quod differentia est inter deprecationem, & orationem: nam deprecatio est assidua postulatio, quæ non solum Deo, sed etiam hominibus offertur, sed oracio est postulatio puræ mentis, quæ soli Deo offertur, & sic deprecari possumus Deum & orare; homines autem deprecari possumus, sed non orare: vel aliter, & magis ad propositum; differentia est inter deprecationem, & orationem, quia deprecatio est pro malis ammovendis, sed oratio pro bonis habendis, & sic cum postulamus peccata dimitti, Deum deprecamur, cum verò postulamus, gratiam nobis conferri, Deum oramus;* prosequitur ponens priorem Augustini sensum, & concludit: *hoc pœnitentibus datur exemplum, fiducialiter petendi, quia exaudiuntur a Deo, quia lacrymæ penitentiæ in gaudium terminantur, ideò a lacrymis incipit dicens, lavabo per singulas noctes lectum meum &c. & in gaudium finit, dicens, exaudivit Dominus deprecationem meam, & sic fit in omnibus Psalmis pœnitentialibus.*

Resp. 2. mysterium aliud etiam in hac replicatione reperiri; respicit enim ad illud *Matth. cap.* 7., & alibi sæpè. *Quærite, & invenietis, petite, & accipietis, pulsate &c.* ideoque, ut sciamus semper replicandam esse orationem, orationis replicat expressionem. Hæc autem aliquantulum extendimus, ne dum repetitionem tractamus, eadem sæpius repetamus: frequenter enim in Scriptura occurrit, replicatio, ubi sermo est de oratione.

4. Oppones *Lucæ cap.* 13. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & Lucæ cap.* 22. *Simon, Simon, ecce Sathan expetivit vos, ut cribraret* &c. idem utrobique sine repetitione poterat significari, ergo superfluit.

Resp. idem quidem materialiter poterat sine replicatione significari, sed non idem affectus, quem intendebat exprimere: Ideò ad priorem locum Theophilact. *duplicatione nominis ostendit amorem, quem erga illos habebat Dominus; quemadmodum enim amator quis, ab amica contemptus, ita revocat Christus adulteram Synagogam &c.*, adde, sic duritiam cordis eorum describit, quia cum surdos, vel duros aure interpellamus, non sufficit semel eos vocare, unde Stephan. ad eosdem Judæos *actorum cap.* 7. *duræ cervice, & in circumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ad secundum locum Euthim. *Psal.* 59. *duplicatio vocativi, aut demonstratio est miserationis, aut diligentis signum vocationis.* Adde, quod ea, quæ replicantur, magis memoriæ imprimuntur, & figurata repetitio majorem excitat attentionem.

5. Inutile videtur, quòd *Psal.* 46. quater replicatur: *Psallite*: Psallere enim semper idem significat nec tali loco videtur ulla diversitas; immò si ad effectum exprimendum necessaria videbatur repetitio, satis erat bis replicare, non quater.

Resp. Bernard. apud Incognitum eodem loco, assignans rationem, & significationem quadruplicis

A repetitionis. *Reverentiam inquit, Christo offerre debemus quadruplicitèr, postulatione, obsecratione, oratione, & gratiarum actione, quæ quatuor per psallere significantur. Postulatio est ab obtinenda bona vitæ hujus: obsecratio est, in bonis spiritualibus instantia: oratio est hominis Deo adhærentis affectio; gratiarum actio est in intellectu, & voluntate, ex cognitione gratiæ irreflexa ad Deum intentio, & ità hoc loco, ad quater psallendum monemur.*

Est etiam notandum, quod Psal. ille est de Ascensione Domini, ut ibi innuitur, *ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ*, pro qua insolita lętitia, ac triumpho, necessariò insolita ac inusitata esse debuit jubilationis replicatio; quæ cum eximia, & inexplicabilis esse significatur, per ter, & quater exprimitur, juxta illud

B poetę, ò terque, quaterque beati.

Addendum etiam, quod licet eadem ejusdem verbi semper sit significatio, multiplex tamen est titulus, dicitur enim psallite Deo, quia Deus, psallite Deo nostro, idest Deo, quia noster, psallite Regi, scilicet quia Rex; Regi nostro psallitè, quia scilicet Rex noster est, & hęc omnia denique unit, & admonet ne hac in re ad insipientiam declinemus, dicens: *quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.*

6. *Isaiæ cap.* 40. *Consolamini, consolamini popule meus, & Ezechiel cap.* 21., *iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam:* Inanis videtur repetitio.

Resp. sermonis vehementiam, sic figuraliter ex-

C primi consuevisse, & ità sentiunt in similibus communiter Doctores; insuper quoad primum, textus indicat sensum illius repetitionis, nam sequitur post pauca: *suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*, scilicet remissionem peccatorum, & gratiam, pluraque simul bona, nempe Redemptorem, & Salvatorem, ac glorificatorem, quem eo loco pręnunçiat: Quoad secundum pariter, textus se explicat, nam superius eodem capite & duplicatur gladius, & triplicatur gladius interfectorum; *hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos faciet*; ubi notandum etiam, quod alibi dicitur: *iniquitates suæ rapiunt impium, vel interficiunt*; ideò autem triplicatur, quia tria sunt omnia, & ita significat universale excidium, quod minatur, quia verò duo, seu

D bis, est numerus ęqualis; ideò ponitur in priori loco; consolatio enim quam ibi annunciat, completa est, & justitiam continet &c. Ubi igitur occurrit repetitio, mysterium continet plerumque, vel non potest dici repetitio, aut ęquipollentia, quia termini illi eo loco diversam nutriunt significationem, sicut cum dicitur, *Psal.* 65. *lætentur, & exultent gentes:* videtur idem lętari, & exultare, sed revera diversa est significatio, nam lętitia propriè est intus, exultatio verò extra, est quasi extra saltatio, ut advertit N. Incognitus.

7. *Præcitato, Psal.* 66. *benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus &c.* Duplicatur benedictio, & triplicatur ly Deus, in quo non apparet proportio, immò nuda videtur repetitio, in fine revertens ad initium.

Resp.

Resp. idem Incognit. *in isto versiculo, ter Deus ponitur ad exprimendum tres esse in divinitate personas, ut ly Deus primo referatur ad Patrem, secundo referatur ad Filium, tertio ad Spiritum Sanctum. Cum autem ad Filium pervenit, cum vocat Deum nostrum: Deus noster, scilicet Frater per humanitatem assumptam, & sicut notat Trinitatem Personarum in illa triplicatione, sic & essentiæ unitatem, ponendo verbum singulare scilicet benedicat, & pronomen singulare scilicet eum, subdens & metuant eum &c.* Additque idem Doctor, quod hic Psalmus adjungitur sub una conclusione illi, qui tertio loco in laudibus decantatur, quia in hoc Psalmo, benedictio Trinitatis imploratur, cujus una eademque sine diversitate est essentia. In Psalmo illo sitis, & ariditas vitæ præsentis exprimitur, in isto verò divinæ imploratio benedictionis, ad sitim reficiendam postulatur, ideò isti duo Psalmi conjuntim cantantur.

A

Vide igitur, quam grande mysterium innuat ea, quæ superflua videtur repetitio. Sic patet ad instantiam, & addendum, benedictionem quidem tantum duplicari materialiter, sed formaliter triplicatur, in hoc enim quod dicit Deus noster commemorat Incarnationem Verbi, quæ ex se summa fuit benedictio, & inexplicabile beneficium. Maxima igitur proportio est, & in fine revertens ad initium, unitatem, & æqualitatem exprimit Trinitatis &c.

B

8. *Psal.* 141. *Voce mea, inquit ad Dominum clamavi*; superfluum videtur, quod dicit se voce clamare, ipse enim clamor, vocem importat; & certè, qui clamat, voce clamat.

Resp. D. Basil. *duplex est clamor ad Deum, scilicet mentis, & vocis. Ille primus patet Exodi cap.* 14. *ubi Dominus Moysi tacenti dixit, quid clamas ad me? & Psal.* 118. *clamavi in toto corde meo. Secundus verò patet toto Psalmorum libro, & maximè hoc loco.* Resp. 2. Augustinus ad eundem Psalmum, *fortè non frustrà additum est voce mea, multi enim clamant ad Dominum non voce sua, sed voce corporis sui. Homo ergo interior, voce sua, non strepitu labiorum clamat ad Dominum; non enim ubi homo audit, ibi Deus audit; cogitatio tua clamor est ad Dominum &c.*

Et quia quod in eodem versu sequitur, videri poterat imperitis Scripturarum, superfluere, addidit enim, *voce mea, ad Dominum, deprecatus sum:* idem Augustin. præveniens objectionem prosequitur, *quod dicit clamavi, exposuit dicens, deprecatus sum, clamant enim ad Dominum, ecqui blasphemant. In prima ergo parte clamorem posuit, in secunda exposuit, quod dicat, clamor meus, deprecatio mea, non convicium, non murmur, non blasphemia, nempe sic ait, eo fortè respiciens, quòd & sanguis Abel clamavit ad Dominum de terra &c. Gen. cap.* 4.

ARTICULUS II.

Eandem regulam defendens quoad res, & sententias.

Probavimus articulo precedenti, nihil esse superfluum in Sacra Scriptura, attenta quacumque verborum repetitione, & hanc thesim ab objectis purgavimus, non quidem omnibus, hoc enim opus esset immensum, sed quantum sufficit, ut ex doctrina ibi tradita ab omnibus & singulis, quæ possent opponi, studiosus facilè se expediat, eo maximè fisus, quod non solum ratione, & auctoritate satis munita sit regula, sed quod oppositum ejus blasphemia est, sic enim Basilius, *hom.* 10. *In examer. Ingens,* inqu. *blasphemia est dicere, verbum aliquod in Scripturis redundare,* isque communis est sensus Patrum, cum Divo Hieronymo, in epist. ad Ephes. quod generaliter etiam, quoad sententias, & res ipsas, quæ in eis continentur, confirmat Chrisostom. *hom.* 28. *in Gen.* ubi ait: *ne putetis aliquid absque causa fuisse adjectum: nihil enim omninò in divina Scriptura continetur, quod non aliqua ratione dictum sit, & latentem habeat in se utilitatem.* Probata igitur utraque parte regulæ, communes siquidem utriusque sunt probationes, primaque defensa, restat nunc, quæ secundæ opponuntur resolvere, in quo major apparet difficultas.

Primò igitur obiicies: Apost. *prima ad Timoth. cap.* 1. ait, *ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstionem præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.* Damnat ergo Apostol. & omninò reiicit, ut superfluas, & fidei nocivas hujusmodi genealogias, & similia, & tamen genealogias, seu cathalogos generationum, pluribus in locis, tum veteris, cum novi Testamenti reperimus; ut puta, in Genesis, & Numerorum libris, ac primis 9. capitibus primi Paralipom., & in quator Evangeliis, immo cum in ipsis non videantur satis uniformes genealogiæ Christi, plurimæ ortæ sunt, & in dies oriuntur quæstiones, nec apparet, quid ædificationis inde elici possit.

C

Nec tantum in genealogiis detinetur, verum & fabulis utitur Scriptura, nam præter illa, quæ narrat de Gigantibus, in lib. Genesis, quæ videntur fabulosa; & alia, etiam, *Job cap.* 9. dicitur: *qui facit Arcturum, & Oriona,* quæ est fabula Esiodi, & Arati. Alia etiam quæ ad propositum hujus objectionis facerent, adeò trivialia sunt, ut tædeat tempus terere; videat, cui vacat P. N. Antonium harum eruditionum feracissimum.

Resp. ex Doctrina D. Thomæ, & Augustini, D. Thom. hoc loco scilicet, 1. *ad Timoth. cap.* 1. *fuerunt quidam hæretici, qui detestantes vetus Testamentum exponebant, quod Apostolus ipsum repudiabat deridendo historias ejus, dicens hoc loco; fabulis, & genealogiis interminatis &c. contra, quod dicit Augustin. quod Apostol. utitur historiis, & genealogiis veteris Testamenti, dicens ad Gal. c.* 4. *Abraham duos filios habuit &c. si ergo reprobaret, non eis uteretur: dicit ergo fabulas, non datam legem in scriptis, sed in ore, scilicet Talmuth, non quæ Moyses ore tradidit, sed quæ alii addiderunt, ut sunt stultæ fabulæ, scilicet quod Adam habuit aliam uxorem, ex qua dicunt natos Dæmones. Math. c.* 15. *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram, & Timoth. cap.* 4. *ad fabulas autem convertentur &c.* Hæc D. Thomas.

D

Qua retenta doctrina, ad omnia, quæ obiiciuntur, dicimus, quod utiliter, & necessariò, Scriptura locis citatis, refert genealogias, quia hæ sunt fundamenta historiæ, nec potest intelligi coordinatio factorum, nisi intelligatur ordo Personarum, nec potest sine illis haberi contextus, & finis Sacræ historiæ. Ita enim secundum Irenæum intelligimus, & Dei misericordiam, & pertinaciam hebræorum, & certificamur, de qua Tribu descendit Christus, & sic ceteræ figuræ, ad ipsum ordinatæ percipiuntur, ideò Herodes, qui erat gentilis, ut refert Euseb. lib. 3. Scripturas fecit comburi, ut tolleretur Christi memoria, atque ita putaretur ipse verus Rex, ex Patriarchis, & Prophetis descendens; *hoc enim fecit*, addit Ambros. *conscius ignobilitatis suæ, nequa posteris suis, vel de præscripto veteri quæstio moveretur, sicque tutus usurpato perseveraret in regno.*

De Christi genealogiis diversimode conscriptis, quæ oriuntur quæstiones, ad ædificationem sunt, ut patet ex earum resolutione apud Sanctos Patres, ex quibus in fide firmamur, & quidem hujus loci non est, eas examinare: videatur in suis controversiis Eminentissimus Capisuch. qui rem hanc diligenter tractavit. Satis sit nobis, ex D. Ilario, *in cap. 1. Math. scire, quod nullus error esse potest scientibus, non tam solam esse Christo generationem, qua ex Maria Virgine natus est, sed in procreatione corporea, generationis æternæ significantiam comprehendi.* Videatur etiam Hieronymus ad idem primum cap. Math. & D. August. lib. 2. de consonantia Evangel. cap. 1. rationem diversitatis narrationum assignans, ut scili et hinc probetur, carnem Christi, ex utroque genere propagatam, & Regum scilicet, & Sacerdutum, ceterasque figuras veteris Testamenti, in Christo fuisse impletas, denique plura omnes PP. aperientes, in illa diversitate mysteria, ex quibus eluceat unitas veritatis; Nec ommittendum, quod moraliter ex illis genealogiis elicit Chrisostom. *hom. 2. in Math.* ut appareat, quantum inde ædificationis oriatur. *Propter hoc ipsum*, ait, *maximè mirare, quia cum verus sit Filius Dei, etiam Filius David esse dignatus est, modò ut te Filium faceret Dei, servum Patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret ipsum Deum:* pluraque alia innuit eo loco Chrisost. notatu dignissima.

Ad id, quod additur de fabulis, jam patet ex Doctrina Angelici; & præcitati N. P. Antonius, & P. Dominicus alia adduint copiosè, & eruditè: pro omnibus tamen satis sit scire, quod poetæ, cum fuerint Moyse posteriores, ipsi ad imitationem mirabilium, quæ in Scriptura narrantur, fabulas suas adpinxerunt, ut de gigantibus, & aliis plurimis notat P. Antonius, idque fuit maligni Patris mendacii inventum, ut aliqualiter Sacris litteris fidem minueret, confundens additis fabulis, ad veri similitudinem, prioris historiæ veritatem: sed frustrà jecit rete suum ante oculos pennatorum.

Ad illud Job respond. Gregorius, *lib. 4. moral. cap. 6. his verbis, nequaquam sermo veritatis, vanas Esiodi, Arati, & Calimaci fabulas sequitur, ut*

A *Arcturum nominans extremam stellarum septem, candam suspicetur, quasi Orion gladium teneat amator insanus, hæc quippe nomina, a cultoribus sapientiæ carnalis inventa sunt, sed Scriptura idcircò iisdem vocabulis utitur, ut res, quas insinuare appetit, notitia appellationis usitatæ exprimantur, nam si astra, quæ indicare vellet per ignota nobis nomina diceret, homo, pro quo hæc eadem Scriptura facta est, nesciret procul dubio quid audiret, & dat exemplum, quod cum Deum non pæniteat quia non mutatur, tamen utitur Scriptura, hac expressione, ut explicet homini, humano modo, quid credat &c.* ex quibus aperrè constat eorum, quæ obiiciuntur ut vana, ac superflua, & utilitas, & necessitas.

Obiicies secundo lib. pr. Regum cap. 24. describitur ibi Rex Saul in spelunca purgans ventrem,
B quid hoc interest ad divinum sermonem? verè hæc superfluitas.

Respon. Origen. estque communis Patrum intelligentia, necesse notari hoc debuisse (quod tamen Scriptura modestissima sinceritate vix innuit) *ut clarior Davidis in Saulem misericordia probaretur, qui ne in discinctum, & inermem quidem, quod facilè poterat irrueret, occisurus.*

Obiicies 3. Innumeris in locis reperimus Scriptores Sacros repetere ab aliis dicta, quod planè videtur esse superfluum, ut *Daniel c. 9. obsecro Domine Deus magne, & terribilis, custodiens pactum &c.* idemque habetur etiam, *Esdræ lib. 2. cap. 1.* item *Numerorum: cap. 10. Surge Domine, & dissipentur inimici &c.* idemque habetur in Psalmis frequenter, ut *Psal. 67. exurgat Deus, & dissipentur*
C *inimici ejus*, & alibi similiter. In Psalmis etiam invenimus repetita, quæ alibi a Moyse, ac Prophetis fuerant jam prænarrata. Totaque historia Hebræorum, unico restringitur Psalmo 77. quod saltem per partes in aliis Psalmis invenimus. Ita ut ea sit communis fere sententia, totam Sacram Scripturam, & quoad historias, & quoad doctrinam in Psalmis reiterari, sicut & in libris Paralypomenon, eadem replicantur, quæ in libris Regum habentur, denique nimium esset ea scrutari, quæ, & quot in locis, in Sacris litteris repetuntur.

Ex quibus sic arguitur, vel cum prius dicta sunt hæc, quæ iterantur, satis ennunciata sunt, sicque supervacaneè replicantur, vel non satis
D proposita, & narrata, sicque trunca mansit Scriptura, quod utrumque indecorum est Verbo Dei.

Resp. argumento, ea, quæ quodammodo, & quasi materialiter tantum iterantur, cum primum dicta sunt, satis ennunciata, & narrata fuisse, pro eo loco, & tempore, cæterisque circumstantiis, quæ tunc, & secundum intentum dicentis, ac contextum, opus erat; postmodum verò, cum replicantur, rationem pariter ita exigere, considerando in singulis locis, quid oporteat.

Consimiliter similia solvit Hieronymus, *in Ezech. cap. 44. cur* (inquit) *repetuntur? ut videlicet, quæ in mentibus hominum sunt, vel legendi negligentia, vel audiendi contemptu, oblivione deleta, viva voce innoventur scripta spiritu, & verbo Dei,*

nec

non negligendum, quod prius idem Hieronymus, *lib. 10. in Ezechielem cap. 33.* docet. Ad illud Prophetæ, quòd sæpè dicit, *& factum est : hoc in omnibus Scripturis Sanctis observare debemus, ubi videtur aliqua similitudo esse sententiæ, non in omnibus eadem dici, sed vel subtrahi pleraque, vel addi, singulorum verborum inter se discrepantium habere rationem, unde in nullo Scripturæ loco : Battologia reperitur, quæ est inanis ejusdem repetitio, nam utiliter, & singula aliquid dicunt, ab aliis diversum, vel in positione verbi, vel in energia, vel in aliquo sensu, quæ si curiosè spectentur, procul dubio ita esse reperientur.* Hæc ille, per quæ patet ad opposita, & generaliter, & sigillatim. Placet autem hoc singulariter advertere, quòd ubi ea, quæ ad orationem spectant, videntur ipsissima vel saltem quoad sensum replicata, in pluribus locis, pulchrè sic innuitur, quod de oratione nos docuit Christus, *Matth. c. 7., & Lucæ c. 11. Petite, & accipietis, pulsate, & aperietur vobis*, replicandam videlicet, & sæpius sine intermissione eandem esse orationem, & de eadem re, quam postulamus, sed & divina beneficia semper esse recolenda, sicut eadem quotidie reiterantur, ac peccatorum veniam semper incessanter esse petendam, sicut & eadem peccata quotidiè iteramus, & semel commissum peccatum, nisi pœnitentia sufficiens illud abscondat, semper contra suum clamat auctorem, unde & David gemebat dicens, *peccatum meum contra me est semper.*

Sunt igitur repetitiones, nova mysteria, & semper sibi similis veritas, in similibus iteratur, sui ipsius fæcunda, ut pluries uno ore Deum laudemus. Quarè historia hebræorum in Pentateucho ennarrata in Psalmis innovetur, satis constat ex ipso Psalmorum instituto, ut nempe ad laudem divinæ misericordiæ, populi illius protervia deserviat, & magis appareat, strictim relatus metrico stylo conflictus ille omnipotentis benignitatis, ac ingratissimę perversitatis, ut inde edoceamur, & divina in nobis beneficia venerari, & mala quæ in aliis detestamur, effugere. Denique quælibet iteratio, suam in se ostendit rationem, suaque præsefert mysteria, sicut quævis in ipsa repetitione diversitas etiam minima : minimi enim apices Scripturæ, maximi sunt thesauri, ut concorditer asserunt Patres, magis enim in Sacra Scriptura, quam in natura verificatur, quòd ait Augustinus, *lib. 22. de Civitate Dei, cap. 24. illa plus habent admirationis, quæ molis minimum; plus enim formicularum, & apicularum opera stupemus, quam immensa corpora balenarum.*

Ex quibus constat, eandem hanc regulam posse per aliam ęquipollentem sic exponi. In Sacra Scriptura quilibet etiam minimus apex, nedum non superfluit, sed utilissimus est, & plenus mysteriis ac veritate : Quam regulam illustrat Hieronymus, *epist. 103. ad Paulinum, agens de libro Levitici*, in quo, nisi intimius meditemur, non elucet ad quid prosit. *Ait autem : in eo singula sacrificia, immò singulæ penè syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus, cælestia spirant Sacramenta.* Ac pariter, de libro Josuè subdit, *per singulas ur-*

A *bes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ, cœlestisque Hierusalem spiritualia regna describit.*

Hinc Chrisostom. non satis tolerat negligentes, & oscitanter transeuntes, quæ in Sacra Scriptura repetuntur; Ait enim, *hom. 2. de verbis Isaiæ. Quidam illicò prætercurrunt, & incusantibus respondent : nomina tantum sunt, nec quidquam habent utilitatis; quid ais? Deus loquitur, & tu audes dicere, nulla est dictorum utilitas. Sed quid loquor de nominibus, temporibus, titulisque, disce* (loquitur de mutatione nominis Abram in Abraham) *quantum valeat unius litterulæ adjectio, & desine contemnere nomina.*

B Sed adhuc aliquorum animus non quiescit, & adversus principalem thęsim, ac regulam denique obiiciunt. Non est mirum, si aliqua in aliquibus Sacræ Scripturæ libris dicantur esse superflua, si & aliquos integros canonicos libros, scimus fuisse, & esse superfluos. Notissimum est, nec ad quæstionem revocandum, libros aliquos canonicos extitisse, qui perierunt, & nunc eorum vix viget memoria, ut liber Enoch, Prophetiæ Nathan, aliorumque Prophetarum, aliæque Sacræ historiæ, de quibus suo loco aliquid diximus : si ergo libri integri canonici perierunt, evidens signum est, eos fuisse, & esse superfluos. Absit enim, ut vel suspicemur Deum deesse Ecclesiæ suæ, & quæ ei necessaria sunt veritatis documenta abstulisse, vel injuria temporum, aut hominum malo-
C rum nequitia deleri, permisisse.

Resp. hoc argumentum, quod quadam difficultatis apparentia non caret, nihil convincit, & debet facilè ab omnibus solvi. Tempore legis naturæ, certè nec Scriptura, quæ nunc est, extabat, nec libri qui perierunt, nec alia Scriptura, ergo ne omnia, quæ nunc habemus, dicemus superflua? providit tunc Deus sapientissimè, ut illi statui congruebat, & quia juxta conditionem, & dispositionem status legis, necesse fuit, per legem scriptam, aliosque libros, qui nunc non extant, postmodum, direxit, rexitque populum suum : nunc necessaria statui gratiæ exhibet documenta; potius igitur inferendum est, nunc aliqui libri, qui extabant, non extant, ergo nunc non sunt,
D at olim fuere necessarii, ergo hi, quos habemus, sicuti eos habemus, in nulla sui parte superfluunt: diversitas statuum, inæqualis distantia temporum ab adventu Salvatoris, ad quem omnia ordinabantur, umbrarum figurarumque exclusio, quis non advertat, quam variis regulis, modis, ac moribus postulent duci? Qui ergo novit congruam temporibus singulis adhibere medicinam, hanc nobis pro nunc propinavit, quam qui abiicit, vel quoad totum, vel quoad partem, procul omni dubio perit, eoque modo superfluit remedium, quo vita, & salus; nec plura : res enim clara est, idque satis est prælibanti.

ARTICULUS III.

Regulam tractans adversus impugnanter honestatem, & utilitatem Sacræ Scripturæ.

INgentem nimis campum aperit vesana perversitas hæreticorum Atheistarum, cęteræque fęcis infidelium, & peccatorum, nunc adulterantium, nunc torquentium, nunc calumniantium, Immaculatum Verbum Dei, ut abundent in sensu suo, qui planè nihil aliud est, nisi sensus, sed præcipua Controversistarum provincia est, illorum phalanges debellare, nostrum, qui Scripturas prælibamus, primas eorum acies inconcussa veritate depellere; Satis sit adversus omnes, qui novit præliari prælia Domini, Sapientissimus David, qui *Psalmo* 18. sic eos prævenit. *Lex Domini Immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis, preceptum Domini lucidum illuminans oculos; judicia Domini vera justificata in semetipsa*: ex quibus, totaque Scriptura, & sana Ecclesiæ Doctrina. Hæc exurgit, munitur, & triumphat regula: In Sacra Scriptura nihil est perniciosum.

Et quæ hactenus dicta sunt, & quæ Deo dante dicentur, huic militant veritati, quæ justificatur in semetipsa, ut supervacaneum sit, & actum agere, si conemur ulterius ad probandum. Audiamus potius oblatrantes, ut repellamus.

Obiicit primo Faustus Manichęus, & cum eo nunc etiam plures: exempla peccatorum, & etiam non peccatorum plurima in Scriptura referuntur, quibus prona ad peccatum corrupta natura, malum vel perpetrare discit, vel excusare, & per hanc viam sępè Clerici cohabitantes mulieribus, se excusabant tempore Divi Cypriani.

Respondet, seù potuis tonat adversus hujuscemodi, idem Cyprian. *lib. de singularitate clericorum*, *dicunt*, inquit, *si de hac conjunctione clerici notantur, notandi sunt etiam Sancti plerique nobiscum: sicut Elias, qui mansit apud Viduam, sicut Apostoli, qui mulieres secum circumducebant ut Joannes, qui Matrem Domini assumpsit, aut etiam Dominus, cui mulieres religiosæ alimenta præstabant, qui ad puteum cum Samaratina singulariter versatus est, cui recumbenti peccatrix fœmina, lacrymis peder lavit. Ah misera humanitas*, exclamat Cyprian., *in hac æqualitate non times fulminari; quæ de Filio Dei, aut etiam de filiis tonitrui, non cunctaris peccatir suis exempla, velut similia mutuare, cum superbia sit elata jactantia, etiam minimis Ecclesiæ, quemque comparabilem velle conscribi? qui Apostolis coæquari contendit, quare non magis præsbyteros adulteros apud Danielem, ad formidinem sibi proponit? sed hoc addunt ad cumulum perditionis, ut bonos informent, quorum exemplo utuntur in malum &c.* ex quo patet, quæ in Scriptura referuntur, si peccata sunt (a quibus toto cœlo distant, quæ mox proposita vidimus) vel ad detestationem, quam justè exigunt ex propria turpitudine, inter Sanctissima præcepta, & exempla proponuntur, vel ita simul cum pęna, dignissimè iniquis, a Deo A inflicta describuntur, ut terrorem incutiant: si verò peccata non sunt, sed quædam ex sua specie indifferentia, ex sanctitate personæ, cui attribuuntur, ita elevantur ad venerationem, ut nisi in æquali sanctitate sit, qui legit, ea sibi imitanda non præsumat.

Obiiciunt alii 2. lapsus Petri, negantis Christum, & David adulterantis, & occidentis, plus planè nocere videntur legentibus, quam prodesse, ex se enim illa species mali, so se ingerit menti, ut melius videretur nobis consultum, si ea non ita distinctè, & specialiter proponerentur.

Resp. Ambrosius, calumniam infringens, *lib.* 10. *In Luc. cap.* 22. *Error Petri, doctrina justorum est, & titubatio Petri omnium petra est: etiam lapsus Sanctorum utilis: Nihil mihi nocuit, quod nega-* B *vit Petrur, profuit, quod emendavit*, idemque Ambros. ut notissima historia docet, Imperatori Theodosio, per lapsum Davidis proprium excusanti delictum, verè Apostolica restitit fortitudine, respondens, qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. Ita Ambrosius, & docuit, & pręstitit.

Fortius Augustinus, *contra Faustum*, cęterosque, propriam perversitatem lapsu Davidico obvelantes; Insurgit dicens, *David nullum sibi, ita ad exemplum proposuerat, ut tu. Hoc amas in David, quòd in se odit David, librum Dei inspicis ut pecces? hoc non fecit David: correptus est per Prophetam, pęnituit, non lapsus est in Propheta.* Verè divina utriusque Sancti Doctoris energia satis convincit, respondet, & docet; denique & objectis, & obiiciendis hujuscemodi una communis, C & adæquata responsio est ejusdem Augustini, quam alibi recitavimus; *Divina Scriptura eo spiritu legenda est, quo facta fuit.* Ex his patet, ad objectionem neg. antecedens, ea enim proponuntur, ut caveantur, describuntur, ne quis se periculo, de se præsumens, exponat, in quo cecidere fortiores. Ennarrantur, ut divinæ gratiæ virtus, & humanitatis fragilitas, & divinæ benignitas misericordiæ labentes reparantis, eluceat, & pęnitere, non iterum peccare discat, qui peccavit, consultius ergo fuit, ea scribere, quam silere.

3. Obiiciunt superbi, *in Luca cap.* 22. *Facta est contentio inter Discipulos, quis eorum videretur esse major.* Et unumquodque vitium, sibi simile quid in Scriptura deprehendens, exultat. Ad quid D ergo multiplicari oportebat fomenta malitiæ?

Resp. Ambros. *Luc. loco citato. Caveamus, ne aliqua inter nos, de prælatione possit esse contentio, si enim contendebant Apostoli, non excusationi obtenditur, sed proponitur cautioni &c.* estque communis PP. sensus, eam contentionem, aliosque Apostolorum defectus, ideò proponi, ut advertentes, quam labiles fuerint ante adventum Spiritus Sancti, quam fortes exinde; discamus, quid gratiæ debeamus, quid naturæ.

Resp. 2. ad hæc, & similia, Auct. Operis imperfecti *in Matth. Hom.* 41. *ad illa verba, omnia parata sunt, venite ad nuptias, Matth. cap.* 22. *ut quid Scriptum est, Achar propter furtum laminæ aureæ lapidatum, Jos. cap.* 7., *nisi ut habeant fures, quod timeant? ut quid concupitores carnis castigati*

sunt

fuit in deserto. Num. cap. 11. nisi ut nemo delicias concupiscat: sicut quid Nathan arguit David, & suscepit, nisi ut homicidæ, & Adulteri, pœnitentiæ remedium non desperent? Rahab meretrix sanctificata est; Jacobi cap. 2. ut meretricibus spes daretur? nihil ergo minus est in hoc convivio, quam quod necessarium habeat salus nostra; Nimis igitur perversum est, si appellas fomentum malitiæ, quod mali remedium est, & salutis nutrimentum, sed non mirum ex iisdem enim flosculis, & apes dulcedinem mellis delibant, & hauriunt crabrones venenum mortis.

Et quidem, dum hac via impugnatores veritatis procedunt, facilè convicuntur; sed dum loca quædam obtrudunt, fidei obscuritate velata, disputatio fortius ingravescit, quam instituti nostri brevitas patiatur: At nec terga vertere licet, nec succumbere: compendiose igitur congrediendum est.

4. Obiiciunt ex historia Elisæi, & Naaman, *lib. 4. Regum cap. 5.* In ea enim (opponunt) clarè apparet, quod Elisæus concessit Naaman Principi militiæ Regis Assyriorum, quod postulabat, rogans: *quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo, in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re, cui Elisæus respondit, vade in pace,* ergo Naaman imposterum tuta conscientia, scilicet in pace, poterat idolum adorare cum Domino suo; hoc autem apertè scandalosum est subditis, & ex quo possint, iniquitati Dominorum temporalium obsequi, eisque concedere quidquid divinę etiam, ac naturali dissonum legi, & eis pacem dare, de quibus dicitur, *dixerunt impii: pax pax, & non erat pax. Hierem. cap. 6. & Is. cap. 57. Non est pax impiis dicit Dominus*, idque tota Scriptura proclamat.

Dices: Naaman non verè adorabat, sed fingebat, ut inserviret Domino suo: Immò facta protestatione coram Propheta, quod ipse Fidelis erat vero Deo, aberat periculum scandali.

Sed contra, nam plane sequitur, ergo ob humanum obsequium licebit fingere idolatriam, vel falsam simulare religionem, contra jus naturę, & divinum, in decalogo promulgatum: *Deus Deus tuus unus est*, quod Ecclesia proponit dicens, *unum cole Deum*, & ad quid protestatio illa verbalis, ubi factum adversatur? profectò etiam facta protestatione verę fidei, adhuc Naaman ipse Neophitus, scrupulo, seu potius conscientia reclamante angebatur, timens (ut verum erat) tali obsequio redire ad Idololatriam, quam fuerat detestatus. Adde, quod protestatio quidem fidei facta erat coram Propheta, at factum illud, quod sibi licere postulabat, eventurum erat coram populo.

Respon. ad hęc Caramuel, profundè penetrans vim objectionis. Theol. mor. *lib. 2. disp. 9. num. 1249.*, se, quamvis non libenter concedat in simili materia, dispensationem eam admittere (quam universaliter negat in præceptis juris naturę posse fieri, vel a Deo) quia tamen solutionem aliam non videt, quę animum quietet, cogi ad concedendum, quod Elisęus cum Naaman dispensavit. Id tamen nobis non licet, qui constanter cum D. Thoma impossibilitatem talis dispensationis, in præceptis potissimum primę tabulę, sustinemus.

Sylvius prima secundę qu. 100. art. 8. respondet, Elisæum nec dispensasse, quia hoc non poterat, neque Deus, nec concessisse, quia hoc non legitur, nec permisisse positivè idololatriam, nam hoc probari nequit, sed permisisse præcisè, ac negativè, obsequium fieri Regi, etiam eum adoraret Remnon Idolum; cui addi potest, aliud satis diversum esse, colere Idolum, aliud colere Regem, qui ubicumque sit semper Rex est: Sustentabat ergo ille Minister Regis, non minister Idololatriæ more Assyriorum, Regem etiam adorantem, per hoc enim quod adoraret, non desinebat regem esse; & cum Rege adorante, vel genuflectente, indecens, & inurbanum sit, servum stare, obsequebatur Regi, cum genuflectente genuflectens, sicque potius ille erat cultus Regis, quam Idoli, ideoque ipse petiit sibi hoc magis condonari, quam imputari, optans in malum sibi non verti, quod malum revera non erat, sed tantum apparenter ab aliquibus posset cogi in suspicionem. Et hæc intelligentia, ac responsio sic adjuta, licet dictum Sylvii, Caramueli non arrideat, potest satis sustineri, ubi melior solutio non emergat. Et quidem conantur plurimi, sed fincerè fatemur, animum non plenè quietant; ut difficultati utcumque satisfaciamus, paucos prælibamus, ne in instituto nostro dispensemus.

Lyran., & l' Haye in Biblia maxima, & alii, ferè communiter dicunt, actum illum posse dici concessum, aut saltem positivè permissum ab Elisæo, non enim fuit verus actus adorationis, attento more illius gentis, nam eodem modo Naaman sustentabat Regem, & in templo, & extra templum, ubique ea præstans, quæ urbanitatis, & muneris sui erga regem erant, ideoque actus ille erat indifferens, factus sine animo adorandi Idolum; sicut si Virgo Christiana a Saracenis capta, caudam vestis Dominæ suæ sustentaret, dum illa adorat Maumetem.

Sed hic dicendi modus Caramueli, aliisque pluribus displicet, eique textus ipse non consentit. Nullum enim hoc loco in Scriptura Verbum legitur, quo innuatur concessio, vel positiva permissio. Mos illius gentis erat quidem, quod Minister Regi ubique assisteret, ac manum exhiberet, sed mos etiam erat genuflectendo adorare, & qui cum alio genuflectebat ante Idolum, simul cum illo adorabat, non illum, sed idolum, ut dictat lumen ipsum naturæ, ideoque actus ille non erat indifferens, vel si alias præcisivè indifferens, tunc ex circumstantia erat determinatus ad adorationem Idoli; per quam exterius executam, convincebatur operans, id efficaciter velle, a quo forte per velleitatem animus recedebat. Nec est simile de Christiana Virgine, sustentante caudam vestis Dominę adorantis Maumetem: nam sustentatio vestis, nullibi accipitur, ut adoratio, sed ut merum, & coactum servitium: diximus autem, quod textus huic opinandi modo non consentit, nam in eo supponitur, actum illum non esse indifferentem,

tem, de quo certè venia non petitur, sicut Naaman rogabat, de hac cooperatione sua, cum Rex adoraret.

Sed etiam impugnatur: si ille erat actus indifferens, ergo non apposito recto fine, malus erat, rectus autem finis ibi locum non habet, ubi immediatè contradicitur ultimo fini, primoque principio, in materia Religionis; ut evidens est: sum etiam in illo actu erat saltem equivocatio protestationis falsę religionis, & fortè hac minor, illa Chinensium, post tot quęstiones, summo zelo per tot annos nuper agitatas, ut notissimum est, denique damnata fuit.

Subscribit nihilominus huic impugnatę opinioni, Cornelius Alap. in hunc locum, & pluribus conatur defendere, actum Naamani licitum fuisse contra Valentiam, oppositum asserentem, aliosque, idque in eo fundat, quòd Elisęus cum esset Propheta Domini, repressisset Naaman, si injustum petiisset. Id tamen refellit Valentia; quia Elisęus ideò negativè se habuit, quia videbat Naaman, tunc incapacem correctionis, & opportunius putabat, correctionem tempori, quo profutura esset, reservare.

Alia addit Cornelius, a quibus abstinemus, quia neutri parti satisfaciunt, nisi fortè id, quod prudenter notat, nempe quod Naaman erat tunc velut Initialis, & imperfectus Cathecumenus, non adhuc verus Dei cultor; non Judęus, aut Proselythus, quia non erat circumcisus, unde adhuc erat Gentilis, & Deum verum colebat, sicut colebant Patres ante diluvium, in statu legis naturę. Sed hoc etiam non caret scrupulo, quamvis enim verum sit; quòd erat in fide Novitius, ac propterea, ut ait Valentia incapax correctionis Sancti Prophetę, tamen jure naturę tenebatur cavere a cultu Idoli, sicut & Patres antediluvium, nec umquam in hac materia admitti potest status neuter, quem quasi statuere videtur Corn.

Magis rem tangere videtur Cajetan. quod & secundum partem aliquam innuit Cornelius. Sensus igitur Cajetani (non tamen verba) est. Elisæus nec concessit, nec approbavit, nec permisit Naamano Idolulatriam, ubi notamus. Plura petierat Naaman ab Elisæo, nempe licentiam redeundi ad sua, auferendo secum partem aliquam terræ Sanctæ, & quod rogaret Dominum, ut ignosceret ei, si cum Rege, ob munus suum implendum inclinaretur ante Remnon Idolum. Cum ergo Propheta ei dumtaxat responderit, vade in pace, primæ tantum petitioni respondit, qua licentiam quærebat abeundi, ideò dixit, vade in pace, nihilque addidit de adoratione illa, vel de oratione, de qua Elisæum rogaverat ad hoc ut ignosceret ei Dominus, si adoret &c. nec quidem de adoratione, in qua est difficultas, tenebatur Elisæus respondere, non enim de ea interrogatus fuerat, an liceret, sed tantum rogatus, ut oraret Dominum pro venia, quando eam exhibuisset. Adde primò quòd in eodem capite promiserat Naaman, se non amplius litaturum diis alienis, nisi verò Deo, quem se cognovisse profitebatur; jam igitur affirmaverat, se esse fidelem,

A unde inconsequenter conseretur interrogare, an liceret ei infidelitas: Quid ergo locutus est de illa adoratione simul facienda cum Rege? Respondemus, sicut pænitens, in præsenti statu gratiæ confitetur peccata sua, & proponit efficaciter emendationem; sciens autem propriam fragilitatem, quam sæpè expertus fuit, Confessarium humiliter deprecatur, ut roget Dominum pro ipso, ut si iterum fortè, vel graviter, vel leviter peccet, dignetur ei iterum veniam impertiri, quòd non est petere licentiam iterum peccandi, sed exprimere desiderium, divinam misericordiam consequendi. Ità Naaman, proportione servata, abjurato coram Propheta Idolorum cultu, timens se fortè in aliquo casu evitare non posse, apparentiam illam falsæ Religionis, quæ suspicabilis

B est in hoc, quod simul cum Rege ante Idolum inclinetur, rogat Prophetam, ut Dominum deprecetur, ut ei ignoscat pro hac re: Ideò ait, *si*, non determinatus ad malum, sed timens illud incurrere, quod prius abjuraverat.

Ex hac intelligentia plenè solvitur argumentum oppositum: negamus enim, quòd Naaman petierit facultatem a Propheta adorandi simul cum Rege, cum textus huic expositioni resistat, concedimus quidem eum actum illicitum esse, & contra veram Religionem, quidquid dicant plures cum Cornelio, qui citat pro se Augustinum, sermone 107. qui est de Naaman, cum tamen Augustinus in tali sermone, nec quæstionem hanc, vel minimè tangat, neque hanc textus partem,

C in qua versatur præsens controversia exponat, neque saltem commemoret, ut quisque videre potest: sed negamus Prophetam, vel dispensasse, quod non poterat, vel concessisse quod non petebatur, vel approbasse, quòd ipse Naaman iniquum supponebat, absque dubitatione, & quæstione; vel permisisse; id de quo non erat interpellatus; ideò autem eum non coarguit, aut correxit, quia effectus correctionis immediatus, alius esse non poterat, nisi quod timeret malam operationem, ipsamque abhorreret; qui ergo jam ostendebat timorem, in eam incurrendi, & cognitionem malitiæ illius, quam abjuraverat, frustrà corrigeretur. Immò qui tam rectum cor ostendebat, debebat a Propheta in pace dimitti, ne si objurgaretur sine causa, scandalizaretur. Nec

D oblivifcendum, quòd supra notavimus in punctuali textus examine; quod Propheta dicens, vade in pace, respondit Naamano quoad illam partem propositionis, secundum quam ex urbanitate, Naaman a Propheta facultatem petierat abeundi, cum aliqua parte terræ Sanctæ in signum, quòd imposterum numquam litaret diis alienis, sed soli Deo; hoc concessit, hoc approbavit Elisæus dicens, vade in pace, quasi dicens, si fidelis eris Deo soli, ut promittis, ei tantum sacrificans ritè, hoc est in altari, ex terra Sancta composito, pacem habebis, quia non est pax impiis; ex quo sequitur, si oppositum quid verę fidei præstabis, pacem non habebis: Qua igitur, vel somniata, mali approbatione, potest dici concessisse, quòd illicitum erat? Non ergo immorandum, sed mirandum,

randum, quòd homines alias Doctissimi, ad similes redigantur angustias, ut vel dicant dispensasse Elisæum, quod non poterat, vel ut hoc evitent, actum illum, revera malum a malitia frustra denudare contendant, incidentes in Scyllam, dum student vitare Charibdim. Nec tamen propterea Doctores damnamus, quos usque ad aras quoad possumus, veneramur: nempe usque ad aras, agitur enim nunc de ara, & adoratione veri, aut falsi numinis. Quin potius persuasum habemus viros adeò Doctos ac Religiosos non excusaturos a malitia talem actum, de quo nunc agimus. Si præcessisset, quo tempore scribebant, Doctrina, & Decretum Sanctissimi Innocentii XI., qui sequentes propositiones damnavit anno 1679. die 4. Mens. Martii videlicet 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*. Et 51. *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam; aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter; si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, aut Domo expellatur*. Quamvis enim diversus ab istis sit casus, qui nunc propositus fuit, adeò tamen similis utrobique est doctrina, ut aliqui ex præcitatis Doctoribus ad sustinendam indifferentiam actus Naamani, cogantur concedere, & de facto concedant eandem indifferentiam, & carentiam malitię, actibus in secunda propositione damnatis, ut legenti eorum opera facilè, & evidenter deprehendet. Quòd autem in prima damnatur, simile in materia est casui nostro.

5. Denique obiiciunt Manichæi, insanias suas adversus vetus Testamentum, quibus nunc non vacat aurem, aut calamum præbere, & cum eis alii etiam, qui vetus Testamentum, tamquam quid omninò reiiciendum contemnunt. Non videtur stare posse cum vera fide in Christum illud admittere, quod prædicabat venturum, unde & Apostolus Petrus a Paulo reprehensus est ad Galat. cap. 4., quia gentes, quæ veniebant ad fidem cogere videbatur ad Judaizandum, quod est errare contra Evangelium, porrò vetus Testamentum nunc admittere, est Judaizare.

Confirmatur. Idem impossibile est etiam per divinam omnipotentiam simul secundum idem futurum esse, præsens, & præteritum; atqui vetus Testamentum, Christum protestatur futurum; Novum autem, eundem jam advenisse, & in æternum esse, ergo utrumque simul colere est mentiri, falsumque, & impossibilem profiteri Religionem, quo quid perniciosius?

Resp. hoc argumento probari, Testamentum vetus quoad mores, & ceremonialia, ac Judicialia, aliaque hujusmodi, quæ erant determinatæ, & speciales protestationes futuritionis Christi, nunc verè evanuisse, ita ut ea nunc exercere, quę tunc vitalia erant, mortiferum esset, ut communiter tota sentit Ecclesia, ut alibi cum Divo Augustino, & Angelico, cęterisque ostendimus. Ideoque Paulus rectè in faciem Petri restitit, cum vi-

A debatur cogere gentes ad Judaizandum, quasi miscendo ritus utriusque Testamenti, sicut patet ex celebri epistola Augustini ad Hieronymum, super cap. 4. epistolæ al Galatas. At ex hoc non sequitur, a Sacro volumine ea esse abolenda, immò potius retinenda, & legenda, ut sciant fideles, quid debeant nunc vitare. Ea certè figura erant venturi Messiæ, atquis adeò destituitur lumine naturæ, ut figuram præsentis Regis contemnere audeat, & abolere? venerabilis, & nunc est ea lex, quam dignatus est Christus implere, ejusque jugum assumere, ut eo nos alleviaret. Adveniente igitur, quod perfectum est evacuatum fuit, quod ex parte erat, & quem præsentem advenisse gaudemus, futurum nunc esse negamus, placet tamen, & juvat recolere ac meditari solemnem adeò

B Redemptoris futuritionem, & expectationem, ac præfigurationem, ut ex ea discamus, & tanti boni, quo præsente fruimur excellentissimam dignitatem, & privilegium nostrum ac gratiam, qui ad hæc tempora, cum beneficia ipsius, ac perfectissima Sacramenta participamus in lege amoris fuimus reservati. Certè totum vetus Testamentum, sicut olim erat præparatio, ita nunc est prædicatio Christi, ut in tanta temporum, ac statuum diversitate maximè eluceat, eadem unitas veritatis, & dignoscatur utrobique finis legis Christus, ad justitiam omni credenti, & lapis angularis, qui fecit utraque unum. Illic promissus est, ibi datus: at quomodo divinam cognosceemus veracitatem ac veritatem in promissione servanda, nisi,

C & promissionem præteritam, & præsens donum conferamus? Adsit ergò non frangatur speculum, ut ex eo præsens lux reflectatur.

ARTICULUS IV.

Moralia quadam Sacra Scriptura loca, qua perniciosa videntur, obiiciuntur, & declarantur.

OMmissis pro nunc, quia alibi fortè solventur, quæ obiiciunt cum Theodoro, Mousposteno, Luthero, cæterisque hæreticis, Hebræi quidam, ut referunt Cornel. in Prologem. ad librum Ecclesiastæ aliique Commentatores librorum Sa-

D pientialium, ne eadem pluries repetamus, ea, quæ nunc facilè occurrunt, ex mente Patrum refellemus. Et quidem rationabilis difficultas, aut objectio contra præsentem regulam nulla est: est enim rectæ menti inexcogitabile, Sacram Scripturam, quæ totius magisterium est sanctitatis, ac sapientiæ, ad malos mores posse deflectere, aut eos, vel minimum fovere, cum certissimum sit etiam Ethnicis philosophis, quod omnis peccans est ignorans; at quia ex primo peccatore didicit peccatrix posteritas, & fingere laborem in præcepto, & excusare quod accusandum est, declinantes cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, mirandum non est, si sciolos homines, quandoque audimus, scrutantes, aut potius somniantes apparentiam perniciei, in ipso fonte salutis, ut ipsa sancti-

A

sanctitatis doctrina, proprias vel tegant, vel protegant morum fallacias.

Ut eas igitur detegamus, loca quædam Sacræ Scripturæ, quæ inique calumniantur, breviter opponemus, & exponemus.

Primus locus est *Ecclef. cap.* 11: *Lætare ergò Juvenis, in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum &c.* Hæc si seorsim a textu, & absolutè considerentur, vix valent ad bonum trahi, videntur enim consilium voluptatis, & luxuriæ continere eum licentia quadam ad liberè sequendas passiones, quæ sunt viæ cordis, per quas egreditur a se ipso, vel ad sequendum, quo ducunt sensus, qui sunt viæ animæ ad extra, per quas ut dicitur: *Hierem. cap. 9. Mors ascendit, sicut per fenestras*: & canebat singillatim de oculis

B

poeta: *si nescis, oculi sunt in amore duces*; considerando tamen, quæ sequuntur eodem textu, clarum est, quod hæc quæ opponuntur, vel sunt ironieè dicta, ut notat L'Hayè in prologom: vel aliam habent figuram; sequitur enim, *& scito, quod pro omnibus his adducet te Dominus in judicium*, ex quo apparet, quod præcedentium sensus est, permittentis, ut advertat malum, vel potius minitantis, ac si dicat: si lætaris Juvenis, scito, quod Judicaberis, idque deducitur ex præcedentibus, cum ait prius: *si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis*, hoc est diei Judicii, quæ dicitur, *Joel cap. 2. dies tenebrarum, & caliginis*, est ergo idem sensus, qui ut magis imprimatur, iterum inculcatur

C

modo dicto, & quod dicitur de omni ætate hominis simul, supra præcipuè applicatur Juventuti, in qua est major necessitas, similis recordationis, sicque subjit. *Lætare ergo Juvenis*: & hæc quidem juxta superiores regulas videtur optima expositio, ut tamen ex re clara discat studiosus etiam in obscuris aperire abditam veritatem (non enim Instituti nostri est omnia & singula sigillatim ad examen vocare) placet, quæ hoc loco tradunt DD. breviter prælibare.

Vertunt 72. Ambula in viis cordis tui Immaculatus: ac propterea, Patres quidam, qui sequuntur versionem, 72. planè procedunt sicque cessat objectio. Hinc D. Ambros. legit, vel commendat hunc locum, in exhortatione ad Virgines: *ambula in viis cordis tui sine macula, & in aspectu*

D

oculorum tuorum, non in audacia oculorum tuorum, In aspectu spiritali, non in audacia sæculari.

Gregor. lib. 24. Moral cap. 4. intelligit hoc, relative ad illud Apostol. *ad Philipp, cap. 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, modestia vestra non sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est*; videtur enim sub diversis verbis, idem sensus utrobique.

At quia plures sentiunt, juxta vulgatam, cujus verba hoc loco, non sonant in bonum; idcircò Cornel. probat, ut supra notavimus, dictum hoc esse ironicum, exemplo *Trenorum cap. 4. Gaude, & lætare Filia Edom*, cui subditur mox excidium, a Nabuchodonos. ei inferendum: *Ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis*: Similia

A

habentur etiam Isaiæ cap. 14. & Ezechiel cap. 28. & alibi frequenter utitur hoc stylo Scriptura. Quommodocumque verò hæc intelligantur, evanescit objectio, immò locus moralis apparet, eleganter ad bonum inducens; Si enim sumantur priores sententiæ, ut sonant in malum permissivè, sic ea, quæ sequuntur, magis terrent, nam opposita juxta se posita, magis elucescunt; si sumantur in bonum, ut legunt 72. Interpret. & plures Sancti Patres; ex illis deducitur, quod etiam ea, quæ benè aguntur (cum non sunt cruces, & passiones ad imitationem Christi; hac enim via, sine timore Judicii procedimus) etiamsi sint spiritualibus deliciis illita, etiamsi conformentur rationabiliter ætati, quæ ad dulcia propendit, etiamsi ætas illa prior, inconsiderata sit ex defectu expe-

B

rientiæ, omnia adamussim in Judicio discutientur, & discernentur, etiam intuitus oculorum, & viæ cordis latentes; at quanto magis malitia judicabitur ab eo, qui in Angelis suis reperit pravitatem, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quoniam sicut pannus, menstruatæ omnes justitiæ nostræ?

2. Alius est locus ejusdem *Eccl. cap.* 1. quem reservavimus, quia majorem exigit discussionem, & majorem præsefert apparentiam oppositionis, ad præsentem regulam, tamquam perniciosum; & avertens animum, ab inquisitione veritatis, & sapientiæ, ex qua omnis pendet rectitudo humanæ operationis; cui opones id quod legimus, in posteriori parte cap. citati, *eo, quod in multa sapientia,*

C

multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & dolorem, hæcque causa assignatur vanitatis studiorum nostrorum, ex quo videtur sequi contradictio ad totum librum Sapientiæ, cujus præcipuus scopus, & intentio est inducere homines ad amorem, & studium sapientiæ, immò ut pater, etiam ad librum ipsum Ecclesiast. sequitur enim contra id, quod ibi dicitur, ergo applicare, & dedere cor suum, ad sciendam prudentiam, & doctrinam, erroresque, & stultitiam, quod quotidiè præstamus immenso labore, studentes, legentes, audientes, meditantes, hoc totum, vanitas est, & non solum vanitas, sed præjudicium rectæ rationis, quæ indignationem detestatur, & dolorem, cum labore quærere ad vanitatem damnat, cum tamen verum sit, quod in multa sapientia multa sit indignatio,

D

ergo cum sapientia, proportionaliter aquiritur indignatio, & cum additione scientiæ augescet dolor: qui sensus venenum nutrit rationis, & fovet cum otiositate, & ignorantia, universitatem malorum, ac errorum, quorum Seminarium semper ignorantia fuit, ac propterea in Alchorano prohibetur sapientia, & scientia, ac doctrina, ut liceat omne malum. Ex quibus apparet, non modici momenti esse, rem hanc aperire, maximè cum ex hoc pendeat similium, quæ pluries in libris Sapientialibus occurrunt, intelligentia; & nostri muneris est, qui totam sigillatim Scripturam explicare adamussim nequimus, ex temporis angustia, plura quantum possumus ad unum vocare; ut compendio complectamur, quantum fieri potest, universa.

Augetur difficultas, ex eo, quod habet D. Thom.

in

in oppositum prima secundæ qu. 17. art. 1. In contemplatione veritatis, maxima delectatio consistit, omnis autem delectatio dolorem mitigat, ideò contemplatio ipsa dolorem lenit, & tristitiam, & quò major est, tanto magis. Ideoque homines ex contemplatione divina, & futuræ beatitudinis, in tribulationibus gaudent. Actorum cap. 5. Ibant Apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam &c.

Resp. hoc unum convincit præsens objectio, quod planè concedimus; hunc locum non esse cum vulgo intelligendum, aut prætereundum, sed subtiliter cum Sanctis Patribus, Ecclesiæ Doctoribus enucleandum, quod breviter exhibemus. Nulla tamen pernicies, contradictio prorsus nulla, nulla avversio a scientia, & veritate ex eo exurgit.

Ad quod, generaliter prænotandum, sermonem ibi esse, ut evidenter docet textus ipse, de Sapientia, & scientia humana, & aquisita conatibus humanis, qui aliquando vel in vanum tendunt, vel vanitati associantur, vel sicut finem, ità, & modum procedendi non semper servant, nec virtutem studiositatis, quam ex suppositione, quod studio homo incumbat, servare tenetur ex jure naturæ, exercent; ideoquè nil mirum, si oriatur indignatio, & dolor, ex eo quod ex aliqua parte vitiosum est, cum sola virtus verioris semen sit delectationis, sicut experientia constat: ideò hæc præveniens Apostol. ait *Rom. cap. 11.* ait *Noli altum sapere, sed time*, & *cap. 12. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & ad Philip. cap. 3. In confusionem ipsorum, qui terrena sapiunt, & pr. Timoth. cap. 6. Præcisè non sublime sapere.* Ex quibus satis constare potest ad objectionem, plenius tamen ex Patrum Doctrina.

Prima intelligentia occurrit Divi Thom. *loco citato ad primum: In multa*, inquit, *Sapientia est multa indignatio, & dolor, vel propter difficultatem, & deffectum inveniendæ veritatis, vel propter hoc, quod per Scientiam homo, multa quæ voluntati contrariantur, cognoscit, & sic ex parte rerum cogitarum, scientia dolorem causat, ex parte autem cognitionis veritatis delectationem.*

2. Caldæus. immò, & D. Hieronimus, cum aliis; *Cui plus datum est, plus exigetur ab eo, unde quia sapientes plus acceperunt (quidquid enim boni habemus, accepimus) si non correspondeant, quod semper præstare difficile est, plus sentient indignationis in judicio, ac doloris in condemnatione.*

3. Alii accipiunt indignationem, pro invidia, vel pro ea, quæ ex Invidia æmulorum oritur, qui enim sapiens est, plures habet oppositores, nam æquales, habet æmulos, & ignorantes patitur inimicos, quia cum omnis homo appetat scire, prout homo est, erubescit quasi ab homine deficiens, cum ex alterius scientia, arguitur ignorantiæ, & ab eo avvertitur, a quo sic damnari se apprehendit; hinc & Lyricus vates canebat, difficile ingenio invenies, qui cedere velit. Hinc calumniæ adversus sapientes, & prævalens ob numerum innumerabilem exercitus sui contra scientes, ignorantia. Ex his indignatio, & dolor, *Eccl. cap.*

A *7. calumnia conturbat sapientem.*

4. Naturalis sensus videtur esse, tum quia temperametum aptum ad Sapientiam, & scientiam, scilicet spiritosum, est æque facilè ad indignationem, & ad plura, quæ causant dolores: tum quia studiosi consumunt plures Spiritus, ex quorum defectu cibus manet incoctus, gignitque proinde pessimos humores, ex quibus exurgunt dolores, tedia, conturbatio, & indignatio, quæ causa est cur homines studiosi, ac docti laborant stomacho, ut legimus de Sanctis Grego., Chrisost., Hieronymo, Bernardo, aliisque pluribus, quod notat Nissenus; *labores sunt scientiæ comites*, ideò hoc expertus Salomon a vita austera, & studiosa, transiit ad voluptuosam: insuper ex Pineda, studiosi ex eadem causa, aut B nascuntur, aut evadunt melencolici, ideoque secundum quod dicit Philosophus: nullum magnum ingenium sine aliqua mixtura dementiæ, malencolia enim saltem materialiter aliqua species stultitiæ est; & quidem ex hoc, & etiam quia studiosi, & ingeniosi statim rem attingunt, facilè indignantur, plura enim sunt inter sæculi hujus ærumnas, quæ si cognoscantur, vel stomachum movene, vel indignationem: accedit quod ait Aristot. atra bilis permulta, & calida, perciti, & ingeniosi est, Amasii, ac propensi, ad omnem excandescentiam, & cupiditatem: idem haber Plato l. 2. de rep. Hæc omninò naturalia sunt, at non necessaria, inclinationem enim designant, non actum: ideò & dictum Eccles. non est de actu, ac C si necesse sit, & semper fiat, quod sapiens indignetur, & sciens doleat, sed quod quantum spectat ad dispositionem ex parte subjecti, & naturale meritum objecti, sapiens facilè indignatur, & sciens dolet.

5. Divus Hieronymus hoc loco, *sapiens dolet, tam in abdito, quam in profundo latere sapientiam, nec ita se mentibus præbere posse, ut lumen visui, sed per tormenta quædam, & intolerandum laborem, jugi meditatione, & studio provenire*: adde ex Augus. immò & Spiritu Sancto; *Qui sapientior est, cognoscit se minus scire, & pugnat contra nescientiam, ac oblivionem, quod est quoddam indignari, ac laborare: cum consumaverit homo, tunc incipiet; Ecclesiastici cap. 18.*

6. Iterum idem Hieronymus, *quanto magis quis* D *sapientiam fueris consecutus, tanto plus indignatur, quod subjaccat vitiis, & vanitatibus, ac procul sit a virtutibus, quas requirit.* Ad quod facit quod addit Hugo, *ex scientiæ aquisitione noscitur nobilitas animæ, unde indignatur, in inferioribus occupari, hinc studiosus justam concipit indignationem in se ipsum, in dæmonem, in vitia, in hæc omnia inferiora se ipso, quibus ex conditione materialis status, quasi deservit, & opprimitur &c.* Ex quibus apparet nullam in esse vim proposito argumento, cum possit (immò ita sit sæpius) esse justa, ac virtuosa indignatio, quæ comitatur sapientiam, & dolor utique non torquens justitiam, sed propensionem ad malum, quæ componi possunt cum delectatione, ac sapore, sapientiæ juxta sensum Doctoris Angelici, & cæterorum.

7. Ex Apostolo, *prima ad Chorin. cap. 8. scientia inflat, charitas verò ædificat*. Sermo igitur etiam hoc loco, esse potest, de scientia inflante, & quæ nescit charitatem, hæc enim certè, & indignationem excitat, & inflans concipit laborem, ac demum parit dolorem: Inflat, superbia replens, evacuans veritatem, nam humilitas est veritas, sicut superbia falsitas, ideo nec scientia in veritate diei potest, & quia superbus summè irascitur sibi obsistentibus, obstant autem, & resistunt, sic scientibus, omnes verè sapientes ideò ubi multa est (intellige in apprehensione eam possidentis) sapientia; multa etiam est indignatio: In quem sensum inclinat Ugo uterque.

8. Non ommittendum, quòd hoc loco ponit Cornel. Alap. quodue didicit ex infusa sapientia Venerabilis Thomæ de Kempis de Imitatione Christi, & in primis capitibus, & frequenter deinceps, nempe quòd Salomon, ibi propriè respicit ad practicam veritatem, & intelligit quod nudum scire virtutem, vanitas est, nisi adsit praxis, & ideò merum scire, quia non pertingit ad propriam perfectionem, nec faciat, relinquit hominem vanum, idest vacuum, ideoque inquietum, mestum, indignabundum, ac doloribus plurimis subditum; & idcirco idem Ecclesiastes cap. 12. concludit totam doctrinam hujus libri, dicens: *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*. Subditque Cornel. ex Olimpiod. quod sapiens est instar Ezechielis, qui jubente Domino comedit volumen lamentationum, quòd in ore fuit dulce, ac postea amarum intùs in indignatione spiritus sui, eo quòd ipsum non satiavit, quod pariter contigit Joanni Apostolo. Apoc. cap. 10. talis est scientia hic in via, quæ initio sui mentem delectat, at eum procedit, dolorem generat, ac laborem.

9. Augustin. *de anima, & spiritu, tom. 3. cap. 49. Qui apponit scientiam, apponit & dolorem, quia quantò magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat, & gemit: meditatio siquidem parit scientiam, scientia cumpunctionem, cumpunctio devotionem, devotio perficit orationem &c.* ejusque sensum exponit Gregor. *lib. 28. Moral. cap. 24. Considerat namque, unde, & quo lapsus est, quòd a Paradisi gaudiis ad ærumnas &c. luget exilium, quod hic damnatus patitur, & suspirat ad cælestis gloriæ statum, quo perfrui securus posset, si peccare noluisset.*

Concluditque idipsum idem Gregor. *in Ezechielem, libro primo, hom. 10. Mentem, quam Spiritus Sanctus replet in amaritudinem temporalium, & delectationem æternorum commovet &c. Rixatur secum, de his, quæ male egisse se recolit, & sibi metipsi displicet, cum ei placere jam cæperit, qui omnia creavit &c. dedignatur itaque subjacere temporalibus, & ardenter suspirat æterna; unde rectè per Salomonem dicitur, eo quod in multa sapientia multa sit indegnatio, & qui apponit scientiam &c. & dum plus sapere incipimus, de his quæ malè egimus, nobis ipsis irascimur, & qui addit scientiam, addit, & dolorem, quò enim scire incipimus, quæ sint cælestia gaudia, eo magis ut errorum nostrorum laqueos*

A *possimus evadere, flendo laboramus: reprehendit semetipsam conscientia, accusat quòd agit, damnat per pænitentiam, quòd accusat: fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.*

Pulcrè ad consimilem sensum idem August. *lib. 4. de Trinitate cap. pr. Præposuit scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem magis, quam scire mundi mœnia, fundamenta terrarum, & fastigia cælorum, & hanc apponendo scientiam, apposuit dolorem, dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ & conditoris sui Beati Dei sui &c.* prosequitur eximia divini amoris energia.

10. Denique ex Doctrina Patrum addi potest, quod cum sapientia procedat per altissimas causas, quo quis per sapientiam ad sublimiora, mente conscendit, eo magis inferiora despicit, & quasi B indignans ea sibi proponi, dedignatur ad ea descendere, dessipiunt enim omnia, ubi sapor sapientiæ, quæ est sapida scientia, degustatur. Per hanc autem nobilem indignationem pervenitur ad pacem, ideoque correspondet dono sapientiæ septima beatitudo: Beati pacifici &c.

Denique. *Qui addit scientiam, addit, & dolorem*, hæc est pulcherrima allusio, ad donum scientiæ, cui secundum Patrum Doctrinam correspondet tertia beatitudo: beati, qui lugent; si enim scientiæ correspondet dolor, & luctus, quo illa gradu ascendet, hic crescet.

Ex his certissime soluta manet objectio, & ita luculenter explicatus textus, ut amplius non liceat immorari.

C

ARTICULUS V.

Quæ ex novo Testamento obiiciuntur ab hæreticis, & stolis, tamquam perniciosa, proponuntur, & exponuntur.

Aliqua dumtaxat, non omnia prælibamus, ne in immensum excrescat opusculum; Peculiaria tamen eligimus, ut ex eorum enodatione methodum accipiat Lector, ad cætera, quę quandoque occurrunt solvenda.

Et quidem in primis, qui humanam impugnant libertatem, ut liberius peccent, pro se adducunt, quòd habetur, *Matth. cap. 18. necesse est enim, ut veniant scandala*, sicut & *prima Chorin. cap. 11.* D *oportet & hæreses esse*: hinc perniciosum educere conantur dictamen contra libertatem, in ipsa Sacra Scriptura sæpissimè assertam, & semper suppositam, sic; vel scandalum est peccatum, vel non; si primum, ergo vel peccatum datur, quod non est liberum, sed necessarium, vel scandalum non est necessarium, ut hoc loco asseritur: si non est peccatum, cur ipsi dicitur, *Veh*: (ut in præsenti) *veh mundo a scandalis*.

Resp. plura plures dicunt, ex quorum copia, potius confusio gignitur, quam solutio. Nos breviter. Respondem. scandalum verè esse peccatum, & imputandum ei, qui illud causat, & in se verè esse liberum, ac voluntarium, in particulari, & in actu exercito; signatè tamen, ut hic accipitur, necessarium esse ut eveniat, immò ut eveniat

niat liberè, hæc autem necessitas neminem cogit in particulari, & determinatè, sed est quædam consequentia infallibilis, ex præsupposita corruptione naturæ, quæ quidem in omnibus reperitur, & singulos inclinat ad malum; Sed ut libertas eluceat, non in omnibus permittitur reduci ad actum: idque evidenter constat; si enim necessitas, de qua loquitur textus præsens, esset rigorosa necessitas, sicut in omnibus est fomes ad peccatum, omnes necessariò essent scandalosi, cum igitur hoc falsissimum sit, æquè falsum est id, ex quo sequitur. Est igitur necessitas, quædam signata, & vaga, præcisivè a quolibet determinato subjecto; porrò quod peccatum sit, quodque vel rigorosè liberum, vel rigorosè necessarium, consideratur secundum actum, & exercitium singulare, cum enim libertas, & voluntas sit potentia bonum respiciens, idque tantum in singulari reperiatur, quia concernit existentiam, non est judicanda nisi penes exercitium actus, aut ommissionis, non autem penes principia omninò remota, & signata, ac vaga, & non determinata ex omni Parte, quæ est legitima doctrina Divi Thomæ, ac Patrum Salmaticensium, quæ passim Thomistis occurrit, & semper supponenda est. Et hæc solutio coincidit cum alia, quæ facilè se offert, ut ex dicendis patescet, pro nunc sensus Patrum, & Doctorum, qui huic doctrinæ non opponitur, sed potius favet, afferendus est.

2. Resp., & subtiliter, æque ac verè Origen. hoc loco, in hoc quod dicitur, *væh mundo*. Pro mundo accipit peccatores; amatores mundi, sicut & Augustinus *in Psalm. 54.* ait. *Mundi, dixit, amatorum mundi, mundi dixit impiorum, & iniquorum, mundi dixit, de quibus dictum est in Evang., & mundus eum non cognovit*; porrò hæc est specialis natura scandali, inter omnia peccata, quod nequeat esse unquam primum peccatum, sed illud supponat, ex quo generetur. Si ergò hic sermo est de peccatoribus, qui plures sunt, quamvis peccata omnia liberè eveniant, tamen semel posita, per naturalem sequelam inferunt ruinam proximi, idque est scandalum, & hic est sensus hujus necessitatis, quia semel positis peccatis, & coram aliis, naturaliter, ideoque necessario sequitur occasio ruinæ proximorum, quam qui peccando intendit, vel non præcavet, scandalum ponit.

Nec refert; si opponis ex doctrina D. Thomæ, scandali peccatum, in eo specialem malitiam importare, quod determinatè ruinam proximi peccator intendat, cum hæc sit conditio circumstantiarum generalium moralium, ut puta odii Dei, scandali, contemptus, & similium, quod non important novam speciem malitiæ, nisi ex peculiari intentione procedant, si ergo necesse est, ut veniant scandala, necesse est, ut peccatores ruinam proximi intendant, sicque redit difficultas, & tollitur libertas, saltem quoad hanc peccati speciem.

Resp. notabile esse, quod dicitur, necesse est ut veniant scandala, sive enim intendatur ruina proximi, sive non, peccante aliquo ejus occasio ponitur, & venit; ex quo apertè intelligitur tex-

A tum loqui de scandalo generaliter, sive prout est circumstantia generalis, quæ malitiam tribuit actum transcendentem, & indistinctam a quacumque specie peccati, & quia ex quocumque peccato, quod notum sit, necessariò sequitur, seu gignitur occasio ruinæ aliorum, ideò dicitur, loquendo de peccatoribus ex propria libertate determinatis ad peccandum etiam coram aliis, quod necesse est, ut veniant scandala.

Dices 2. Hæc quidem doctrina solvit difficultatem, quoad hunc specialem textum, ubi agitur de scandalo, at non quoad textum Apostoli loco citato, cum dicitur: oportet hæreses esse, alia enim est natura hæresis, & natura scandali, sive generaliter, sive peculiariter sumpti.

Resp. neg. ant., ad insertam probationem dici-B mus, diversam quidem esse naturam hæresis, & scandali, at quantum ad præsens spectat, consimilem; sicut enim peccatores, Amatores mundi, ita sine fræno peccant, ut nedum non celent peccatum, sed vel implicitè, vel explicitè glorientur in malitia, ut habeantur tamquam potentes in iniquitate, unde eos increpat Psalm. *Psal. 51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* ex quo necessario sequitur occasio ruinæ proximorum: ita naturaliter sequitur, ex affectu totaliter corrupto, in moralibus etiam perversio rationis, & cordis durities, ex qua duplici ratione resultat hæresis, vel dispositivè, vel formaliter, ut experientia ipsa testatur in omnibus hæreticis: cum enim hæresis sit maximum peccatum, & ve-C rum sit, quod nemo repentè fit summus, per quosdam veluti gradus, ceterorum scelerum, ad hæresim præceps scelestus descendit, hæcque dumtaxat diversitas est, inter scandalum, & hæresim, quod quantum est ex facto, & efficacia mali exempli semper offertur, & sequitur ex peccato coram aliis perpetrato, sive aliter noto, ruina proximè quod est necessariò oriri scandalum, ex demersione verò in baratrum, seù chaos scelerum, & concupiscentiarum, naturaliter quidem, sed dispositivè tantum, sequitur hæresis, quod satis expressit Apostolus dicens, *oportet*, non autem necesse est, *hæreses esse*, quæ est mitior expressio, idque statim restrinxit dicens, *ut qui probati sunt manifesti fiant*; ac si dicat; semel posita perversitate pessimorum hominum, & eorum voluntatiè corrupta ra-D tione, ideò permittit Deus hæreses esse, ut detur opportunitas fidelibus ostendendi propriæ fidei firmitatem: ubi subderet Augustin. *maluit enim Deus ex malis bona facere, quam mala nulla esse permittere*, Non igitur in se, vel in subjecto, in quo sunt, necessariæ sunt hæreses, sed ex suppositione, quod homines quandoque ad eas liberè prolabuntur, opportunæ sunt, & necessariæ per modum oppositi, ad Fidelium probationem. Et hunc sensum indiscriminatim, quoad utrumque textum sequitur Glosa, hoc loco Evangelii, dicens *necesse, idest utile*: Ità & Jo: Chrisost. ibidem dicens, *scandala erigunt homines, & acutiores eos faciunt, ut eum qui cadit, velociter erigant in quantum ingerunt sollicitudinem*; quæ quidem intelligentia optima est, sed ut difficultatem solvas mox traditæ

doctrinæ adnecti debet. Hanc verò doctrinam ideò firmissimè sequimur, quia etsi diversis verbis, eodem tamen sensu, ipsam passim tradit Angelicus Doctor, & specialiter in locum citatum Apost. lect. 4. Et iterum idem.

3. D. Thom. l. 4. sentent. dis. 38. hunc locum explicat, ut compendiosè refert Abulens. ad hunc textum Matth. quod nempe intelligitur, de necessitate conditionata, ex tribus, primo ex Dei prædestinatione, quæ tamen necessitatem agenti libero non imponit, 2. ex inclinatione fomitis, sicut dicimus, necesse est peccare venialiter, quamvis sit possibile, quod singula peccata venialia vitentur. 3. ex utilitate consequentiæ, quam Deus de scandalis elicit. Quam expositionem ideò solum innuimus, quia per partes, eam hactenus prosequuti sumus, ut considerans quisque deprehendet.

4. D. Joan. Chrisost. ad hunc locum: eum, sic: *necesse est*, *non destruit libertatem arbitrii*, *nec necessitatem aliquarum rerum supponit*, *sed quod omninò futurum est prædicit*; *Scandala quippe sunt prohibitiones rectæ viæ*, *non autem prænunciatio Christi*, *non enim præcisè*, *quia prædixit Christus*, *propter hoc futura sunt*, *sed quia futura esse prævidit*, *propter hoc ea prædixit*: sibique obiicit: sed dicetur, fortè homines emendabuntur, & nulla scandala evenient? Resp., & poterant quidem emendari, & tamen non erant hoc facturi, quia spontè hoc facere nollent, quod liberè facere potuissent: sed iterum dicet aliquis: si omnes corrigerentur (id enim facere possent) & nullus esset, qui scandalum afferret, nonne mendacii argueretur hic sermo? respondet: nequaquam, quia enim prævidit inemendatos futuros homines esse, propter hoc dixit, necesse est, ut veniant scandala, idest omninò venient, si autem corrigendi essent, non ita dixisset; certitudinem itaque expressit, non causam inevitabilem posuit.

Sed quærit Abulensis, hic, qu. 36. Si ita est, undenam ista necessitas, vel certitudo eveniendi scandala, quæ hic enunciantur?

Resp. dicendum, quod potest esse necessitas consequentiæ: scilicet necesse est scandala evenire, quia quilibet vult vivere secundum libitum suum; & iste est verus sensus litteræ, est enim inclinatio hominis naturaliter ad malum secundum libitum naturæ lapsæ. *Gen. cap.* 8. *omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum*, & licet rarò possit emendari, coercendo desideria affectus nostri, tamen tolli omninò ista desideria, est impossibile, ex conditione naturæ, si igitur homines volunt vivere secundum ista desideria, necesse est, quod veniant scandala &c.

5. Cohærenter ad hæc, & huc usque dicta Theophil. ad hunc locum: *Quærunt aliqui*, *si necesse est ut veniant scandala*, *cur Dominus arguit scandalorum auctores*? *quidquid enim parit necessitas*, *veniale est*. *Respondet verò*, *sed attendendum*, *quod necessitas ista ex libero arbitrio fortitur originem*; *videns enim Dominus*, *qualiter homines imitantur malo*, *neque proponunt aliquid boni*, *dixit quod quantum est ex consequentia eorum*, *quæ videntur*, *necesse est*

A *contingere scandala*, *sicut medicus*, *videns quemquam mala diæta utentem*, *dicit*, *necesse est*, *hunc ægrotare*.

6. Alii considerando, quæ sint scandala, quæ dicuntur, necesse esse, ut eveniant, aliter exponunt, sumentes pro scandalo non quidem id quod ex se sit occasio ruinæ, sed ex quo accipiunt homines ex sua malitia talem occasionem, idque potissimum esse dicunt, Christi passionem, de qua prophetavit Caiphas in Concilio dicens, *expedit*, *sive oportet*, *ut unus moriatur homo pro populo*, *& non tota gens pereat*: ad quam passionem respiciens Simeon, *Lucæ cap.* 2. *positus est hic in ruinam*, *& in resurrectionem multorum*, *& in signum*, *cui contradicetur*, & Princep. Ap stol. ep. 1. cap. 2.

B appellat Christum lapidem offensionis, & petram scandali his, qui offendunt verbo, & non credunt, in quo, & positi sunt. Quia enim bonum, & malum opposita semper via procedunt, sicut Deus, quia optimus est, novit ex malis bona facere, ita impii, quia pessimi, ex bono, & optimo, sicut est passio Salvatoris, malum hauriunt, & perditionem: clarè Apost. 1. *Chorin. cap.* 1. *nos prædicamus Christum crucifixum*; *Judæis quidem scandalum &c.* & hæc quidem expositio, non est reiicienda, dummodo intelligatur de scandalo, non quidem dato, sed accepto, cuius vera causa est, qui accipit, non id unde accipitur, & concordat cum eo, quod ait Hilarius hoc loco: *humilitas passionis scandalum mundo est*, *quod sub deformitate crucis*, *æternæ gloriæ Dominum noluit accipere*, *& quid mundo tam periculosum*, *quam non*

C *recepisse Christum*: *ideò verò ait*, *necesse est venire scandala*, *quia ad Sacramentum reddendæ nobis æternitatis*, *omnis in eo passionis*, *humilitas esset explenda*. At quia præsens textus generalis est, nec restringitur, ad aliquod singulare scandalum, ideò quamvis verum dicat, hæc posterior intelligentia, non tamen adæquat hunc locum: Melius ergo accipitur, de omni scandalo in omni genere, quod infoeliciter nimis impleri videmus. Sed quare hoc necesse est? præterea quæ hactenus allata sunt, dici potest, quod sic exigente rerum natura, & ordine Universi, necesse est dari varietatem in hominibus, ex qua oritur, quod alter bene operans, alteri displiceat, vel malè, vel etiam bene, quantum in se est, operanti, sed aliter intelligenti, & hoc

D est scandalum, nempe occasio ruinæ ex ignorantia, & varietate, quæ in multitudine necessariò gignuntur, & de omnibus præcisivè dicitur, necesse est venire scandala. At quia scandalum, aliud est datum, & acceptum, aliud acceptum, & non datum, aliud datum quamvis non acceptum; & iterum datum aliud est per accidens, aliud per se, & ex intentione, idcircò discernens Christus, quodnam ex istis sit præcipuè damnandum, subdit: veruntamen væh homini illi, per quem scandalum venit, utique tamquam per hominem, idest per actionem verè humanam, ex intentione tendente ad scandalum.

Sed quæres, quinam ex his dicendi modis, sit præ cæteris eligendus in præsenti? Resp. neminem contemnendum, singuli enim ex auctoritate,

& ra-

& ratione satis firmi apparent, ideò ille præ cæteris eligendus, qui magis & textui, & contextui attentis omnibus insistit, & regulis hactenus traditis magis conformatur. Nobis secundus connaturaliter videtur, cæterique omnes cum eo concordant. Hoc unum tamen decernimus, meliorem enim esse, ex quo fortius, solvitur argumentum.

Alium locum opponunt, *ex Math. c. 5.* quasi fontem scrupulorum ideoque perniciosum, nam ibi ait Christus: *qui dixerit fratri suo Racca, reus erit Concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis;* si enim ita est, quis salvabitur? nonne *stultorum infinitus est numerus. Eccles. cap. 1.* dicendus ne erit sapiens, quem malè agentem, ideoque & stultum evidenter agnoscimus? *Stultus factus est omnis homo* ait Hieremi. *cap. 10. & omnis homo mendax* dicitur, *Psal. 115.* quod simile est, & sæpissimè similia habentur in Sacra Scriptura, quid ergò nobis interdicitur veritatem pronunciare? immò, & præcipitur *Proverb. cap. 26. responde stulto juxta stultitiam suam*: ipseque Christus, quod plus est. Luc. cap. ultimo, discipulis euntibus in Emmaus, ait: *ò stulti, & tardi corde ad credendum.* Ipse autem infallibile est exemplar virtutum qui ait. *Math. cap. 11. discite a me &c.*

Respond. 1. ex contextu, ibi enim dicitur, *audistis quia dictum est antiquis, non occides &c. ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio, qui autem dixerit fratri suo Racca &c.* ubi satis innuit, sermonem esse de ira gravi. Olim in lege veteri solum attendebatur homicidium externum, ut puniretur. At lex nova, secundum quam regnum Dei intra nos est, cum sit lex amoris, summoperè odiis, & iræ resistit, ideò in ea prohibentur etiam motus iræ gravis internæ, quæ est quoddam homicidium, interius inchoatum, & se exerit per quosdam gradus, ut primum corde, deinde signis, postea feriat gladio linguæ; quasi per hoc supplens, quod non potest facilè exequi, & perficere opere completò externo, totale proximi excidium. Patet igitur ex contextu, hoc prohiberi, scilicet iram gravem, & ejus effectus graduales, tendentes ex animo ad finalem affectivè, quæ ex verbis, quæ sunt animi notæ, manifestantur, ipsaque manifestatio facit unum cum ira, & odio interiori; Idque magis patebit ex Patrum intelligentia.

Primò igitur Dionys. Chartus. *in ultimum cap. Lucæ* ad illa Christi verba: *ò stulti, & tardi &c.* inquit: *quæritur, cur Christus Discipulos istos vocaverit stultos, cum alibi dicat, qui dixerit fratri suo fatuè, reus erit gehennæ ignis? Et respondend. quod peccata verborum, pensantur penes intentionem, affectionemque cordium, quoniam ea, quæ sunt in voce, sunt notæ eorum quæ sunt in animo; Christus ergo prohibuit dicere proximo fatue, ex contemptu, derisione, aut simili vitiosa radice, non autem ex charitate, & zelo justitiæ, rationabili causa id exigente.*

August. lib. 9. de Civ. Dei, notato prius, quid sentiant de passionibus hominis, tum Stoici, cum peripatetici, subdit. *In disciplina autem Christiana; non tam quæritur utrum prius animus irascatur, aut*

A *tristetur, quam unde.* Ac propterea Hieronym. in catena aurea, ad hunc locum; *in quibusdam,* inquit, *codicibus additur, sine causa, cæterum in veris definita sententia est, & ira penitus tollitur. Si enim jubemur orare, pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur. Radendum ergo est,* sine causa, *quia ira viri justitiam Dei, non operatur.*

Iterum Augustin. subtiliter, *in l. retract. 1. cap. 19., illud etiam dicimus intuendum, quid sit irasci fratri suo, quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur.* Consequenter Chrisost. *super Matth. puto autem non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de iracundia animæ, caro enim non potest obedire, ut non conturbetur; Quando ergo homo irascitur, & non vult facere quod ira compellit, caro ejus irata est, animus autem ejus non est iratus.*
B *Immò, qui irascitur cum causa non erit reus, nam si ira non fuerit, nec Doctrina proficit, nec juditia sunt, nec crimina compescuntur.* Similia habent communiter Patres, ut nos instruant, ne materialiter, & divisim Evangelii dicta sumamus, sed attentò contextu, ex quo intentio dicentis innotescit.

Sed ibi quæres, ex occasione hujus textus. Quid significet Racca, quid gehenna, cetera enim ex se satis patent.

Resp. quoad primum, ex August. *l. primo, de serm. Domini in Monte. Nonnulli de græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes, pannosum dici, Racha, quoniam græcè pannus dicitur Rachos. Probabilius autem est non esse vocem significantem aliquid, sed indignantis animi motum*
C *exprimentem: has autem grammatici vocant interjectiones, sicut cum dicitur a dolente. Heu.* Addit Chrisostom. ad hunc locum, *vel Racha est verbum contemptus, & parvi pensionis, sicut enim nos, vel famulis, vel junioribus aliquid injungentes dicimus, vade tu, dic illi, ita & qui Syrorum utuntur lingua, Racha dicunt pro tu: Dominus enim, & quæ parvissima sunt evellis, & cum honore nobis invicem uti jubet &c.*

Sed peritissimus linguarum Hieronymus, sic interpretatur: *Racha hebræum verbum est, & dicitur Kenos græcè, inanis, aut vacuus latinè, quem nos possumus vulgata injuria, sine cerebro noncupare. Signanter autem addidit, qui dixerit fratri suo; frater enim noster nullus est, nisi qui eundem nobiscum*
D *habet Patrem.* Restringitur igitur hoc a Hieronymo, ad domesticos fidei nostræ, qui nobiscum dicunt, Pater noster, qui es in Cœlis, qui specialiter secundum ordinem charitatis, diligi debent, quòd & semper per unamquamque collectam insinuabat, dilectus Domini Joann. *Filioli diligite alterutrum, quippe, qui Filios non dicebat, nisi quos in Domino genuerat.* Attamen Christus plus exemplo docuit etiam, quam verbo. Hic enim prohibet, ne dicas fratri tuo, Racha, ex iracundia videlicet, & ad injuriam, & ipse proditori suo, inquit, *amice ad quid venisti?* quod si nec proditori suo, in quem Sathanas introierat, voluit Christus dicere, Racha, deduceret hic Chrisost. (qui absolutè hoc loco idem dixit) *quam indigna res est dicere hominem vacuum; qui habet*

in

Spiritum Sanctum.

Quærebatur, quid propriè veniat nomine Gehennæ. Resp. ex Aug. apud D. Thomam in catena aurea: *quisquis autem dixerit, quo graviori supplicio punitur homicidium, si gehenna ignis punitur convicium? cogit intelligi esse differentiam gehennarum &c.* Pro gehenna ergo ignis, intelligit August. non solum vallem Inferni, sed genericè tormenta Inferni, unde quia illic diversitas erit tormentorum, sicut diversitas illuc ducit demeritorum; ideò differentiam concedit Gehennarum. Vel dic cum Chrisost. *in Matth. hom. 16. Judicium & concilium sunt pœnæ in præsenti, gehenna autem pœna futura.*

Concludit denique, & satisfacit quæsito Rabanus in Matthæum, dicens: *Gehennam hic Salvator Inferni cruciatum nominat, quam nomen traxisse putant a valle Idolis consecrata quæ est juxta Hierusalem, repleta olim cadaveribus, quam & Josias contaminasse, in libro Regum legimus &c.* & hæc satis quoad propositum articulum, at quia alia quædam ex canonicis epistolis opponuntur, quæ dissimulare iniquum esset, alium subnectimus.

ARTICULUS VI.

Quædam pauca ex canonicis epistolis ab hæreticorum calumniis eruuntur.

Nondum satis impugnata veritas, ut semper magis triumphet, jam sistebat calamus, cum nuper proposita quædam ex epistolis canonicis, eundem reassumere coegerunt, in detrimentum quidem brevitatis, sed non veritatis, cui potissimum obedimus. Et quidem in primis, perversis videtur, vel falsum, vel perniciosum, quod ait Apostol. *1. Timoth. cap. 1. scientes hoc, quia justo non est lex posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus &c.* si enim inquiunt, hoc admittitur, jam lex non est mensura justitiæ, quia eam non respicit, & sic justus non erit, qui servabit legem, cum illi data non fuerit; immò sequi videtur, quod semel justus, eo ipso fit impeccabilis, cum careat lege, quam violando peccet, & semel peccator, solus ipse sit capax iterum peccandi; quia solus ipse sub lege detinetur. Ex alia verò parte dicunt, videtur implicantia in terminis. Quomodo enim justus, quem lex non dirigit, quomodo lex justa dicetur, si justos non curat, nec promovet, nec detinet intra limites suos, ne fiant injusti. Iterum autem sic, cum semper sit invenire primum peccatum, certè ante illud homo non erat peccator, porrò qua ratione evasit peccator, nisi qua legem violavit? peccatum enim in communi omnium sensu, est dictum factum, vel concupitum contra legem, ergo in illo priori, cum non erat peccator, erat sub lege.

Respondetur, hæc apparentia esse, & vana, si veritatem litteræ sincerè consideremus, nam paulo ante, eodem loco immediatè ait idem Apostolus: *scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitimè utatur.* Sic enim arguimus, qui lege legitimè utitur, certè est justus; & illi bona est lex, ipseque bonus est legi, ergo justus non est exlex, nec lex a propria ditione justum dimittit, quin potius justi justitia in eo est, quod juxta exigentiam legis, lege bona utitur bene; Oportet igitur, ut quæ apparentia sunt, evanescant; intimum hujus loci sensum rimari, cujus vis in duobus consistit, nempe in eo, quod dicitur posita, & in fine, ob quem est posita, & insuper in legum distinctione, quæ priora constabunt ex doctrina D. Thomæ, & Patrum. Quoad tertium breviter dicimus, sermonem hoc loco esse de lege positiva, non de lege naturali, quæ præcedit omnem justitiam, & injustitiam, quæ secundum ipsam pensantur; & in hoc est error arguentis, qui perperam hunc locum accipit de lege naturali, in quo solum sensu aliquam vim haberent argumenta, qui proinde in falso supposito laborant, finguntque sibi hostem, quem feriant. Quantum igitur ad legem positivam, audi D. Thom. hoc loco, lect. 3. *Posset esse duplex falsus intellectus: unus, quod justus legem non servat, quod falsum est, quia nisi servaret eam quoad moralia, justus non esset. Aliud, quod justus non obligatur ad præcepta legis, & non peccaret, si faceret contra ea, quod tamen esse non potest. Sed verus sensus est, supponendo quia quod alicui imponitur, sicut onus imponitur: lex autem justis non imponitur sicut onus, quia habitus eorum interior inclinat eos, ad hoc, ad quod lex, & ideò non est eis imposita, Rom. cap. 2. Ipsi sibi sunt lex.* Ita Angelic. ubi ut clarum est, vim facit in hoc, quod ibi dicitur, lex posita, vel imposita, quod dicitur de eo, quod aggravat, sive non placet, & quia justi toto corde legem amplectuntur; quasi levamen, non quasi onus. Iniqui verò coactè eam ferunt, quam abhorrent, & nollent eam esse; ideò dicitur lex posita injustis, non justis, quod tangit intimè sensum Apostoli, prius dicentis, quod bona est lex, idest suavis bene mentibus.

Alium addit sensum idem Angelicus ibidem. Inspiciens motivum legis: non enim movetur Legislator ad ferendum legem maximè coercitivam ex moribus justorum, sed iniquorum, qui fræno indigent: Ideò subdit: *vel aliter, lex non est posita pro justis, sed pro injustis: qu. d. si omnes justi essent (idest conformes juri naturæ) nulla necessitas esset dandi legem, utique positivam, quia omnes essent sibi ipsis lex.* Explicat verò: *intentio bonorum debet esse, ut alios inducant ad virtutes. Quidam autem per se sunt benè dispositi ad virtutes. Alii habent mentem benè dispositam, sed per alios, & istis sufficit paterna monitio, non coactiva. Alii autem nec per se, nec per alium benè disponuntur, ideò eis omninò est necessaria lex, ut patet in Ethicis.*

3. Resp. est, dictum Apostoli, ut clarè indicat littera, intelligi, nedum de lege positiva, ut sic, sed de positiva prohibitiva, & pænali. Ita D. Joann. Chrisostom. in præsenti, idque explicat per illud Apostoli, *ad Rom. cap. 13. Vis non timere potestatem, bonum fac, ac si diceret, lex malis suppliciorum denunciativa est, cæterum ei, qui*

coronis

coronis digna peregerit, ad quid erit utilis talis lex? ad nihilum prorsus, quemadmodum, & medicus vulnerato, non sano prodest: unde illud? lex iram operatur, quid igitur ad eum, qui meretur honores? intelligit igitur ibi pro justo eum sumi, qui sequitur consilia, ac si lex essent, unde superat legem, & ita lex ipsi non datur, quia eam antecedit, quæque data est, ut metu, ac comminatione deterreat a peccato, non igitur frænò opus est, mansueto, & obtemperanti æquó. Et post subdit: *ille lege legitimè utitur, qui majora, quam illa præcipit, ipse perficit, qui ab ea erudiri non patitur, lex enim ut plurimum circa scelerum interdicta versatur.* Hæcque omnia adeò perspicua sunt, ut nec ipsa explicatione, nec argumenta, ulteriori indigeant solutione.

Alium textum opponunt, qui prima fronte pietatem videtur offendere, ex 2. *Chorin. cap.* 5. ubi sic: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos &c.* Quid enim magis pietati novum, quam quod Christus, qui nos redemit a peccatis nostris in sanguine suo, qui factus est pro nobis propitiatio, & redemptio, dicatur esse peccatum ipsum, & non utcumque, sed ita factum esse à Patre?

Resp. hanc etiam apparentiam esse, quam sibi pingit ignorantia, vel inadvertentia legentis, nec intelligentis; ad exprimendam enim, summam Dei misericordiam, justitiam, & amorem aliter pervenire non poterat scribens, quam per similem quasi excessum, excessum enim appellat Christi passionem Evangelista Matth. cap. 17. legenti verò, quod sequitur clarè patescit veritas; subdit enim, *ut nos efficiamur justitia Dei in ipso*, ergo ille, qui assumendo peccata nostra in se, ad expiationem, peccatum factus est, in hoc ipso est ipsa justitia Dei, & nos in se ipso facit esse justitiam Dei, ergo quod dicit Apostolus, insigne elogium est divinæ sanctitatis in Christo, justitię amoris, ac sapientiæ in Patre: ast in sublimibus mysteriis nihil ex proprio marte audemus; doceat ergo Angelicus, qui hoc loco sic: *pro nobis fecit peccatum, tripliciter exponitur. Primo modo, quia consuetudo veteris legis est, ut sacrificium pro peccato, peccatum nominetur. Osea cap. 4. peccata populi mei comedent, idest oblata pro peccato, & tunc est sensus, fecit peccatum, idest hostiam pro peccato.*

2. *Alio modo, quia peccatum aliquando sumitur pro similitudine peccati, vel pro pęna peccati. Roman. cap. 8. misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, idest de similitudine peccati damnavit peccatum, & tunc est sensus: fecit peccatum, idest fecit eum assumere carnem mortalem; & passibilem.*

3. *Quia aliquando dicitur hoc esse hoc, vel illud, non quia sit, sed quia opinantur homines ita esse, & tunc est sensus. Fecit peccatum, idest fecit eum reputari peccatorem. Isaiæ cap. 53., & cum iniquis reputatus est, & hoc quidem fecit, ut efficeremur justitia, idest, ut nos, qui peccatores sumus; efficiamur non solum justi, sed immò ipsa justitia, idest justificemur a Deo, vel justitia, quia non solum voluit nos justos, sed etiam voluit, quod per nos, alii*

A *justificarentur; justitia dico Dei, non nostra &c.*

Pro coronide divinæ hujus doctrinæ, accipe Chrisostomum hoc loco, ubi divina commendans beneficia nobis in Redemptione collata, concludit: *quod multò his præstantius erat, posuit, quidnam autem? eum, qui non noverat peccatum, qui ipsamet justitia erat, peccatum fecit, hoc est, ut peccatorem condemnari, & ut sceleratissimum hominum passus est mori: quænam oratio, quænam mens hoc exprimere queat? justitiam peccatum fecit, ut peccatores justos efficiat: dixit peccatum, non peccatorem, ut efficiamur non solum justi, sed justitia ipsa, atque adeò Dei justitia: Dei enim est ipsa justitia, cum non ex operibus (nam in iis, nullam labem reperiri necesse esset) sed ex gratia, quæ peccatum omne prorsus delet, atque extinguit, justificemur:* B *Hoc porrò dupplex commodum nobis gignit. Nam nec animis efferri nos sinit (quod videlicet Deus nobis id totum tribuerit) & beneficii magnitudinem ostendit: prior enim illa legis, atque operum justitia erat: hæc verò Dei justitia est:* Ita Chrisost. Si autem quæras, quare dicatur: peccatum fecit, & non potius peccatorem, quamvis ex allegatis D. Thomæ, ac proximè D. Joan. Chrisost. satis clarè eluceat.

Respond. tamen, quod cum oppositorum eadem sit ratio; & eodem modo in oppositum nominentur; sicut peccatum opponitur justitiæ, ità de illo, curatione sui convenit justitia substantivè, si semel de ipso prædicari debeat oppositum, scilicet peccatum, id pariter substantivè de ipso dici C debet, proportionabiliter tamen, & in sensu, quem supra explicat D. Thomas, sic ergo cum Christus dicatur justitia substantivè, & re ipsa, ratione sui, ita cum in se nos assumit, & peccata nostra omnia portat super lignum crucis, apparens solus, quod nos omnes sumus, non dicitur peccator (ad hanc enim denominationem sufficit unum, aut plura, non requiruntur omnia peccata) ne videatur de ipso prædicari peccatum proprium, sicut in nobis contingit, cum peccatores dicimur, quòd in ipso nedum falsum est, verum etiam impossibile; sed potius dicitur peccatum, quod subtiliter observasse videtur Apostolus, ipsum appellans justitiam, & peccatum, ac subdens, *ut efficiamur justitia Dei in ipso*, quasi subintelligens, sicut ipse videlicet factus est peccatum in D nobis, ratione scilicet peccatorum, quæ omninò nostra sunt, sicut vera justitia omninò sua est, ita ex hoc ipso nos efficimur justitia Dei in ipso.

Vel cohęrenter etiam ad hoc ipsum: ita locutus est Apostolus, & exprimendam unico verbo inexprimibilem peccatorum omnium nostrorum, & multitudinem, & gravitatem, & eorum offensę infinitatem, quæ omnia in se solum quoad omnem reatum, ut pro eis satisfaceret, assumpsit, & transtulit Christus. Tanta enim fuerunt, ac talia, ut ipse, *Psal.* 39. diceret, videlicet tamquam caput in persona corporis: *circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem, multiplicatæ sunt &c., & Psal. 68. Veni in altitudinem maris, & tempe-*

tem, de quo certè venia non petitur, sicut Naaman rogabat, de hac coöperatione sua, cum Rex adoraret.

Sed etiam impugnatur: si ille erat actus indifferens, ergo non apposito recto fine, malus erat, rectus autem finis ibi locum non habet, ubi immediatè contradicitur ultimo fini, primoque principio, in materia Religionis; ut evidens est: Tum etiam in illo actu erat saltem equivocatio protestationis falsę religionis, & fortè hac minor, illa Chinensium, post tot quęstiones, summo zelo per tot annos nuper agitatas, ut notissimum est, denique damnata fuit.

Subscribit nihilominus huic impugnatę opinioni, Cornelius Alap. in hunc locum, & pluribus conatur defendere, actum Naamani licitum fuisse contra Valentiam, oppositum asserentem, aliosque, idque in eo fundat, quòd Elisęus cum esset Propheta Domini, repressisset Naaman, si injustum petiisset. Id tamen refellit Valentia; quia Elisęus ideò negativè se habuit, quia videbat Naaman, tunc incapacem correctionis, & opportunius putabat, correctionem tempori, quo profutura esset, reservare.

Alia addit Cornelius, a quibus abstinemus, quia neutri parti satisfaciunt, nisi fortè id, quod prudenter notat, nempe quod Naaman erat tunc velut Initialis, & imperfectus Cathecumenus, non adhuc verus Dei cultor; non Judęus, aut Proselythus, quia non erat circumcisus, unde adhuc erat Gentilis, & Deum verum colebat, sicut colebant Patres ante diluvium, in statu legis naturę. Sed hoc etiam non caret scrupulo, quamvis enim verum sit; quòd erat in fide Novitius, ac propterea, ut ait Valentia incapax correctionis Sancti Prophetę, tamen jure naturę tenebatur cavere a cultu Idoli, sicut & Patres antediluvium, nec umquam in hac materia admitti potest status neuter, quem quasi statuere videtur Corn.

Magis rem tangere videtur Cajetan. quod & secundum partem aliquam innuit Cornelius. Sensus igitur Cajetani (non tamen verba) est. Elisæus nec concessit, nec approbavit, nec permisit Naamano Idololatriam, ubi notamus. Plura petierat Naaman ab Elisæo, nempe licentiam redeundi ad sua, auferendo secum partem aliquam terræ Sanctæ, & quod rogaret Dominum, ut ignosceret ei, si cum Rege, ob munus suum implendum inclinaretur ante Remnon Idolum. Cum ergo Propheta ei dumtaxat responderit, vade in pace, primæ tantum petitioni respondit, qua licentiam quærebat abeundi, ideò dixit, vade in pace, nihilque addidit de adoratione illa, vel de oratione, de qua Elisæum rogaverat ad hoc ut ignosceret ei Dominus, si adoret &c. nec quidem de adoratione, in qua est difficultas, tenebatur Elisæus respondere, non enim de ea interrogatus fuerat, an liceret, sed tantum rogatus, ut oraret Dominum pro venia, quando eam exhibuisset. Adde primò quòd in eodem capite promiserat Naaman, se non amplius litaturum diis alienis, nisi verò Deo, quem se cognovisse profitebatur; jam igitur affirmaverat, se esse fidelem, unde inconsequenter conferetur interrogare, an liceret ei infidelitas: Quid ergo locutus est de illa adoratione simul facienda cum Rege? Respondemus, sicut pænitens, in præsenti statu gratiæ confitetur peccata sua, & proponit efficaciter emendationem; sciens autem propriam fragilitatem, quam sæpè expertus fuit, Confessarium humiliter deprecatur, ut roget Dominum pro ipso, ut si iterum fortè, vel graviter, vel leviter peccet, dignetur ei iterum veniam impertiri, quod non est petere licentiam iterum peccandi, sed exprimere desiderium, divinam misericordiam consequendi. Ità Naaman, proportione servata, abjurato coram Propheta Idolorum cultu, timens se fortè in aliquo casu evitare non posse, apparentiam illam falsæ Religionis, quæ suspicabilis est in hoc, quod simul cum Rege ante Idolum inclinetur, rogat Prophetam, ut Dominum deprecetur, ut ei ignoscat pro hac re: Ideò ait, si, non determinatus ad malum, sed timens illud incurrere, quod prius abjuraverat.

Ex hac intelligentia plenè solvitur argumentum oppositum: negamus enim, quòd Naaman petierit facultatem a Propheta adorandi simul cum Rege, cum textus huic expositioni resistat, concedimus quidem eum actum illicitum esse, & contra veram Religionem, quidquid dicant plures cum Cornelio, qui citat pro se Augustinum, sermone 107. qui est de Naaman, cum tamen Augustinus in tali sermone, nec quæstionem hanc, vel minimè tangat, neque hanc textus partem, in qua versatur præsens controversia exponat, neque saltem commemoret, ut quisque videre potest: sed negamus Prophetam, vel dispensasse, quod non poterat, vel concessisse quod non petebatur, vel approbasse, quòd ipse Naaman iniquum supponebat, absque dubitatione, & quæstione; vel permisisse; id de quo non erat interpellatus; ideò autem eum non coarguit, aut correxit, quia effectus correctionis immediatus, alius esse non poterat, nisi quod timeret malam operationem, ipsamque abhorreret; qui ergo jam ostendebat timorem, in eam incurrendi, & cognitionem malitiæ illius, quam abjuraverat, frustrà corrigeretur. Immò qui tam rectum cor ostendebat, debebat a Propheta in pace dimitti, ne si objurgaretur sine causa, scandalizaretur. Nec obliviscendum, quòd supra notavimus in punctuali textus examine; quod Propheta dicens, vade in pace, respondit Naamano quoad illam partem propositionis, secundum quam ex urbanitate, Naaman a Propheta facultatem petierat abeundi, cum aliqua parte terræ Sanctæ in signum, quòd imposterum numquam litaret diis alienis, sed soli Deo; hoc concessit, hoc approbavit Elisæus dicens, vade in pace, quasi dicens, si fidelis eris Deo soli, ut promittis, ei tantum sacrificans ritè, hoc est in altari, ex terra Sancta composito, pacem habebis, quia non est pax impiis; ex quo sequitur, si oppositum quid verę fidei præstabis, pacem non habebis: Qua igitur, vel somniata, mali approbatione, potest dici concessisse, quòd illicitum erat? Non ergo immorandum, sed mirandum,

randum, quòd homines alias Doctissimi, ad similes redigantur angustias, ut vel dicant dispensasse Elisæum, quod non poterat, vel ut hoc evitent, actum illum, revera malum a malitia frustra denudare contendant, incidentes in Scyllam, dum student vitare Charibdim. Nec tamen propterea Doctores damnamus, quos usque ad aras quoad possumus, veneramur: nempe usque ad aras, agitur enim nunc de ara, & adoratione veri, aut falsi numinis. Quin potius persuasum habemus viros adeò Doctos ac Religiosos non excusaturos a malitia talem actum, de quo nunc agimus. Si præcessisset, quo tempore scribebant, Doctrina, & Decretum Sanctissimi Innocentii XI., qui sequentes propositiones damnavit anno 1679. die 4. Mens. Martii videlicet 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*. Et 51. *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, aut Domo expellatur*. Quamvis enim diversus ab istis sit casus, qui nunc propositus fuit, adeò tamen similis utrobique est doctrina, ut aliqui ex præcitatis Doctoribus ad sustinendam indifferentiam actus Naamani, cogantur concedere, & de facto concedant eandem indifferentiam, & carentiam malitię, actibus in secunda propositione damnatis, ut legens eorum opera facilè, & evidenter deprehendet. Quòd autem in prima damnatur, simile in materia est casui nostro.

5. Denique obiiciunt Manichæi, insanias suas adversus vetus Testamentum, quibus nunc non vacat aurem, aut calamum præbere, & cum eis alii etiam, qui vetus Testamentum, tamquam quid omninò reiiciendum contemnunt. Non videtur stare posse cum vera fide in Christum illud admittere, quod prædicabat venturum, unde & Apostolus Petrus a Paulo reprehensus est ad Galat. cap. 4., quia gentes, quæ veniebant ad fidem cogere videbatur ad Judaizandum, quod est errare contra Evangelium, porrò vetus Testamentum nunc admittere, est Judaizare.

Confirmatur. Idem impossibile est etiam per divinam omnipotentiam simul secundum idem futurum esse, præsens, & præteritum; atqui vetus Testamentum, Christum protestatur futurum; Novum autem, eundem jam advenisse, & in æternum esse, ergo utrumque simul colere est mentiri, falsumque, & impossibilem profiteri Religionem, quo quid perniciosius?

Resp. hoc argumento probari, Testamentum vetus quoad mores, & ceremonialia, ac Judicialia, aliaque hujusmodi, quæ erant determinatæ, & speciales protestationes futuritionis Christi, nunc verè evanuisse, ita ut ea nunc exercere, quę tunc vitalia erant, mortiferum esset, ut communiter tota sentit Ecclesia, ut alibi cum Divo Augustino, & Angelico, cęterisque ostendimus. Ideoque Paulus rectè in faciem Petri restitit, cum vi-

A debatur cogere gentes ad Judaizandum, quasi miscendo ritus utriusque Testamenti, sicut patet ex celebri epistola Augustini ad Hieronymum, super cap. 4. epistolæ al Galatas. At ex hoc non sequitur, a Sacro volumine ea esse abolenda, immò potius retinenda, & legenda, ut sciant fideles, quid debeant nunc vitare. Ea certè figura erant venturi Messiæ, atquis adeò destituitur lumine naturæ, ut figuram præsentis Regis comtemnere audeat, & abolere? venerabilis, & nunc est ea lex, quam dignatus est Christus implere, ejusque jugum assumere, ut eo nos alleviaret. Adveniente igitur, quod perfectum est evacuatum fuit, quod ex parte erat, & quem præsentem advenisse gaudemus, futurum nunc esse negamus, placet tamen, & juvat recolere ac meditari solemnem adeò
B Redemptoris futuritionem, & expectationem, ac præfigurationem, ut ex ea discamus, & tanti boni, quo præsente fruimur excellentissimam dignitatem, & privilegium nostrum ac gratiam, qui ad hæc tempora, cum beneficia ipsius, ac perfectissima Sacramenta participamus in lege amoris fuimus reservati. Certè totum vetus Testamentum, sicut olim erat præparatio, ita nunc est prædicatio Christi, ut in tanta temporum, ac statuum diversitate maximè eluceat, eadem unitas veritatis, & dignoscatur utrobique finis legis Christus, ad justitiam omni credenti, & lapis angularis, qui fecit utraque unum. Illic promissus est, ibi datus: at quomodo divinam cognoscemus veracitatem ac veritatem in promissione servanda, nisi,
C & promissionem præteritam, & præsens donum conferamus? Adsit ergò non frangatur speculum, ut ex eo præsens lux reflectatur.

ARTICULUS IV.

Moralia quædam Sacræ Scripturæ loca, quæ perniciosa videntur, obiiciuntur, & declarantur.

OMmissis pro nunc, quia alibi fortè solventur, quæ obiiciunt cum Theodoro, Mouspesteno, Luthero, cæterisque hæreticis, Hebræi quidam, ut referunt Cornel. in Prologem. ad librum Ecclesiastæ aliique Commentatores librorum Sa-
D pientialium, ne eadem pluries repetamus, ea, quæ nunc facilè occurrunt, ex mente Patrum refellemus. Et quidem rationabilis difficultas, aut objectio contra præsentem regulam nulla est: est enim rectæ menti inexcogitabile, Sacram Scripturam, quæ totius magisterium est sanctitatis, ac sapientiæ, ad malos mores posse deflectere, aut eos, vel minimum fovere, cum certissimum sit etiam Ethnicis philosophis, quod omnis peccans est ignorans; at quia ex primo peccatore didicit peccatrix posteritas, & fingere laborem in præcepto, & excusare quod accusandum est, declinantes cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, mirandum non est, si sciolos homines, quandoque audimus, scrutantes, aut potius somniantes apparentiam perniciei, in ipso fonte salutis, ut ipsa sancti-

ſanctitatis doctrina, proprias vel tegant, vel protegant morum fallacias.

Ut eas igitur detegamus, loca quædam Sacræ Scripturæ, quæ inique calumniantur, breviter opponemus, & exponemus.

Primus locus eſt *Ecclеſ. cap. II. Lætare ergò Juvenis, in adoleſcentia tua, & in bono ſis cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum &c.* Hæc ſi ſeorſim a textu, & abſolutè conſiderentur, vix valent ad bonum trahi, videntur enim conſilium voluptatis, & luxuriæ continere cum licentia quadam ad liberè ſequendas paſſiones, quæ ſunt viæ cordis, per quas egreditur a ſe ipſo, vel ad ſequendum, quo ducunt ſenſus, qui ſunt viæ animæ ad extra, per quas ut dicitur: *Hierem. cap. 9. Mors aſcendit, ſicut per feneſtras*: & canebat ſingillatim de oculis poeta: *ſi neſcis, oculi ſunt in amore duces*; conſiderando tamen, quæ ſequuntur eodem textu, clarum eſt, quod hæc quæ opponuntur, vel ſunt ironicè dicta, ut notat L'Hayè in prologom: vel aliam habent figuram; ſequitur enim, *& ſcito, quod pro omnibus his adducet te Dominus in judicium*, ex quo apparet, quod præcedentium ſenſus eſt, permittentis, ut advertat malum, vel potius minitantis, ac ſi dicat: ſi lętaris Juvenis, ſcito, quod Judicaberis, idque deducitur ex præcedentibus, cum ait prius: *ſi annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis*, hoc eſt diei Judicii, quæ dicitur, *Joel cap. 2. dies tenebrarum, & caliginis*, eſt ergo idem ſenſus, qui ut magis imprimatur, iterum inculcatur modo dicto, & quod dicitur de omni ætate hominis ſimul, ſupra præcipuè applicatur Juventuti, in qua eſt major neceſſitas, ſimilis recordationis, ſicque ſubjit. *Lætare ergo Juvenis*: & hæc quidem juxta ſuperiores regulas videtur optima expoſitio, ut tamen ex re clara diſcat ſtudioſus etiam in obſcuris aperire abditam veritatem (non enim Inſtituti noſtri eſt omnia & ſingula ſigillatim ad examen vocare) placet, quæ hoc loco tradunt DD. breviter prælibare.

Vertunt 72. Ambula in viis cordis tui Immaculatus: ac propterea, Patres quidam, qui ſequuntur verſionem, 72. planè procedunt ſicque ceſſat objectio. Hinc D. Ambroſ. legit, vel commendat hunc locum, in exhortatione ad Virgines: *ambula in viis cordis tui ſine macula, & in aſpectu oculorum tuorum, non in audacia oculorum tuorum, In aſpectu ſpirituali, non in audacia ſæculari.*

Gregor. lib. 24. Moral cap. 4. intelligit hoc, relative ad illud Apoſtol. *ad Philipp. cap. 4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete, modeſtia veſtra non ſit omnibus hominibus. Dominus enim prope eſt*; videtur enim ſub diverſis verbis, idem ſenſus utrobique.

At quia plures ſentiunt, juxta vulgatam, cujus verba hoc loco, non ſonant in bonum; idcirco Cornel. probat, ut ſupra notavimus, dictum hoc eſſe ironicum, exemplo *Threnorum cap. 4. Gaude, & lætare Filia Edom*, cui ſubditur mox excidium, a Nabuchodonoſ. ei inferendum: *Ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis*: Similia

A. habentur etiam Iſaiæ cap. 14. & Ezechiel cap. 28., & alibi frequenter utitur hoc ſtylo Scriptura. Quommodocumque verò hæc intelligantur, evaneſcit objectio, immò locus moralis apparet, eleganter ad bonum inducens; Si enim ſumantur priores ſententiæ, ut ſonant in malum permiſſivè, ſic ea, quæ ſequuntur, magis terrent, nam oppoſita juxta ſe poſita, magis eluceſcunt; ſi ſumantur in bonum, ut leguntur 72. Interpret. & plures Sancti Patres; ex illis deducitur, quod etiam ea, quæ benè aguntur (cum non ſunt cruces, & paſſiones ad imitationem Chriſti; hac enim via, ſine timore Judicii procedimus) etiamſi ſint ſpiritualibus deliciis illita, etiamſi conformentur rationabiliter ætati, quæ ad dulcia propendit, etiamſi ætas illa prior, inconſiderata ſit ex defectu experientiæ, B omnia adamuſſim in Judicio diſcutientur, & diſcernentur, etiam intuitus oculorum, & viæ cordis latentes; at quanto magis malitia judicabitur ab eo, qui in Angelis ſuis reperit pravitatem, & ſtellæ non ſunt mundę in conſpectu ejus, quoniam ſicut pannus, menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ?

2. Alius eſt locus ejuſdem *Eccl. cap. 1.* quem reſervavimus, quia majorem exigit diſcuſſionem, & majorem præſefert apparentiam oppoſitionis, ad præſentem regulam, tamquam perniciosum; & avertens animum, ab inquiſitione veritatis, & ſapientiæ, ex qua omnis pendet rectitudo humanæ operationis, cui opones id quod legimus, in poſteriori parte cap. citati, *eo, quod in multa ſapientia, multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam, addit &* C *dolorem*, hęeque cauſa aſſignatur vanitatis ſtudiorum noſtrorum, ex quo videtur ſequi contradictio ad totum librum Sapientię, cujus pręcipuus ſcopus, & intentio eſt inducere homines ad amorem, & ſtudium ſapientię, immò ut patet, etiam ad librum ipſum Eccleſiaſt. ſequitur enim contra id, quod ibi dicitur, ergo applicare, & dedere cor ſuum, ad ſciendam prudentiam, & doctrinam, erroreſque, & ſtultitiam, quod quotidiè pręſtamus immenſo labore, ſtudentes, legentes, audientes, meditantes, hoc totum, vanitas eſt, & non ſolum vanitas, ſed pręjudicium rectę rationis, quę indignationem deteſtatur, & dolorem, cum labore quærere ad vanitatem damnat, cum tamen verum ſit, quod in multa ſapientia multa ſit indignatio, D ergo cum ſapientia, proportionaliter aquiritur indignatio, & cum additione ſcientiæ augeſcet dolor: qui ſenſus venenum nutrit rationis, & fovet cum otioſitate, & ignorantia, univerſitatem malorum, ac errorum, quorum Seminarium ſemper ignorantia fuit, ac propterea in Alchorano prohibetur ſapientia, & ſcientia, ac doctrina, ut liceat omne malum. Ex quibus apparet, non modici momenti eſſe, rem hanc aperire, maximè cum ex hoc pendeat ſimilium, quæ pluries in libris Sapientialibus occurrunt, intelligentia; & noſtri muneris eſt, qui totam ſigillatim Scripturam explicare adamuſſim nequimus, ex temporis anguſtia, plura quantum poſſumus ad unum vocare, ut compendio complectamur, quantum fieri poteſt, univerſa.

Augetur difficultas, ex eo, quod habet D. Thom. in

in oppositum prima secundæ qu. 17. art. 1. In contemplatione veritatis, maxima delectatio consistit, omnis autem delectatio dolorem mitigat, ideò contemplatio ipsa dolorem lenit, & tristitiam, & quò major est, tanto magis. Ideoque homines ex contemplatione divina, & futuræ beatitudinis, in tribulationibus gaudent. Actorum cap. 5. Ibant Apostoli. gaudentes a conspectu Concilii, quoniam &c.

Resp. hoc unum convincit præsens objectio, quod planè concedimus; hunc locum non esse cum vulgo intelligendum, aut prætereundum, sed subtiliter cum Sanctis Patribus, Ecclesiæ Doctoribus enucleandum, quod breviter exhibemus. Nulla tamen pernicies, contradictio prorsus nulla, nulla avversio a scientia, & veritate ex eo exurgit.

Ad quod, generaliter prænotandum, sermonem ibi esse, ut evidenter docet textus ipse, de Sapientia, & scientia humana, & aquisita conatibus humanis, qui aliquando vel in vanum tendunt, vel vanitati associantur, vel sicut finem, ità, & modum procedendi non semper servant, nec virtutem studiositatis, quam ex suppositione, quod studio homo incumbat, servare tenetur ex jure naturæ, exercent; ideoquè nil mirum, si oriatur indignatio, & dolor, ex eo quod ex aliqua parte vitiosum est, cum sola; virtus verioris semen sit delectationis, sicut experientia constat: ideò hæc præveniens Apostol. ait *Rom. cap. 11.* ait *Noli altum sapere, sed time*, & *cap. 12. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & ad Philip. cap. 3. In confusionem ipsorum, qui terrena sapiunt, & pr. Timoth. cap. 6. Præcisè non sublime sapere*. Ex quibus satis constare potest ad objectionem, plenius tamen ex Patrum Doctrina.

Prima intelligentia occurrit Divi Thom. *loco citato ad primum: In multa*, inquit, *Sapientia est multa indignatio, & dolor, vel propter difficultatem, & deffectum inveniendæ veritatis, vel propter hoc, quod per Scientiam homo, multa quæ voluntati contrariantur, cognoscit, & sic ex parte rerum cognitarum, scientia dolorem causat, ex parte autem cognitionis veritatis delectationem.*

2. Caldæus. immò, & D. Hieronimus, cum aliis; *Cui plus datum est, plus exigetur ab eo, unde quia sapientes plus acceperunt (quidquid enim boni habemus, accepimus) si non correspondeant, quod semper præstare difficile est, plus sentient indignationis in judicio, ac doloris in condemnatione.*

3. Alii accipiunt indignationem, pro invidia, vel pro ea, quæ ex Invidia æmulorum oritur, qui enim sapiens est, plures habet oppositores, nam æquales, habet æmulos, & ignorantes patitur inimicos, quia cum omnis homo appetat scire, prout homo est, erubescit quasi ab homine deficiens, cum ex alterius scientia, arguitur ignorantiæ, & ab eo avvertitur, a quo sic damnari se apprehendit; hinc & Lyricus vates canebat, difficile ingenio invenies, qui cedere velit. Hinc calumniæ adversus sapientes, & prævalens ob numerum innumerabilem exercitus sui contra scientes, ignorantia. Ex his indignatio, & dolor, *Eccl. cap.* A *7. calumnia conturbat sapientem.*

4. Naturalis sensus videtur esse, tum quia temperametum aptum ad Sapientiam, & scientiam, scilicet spiritosum, est æque facilè ad indignationem, & ad plura, quæ causant dolores: tum quia studiosi consumunt plures Spiritus, ex quorum defectu cibus manet incoctus, gignitque proinde pessimos humores, ex quibus exurgunt dolores, tędia, conturbatio, & indignatio, quæ causa est cur homines studiosi, ac docti laborant stomacho, ut legimus de Sanctis Grego., Chrisost., Hieronymo, Bernardo, aliisque pluribus, quod notat Nissenus; *labores sunt scientiæ comites*, ideò hoc expertus Salomon a vita austera, & studiosa, transiit ad voluptuosam: insuper ex Pineda, studiosi ex eadem causa, aut B nascuntur, aut evadunt melencolici, ideoque secundum quod dicit Philosophus: nullum magnum ingenium sine aliqua mixtura dementiæ, malencolia enim saltem materialiter aliqua species stultitiæ est; & quidem ex hoc, & etiam quia studiosi, & ingeniosi statim rem attingunt, facilè indignantur, plura enim sunt inter sæculi hujus ærumnas, quæ si cognoscantur, vel stomachum movent, vel indignationem: accedit quod ait Aristot. atra bilis permulta, & calida, perciti, & ingeniosi est, Amasii, ac propensi, ad omnem ex. candescentiam, & cupiditatem: idem habet Plato l. 2. de rep. Hæc omninò naturalia sunt, at non necessaria, inclinationem enim designant, non actum: ideò & dictum Eccles. non est de actu, ac C si necesse sit, & semper fiat, quod sapiens indignetur, & sciens doleat, sed quod quantum spectat ad dispositionem ex parte subjecti, & naturale meritum objecti, sapiens facilè indignatur, & sciens dolet.

5. Divus Hieronymus hoc loco, *sapiens dolet, tam in abdito, quam in profundo latere sapientiam, nec ita se mentibus præbere posse, ut lumen visui, sed per tormenta quædam, & intolerandum laborem, jugi meditatione, & studio provenire*: adde ex Augus. immò & Spiritu Sancto; *Qui sapientior est, cognoscit se minus scire, & pugnat contra nescientiam, ac oblivionem, quod est quoddam indignari, ac laborare: cum consumaverit homo, tunc incipiet; Ecclesiastici cap. 18.*

6. Iterum idem Hieronymus, *quanto magis quis* D *sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur, quod subjaceat vitiis, & vanitatibus, ac procul sit a virtutibus, quas requirit*. Ad quod facit quod addit Hugo, *ex scientiæ aquisitione noscitur nobilitas animæ, unde indignatur, in inferioribus occupari, hinc studiosus justam concipit indignationem in se ipsum, in dæmonem, in vitia, in hæc omnia inferiora se ipso, quibus ex conditione materialis status, quasi deservit, & opprimitur &c.* Ex quibus apparet nullam in esse vim proposito argumento, cum possit (immò ita sit sæpius) esse justa, ac virtuosa indignatio, quæ comitatur sapientiam, & dolor utique non torquens justitiam, sed propensionem ad malum, quæ componi possunt cum delectatione, ac sapore, sapientiæ juxta sensum Doctoris Angelici, & cæterorum.

7. Ex Apostolo, *prima ad Chorin. cap.* 8. *scientia inflat, charitas verò ædificat*. Sermo igitur etiam hoc loco, esse potest, de scientia inflante, & quæ nescit charitatem, hæc enim certè, & indignationem excitat, & inflans concipit laborem, ac demum parit dolorem: Inflat, superbia replens, evacuans veritatem, nam humilitas est veritas, sicut superbia falsitas, ideo nec scientia in veritate dici potest, & quia superbus summè irascitur sibi obsistentibus, obstant autem, & resistunt, sic scientibus, omnes verè sapientes ideò ubi multa est (intellige in apprehensione eam possidentis) sapientia; multa etiam est indignatio: In quem sensum inclinat Ugo uterque.

8. Non ommittendum, quòd hoc loco ponit Cornel. Alap. quodue didicit ex infusa sapientia Venerabilis Thomæ de Kempis de Imitatione Christi, & in primis capitibus, & frequenter deinceps; nempe quòd Salomon, ibi propriè respicit ad practicam veritatem, & intelligit quod nudum scire virtutem, vanitas est, nisi adsit praxis, & ideò merum scire, quia non pertingit ad proprium perfectionem, nec satiat, relinquit hominem vanum, idest vacuum, ideoque inquietum, mestum, indignabundum, ac doloribus plurimis subditum; & idcirco idem Ecclesiastes cap. 12. concludit totam doctrinam hujus libri, dicens: *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*. Subditque Cornel. ex Olimpiod. quod sapiens est instar Ezechielis, qui jubente Domino comedit volumen lamentationum, quòd in ore fuit dulce, ac postea amarum intus in indignatione spiritus sui, eo quòd ipsum non satiavit, quod pariter contigit Joanni Apostolo. Apoc. cap. 10. talis est scientia hic in via, quæ initio sui mentem delectat, at cum procedit, dolorem generat, ac laborem.

9. Augustin. *de anima, & spiritu, tom.* 3. *cap.* 49. *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem, quia quantò magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat, & gemit: meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem &c.* ejusque sensum exponit Gregor. *lib.* 28. *Moral. cap.* 24. *Considerat namque, unde, & quo lapsus est, quòd a Parad si gaudiis ad ærumnas &c. luget exilium, quod hic damnatus patitur, & suspirat ad cælestis gloriæ statum, quo perfrui securus posset, si peccare noluisset*.

Concluditque idipsum idem Gregor. *in Ezechielem, libro primo, hom.* 10. *Mentem, quam Spiritus Sanctus replet in amaritudinem temporalium, & delectationem æternorum commovet &c. Rixatur secum, de his, quæ male egisse se recolit, & sibi metipsi displicet, cum ei placere jam caperit, qui omnia creavit &c. dedignatur itaque subjacere temporalibus, & ardenter suspirat æterna; unde rectè per Salomonem dicitur, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui apponit scientiam &c. & dum plus sapere incipimus, de his quæ malè egimus, nobis ipsis irascimur, & qui addit scientiam, addit, & dolorem, quò enim scire incipimus, quæ sint cælestia gaudia, eo magis in errorum nostrorum laqueos*

A *possimus evadere, flendo laboramus: reprehendit semetipsam conscientia, accusat quòd agit, damnat per pænitentiam, quòd accusat: fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.*

Pulcrè ad consimilem sensum idem Augustin. *lib.* 4. *de Trinitate cap. pr. Præposuit scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem magis, quam scire mundi mœnia, fundamenta terrarum, & fastigia calorum, & hanc apponendo scientiam, apposuit dolorem, dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ & conditoris sui Beati Dei sui &c.* pro sequitur eximia divini amoris energia.

10. Denique ex Doctrina Patrum addi potest, quod cum sapientia procedat per altissimas causas, quo quis per sapientiam ad sublimiora mente conscendit, eo magis inferiora despicit, & quasi B Indignans ea sibi proponi, dedignatur ad ea descendere, desipiunt enim omnia, ubi sapor sapientiæ, quæ est sapida scientia, degustatur. Per hanc autem nobilem indignationem pervenitur ad pacem, ideoque correspondet dono sapientiæ septima beatitudo: Beati pacifici &c.

Denique. *Qui addit scientiam, addit, & dolorem*, hæc est pulcherrima allusio, ad donum scientiæ, cui secundum Patrum Doctrinam correspondet tertia beatitudo: beati, qui lugent; si enim scientiæ correspondet dolor, & luctus, quo illa gradu ascendet, hic crescet.

Ex his certissime soluta manet objectio, & ita luculenter explicatus textus, ut amplius non liceat immorari.

C

ARTICULUS V.

Quæ ex novo Testamento obiiciuntur ab hæreticis, & sciolis, tamquam perniciosa, proponuntur, & exponuntur.

Aliqua dumtaxat, non omnia prælibamus, ne in immensum excrescat opusculum; Peculiaria tamen eligimus, ut ex eorum enodatione methodum accipiat Lector, ad cætera, quę quandoque occurrunt solvenda.

Et quidem in primis, qui humanam impugnant libertatem, ut liberius peccent, pro se adducunt, quòd habetur, *Matth. cap.* 18. *necesse est enim, ut veniant scandala*, sicut & *prima Chorm. cap.* 11. D *oportet & hæreses esse*: hinc perniciosum educere conantur dictamen contra libertatem, in ipsa Sacra Scriptura sæpissimè assertam, & semper suppositam, sic; vel scandalum est peccatum, vel non; si primum, ergo vel peccatum datur, quod non est liberum, sed necessarium, vel scandalum non est necessarium, ut hoc loco asseritur: si non est peccatum, cur ipsi dicitur, *Veh*: (ut in præsenti) *veh mundo a scandalis*.

Resp. plura plures dicunt, ex quorum copia, potius confusio gignitur, quam solutio. Nos breviter. Respondem. scandalum verè esse peccatum, & imputandum ei, qui illud causat, & in se verè esse liberum, ac voluntarium, in particulari, & in actu exercito; signatè tamen, ut hic accipitur, necessarium esse ut eveniat, immò ut eveniat

niat liberè, hæc autem necessitas neminem cogit in particulari, & determinatè, sed est quædam consequentia infallibilis, ex præsupposita corruptione naturæ, quæ quidem in omnibus reperitur, & singulos inclinat ad malum; Sed ut libertas eluceat, non in omnibus permittitur reduci ad actum: idque evidenter constat; si enim necessitas, de qua loquitur textus præsens, esset rigorosa necessitas, sicut in omnibus est fomes ad peccatum, omnes necessariò essent scandalosi, cum igitur hoc falsissimum sit, æquè falsum est id, ex quo sequitur. Est igitur necessitas quædam signata, & vaga, præcisivè a quolibet determinato subjecto; porrò quod peccatum sit, quodque vel rigorosè liberum, vel rigorosè necessarium, consideratur secundum actum, & exercitium singulare, cum enim libertas, & voluntas sit potentia bonum respiciens, idque tantum in singulari reperiatur, quia concernit existentiam, non est judicanda nisi penes exercitium actus, aut ommissionis, non autem penes principia omninò remota, & signata, ac vaga, & non determinata ex omni Parte, quæ est legitima doctrina Divi Thomæ, ac Patrum Salmaticensium, quæ passim Thomistis occurrit, & semper supponenda est. Et hæc solutio coincidit cum alia, quæ facilè se offert, ut ex dicendis patescet, pro nunc sensus Patrum, & Doctorum, qui huic doctrinæ non opponitur, sed potius favet, afferendus est.

2. Resp., & subtiliter, æque ac verè Origen. hoc loco, in hoc quod dicitur, *væh mundo*. Pro mundo accipit peccatores, amatores mundi, sicut & Augustinus *in Psalm. 54.* ait. *Mundi, dixit, amatorum mundi, mundi dixit impiorum, & iniquorum, mundi dixit, de quibus dictum est in Evang., & mundus eum non cognovit*; porrò hæc est specialis natura scandali, inter omnia peccata, quod nequeat esse unquam primum peccatum, sed illud supponat, ex quo generetur. Si ergò hic sermo est de peccatoribus, qui plures sunt, quamvis peccata omnia liberè eveniant, tamen semel posita, per naturalem sequelam inferunt ruinam proximi, idque est scandalum, & hic est sensus hujus necessitatis, quia semel positis peccatis, & coram aliis, naturaliter, ideoque necessario sequitur occasio ruinæ proximorum, quam qui peccando intendit, vel non præcavet, scandalum ponit.

Nec refert; si opponis ex doctrina D. Thomæ, scandali peccatum, in eo specialem malitiam importare, quod determinatè ruinam proximi peccator intendat, cum hæc sit conditio circumstantiarum generalium moralium, ut puta odii Dei, scandali, contemptus, & similium, quod non important novam speciem malitiæ, nisi ex peculiari intentione procedant, si ergo necesse est, ut veniant scandala, necesse est, ut peccatores ruinam proximi intendant, sicque redit difficultas, & tollitur libertas, saltem quoad hanc peccati speciem.

Resp. notabile esse, quod dicitur, necesse est ut veniant scandala, sive enim intendatur ruina proximi, sive non, peccante aliquo ejus occasio ponitur, & venit; ex quo aperte intelligitur tex-

A tum loqui de scandalo generaliter, sive prout est circumstantia generalis, quæ malitiam tribuit actui transcendentem, & indistinctam a quacumque specie peccati, & quia ex quocumque peccato, quod notum sit, necessariò sequitur, seu gignitur occasio ruinæ aliorum, ideò dicitur, loquendo de peccatoribus ex propria libertate determinatis ad peccandum etiam coram aliis, quod necesse est, ut veniant scandala.

Dices 2. Hæc quidem doctrina solvit difficultatem, quoad hunc specialem textum, ubi agitur de scandalo, at non quoad textum Apostoli loco citato, cum dicitur: oportet hæreses esse, alia enim est natura hæresis, & natura scandali, sive generaliter, sive peculiariter sumpti.

Resp. neg. ant., ad insertam probationem dici-

B mus, diversam quidem esse naturam hæresis, & scandali, at quantum ad præsens spectat, consimilem; sicut enim peccatores, Amatores mundi, ita sine fræno peccant, ut nedum non celent peccatum, sed vel implicitè, vel explicitè glorientur in malitia, ut habeantur tamquam potentes in iniquitate, unde eos increpat Psalm. *Psal. 51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* ex quo necessario sequitur occasio ruinæ proximorum: ita naturaliter sequitur, ex affectu totaliter corrupto, in moralibus etiam perversio rationis, & cordis durities, ex qua duplici ratione resultat hæresis, vel dispositivè, vel formaliter, ut experientias ipsa testatur in omnibus hæreticis: cum enim hæresis sit maximum peccatum, & verum sit, quod nemo repente fit summus, per

C quosdam veluti gradus, cæterorum scelerum, ad hæresim præceps scelestus descendit, hæcque dumtaxat diversitas est, inter scandalum, & hæresim, quod quantum est ex facto, & efficacia mali exempli semper offertur, & sequitur ex peccato coram aliis perpetrato, sive aliter noto, ruina proximè quod est necessario oriri scandalum, ex demersione verò in baratrum, seu chaos scelerum, & concupiscentiarum, naturaliter quidem, sed dispositivè tantum, sequitur hæresis, quod satis expressit Apostolus dicens, *oportet*, non autem necesse est, *hæreses esse*, quæ est mitior expressio, idque statim restrinxit dicens, *ut qui probati sunt manifesti fiant*; ac si dicat; semel posita perversitate pessimorum hominum, & eorum voluntatis corrupta ra-

D tione, ideò permittit Deus hæreses esse, ut detur opportunitas fidelibus ostendendi propriæ fidei firmitatem: ubi subderet Augustin. *maluit enim Deus ex malis bona facere, quam mala nulla esse permittere*, Non igitur in se, vel in subjecto, in quo sunt, necessariæ sunt hæreses, sed ex suppositione, quod homines quandoque ad eas liberè prolabuntur, opportunæ sunt, & necessariæ per modum oppositi, ad Fidelium probationem. Et hunc sensum indiscriminatim, quoad utrumque textum sequitur Glosa, hoc loco Evangelii, dicens *necesse, idest utile*: Ita & Jo: Chrisost. ibidem dicens, *scandala erigunt homines, & acutiores eos faciunt, ut eum qui cadit, velociter erigant in quantum ingerunt sollicitudinem*; quæ quidem intelligentia optima est, sed ut difficultatem solvat mox traditæ

doctrinæ adnecti debet. Haac verò doctrinam ideò firmissimè sequimur, quia etsi diversis verbis, eodem tamen sensu, ipsam passim tradit Angelicus Doctor, & specialiter in locum citatum Apost. lect. 4. Et iterum idem.

3. D. Thom. l. 4. sentent. dis. 38. hunc locum explicat, ut compendiosè refert Abulens. ad hunc textum Matth. quod nempe intelligitur, de necessitate conditionata, ex tribus, primo ex Dei prędestinatione, quæ tamen necessitatem agenti libero non imponit, 2. ex inclinatione fomitis, sicut dicimus, necesse est peccare venialiter; quamvis sit possibile, quod singula peccata venialia vitentur. 3. ex utilitate consequentiæ, quam Deus de scandalis elicit. Quam expositionem ideò solum innuimus, quia per partes, eam hactenus prosecuti sumus, ut considerans quisque deprehendet.

4. D. Joan. Chrisost. ad hunc locum: eum dit: *necesse est, non destruit libertatem arbitrii, nec necessitatem aliquarum rerum supponit, sed quòd omninò futurum est prædicit; Scandala quippe sunt prohibitiones rectæ viæ, non autem prænunciatio Christi, non enim præcisè, quia prædixit Christus, propter hoc futura sunt, sed quia futura esse prævidit, propter hoc ea prædixit:* sibique obiicit: sed dicetur, fortè homines emendabuntur, & nulla scandala evenient? Resp., & poterant quidem emendari, & tamen non erant hoc facturi, quia spontè hoc facere nollent, quod liberè facere potuissent: sed iterum dicet aliquis: si omnes corrigerentur (id enim facere possent) & nullus esset, qui scandalum afferret, nonne mendacii argueretur hic sermo? respondet: nequaquam, quia enim pręvidit inemendatos futuros homines esse, propter hoc dixit, necesse est, ut veniant scandala, idest omninò venient, si autem corrigendi essent, non ita dixisset; certitudinem itaque expressit, non causam inevitabilem posuit.

Sed quærit Abulensis, hic, qu. 36. Si ita est, undenam ista necessitas, vel certitudo eveniendi scandala, quæ hic enunciantur?

Resp. dicendum, quod potest esse necessitas consequentiæ: scilicet necesse est scandala evenire, quia quilibet vult vivere secundum libitum suum; & iste est verus sensus litteræ, est enim inclinatio hominis naturaliter ad malum secundum libitum naturæ lapsæ. *Gen. cap. 8. omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum*, & licet rarò possit emendari, coercendo desideria affectus nostri, tamen tolli omninò ista desideria, est impossibile, ex conditione naturæ, si igitur homines volunt vivere secundum ista desideria, necesse est, quod veniant scandala &c.

5. Cohærenter ad hæc, & huc usque dicta Theophil. ad hunc locum: *Quærunt aliqui, si necesse est ut veniant scandala, cur Dominus arguit scandalorum auctores? quidquid enim parit necessitas, veniale est. Respondet verò, sed attendendum, quod necessitas ista ex libero arbitrio sortitur originem; videns enim Dominus, qualiter homines imituntur malo, neque proponunt aliquid boni, dixit quod quantum est ex consequentia eorum, quæ videntur, necesse est*

A *contingere scandala, sicut medicus, videns quemquam mala diæta utentem, dicit, necesse est, hunc ægrotare.*

6. Alii considerando, quæ sint scandala, quæ dicuntur, necesse esse, ut eveniant, aliter exponunt, sumentes pro scandalo non quidem id quod ex se sit occasio ruinę, sed ex quo accipiunt homines ex sua malitia talem occasionem, idque potissimum esse dicunt, Christi passionem; de qua prophetavit Caiphas in Concilio dicens, *expedit, sive oportet, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat:* ad quam passionem respiciens Simeon, *Lucæ cap. 2. positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur*, & Princep. Apostol. ep. 1. cap. 2. appellat Christum lapidem offensionis, & petram

B scandali his, qui offendunt verbo; & non credunt, in quo, & positi sunt. Quia enim bonum, & malum opposita semper via procedunt, sicut Deus; quia optimus est, novit ex malis bona facere, ita impii, quia pessimi, ex bono, & optimo, sicut est passio Salvatoris, malum hauriunt, & perditionem: clarè Apost. 1. *Chorin. cap. 1. nos prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum &c.* & hęc quidem expositio, non est reiicienda, dummodò intelligatur de scandalo, non quidem dato, sed accepto, cujus vera causa est, qui accipit, non id unde accipitur, & concordat cum eo, quod ait Hilarius hoc loco: *humilitas passionis scandalum mundo est, quod sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum noluit ac-*

C *cipere; & quid mundo tam periculosum, quam non recepisse Christum: ideò verò ait, necesse est venire scandala, quia ad Sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis, humilitas esset explenda.* At quia pręsens textus generalis est, nec restringitur, ad aliquod singulare scandalum, ideò quamvis verum dicat, hęc posterior intelligentia, non tamen adęquat hunc locum: Melius ergo accipitur, de omni scandalo in omni genere, quod infœliciter nimis impleri videmus. Sed quare hoc necesse est? pręterea quę hactenus allata sunt, dici potest, quod sic exigente rerum natura, & ordine Universi, necesse est dari varietatem in hominibus, ex qua oritur, quod alter bene operans, alteri displiceat, vel malè, vel etiam bene, quantum in se est, operanti, sed aliter intelligenti, & hoc

D est scandalum, nempe occasio ruinæ ex ignorantia, & varietate, quæ in multitudine necessariò gignuntur, & de omnibus præcisivè dicitur, necesse est venire scandala. At quia scandalum, aliud est datum, & acceptum, aliud acceptum, & non datum, aliud datum quamvis non acceptum; & iterum datum aliud est per accidens, aliud per se, & ex intentione, idcircò discernens Christus, quodnam ex istis sit præcipuè damnandum, subdit: veruntamen væh homini illi, per quem scandalum venit, utique tamquam per hominem, idest per actionem verè humanam, ex intentione tendente ad scandalum.

Sed quæres, quinam ex his dicendi modis, sit præ cæteris eligendus in præsenti? Resp. neminem contemnendum, singuli enim ex auctoritate,

& ra-

& ratione satis firmi apparent, ideò ille præ cæteris eligendus, qui magis & textui, & contextui attentis omnibus insistit, & regulis hactenus traditis magis conformatur. Nobis secundus connaturaliter videtur, cæterique omnes cum eo concordant. Hoc unum tamen decernimus, meliorem enim esse, ex quo fortius, solvitur argumentum.

Alium locum opponunt, *ex Math. c. 5.* quasi fontem scrupulorum ideoque perniciosum, nam ibi ait Christus: *qui dixerit fratri suo Racca, reus erit Concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis;* si enim ita est, quis salvabitur? nonne *stultorum infinitus est numerus. Eccles. cap. 1.* dicendus ne erit sapiens, quem malè agentem, ideoque & stultum evidenter agnoscimus? *Stultus factus est omnis homo* ait Hierem. *cap. 10. & omnis homo mendax* dicitur, *Psal. 115.* quod simile est, & sæpissimè similia habentur in Sacra Scriptura, quid ergò nobis interdicitur veritatem pronunciare? immò; & præcipitur *Proverb. cap. 26. responde stulto juxta stultitiam suam:* ipseque Christus; quod plus est. Luc. cap. ultimo, discipulis euntibus in Emmaus, ait: *ò stulti, & tardi corde ad credendum.* Ipse autem infallibile est exemplar virtutum qui ait. *Math. cap. 11. discite a me &c.*

Respond. 1. ex contextu, ibi enim dicitur, *audistis quia dictum est antiquis, non occides &c. ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo Racca &c.* ubi satis innuit, sermonem esse de ira gravi. Olim in lege veteri solum attendebatur homicidium externum, ut puniretur. At lex nova, secundum quam regnum Dei intra nos est, cum sit lex amoris, summoperè odiis, & iræ resistit, ideò in ea prohibentur etiam motus iræ gravis internæ, quæ est quoddam homicidium, interius inchoatum, & se exerit per quosdam gradus, ut primum corde, deinde signis, postea feriat gladio linguæ; quasi per hoc supplens, quod non potest facilè exequi, & perficere opere completó externo, totale proximi excidium. Patet igitur ex contextu, hoc prohiberi, scilicet iram gravem, & ejus effectus graduales, tendentes ex animo ad finalem affectivè, quæ ex verbis, quæ sunt animi notæ, manifestantur, ipsaque manifestatio facit unum cum ira, & odio interiori; Idque magis patebit ex Patrum intelligentia.

Primò igitur Dionys. Chartus. *in ultimum cap. Lucæ* ad illa Christi verba: *ò stulti, & tardi* &c. inquit: *quæritur, cur Christus Discipulos istos vocaverit stultos, cum alibi dicat, qui dixerit fratri suo fatuè, reus erit gehennæ ignis? Et respondend. quod peccata verborum, pensantur penes intentionem, affectionemque cordium, quoniam ea, quæ sunt in voce, sunt notæ eorum quæ sunt in animo; Christus ergo prohibuit dicere proximo fatue, ex contemptu, derisione, aut simili vitiosa radice, non autem ex charitate, & zelo justitiæ, rationabili causa id exigente.*

August. lib. 9. de Civ. Dei, notato prius, quid sentiant de passionibus hominis, tum Stoici, cum peripatetici, subdit. *In disciplina autem Christiana, non tam quæritur utrum prius animus irascatur, aut tristetur, quam unde.* Ac propterea Hieronym. in catena aurea, ad hunc locum; *in quibusdam,* inquit, *codicibus additur, sine causa, cæterum in veris definita sententia est, & ira penitus tollitur. Si enim jubemur orare, pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur. Radendum ergo est,* sine causa, *quia ira viri justitiam Dei, non operatur.*

Iterum Augustin. subtiliter, *in l. retract. 1. cap. 19., illud etiam diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo; quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur.* Consequenter Chrisost. *super Matth. puto autem non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de iracundia animæ, caro enim non potest obedire, ut non conturbetur; Quando ergo homo irascitur, & non vult facere quod ira compellit, caro ejus irata est, animus autem ejus non est iratus; Immò, qui irascitur cum causa non erit reus, nam si ira non fuerit, nec Doctrina proficit, nec judicia sunt, nec crimina compescuntur.* Similia habent communiter Patres, ut nos instruant, ne materialiter, & divisim Evangelii dicta sumamus, sed attento contextu, ex quo intentio dicentis innotescit.

Sed ibi quæres, ex occasione hujus textus. Quid significet Racca, quid gehenna, cætera enim ex se satis patent.

Resp. quoad primum, ex August. *l. primo, de serm. Domini in Monte. Nonnulli de græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes, pannosum dici, Racha, quoniam græcè pannus dicitur Rachos. Probabilius autem est non esse vocem significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem: has autem grammatici vocant interjectiones, sicut cum dicitur a dolente, Heù:* Addit Chrisostom. ad hunc locum, *vel Racha est verbum contemptus, & parvi pensionis, sicut enim nos, vel famulis, vel junioribus aliquid injungentes dicimus, vade tu, dic illi, ita & qui Syrorum utuntur lingua, Racha dicunt pro tu: Dominus enim, & quæ parvissima sunt evellit, & cum honore nobis invicem uti jubet &c.*

Sed peritissimus linguarum Hieronymus, sic interpretatur: *Racha hebræum verbum est, & dicitur Kenos græcè, inanis, aut vacuus latinè, quem nos possumus vulgata injuria, sine cerebro nuncupare. Signanter autem addidit, qui dixerit fratri suo; frater enim noster nullus est, nisi qui eundem nobiscum habet Patrem.* Restringitur igitur hoc a Hieronymo, ad domesticos fidei nostræ, qui nobiscum dicunt, Pater noster, qui es in Cœlis, qui specialiter secundum ordinem charitatis, diligi debent, quòd & semper per unamquamque collectam insinuabat, dilectus Domini Joann. *Filioli diligite alterutrum, quippe, qui Filios non dicebat, nisi quos in Domino genuerat.* Attamen Christus plus exemplo docuit etiam, quam verbo. Hic enim prohibet, ne dicas fratri tuo, Racha, ex iracundia videlicet, & ad injuriam, & ipse proditori suo, inquit; *amice ad quid venisti?* quod si nec proditori suo, in quem Sathanas introierat, voluit Christus dicere, Racha, deduceret hic Chrisost. (qui absolutè hoc loco idem dixit) *quam indigna res est dicere hominem vacuum; qui habet*

in

in se Spiritum Sanctum.

2. Quærebatur, quid propriè veniat nomine Gehennæ. Resp. ex Aug. apud D. Thomam in catena aurea: *quisquis autem dixerit, quo graviori supplicio punitur homicidium, si gehenna ignis punitur convicium? cogit intelligi esse differentiam gehennarum &c.* Pro gehenna ergo ignis, intelligit August. non solum vallem Inferni, sed generice tormenta Inferni, unde quia illic diversitas erit tormentorum, sicut diversitas illuc ducit demeritorum, ideò differentiam concedit Gehennarum. Vel dic cum Chrisost. *in Matth. hom. 16. Judicium & concilium sunt pœna in præsenti, gehenna autem pœna futura.*

Concludit denique, & satisfacit quæsito Raban. *bis in Matthæum*, dicens: *Gehennam hic Salvator Inferni cruciatum nominat, quam nomen traxisse putant a valle Idolis consecrata quæ est juxta Hierusalem, repleta olim cadaveribus, quam & Josiam contaminasse, in libro Regum legimus &c.* & hæc satis quoad propositum articuli. at quia alia quædam ex canonicis epistolis opponuntur, quæ dissimulare iniquum esset, alium subnectimus.

ARTICULUS VI.

Quædam pauca ex canonicis epistolis ab hæreticorum calumniis asseruntur.

NOndum satis impugnata veritas, ut semper magis triumphet: jam sistebat calamus, cum nuper proposita quædam ex epistolis canonicis, eundem reassumere coegerunt, in detrimentum quidem brevitatis, sed non veritatis, cui potissimum obedimus. Et quidem in primis, perversis videtur, vel falsum, vel perniciosum, quod ait Apostol. 1. *Timoth. cap. 1. scientes hoc, quia justo non est lex posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus &c.* si enim inquiunt, hoc admittitur, jam lex non est mensura justitiæ, quia eam non respicit, & sic justus non erit, qui servabit legem, cum illi data non fuerit; homo sequi videtur, quod semel justus, eo ipso sit impeccabilis, cum careat lege, quam violando peccet, & semel peccator, solus ipse sit capax iterum peccandi; quia solus ipse sub lege detinetur. Ex alia verò parte dicunt, videtur implicantia in terminis. Quomodo enim justus, quem lex non dirigit, quomodo lex justa dicetur, si justos non curat, nec promovet, nec detinet intra limites suos, ne fiant injusti. Iterum autem sic, cum semper sit invenire primum peccatum, certè ante illud homo non erat peccator, porrò, qua ratione evasit peccator, nisi qua legem violavit? peccatum enim in communi omnium sensu, est dictum factum, vel concupitum contra legem, ergo in illa priori, cum non erat peccator, erat sub lege.

Respondetur, hæc apparentia esse, & vana, si veritatem litteræ sincerè consideremus, nam paulo ante, eodem loco immediatè ait idem Apostolus: *scimus autem, quia bona est lex, siquis ea legitimè utatur.* Sic enim arguimus, qui lege legi-

A timè utitur, certè est justus; & illi bona est lex, ipseque bonus est legi, ergo justus non est exlex, nec lex a propria ditione justum dimittit, quia potius justi justitia in eo est, quod juxta exigentiam legis, lege bona utitur bene; Oportet igitur, ut quæ apparentia sunt, evanescant; intimum hujus loci sensum rimari, cujus vis in duobus consistit, nempe in eo, quod dicitur posita, & in fine, ob quem est posita, & insuper in legum distinctione; duo priora constabunt ex doctrina D. Thomæ, & Patrum. Quoad tertium breviter dicimus, sermonem hoc loco esse de lege positiva, non de lege naturali, quæ præcedit omnem justitiam, & injustitiam, quæ secundum ipsam pensantur, & in hoc est error arguentis, qui perperam hunc locum accipit de lege naturali, in quo

B solum sensu aliquam vim haberent argumenta, quæ proinde in falso supposito laborant, finguntque sibi hostem, quem feriant. Quantum igitur ad legem positivam, audi D. Thom. hoc loco, lect. 3. *Posset esse duplex falsus intellectus: unus, quod justus legem non servat, quod falsum est, quia nisi servaret eam quoad moralia, justus non esset. alius, quod justus non obligatur ad præcepta legis, & non peccaret, si faceret contra ea, quod tamen esse non potest. Sed verus sensus est, supponendo &c. quia quod alicui imponitur, sicut onus imponitur, lex autem justis non imponitur sicut onus, quia habitus eorum interior inclinat eos, ad hoc, ad quod lex, & ideò non est eis imposita, Rom. cap. 2. Ipsi sibi sunt lex.* Ita Angelic. ubi ut clarum est, vim facit in hoc, quod ibi dicitur, lex posita, vel im-

C posita, quod dicitur de eo, quod aggravat, sive non placet, & quia justi toto corde legem amplectuntur, quasi levamen, non quasi onus. Iniqui verò coactè eam servant, quam abhorrent, & nollent eam esse; ideò dicitur lex posita injustis, non justis, quod tangit intimè sensum Apostoli, prius dicentis, quod bona est lex, idest suavis bene mentibus.

Alium addit sensum idem Angelicus ibidem. Inspiciens motivum legis: non enim movetur Legislator ad ferendum legem maximè coercitivam ex moribus justorum, sed iniquorum, qui fræno indigent: Ideò subdit: *vel aliter, lex non est posita pro justis, sed pro injustis: q. d. si omnes justi essent (idest conformes juri naturæ) nulla necessitas*

D *esset dandi legem, utique positivam, quia omnes essent sibi ipsis lex.* Explicat verò: *intentio bonorum debet esse, ut alios inducant ad virtutes. Quidam autem per se sunt benè dispositi ad virtutes. Alii habent mentem benè dispositam, sed per alios, & istis sufficit paterna monitio, non coactiva. Alii autem nec per se, nec per alium benè disponuntur, ideò eis omninò est necessaria lex, ut patet in Ethicis.*

3. Resp. est, dictum Apostoli, ut clarè indicat littera, intelligi, nedum de lege positiva, ut sic, sed de positiva prohibitiva, & pænali. Ita D. Joann. Chrisostom. in præsenti, idque explicat per illud Apostoli, *ad Rom. cap. 13. Vis non timere potestatem, bonum fac, ac si diceret, lex malis suppliciorum denunciativa est, cæterum ei, qui*

coronis

coronis digna peregerit, ad quid erit utilis talis lex? ad nihilum prorsus, quemadmodum, & medicus vulnerato, non sano prodest: unde illud? lex iram operatur, quid igitur ad eum, qui meretur honores? intelligit igitur ibi pro justo eum sumi, qui sequitur consilia, ac si lex essent, unde superat legem, & ita lex ipsi non datur, quia eam antecedit, quæque data est, ut metu, ac comminatione deterreat a peccato, non igitur frænò opus est, mansueto, & obtemperanti equo. Et post subdit: *ille lege legitimè utitur, qui majora, quam illa præcipit, ipse perficit, qui ab ea erudiri non patitur, lex enim ut plurimum circa scelerum interdicta versatur.* Hæcque omnia adeò perspicua sunt, ut nec ipsa explicatione, nec argumenta, ulteriori indigeant solutione.

Alium textum opponunt, qui prima fronte pietatem videtur offendere, *ex 2. Chorin. cap. 5.* ubi sic. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos &c.* Quid enim magis pietati nuvum quam quod Christus, qui nos redemit a peccatis nostris in sanguine suo, qui factus est pro nobis propitiatio, & redemptio, dicatur esse peccatum ipsum, & non utcumque, sed ita factum esse à Patre?

Resp. hanc etiam apparentiam esse, quam sibi pingit ignorantia, vel inadvertentia legentis, nec intelligentis; ad exprimendam enim, summam Dei misericordiam, justitiam, & amorem aliter pervenire non poterat scribens, quam per similem quasi excessum, excessum enim appellat Christi passionem Evangelista Matth. cap. 17. legenti verò, quod sequitur clarè patescit veritas; subdit enim, *ut nos efficiamur justitia Dei in ipso*, ergo ille, qui assumendo peccata nostra in se, ad expiationem, peccatum factus est, in hoc ipso est ipsa justitia Dei, & nos in se ipso facit esse justitiam Dei, ergo quod dicit Apostolus, insigne elogium est divinæ sanctitatis in Christo, justitię amoris, ac sapientiæ in Patre: ast in sublimibus mysteriis nihil ex proprio marte audemus; doceat ergo Angelicus, qui hoc loco sic: *pro nobis fecit peccatum, tripliciter exponitur. Primo modo, quia consuetudo veteris legis est, ut sacrificium pro peccato, peccatum nominetur. Oseæ cap. 4. peccata populi mei comedent, idest oblata pro peccato, & tunc est sensus, fecit peccatum, idest hostiam pro peccato.*

2. Alio modo, quia peccatum aliquando sumitur pro similitudine peccati, vel pro pena peccati. Rom. cap. 8. misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, idest de similitudine peccati damnavit peccatum, & tunc est sensus: fecit peccatum, idest fecit eum assumere carnem mortalem; & passibilem.

3. Quia aliquando dicitur hoc esse hoc, vel illud, non quia sit, sed quia opinantur homines ita esse, & tunc est sensus. Fecit peccatum, idest fecit eum reputari peccatorem. Isaiæ cap. 53., & cum iniquis reputatus est, & hoc quidem fecit, ut efficeremur justitia, idest, ut nos, qui peccatores sumus; efficiamur non solum justi, sed immò ipsa justitia, idest justificemur a Deo; vel justitia, quia non solum voluit nos justos, sed etiam voluit, quod per nos, alii

A *justificarentur; justitia dico Dei, non nostra &c.*

Pro coronide divinæ hujus doctrinæ, accipe Chrisostomum hoc loco, ubi divina commendans beneficia nobis in Redemptione collata, concludit: *quod multò his præstantius erat, posuit, quidnam autem? eum, qui non noverat peccatum, qui ipsamet justitia erat, peccatum fecit, hoc est, ut peccatorem condemnari, & ut sceleratissimum hominum passus est mori: quænam oratio, quænam mens hoc exprimere queat? justitiam peccatum fecit, ut peccatores justos efficiat: dixit peccatum, non peccatorem, ut efficiamur non solum justi, sed justitia ipsa, atque adeò Dei justitia: Dei enim est ipsa justitia, cum non ex operibus (nam in iis, nullam labem reperiri necesse esset) sed ex gratia, qua peccatum omne prorsus delet, atque extinguit, justifi-* B *cemur: Hoc porrò dupplex commodum nobis gignit. Nam nec animis efferri nos sinit (quod videlicet Deus nobis id totum tribuerit) & beneficii magnitudinem ostendit: prior enim illa legis, atque operum justitia erat: hæc verò Dei justitia est:* Ita Chrisost. Si autem quæras, quare dicatur: peccatum fecit, & non potius peccatorem, quamvis ex allegatis D. Thomæ, ac proximè D. Joan. Chrisost. satis clarè eluceat.

Respond. tamen, quod cum oppositorum eadem sit ratio, & eodem modo in oppositum nominentur; sicut peccatum opponitur justitiæ, ità de illo, curatione sui convenit justitia substantivè, si semel de ipso prædicari debeat oppositum, scilicet peccatum, id pariter substantivè de ipso dici C debet, proportionabiliter tamen, & in sensu, quem supra explicat D. Thomas, sic ergo cum Christus dicatur justitia substantivè, & re ipsa, ratione sui, ita cum in se nos assumit, & peccata nostra omnia portat super lignum crucis, apparens solus, quod nos omnes sumus, non dicitur peccator (ad hanc enim denominationem sufficit unum, aut plura, non requiruntur omnia peccata) ne videatur de ipso prædicari peccatum proprium, sicut in nobis contingit, cum peccatores dicimur, quòd in ipso nedum falsum est, verum etiam impossibile; sed potius dicitur peccatum, quod subtiliter observasse videtur Apostolus, ipsum appellans justitiam, & peccatum, ac subdens, *ut efficiamur justitia Dei in ipso*, quasi subintelligens, sicut ipse videlicet factus est peccatum in D nobis, ratione scilicet peccatorum, quæ omninò nostra sunt, sicut vera justitia omninò sua est, ita ex hoc ipso nos efficimur justitia Dei in ipso.

Vel cohęrenter etiam ad hoc ipsum: ita locutus est Apostolus, & exprimendam unico verbo inexprimibilem peccatorum omnium nostrorum, & multitudinem, & gravitatem, & eorum offensę infinitatem, quæ omnia in se solum quoad omnem reatum, ut pro eis satisfaceret, assumpsit, & transtulit Christus. Tanta enim fuerunt, ac talia, ut ipse, *Psal. 39.* diceret, videlicet tamquam caput in persona corporis: *circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem, multiplicatæ sunt &c., & Psal. 68. Veni in altitudinem maris, & tempe-*

tempestas demersit me: igitur adeò immensa comprehensus oppressus demersus est mole, & abisso peccatorum, ut non appareret ipse, sed peccatum, ideoque qui sciens eum ibi esse, nec aliud videns nisi, quo mersus erat id solum dicere posset: peccatum est: *vidimus eum, & non erat aspectus. Isa. cap. 53.*

Quantum ad reliquas epistolas Pauli, ac cęteras canonicas, plura quidem sunt loca, quæ & scioli calumniatur, tamquam perniciosa, & hæretici assumunt, veluti fontes proprii veneni, sed ne opus supra modum excrescat, Controversistis reservantur. Unum vel alterum, quod brevitatem admittit ex canonicis prælibamus.

Jacobi cap. 3. habemus. *Nolite plures Magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis: in multis enim offendimus omnes.* Ex cujus loci sinistra intelligentia fovent aliqui propriam ignorantiam, & otiositatem. Si enim prohibetur multitudo Doctorum, cum semper, & ubique tot inveniantur, cur studeamus? immò qui sunt, com plures sint Doctores, & Magistri, hi in malo statu versantur, ideoque ab eis cavendum.

Sed dignentur hi proprios saltem impugnatores audire; non enim ex hoc Doctores evadent, sed fortè minus ignavi. Si malum est plures dari Magistros veritatis, cur Christus, *Joan. cap. 4. ait: Messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam.* Adquid electis Apostolis, elegit etiam alios septuaginta duos Discipulos, qui ubique docerent: Lucæ cap. 10. Cur Paulus Apostolus, se nominat Doctorem Gentium, & inter gratiarum divisiones enumerat, & commendat, *alios quidem Doctores, alios autem Prophetas*, asserens dari, aliis genera linguarum, utique ad omne genus hominum erudiendum, aliis sermonem scientiæ, & sapientię, ad eundem finem, & in eodem Spiritu. Cur idem scribit Tito *cap. 1. Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros.*

Sed puncti excitantur, & subsumunt; ergo Sacræ litteræ sibi ipsis opponuntur. Quod dicit Christus, quod Paulus commendat, & præcipit, id ipsum vetat Jacobus.

Resp. id esse falsissimum: si non intelligunt, saltem legant: non ait Apostol. *nolite plures Magistri esse*, sed, *nolite fieri*. Damnatur itaque ambitio excęcans, non doctrina illuminans; repellitur audacia Sciolorum, non ministerium illustre Doctorum, sine quo non perseverat Fides, nec nutritur, ut semper crescat Ecclesia. Erant tunc temporis, inexperti, & indocti, qui statim a baptismo, ad cathedram anhelabant, errantes, & in errorem mittentes, præsumentes docere, quæ nesciebant, ita ut quidam, *actorum cap. 15. Antiochiam profecti, non esse sine circumcisione salutem docerent.* Et quidam (ait Apostol.) *p. Timoth. cap. 1. aberrantes conversi sunt ad vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, nec de quibus affirmant:* Hos impugnat Jacobus, ut clarum est, ideò subdit, *quoniam majus Judicium sumitis*: si enim Prælatis, & Doctori-

A bus, a Deo ad id assumptis, semper est timendum, ne lapsu graviore ruant, ne cum potentibus potenter tormenta patiantur; quanto majus judicium imminet illis, qui non vocati se intrudunt? Necessarii igitur sunt Doctores, & ad id vocati, periculosum munus assumunt, sed qui dat esse, dat consequentia ad esse. At æque necesse est, ne quis ex ambitione se provehat ad magisterium. Quod clarè docet ipse Christus *Matth. cap. 23.* dicens, *nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester*; ubi non ait, nolite esse, *sed nolite vocari Rabbi*, qui enim humilitate, & Doctrina legitimè ad catedram ascendunt, vocantur quidem Magistri, quia id vult Ecclesia, sed non quia

B ipsi velint, sicque observant mandatum Christi, quia non verificatur, quod ipsi id velint. Idque ex eo patet, quod subdit, *unus est enim Magister vester Christus, qui non se ipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, vel Magister, sed ad id a Deo vocatus est tamquam Aaron*, & nedum de nomine Doctoris, sed de ipsa, qua repletus erat Doctrina, dixit *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me, Joan. cap. 7.* Patres autem ad firmanda, quæ hactenus prolata sunt, non adducimus peculiariter, sensus enim omnium in his concordat, ut facilè in catena aurea D. Thomæ ad locum citatum Matthæi, quisque deprehendet. Ex his constat ad oppositionem &c.

Aliter etiam opponunt. 1. *Petri cap. 1.* dicitur de Spiritu Sancto, *in quem desiderant Angeli pros-*

C *picere*, ex quo loco tolli essentiam beatitudinis, quæ in revelata divinæ essentiæ, ac totius Trinitatis visione consistit, *quando similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, ut ex *Joanne* docet Fides, calumniantur Armeni, Abaylardus, & Arnaldus Brixiens. dicunt enim, nemo id desiderat videre quod videt, si ergo beati Angeli desiderant prospicere in Spiritum Sanctum, ideoquè & in Deum sicuti est, jam illum non vident; quod si id Angelis beatis non conceditur, quommodo dabitur hoc hominibus, cum dicatur, *Exodi 33. non videbit me homo, & vivet, & 1. Timoth. cap. 6., qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest?*

Resp. contra hunc errorem, quem impugnatum

D supponimus ab Ecclesia, & Doctrinaliter a toto Patrum exercitu, ac D. Thoma 1. parte, ac Patribus Salmaticensibus, in tractatu de visione Dei, nobis immorandum non esse. Apertè enim Apostol. 2. *Chorin. cap. 13. videmus nunc*, inqu. *per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, ac propterea quod dicitur Moysi, *Exod. cap. 33.* clarè sumitur de præsenti statu viatorum, sicut & id, quod dicitur, 1. *Timoth. cap. 6.* nam visio summi spiritus, prout est in se, omninò excedit simplicem facultatem humanam, totamque naturam corpoream, seu existentium in corpore, in suo ordine, ut constat: clarius etiam idipsum habemus, Joan. cap. 17. & Math. c. 5. &c.

At dices, si ita est, quommodò ergo subsistet, quod nunc ait Petrus, in quem desiderant Angeli prospicere.

Resp.

Resp. hanc esse subtilem expressionem interminabilis beatitudinis, nam quia Dei visio numquam habet finem, vel habitura est, ideò qualibet a nobis concepta ejus duratione, adhuc inintelligibilis a nobis æternitas superest, in qua, ita semper hominem satiabit Dei visio, ac si prius non satiasset, ac propterea in æternum satians, in æternum complet omne desiderium, & satiabilitatem quamcumque, quam nos concipere possumus, imperfecto nostro concipiendi modo, qui etiam, dum sic dicimus, certò scimus, nos nec prout sic explicare posse æternitatem: Hinc fruentibus tribuimus desiderium, ut fruitionis perfectionem nos concipere non posse fateamur.

2. Vel cum Feliciano, *lib. 3. explicationum Catholicorum versus finem*, dicere possumus, ideò sic Apostolum loqui, *ut doceat perfectissimam quidem in se esse beatitudinem, at numquam ab intellectu creato Deum posse comprehendi, & quia maximè beatus delectatur de Deo, secundum essentiam viso, desiderat ad ejus comprehensionem, non quidem pervenire, quod impossibile est, sed ulterius quodammodo appropinquare.*

Aliter, & quidem pluribus modis hunc explicat locum Cornel. Alap. ibidem, secundum diversas Doctorum interpretationes, quarum aliquæ non ita propriè textum attingunt, ut idem advertit, intelligentes ly, in quem, de Christo, quod apertè dicitur de Spiritu Sancto, nobis allatæ sufficiunt, quas expresse tradunt Gregor. l. 18. Moral. cap. 28. & Beda hoc loco, qui sic concludit *Contemplatio divinæ præsentiæ ita Angelos beatificat, ut ejus semper visa gloria satientur, & semper ejus dulcedinem, quasi novam insatiabiliter esuriant.*

ARTICULUS VII.

Quid sentiendum circa locutiones dubias Scripturæ Sacræ.

HÆC regula, seu potius certissimum fidei principium supponendum est, videlicet. Sacra Scriptura nihil dicit sub formali dubio, ex parte sui auctoris, seu ex parte formalis veritatis; ideò Princeps Apostolorum, *1. cap. 2. epist.* comparans certitudinem Scripturæ cum ipsa visione, quæ in hoc statu haberi potest, inquit. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes &c.* nulla ergo vel umbra dubii in ea admittitur; implicat enim in terminis, aliquid dubium esse, idemque esse firmissimum, nam qui dubitat, similis est fluctui maris &c. Jacobi c. 1. &c. Quid ergo dicendum, ubi dubitativas locutiones more humano, in Sacra Scriptura reperimus?

Resp. ubique semper verificari dubitationem non esse secundum auctorem locutionis, sed secundum alios. Induit enim, quandoque loquens Spiritus-Sanctus personam hominis, cui repræsentandæ se se accommodat etiam quoad modum expressionis, & figuram dicendi, vel sub tali figura id celat, quod non vult revelare, semper

A tamen aliquod certum, quod intendit, & prout intendit, revelat, ut ex dicendis constabit. Et quamvis Prophetæ, seu Scriptores Canonici, homines sint, quibus secundùm se, sicut nescire, ita & dubitare contingit, non tamen, ut Scriptores Canonici, ut alias satis probatum, notumque supponimus; quæ ergò in eorum scriptis dubitationes occurrunt, tales non sunt respectu visionis, aut locutionis propheticæ, sed modo nuper posito sumi debent: Ita docent unanimiter Patres, & Doctores Catholici, ac sigillatim D. Ambros. *lib. 2. de pœniten.* ubi secundum hanc regulam, & intelligentiam plura explicat loca Sacræ Scripturæ.

Actorum cap. 8. habemus: pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur sibi, ubi Ambros. *Ego*, inquit, *nec Petrum dubitasse dico &c. nam si dubitans, dubitasse Petrum, numquid & Deus dubitavit, qui ait ad Hierem. cap. 16. Sta in atrio Domus Domini, & responsum dabis &c. forsitan audient, & convertentur: dicam ergo Dominum ignorasse, quid esset futurum? sed nec ignorantia eo verbo exprimitur, & in Divinis Scripturis frequens hujusmodi advertitur consuetudo:* Hæc Ambros. & exponi debet, juxta id, quod subdimus.

Ps. 2. apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus &c. Augustinus *in prædictum Psalmum, cum dubitatione positum est, non secundum visionem Prophetæ, cui certum est; sed secundum eos ipsos, qui monentur, quia cum dubitatione cogitare solent iram Dei, quibus non aperte revelatur. Hoc ergo sibi ipsis tales debent dicere: apprehendamus disciplinam, ne quando irascatur Dominus: deestque infallibilitas non Prophetis, sed eos audientibus.*

Plurima quidem his similia in Scripturis habentur, sed vel figurata in illis locutio est, & certitudo deprehenditur ex contextu, vel juxta relatam Augustini expositionem debent exponi: vel denique reduci debent ad propositionem de in esse; si illa affirmativè est falsa, juxta textum, vel contextum, vel aliquod fidei principium, ejus opposita erit vera, & certa, & sensus negativus erit proprius illius: si negativus eodem proportionali modo falsus deperitur, affirmativus tenendus erit; Si de neutro constat ex contextu, cæterisque principiis, supra tactis, ad mysterium recurrendum est, nam aliquando per particulam dubitantis celat Deus aliqua sub mysterio, & ita recurrendo ad primas universales regulas, omnia facilè solventur. Habemus exemplum: *Gen. c. 3. nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Certè sciebat Deus, quid Adam esset facturus, & planè indicat contextus, talem locutionem figuratam fuisse, non verè dubitantis, sed potius ironicè loquentis, apparenter tamen dubitatio, est; quæ in ironiam resolvitur. Sed etiam hoc præciso, ejus propositio de in esse absolutè sumpta est: sumet de ligno vitæ, & comedet, & vivet &c. hæc affirmativa falsa est ut ex facto, ideò sumitur ironicè, & ejus negativa absolutè est vera, ac sumitur connexivè, cum eo quod sequitur, *& posuit Cherubim &c. ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Ad completam verò regulæ intelligentiam, non est prætereundum id, quod rem hanc apprimè videtur attingere, quod nempe pluries utitur Scriptura particulis hujuſcemodi, quæ præſeferunt dubitationem, ad exprimendam libertatem noſtram, quæ divina præſcientia non tollitur, ſed completur potius in propria ratione libertatis; ideoque etiam ſi indubitabile ſit, Deum omnia præſcire, quæ fient, & liberè fient; ad exprimendum, quod non propterea, quia præſciuntur, coactè, aut neceſſariò fient, etiam ſtante tali præſcientia, adhuc utitur particula ancipiti, quæ indifferentiam deſignat ex parte potentiæ, ideoquè contingentiam ex parte actus, illa ſiquidem omninò prima libertas, & potentia, ſicut rerum omnium univerſaliſſimas, ac peculiares continet rationes, quas a ſe in creaturas derivat, ita & humanæ libertatis omnes ſinus, & ſicut ſcit, ac comprehendit quæ præcontinet; & cauſat, ita & omnem modum libertatis, & potentiæ, & actuum noſtrorum præcognoſcit, & cauſat ſigillatim, non deſtruendo, per oppoſitum ſuum, id, quod cauſat, ſed ipſum formando in ſua formaliſſima ratione libertatis creatæ; ideoque ut imponant manum ori ſuo defenſores chimericæ libertatis, quæ pugnet cum Dei præſcientia, & cauſalitate, cum de iis, quæ humanam reſpiciunt libertatem diſſerit, ancipiti dignatur uti ſermone; ſic enim magis, & ſuam, & noſtram ſalvat libertatem. *Hierem. cap. 26. ſi fortè audiant, & convertantur, & cap. 36. ſi fortè cadat oratio eorum. Math. cap. 11. fortè manſiſſent uſque in hanc diem*, & prolixum nimis eſſet univerſa hujuſmodi, in medium proferre.

Sed adverſus oſtenſam veritatem obiicies. Propheta, ut Propheta verè dubitat de eo, quod prædicit, immò eventum futurum ignorat, & circa illud errat, putans oppoſitum ejus, quod poſtea evenit, eventurum eſſe. Clarè id conſtat in Jona, qui nedum neſcivit miſericordiam exhibendam eſſe, pœnitentiæ Ninivitarum, ſed oppoſitum expectabat; ideoque videns abſolutos Ninivitas ab excidio comminato: *Jonæ cap. 4. afflictus eſt Jonas afflictione magna, & iratus eſt Dominus &c. & dixit: Obſecro Domine; nonne hoc eſt verbum meum &c.* ergo in Sacra Scriptura habetur formale dubium &c.

Reſp. prophetiam comminationis, cum ſit conditionata, non importare certam cognitionem ejus, quod abſolutè eveniet, quia hoc excedit ejus objectum, ut clarum eſt, mediat enim conditionis poſitio, vel ablatio, cujus rei notitiam, utpote ab hominis libertate pendentis, ſibi Deus reſervat; ſufficit ergo in hujuſmodi prophetiæ, quod Propheta certò ſciat prædictionem certiſſimè verificandam, e. g. ſi pœnitentia non ponatur; ideò negatur abſolutè antec. objectionis, ſeu potius ſuppoſitum, non enim ſpectat ad Prophetam, ut talis eſt in comminando, præcognoſcere, ſicut nec prædicere abſolutum eventum; in quod arcanum intrare contendens Jonas, Prophetæ munus exceſſit, ut peculiaris homo, non ut Propheta, & ideò a Domino correptus eſt.

Reſp. ſecundo, & eſt propria Divi Thomæ

A Doctrina 22. qu. 71. ar. 5. *Prophetiam generaliter acceptam non includere neceſſariò cognitionem reflexam* per quam videlicet Propheta cognoſcat, & id quod prædicit, & ſe illud ex prophetiæ lumine precognoſcere, & prædicere ex qua proinde reflexione poſſit inferre infallibilitatem propriæ prænotionis, & in ea infallibilitatem abſolutam eventus, & illorum, a quibus ipſe dependet; ideò Apoſtolus, *prima ad Chorin. cap. 13. ex parte*, inquit, *cognoſcimus, & ex parte prophetamus*; & quidem Caiphas cum eſſet Pontifex anni illius prophetavit neſciens quid diceret, & ratio eſſe poteſt, quia cum prophetia ſit gratia gratis data, reſpicit utilitatem aliorum, illa verò reflexio potius perficit reflectentem, ideò etiam, ſi pluries detur, non tamen eſt neceſſariò connexa, aut de conceptu

B immediato prophetiæ, negat. itaque in terminis formalibus, antecedens objectionis; quod verò additur de Jona, quia deſcendit ad peculiarem ſpeciem prophetiæ; explicatur, ut in prima reſponſione, quod ſi velis in præſenti inſiſtere, clarè etiam ſolvitur, quia error Jonæ non fuit ut Prophetæ formaliter, ſed ut hominis ex defectu prædictæ reflexionis &c.

Sed dices: ſi non eſt neceſſe, quod Propheta ut talis reflectat ſupra propriam prophetiam, & ea quæ in ipſa latent, jam ut talis poterit dubitare de certitudine illius, & ſincerè ſcribens, prout intelligit, exprimet per particulam dubitantis formalem ſuam dubitationem, quæ ſtabit contra certitudinem rei prophetatæ. Patet ſequela, quia

C qui habet demonſtrationem de aliqua concluſione puta metaphyſicæ, ſi dubitat, an verè habeat metaphyſicam, æquè dubitabit etiam de ipſa concluſione, quæ ſuam certitudinem habet a metaphyſica, de qua ipſe dubitat.

Reſp. diſt. ant. poterit dubitare de certitudine prophetiæ ſumptæ, ut quod ſeu quæ, admittimus, ſumptæ ut qua, neg. ſequ. vel quod idem ferè importat: poterit dubitare de ipſo lumine prophetico, an ſit tale, tranſeat, poterit dubitare de veritate, aut certitudine objecti, ad quod directè terminatur prophetia, neg. quia lumen propheticum certiſſimum eſt de ſuo objecto directo, circa quod nullam relinquit dubitationem, ideoque nec poteſt Propheta, ut talis circa tale objectum dubium exprimere, quod non habet, ſi ſincerè ſcri-

D bit, aliter nec ut Propheta ſcriberet, qui eſt cauſa inſtrumentalis Dei loquentis, vel ſcribentis, ſed tanquam homo, qui eſt cauſa principalis ſuæ dubitationis, vel erroris, ſicque tollitur ſubjectum quæſtionis. Exemplum de metaphyſica demonſtratione, non eſt ad rem, quia in eo non fit tranſitus a cauſa inſtrumentali, ad principalem ſicut in noſtro caſu: & inſuper addi poteſt, quod qui habet veram, aut melius, bonam demonſtrationem metaphyſicam, eo ipſo de neceſſitate jam penetrat vim principiorum metaphyſicæ, & connexionem neceſſariam, quam cum illis habet concluſio, ſupra quod ſi reflectat eſt impoſſibile, quod dubitet de ſe ipſo, an ſit metaphyſicus, nam in penetratione illorum principiorum, id ipſum certiſſimè affirmat. Prophetia autem habet divinam

præ-

præscientiam tamquam principium, qui deservit, idque est principium extrinsecum, quoad esse rei revelatæ, pluraque similia facilè discrimina occurrent.

Replicabis: unde ergo, & ad quid modus ille dubitativè loquendi, adeò frequens in Scriptura?

Respon. satis constare ex dictis: certè etiam similes locutiones sunt verbum Dei, ideoque Deus, auctor est specialissimus, sed sicut per figuram assumit personam aliorum, ut puta, *Psal.* 50. personam peccatoris pœnitentis, ut doceat pœnitentiam, ita aliquando personam alicujus dubitantis, vel etiam ipsius Prophetæ, ut homo est dubitans reflexè de se ipso, an habeat lumen propheticum, 2. dicimus, ut supra cum Augustino, pluries per hujusmodi locutiones dubitativas exprimi dubitationem audientium, vel occultam ex se esse rei naturam, de qua sermo est, vel certitudinem dominii libertatis humanæ, aut etiam divinæ, vel rei ipsius contingentiam. Aut divinum nobis impenetrabile arcanum, vel denique, sic excitamur ad scrutandas Scripturas, ut nempe vel ex præcedentibus, aut consequentibus, aut aliis Scripturæ locis diligenter perpensis, dubitationem ejus, quod proponitur, evacuemus. Et hæc satis, ne eadem pluries repetamus.

Obiicies 2. id quod, & sæpè audimus, & nos alibi expendimus. Apost. 1. *ad Chorint. cap.* 7. concludit consilium de virginitate: *dic. puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*, nam quidquid sit de cognitione reflexa, de qua nuper dicebamus (quæ per hoc ipsum etiam videtur impugnari) si dubitanter loquitur Apostolus de proprio Spiritu, an sit Spiritus Dei, jam eo ipso dubitat, an id quod dicit sit canonicum, ad quod requiritur tamquam primum fundamentum, quod certè sit a Spiritu Sancto, quo supposito Ecclesia illud proponit credendum, quod est complementum, & forma, rationis canonicæ, alicujus locutionis; si ergo Paulus ipse, de hoc dubitat, & nihilominus tota illa epistola est canonica, licebit aliis dubitare similiter, an sit a Spiritu Dei, quod enim canonicum sit, certè est a Spiritu Dei, quod repugnantiam manifestam involuit, ex quo etiam sequi videtur, necesse esse, quod Propheta habeat suæ Prophetiæ cognitionem reflexam, ne Spiritus Sanctus videatur sibi contradicere &c.

Resp. D. Thom. ad eundem locum, destruendo totum apparens fundamentum hujus objectionis; profundè enim penetrans contextum, assertivè dicit; *non dubitantis, sed increpantis est hæc vox puto. non enim stare potest quod dubitet Apostol. de suo Spiritu, qui ad Rom. cap. 8. dicit certus sum enim*, & quidem si benè advertas, nulla prorsus est umbra dubitationis, sed potius maxima certitudo, quæ oppositum impossibile esse supponit, unde quasi ironicè dicit, puto autem. Hujuscemodi autem emphaticæ locutiones, quoad certitudinem sui Spiritus exprimendam, familiares sunt Apostolo, modo per unam figuram, modo per alteram, quæ tamen ad eam reducuntur, in qua clarior appareret vehementia, cum ait: *an experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus.*

A Sed ne videamur ad effugiendam (si qua est) difficultatem, hanc eligere responsionem; salva semper ejus veritate, & Angelici, quam toto affectu profitemur, veneratione.

2. Resp. transeat, quod particula illa sit dubitantis; vel quod verosimilius apparet, probabiliter tantum, ac prudenter ob modestiam asserentis, quod certissimè cognoscebat; certè figura est, & humilitatis exemplum, nequis divinam ostentet illustrationem, & ad propriam trahat gloriam, a quo toto cœlo distabat Paulus, qui gloriabatur in vinculis, & pressuris, & infirmitatibus suis, ut inhabitaret in eo virtus Christi. Sed esto. (falsum pro modo dissimulemus, ut veritas magis vincat) dubitavit hoc loco Paulus, de proprio Spiritu, ergo dubitavit canonicum esse, quod scribe-B bat, neg. suppositum consequ. non enim spectat ad Scriptorem canonicum, de hoc discernere, an id, quod scribit, sit canonicum, cum hoc reservetur Ecclesiæ. Præbet quidem tali, declarationi fundamentum; certissimè cognoscens veritatem ejus quod scribit, tamquam instrumentum Spiritus Sancti, sed hoc reflexè attingere, & declarare, est munus directum Ecclesiæ, ad quam spectat ex infallibili assistentia Spiritus Sancti, credenda proponere, & Sponsi sui idioma discernere; Nullum igitur sequitur inconveniens, nulla contradictio; posito siquidem decreto Ecclesiæ, quo declarat aliquam Scripturam, aut partem esse canonicam, vel contineat illa particulam dubitantem, vel non, omnes Catholici tenentur asserere, C eam esse locutionem Spiritus Sancti, immò & Scriptor ipse canonicus si adesset, eodem modo teneretur; qui sicut, & cæteri ante talem declarationem, nec tenebatur id asserere, aut discernere, ergo nec scire. Et hæc quidem in formali rigore procedendo vera sunt, non tamen negamus lumini Prophetico hanc reflexam certitudinem a Deo concedi, ubi Spiritus Sanctus hoc novit ad magis firmandam veritatem conducere, ut alibi etiam consequenter ex Patrum, ac Sanctæ Matris nostræ Teresiæ auctoritate concessimus.

Alia etiam superest objectio, quæ a fortiori procedit: si enim Propheta, vel Scriptor sacer, ut talis fatetur se aliquid difficulter cognosceret, immò & ignorare, jam multò magis convincitur, & posse formaliter dubitare, at quia & res ipsa, D & locus, qui adducitur ad probandum objectionis assumptum, diligentiorem, ac proliziorem petit indaginem; sequenti articulo reservatur.

ARTICULUS VIII.

Solvitur peculiaris objectio adversus regulam præcedenti articulo stabilitam.

ANtequam objectionem roboremus, ut eam penitus tollamus, hoc certò supponendum est, Prophetam, cum ad tale munus a Deo assumitur, non propterea elevari ad omnium cognoscibilium plenam notitiam, sed eorum dumtaxat, quæ per illum Deus manifestare decernit, eaque sunt, quæ ad utilitatem Ecclesiæ hic & nunc,

ad quam ipsum Prophetiæ lumen, & donum ordinatur, necessariò scienda sunt, ut manifestentur; ideoque nil mirum, si Propheta aliquando asserat, se aliquid nescire, vel de aliquo dubitare, illud enim erit, ad cujus perfectam notitiam non datur prædictum lumen, & in eo casu etiam illa locutio, qua id exprimitur, divina quidem locutio est, cum sit canonica, sed in ea Deus assumit personam scribentis, qui ex eo, quod non est elevatus ad perfectam illius rei, quam ignorare se dicit, cognitionem, ideò dicit se dubitare, vel nescire, idque per lumen Propheticum certissimè cognoscit, videlicet, quod ipse dubitat, vel ignorat hoc, vel illud, ex qua sola animadversione evanescit quidquid objectum sit, vel obiici possit, ut ex terminis patet. Ut autem id clarius elucescat, sic argues.

Liber Proverbiorum procul omni dubio est verè canonicus, sicut & Salomon ejus Scriptor, atqui etiamsi Salomon ipse adhuc præciso actuali lumine prophetiæ sapientissimus esset, loquens Spiritus Sanctus, per ipsum, & in persona ipsius inquit, *Proverb. cap. 30. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua: talis est, & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum &c.*, & ne fiat recursus ad solutionem priori articulo traditam, quoad alia loca, quod nempe per similes dicendi modos exprimitur dubitatio, aut ignorantia non dicentis, sed Auditorum, seù legentium; Notanter ait, *sunt difficilia mihi*, non dicit aliis, & subdit, *quartum penitus ignoro*, idest ego ipse, ergo locutio canonica admittit, sicut difficultatem, & ignorantiam, ita & formalem dubitationem, ipsius Canonici Scriptoris, ut talis.

Resp. attenta supposita animadversione, facilè ab omnibus solvi totum argumentum; sed etiam æquè facilè omnes eidem congruere solutiones pro consimilibus præcedenti articulo allatis, eam etiam, quam arguens impugnat, ipse enim Salomon (nihil impedit) de se ipso hoc dicit, quòd Auctoribus convenit, sicque repræsentat rei difficultatem secundum se consideratæ, quam exagerat, eam sibi ipsi sapientissimo tribuendo, nihil igitur obtinet objectio, quaqua via examinetur. At quia inter supralatas præcedenti articulo solutiones, eam tradidimus, quæ speciali modo hunc Proverbiorum afficit locum; scilicet hujuscemodi locutiones indicare, quod latet in ipsis mysterium, ad quod proinde inveniendum movetur lectoris diligentia, per hoc ipsum, per quòd absconditur, ut practicam tradamus solutionem, operæ prætium postulat, ut præsentis textus venemur intelligentiam, & quid Doctiores viri, in hoc celebri loco senserint, prælibemus, sic enim edocebimur, qualiter in similibus, veritati capiendæ studeamus.

P. Pineda de rebus Salomonis hunc locum pertractans, sensit hæc tria immò, & quartum esse difficilia, quia simillima sunt, quoad instabilitatem, & prima tria explicant quartum. Ast non apparet, quomodo similitudo, quæ ad juvandam cognitionem inventa est, augeat difficultatem cognitionis; Non enim difficultas est, ad discernendum inter singula, cui obstat aliqualiter similitudo, sed ad quodvis ex illis, in se penetrandum. Sentiunt quidem communiter Doctores, quòd ibi Salomon maximam arguit rerum inconstantiam, at radix difficultatis intelligentiæ eorum, quæ proponit, non est eorum similitudo: Probari quidem potest difficultas a posteriori, nempe ex eo, quod adeò variant hoc loco Expositores, quod non contingit, nisi ubi difficile admodum est, verum sensum latentem efferre.

Duas offert loci hujus Expositiones Cornel. admodum oppositas, nec tamen reprobandas. Prima est, sicut via aquilæ, colubri, & navis, obliquæ sunt, & tortuosæ, ac difficulter inveniuntur, quia nullum earum remanet vestigium, ita & via, hoc est vitæ ratio, quam adolescens sequitur, difficulter intelligitur. Adeò enim instabilis est via hominis in adolescentia, ità se in diversa torquet, ut difficile sit, cognoscere quò tendat: Porrò via Aquilæ in cælo, instabilis, via colubri super petram vaga, & lubrica, via navis in mari fluida, & fluctuans, quarè tribus his, quasi in imagine repræsentatur vaga via mentis instabilis, quæ nunc vagatur in cupiditate mundanæ gloriæ, nunc in rebus terrenis, nunc in libidine nata: Unde Chrisostom. *hom. 84. in Matth. adolescentiam fluctus vehementiores, quam ægæum mare; concupiscentiæ ventis exagitant &c.* unde & Homer. *Iliade 3., semper Juniorum mentes pendent.*

2. Alii ex adverso, per hæc omnia censent notari, miram adolescentis probè instituti, & strenui instar viri virtutem, nam magis miranda est, matura; & virilis conversatio adolescentis, qui vincit annos; hic enim transcendit generositatem Aquilæ, dum superna meditatur, & conversationem habet in cælis, ut Aquila, terram despiciens; cum prudentiam exercet, quam per experientiam, nondum novit, estque quasi coluber astutus, qui pedibus carens, insita agilitate fugiens, saxa transcurrit: Idem tentationes carnis, cautè declinans, aut superans, est sicut navis acta a perito nauclero, qui procellas, & fluctus, vel sulcando, vel obluctando superat, & directè fertur in portum. Ità Cornel.

3. Salazar interpretatur, de velocitate adolescentię, & voluptatum ejus, quę transeunt, quasi imperceptibiliter, sic Sap. c. 5., & Job cap. 9. &c., & Caldæi, anni symbolum ponebant serpentem caudam, ore prehendentem, semperque circulantem. Rursum sicut Aquila, navis, & coluber, non retrocedunt per eandem viam immò est impossibile, ità & anni nostri non redeunt, & impossibile videtur, quòd Adolescens revertatur per viam voluptatis ad viam virtutis &c.

4. Isydor. Pelus. *lib. 11. epistol. 416., via aquilæ volantis, idest divina Filii natura, quæ comprehendi nequit, ut ait Psalmista, & vestigia sua non cognoscentur. Vidit autem hanc aquilam Moyses, pennis suis in deserto populum contegentem; Via serpentis*

tis in petra, insinuatio est maligni spiritus ad pecca- tum, quod petram idest Christum non tangit. Alia addit Isydorus: sed ad rem non videntur: Plures etiam morales expositiones affert Ugo, hoc loco, toto textu, per partes multipliciter expenso. Viam Aquilæ, astutiam diaboli circa corda cælestium virorum; sicut & viam colubri venenati super Sanctos, viam navis conversationem sæcularium in mundo, vel Ecclesiæ in medio tribulationum. Item pro aquila accipit Prælatos, quorum viam ignorat Salomon, quia plerique ad sinistram declinant, & similia, quæ quia nimis pervia sunt, brevitati donamus. Notandum verò est, antequam veriorem ponamus intelligentiam, quòd ibi communiter notant Doctores, nempe in codicibus MM. SS. per Ugonem, Clarium, Isydorum, Jansenium, & Franciscum, Lucam, hoc loco legi, viam viri in adolescentula sua, cujus loco Hebræa versio, habet in Virgine, Pagnin. in alma, quod significat, Virginem absconditam, & viro omninò ignotam, Caldæus iterum, in Virgine: Sanchez rursus, in adolescentula sua, hæcque communior est intelligentia, seù lectio; non quod vulgatam prætereundam putemus, sed potius quia ad majus obsequium ejusdem, ut ipsam intimius penetremus, advocamus ipsi deservientes lectiones cæteras, ac Doctorum eruditos labores, & quidem hujuscemodi legendi varietatem attendendo, facilè devenimus ad mysterium, quòd ibi intendit Salomon: neque enim credendum est Salomonem, qui toto hoc libro prudentiam, & sapientiam docet, ac mores instruit, ad viam viri in adolescentula serutandam, vel proponendam descenderit, in sensu quodam infimo, & naturali, ad quem aliqui ejus dictum detorquent, de quo nihil dicere, vel cogitare magis prodest.

5. Quinta igitur intelligentia, quam ex Patribus haurimus, est, hic significari ineffabile Incarnationis, & Nativitatis Christi ex Immaculata Virgine Domina Nostra, mysterium, cujus nemo viam cognovit, nec aliqua fuere vestigia (nisi fortè nubecula illa parvula in cælo, Eliæ revelata, quasi vestigium hominis, vestigium contra naturam vestigii, futurum pedem præcedens, vestigium pedis in cælo, quo pes non pertingit) nam Virgo fuit ante partum, idest in æternum, Virgo in partu, hoc est omni tempore, Virgo post partum, scilicet est, & erit iterum in æternum, & ita fuit in sensu composito, uti via simul, & terminus, quia via viri perfecti idest Christi, qui in ipsa conceptione fuit vir ratione utens, supra omnem rationem, præditus virtute, & vigore, unde vir dicitur, qui venit alligare fortem, & omnia ejus vasa diripere, quod brevi admiratione complexus est *Hieremias cap. 31. dic: novum fecit Dominus super terram, fæmina circumdabit virum*, & hic adamussim hæc impleta est Prophetia, immò manet expositum, quod hic facit difficultatem, scilicet ly *penitus ignoro*. Nam & Beatissima Virgo, annuncianti Gabrieli respondit, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* Ignorabat Salomon viam viri in adolescentula Virgine alma; & hæc eadem Filia, utique Salo-

A monis, ignoravit idipsum, quoniam, inquit, *virum non cognosco*, ex qua fælicissima ignorantia, facta est sapientissima Mater Sapientiæ, latentis in mysterio. Et quidem ab Angelo soluta est difficultas: *Spiritus*, inquit, *Sanctus superveniet in te*, ecce via Aquilæ in cęlo, via navis in mari, Virgine semper Maria, via colubri sub pedibus immaculatę confixi, super petram. Via viri in adolescentula sua, in qua per Spiritum Sanctum, qui ferri consuevit super aquas, factus est viator; via viri in adolescentula sua, & quidem planè sua, quia tota totaliter sua, fuit Virgo, nec novit quidquam, vel umbraticè alienus ex ea: *Dominus ab initio possedit me, in initio viarum suarum*, quę ab ęterno paratę sunt, sicut Aquilę in cęlo mundissimo, & altissimo, Beatissima Virgine: B unde Ambros. hoc loco; *Aquila intelligitur Christus, qui volatu suo descendit ad terras, quòd animalis genus non nutritur, nisi castitas prius comprobetur Matris, ut apertis oculis totum absque palpitatione liberè respiciat solem, & hoc animal comparatur Salvatori*; vide, ibi enim pulcrè prosequitur &c.

Et iterum idem ipse Christus, ex propria sententia, colubro comparatur. *Joan. cap. 3. sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportet Filium hominis.*

Christus pariter navis est (ibidem Ambros.) in qua ascendunt omnium credentium animæ, quę ut firmius inter fluctus evehatur de ligno fabricatur, & ferro configitur; hoc autem est Christus C in cruce; sed dicit navem sine vestigio, quia Verbum Dei vivum & efficax, penetrat viscera sine læsione, & homine assumpto, homo inter homines natus est, sine sui diminutione, & Maria Virgo eum generat sine sui corruptione.

Accedit, sed paulò aliter, & Anastas. Nicæn. *in quęstioni: Sac. Scrip. qu. 43., quis comprehendet viam aquilæ volantis in cælo, idest Christi Ascensionem, viam serpentis super petram, vestigium peccati in corpore Christi, semitas navis per mare Ecclesiæ, quæ in hac vita, ut in mari, spe in Christum, per crucem gubernatur, & vias viri in adolescentia, nempe Christi, de quo dicitur: vir oriens nomen ejus &c.* vel ut alii, intellige, viam viri in adolescentia idest Christi ad litteram, nam quę fecit Christus in adolescentia ignorantur; absconditа enim sunt, cum D non referantur in Evangelio. Ad Christum, ut aquilam ascendentem, hunc locum ducunt plures ex Patribus, quos prolixum esset referre. Vide inter cęteros, Divum Maximum, *hom. 43.* ubi *meminit*, inquit, *Sanctitas vestra, quod Aquilæ illi de psalterio comparaverim Salvatorem &c.*, & hęc via aquilę valdè abscondita fuit, quia denique nubes suscepit eum ab oculis eorum; vel dicas, Ascensio Christi, fuit via viri adolescentis, erat enim vir perfectus, simul, & adolescens, quia nuper renatus de sepulcro, & adolescens, idest crescens in gloriam.

Cohęret aliqualiter Lyranus, qui viam colubri super terram exponit de passione, & resurrectione Christi. Christus enim passus, & sepultus in sepulcro lapideo, inde mirabiliter exiit in sua resurre-

futre-

surrectione, clauso sepulcro; & sic viam tenuit colubri super lapidem. Viam navis, hanc tenuit Christus in sua conversatione, quia in hoc mundo, tamquam in mari procelloso expositus fuit pressuris, & tribulationibus, juxta quod Psalmista *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me &c.* viam viri, scilicet perfecti in adolescentula, hoc est Beata Virgine, viam aquilæ addere possumus, scilicet Gabrielis ad Virginem, nam Angeli sunt aquilæ, Deum contemplantes, & veloces planè sunt, sicut aquilæ ad ministerium, *facientes Verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus*: ex quibus omnibus apparet, verum hujus loci sensum, atque intentum fuisse, quem nuper tetigimus, Prophetiam mysterii ineffabilis Incarnationis, ex communi Patrum intelligentia, qui licet aliqualiter differant, in expositione, concordant tamen in mysterio, cujus stupendam structuram, & admirabilitatem, hoc loco perstringit Hieronymus concludens: *Igitur quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet cælum, stupet terra, creatura omnis etiam cælestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ promittitur, & per Spiritum Sanctum adimpletur*. De nulla autem via viri in adolescentula potest rationabiliter dici, quòd eam Salomon sapientissimus ignoraverit.

Sed hactenus ennunciatis, videtur opponi, secundum regulam contextus, id quod immediatè sequitur; addit enim: *talis est via mulieris adulteræ*, per quod videntur præcedentia determinari ad malum, ut non possit esse sensus eorum in bonam partem, cum expressè dicat: talis est via mulieris adulteræ; quis enim audeat ineffabile immaculatæ puritatis mysterium in comparationem trahere adulteræ obscænitatis? nonne enormissima blasphemia esset?

Resp. rationabiliter quidem obiici, attenta rei apparentia, revera tamen nihil obesse communi Patrum intelligentiæ, quam proposuimus; dicimus enim cum Jansenio, ly talis est via &c. novam omninò sententiam, nam talis transitus frequens est, in libris sapientialibus, ac similibus, quę per Gnomas procedunt, estque proprium methodi concisæ: sic ergò concluso priori mysterio adæquatè, hic est sensus litteralis, nedùm grammaticalis sequentium. Si quæris postquam diximus, de via Sancta viri in adolescentula sua etiam viam iniquam adulteræ, in immunditia sua, hæc talis est, ut nunc dico, *comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum*; quæso, quid umquam in hac pericopè simile assignari potest, quatuor illis difficilibus, quæ prius admiratus est Salomon? certè nihil. Neque enim hoc difficile est intellectu, nec ænigma aliquod continet naturale, sed potius effrontem nequitiam nimis notam, vanitate sua sibi adulantem, seque foventem, ne a malo recedat; Novum igitur omninò argumentum est, novus textus, altera omninò & materia, & propositio, sicque totaliter evanescit objectio.

2. Respondetur, admittendo connexionem quandam, seu analogiam esse præcedentium, & consequentium hoc loco, sed materialem tantum, & quatenus priora sumuntur magis litteraliter, & naturaliter, quàm propheticè, & quoad mysteria, de quibus hactenus egimus; ut detur locus subtilitati Ambrosii, qui quòd hic dicitur de Adultera, mysticè accipit, & in bonam partem, in *cap. 3. Ecclesiastici, serm. primo de elemosina, in fine tomi 2. ubi sic de anima per baptismum abluta dixisse Salomonem puto, talis est, quod de hac planè dictum est, quæ postea, quam fonte abluta est Salvatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit, & viva aqua abstergit maculas: nihil enim dicit se fecisse pravitatis, dum fit nuncia veritatis, & oblivione abdicat impudicitiam, dum devotione prædicat castitatem: hæc enim virtus est Christi, ut peccator, qui ejus unda se laverit, denuò in Virginem reparatus, non meminerit, ante quid fecerit, & rediviva nativitate prætulerat innocentiam, sicque est Virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati &c.* Et hæc quidem responsio, data est ad abundantiam, in priori enim sistendum est, ut ex hac ipsa secunda deducitur; si enim posset ritè sustineri, aliquam esse connexionem, non cogeretur Ambros. ad mystica, adulteram trahere, qui in prioribus Incarnationem, tamquam plana via procedens, fuerat contemplatus. Ita enim incedere coguntur, & cæteri, qui non sine quadam violentia conantur, quæ ibi dicuntur, aliqua ratione connectere, ut Lyranus in Bib. Maxima; *Talis est* inquit &c. *idest sicut illa quatuor, quæ dixi habent viam difficilem, & quam ignoro; ita pariter mirabilis est via adulteræ &c.*, & subdit, hoc intelligi de Sinagoga, de qua frequenter conqueritur Dominus per Prophetas, quod fornicata sit cum Amatoribus multis, postquam a Deo, in Sinai fuerat desponsata sibi per legem, & post tot Idola, quæ coluit, negavit coram Pilato Salvatorem suum, & iterum negat se in hoc peccasse. Stet ergo veriorem intelligentiam eam esse, quæ prædicta disjungit, & ineffabile Incarnationis mysterium, in quatuor illis difficilibus cernit. Quinimmò illud notabile occurrit, ad firmandam hanc intelligentiam, quod Salomon ex hac Prophetia, quam primus annunciavit, a Patribus appellatur Propheta, quamvis de cætero, non se Prophetam exhibeat, sed sapientiæ Doctorem, & ideò in hoc ipso capite, idem, hoc suum oraculum nominavit visionem, quod in Scriptura indicat Prophetiam, nam & Prophetæ dicuntur videntes; & Propheta juxta D. Thomæ, & Isydori intelligentiam, idem est, ac procul videns. Seu etiam procul fans.

Ex quibus omnibus patet, quam vera, quam stabilis sit hæc regula, quam tractabamus: Nihil videlicet reperiri dictum in Sacra Scriptura sub dubio formali, ex parte scilicet, nedum sui auctoris, sed & Canonici Scriptoris, ut talis, immò ut supra innuimus, nunc concludimus; ubi apparet ex verbis seu figura dicendi, dubietas, vel difficultas, vel nescientia, per hoc ipsum innui, ibidem latere mysterium aliquod excellentius, sicut constat in textu, quem nunc pertractavimus, indeque magis excitari lectorem, ad intimius scrutandum locum, qui

qui occurrit, non enim solummodo inveniet mysterium, sed & plures hauriet sensus: Ecce locus Salomonis: tria sunt mihi difficilia &c. Hunc bene consideranti prænunciat, apparet Verbi Divini Incarnatio, modo supra perpenso, iterum litteraliter, hominis describitur inconstantia; diximus iterum, nam & Incarnatio, ibi litteraliter innuitur per illud: viam viri in adolescentula sua, & in reliquis id ipsum per similitudinem, qui loquendi modus, ut alias vidimus, sensum ministrat litteralem. Secundo, sensus habetur allegoricus, intelligendo aquilam pro Christo positam, pro ejus Ascensione. Tertio, sensus anagogicus, si intelligas in aquila contemplativos. Quartò, tropologicè sumendo prima tria, vel pro prudentia Juvenis optimè instructi, ut ex Cornelio, vel pro lubricitate morali illius ætatis. Et quidem sensus litteralis de Incarnatione, melius elucet, si legas viam viri in adolescentula sua, vel in alma, vel in Virgine, secundum enim vulgatam lectionem, non ita litteraliter emergit, sed per hoc quod vulgata per alias lectiones explicatur.

CAPUT IV.

Regulas Ticonii abbreviatas, duce Magno Augustino, cæterisque Patribus, prælibans.

T*iconius quidam* (inquit Augustin.) *de Doctrina Christiana l. 3. c. 30., qui contra Donatistas invictissime scripsit,* cum *fuerit Donatista, & illic invenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum, quem regularum vocavit, quia in eo quasdam septem regulas executus est, quibus, quasi clavibus, Divinarum Scripturarum aperirentur occulta; quæ quidem considerata, sicut ab illo proponuntur, non parum adjuvant ad penetranda, quæ tecta sunt divinorum eloquiorum &c.* Prosequitur autem laudans quidem opus illius, uti proficuum, ac necessarium, id tamen in eo carpit, quod omnia prorsus Scripturarum arcana per suas septem regulas pateheri asseruerit; plura enim, & valdè occulta per has claves aperiri, perspicuum est, omnia verò falsum est; de quo ad hominem ipse convincitur Ticonius, quædam Scripturæ loca in eo opere non modico labore exponens, quibus neutram ex prædictis clavibus aptam invenit, idcoque aliunde quærit, quo aperiat. Absit ergò, ut cum Ticonio totum negotium intelligendi Scripturas, ad septem ejusdem regulas coarctemus; id tamen fermè, nos attigisse additis illis, quas hactenus prælibavimus, cæterisque, quas hisce septem adjuecimus, non inficias iret Augustinus, quando quidem, idem ipse, qui novit, quid his septem regulis desit, & dicta a nobis, & dicenda, ut res totam metam attingat, de thesauro suo, sapientissimus ministravit, ùtique & cætera prærogabit. Has igitur Ticonii regulas, sicut eas & approbat, & intelligit Augustinus, variatò fermè stylo (non enim in his disputandum) tota siquidem vis earum

A est, praxi tantum, & auctoritate fundata, brevissimè prælibemus.

ARTICULUS I.

Primam Ticonii regulam complectens.

PRima Ticonii regula, ut innuit Augustinus loco citato est. *De Domino, & ejus corpore*; facilis quidem explicatu, at non ita facilis applicatu: ubi enim ea utendum sit, norunt, qui sincero veritatis studio, & humili corde, Sacras Scripturas legunt, non qui oscitanter, aut nimium sibi ipsis fidentes, eas versant. Occurrit enim frequenter, sed non ità evidenter. Breviter ergo (quod sufficit diligentibus) ad ejus intelli-

B gentiam notandum, ex communi Patrum, & Augustini potissimum sensu, quod tanta est unio Christi, & Ecclesiæ, ut potius unitas, quam unio dici debeat, ut ostendit Apostol. *ad Eph. c. 5.* Inquit enim; *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed fovet, & nutrit eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus*; ac post pauca: *Erunt enim* inquit, *duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*: ubi Christi, & Ecclesiæ nedum unionem, & unitatem qualemcumque asserit, sed identitatem quæ sit exemplar, cujuscumque mysticæ, ac moralis unitatis; idque a Fidelibus supponendum est, quod tota docet Scriptura, & quotidie

C ipsa experitur Ecclesia. Hinc est, quod Prophetæ pluries, incipientes aliquid prænunciare de Christo, transeunt incunctanter eodem fermè contextu, immò eadem periodo, ac quasi pericope ad Ecclesiam, & eodem gradu, cum aliquid de Ecclesia innuunt, transeunt ad Christum, cum autem id præstent, prosequentes utrumque sub eadem figura, ac persona, absque ulla interruptione, vigilandum est, ne contingat errare, attribuendo aliquid membris, quod soli capiti singulariter convenit, vel è converso, qua in re despitant, quandoque imperiti, non advertentes in tali unitate dicendi, innui mysterium charitatis Christi ad Ecclesiam, non confusionem. De hac regula Augustinus loco citato. *Aliquando capitis, & corporis, idest Christi, & Ecclesiæ unam personam*

D *nobis novimus intimari, neque enim frustra dictum est Fidelibus, ad Galat. c. 3. Ergo Abrahæ semen estis; cum sit unum semen Abrahæ, quod est Christus, non hæsitemus, quando a capite ad corpus, & a corpore statim transitur ad caput, & tamen non receditur ab una, eademque Persona: una enim Persona loquitur dicens Isaiæ cap. 61. & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis, & tamen quid horum capiti, idest Christo conveniat, quid Ecclesiæ, intelligendum est.* Hæc Augustinus, & paulò ante idem Propheta dixerat Ecclesiæ. *Isti sunt semen, cui benedixit Dominus*, quod desupra August. in locum ad Galat. intelligi debet. Similem pariter transitum habet idem Propheta sequ. cap. 62. ubi loquitur de justo, idest

Christo

Christo ad Syon, idest Ecclesiam, & nomen Jesu prænunciat, quod os Domini nominabit, quasi nomen ipsum Ecclesiæ, ita alibi frequenter. Idem Isaias, cçterique Prophètæ: similiter, ut advertit Nicol. de Lyra in principio. In primis verbis libri Canticorum, *osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt verba tua vino*, cum enim dicitur osculetur me osculo oris sui, Verbum est Sponsæ scilicet Ecclesiæ, vel fidelis animæ, Sponso suo frui desiderantis; at quod subditur, quia meliora sunt ubera tua vino &c. Verbum est Sponsi, Sponsam suam commendantis; ex quo exemplo, ad aliorum similium ejusdem libri Canticorum veriorem intelligentiam locorum, facilè quisque perveniet. Nec vacant hujuscemodi transitu Psalmi, sicut Ps. 44. qui est epithalamium Christi, & Ecclesiæ, de quo egregiè Noster Incognitus, & post Lorinus; quamvis enim in prædicto Psalmo talis transitus ita appareat, ut vix hac regula opus esse videatur, ubi tamen ad Sponsum simul, & Sponsam loquitur, id ipsum, quod dicit ad utrumque, aliter de Sponso, ac de Sponsa intelligi oportet, sicut cum ait, *pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii &c.* aliter enim Sanctos Patriarchas, Patres habuit Christus, aliter Ecclesia, quod satis est, ut in similibus discernamus, prout oportet.

At si radicem, aut causam quæras, quarè similis transitus frequentetur in Sacra Scriptura, ex quo major emergit obscuritas mysteriorum, quæ ex propria sublimitate satis latent. Respondetur ita graphicè significari, ut notavimus, maximam illam unitatem Christi, & Ecclesiæ, in qua omnis spes nostra fundatur, ut semper recolamus, quod, quò præcessit gloria capitis, eo spes vocatur, & corporis, ut semper versetur ante oculos mentis nostræ, cujus capitis quisque sit membrum, & erubescat sub capite spinoso membrum delicatum, ut sentit, & exhortatur Princeps Apostolorum ep. 1. c. 4. sed & in eadem unitate fundatur articulus Communionis Sanctorum; nisi enim Fideles unirentur in capite, nec sibi essent alter alterius membra, ut communicantes Christi passionibus invicem communicarent in propriis.

Alia etiam radix, seù ratio est, quam suggerit Oleaster, canone 11. cum enim secundum omnem proprietatem, & perfectionem primigenii sui idiomatis, scilicet Hebræi conscriptæ fuerint Sacræ litteræ, etiam hunc servant modum valde proprium illius, ut absque distinctione, & simul sine confusione (uniuntur enim in mysterio) corpus, & caput comprehendat. Et hoc satis.

Verum quia ad plura se extendit hæc clavis, admodum recondita, & satis a relatis diversa, quod nobis occurrit proponimus. Interrogavit enim quidam vir doctus, an per aliquam regulam explicari posset textus ille difficilis Apostoli, ad Colosse. cap. 1. ubi inquit, *adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea*, hæc enim verba, ut notat ad hunc locum D. Thomas, lect. 6. secundum superficiem malum possent habere intellectum, scilicet, quod Christi passio non esset sufficiens ad Redemptionem, ideoque ad eam complendam, necesse sit addere passiones Sanctorum, quod pla-

A nè hæreticum est. Nos autem pro modulo nostro respondimus per hanc primam regulam, satis intelligi absque scandalo, & juxta veritatem, ab Apostolo intentam hunc locum, quod patebit ex his, quæ subnectimus ex Doctrina Sanctorum, non enim nostræ in similibus exiguitati fidimus, nec nova molimur.

Primò igitur D. Thom. loco citato, *intelligendum est*, inquit, *quod Christus & Ecclesia sunt una persona mystica; cujus caput est Christus, corpus omnes justi, quilibet autem justus est membrum: Deus autem ordinavit in sua prædestinatione, quantum meritorum, debeat esse per totam Ecclesiam, tam in Capite, quam in membris, sicut prædestinavit numerum electorum; & inter hæc merita, præcipua sunt passiones, Martyrum: scilicet Capitis* B *merita sunt infinita, quilibet autem justus exhibet aliqua merita secundum mensuram suam, & ideò dixit, adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, idest totius Ecclesiæ, cujus Caput est Christus, adimpleo; idest addo mensuram meam, & hoc in carne, idest ego ipse patiens; vel quæ passiones desunt in carne mea; hoc enim deerat, quod sicut Christus passus erat in carne sua, seu corpore proprio, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in aliis, & pro corpore suo, quod est Ecclesia redimenda per Christum, quæ eorum exemplo roboratur.* Ita Angelic. & cohærenter Glosa: *passiones*, inquit, *adhuc desunt, eo quod paritoria meritorum Ecclesiæ non est plena, nec implebitur, nisi cum finitum fuerit sæculum* (paritoriam dicit, quod est vas, vel do- C mus, ubi pariter multa inferuntur, & servantur) ex quibus patet pluris faciendam esse hanc regulam, per quam non modica aperiuntur mysteria, quod ut magis eluceat in præsenti difficultate; addendum ex eadem biblia maxima hoc loco; *si accipiatur corpus Christi in se, nihil erat implendum, si verò accipiatur prout patitur in membris suis, quæ sunt Fideles, secundum quod dicitur Actor. cap. 9. Saule, Saule, quid me persequeris &c. sunt implendæ passiones ad bonum totius Ecclesiæ ideò subdit, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

Pulcrè etiam S. Leo Magnus, *sermone ultimo de Passione: Passio Domini usque in finem perducitur mundi, & sicut in Sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur, ita in omnibus, qui pro justitia adversa tole-* D *rant, ipse compatitur*, & ita hunc locum intellexerunt Augustin. in Psal. 61. Gregor. lib. 3. Moral. c. 11. Anselmus, & alii Patres.

Textus Ambrosian. magis adverbum reddit, dicens: *suppleo reliquias pressurarum Christi in carne mea*; significat ergo ea, quæ reliqua sunt passionum, idest quæ posterius adhuc restant toleranda, videlicet, non quod desit aliquid passionibus Christi, in ipso, sed quod ea, quæ ad ejus imitationem patienda, ex tunc Sectatoribus illius præfigebantur, nondum finem acceperunt, ut vicem ei reddant.

Nec ommittendum, quod addit Biblia Maxima, ad magis explicandum, nempe quod ultra ea, quæ facta sunt a Christo, & passa, ad hoc ut Ecclesia congregetur, & informetur, multa facienda super-

sunt,

sunt, multi labores, & dolores, quos Christus reservavit ministris suis, qui sunt præcipua membra ejus, ad eorum meritum, *& ideò adimpleo, ait ea, quæ desunt Passionum Christi, scilicet illos labores, & dolores, qui necessarii sunt in carne mea, qui minister sum Evangelii pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

Ugo Cardin. addit breviter, dicens: *expositio plana est, quod sicut Amorhæi dicuntur adimplere peccata sua. Gen. 15. sic justi merita sua, & Dan. cap. 11. dirigetur, donec impleatur iracundia, perpetrata quippe est definitio.*

Sed placet ex eodem Apostolo, sensum præsentis textus eruere; & quidem toto illo capite insistit, prædicans Christum caput esse Ecclesiæ, nosque corpus ejus mysticum, seque ministrum Evangelii; io quo sensu concludit, dicens, *qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt &c.* ex quo contextu patet quam legitima, & vera sit intelligentia Doctoris Angelici, cæterorumque Doctorum, cohærenter ad hanc regulam, quam tractamus. Siquis verò, litteræ fortè nimis insistens, per sensum hunc uti mysticum, non planè difficultatem, quæ apparet in hoc textu, uti notabat Angelicus, esse resolutam, obiiciat; consideret litteram, & videbit, in ipsa seosum mysticum coincidere cum litterali, ipse enim Apostolus, hoc addidit, pro corpore ejus (utique mystico) quod est Ecclesia; seosus ergò primarius hujus litteræ, est sensus mysticus, sicut cum *ad Galatas c. 3.* ait: *omnes enim vos unum estis in Christo, si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ vos estis, secundum promissionem hæredes;* quæ sensus mystici, ac litteralis identitas, frequens est, in cæteris etiam ejusdem Apostoli epistolis.

At quia ex doctrina ejusdem, sapientibus, & insipientibus debitores sumus: accipiat, qui vult omninò litteraliter, quantum locutio patitur, dictum Apostoli, nullum adhuc sequi potest absurdum: pro quo recolat necesse est, quod dicebat Apostolus, *Ad Galatas c. ultimo de cætero*, inquit, *nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*, studebat ergo Apostolus, nedum io corde suo & affectu, sed & io corpore suo, Crucifixo Domino suo ita in omnibus conformari, ut realem, & perfectam ejusdem Crucifixi, & patientis imaginem compleret in se toto, ac proinde etiam in corpore suo, quantum fieri posset: nunc ergo cum dicit; *adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea*, apertè significat, se quidem plures Christi passiones, in se ipso, etiam, quoad corpus, & carnem suam impressisse, & expressisse, sed adhuc aliquid deesse in caroe sua, ut hanc imagioem Crucifixi, seu sculpturam, in semetipso compleret, unde quod ait, *quæ desunt Passionum Christi*, statim explicat, dicens, ea deesse non in Christo, sed in carne sua, & quia Christus passus fuerat pro Ecclesia, hoc etiam volebat in se ipso, & passionibus suis verificari, ideò addidit, *pro corpore ejus, quod est Ecclesia;* qui sensus apertissimè per litteram ipsam immediatè expræssus, relato superius Patrum sensus, ut benè consideraoti patebit, dilucidat, & confirmat,

A ac proinde regulæ hujus primæ praxim ostendit.

ARTICULUS II.

Ad secundam Ticonii regulam inspiciens.

Secundam regulam proponit Ticonius sub hoc titulo, videlicet de Domini corpore bipartito; sed quamvis eam, quoad substaotiam, & in recto sensu recipiant Augustinus cæterique Patres, & Doctores post ipsum, ejus tamen litteram, prout ita proponitur a Ticonio corrigit Augustinus; *dicendum enim est*, inqu. *de corpore vero, atque permixto, aut vero, & simulato*. Ejus autem vera, & communis intelligentia hæc est. Cum Ecclesia mili- B tans, hoc est hujus sæculi, mixta sit bonis, & malis (non enim pro nunc eradicantur zizania, ne eradicetur simul & triticum) ex hoc fit, quòd in Sacra Scriptura, in eodem quandoque contextu quasi de eadem persona, seù de iisdem personis, & bonum, & malum dicitur, & laus, & exprobratio, absque ulla mutatione, quòd admodum mirantur, ne dicas, & in quo scandalizentur incauti, & hanc regulam negligentes; ubi enim quod dicitur, tali modo referri potest ad Ecclesiam, quòd ex contextu apparet, vel ex materia, de qua agitur, vel apertè constat, de ipsa esse sermooem, iotelligi debet, cum accommoda partitione attendendo, quòd Ecclesia quidem una est, sed mixtos bonis, malos, qui adhuc corrigi possunt non excludit. Intelligantur itaque in simili- C bus locis, bona dicta de bonis, ac mala, servata proportione, de malis, & unitas illa locutionis, sumatur, ut expressio unitatis Ecclesiæ, quæ ut unicum corpus mysticum est, ita & accipitur, ut una Persona, sicque & Justitia, & veritas elucescet, quam semper servat Scriptura. Ex quo è converso etiam intelligitur variatio illa, cum locutio Scripturæ ad aliquos directa, statim alios respicit, insensibili transitu, & io sensu, vel sensibus valdè diversis, & oppositis, ut advertit Augustin. Ratio verò, quare idem S. Doct. arguat litteram Ticonii in proponendo hanc regulam, dicendo scilicet eam esse, de Domioi corpore bipartito, ea est, quam ipse subdit: *non enim*, inquit, *revera Domini corpus est, quòd cum illo non erit in æter-* D *num, sed dicendum est de corpore vero, & simulato, sive permixto, vel quid simile, quia non solum in æternum, verum etiam nunc Hypocritæ, non eum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur Ecclesia*, melius ergo dicetur regula, de permixta Ecclesia. Exemplis aliquot rem declarat idem S. Doct. nam *Isaiæ cap. 42.* dicitur, *ducam cæcos in viam, quam non noverunt, & in semitis, quas ignoraverunt, faciam eos ambulare: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos. Conversi sunt retrorsum, confundantur confusione &c. primum intellige de justis, usque ad illud, & non dereliqui eos: mox verò de alia parte, quæ malorum est, permixta cum bonis, quamvis enim alii, a primis jam significentur, his verbis extremis, quia tamen nunc in uno sunt, tamquam de illis loquitur, de quibus prius loquebatur;*

non semper tamen in uno erunt; Ipse est quippe ille servus commemoratus in Evangelio, cujus Dominus, cum venerit, dividet eum, & partem ejus cum Hypocritis ponet. Matth. cap. 24. Quam verò frequens sit necessitas hujus regulę, qui Prophetas percucret, potissimum minores, clarè deprehendet. Minimum quid attingemus. *Osea cap.* 11. habetur. *Quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum*, at statim subdit: *vocaverunt eos, sic objerunt a facie eorum, Baalim immolabant, & simulacris sacrificabant*: manifestus ibi est transitus, & eadem servatur persona, quod primò dicitur, dilectam, concernit Ecclesiam, & potissimum quoad bonos; quod sequitur, afficit perversos, eidem Ecclesiæ immixtos: Itecum prosequendo, revertitur ad primos dicens, *& ego quasi nutritius Ephraim*; in hoc quod dicit, *ego quasi nutritius*; designat primos; in hoc quod vocat eos Ephraim, sub eadem persona fecit malos, & toto capite similiter procedit mysterium aliud innuens; quia est Prophetia futuræ Ecclesiæ Christi, ex omni genere hominum congregandæ, in quo pariter quàm necessaria sit observatio regulæ præsentis, elucet; nec obscurè idipsum cernet attentus lector, in sequentibus capitibus ejusdem Prophetæ, sicut & alibi sæpè in tota Scriptura, in locis obscuris, quæ propterea majorem nutrire videntur obscuritatem, quia illis hanc regulam non applicat, qui legit.

Pergit verò Augustin. loco citato, ostendens exemplo, non solum in libris Prophetalibus, sed & in Sapientialibus opus esse, uti hac regula, subdens. *Canticorum 1. c. dicitur. Nigra sum, sed formosa, Filia Hierusalem, sicut tabernacula cadar, sicut pelles Salomonis: non ait nigra fui, ut tabernacula cadar, formosa sum, sicut pelles Salomonis, sed utrumque se esse dixit propter temporalem unitatem intra retia piscium bonorum, & malorum; tabernacula enim cadar ad Ismaelem pertinent*, hoc itaque dictum intelligit, de Ecclesia pręsentis temporis; in qua (addit Greg. *hom. 12. in Evang.) qui mali cum bonis admixti sunt, similes Virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibentur*. Et quidem in usu hujus regulæ, quia apta est ad moralitatem, frequens valdè est Gregorius, nec tamen minus ea utitur Ambros. cæterique Patres, nam ad allegoricum pariter, cæterosque sensus non minimum deservit.

Nec ommittendum, oblata occasione prædicti textus, quod specialiter notat Oleaster in suis canonibus, ubi sic: *est advertendum, particulam orationis, non semper ligari cum proxima dictione, sed frequenter cum remota, sicut nigra sum, sed formosa &c. quo in loco, si cum priori sententia utramque particulam jungas, non benè coharet; erit enim sensus, nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cędar, quod planè ineptum est, cum tabernacula Cædar nigra, & fœda essent, utpote, imbribus, æstuque decocta, item ineptum erit, si utrumque, cum pellibus Salomonis, quæ pulcherrima erant, conjungas: sic ergo intellige, nigra sum, ut tabernacula Cędar, sed adhuc pulcra sum, & formosa, sicut pelles Salomonis, quę pretiosæ erant, & rubricatæ*, est etiam exemplum

A Ezechielis cap. 16., & alibi alia, sed pro modò satis est, arrepta occasione, innuisse hanc etiam appendicem regulam, quæ præcipuam juvare potest, nempe ubi plures simul sunt, diversæque saltem apparentes sententiæ, immò quandoque oppositę, si non est locus intelligendi textum de Ecclesia permixta, accommodare oportet invicem per diversam conjunctionem, & relationem, particulas, vel etiam sententias, & verba, & tunc vel apparebit, intelligi posse de Ecclesia permixta, vel sensus proprius loci illius aperietur: ad quod pulcrè notat idem Oleast. cant. 9. quod dicitur proverb. cap. 1. *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra Innocentem frustrà*, & prosequitur

B per plura, quę faciunt invicem integrum sensum; indeque subdit, *frustrà autem jacitur, rete ante oculos pennatorum*, quæ sententia debet referri ad superius dicta, est enim ratio, quarè frustrà tendantur insidię contra Innocentem, & tamen plura alia intermediant, unde advertentia opus est, ne ex incuria fiat inintelligibile, quod videtur obscurum; aliud simile reperies, *Exodi cap.* 22. ubi in primo versu capitis ponitur lex furti, & post aliquas sententia, alia pars ejusdem legis &c., & ne quid desit, idem auctor, *cant.* 11. subdit id, quod supra aliqualiter tactum est, scilicet quòd in Sacra Scriptura servata unitate orationis, ab una in aliam personam facilè fit transitus, quoad relationem, sensus, seu sensuum, ut pluries fieri clarum est; quod si non deservit, vel prima Ticonii re-

C gula, vel secunda, quam nunc tractamus, ad talem transitum, & applicationem dictorum intelligendam, ad alias regulas, quas suprà proposuimus, vel quę imposterum traden;ur, attendendum est. Ponit exemplum.

Gen. cap. 49. Jacob, Judæ benedicens, ait: *ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti, ut leo, & ut leæna. Quis suscitabit eum?* ly, ut leo, & ut leæna refertur ad primam, scilicet, *ad prædam ascendisti*: sed præcipuè notat Oleaster, transitum illum ad futurum ex abrupto, quis suscitabit eum? sic enim tendit ad aliquid remotum, quod (& fortè sic voluit Oleaster) intelligi non potest, nisi per regulam tertiam, quam subdemus, de Spiritu, & littera; fit enim ibi transitus, de

D littera ad Spiritum Propheticè, scilicet de figura ad figuratum, qui non est rigorosè transitus, de littera ad Spiritum, quia sensus Propheticus, quamvis similis spirituali, non tamen talis est, sed litteralis cum addito, scilicet litteralis Propheticus, ut suo loco ostendimus, cum de Scripturæ sensibus ageremus. Est ergo hoc loco pulcherima expressio Prophetica, de Christo venturo, ejusque mysteriis: benedicens siquidem Jacob Judæ, qui erat figura Christi, in figura figuratum aspexit, dicens quidem de Juda; *Ad prædam Fili mi ascendisti* recordatus est, quod Propheticè, viderat, nempe quod Christus crucem ascenderet, ad deprędandam mortem, & Infernum, *requiescens accubuisti*, mortem Christi vidit, & requiem in sepulcro, *ut leo, & ut leæna*, cujus animalis hoc proprium est, ut notant naturales, quod apertis oculis dormiat, ac si non dormiat, habitum reti-

nens

ſunt, multi labores, & dolores, quos Chriſtus reſervavit miniſtris ſuis, qui ſunt præcipua membra ejus, ad eorum meritum, *& ideò adimpleo, ait ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, ſcilicet illos labores, & dolores, qui neceſſarii ſunt in carne mea, qui miniſter ſum Evangelii pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*

Ugo Cardin. addit breviter, dicens: *expoſitio plana eſt, quod ſicut Amorhæi dicuntur adimplere peccata ſua. Gen. 15. ſic juſti merita ſua, & Dan. cap. 11. dirigetur, donec impleatur iracundia, perpetrata quippe eſt definitio.*

Sed placet ex eodem Apoſtolo, ſenſum præſentis textus eruere; & quidem toto illo capite inſiſtit, prædicans Chriſtum caput eſſe Eccleſiæ, noſque corpus ejus myſticum, ſeque miniſtrum Evangelii; in quo ſenſu concludit, dicens, *qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt &c.* ex quo contextu patet quam legitima, & vera ſit intelligentia Doctoris Angelici, cæterorumque Doctorum, cohærenter ad hanc regulam, quam tractamus. Siquis verò, litteræ fortè nimis inſiſtens, per ſenſum hunc uti myſticum, non planè difficultatem, quæ apparet in hoc textu, uti notabat Angelicus, eſſe reſolutam, obiiciat; conſideret litteram, & videbit, in ipſa ſenſum myſticum coincidere cum litterali, ipſe enim Apoſtolus, hoc addidit, pro corpore ejus (utique myſtico) quod eſt Eccleſia; ſenſus ergò primarius hujus litteræ, eſt ſenſus myſticus, ſicut *ad Galatas c. 3.* ait: *omnes enim vos unum eſtis in Chriſto, ſi autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ vos eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes*, quæ ſenſus myſtici, ac litteralis identitas, frequens eſt, in cæteris etiam ejuſdem Apoſtoli epiſtolis.

At quia ex doctrina ejuſdem, ſapientibus, & inſipientibus debitores ſumus: accipiat, qui vult omninò litteraliter, quantum locutio patitur, dictum Apoſtoli, nullum adhuc ſequi poteſt abſurdum: pro quo recolat neceſſe eſt, quod dicebat Apoſtolus, *Ad Galatas c. ultimo de cætero*, inquit; *nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*, ſtudebit ergo Apoſtolus, nedum in corde ſuo & affectu, ſed & in corpore ſuo, Crucifixo Domino ſuo ita in omnibus conformari, ut realem, & perfectam ejuſdem Crucifixi, & patientis imaginem compleret in ſe toto, ac proinde etiam in corpore ſuo, quantum fieri poſſet: nunc ergo cum dicit; *adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*, apertè ſignificat, ſe quidem plures Chriſti paſſiones, in ſe ipſo, etiam, quoad corpus, & carnem ſuam impreſſiſſe, & expreſſiſſe, ſed adhuc aliquid deeſſe in carne ſua, ut hanc imaginem Crucifixi, ſeu ſculpturam, in ſemetipſo compleret, unde quod ait, *quæ deſunt Paſſionum Chriſti*, ſtatim explicat, dicens, ea deeſſe non in Chriſto, ſed in carne ſua, & quia Chriſtus paſſus fuerat pro Eccleſia, hoc etiam volebat in ſe ipſo, & paſſionibus ſuis verificari, ideò addidit, *pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*; qui ſenſus apertiſſimè per litteram ipſam immediate expræſſus, relato ſuperius Patrum ſenſus, ut bene conſideranti patebit, dilucidat, & confirmat,

A ac proinde regulæ hujus primæ praxim oſtendit.

ARTICULUS II.

Ad ſecundam Ticonii regulam inſpiciens.

SEcundam regulam proponit Ticonius ſub hoc titulo, videlicet de Domini corpore bipartito; ſed quamvis eam, quoad ſubſtantiam, & in recto ſenſu recipiant Auguſtinus cæterique Patres, & Doctores poſt ipſum, ejus tamen litteram, prout ità proponitur a Ticonio corrigit Auguſtinus; *dicendum enim eſt*, inqu. *de corpore vero, atque permixto, aut vero, & ſimulato*. Ejus autem vera, & communis intelligentia hæc eſt. Cum Eccleſia mili-
B tans, hoc eſt hujus ſæculi, mixta ſit bonis, & malis (non enim pro nunc eradicantur zizania, ne eradicetur ſimul & triticum) ex hoc fit, quòd in Sacra Scriptura, in eodem quandoque contextu quaſi de eadem perſona, ſeù de iiſdem perſonis, & bonum, & malum dicitur, & laus, & exprobratio, abſque ulla mutatione, quòd admodum mirantur, ne dicas, & in quo ſcandalizantur incauti, & hanc regulam negligentes; ubi enim quod dicitur, tali modo referri poteſt ad Eccleſiam, quòd ex contextu apparet, vel ex materia, de qua agitur, vel apertè conſtat, de ipſa eſſe ſermonem, intelligi debet, cum accommoda partitione attendendo, quòd Eccleſia quidem una eſt, ſed mixtos bonis, malos, qui adhuc corrigi poſ-
C ſunt non excludit. Intelligantur itaque in ſimilibus locis, bona dicta de bonis, ac mala, ſervata proportione, de malis, & unitas illa locutionis, ſumatur, ut expreſſio unitatis Eccleſiæ, quæ ut unicum corpus myſticum eſt, ita & accipitur, ut una Perſona, ſicque & Juſtitia, & veritas eluceſcet, quam ſemper ſervat Scriptura. Ex quo è converſo etiam intelligitur varietas illa, cum locutio Scripturæ ad aliquos directa, ſtatim alios reſpicit, inſenſibili tranſitu, & in ſenſu, vel ſenſibus valdè diverſis, & oppoſitis, ut advertit Auguſtin. Ratio verò, quare idem S. Doct. arguat litteram Ticonii in proponendo hanc regulam, dicendo ſcilicet eam eſſe, de Domini corpore bipartito, ea eſt, quam ipſe ſubdit: *non enim*, inquit, *revera Domini corpus eſt, quòd cum illo non erit in æter-*
D *num, ſed dicendum eſt de corpore vero, & ſimulato, ſive permixto, vel quid ſimile, quia non ſolum in æternum, verum etiam nunc Hypocritæ, non cum illo eſſe dicendi ſunt, quamvis in ejus eſſe videantur Eccleſia*, melius ergo dicetur regula, de permixta Eccleſia. Exemplis aliquot rem declarat idem S. Doct. nam *Iſaiæ cap. 42.* dicitur, *ducam cæcos in viam, quam non noverunt, & in ſemitis, quas ignoraverunt, faciam eos ambulare: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos. Converſi ſunt retrorſum, confundantur confuſione &c. primum intellige de juſtis, uſque ad illud, & non dereliqui eos: mox verò de alia parte, quæ malorum eſt, permixta cum bonis, quamvis enim alii, a primis jam ſignificentur, his verbis extremis, quia tamen nunc in uno ſunt, tamquam de illis loquitur, de quibus prius loquebatur;*

capitibus descripsit, Angelum adducit ligantem catena magna draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, *& ligavit eum*, inquit, *per annos mille, & misit eum in abyssum; ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni*, hoc spatium planè intelligi nequit futurum fore, post Judicium, quia post illud, idem Joannes ait, *& juravit per viventem, in sæcula sæculorum, quod non erit amplius tempus, cap. 10.* Nec potest per aliam regulam de temporibus, de qua supra priori articulo, intelligi, per mille annos post finem mundi summa, & interminata duratio, cujus finem advenire, aut præcedere aliam durationem nemo potest imaginari, obstat enim, quod sequitur, hoc eodem loco; *& post hæc*, inquit, *oportet illum solvi modico tempore.* Servato igitur ordine propheticæ narrationis, videtur impossibile assignare hos mille annos, nisi dicamus, id ibi reassumptum, per recapitulationem, & referendum ad tempus antecedens judicium, scilicet tempus totius novæ legis, in quo, ut innuitur, in Evangelio, per Christum alligatus est fortis armatus, a fortiori se; nempe ipso Redemptore, qui per Redemptionem, omnia ejus vasa diripuit, post quod tempus in fine scilicet, oportet draconem illum solvi, ut per Antichristum seducere valeat gentes, ut qui probati sunt, inveniantur; cujus intelligentiæ fundamentum ministrat idem Joannes, qui præcedenti capite (in quo est eadem difficultas, ac in præsenti) recitat quasi præsentem passionem Christi; quæ omnia ab ipso narrata præcessit, & dicit, *Et ipse reget eos (scilicet gentes) in virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei Omnipotentis &c.* quæ pariter est recapitulatio. Et hunc quidem locum, ideò sic declaratum proposuimus, non quidem nobis usurpando, tam sublimium arcanorum intelligentiam, quasi exponendo, quod nostrum non est in præsenti, sed imitando quantum possumus sublimem Augustini Doctrinam, & præsentis regulæ applicationem; quam transcribendo dumtaxat aliena, nos non satis attigisse, videri poterat. Nec tamen ommittendum est, non ita propriam esse, ac singularem Sacræ Scripturæ recapitulationem, ut in ea solum inveniatur, nam & in scriptis, quandoque Sanctorum, & in ipsis Ecclesiasticis facilè reperitur. Inventa enim est, ut sine confusione, quæ occurrunt clarè narratio compleatur, quod claritatis gratia fuerat omnissum, sicque omnia plenè exhibeantur. Familiare hodiè occurrit exemplum, cum enim magni Dyonisii Areopagitæ hodie solemnia celebremus, ejusdem collecta se se offert, in qua, sic orat Ecclesia: Deus, qui hodierna die, Beatum Dyonisium Martyrem tuum, atque Pontificem, virtute constantiæ in passione roborasti, quique illi, ad prædicandam gentibus gloriam tuam, Rusticum, & Eleuterium sociare dignatus es &c. Ibi si ordinem attendas dictorum, cum prius innuatur passio Dyonisii, quam associatio aliorum ad prædicandum; videtur implicantia, quasi post passionem prædicaverit, vel socios obtinuerit ad prædicandum, sed virtualis tamen recapitulatio, ubi hic notetur, solvit apparentiam implicationis. Sed ne violata forte brevitas nos accuset, ad ultimam Ticonii regulam declinemus oportet.

Septima Ticonii regula, eaque postrema, communiter dicitur, de diabolo, & ejus corpore: Semel posita prima, quæ erat de Christo, & ejus corpore, superfluere hæc postrema videtur. Perfacilè enim quæ illic dicta sunt, de capite electorum, & Ecclesia, applicari possunt, ad intelligenda, & discernenda, quæ de capite reproborum, ejusque familia, seù mystico corpore, quandoque cum quadam permixtione, seù latenti transitu in Sacra Scriptura leguntur. Et quidem utrinque proportionem esse non negamus. At quia boni, & mali adeò diversæ sunt proprietates, ut facilè quisque deprehendet, peculiares utrinque regulæ ad intelligentiam eorum, quæ de singulis capitibus, & respectivè corporibus, in Sacra pagina occurrunt, sunt assignandæ. Et quidem potissima diversitas inter utrumque, ea est, quæ ex verbis Domini, *Lucæ cap. 11.* elucet; *omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, si autem & Sathanas in se ipsum divisum est, quomodo stabit regnum ejus?* regnum itaque Christi, hoc est ejus corpus mysticum, unicum, & unitum est. Regnum verò, & corpus Sathanæ, divisum in se ipsum est. Ideoque latius patet hæc regula, quam prima, quia ut possit prima applicari propriè, & deprehendi transitus sermonis a capite Christo ad corpus, & a corpore ad caput, utrobique in omni parte sermonis debet unitas, & sanctitas elucere, nisi fortè intret regula secunda, quæ est de corpore Christi permixto, cum verò utendum est hac ultima, non attenditur, nisi quod transitus fit de malo ad malum, illudque, quod de solo Dæmone dicitur, quia Spiritus est, de ipso intelligitur; quod verò, & de spiritu, & de hominibus, qui corporei sunt, intelligi potest, ut de utroque dictum accipitur, etiamsi adsit malorum diversitas, & oppositio. Ex quo sequitur, quod cum dicitur diabolus habere corpus mysticum, cujus est caput, intelligitur unum tantum esse tale corpus, unitate mali finis, & damnationis, non verò perfectæ unitatis, in quo apparet harum diversitas regularum, & sensus Patrum, Augustini, & Gregorii: hic enim ait: *hom. 10. certè iniquorum omnium caput est diabolus, & ejus membra omnes iniqui:* Augustinus verò hic *cap. 37.* explicans hanc regulam, & exemplificans: *Est Diabolus caput impiorum, qui sunt ejus quodamodo corpus, ituri cum illo in supplicium æterni ignis, sicut Christus caput est Ecclesiæ, quæ est corpus ejus futurum cum ipso in regno, & gloria sempiterna: sicut ergo in prima regula vigilandum est, ut intelligatur, cum de una, eademque persona Scriptura loquitur, quid conveniat capiti, quid corpori; sic & in ista novissima, aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipso, sed potius in ejus corpore possit agnosci; quòd habet non solum in eis, qui manifestissimè foris sunt, sed in eis etiam, qui cum ad ipsum pertineant, tamen ad tempus miscentur Ecclesiæ, donec unusquisque de hac vita exeat, vel a frumento palea, ventilabro ultimo separentur. Quòd enim scriptum est per Isaiam cap. 14. quommodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris, & cætera, quæ sub figura Regis Babyloniæ* de

de eadem persona, vel ad eandem personam dicta sunt, in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur, & tamen, quod ibi dictum est: contritus est in terra, qui mittit ad omnes gentes, non totum ipsi capiti congruit: nam etsi mittat diabolus ad omnes gentes angelos suos, tamen in terra corpus ejus, non ipse conteritur, nisi quia ipse est in corpore suo, quod contritum fuit, ut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Hæc Augustin. secundum versionem, quam sequitur, quæ vulgata non est, adducta tamen sunt ad explicandum. Porrò Nicolaus de Lyra, ad hanc regulam, in prologo sæpè citato, aliter exemplificat, in hoc textu, quod ideò adducimus, ut alius etiam usus regulæ præsentis addatur: ait enim: *propter connexionem capitis, ad membra, Scriptura loquens de uno, in eodem contextu transit ad loquendum de alio: sicut Is. cap. 14. loquens de Rege Babylonis, qui erat diaboli* A *membrum, transit ad loquendum de Principe Dæmonum, cum subdit: quommodo cecidisti &c., & Ezechiel cap. 28. loquens de Principe Tyri, transit ad loquendum, de diabolo, cum subdit. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia &c.* Denique concludit generaliter dicta de his regulis Augustinus, dicens: *hę autem omnes regulę, excepta una, quę vocatur de promissis, & lege, aliud ex alio faciunt intelligi, quòd est proprium, tropicæ locutionis, quæ latius patet, quam ut possit, ut mihi videtur, ab aliquo universa comprehendi: nam ubicumque velut aliud dicitur, ut aliud intelligatur, etsi nomen ipsius tropi, in loquendi arte non invenitur, tropica locutio est. Ad cujus rei intelligentiam, non omnes æquè perveniunt, sed prout a Deo datur, Studiosi ergo venerabilium litterarum, quod maximè necessarium est,* B *& præcipuum, orent, ut intelligant.*

DE INDIVIDUA COGNITIONE

Sacræ Scripturæ, per propriissimas ejus proprietates, idest per Idiotismos eidem proprios.

TRACTATUS XII.

ALTERAM DEGUSTANS TOTIUS SACRÆ PAGINÆ EXPOSITIONEM, PER INTELLIGENTIAM PROPRIÆ EJUSDEM LOCUTIONIS.

QUA nobis datum est claritate, ac erga studiosos simplices charitate, Regulas proposuimus ad verba communia, sensusque proprios Sacræ Scripturæ, in eis vel obscurè, vel cum ambiguitate latentes, absque errore percipiendum, fideique veritatem, vera Sacræ paginæ intelligentia defendendam; quas Theologorum, ne dicas Catholicorum omnium, provincia est, opportunas; non quidem omnes sigillatim; hoc enim immensi operis, ac oneris esset, supra vires nostras, & ultrà assumptum, ac propositum prælibantis, sed præcipuas, & quantum satis. Qui plures desiderat, adeat Ambrosium Catherinum, de clavibus Sacræ Scripturæ, Xistum Senensem, de arte interpretandi Sacram Scripturam, cui operi annectuntur, 234. regulæ per Doctissimum Patrem Franciscum Ruizium, ex Sanctis Patribus desumptæ, nec non & canones 371., ad intelligendum ritè Sacras litteras, a R. P. Joanne Hoffmeystero collectæ. Item & Patrem Alphonsum Salmeronem, toto ferè tomo primo in Evangelia, qui infinitos propemodum canones tradit, ad eundem finem, nec non & Cornel. Alap. in principio expositionis, cujuscumque libri Sacri, ac potissimum in prolo- C go ad Pentateuchon, plurimas & claves eliminantem, & faces præferentem ad divini Verbi intelligentiam; Jo: Driedon. Excellentissimum Theologum, toto opere de Ecclesiasticis Scripturis, & dogmatibus; & regulis, plurimos quoque Isagogicos Doctores, innumerosque Controversistas ac planè prius vitæ finem offendet, quam lectionis. Nobis quidem hujuscemodi diffusio non licebat, arctamur enim præcepto Nostri Doctoris Angelici, qui in prologo suæ summæ, ac no- D stro, quem scilicet præsenti operi præfiximus, jubet Doctorem non plura coacervare præcepta, ne mens addiscentis, vel confundatur, vel desperet. Nunc ergò his selectis regulis, ac expensis, quæ videbantur utiles, immò & necessariæ studiosis nostris, ut ordinem servemus, quem proponit Sapientissimus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, nosque retulimus tractatu præcedenti, c. primo, art. 1. in fine; ad Idiotismos Sacræ Scripturæ proprios colligendos, & explicandos, seù potius proponendos properamus. Ait enim Sanctus Doctor; *hujus studiosi laboris prima observatio est, nosse libros istos*, idque nos præstitimus, toto hoc opere per diversas Sacræ Scripturæ cognitiones, more scientiarum, ut in principio diximus, & deinceps hactenus observavimus,

A capitibus deſcripſit, Angelum adducit ligantem
catena magna draconem, ſerpentem antiquum,
qui eſt diabolus, *& ligavit eum*, inquit, *per an-
nos mille, & miſit eum in abyſſum, ut non ſeducat
amplius gentes, donec conſumentur mille anni*, hoc
ſpatium planè intelligi nequit futurum fore, poſt
Judicium, quia poſt illud, idem Joannes ait, *&
juravit per viventem, in ſæcula ſæculorum, quod
non erit amplius tempus, cap.* 10. Nec poteſt per
aliam regulam de temporibus, de qua ſupra priori
articulo, intelligi, per mille annos poſt finem
mundi ſumma, & interminata duratio, cujus finem
advenire, aut præcedere aliam durationem nemo
poteſt imaginari, obſtat enim, quod ſequitur, hoc
eodem loco; *& poſt hæc*, inquit, *oportet illum ſol-
vi modico tempore*. Servato igitur ordine prophe-
B ticæ narrationis, videtur impoſſibile aſſignare hos
mille annos, niſi dicamus, id ibi reaſſumptum,
per recapitulationem, & referendum ad tempus
antecedens judicium, ſcilicet tempus totius novæ
legis, in quo, ut innuitur, in Evangelio, per Chri-
ſtum alligatus eſt fortis armatus, a fortiori ſe;
nempe ipſo Redemptore, qui per Redemptionem,
omnia ejus vaſa diripuit, poſt quod tempus in
fine ſcilicet, oportet draconem illum ſolvi, ut
per Antichriſtum ſeducere valeat gentes, ut qui
probati ſunt, inveniantur; cujus intelligentiæ fun-
damentum miniſtrat idem Joannes, qui præceden-
ti capite (in quo eſt eadem difficultas, ac in præ-
ſenti) recitat quaſi præſentem paſſionem Chriſti;
quæ omnia ab ipſo narrata præceſſit, & dicit,
*Et ipſe reget eas (ſcilicet gentes) in virga ferrea,
C & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei Omnipo-
tentis &c.* quæ pariter eſt recapitulatio. Et hunc
quidem locum, ideò ſic declaratum propoſuimus,
non quidem nobis uſurpando, tam ſublimium ar-
canorum intelligentiam, quaſi exponendo, quod
noſtrum non eſt in præſenti, ſed imitando quan-
tum poſſumus ſublimem Auguſtini Doctrinam, &
præſentis regulæ applicationem, quam tranſcri-
bendo duntaxat aliena, nos non ſatis attigiſſe,
videri poteras. Nec tamen ommittendum eſt, non
ita propriam eſſe, ac ſingularem Sacræ Scripturæ
recapitulationem, ut in ea ſolum inveniatur, nam
& in ſcriptis, quandoque Sanctorum, & in ipſis
Eccleſiaſticis facilè reperitur; Inventa enim eſt,
ut ſine confuſione, quæ occurrunt clarè narratis
D complecatur, quod claritatis gratia fuerat ommiſ-
ſum, ſicque omnia plenè exhibeantur. Familiare
hodiè occurrit exemplum, cum enim magni Dyo-
niſii Areopagitæ hodie ſolemnia celebremus, ejuſ-
dem collecta ſe ſe offert, in qua, ſic orat Eccle-
ſia: Deus, qui hodierna die, *Beatum* Dyoniſium
Martyrem tuum, atque Pontificem, virtute con-
ſtantiæ in paſſione roboraſti, quique illi, ad præ-
dicandam gentibus gloriam tuam, Ruſticum, &
Eleuterium ſociare dignatus es &c. Ibi ſi ordinem
attendas dictorum, cum prius innuatur paſſio Dyo-
niſii, quam aſſociatio aliorum ad prædicandum;
videtur implicantia, quaſi poſt paſſionem prædi-
caverit, vel ſocios obtinuerit ad prædicandum,
virtualis tamen recapitulatio, ubi hic notetur,
ſolvit apparentiam implicationis; Sed ne violata

forte brevitas nos accuſet, ad ultimam Ticonii re-
gulam declinemus oportet.

Septima Ticonii regula, eaque poſtrema, com-
muniter dicitur, de diabolo, & ejus corpore: Se-
mel poſita prima, quæ erat de Chriſto, & ejus
corpore, ſuperfluere hæc poſtrema videtur. Per-
facilè enim quæ illic dicta ſunt, de capite electo-
rum, & Eccleſia, applicari poſſunt, ad intelli-
genda, & diſcernenda, quæ de capite reproborum,
ejuſque familia, ſeu myſtico corpore, quandoque
cum quadam permixtione, ſeu latenti tranſitu in
Sacra Scriptura leguntur. Et quidem utrinque
proportionem eſſe non negamus. At quia boni, &
mali adeò diverſæ ſunt proprietates, ut facilè quiſ-
que deprehendet, peculiares utrinque regulæ ad
intelligentiam eorum, quæ de ſingulis capitibus, &
reſpectivè corporibus, in Sacra pagina occurrunt,
ſunt aſſignandæ. Et quidem potiſſima diverſitas
inter utrumque, ea eſt, quæ ex verbis Domini,
Lucæ cap. 11. elucet: *omne regnum in ſe ipſum di-
viſum deſolabitur, ſi autem & Sathanas in ſe ipſum
diviſum eſt, quommodo ſtabit regnum ejus?* regnum
itaque Chriſti, hoc eſt ejus corpus myſticum, uni-
cum, & unitum eſt, Regnum verò, & corpus Sa-
thanæ, diviſum in ſe ipſum eſt. Ideoque latius pa-
tet hæc regula, quam prima, quia ut poſſit pri-
ma applicari propriè, & deprehendi tranſitus ſer-
monis a capite Chriſto ad corpus, & a corpore ad
caput, utrobique in omni parte ſermonis debet uni-
tas, & ſanctitas elucere, niſi fortè intret regula
ſecunda, quæ eſt de corpore Chriſti permixto, cum
verò utendum eſt hac ultima, non attenditur, ni-
ſi quod tranſitus fit de malo ad malum, illudque,
quod de ſolo Dæmone dicitur, quia Spiritus eſt,
de ipſo intelligitur, quod verò, & de ſpiritu, &
de hominibus, qui corporei ſunt, intelligi poteſt,
ut de utroque dictum accipitur, etiamſi adſit ma-
lorum diverſitas, & oppoſitio. Ex quo ſequitur,
quod cum dicitur diabolus habere corpus myſticum,
cujus eſt caput; intelligitur unum tantum eſſe ta-
le corpus, unitate mali finis, & damnationis;
non verò perfectæ unitatis, in quo apparet harum
diverſitas regularum, & ſenſus Patrum, Auguſti-
ni, & Gregorii: hic enim ait: *hom.* 10. *certè ini-
quorum omnium caput eſt diabolus, & ejus membra
omnes iniqui:* Auguſtinus verò hic *cap.* 37. expli-
cans hanc regulam, & exemplificans: *Eſt Diabo-
lus caput impiorum, qui ſunt ejus quodamodo corpus,
ituri cum illo in ſupplicium æterni ignis, ſicut Chri-
ſtus caput eſt Eccleſiæ, quæ eſt corpus ejus futurum
cum ipſo in regno, & gloria ſempiterna: ſicut ergo
in prima regula vigilandum eſt, ut intelligatur, cum
de una, eademque perſona Scriptura loquitur, quid
conveniat capiti, quid corpori; ſic & in iſta noviſſi-
ma, aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipſo,
ſed potius in ejus corpore poſſit agnoſci, quòd habet
non ſolum in eis, qui manifeſtiſſimè forìs ſunt, ſed in
eis etiam, qui cum ad ipſum pertineant, tamen ad
tempus miſcentur Eccleſiæ, donec unuſquiſque de hac
vita exeat, vel a frumento paleæ, ventilabro ultimò
ſeparentur. Quòd enim ſcriptum eſt per Iſaiam cap.*
14. *quommodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè
oriebaris, & cætera, quæ ſub figura Regis Babyloniæ*
de

de eadem persona, vel ad eandem personam dicta sunt, in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur, & tamen, quod ibi dictum est: contritus est in terra, qui mittit ad omnes gentes, non totum ipsi capiti congruit: nam etsi mittat diabolus ad omnes gentes angelos suos, tamen in terra corpus ejus; non ipse conteritur, nisi quia ipse est in corpore suo; quod contritum fuit, ut pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ. Hæc Augustin. secundum versionem, quam sequitur, quæ vulgata non est, adducta tamen sunt ad explicandum. Porrò Nicolaus de Lyra, ad hanc regulam, in prologo sæpè citato, aliter exemplificat, in hoc textu, quod ideò adducimus, ut alius etiam usus regulæ præsentis addatur: ait enim: *propter connexionem capitis, ad membra, Scriptura loquens de uno, in eodem contextu transit ad loquendum de alio: sicut Is. cap. 14. loquens de Rege Babylonis, qui erat diaboli*
A *membrum, transit ad loquendum de Principe Dæmonum, cum subdit: quomodo cecidisti &c., & Ezechiel cap. 28. loquens de Principe Tyri, transit ad loquendum, de diabolo, cum subdit. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia &c.* Denique concludit generaliter dicta de his regulis Augustinus, dicens: *hæ autem omnes regulæ, excepta una, quæ vocatur de promissis, & lege, aliud ex alio faciunt intelligi, quòd est proprium, tropicæ locutionis, quæ latius patet, quam ut possit, ut mihi videtur, ab aliquo universa comprehendi: nam ubicumque velut aliud dicitur, ut aliud intelligatur, etsi nomen ipsius tropi, in loquendi arte non invenitur, tropica locutio est. Ad cujus rei intelligentiam, non omnes æquè perveniunt, sed prout a Deo datur, Studiosi ergo venerabilium litterarum, quod maximè necessarium est,*
B *& præcipuum, orent, ut intelligant.*

DE INDIVIDUA COGNITIONE

Sacræ Scripturæ, per propriissimas ejus proprietates, idest per Idiotismos eidem proprios.

TRACTATUS XII.

ALTERAM DEGUSTANS TOTIUS SACRÆ PAGINÆ EXPOSITIONEM, PER INTELLIGENTIAM PROPRIÆ EJUSDEM LOCUTIONIS.

QUA nobis datum est claritate, ac erga studiosos simplices charitate, Regulas proposuimus ad verba communia, sensusque proprios Sacræ Scripturæ, in eis vel obscurè, vel cum ambiguitate latentes, absque errore percipiendum, fideique veritatem, vera Sacræ paginæ intelligentia defendendum; quæ Theologorum, ne dicas Catholicorum omnium, provincia est, opportunas; non quidem omnes sigillatim; hoc enim immensi operis, ac oneris esset, supra vires nostras, & ultrà assumptum, ac propositum prælibantis, sed præcipuas], & quantum satis. Qui plures desiderat, adeat Ambrosium Catherinum, de clavibus Sacræ Scripturæ, Xistum Senensem, de arte interpretandi Sacram Scripturam, cui operi annectuntur, 234. regulæ per Doctissimum Patrem Franciscum Ruizium, ex Sanctis Patribus desumptæ, nec non & canones 371., ad intelligendum ritè Sacras litteras, a R. P. Joanne Hoffmeystero collectæ. Item & Patrem Alphonsum Salmeronem, toto fere tomo primo in Evangelia, qui infinitos propemodum canones tradit, ad eundem finem, nec non & Cornel. Alap. in principio expositionis, cujuscumque libri Sacri, ac potissimum in prolo-
C go ad Pentateuchon, plurimas & claves elimantem, & faces præferentem ad divini Verbi intelligentiam; Jo: Driedon. Excelentissimum Theologum, toto opere de Ecclesiasticis Scripturis, & dogmatibus; & regulis, plurimos quoque Isagogicos Doctores, innumerosque Controversistas ac planè prius vitæ finem offendet, quam lectionis. Nobis quidem hujuscemodi diffusio non licebat, arctamur enim præcepto Nostri Doctoris Angelici, qui in prologo suæ summæ, ac no-
D stro, quem scilicet præsenti operi præfiximus, jubet Doctorem non plura coacervare præcepta, ne mens addiscentis, vel confundatur, vel desperet. Nunc ergò his selectis regulis, ac expensis, quæ videbantur utiles, immò & necessariæ studiosis nostris, ut ordinem servemus, quem proponit Sapientissimus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, nosque retulimus tractatu præcedenti, c. primo, art. 1. in fine; ad Idiotismos Sacræ Scripturæ proprios colligendos, & explicandos, seù potius proponendos properamus. Ait enim Sanctus Doctor: *hujus studiosi laboris prima observatio est, nosse libros istos*, idque nos præstitimus, toto hoc opere per diversas Sacræ Scripturæ cognitiones, more scientiarum, ut in principio diximus, & deinceps hactenus observavimus,

mus, procedentes. Deinde regulas ad majorem certamque ejusdem cognitionem addidimus. Post quæ subdit Augustinus. *Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa divinarum Scripturarum lingua, pergendum est in ea, quæ obscura sunt, aperienda, & discutienda &c.* At qua via ad divini familiaritatem eloquii pertingemus, si proprios ejusdem dicendi modos, non callemus? Hoc igitur in præsentiarum ellaboramus, ex enim pendet perfecta, quæ hic haberi potest modulo nostro, qui ambulamus, nunc per speculum, & in ænigmate, intelligentia venerabilium Scripturarum.

Idiotismus, ut ipsum nomen indicat idem est, ac Idiomatismus, nomen per sincopen usitatum, sic correptum ad faciliorem pronunciationem, estque modus proprius loquendi alicujus idiomatis; sive gentis, sive peculiaris personæ, per quem magis breviter, & accomodatè ad usum peculiaris linguæ exprimitur sensus loquentis, ejus verò cognitio pendet ex cognitione saltem talis usus, ipsa lingua, in qua primum Scriptura, seu locutio composita fuit, ignoratur, quod sæpius innuit Doctor Maximus, & ex eo cæteri, & ex se patet, ubi notandum est, seu recolendum quod suo loco superius dictum fuit, totum vetus Testamentum primitus hebraicè fuisse conscriptum, novum verò, excepto Evangelio Matthæi, & epist. ad Hebr. quæ hebraicè, & epistola ad Romanos, quę secundum aliquos latinè scripta fuerunt) græcis litteris traditum: omnes verò Scriptores Canonicos fuisse origine, ideoque & materna lingua Hæbreos, ex quo ortum duxit immixtio quædam hebraicæ proprietatis dicendi, quæ & in iis, quæ primum græcè fuere conscripta, & in versione 70. Interpretum, & in nostra vulgata, cæterisque versionibus manifestè deprehenditur, quæ si non penetretur, præcipui sensus Sacræ Scripturæ, vel negliguntur, vel fugiunt, vel quod pejus est perperam explicantur. Nec mirandum, nam ut bene advertit P. Salmeron prolegom. 14. in principio; *quod naturale est, suaptè prorumpit, nec se cælari permittit, ideoque ut Pollio, teste Quintiliano ait, de Tito Livio, quod quia Patavii natus erat, etiam in scribendo, lactea sua eloquentiæ suas immiscuit patavinitates, sicut & cæteræ respectivè nationes consueverunt. Habet & enim Hispanus, suas etiam in latina locutione hispanitates, sicut frequenter audimus, & germanus suas germanitates, quavis extranea lingua eruditè loquatur: Sic ergò & Hebræi Scriptores.* In hoc igitur assiduè insistendum, ut Idiotismos potissimum hebræos, ejusdemque linguæ phrases, quoad instituti nostri brevitas patitur, attingamus, & in quo a nostro vulgato dicendi modo differant, quidue significent, exquiramus; quamvis enim etiam Græcismi, seu idiotismi linguæ græcæ, intellecti conducant ad intelligentiam Scripturarum, quia tamen eorum vel obscuritas, vel vis explicandi oritur potissimum, ex eo quòd illi etiam Scriptores Sacri, qui primitus græcè scripserunt, cum essent hebræi, immiscuerunt græcæ scriptioni hebraicas quasdam proprietates, ideò in hebraicis Idiotismis intelliguntur, & græci, quantum ad nostrum spectat institutum, qui

A non intelligendo idiomati secundum se, sed prout est in usu Sacræ Scripturæ laboramus. Talis porrò usus non intelligetur, nisi prius figuras, quibus familiariter utitur Sacra Scriptura, discernamus. Aliquando enim difficultas attingendi proprium illius sensum, oritur ex idiotismis, aliquando ex figuris, quæ in omni idiomate locum habere possunt, sed alicui aliquæ, alteri aliæ magis adaptantur. Prius igitur de figuris loquendi magis familiaribus Sacræ Scripturæ, non quidem omnibus, ac minutioribus, sed iis ex quarum ignorantia facilè erratur, aliquid prælibandum, & hoc quidem generaliter, nam quid peculiariter significetur in qualibet translata locutione, singulari tractatu postmodum tentabimus.

Hic autem est ordo, quem claritas nobis præscribit; B Prius de figuris loquendi, postea de radicibus idiotismorum Hebraicorum, a nostro dicendi modo diversorum, debito ordine servato agendum est, ac denique peculiares phrases, & idiotismi Sacræ Scripturæ ex peritis ejusdem Sacri Idiomatis colligendę, undequaque proveniant.

CAPUT I.

De figuris loquendi magis generalibus usitatis in Sacra Scriptura.

ARTICULUS I.

C *Quænam sint saltem in genere locutiones Sacræ Scripturæ, quæ necessariò sumendę sunt in sensu metaphorico, seù per translationem.*

JAM satis ex regulis tractatu pręcedenti explicatis facilè quisque potest pręsenti quęsito respondere, at quia quędam adhuc non minimi facienda supersunt, quę sigillatim illic expendere non vacabat, ibi ea saltem prelibare inutile non erit, dicendum igitur est ex communi Patrum, ac Doctorum sententia; omnis Sacrę Scripturę sermo metaphoricè est accipiendus, qui Deo tribuit carnalia quędam, seù corporalia, vel membra, vel officia, vel passiones, vel affectiones. Idque (pręter, ea, quę in regulis ex Augustino D cęterisque adduximus) ex eo evidens est, quod nemo ignorat, blasphemum, immò & hęreticum esse, de Deo in se talia, cum proprietate ennunciare; diligenter hanc thesim pertractat inter cęteros Jo: Driedo lib. 3. de regulis, & dogmatibus, nec piget ex eo aliqua identidem haurire, quę ipse ex vastissimo sapientię pelago, Augustino, ac cęteris Patribus, quòd idem ferè est, ad proprios latices derivavit. *Ubique*, inquit, *Sacra Scriptura, de Deo loquens, umbris, parabolis, tropis, figuris, nedum quoad sensus, sed etiam quoad verba redundat, in quibus nos certè aliqua digna Deo debemus intelligere, sic enim loquitur, ut consulat imbecillitati nostræ, qui pro hoc statu omnia primò cognoscimus, ad modum quidditatis materialis, nec illud possumus declinare, quòd ait Philosophus.*

Intelligentem oportet phantasmata speculari, ex quibus conatu quodam anima, quæ spiritus est; spiritualis conceptus eruimus. At quia cum ad divina conamur, an est quidem attingimus, sed hoc ipsum fidei caligine obumbratum, & quid est; non nisi negativo processu, ut docet magnus Dyonisius; penetramus, ac non nisi sublimem quamdam super omnia nobis pervia, rationem prælibamus, ideò ut hoc ipsum quòd utcumque tenemus, explicemus, ad nostra redimus, scilicet ad corporeas expressiones, easque intelligentes inhabiles semper esse ad divina, etiam prout a nobis concipiuntur exponenda, utimur metaphorica, ac impropria locutione, ut id cum veritate constet, nempe non nisi impropriè divina a nobis concipi, & impropria adhuc improprietate depromi. Et hæc est explicatio sensus Patrum, ac Driedonis, ut praxis ipsa, & radicalis ratio nunc pro modulo nostro enucleata convincit: sanus ergo intellectus sermonem omnem Sacræ Scripturæ, qui Deo tribuit corporalia, sive membra, sive officia, & affectiones, certissimè metaphoricum, & radicaliter, & formaliter esse comprehendet, ut inde, quæ Deo non sunt indigna, immò & quæ Deo sunt digna, modo præsenti cognitioni possibili, concipiat.

Qua verò via, & qualiter hujuscemodi cognitionem formare absque errore possimus, saltem quoad aliqua hujuscemodi dicta docet ex dicto Augustino, & Patribus, Sapienter Driedo, loco citato, quem damus, ut ex paucis, quomodo, proportione servata, in cæteris similibus procedendum sit, quisque videat.

Varios, inquit, *effectus operatur in nobis Deus, non secundum varias in se affectiones, aut voluntates, sed propter varia merita nostra, aut propter suam bonitatem, & misericordiam: proinde sæpius in hujuscemodi sermonibus translatè de Deo acceptis, oportet intelligere Scripturæ sensus, secundum effectus, quos ipse immota, tranquilla, & immutabili sua voluntate, in nobis operatur: irascitur, dum nos punit, miseretur, dum nobis parcit, ac peccata dimittit: dormit, dum nos relinquit; vel dimittit ire secundum consilia nostra: expergiscitur, tamquam a somno excitatus, dum judicio, vel misericordiæ, vel justitia suæ, subitò erga nos incipit operari. Eadem inseparabilis omnipotens Dei virtus, attingens a fine usque ad finem fortiter, & suaviter, dicitur auris ejus, omnia excipiens, oculus ejus, omnia prospiciens: os, lingua, cor, manus, digiti, uterus, quia nihil absconditum, a præsentissima semper ejus cognitione, nihil declinans ab ejus immensitate, nihil alienum ab ejus dominante omnipotentia:* Hæc ferè Driedo, & quidem sapienter: at non ita universaliter extendenda est ejus doctrina, ut in aliquibus peculiaribus locis Scripturæ, a communi ipsi Patrum sensu recedere liceat. Quæres ergo.

Primò, quommodò intelligitur, quod dicitur, *Gen. c. primo, dixit Deus, fiat lux, fiat firmamentum: producat terra*, & similia. Resp. notissimum esse communem Patrum sensum, talia dixisse non plectro linguæ, formando voces, sed verbo suo substantiali, unico Filio suo, per quem omnia facta sunt &c. Joan. cap. primo.

A Secundò. Si vero quæras secundò, numquid eodem modo intelligitur, quod habetur *Gen. cap.* 3. quod post Adæ peccatum, dicitur Deus ambulasse ad auram post meridiem, ac universa illa Dei, judicialis allocutio, processus, & sententia, qua damnavit serpentem, Evam, & Adam? Certè & hæc, & similia corporaliter exprimuntur, ac Deo attribuuntur, sicut & cætera, quæ habentur cap. primo; & ex tertio intelliguntur, cum enim ibi dicitur quod ambulabat Dominus ad auram post meridiem; videtur supponi, quod more humano obdormierit meridie, ac postmodum quasi ad somnum excutiendum ambulaverit, ad auram pomeridianam.

Respond. ex doctrina Dried. hæc ferè omnia metaphoricè intelligi, *non enim transit Do-* B *minus, de loco ad locum, sicut homines ambulantes, nec loquitur sensibili, ac materiali suis vocis, sed secundum effectus ista sic exprimuntur. Meridie totò obdormiisse dicitur, non sibi, sed primis nostris parentibus, quando illo permittente, ipsi sunt dimissi in manus consilii sui, quamobrem non est culpandus Deus, quod, ipso sic dormiente, lupus tulerit oves, cum tota culpa fuerit in ipsis, qui Deum custodem suum dormire permiserunt, qui ipsum Deum, ne dormiret ipsis, excitare debuerunt, sicut per Prophetam dicit Spiritus Sanctus. Qui reminiscimini Deum, ne taceatis, neque detis silentium illi, non quod Deus pati possit ab hominibus ullum quietis suæ impedimentum, sed quod ipse rogari vult, ab hominibus vult quæri, & amari, non propter suam, sed propter hominum utilitatem.* C Sic Driedo. Sana quidem doctrina, & ad rem, si quæ dicit Scriptura, referantur immediatè ad Deum in se ipso, qui planè non obdormit, ut homines, nec expergisci curat, ut homines, nec ut ipsi, excitandus est, nec humana loquitur voce, sed si accipiantur mediatè, idest ut dicta, vel facta a Deo, mediante aliquo corpore assumpto, vel ab Angelo, Dei vicem gerente, aut legationem in corpore aereo visibili, & hominis speciem præseferente, non debent accipi metaphoricè, aliter confunderentur Scripturarum mysteria, & accipi deberet metaphoricè, quod Deus ad litteram præceperit Adæ, ne comederet de ligno scientiæ &c. & quod locutus fuerit Abrahæ, & Jacob, & Moysi in Ægypto, in monte, & in deserto, sicut & Gedeoni, neque putandum est, hoc di- D splicere Driedoni, aut alicui Catholico, pro quo notandum breviter, quod quamvis Cyprianus lib. 2. contra Judæos, cap. 5. Hilar. de Trinitate lib. 4. & Nazianzen. tractatu de Fide, arbitrentur Deum ipsum in assumpto corpore visibiliter apparuisse, & sensibiliter locutum fuisse, Adæ, Abrahæ, Moysi, cæterisque, ac præcipuè Prophetis, communior tamen Patrum cæterorum sententia est, omnes hujuscemodi apparitiones, & consequenter locutiones, & actiones, factas fuisse per Angelos in corporibus transeunter assumptis, qui personam Dei gerentes, jurè vocabant se Deum, & uti Deus habebantur: Ita habemus ex Dyonis. cap. 4. cæl. Hierar. Hieronymo, in c. 3. ad Galat. August. l. 3. de Trinitate, c. ultimo. Gregor. in præfat. moral. c. primo, cæterisque passim,

passim, & quod majus est, id ipsa Scriptura testatur, nam actor. cap. 7. Stephanus Protomartyr, eum qui Moysi in rubo, ait, ego sum Dominus Deus &c. apertè Angelum fuisse affirmat, & Paulus c. 3. ad Galat. eum, qui dedit legem Moysi in Sina, vocat Angelum, sensus igitur stabilitæ conclusionis hic est, cum Sacra Scriptura, Deo immediatè in se ipso, ut Deus est, aliquid attribuere videtur corporeum, sive membrum illud sit, sive actio, aut passio corporea, locutio talis metaphoricè accipi debet, sumendo metaphoram suo modo, & quasi negativè, prout idem est, ac non propria omninò, ac litteralis locutio, in qua acceptione comprehenditur etiam sensus spiritualis, cum verò sermo est de exteriori visibili apparitione, actione, aut locutione, exercibili a spiritu, per corpus assumptum, nihil impedit similia accipi cum proprietate litterali per se primo, aut quasi historicè, in qua fundatur mysterium.

Tertio. Quæres intelligentiam loci illius *Gen. c. 3.* ubi dicitur, quod *Deus fecit Adæ tunicas pelliceas.* Talis enim actio exterior est, & certè corporea, ibique agitur de apparitione sensibili, at videtur indecens attribuere Deo etiam mediatè, idest per Angelum repræsentato, quod fuerit sutor coriarius Adami; Insuper cum non possit assignari, quo, vel unde illæ pelles advenerint mortuorum animalium, oportuit illas creare, at Deus per Angelum, aut per aliud quodcumque instrumentum, nihil creare potest, ut constanter sustinet tota schola Thomistica, immò & alii plures Philosophi. Quid ergo sentiendum?

Resp. Driedo loco supra citato, *quod fecit primis parentibus pelliceas tunicas, intelligendum est secundum modum quemdam, non quem rident pravi, & increduli homines, sed quem flere debent ipsi tunicati: Deus enim non tamquam sutor, aut pellifex impensa artis opera, detractis animantium mortuorum pellibus, tunicas illas fecit: attamen fecit, dum vindicans ipsorum peccatum, faciendi necessitatem illis imposuit, volens tam misera esse illorum corpora, quæ sine tunicis durare non possent, quibus non solum tegi propter turpitudinem, sed etiam calefieri opus esset propter infirmitatem. Stultis igitur interrogantibus, qualiter, vel quo operante, pelles ab animalibus detractæ sint, respondendum est, qui ex nihilo omnia condidit, quomodo, & qualiter sibi placuit, hoc fecit. Sicut Adam præter necessitates animæ in geminam lapsus est miseriam corporalem, in necessitatem videlicet quærendi victum, & in necessitatem quærendi vestitum, ita & Deus illi, duo providit solatia, docens quærere panem in sudore, colendo terram, & vestitum, mentis opera.* Ita Driedo, cujus gravis responsio, rectè intellecta censuram non habet, dummodo totaliter recedat a sensu Origenis, in c. 3. Gen. (cui ipsemet adversatur, in Levit. hom. 6.) qui pro tunicis pelliceis intelligit mortalia corpora, quibus primi parentes induti sunt, post peccatum. Error enim est, cui resistit Augustinus *lib. 11. in Gen. ad litt. c. 39. hæc enim, inquit, verba historicè, & litteraliter, ut sonant, habent verum sensum, secundum quem intelligi debent*, ut notat hoc loco Cornel. Alap. dans

A sensum Augustini, non Verba.

2. Resp. ex adductis ab eodem Cornelio, omissa opinione Theodori, & Gennadii, qui putant nomine pellium, hic significari cortices arborum, quam impugnat Theodoret. qu. 39. veris mortuorum animalium pellibus, a Deo indutos fuisse Adam, & Evam. Qualiter autem hujuscemodi pelles produxerit Deus, divinant auctores, quod eas Deus per Angelos non creaverit, libenter concedimus, quod eas per se vera creatione produxerit Deus, negamus, sic enim non essent mortuorum animalium pelles, sed creaturæ pellibus similes: constat enim intelligi non posse, quod essent ex nihilo immediatè, quod essentialiter requiritur, ut aliquid sit terminus creationis; & quod simul essent reliquiæ animalium præexistentium, ac

B prius vivorum, quæ creatè ex nihilo esse potuerunt, sed ex hoc ipso non poterunt esse ipsum nihil, ex quo pelles illæ crearentur, ideoque opinio Procopii asserentis, illas fuisse mox a Deo creatas, nemini arridet. Resolvit ergò Cornelius, & cum eo plures eas, vel ministerio Angelorum, ab occisis bestiis detractas (*non enim inquit, unum par solum, in qualibet specie animalium primo produxit Deus, sed quotquot rerum cursui præviso, & eorum multiplicationi congruere providentissimæ sapientiæ suæ visum fuit*) statimque paratas fuisse ad indumentum.

Ita communior sentit opinio: nec mirum videatur, quod vix creata, occisa sint animalia propter hominis indumentum, quæ propter hominem

C condita, tunc finem suæ obtinent conditionis, ac proptereà perfectionem sibi competentem, cum ut homini deserviant consumuntur. Quin immò id probabiliter ex Augustino loco citato, & ex Origene in Levitic. ut supra deducimus; nedum occisa ad hunc finem fuisse animalia, sed coram ipsis primis parentibus mactata, & excoriata fuisse, ut ipsi mortem discerent, & stragem debitam peccato suo, eamque semper in proprio impressam gererent indumento, & vestiantur, sicut diploide, confusione sua. Sic & talibus, (inquit Origen.) oportebat indui peccatorem, quæ essent mortalitatis, quam primo peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, judicium. Consimilia his habet pariter August. loco citato, & alibi sæpè, discant ergò peccato-

D res qualiter induantur, quodve indumentum Deus præscripserit peccatoribus.

Ex his patet modus intelligendi ea, quæ in Scriptura de Deo cum expressione corporeitatis dicuntur, quę quidem uti metaphoricè quidem dicta, modo explicato accipi debent, sed cum grano salis, advertendo intentum contextus, in quo hujuscemodi dicta occurrunt. Ad hęc autem reducuntur etiam ea quę sępius prędicuntur, vel enunciantur, quasi corporalia, de magnificentia Regis Messię, de pręliis, victoria, & triumpho ejus; in quo excellit admodum Isaias, ut cum c. 2. ait: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes*, & c. 11. *& flos de radice ejus ascendet, & requiescet*

super eum Spiritus Domini &c. ac de bello ejus, *c. 2. Judicabit gentes, & arguet populos multos, ac c. 3. ecce cum Dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem validum & fortem.* Iterum *c. 11. percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium*, ac plura his similia. Ita & quę de armis ejus de potentia, de vestibus, ac corona. Sicut in Psalmis, ac potissimum *Psal. 44. & sequenti, accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, sagitta tuæ acutæ (Populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis. Mirrha, & gutta, & casia a vestimentis tuis a domibus eburneis: arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni, exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, transferentur montes in cor maris; conturbati sunt montes in fortitudine ejus, & Psal. 96. Nubes & caligo in circuitu ejus: ignis ante ipsum præcedet. & inflammabit in circuitu inimicos ejus &c.* Hęc omnè & similia, quę nedum explicare, sed vel referrè, pręsentem superat brevitatem, certè metaphoricè dicta sunt, sed in singulis locis pensandum est, quid sigillatim metaphoricè, quid propriè in eadem propositione sit dictum: Christum siquidem Isaias apellat *montem* metaphoricè, sed elevatio ejus verè propriè accipitur, etiam super omnes colles; exaltatus enim fuit in cruce, super calvarię montis verticem, & ex hoc, ad eum omnes gentes fluxerunt per fidem, omnes gentes accipe propriè, pro gentibus singulorum; utque ostendit contextus; prosequitur enim Propheta, propriis locutionibus prenuncians Christum, non ut montem materialem, sed uti Doctorem, ac altissimum sapientia, Deum, & hominem, *Florem* eum dixit, hęc est metaphora, sed quod requieverit Spiritus Domini super eum, qui dictus est flos ex Immaculata prodiens Virgine, quasi virga, hęc propria locutio est: sic ergo vigilet, etiam in cęteris prudens lector, attendens regulam contextus, ut inter propriè dicta, & ea quę metaphoricè prolata sunt sapienter discernat, ad quod mirificè juvant regulę, quas in precedenti tractatu enucleare curavimus. Et quidem in iis, quæ de Christo dicuntur, cautius procedendum, cum enim ipse verus homo sit, & Deus, & consequenter etiam verum corpus habeat, de quo locutiones corporeæ, cum proprietate verificantur; attentè distinguendum est; quæ enim de Deo secundum se, & in se, ante Incarnationem dicuntur metaphoricè, ut ambulare, loqui, & similia, hæc de Deo homine, ob veritatem assumptæ humanitatis, cum proprietate dicuntur, & ob communicationem idiomatum divino supposito verè convenire compertum est.

Ex his facilè quisque deprehendet, qualiter intelligat ea, quæ de puris spiritibus, & anima rationali, ac de spiritualibus, ut est sanctitas animæ, & gratia, ac gloria beatorum, & similibus corporaliter nobis (quia corporei sumus, & primò tantum apprehendimus pro hoc statu tamquam objectum proportionatum quidditatem materialem) Scriptura vel innuit, vel describit, vel promittit, vel in oppositum respectivè minatur; hæc enim de necessitate debent sumi, ut metaphoricè dicta,

A quippè cum Sacra Scriptura indefectibilis Auctoris verbum, sit infallibiliter æquè vera, ac certa, firmiorque omni naturali evidentia, semper verum dicit; quando ergò, quod in se spiritus, vel spirituale est, ex proprio ordine essendi, quasi quoddam corporale, ut intelligamus, qui legimus, ante oculos nostros ponit, ita necesse est, quod illud sit metaphoricè dictum, ac necesse est, ejus locutionem in se esse verissimam. Hoc igitur nixa principio, & suppositis iis, quæ Fides prædicat, mens lectoris necessario ad spiritum in similibus, & a corpore quod spiritum involuit, sicut animam corpus, ascendet in genere, quid verò in speciali, sigillatim sit illud spirituale, quod sub corporali apparentia latet, contextus ipse, & loci intentio sincerè manifestabit, nosque in significationibus verborum, seu dictionum Sacræ Scripturæ, qua fieri poterit diligentia distinguemus.

Hic solum necesse est, breviter subdere aliam conclusionem, cui totâ opitulatur Sacra Scriptura, & D. August. frequentissime, immò semper, ubi se se offert occasio, eam vel supponit, vel differit, vel manifestè contra Judæos convincit, cæterique Patres, & Catholici, estque hujusmodi.

Conclusio 2. In Doctrinis Prophetarum, cæterisque Scripturis potissimum veteris Testamenti, immò quandoque & novi, ubi semen Abrahæ, aut Israel, & Isaac, aut filii Israel, & filii Jacob commemorantur, non sunt ea loca, secundum carnalem, ac judaicam intelligentiam, cum proprietate sermonis accipienda, sed metaphoricè, in

C quo funditur sensus spiritualis, & mysticus, modo in proprio tractatu de sensibus Sacræ Scripturæ a nobis explicato (nisi textus ipse, & intentio loci apertè suadeat se in sensu historico ex professo procedere, sicut in generationibus, quas liber Genesis ad fundamentum historiæ, & cronologiæ recenset, & alibi, ut ibi proximè distinguemus) neque item loca Sion, Hierusalem, domus Israel, & similia intelligenda sunt semper cum proprietate, ut in sola Judæa materiali, tamquam soli ex illis Patribus & locis propagati designarentur in semine, & in Filios, ac hæredes, & tamquam hi soli, aut habitantes tunc, aut habitaturi in terrenam Hierusalem, aut essent subjecti, aut subiiciendi Filiis Israel, illic habitantibus, aut essent ac-

D cepturi promissum Christi regnum; sed hæc verius impropriè accipienda sunt, & spiritualiter, non quia solus sensus rigorosè spiritualis, & mysticus ibi sit, sed sensum spiritualem nunc accipimus, prout distinguitur, a carnali, materiali, & proprio litterali, de quo dicitur, littera occidit, spiritus autem vivificat, & in hoc sensu dicimus, sumenda metaphoricè. Intelligantur ergo pro Filiis Abraham, Israel &c. qui veram fidem habent, qualem in Christum habuit Abraham, cui Deus ait, faciam semen tuum, sicut pulverem terræ, quæ est multitudo credentium, & imitantium Fidem Patris Nostri Abraham, in Sion, & Hierusalem, quæ est vera Christi Ecclesia, ut ait Apostolus *ad Roman. capit. 8. Si autem Filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes au-*

tem

tum Christi. Et ita intelligi debet, etiam ennumeratio illa Joannis, *Apocalyp. c. 7. & audivi numerum signatorum centum quadraginta, quatuor millia signati ex omni Tribu filiorum Israel, ex Tribu Juda duodecim millia signati &c.* sicut enim in Hierusalem, quæ est Ecclesia militans, ita & in ea, quæ est Ecclesia triumphans, Fidelium nationum, & Filiorum multitudo intelligitur, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, aut viri, sed ex Deo nati sunt, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, formans sibi Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, quia mundavit eam sanguine suo. Ita semen Abrahæ Christus, unde non dixit ex seminibus, sed in semine, quod propagatum est, per fidem, & gratiam Christi Jesu, ut perpetuò prædicat Apostolus, *non enim qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, sed qui computantur in semine*. Nec propterea (& est sigillatim notandum) excludimus a successione Abrahæ, aut civitate prædicta Hierusalem, omnes Judæos; qui enim ex ipsis carnaliter sunt, si & ipsi Fideles sint, & obediant Christo, qui ad ipsos clamabat *Si Filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite Jo. c. 8. computabuntur in semine: Non enim est distinctio Judæi, & Græci sed idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum ad Rom. c. 10.* Quinimmò addendum, quod in aliquibus Sacræ Scripturæ locis, ut bene notat Driedo, ex circumstantia ipsa textus, non est hujusmodi seminis, & Filiorum acceptio, ac exceptio consideranda, nam alicubi etiam, cum de regno Christi fit sermo, semen Abrahæ, & Filii Israel, vel David propriè pro Filiis secundum carnem accipi debent: Ipsi enim Abrahæ, ipsique Israeli, & David promissum est regnum Christi futurum esse ex semine eorum, secundum carnem propagando, usque ad tempus a Deo præfixum, ut nasceretur ex ipsis Christus; gentibus autem hoc regnum non sic promissum, tametsi de illis sit prænunciatum, tale regnum ad ipsos esse derivandum, ex Dei misericordia, per Fidem, & obedientiam, ut ait Apostol. *ad Rom. cap. 15. dico Christum, ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum*; & clarius idem Apostolus, *Actorum c. 13. perversitatem Judæorum persequentium, & blasphemantium fidei veritatem, detestans, dimisit eos, dicens:* vobis *oportebat primum loqui Verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*. Ex quo confirmatur satis secunda conclusio, & ejusdem etiam exceptio declaratur, idque planè deducitur, nempè intelligentiam cujusque loci Sacræ Scripturæ pendere quidem ex his, quæ Doctores proponunt, tamquam principia; sed ea applicari oportere attento contextu, & intentione illius.

A

ARTICULUS II.

Quænam locutiones in Sacra Scriptura debeant necessariò sumi propriè quoad verba, & impropriè quoad sensum, & intentum dicentis.

Videtur quidem prima fronte sibi contradicere titulus articuli: cum enim in Sacra Scriptura, & sensus, & intentum dicentis veritas sit sincera, toto cęlo a mendacio distans, non videtur cohærere, quod aliquando verba ejus sumi debeant propriè, & tamen sensus dicentis, eo tendat, a quo dicti proprietas recedit: si tamen modum dicendi parabolicum, frequentem in Sacris litteris
B intimè scrutemur, clarè apparebit, non aliter exprimi posse titulum articuli; nec aliter concludendum, nisi affirmativè in subjecta materia, de parabolis, quæ specialem quemdam modum tropi important: Quo circa notandum, quod ipso lumine naturæ constat, omnem modum dicendi metaphoricum fundari in aliqua similitudine, aut etiam (quod tamen rarius est) in dissimilitudine; aliter nec capax veritatis esset, nec delectaret Auditorem, nec ornaret orationem, sed disparatam, aut falsam, aut mendacio similem, ac otiosam pręseferret locutionem. Ratio autem quare magis placeat translata, quam immediata oratio, ea est primò, quod cum omnis homo naturaliter scire desideret, atque ideò de majori, ac plurium simul cognitione delectetur, placet ei laconismus, in metaphora inclusus,
C quæ breviter terminos similitudinis in unum proponit, ut cum dicitur, prata rident, in hoc exprimitur, & hilaritas hominis ridentis, & dilatatio radicum, in herbas, & flosculos erumpentium, & utriusque grata similitudo statim depingitur, quæ per verba propria procedendo, prolixam obtruderet orationem, sicque (& est secunda ratio) audiens fit sibi Doctor, scrutans ictu mentis utrumque, & pariens sibi notitiam qualitatum similium, & plura intelligens per modum unius. Ideò non est mirandum, aut despiciendum, quod Sacra Scriptura, adeò frequenter, ac variè metaphoris utatur, ipsa enim data, & instituta fuit ad docendum, proceditque modo connaturali, ac proprio hominis, ut sic eum erigat supra se ipsum ad sum-
D mam veritatis, ad quam creata fuit; & suapte tendit humana ratio, quæ est radius quidam, seù rivulus, & participatio divini luminis, quod propterea signatum est super nos. Porrò inter metaphoras, ac tropos maximè elucet parabola, quæ non nudam offert similitudinem, sed ut in plurimum rationabile includit argumentum a simili, vel dissimili, & quandoque a minori ad majus, vel a majori ad minus, quod facilè quisque deprehendet, in parabolis Evangelii, in quo revera, & ad veritatem exercetur ratio per discursum, in quo sive per quem perficitur, cognitio veritatis.

Sed hic 2. notandum, quod quamvis omnis parabola sit similitudo, non tamen omnis similitudo est parabola, idque facilè intelligitur, si distinguamus inter similitudines quasi verbales, &

inter

inter reales. Priores enim, se ipsis se manifestant, ut sunt metaphoræ triviales, & tropi usitatiores, ac similitudines illæ, quæ per particulas assimilativas exprimuntur, sicut in cantico Ezechiæ, *Is. cap. 38. generatio mea ablata est &c. quasi tabernaculum pastorum. Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordiret succidit me, sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba*, & passim talia occurrunt in Scriptura, quæ facilem habent intellectum, quia similitudinem afferunt, innuunt, explicant simul, & applicant; similitudines verò reales magis occultæ sunt, & petunt explicationem, & harum aliquæ sunt similitudines rerum; aliæ rerum, vel factorum. Istæ sunt parabolæ, de quibus in præsenti, illæ verò quasi ænigmata quædam, in quibus latet ut plurimum spiritualis sensus; & etiam moralis quandoque ex illis deducitur; & frequenter in Psalmis occurrunt, ut *Psal. 92. Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam; elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum*, latet enim sensus, nisi explicetur, quid significent flumina, & aquæ, quibus vox attribuitur, vel quid significetur per vocem, quæ attribuitur aquis. Similia etiam *Psal. 96. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota est terra, & Ps. 97. Jubilate Deo omnis terra, cantate & exultate*. Sed de his alibi. Nunc igitur de parabola, ut pateat quam verè illi conveniat posita conclusio, videre oportet, in quo consistat, & quid necesse observandum sit, ad illius intelligentiam, & aliqua de parabolis Evangelicis, quæ præcipuæ sunt, prælibanda.

Parabola, a parando dicitur, vel quia animum præparat ad intelligentiam rei alterius, vel quia comparatio est aliquorum, dissimilia in eo, in quo assimilantur æquiparans; analogia quædam est, in qua diversorum, non identitas, aut unitas, sed proportio quædam exponitur: competit ei saltem per applicationem definitio signi, quam tradit Augustinus, nempe id, quod præter speciem quam ingerit, aliud quidpiam facit in cognitionem venire. Tractant de parabolis Cornel. diffusè in caput primum proverbiorum Salomonis. Ita & cæteri Expositores eodem loco, sed brevitas nostra, generali ejus definitione contenta est, quam tradit Donatus. Parabola est, rerum genere dissimilium comparatio, quommodo comprehendit exemplum, typum, figuram, ænigmata, omnemque similitudinem, sive explicitam, sive implicitam: Minus generaliter eam accipit D. Ambrosius super Psalmos, quod sit similitudo quædam, sive figura, indigens solutione, unde ad illud *Psal. 43. posuisti nos in parabolam*, ait: *Judaica res omnes quasi parabolæ sunt, hoc est figuræ, egentes solutione: quid sit parabola accipe: Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: non intelligebant hoc Judæi nisi secundum litteram; nesciebant, quis de duobus filus acciperet hæreditatem Patris, quia ad carnalia propendebant: eget hac parabola solutione: venit Doctor Gentium, & Fides nationum, & intellexit, quòd illæ duæ mulieres erant duo Testamenta &c.* ex quo patet Sanctum Doctorem sub sensu parabolico, etiam mysticum allegoricum comprehendisse; diligenter inter cæteros Jo. Driedo *l. 3. p. 2. cap. 4., in principio rem pertractat: In Scripturis, inquit, Sacris parabolæ sunt, quando Scripturæ Auctor, id quòd in rebus spiritualibus, aut divinis, aut mysticis intimare voluit per comparationes aliquas, ex corporeis, aut naturalibus, ac notis significavit, ut per terrenas similitudines facilius cælestia capiamus*; hæcque est ratio communis omnibus parabolis, quod sive innitantur argumento per locum a similibus, sive argumento per locum a dissimilibus, rebus corporalibus, ac perviis, res divinæ de quibus agitur, propter similitudinem aliquam comparantur.

Ex quibus (& magis etiam ex his, quæ ex Chrisostomo mox subiiciemus) clare constat, quòd in titulo, & in conclusione præmisimus, videlicet, quod locutiones parabolicæ debent intelligi propriè quoad verba, sed impropriè quoad sensum, & intentum dicentis, cum enim sit comparatio inter rem corpoream, & spiritualem, necessariò describi debet res corporea, prout est in se, ideoque per verba propria, quæ tali rei conveniunt, ut exinde intelligi possit per vim comparationis res spiritualis intenta, debent ergò sumi propriè verba, atqui illis utens, non ea profert, ut in ipsis sistat, sed ut aliud doceat diversum, ergo quoad sensum complexum, & intentum dicentis, talis locutio simul accepta ejus partibus, facit sensum improprium; talis enim semper est sensus, quando dicens utitur locutione, quæ non est naturaliter vel ex placito communi instituta ad illius sensum intimandum. Aliam autem non afferemus talis conclusionis explicitam probationem, quia quidquid dicemus in reliquo articuli erit ejusdem confirmatio.

Nunc breviter, quæ necessaria sunt, ad intelligendum vires, & significationes parabolarum, operæ prætium præstat prælibare, & hæc duo sunt.

Primum est. Attendere debemus diligenter finem, ob quem parabola assumitur, sive quid intendat suadere peculiariter, qui affert parabolam, quod planè semper ex contextu deprehenditur, etiam ubi non subnectitur parabolę explicatio, quę est regula contextus, semper admodum utilis ad intelligentiam, Scripturarum. Exemplum sit, *Matth. c. 20.* in parabola, *de Patre Familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, ibi certè non est divinandum in abstracto, sed omnia intelliguntur ex contextu; pręmiserat enim Salvator c. pręcedenti in fine; *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi*; postquę statim subdit cap. 20. parabolam. Hic ergo regno cœlorum intellecto, secundum eum, qui regnat, assumitur parabola ad ostendendum, quod Deus multis serò conversis, tardeque pęnitentibus (explicat Driedo loco citato) sit daturus, aut gratiam, aut mercedem æqualem illi, quam daturus est, manè venientibus, diuque laborantibus, Ad perfectionem autem sententiæ ac doctrinæ, solvitur, quod obiici poterat, ne videlicet ob id Deus existimetur injustus, ità composita

posita est parabola, ut etiam in tali dispensatione doceat Deum esse justum, & æquum figurali exemplo, & solida ratione concludens divinam bonitatem affuisse, & adesse omni generi ætatis hominum, ad consequendum regnum cœlorum, & non esse prima ætate conversis, futuram in die Judicii ullam murmurandi causam, contra bonitatem, & justitiam Dei largientis tantam gratiam, tantamque gloriam, serò pœnitenti, quantam manè venienti; quia nempe, quando fit uni gratia, non fit alteri injuria, & gratia si ex meritis, jam non est gratia, & gloria licet ex divina dignatione, sic nobiscum quasi contrahentis, sit merces, quod tamen aliquando superet meritum, liberalitas divina est, non iniquitas; & hic est scopus in quem tendit parabola tota.

2. ad rectam parabolæ cujuscumque intelligentiam, advertendum est, in ea comparationem in esse non metaphysicam, sed moralem, & prudentia dictante explicandam, exemplum enim præsefert, non paritatem; non ergo necesse est, ut omnes, & singulæ ejus partes correspondeant partibus rei, ad cujus vel explicationem, vel probationem composita fuit: omnis enim parabola obliquè, & figurato modo, rerum quarundam naturam manifestat, *& ideò non oportet* (ait Chrisostomus, apud Driedonem) *neque nimia cura in singulis parabolarum verbis anxium esse, neque ea, quæ in illis sunt, secundum totum quod dicitur investigare, neque omnia opera, & officia ad imitandum sumere: Sicut in Scripturis veteris legis, hi, qui typum Christi gerunt, ut Job, Sampson, David, Salomon, non in omnibus, sed in certis quibusdam gestis personam significant Christi Salvatoris*; sed cum id, quod per parabolam auctor ipse componens intenderit, didicerimus, inde utilitate collecta, & intentione, propter quam assumpta est intellecta, generali quodammodo, eatenus debemus aptare omnia, quatenus conveniant intentioni propositæ, ut finiatur, quæ deinceps super singulis parabolæ particulis fieri potest curiosa investigatio: proinde in ea, quam nuper ex cap. 20. Matth. adduximus; non oportet colligere, quod sicut in hac vita contra Patremfamilias murmurant mercenarii primi, videntes novissimos æqualem sibi mercedem recipere, ita & in die Judicii primi, qui a prima ætate, usque in senectam in vinea Domini laborarunt perseverantes, murmurabunt, videntes novissimos recipere mercedem æqualem, cum contrarium potius intendat Salvator, parabolæ auctor; volens quod sicut in hoc mundo Paterfamilias, justa ratione arguit carnales homines, primos, habentes oculum nequeam, quia ipse semper bonus, & optimus, sicque docet, nec eos habere causam murmurandi, contra novissimos, neque se ulli facere injuriam; ita in vespere Judicii, primorum mentes inveniet evangelica veritate edoctos, & ipsa sui visione illustratos, ut planè videant, se nullam habere rationem murmurandi contra voluntatem optimi Patris, sed tantum gratias agendi, quòd eos absolutè vocaverit, in admirabile lumen suum, ubi substantia vel sola, mercedis adeò sublimis, satiabit omne desiderium

A nostrum &c.

Et ita quidem sentiunt sapientiores, nec tamen propterea damnandi, qui thesauros sapientiæ, ac scientiæ Dei, in omnibus, & singulis Sacræ Scripturæ apicibus studiosius inquirentes, semel inventa veritate, quam intendit auctor, parabolæ, quod præcipuum est, cæteros etiam apices librant, ut hauriant indè mysteria. Ita Expositores quidam, quorum meminit Driedo, & diligenter refert Cornelius Alap. in hunc locum Matth. qui per serò, seù vesperam intelligunt tempus sub adventum Christi in carnem, & per murmurantes primos intelligunt Judæos, primo loco conversos ad fidem, qui non intelligentes gratiam Dei, murmurabant adversus gentes, quòd ex Idolatria orti, incircumcisi, a Lege Moysis alieni, subitò admit-
B terentur ad gratiam Evangelii: unde & *Actuum*, 11. *primo* dicitur. *Obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro; quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*, non enim intelligebant quod lex Moysis habebat finem in Christo: unde & Hieronym. *Judæi*, inquit, *Gentilibus invident, & in Evangelii torquentur gratia*: aliter Chrisostom. *per murmur significatur mercedis, & gloriæ magnitudo, quæ tanta est in Apostolis, ut cæteri ex Judæis electi, & beati, eis inviderent, & murmurarent, si invidia, & murmur in beatos cadere posset*. At subtilius Gregor. *quia Patres*, inquit, *ante Christi resurrectionem, & ascensionem non sunt ducti ad regnum, hoc ipsum quoddam murmurasse est*. Ita & reliquas ejusdem parabolæ, sicut
C & aliarum particulas, acutè scrutantur aliqui Patres, & Expositores, quorum studium quidem veneramur, sed hoc solum concludimus cum Chrisostomo, *qui parabolam suscipit exponendam, agat quòd agit, & semel invento sensu comparationis, & intentione ejus, qui parabolam componit, nolit similitudinem cogere, ut sit paritas, ne fiat violentia textui, & iterum veritas involvatur, dum eruitur*. Cætera igitur si vacat, ad alium derivet tractatum, non enim sunt formales partes parabolæ, sed quædam veluti adjacentia, seù mavis fulcimenta sermonis, unde in præsenti parabola idem Chrisostomus apud Cornelium censet, hoc murmur esse emblema dumtaxat parabolæ, ideoque non applicandum rei per illam significatæ, & insuper Glosa: *Non omnes*, inquit, *murmurabant*,
D *sed quidam, mali scilicet, qui bonum, quòd inceperant ad finem non perduxerunt, ideoque præmio privati murmurant*. In hac autem advertentia aliquantulum immoramur, quia multum interest, ne frustra, immò in veritatis præjudicium, torqueantur studiosi, in intelligentia Scripturarum. Ideoquè ad ejus confirmationem &c.

Tertiò. Notandum, & ferè in idem venit, quod ex Augustino notat Driedo loco citato; *In parabolis sunt posita quædam, non ut significent aliquid, aut innuant aliquid morale, vel ut latentem confirment argumentationem, sed ut series corporalium rerum constat, vel ut ait Augustin. ut expleatur narrationis ordo: quod etiam contingit in præceptis: sic Math. c. 6. ait Christus: tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ubi adducitur* quæ-

quædam similitudo lætantis ad exprimendum metaphoricè, quod qui jejunat, debet se lætum, & festivum ostendere, quia laus humana quærenda non est de jejunio, ideoque per lætitiam illud celandum est. Hic jam si ultra progrederis, inquirens, quid per faciem, quid per ungere, quid per caput intellexerit Christus? obscurior evadet sensus præcepti, & longè a dicentis intentione vagaberis, qui his dictionibus utitur per similitudinem non per sententiam: semel autem posito vero intellectu, si placet hæc etiam examinare mysticè, improbandum non erit, ut facit Bernardus sermone primo in capite jejunii, ubi per caput intelligit Christum, quem nostro jejunio ungimus, dum sic abstinemus a cibis ur ipse in nostro jejunio glorificetur, tamquam bonus odor; aut mentem nostram, quam ungimus, cum conamur, ut ipsa suaviter delectetur in Deo; sed hoc ut patet, non est necesse ad veram præcepti intelligentiam, quam præcipuè, & sincerè in Scripturis venari debemus. Et quia nunc de parabolis agimus, in altera ex ipsis ponemus exemplum.

Sic igitur Driedo, *ad cap. 25. Math.* considerans parabolam de decem Virginibus, inquir, *in hac notare oportet principium, ex quo Dominus hujusmodi parabolam induxit, & finem, in quem conclusit: unde præmiserat parabolam, de servo vigilante, ex illa docens, & monens, ne nos Dominus inveniat dormientes, & nos cum hypocritis abiciat eo, ubi erit fletus, & stridor dentium, & continuò subdit: Tunc simile erit regnum cælorum decem Virginibus, posita verò parabola tota, conclusit: vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam: non oportet igitur in hac parabola intelligere, quod in die Judicii virgines fatuæ, idest reprobi Christiani, sub ulla spe salutis paraturi sint lampades suas, & postulaturi a sapientibus oleum, seu charitatis pinguedinem, & ituri ad emendum, ac oraturi ad Dominum, dicendo, Domine Domine aperi nobis, nam reprobi juxta Apostoli doctrinam, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba, corporibus reassumptis prorsus relinquentur omni spe veniæ destituti; sed sufficit immò necesse est ex hujuscemodi parabola intelligere, in die Judicii, tales fatuas Virgines præ angustia spiritus gementes, & nullum invenientes misericordiæ auxilium, etiam a bonis prorsus deferendas extra regnum Dei, sublata omni spe; alia enim, quæ in parabola adduntur, deserviunt ad complementum sermonis, & propositionem parabolæ, quæ ut animum alliciat audientis, proponi solet tamquam aliquod factum verosimile, & connaturaliter.* Subdirque idem: *unde adventus Christi comparatur nocturno furi, suffossori domus, non quod per omnia quadret furis, & Christi advenientis similitudo, sed ad id congruat, quod uterque, & fur, & Christus, ea hora adest, qua non putabatur.* Sic prosequitur omnes fermè Evangelii parabolas perscrutans, eodem cap. citato, nobis hæc satis: nunc brevibus quæstiunculis est satisfaciendum.

Quæres primò: cum parabola sit quædam similitudo, ideoque valdè appropinquans exemplo, quæ inter ista versetur differentia? Aliqui enim audientes parabolam Pharisæi, & Publicani orantium in templo: sanctum hunc invocant Publicanum, ut sibi gratiam humilitatis, & veræ contritionis obtineat, & in similibus ita se gerunt, ac moventur; ac si historia infallibilis evangelica proderetur. Alii verò audientes resurrectionem Lazari, ex hoc nomine confunduntur, eundem ferè imaginantes, qui ulceribus plenus jacebat ad portam divitis, ac post mortem in sinum Abrahæ fuerat assumptus, sicque omnia confundunt insipienter, non discernentes historiam a parabola, & rem, a non re.

Resp. 1. per regulam contextus: si Lector advertat: optimè discerni. Nam ferè semper eum ponitur parabola in Testamento novo, eam talem esse, innuit textus, aliud est etiam signum, non regulariter, cum sermo est Christi ad turbas, aliqua intervenit parabola, dicitur enim Math. cap. 16. & sine parabolis non loquebatur eis.

Resp. secundò, aliam, & quidem intimiorem differentiam assignando, juxta Patrum Doctrinam, in catena aurea D. Thomæ, in præcitatum cap. 16. Math. quod nempe historia, seu rigorosum exemplum, nomina propria refert. Parabola verò, generalia, seu ex aliquo hominum genere petita. Ideò Ambros. *Narratio magis, quam parabola videtur, quandò etiam nomen exprimitur,* & Chrisost. *parabola verò illa est, ubi exemplum ponitur, nomina verò tacentur &c.*

Sed objicies: quid ergo dicemus, de ea, quam aliqui Patres vocant parabolam, & tamen proprium nomen adduxit, sicut citato capite, ubi sermo est de divite, & Lazaro, & Lazarus nominatur, & quasi historia quædam, tota rei species adamussim describitur: Historia ne est, an parabola?

Resp. secundum Chrisostomum, parabolam illam esse, cum sileatur ibi nomen divitis: pauperis verò nomen, idest Lazarus, non ponitur ibi tamquam proprium, sed magis appellativum, sive propter significationem, omnibus pauperibus communem; *interpretatur enim*, inquit, *Lazarus, qui adjutus est; pauper enim erat, & eum a divite derelictum Dominus adjuvabat.* Aliud etiam mysterium hac in re invenit Gregorius, in homil. assignans rationem, quare etiamsi in parabola non soleat proprium nomen notari, ibi quasi consignatur nomen proprium pauperis, & tamen nomen divitis taceatur: *cum*, inquit, *in populo plus soleant nomina divitum, quam pauperum sciri. Dominus tamen hic nomen pauperis dicit, & nomen divitis non dicit, quia Deus humiles novit, atque approbat, superbos ignorat.*

Et hæc quidem sapienter, addendum tamen ex Cyrillo, parabolam quidem hanc esse, sed in ea, ut magis moveret, sumptum a Christo fuisse exemplum rei notissimæ apud Judæos, & inductum in parabolam: sic ergo Cyrillus: *præsens sermo de divite, & Lazaro similitudinariè descriptus est in parabola, ut innotescat, quod qui terrenis affluunt opibus, nisi velint opitulari necessitatibus pauperum, gravem incurrunt sententiam. Refert autem traditio Judæorum, Lazarum quemdam fuisse tunc temporis in Hierosolimis, extrema pressum inopia, & infirmitate, cujus meminit Dominus, introducens eum in exem-*

exemplum, ad majorem sermonis manifestationem, ex quibus & probata, & explicata manet conclusio, nempe locutionem parabolicam, sumi debere in sensu proprio quoad verba, quae certè non innuent, immò nec indicabunt sensum, & finem dicentis, nisi prius propriè sumantur; in sensu verò metaphorico quoad mentem dicentis: completè enim sumpta tota parabola, aliud docere intendit, quàm quod ipsa verba praeseferunt, quibus proponitur.

Quaeres secundò, ut facilius dignoscatur, sine periculo erroris, diversitas parabolae, ac alterius cujuscumque similitudinariae, aut metaphoricae locutionis. Quot, & quaenam sint parabolae, in Sacra Scriptura?

Resp. in veteri quidem Testamento, plures reperiuntur, quarum aliquae ad apologos, aliae ad aenigmata, & gnomas reducuntur, quod nimis operosum esset referre, nec multum interest. In novo autem Testamento, magis considerantur, quia per illas, turbis Christus Dominus, totam ferè evangelicam tradidit doctrinam, ac earum aliquas ipse dignatus est declarare directè, aliarum verò significationem saltem innuere. Earum verò omnium numerus ad 32. pertingit, quas assignamus, a caeteris Doctoribus collectas.

1. Parabola: Puerorum canentium, & lamentantium. Math. c. 11.

2. Seminantis semen, cujus pars cecidit secus viam, pars in petrosa, reliquum in spinas, ac denique aliud in terram bonam, & tulit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Math. c. 13.

3. Zizaniorum semini bono, ab inimico homine superseminatorum, ibidem, v. 24.

4. Grani sinapis, quod ex minimo omnium olerum, adolescit in maximum, ibidem, v. 31.

5. Fermenti in tribus satis farinae mixti a muliere, ibid. v. 38.

6. Thesauri absconditi in agro, quem emit absconsor. eodem. cap. v. 44.

7. Margaritae praetiosę, pariter eodem cap. v. 35.

8. Sagenę missę in mare, ex omni genere piscium congreganti c. eodem, v. 47.

9. Patrisfamilias dimittentis debitum servo, eidemque in conservum immisericordi, debitum decem millium talentorum, iterum imputanti, ac repetenti. Math. c. 18.

10. Boni pastoris, ac mercenarii, inter se diversorum, quoad curam ovium. Joan. c. 10.

11. Samaritani piè curantis inventum in via, sauciatum a latronibus. Lucę c. 10.

12. Amici ab amico petentis noctu tres panes pro hospite suo; ad vim orationis exprimendam, Lucę c. 11.

13. Divitis secum dicentis: anima mea habes multa bona reposita, requiesce, comede, bibe &c. cui Dominus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Lucę c. 12.

14. Servi vigilantis, doctuque pręstolantis reditum Domini a nuptiis. Lucę cap. 12. v. 36.

15. Ficulneę infructiferę, quae mandatur succidi. Luc. cap. 13.

A

16. Vię angustę, & latę ad vitam, & mortem: quę tamen parabola vix est similitudo, & ab aliis distat, aliqui tamen eam parabolam vocant. Luc. 13. v. 24.

17. Convivantium: sive de ultimo loco captando ad mensam, & ubique colendę humilitatis. Luc. c. 14.

18. Parantis bellum, aut ędificantis turrim, qui prius computat prudenter sumptus. Luc. cap. 14. v. 28.

19. Ovis centesimę perditę, & a pastore, relictis 99., quęsitę. Luc. c. 15.

20. Mulieris Dracmam perditam, quam quęrit, invenientis, sibique ac suis gratulantis, ibidem v. 8.

B

21. Notissima Filii prodigi, ibidem v. 11.

22. Villici iniquitatis, facientis sibi amicos de Mammonna Domini sui, ut exclusus a villicatione recipiatur ab illis, in domos eorum, Luc. cap. 16.

23. Divitis Epulonis, & Lazari pauperis ulcerati, ac mendici &c. ibidem v. 19.

24. Iniqui Judicis, & viduę importunę. Luc. c. 18.

25. Pharisęi, & Publicani, ibidem. v. 10.

26. Operariorum in vineam conductorum, hora prima, tertia, sexta, & nona, qui tamen eandem mercedem recipiunt, ac ita novissimi fiunt primi, & primi novissimi. Math. c. 20.

27. Domini distribuenti inter servos ad negotiationem decem talenta. Luc. cap. 19.

C

28. Duorum Filiorum ejusdem Patris, quorum alter jussus promisit se iturum in vineam, & non ivit: alter verò jussus, nolo, respondit, at postmodum ivit. Math. cap. 21.

29. Vineę locatę Agricolis infidelibus, qui servos Domini fructum ex ea quęrentis peremerunt, & ipsum Domini Filium, eod. c., v. 33.

30. Invitantis ad nuptias Filii sui, ad quas invitati declinaverunt singuli, excusantes, indignatus verò Dominus, invitavit pauperes, & claudos, & obvios quosque, & ejecit non indutum veste nuptiali. Math. cap. 22.

31. De Virginibus decem, quinque fatuis, & quinque prudentibus, hę oleum cum lampadibus sumpserunt, illę neglexerunt, ideoque exclusę fuerunt a Sponso media nocte, subitò adventante. Math. c. 25.

D

32. Distributionis talentorum in servos ad negotiationem, uni quinque, alteri duo, ac demum alteri unum, qui illud abscondit. Ibidem v. 14.

Hę sunt pręcipuę juxta communem intelligentiam, quamvis autem singulas uni Evangelistę adscribamus, non propterea excludimus, quod aliquę a pluribus, aut fermè omnibus referantur, sed illi, potius singulę adscribuntur, qui eas clarius exhibuit &c.

ARTICULUS III.

De specialissimo genere locutionis, quasi translatæ, sed potius mysticæ, qua utitur Spiritus Sanctus in Scripturis, respiciens singulari modo, laudes veras æquè, ac dignissimas Beatissimæ Virginis Mariæ.

QUam ad puræ creaturæ possibilitatem, immò, & obedientiali potentiæ impertransibilem dignitatem, gratiam, & gloriam, Matrem elegit sibi Dei Verbum, eandem fidissimus testis, & Ecclesiastes Spiritus Sanctus, ut etiam scripto, ac consequenter toto, omnique Dei Verbo, divino prorsus modo commendaret eandem, lectissimam sibi sponsam, novum, nullique creaturæ puræ communicabilem dicendi modum, justissima adinvenit Sapientia. Ut enim quidquid prerogativæ, gratiæ, virtutis, ac meriti, laudis, & gloriæ, vel sparsim singulis Ecclesiæ membris, sub capite Christo competit, vel toti simul corpori ejusdem Ecclesiæ sibi adaptato donavit Deus, ostenderet, plenius, excellentius, eminentius immò plenissimè, & supra quòd excogitari valeat eminentissimè, soli, uni, unicæ Immaculatę totius Sanctitatis metæ, exemplari, ac majestati, Mariæ semper super Beatissimæ unitim inesse, ac exprimi directè non posse; indirecta quadam, sed sapientiori, ac eloquentiori panegiri; sub nomine Ecclesiæ, aut animæ cujuscumque electæ, ejusdem Virginis laudes identidem in tota Scriptura adumbravit; Nec mirum, quidquid enim in se mirabile est, tantæ Virgini appropinquans, feliciter vincitur, & mirabiliter gloriatur; se non esse mirabile. O quam gloriosa imbecillitas humanæ eloquentiæ, quem tanto Verbi Matris merito, quo altius clamat, eo obmutescere se sentit depressius. Sudarunt, sudabunt sæcula ejus laudi, sed pietatis ejus auxilio, ut suppleat, & vel ad initium provehat dicendi, infinita succedet æternitas. Dicat ergò, qui & dicentem nectit, & dictum, Patrem videlicet, & Verbum, Spiritus Sanctus. Et quidem locutionem ejus de Virgine qualis sit, ad silentii nostri, vel modicam saltem consolationem, brevissimè nunc scrutamur, dicamus igitur primò, sitque conclusio idipsum, quòd articuli videtur esse suppositum.

Concl. Quidquid in Sacra Scriptura dicitur, in laudem Ecclesiæ, aut animæ amantis, Electæ Sponsæ, sicut in toto ferè libro cantici canticorum, & alibi etiam sæpissimè, nisi contextus apertè resistat per admixtionem aliquam imperfectionis, aut maculæ, totum illud, intimum habet sensum, qui connaturali quadam veritatis simpatia respicit, innuit, veneratur, ennunciat, vel saltem prælibat, aliquam Beatissimæ Virginis Mariæ excellentiam.

Dictum est, nisi contextus apertè resistat per admixtionem imperfectionis, aut maculæ, quia ut suprà in regulis ostensum est, aliquando pro Ecclesia sumitur Ecclesia præsens, in qua boni, cum malis admix-

A ti tunc, & eadem continua oratione partim deprimitur, partim commendatur, ut ibidem declaratum est; tunc enim, sicut de bonis, ut talibus, aut finaliter, non intelligimus dictum, quòd opprobrium sapit, ita nec Virginem notari, nisi per id, quòd est purissimæ laudis.

Addendum etiam, quidquid laudabile dicitur comprehendi, sive dicatur propriè, sive metaphoricè, sive quasi parabolicè, nempe quoad modum, vel figuram dicendi.

Addendum etiam, & maximè tenendum, ne cogamur eadem passim repetere, nos cum ibi de Ecclesia agimus quoad ipsius prærogativas, non loqui de infallibilitate, & indefectibilitate Ecclesiæ, ac potestate, quæ sunt ipsi omninò propriæ, eique tantum convenientes, nec transferibiles, aut
B convenientes B. Virgini; debet enim salvari distinctio extremorum, de quibus dicimus, quod possunt in iisdem laudibus convenire.

Sic explicata conclusio habet aliquid plus, quam quod vulgò concipitur, cum enim audimus, Beatissimæ Virginis laudi, in Ecclesiastico officio adaptari plura, quæ de Ecclesia communiter dicta esse in Scriptura supponimus, ibi sensum esse, & modum dicendi accommodatitium, ut vulgò apprehendi solet, prima fronte apparet; ut Psal. 44. specie tua; & pulchritudine tua &c. Astitit Regina, & similia, ac nihil intimè respiciens Virginem, Psalmus iste haberet, in verò sensu, quam quamdam accommodabilitatem extrinsecam, sicut habent alia loca Scripturæ, ex lib. Sap., vel Ec-
C clesiastico, quæ accommodat Ecclesia Sanctis Martyribus, vel Confessoribus in eorum communi officio: at non ita licet imaginari; quæ enim de Ecclesia dicta sunt, ex hoc ipso; quod dicta sunt de Ecclesia, intimum habent respectum, & sensum ad Beatissimam Virginem, sicut ex rationibus, quas mox proponemus, clarè constabit.

Quomodo probari potest ab Auctoritate Conclusio.

SI Auctoritate probemus assertum, extendere oportebit ad inexpectata confinia Conclusion. Sapientissimus enim *Joseph della Zerda, Operis sui Mariani Academ. 2.*, clarè attendit veterem Scripturam, in qua Trinitas adumbratur, in Mariam collima-
D re., ipsamque disertè, verbis S. Germani de Nat. Virg. probat clarissimum esse supplementum totius Prophetiæ, quæ de Trinitate est. Ità namq; Germanus ad Virg. *Salve totius Prophetiæ clarissimum supplementum, summa divinitus inspiratæ veritas Scripturæ, in qua sine voce & Scriptura, ipse inscriptus Deus, & Verbum per diem legitur*; ipseque Auctor subdit: *Trinitatis Arcanum ægrè introspicitur, nisi Verbi Incarnati lux affulgeat, & ex Virginis Mariæ utero, Filius progenitus simili methodo, ac innascitur apud Patrem Divinum Genitorem, obvio argumento pronunciet, & ex mysterio in terris perpetrato ad mysterium in cœlestibus arduum adripiat, ergò Maria in qua Incarnatio hæc peracta, probe supplementum dicta est a Germano, quippe in ea Beatæ Trinitatis Sacramentum impletam cognitionem accepit;*

pit; immò & eam probat *supplementum totius Scripturæ*; Sed nos ad hæc sublimiora non vocamur, placuit tamen ea prælibare, ut quod fortè avaro nimis calamo pingimus in Conclusione, desinat videri impossibile, & argumento de majori ad minus, tam evidenti, in quo tam sublimitur includitur, quod asserimus, maneat probata Conclusio.

Generaliter etiam confirmatur. Addit enim & explicat idem Zenda *Acad. 21 sect. pr.*, *omnes Scripturæ in Mariam respiciunt*, *& S. Ildephons. sermone pr. de Assumptione Virg. Ecce* inquit, *ad quam concurrunt omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum*.

Magis autem ad nostra videtur accedere *Rupert. l. 4. in Cant. Flos ille ascendit de radice Jesse, non principium habens ex se, sed de corde Patris, per occultas vias, cum omnibus aquis viventibus, idest, cum omnibus Scripturis veritatis veniens in te, & æternum Sapientiæ fontem faciens in te, atque hoc modo ascendens ex te. Ad quid ascendit? utique ad irrigandam superficiem terræ, ad instruendam Ecclesiam*, & quamvis hæc plusquam satis argumento de majori ad minus ommitti non debet quod Seraphic. *D. Bonaventura* suggerit innuendo rationem quam extendemus, Ità ergò docet, *serm. in Hexamer; In Allegorico sensu sunt quatuor, scilicet humanitas assumpta, quantum ad Nativitatem, & Passionem, quæ sunt, principales Allegoriæ. Servata est Mater Dei Maria, quia mira dicuntur de ipsa in Scripturis, quia in omnibus Scripturis refertur relatione ad Christum. Et quod dicunt aliqui, quare ita pauca dicuntur de Virgine? Nihil est, quia multa dicuntur de ea, quia ubique de ipsa*. Cui accinit *B. Amadeus de laudib. Virg. hom. pr. Hæc summa, hic finis Testamentorum, Christum prologui, & Mariam Virginem*, Ità PP.

Nunc autem strictius procedendo, hæc est Conclusionis probatio singularis, & evidens, nam Praxis Insignium Expositorum Gislerii, Cornelii Alap. aliorumque plurium ex Alma Societate Jesu, nec non & Venerab. P. Nostri Fr. Joannis a Jesu Maria, qui exponentes librum Canticorum, singulos ferè versus exponunt de Ecclesia, & distinctè de B. V. modo litteraliter, modo mysticè ut in plurimum, in quo sanè inconsequenter agerent, & potius distorquendo, quam exponendo nisi quæ de Ecclesia dicuntur, sensum verum scripturalem nutrirent, & offerrent cum speciali respectu ad B. V. In sensu igitur, & Sanctorum quos prius dedimus, & prædictorum Expositorum procedentes, evidens est, nos effugere novitatem. Ita firmiter probatam Conclusionem adhuc probamus, non quidem necessitate, quia jam patet, sed potius ex devotione, & abundantia.

Probatur itaque pr. relat. Relativa sunt simul natura, & cognitione, quod idem est ac si dicas, unum nequit esse, aut intelligi formaliter sine alio, atqui Ecclesia intimam dicit relationem ad Christum, uti Verbum Incarnatum ex Maria Virgine, ejusque verbum Filium, in quo connaturalior resplendet relatio, ergo sicuti quæ de Ecclesia dicuntur (in sensu jam explicato) ob hanc rationem, A specialem habent respectum ad Christum, & sensum suum ab ipso incipiunt, & ad ipsum terminant, ita eadem ratione, eadem quæ de Ecclesia dicuntur, Beatissimam Virginem Matrem capitis ejus, intimo sensu, ac respectu venerantur, ergò ea, quæ de Ecclesia dicuntur, non solum per accommodationem, & decentiam, aut quasi, seu mutuo, seu commodato, Beatissimam Virginem concernunt, sed in aliquo sensu specialiter respiciunt. Major est irrefragabile principium in omni schola, & aptissimè ad præsens accedit, ubi agitur de sensu ejus, quod dicitur, quod planè a dicentis sapientissima cognitione descendit, eamque defferet ad audientem, vel legentem. Min. clarissima est, quòd enim Ecclesia relationem dicat intimam ad Christum impræscindibile est a concepto B essentiali Ecclesiæ, quæ est multitudo, seù congregatio Fidelium sub uno capite Christo &c. ideoque si quæ multitudo exit ab hoc respectu ad tale caput, nec est congregatio Fidelium, sed inordinata congeries Infidelium, immò nec congregatio, quia caret omni unitate, quam solus facit lapis angularis, qui facit utraque unum: vera igitur Ecclesia, quæ in communi conceptu est corpus vivum, & integrum, quòd habet ab unitate, & unione capitis sui Christi, constituitur per intimum, sibique essentialem hunc respectum, idque totum perstringit Apostolus, Roman. cap. 12. Omnes nos unum corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra in Christo Jesu Domino Nostro; ita docent quatuor Evangelia, ita tota C Scriptura, omnesque Catholici Patres, ipsaque de se Catholica sentit Ecclesia, cum jam sit articulus fidei, estque hæc relatio fundata in unitate, & numero, nec non & aliam infert per modum consequentiæ fundatam in actione, & passione; cum enim membra plura unum corpus vivum efficiunt per unionem cum uno capite vivo, ac vitæ totius fonte, quale solus est Christus, de quo Jo: primo, dicitur, in ipso vita erat, quia vivus in æternum Filius Dei, & vita erat lux hominum, sequitur influxus vitæ ex capite in totum corpus, & omnium bonorum elargitio, ac communicatio Redemptionis, Sacramentorum, gratiæ, & gloriæ ab ipso capite vivo, in hoc corpus, & eorundem bonorum, meritorumque receptio, ac ad invicem inter ipsa membra communicatio, quæ est D communio Sanctorum, quòd aliud esse non potest, nisi sublimis quædam actio, & passio.

Quòd autem hæc relatio, sive relationes Ecclesiæ ad Christum, sint ad ipsum uti Verbum Incarnatum ex Maria Virgine, ejusdemque verum Filium, æquè certum est, ac Christum esse caput Ecclesiæ, non præcisè ut Deum, sed ut Deum hominem; unius enim naturę, & caput esse debet, & corpus, quòd explicat Augustin. *tract. 80. in Joan. cap. 15. se dicit Dominus vitem, & Discipulos suos palmites secundum hoc, quòd est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus: unius quippe naturæ sunt vitis, & palmites, propter quod cum esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura cujus, & nos homines pal-*

mitti esse possemus; atqui nequit intelligi, Christus homo, sine respectu ad Virginem Matrem; ostendit ipse Christus, sepissime in Evangelio, se dicens Filium hominis; cujus enim hominis? de Fide est solius Virginis Matris; plane si nominatur Jacobus, hunc hominem ita in Evangelio dictum intelligo, & prescindo a respectu ad Mariam dictam Jacobi (quę potius a Filio ob ejus dignitatem Apostolicam denominatur) quia Jacobus, & Patris Zebedęi, & Marię Matris, sine aliqua singularitate Filius fuit; at si audio Christum, ipse non vult intelligi sine respectu ad Matrem, cujus Virginis singulariter, filius fuit, idest, sine homine Patre; ideoque se dicit Filium hominis commendans semper, quid dignatus sit ex Virgine, hominem esse pro nobis, nempe ne solum Deus crederetur, quod factis ostendebat; humanam exprimebat in se naturam ex Virgine, inquam, tantum sine homine Patre, quod & Propheta Isaias admirabatur, & predicebat cum clamaret: novum creavit Dominus super terram; mulier circumdedit virum, quod si circumdedit Christum, quia Christi generatio a sola Virgine cooperante Spiritu Sancto sine Patre homine fuit; ergo omnis respectus attingens Christum, vel per Mariam transit, vel in ipsam terminatur, ut evidens est: si enim homo veste circumdatur, nemo ipsum in se vel tanget, vel aspiciet, nisi vestem ipsam prius attingat, & per vestem denique terminetur; licet nempe & materialibus utimur, ut spiritualia, & divina aliqualiter adumbremus, omnia quippe serviunt sibi, Deo canebat Psaltes, Psal. 118. manet ergo probatum rudi saltem modulo nostro, respectum Ecclesiæ ad Christum non posse compleri, nisi sit ad Christum Deum, & hominem, qualem ipse se dixit Filium hominis, filius scilicet Virginis, modo quem proposuimus, sequitur ergo, posita relativorum natura, quidquid in commendationem Ecclesiæ dicit Spiritus Sanctus, intimum afferre respectum, modo explicato, ad Virginem Matrem Christi.

Confirmatur ex eodem principio relationis: Beatissima Virgo, est Mater Ecclesię, ergo hęc eam respicit tamquam ejus Filia. At sistamus paulisper; Videtur enim alięnibus talis propositio inaudita, nova, & improbabilissima; Non potuit dici, aut esse Mater Ecclesię Beatissima Virgo, quę tamquam membrum Ecclesię post Christi Ascensionem, subdebatur D. Petro Vicario Filii sui, ipsaque Ecclesia fundata omninò fuit a Christo, ut constat ex Evangelio. Ista tamen propositio, Maria est Mater Ecclesię, est in terminis Illustriss. della Zerda in opere cui titulus Maria effigies &c. *Academ. 5. nu. 26.*, eamque comentatur, probat etiam Auctoritate Patrum, & concludit; *Illum non posse Deum habere Patrem, qui non vult, quod Ecclesia habeat Matrem*; Non igitur inaudita aut nova propositio est. Eadem etiam clarè probatur ex Miechoviensi, disc. 120., ubi in initio: Beata Virgo eodem merito, quo meruit esse Mater Christi, consequenter adepta est, ut esset Mater hominum, Angelorum & omnium Creaturarum. Quot igitur sunt generationes, tot modis Beata Virgo dicitur, & est Mater earum &c. Cum autem Ecclesia, nequeat intelligi extra talem universitatem, certè erit etiam Mater Ecclesiæ. Magis autem specialiter probatur Mater Ecclesiæ, quia ex Decreto Imperatoris Crucifixi, facta est Mater Regulis omnium nostrum, ut fatentur Rupertus, B. Albertus Magnus, & S. Antoninus, & omnes recentiores; Statim autem subdit Apostolus; *omnes nos unum Corpus sumus in Christo*, quæ est definitio Ecclesiæ, ergo facta est a Christo Mater Ecclesiæ; Discursus est evidens, & procedit per locum ab intrinseco, ne dicatur amplius, quod hęc propositio sit improbabilis: Nec aliquid relevat, quod Christus sit revera fundator Ecclesiæ, quia etiam qui habet Filium naturalem, alteri eum tradit per tamquam Filium legalem, nec aliquid relevat, quod Beata Virgo, esset membrum Ecclesiæ, & ex hoc subdita D. Petro; Idem enim summæ potestatis Principis, & illum caput Ecclesiæ constituit, & hanc Matrem, quę duo munera non opponuntur: Subdebatur Virgini Christus, nec propterea desinebat esse Virginis Creator, ab ipsa adoratus, quippe quem genuit adoravit, poterat ergo, & subdi Petro, & esse Mater ejus, & omnium.

Sed nec ad hanc solam, quę legalis est, maternitatem restringitur ista propositio; Beata Virgo est Mater Ecclesię; Alias plures addit Miechovien. & nos alteram, preter eam quę ex probatione in argumento, postea constabit.

Dicebat se Apostolus Gentium Patrem eorum, quos docebat Evangelium, *nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*, & alibi: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*; Sed hoc ipsum competit Beatissimæ Virgini erga totam Ecclesiam, ergo erit Mater Ecclesię, etiam ex hoc capite, probatur min. Nam preter plures PP., qui eam dicunt Illuminatricem Ecclesię. *D. Thom. de Villanova*, quamdam quasi traditionem sequens. *Conc. 4. de Assumptione*, de Virgine loquens ait, *cui propter singularem, & excellentem eruditionem, Cælestis Magister, ad Patrem unde venerat, reversurus, Scholam, & Cathedram suam reliquit, non quidem ut oves suas regeret sicut Petrus, sed ut Discipulos suos Cælesti sapientia, quam ab eo didicerat erudiret, quam quidem Scholam, & Cathedram, duodecim annis, ut fertur, tenuit, & rexit, Apostolorum omnium, & Discipulorum Christi, Ecclesiarumq; Magistra; unde & cunctas hæreses solam interemisse, in Ecclesia Dei merito decantatur.* Ecce quot modis dicenda est Mater Ecclesię. Sed notandum est, quod cum Ecclesia sit Corpus Mysticum, de ea & de Maternitate Virginis erga ipsam, maximè jam constitutam a Christo, Mysticè tantum & moraliter discurri potest, nec est exigenda aut Physica, aut Metaphysica demonstratio, quæ semper esset extra naturam subjecti, sed quędam similitudo vel Analogia proportionalis, quod qui advertet certè non mirabitur, de hac propositione sano modo intelligenda Beata Virgo est Mater Ecclesię. His suppositis procedit confirmatio, cum propriis probationibus videlicet.

Confirmatur ita quæ ex eodem principio relationis,

tionis. Beatissima Virgo Maria est, Mater Ecclesiæ, ergo hæc eam respicit tanquam ejus Filia quoad ea videlicet, quæ ejus essentiam, incorruptionem, perpetuitatem, & excellentiam præcedunt, non quoad ea, quæ eidem Ecclesiæ accidunt, ex hominum malicia, sicut enim de Filio Virginis, sic de Virgine Matre verum est, quod mortem non faciet, & sicut de Christo ait Joannes: In ipso vita erat, & vita erat, ita & de Virgine, in ipsa, ex ipsa, & per ipsam vivit homo idem, qui vita erat, & vita erat, qui ab ipsa venit quodammodo ad se ipsum, cum venit ad lucem, quippequi ait, ego sum lux mundi, ergo sicut res ipsa, ita & oratio explicans esse ejusdem rei, scilicet Ecclesiæ, ejusque excellentes proprietates, intimo respectu ad Virginem respicit, eam laudat, celebrat, & adornat, nam modus dicendi sequitur modum essendi, tunc potissimum, cum qui loquitur, sapientissimus est penetrans omnia, simplici, & infallibili actualissimo intuitu, quod soli congruum est Spiritui Sancto, qui secundum Fidem locutus est Patribus in Prophetis, ad quem proptereà articulum in Symbolo subnectitur, & unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; discursus per principia simpliciter nota procedens clarè convincit Antecedens clarius elucet: quis enim Ecclesiam audeat adeò insipienter discerpere, ut caput à membris avulsum uni matri, & corpus acephalum (inimaginabile monstrum!) vel alteri, quod nulli assignet genitrici; quæ ergo secundum Fidem, quæ toto, & libentissimo subdimur intellectu, ac voluntate, vera est Mater, & Virgo, Mater hominis Dei, qui solus est caput propriissimum Ecclesiæ, ultrà quod nemo potest aliud ponere, nisi quod positum est, Christus Jesus, intentu dicto est Mater Ecclesiæ, sicut eidem capiti indivisibiliter connexa vivit in æternum. Totum ergo hoc corpus, ità Matrem hanc conspicit ut quidquid pulchritudinis, dignitatis, excellentiæ, & gloriæ, & de facto, & in Verbo Spiritus Sancti eam decorat, totum glorietur, ut in fontem purissimum, ac verè divinum refundere in Sanctissimam adeò Matrem, Dei parentem, ex qua proindè unione, ac propinquitate, immò unitate Sanctitatis, & gratiæ, tanta oritur sapientissima idiomatum communicatio, ut quidquid de Ecclesia dicitur, totum ad Beatissimam ejus Matrem anhelet; dicamus ergo cum Chrisostomo apud metaphrast. cujus sermone frequenter in divinis officiis utitur Ecclesia, *Ave igitur Mater, cælum, puella, Virgo, Thronus, Ecclesia nostra decus, & gloria, & firmamentum*, talia enim attributa, quæ ut clarum est per se primò conveniunt Virgini Matri, frequenter in Sacris litteris Spiritus Sanctus exaltat, in laudem Sponsæ suæ Ecclesiæ, sic regulam statuens, ut & in cæteris Ecclesiæ laudibus æquè sentiamus, semper laudabilis in æternum Virginis Matris panegirim adumbrari in sensu explicatio. Ita enim innuit Spiritus Sanctus ineffabilem esse tantæ Virginis dignitatem, & gloriam, dum eam, quasi in se incomprehensibilem, sub quodam ejus Symbolo, scilicet Ecclesiæ, quasi abscondit eleganter dum

A celebrat, & revelat. Sed hæc omnia unico verbo: quid mirum, si Ecclesia suas laudes, ut tales sunt, respectu ad Virginem adornet, si in suo toto esse sese Virgini debet?

Ast ne quis miretur, quod dictum est, quod Ecclesia in toto suo esse sese Virgini debet, in quo sensu id dicatur, aperiendum est. In divinis officiis canit Ecclesia: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo*; nonne totum suum esse quisque debet ei, per quem à sui exterminio liberat. Accedit Cyrill. Hierosol. hom. 2. Nestorium ad Virginem dicens: *Tu sceptrum orthodoxæ fidei, Templum indissolubile, Mater, & Virgo per quam, Benedictus qui venit in nomine Domini, in Sanctis Evangeliis nominatur: Per te Trinitas sanctificatur,*
B *per te Crux pretiosa adoratur in toto orbe terrarum, per te omnis Creatura idolorum errore detenta conversa est ad agnitionem veritatis*; & prosequitur omnia Ecclesiæ dona refundens in Virginem: Ita Augustini de nomine Mariæ, & sæpissime Bernard. In quo igitur sensu, & Ecclesia, & PP. loquuntur in eo, & nos, non ea attribuentes Virgini tanquam Auctori, sed tanquam participi eorum Auctoris, ab eoque electæ, ut per ipsam ad nos omnia bona descenderent, qui est sensus Angelici Doctoris 3. p. q. 27. ar. 5. Ideò Albert. Magn. super missus: *Annunciat, B. V. plenitudo gratiæ quæ est virgo, & medium, & causa omnis gratiæ in humanum genus transferendæ, & secundum statum viæ, & secundum statum Patriæ*, Hinc Bernard. apud D. Thom. de Villanova de Nativitate
C *B. Virginis. Tolle solem, quid est in mundo, nisi tenebræ. Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat nisi caligo?*

Secunda ratio, æquè id ipsum concludens, sicut & præcedens non solum de his, quæ in Sacris Litteris dicuntur in commendationem Ecclesiæ, sed de aliis etiam, quæ de anima electa quavis, & Deo dilecta, ac Deum diligente, quod pariter intendebamus usque modo, ea est, quam Patres afferunt communiter, & ex ipsis doctissimè haurit *Jo. Driedo lib. 3. de regulis, & dogmatibus cap. sæpè citato*, cujus sensum dabimus, non omnia verba.

Quæcumque vel sub tropis, & metaphoris, vel etiam apertè, de magnificentia, decore, pulchritudine, & sanctitate Ecclesiæ, aut animæ dilectæ
D in Sacris Litteris dicuntur, ea omnia cum magno fundamento in universis Ecclesiis per universum orbem, gloriosæ Dominæ Virgini, communi sensu, & veritate attribuuntur, ergo unanimi totius Ecclesiæ, ac Patrum consensu, cui secundum Concilium Tridént. Salva Fide refragari nemo potest, verum est, quod non solum analogicè extrinsecè, ac per accommodationem præcisam, sed revera in prædictis semper invenitur intimè sensus propriè respiciens eandem gloriosissimam Virginem Matrem: patet conseq. nam sola accommodatio alicujus textus facta alicui Sancto, ex eo quod intimum sensum non includit respectu ad illum, universaliter fit etiam aliis, & diverso motivo, & variabiliter, ac juxta diversorum devotionem, diversimodè sumitur, quæ verò à tota Ecclesia, de

se

se ipsa dicta, Virgini, unanimi sensu applicantur, in ipsa sola singulariter perpetuò, & invariabiliter sistunt, juxta naturam veritatis ipsius, quæ non potest suscipere magis, & minus, ergo verè in illis reperitur aliquis sensus respiciens eandem Virginem Sanctissimam, & indicans novum quemdam dicendi modum singularem de ipsa, in quo non minus proprius, quam mysticus sensus, ipsam commendans, lacte ejus divino nutritur. Maximè etiam quia, cum idem Spiritus Sanctus sit, & Sacræ Scripturæ Auctor peculiaris, & Ecclesiæ infallibiliter assistens, & ejusdem Virginis comprehensor, non permitteret tam uniformem applicationem, quam Ecclesia propriarum laudum facit ad Virginem, nisi ipse, qui eadem dixit, & utramque hanc regit, ita verè sensisset, ut applicatur; ant. est ipsamet praxis quotidiana, sive ipsum factum, & planè ex hoc ipso, quòd ita fit, & sentitur uniformiter in tota Ecclesia, fundamento infallibili carere non potest; ex mox addicis in probatione consequentiæ.

Si autem quæras quodnam sit hoc fundamentum. Resp. præter jam assignatum in priori ratione, ejusque confirmatione plura adduci posse, quæ brevitas nostra nos cogit invito calamo, qui æternitatem, ubi de tam pretiosa, dignissimaque Virgine agitur, desiderat, conglobare. Primum igitur sit, & notissimum, quia analogum stat pro famosiori, in quo intrinsecè tota ratio analoga reperitur, quæ in aliis extrinsecè vix adhæret. Potissimum autem Ecclesiæ membrum, nemo est qui dubitet esse Virginem Matrem, (caput enim rigorosè non dicitur membrum solum, sed potius fons, principium, & forma totius mystici corporis, ex quo omnis compago membrorum in corpus integrum perfectumque consurgit, & vivit) quæ habet naturaliter majorem cum Christo, Deo homine, capite Ecclesiæ proximitatem (vera enim est ejus Mater) quam quodlibet Ecclesiæ membrum habeat per gratiam, & participationem supernaturalem omnibus accidentariam. *Magnum enim revera miraculum* (ait loco supracitato Chrisostom.) *fuit Beata semper Virgo Maria. Quid namque maius illa, aut illustrius, ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit?* (ubi notabile quod ait, *inveniri poterit?* quod enim superat omne possibile, infinitum quoddam est, ut etiam sensit Angelicus Doctor, de ejus divina maternitate) *hæc sola cœlum, ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa Sanctius? non Prophetæ, non Apostoli &c. non Angeli, non Troni &c.* Isque planè est sensus Chrisostomi, & noster, qui in hac veritate fundatur. Quid ergo in Ecclesia, Deo propinquius Maria, quid illa Sanctius, quid excellentius, imaginabile aut fuit, aut erit in æternum? Hoc igitur primum, hoc potissimum fundamentum est quo ducitur Ecclesia, ad refundendam in Virginem, ut ipsi prius debitam omnem laudem, & gloriam, quam tribuit sibi in Sacris litteris Spiritus Sanctus, quia ipsa principalissimum, & gloriosissimum ejus membrum est modo dicto, de qua mirabiliter verificatur, quòd impossibile judicavit Philosophia, nempe pars

A major est suo toto; si enim hoc totum consideres quoad omnia membra sub capite Christo, jam certissimum est (nemo dubitat, & hactenus probatum est) eam omnium maximam esse; si verò consideres in ordine ad ipsum caput Christum, ipsa uti Mater, & per amorem summum, ita ei unitur, ut cum ipso unum quid quodammodo faciat; ipseque ex dignatione sua se illi subdidit, uti Filium Matri, & sic scribi voluit in Evangelio, & erat subditus illi. Ex quibus planè, plenèque deducitur totam Ecclesiam, ideò, quæ de se in Sacra Scriptura dicuntur, facto fateri, ad Beatissimam Virginem tendere, ipsiusmet Ecclesiæ inde eo major sit gloria, quoplus tantæ Virgini similis, divino ore prædicatur, ut possit de ipsa intelligi, quod dignissimam super omnia sub Deo

B respicit Matrem Christi; in quo aliud etiam attributionis, de qua nunc agimus includitur nobile fundamentum. Sed & alia etiam inde fundamenta consurgunt, quæ breviter, quamvis non omnia, quod impossibile est brevitati, & magis tenuitati nostræ prælibamus.

Secundum: Communis Sanctorum Patrum sententia est, omnia gratiarum dona, ac privilegia, quæ cæteris Dei electis, sive Angelis, sive hominibus liberaliter a Deo per partes distrubuta fuerunt ab initio creaturæ, simul condunata, & cum plenitudine, puræ creaturæ possibili, excellentissimè soli Virgini fuisse concessa, ut nedum asseruit, sed & supposuit Gabriel, Lucæ c. pr. salutans Virginem omnium gratiarum plenitudi-

C nis nomine, Ave gratia plena, ac si idem esset Maria, ac gratia plena, cujus esse est habere Dominum secum, ut quod privilegium est præmii, scilicet beatitudinis, esset significatio meriti Virginis, ne vel ipsa beatitudo gloriaretur, se aliquid esse super gratiam Virginis adhuc viatricis, quinimmò ad eam ut veniret, ipse ultimus finis se se fecit viatorem, & virtus ipsa Altissimi, ut corpus immaculatum ejus, se numquam deservisse convinceret, umbram ejusdem Virginis se esse fassa est, eandemque consequenter inferri voluit, uti quoddam corpus esse virtutis Altissimi; quem sensum præter Archangelum Gabrielem, ideoquè & Evangelium, ac cæteros Patres omnes, ideoque totam Dei Ecclesiam, devotissima magnificat eloquentia, passim Bernard. ac specialiter super

D missus est, ac super magnificat, quod quia notissimum est, fas est supponere.

Et ex hoc plane sequitur, quòd idem Bernard. cæterique concludunt, quod quia congregationes gratiarum fecit Deus Mariam, magis quam aquarum, maria; sicut omnia flumina intrant in Mare, & ipsum non redundat, & ad mare uti ad perfectum fontem, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum inde fluant, & iterum redeant, ita plenissimam gratiarum omnium constituit Mariam ut ex ipsa, & per ipsam ad nostram replendam parvitatem, aliqua participatione descendant, iterum ad gloriam ejus reversuræ trahentes ad ipsam mentem, cor, & ad perennem ejus amorem, ac laudem, linguam, & vitam nostram: sic enim eam dicavit, & replevit, ut de plenitudine ejus

reci-

stupiant universi, & qui præcesserunt, & nati natorum, & qui nascentur ab illis; sic fecit, qui omnia nos habere voluit per Mariam.

Si ergo ita est, ut æquè certissimum, & notissimum est, jam patet evidenter, quid sequitur pertinens ad rem nostram; si enim, ut paucis cuncta perstringamus, in Maria simul, & ab ipsa, & per ipsam, & ad ipsam omnis gratia, & virtus, quæ est in tota Ecclesia, & in singulis membris ejus sparsim; si omnis gloria & sensus laudis, est, vel proprietas, vel umbra virtutis, quæ ut vera sit, ex gratia est, ergo quidquid laudis, & gloriæ de Ecclesia celebrat Scriptura, respectum nutrit, quo prius respicit Virginem, uti fontem, & compendium, ex quo idemmet derivatur in Ecclesiam. Hæc autem fundamenta, & cætera plura, optimo gustu prælibat, & breviter exornat, aliquas ex Scripturis laudes Ecclesiæ ad Virginem ducens ex SS. Patribus Jo: Driedo loco supra citato in hunc ferè modum.

Opera pratium, inquit, est advertere, quod quæ sub tropis, & metaphoris, aut etiam apertè, de magnificentia, decore, pulcritudine, & Sanctitate Ecclesiæ, in Sacris litteris dicuntur, ea omnia in universis Ecclesiis per universum orbem, gloriosæ Dominæ Virgini, meritò attribuuntur, propterea quòd inter omnia Ecclesiæ membra sit excellentissima, cui totum est collatum, quidquid gratiæ cæteris membris per partes est distributum. Ipsa est Virgo, & ut talis, primum naturaliter sterilis, deinde, & Virgo simul, & Mater fæcunda, pariens Filium, in quo benedicuntur omnes Gentes. Ipsa est, per quam Ecclesia habuit, quidquid boni habuit, dum ipsa Virginitatis gloria permanente, huic mundo in tenebris sedenti, lumen effudit æternum, ipsa est vita nostra Genetrix, mater salutis nostræ, mater misericordiæ, matter Paradisi, quippe quæ edidit nobis Christum, qui est vita, salus, misericordia, Redemptio, & justitia nostra, per quem salvati glorificamur. Ipsa est propter quam solam ad Ecclesiam in hac vita dictum est. Ecce tu pulcra es amica mea, & macula non est in te: ipsa sola mulier est plena gratiarum, inter omnes, & super omnes mulieres benedicta, & gratiæ inventrix: Angelo attestante, Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu, invenisti gratiam apud Deum; quia enim apud Deum semper fuit, invenit gratiam pro nobis, quam nobis perdidit Eva, dedit nobis Eva pomum de ligno mortis, comedimus, & mortui omnes facti sumus; Maria dedit nobis fructum de radice Jesse, fructum ventris sui Jesum, comedimus, & factum est dulce super mel ori nostro. Oh vita, oh dulcis, Virgo Maria. Hinc Sancti Patres appellaverunt illam mediatricem nostram, non quia nos ipsa primum Deo Patri reconciliaverit, & redemerit, sed quia per ipsam primum primus, & verus mediator venit in Mundum, & quia in adventu ejusdem, ipse in illa incarnatus, factus quasi pars illius, cum ipsa non ponebat in numero, & exinde per ipsam Jesus prodiit, & misericordia in universum genus humanum, ac denique quia cum inimici essemus Deo, ipsa invenit gratiam apud Dominum, illamque largita est, & ne tantum opus pereat, Advocata nostra semper est apud Filium suum Jesum, qui salis est apud

A *Patrem; Hinc ergo Ecclesia omnis, quidquid sibi laudis donatum est a Spiritu Sancto, in ipsa primum, & formaliter, & fontaliter agnoscens, de illa in veritate sensus proprii divinæ locutionis deprædicat. Stat ergò Spiritum Sanctum verè loqui de Maria, cum appellat Ecclesiam, arcam sanctificationis, tabernaculum Dei, Domum Dei, Civitatem Dei, hortum conclusum, fontem signatum, unicam suam, amicam, Sponsam, columbam electam, quæ consurgit quasi aurora, ascenditque per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus mirrhæ, & thuris, deliciis affluens, innixa super dilectum suum*, cæteraque plurima similia conglomerat attributa in Canticis Canticorum, ac Psalmis, cæterisque epithalamiis Sacræ

B Scripturæ. Cum autem & conclusio, & probationes praxi confirmante tam clarè procedant, ad ulteriora vocati hic sistimus.

ARTICULUS IV.

Appendix duplicem, ex præcedenti inferens consequentiam, servata semper explicatione Conclusionis.

Quidquid de Beatissima sapientiæ Matre dici potest, nonnisi principium est semper inferens plura ejusdem præconia, ex quibus iterum plurima pullulent, & numquam satis. Conabimur ergò pro præsenti angustia, duo tantum afferre potius quam inferre, quæ ex prædictis

C priori articulo suaptè nascuntur. Primum est: plurima, seu melius omnia, quæ in Psalmis, Proverbiis, & Ecclesiastico leguntur de æterna Patris Sapientia, & ex qua parte in Ecclesiam redundant, & magis secundum se, aliquem modo dicto habent sensum, & respectum ad Sanctissimam ejusdem Divinæ Sapientiæ Matrem, hac admissa disparitate, quod elogia Ecclesiæ, vel prius, vel æquè prius in sensu aliquo Mariam respiciunt, quam Ecclesiam, quæ verò directè de Divina Sapientia proferuntur, prius Dei Filium respiciunt, at per ipsum transeundo ad beatissimam ejus Matrem, qua nulla creatura illi proximior est, intima veritate pertingunt; hæc exceptio, seu disparitas supposita fide, evidens est. Illatio verò, cuique probata manebit, qui priora respiciat, &

D applicet ad præsens, ut clarum est.

Nam, quæ de Ecclesia in Sacris Scripturis, in laudem proferuntur, & gloriam, ideò in aliquo sensu respiciunt, tangunt, & extollunt Virginem Matrem Dei, primò quia relatio Ecclesiæ ad Christum caput suum completur per respectum simul ad Virginem, ex qua homo factus, id accipere dignatus est, per quod caput esset Ecclesiæ. Secundò quia Ecclesia immediatè respicit, ut propriam Matrem eandem Dei hominis Genitricem. Tertiò quia principalissimum Ecclesiæ membrum, quodammodo absorbens dignitatem totius, cujus est fons, & origo, certissimè est (sub capite Christo) hæc celeberima, & incomparabilis Virgo. Quartò, quia eadem Ecclesia justitiæ cultrix, suæque gloriæ zelatrix, ab eodem Spiritu Sancto recta, qui

qui est specialissimus Auctor Scripturæ, ne quid auferat Virgini, a qua totum habet, neve quid, vel minimum diminuat sibi, celebrat quotidiè tamquam dicta de Virgine, quæ de se dicta sunt, ergo (servata semper prætupposita disparitate) etiam ea, quæ de Divina sapientia commendantur in Sacris Litteris, ad Matrem Sapientiæ, sapientissimam Virginem, intimè, justeque respiciunt; ipsissimæ enim militant utrobique rationes: quæ enim major relatio, quam Matris ad Filium, quæ fundatur in propriæ communicatione naturæ? quæ quidem in omnibus prima relatio est, sed in Virgine Dei Matre, infinito quodam excessu, longè magis quam in cæteris quibuscumque generationibus mirabiliter effulget: Mater hominis puri communicat Filio, ministerio suo, ut vult D. Thomas, passivo naturam humanam, sed nec sola propterea id præstat, nec rigorosè communicat, quia Filius ante eam non est, & primum esse ex nihilo habet a Deo, qui formam, idest animam rationalem subsistentem ereando, producit. At Beatissima Virgo in Christi conceptione, sola absque creato consortio, ipsi humanæ naturæ vindicavit communicationem, nedum passivè, sed & per intimam consensus sui, & fidei, & humilitatis operationem, quippequæ Virginitate placuit, teste Bernard., cæterisque Patribus, sed fide, & humilitate concepit, ideoquè & activè moraliter, & quidem humanam communicavit naturam, non nihilo, sed Dei vero substantiali, & æterno Filio, qui eam, omnemque creaturam præcesserat in æternum, quique suppositum suum exhibuit, cui Maria communicaret humanam naturam ineffabili semper modo, creata quidem anima, at non animæ subsistentia, quam divina relativa supplevit, ideoque Maternitas Virginis terminata est ad eundem suppositalem terminum; licet diverso modo, & mediatè, ad quem divina Paternitas, superaddita insuper in unitatem suppositi divini humana natura. Singularis prorsus maternitas hominis Dei, quam verà Fides adorare magis, quam comprehendere se posse gloriatur. Si ergo tanta Maternitas, tanta relatio, tam insuperabilis, & æterna propinquitas Mariæ ad substantialem sapientiam, ipsum partum Patris Æterni, æternum, in re ipsa fuit, & est, si tanta ad Verbum Dei Deum; quommodo non tanta erit in voce, in laudibus ejusdem sapientiæ, ut quæ ipsi attribuuntur, non sapiant Matrem ejus? Idem Spiritus Sanctus, & Virginem sua obumbrante virtute, Matrem fecit Verbi Dei substantialis, & Sacræ Scripturæ verba conscripsit, quibus Filium Virginis, Dei sapientiam commendaret, divinos conceptus humana quodammodo vestiens voce, celebraturus in qualibet voce Sacræ Scripturæ juxta mentem Seraphici, quamdam veluti umbram Virginalis generationis, qua ipsa conceptum Patris verà carne vestivit; hæc nova est relatio Verborum Scripturę Sacrę ad Virginem, ut tota eam respiciat, ergo ne ubi Filium ejus describit, sapientiam scilicet Dei, ejus Matrem ibi speciali sensu non attinget? Quidquid igitur de relatione Ecclesię ad Virginem, & excellentiam ejus, quovis modo allatum

A in priori articulo, laudes Ecclesię attraxit ad Virginem, totum illud, & quidem nervosius, a fortiori concludit, etiam laudes divinę sapientię prolatas a Spiritu Sancto, ad Virginem, Sapientię ejusdem Matrem, speciali sensu respicere, quin plura iterum cumulemus argumenta. Quodsi precedens articulus intentum suadebat, ea peculiari ratione, qua & Fides fundatur, quia nempe omnes Ecclesię, ideoque, & ipsa omnium fidelium Ecclesia, numquam interrupta praxi, & speciali modo ad Beatissimam Virginem vocat, omnia de semet in Sacris Litteris celebrata pręconia, ergo cum eadem Ecclesia pari universalitate, sensu, & praxi, sicut quotidie tota exultatione celebramus, de Beatissima Virgine, ea ferè omnia absque ulla hęsitatione decantet, quę de divina sapientia aper-
B tissimè scripta esse ex eadem Scriptura cognoscimus, jam ęquè convincimur, hęc etiam testimonia in se ipsis sensum, & respectum ad eam nutrire, quę divinę ipsius sapientię, & Mater fuit, & nutrix secundum Fidem.

Quamvis autem hæc revera illatio sit, non tamen caret speciali ratione, ab his, quæ in præcedenti articulo dicebantur, quæ in se plurimas comprehendit, etsi breviter tantum proponatur, sic; nulla major similitudo est, quam ea, quam facit natura ad propriam etiam in pluribus servandam unitatem, eaque summè resplendet inter genitos, ac gignentes, indeque est, ut & nomen, sive agnomen idem sit, & stirpis, & prolis, eædemque divitiæ, nam eas Patres debent Filiis, & Fi-
C lii carentes prole, Patribus ex necessitate naturæ, quæ necessarios eos invicem facit hæredes, etiam excluso Testamento, ex ultima, ac prima simul voluntate naturæ, aut potius justissimi proprii Auctoris, ergo multò magis hoc erit, ubi similitudo ea reperitur, quam & natura facit simul, & gratia elevans, perficiensque naturam, trahensque ad ordinem, & naturæ, & gratiæ impertransibilem, scilicet hipostaticum, sicut factum est singulariter, in unica Virgine, Matre verissima hominis Dei, divinæ scilicet substantialis sapientiæ, quam similitudinem, quia tanta est, & non habet exemplum, describere, & ipsius jura recensere, nos qui Deum pro nunc non comprehendimus, nequire gloriamur. Hoc ergo dumtaxat concludimus, omni jure, simul & naturali, & gentium,
D ac multò magis divino, & hipostatico, agnomina Filii Dei, qualia sunt laudes divinæ sapientiæ in Sacris litteris recensitæ, Matri veracissimæ ejusdem divinæ sapientiæ, sine hæsitatione per Testamentum, & vetus, & novum perpetuò deberi, quæ deberentur etiam ab intestato, idest ab æterno. Thesauros enim gratiæ, & gloriæ, eadem ratione illi debitos, ac cumulatissimè redditos scrutari, nisi hebetudinem nostram beata depuret, ac revelet æternitas, ut intimis totius animæ votis anhelamus, heù hic non valemus. Canat ergo, & mens fidelis, & tota simul Ecclesia, Matri divinæ sapientiæ, canat, & intelligat agnomina quædam esse Mariæ, & quamdam veluti generationis ejus historiam, ac diminutum licet inventarium hæreditatis suæ æternæ, sapientiæ divinæ attributa,

buta, encomia, quæ Spiritus Sanctus, & se Virgini debere voluit, cum eam fecit Dei fæcundam, & ei reddidit, cum eam facundia sua, in divinę sapientiæ descriptione, descripsit. Impertransibile quid jam attigimus, ergo quid plura?

Secunda Illatio., Virginis Beatissimæ Immaculata conceptio.

EX dictis igitur toto articulo precedenti, immò & præsenti apertè sequitur totaliter Immaculata Genetricis Dei conceptio, immunitatis, & gratiæ singularitate celeberima. Evidens hæc illatio est, attamen ut clarius effulgeat, cum distinctione procedendum est, eam prius ennascentem ex laudibus Ecclesiæ practicè suspiciendo, ac postmodum, ut ex encomiis divinę sapientiæ reflectitur, inspiciendo. Nunc breviter quoad primum.

Inter plurima, quibus divinæ scatent litteræ, Ecclesiæ præconia illud certissimè primas obtinet, quod resonat Canticorum c. 4. cum ad eam dulciter clamat ipsius sponsus: tota pulcra es amica mea, & macula non est in te, veni de Lybano Sponsa mea, veni de Lybano, veni coronaberis, idque expressius cap. 5. Aperi mihi amica mea, columba mea, Immaculata mea. Quod de Ecclesia exponens Apostolus ad Ephe. c. 5. Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, & tradidit se ipsum pro ea, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit Sancta, & Immaculata &c. si ergò quidquid commendat Ecclesiam in Sacra Scriptura, sensum habet, & respectum ad Virginem, ita ut excellentius Mariæ conveniat, quam Ecclesiæ, ergo totam esse amicam Dei, omni totalitate, & temporis, & rei, & veritatis, esse immaculata omninò, & in initio sui adhuc objectivi esse, ante omne Ecclesiæ membrum adhuc primum, ut fuit Adam, & cum ipso, & post ipsum, per solam a Deo dependentiam, ejusdemque exemplificationem (aliter enim, nec immaculata esse posset, quæ aliqualiter, & vel imaginabiliter maculata fuisset) prius, & excellentius convenit Mariæ adhuc in sua vel remota, vel proxima conceptione, & esse quam Ecclesiæ.

Confirm. certè Ecclesia, pro nunc, licet in unitate fidei, gratiæ, Sacramentorum; & ablutione sanguinis Jesu Christi perfectissima, & mundissima sit, ut in Symbolo fidei profitemur, Unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, attamen sumpta prout est verè corpus mysticum, ex pluribus membris, quibus in suo esse, & integritate componitur, non potest dici absolutè immaculata; continet enim bonos, & malos, Virgines prudentes, & fatuas; pisces bonos, & reprobatos, ut passim docemur in Evangelio, & praxi; cumque bonum sit ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, immaculata in hoc sensu dici nequit; quomodo ergo, & elogium Sponsi, & expositio Apostoli verificetur, nisi dicamus hoc elogium prius ad Mariam Virginem semper Immaculatum dirigi, quam ad Ecclesiam? si enim quòd absit, eandem exceptionem, & in Virgine concederemus, & in Ecclesia, jam in quo verificaretur adamussim hujscemodi elogium, nihil esset. Adde non frustrà Apostolum tam subtiliter immaculatam suam descripsisse dicendo, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; certè hoc esse taliter immaculatum, hic non dicitur de Christo, qui hic ponitur tamquam elector, & amator immaculatæ, dicitur ergo de Ecclesia, cujus caput ipse Christus, nec macula, aut ruga notatur in capite, sed macula observari solet in facie, & ruga in fronte; loquitur ergò de facie, & de fronte Ecclesiæ, quæ planè est ipsa Beatissima Virgo, primum membrum Ecclesiæ unitissimum capiti, quale est frons, & facies, & verè talis, nam per has partes unusquisque cognoscitur, & per Virginem Christus se ostendebat, appellans se ipsum Filium hominis, nempe Virginis Matris, ut cognito per illam immaculatam omninò, immaculato, & divino capite, immaculatum totum corpus dici posset Ecclesiæ suæ, ut hoc loco Apostolus. Ipsa ergo verissimè semper immaculata, nullam habens maculam, neque originis suæ; facies enim erat capitis Christi ad ipsum originata, non capitis Adami abscondita a facie Dei; aut rugam, quia frons erat Adami de cœlo cęlestis, non enim in ea sudor fuit, aut dolor, dum vesceretur, immò invisceraretur pane suo, scilicet Christo, qui ait, ego sum panis vivus, qui de cęlo descendi, eumque sine dolore, & sudore exhibuit toti Ecclesiæ, ubi frons Adæ juxta Dei sententiam, dum in labore, & dolore suo vescitur pane suo, sudore liquescit, & ex sudore exusta, rugas contrahit senectutis veteris hominis, aut aliquid hujusmodi, per quod vel minimum quid, simile maculæ, aut rugæ a tali excluditur facie, & fronte; distinguit ergo, sic Apostolus esse immaculatum, in hoc quòd est carere macula, quòd est nec peccasse in alio, carere ruga (quæ est quædam pellis contractio, & vetustas) quòd est neque extrinsecè adumbratam esse veteris hominis contracto lineamento, aut vestigio: & non habere vel aliquid hujusmodi, quòd est carere omni debito maculam habendi; tale enim debitum, eo ipso reddit injustum, & maximè maculatum, quia quòd aliquis sit injustus, parcitur fragilitati hominis, quod verò ipsi debeatur esse injustum, est quædam exigentia iniquitatis, peccato quasi pejor; siquidem peccato non debetur esse peccatum, cum sit contra inclinationem naturæ rationalis, sed potius destrui per pęnam. Ad Virginem igitur totaliter immaculatam, & respexit directè sponsus in Canticis loco citato, & Apostolus in subtili hac descriptione ad Eph. c. 5. Nec dubitamus quòd ad hunc sensum inclinet *Angelicus Doctor*, & nunc in cęlis revelata facie, faciem hanc, & frontem immaculatam contemplans, & olim saltem in ratione, quam veritati huic ministravit. Ait enim loco præsenti c. 5. *ad Eph. lec.* 8. explicans sensum verborum Apostoli; *quasi dicat Apostolus, indecens est, quod immaculatus sponsus, sponsam ducat maculatam, & ideò sibi eam exhibet immaculatam, hic per gratiam, sed in futu-*

ro per gloriam, unde dicit gloriosam, scilicet per claritatem animæ, & corporis &c. Inferat ergo qui vel minimo pollet rationis lumine; indecens est quod Immaculatus sponsus sponsam ducat maculatam, ergò multo magis indecens, & opprobriosum est, quod Filius immaculatus in æternum, Matrem eligat aliquando maculatam. Certè a Matre filius naturam sumit, substantiam, & similitudinem in esse, immò & inclinationes sanguini congenitas, ut idem D. Tom. in ad Rom. c. 5., & vel nobilitatem, vel ignominiam sponsæ dat, ab ea non accipit; Matri subditur naturaliter, sponsæ præest, eamque regit: unum quidem fit cum sponsa, sed prius unum est cum Matre, a qua fit. Denique ordinat natura propinquitatem, quam habet sponsus cum sponsa, ad unitatem, quam Filius habet cum Matre, ergo incomparabiliter magis indecens est Deo, Matrem sibi, quam sponsam eligere maculatam; quandoquidem maculam sponsæ, sua operit sponsus mundat exornat dignitate, ea enim accidens quoddam ammovibile, & extrinsecum sponso est, & ubi ejus merito, & splendore deletur, gloriam magnificat sponsi; si verò Mater maculosa sit, macula ipsius invadente primam primigeniamque substantiam, etsi dignitate filii infinita deleatur, semper tamen verum est Filium, ex substantia aliquando maculata propriam traxisse, quòd ex proprio conceptu nequit accidens esse. Stat ergò evidens illatio, indecens est Deo sponsam, quę moraliter talis est, habere maculatam, ergò summè indecens est Deo Matrem (quæ naturaliter talis est) sibi eligere maculatam: porrò quid sit attribuere Deo id, quod summè Deo indecens est, & tale esse probatur, ex ipsis dissentientium principiis, ac naturali, cui omnes stare tenentur ratione, quid inquam hoc sit, nobis, qui a censura quavis, in controversia præsenti, summorum Pontificum decretis arcemur, proferre non licet. Hęc sunt sincerę nostrę rationis, cui devotio ipsa deservit, argumenta, quibus adequata solutione respondere, quis, quidve possit, nos feliciter latet, ideoque, quousque oppositum ęquali claritate rationis non edoceamur, quòd impossibile moraliter judicamus, non recedemus.

Et quidem contra illationem pręsentem contradictores nihil opponunt; rationes autem subnexas arduum fatentur diruere, stare tamen contra ipsum consequens (non consequentiam) putant, quæ in Sacris litteris, de generali peccati originalis in totam Adę posteritatem effluxu, testimonia communiter proferuntur, asseverant; quem effluxum in sola Virgine cessisse Script. non docet, habemus *ad Rom. c. 13. per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, & Psal. 13. omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, & alibi similia.

Sed veritas non pavet: dum probamus per Scripturam, Virginem immaculatam omninò esse dicere, quod effluxum peccati originalis in sola Virgine cessisse Scriptura non docet, videtur petitio principii: veneramur dictum Apostoli, & Psalmi-

A stæ; Sed novum non est, quod locus aliquis Scripturæ per alium explicetur, cum certissimum sit, quod sibi prima veritas non contradicit; ideò enim non in unam dumtaxat, aut pericopen, aut orationem, aut librum, totum Verbum Dei scriptum coarctatum est, ne alteri loco per alterum deesset intelligentia. Si ubi agitur de omnibus, nemo excipiendus est, cur miratur Isaias: dicens, *novum fecit Dominus super terram, fæmina circumdabit virum*, cum dicat sapiens, *nihil sub sole novum*; si omnes natura nascimur filii iræ, cur de illo, qui factus est in similitudinem carnis peccati, & humanam verè assumpsit naturam, dictum est, *Luc. cap. 1. quòd enim ex te nascetur sanctum vocabitur, Filius Dei*. Si ergo Immaculatam dicit Vir-

B ginem locis supra explicatis Scriptura, quo jure eam inter omnes comprehendis, in quo omnes peccaverunt, quę sic excipitur? At quia ad locum Apostoli alias, & quidem pluries, satis responsum est, & explicatus sincerè illius sensus, ne eadem pluries repetamus: nunc solum remanet ut locum Psal. 13. prælibemus. Canit igitur ibi David: *omnes declinaverunt*, quod quidem attento quod sequitur, *simul inutiles facti sunt*, aptissimè intelligitur de peccato originali; quòd omnes in uno perpetravimus simul; non enim de alio peccato constat, quòd illud omnes incurrerint simul, & per illud simul inutiles facti fuerint, nisi de peccato originali, per quod (phrasi Bernar. utemur) & fędati, & expoliati, & vulnerati sumus, adeoque debiles & inutiles, ut surgere nequaquam pos-

C semus, nisi misisset Deus manum suam Filium suum de alto, ut nos elevaret, trahens ad se omnia, cum elevaretur in cruce.

Libenter ergo concedimus hoc dictum esse de peccato originali, sicut tenet communior expositio, & locus exigit, ut statim patebit, & quidem ly omnes stat universaliter, sed ex contextu ipso docemur, & quę sit hęc universalitas hoc loco, & qualiter intelligi debeat, etiam in loco Apostoli, & aliis similibus, ubi agitur vel directè, vel etiam indirectè de peccato originali; Oh verè fidelis veritas! subdit enim; non est qui faciat bonum; ex peccato ergo actuali, vel commissionis, vel omissionis deducit Psalmista, quinam sint hi omnes, qui originale, & simul, incurrerint; est enim connaturalis quędam sequela, quòd ammissa justi-

D tia originali rebellet concupiscentia, & vires debilitatę succombant, & ex hoc concupiscentia concipiat, & pariat peccatum, & hoc consumatum generet mortem: originalis culpa labens, declinatio fuit, lapsus verò est, actualis, cum ergò de Fide sit, quod Beatissima Virgo sola post Christum, careat omni peccato personali, sive actuali, ut notissimum est ex Concilio Tridentino, & norunt omnes Christiani. Ly omnes simul, ipsam non tangit, quod tamen ex sensu expresso Psalmistę eos includit, qui personaliter a bono declinant, utrique privativè; *non est qui faciat bonum*, clarissimus est discursus, innegabilis consequentia.

Sed dices, immò ex hoc textu potius concluditur oppositum, subdit siquidem, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, utique Christum

stum unum dumtaxat, ut omnes intelligunt), ergo ly omnes, includit omnes, & singulos, solo Christo excepto.

Hec tamen objectio quoad beatam Virginem, se ipsam tollit, argue: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: hoc de peccato actuali, seu personali evidenter dicitur, ergo omnes, & singuli preter solum Christum, commiserunt proprium aliquod peccatum, ideoque, & Maria. Absit, sile, nego consequentiam, anathema sit, dicit Tridentinum, Maria numquam peccavit personaliter: non stat igitur cum Fide, quod ly omnes simul usque ad unum tangat Mariam in consequenti, quis ergo rectę mentis, saltem rectitudine logicali dicat, tangit Mariam in antecedenti? tenemur igitur omnes Fideles, qua fide, & Sacram Scripturam profitemur in sensu vero, ac totius Ecclesię, & Concilii Ecumenici auctoritatem veneramur, asserere, quod ly omnes, ubi de peccato quovis agitur, non tangit Beatissimam Dei Genetricem, & quod illa restrictio, *usque ad unum*, includit cum Christo ejus Matrem, omnes inquam, tenemur, vel ceca fide sic asserere, vel querere rationem, & modum, quare, & quomodo hoc unum sint Christus, & Beatissima ejus Mater. Et quidem si audere licet obsequio veritatis, obliviscamur inopię mentis nostrę, suppleat opulentissima veritas: dicamus.

Non ponit in numero cum Filio suo Sanctissima Virgo quantum ad præsens, tum quia ut alibi ostendimus, principium quoddam fuit ordinis hypostatici, qui & unus est, & debet esse perfectus, & in nullo deficere, ne secum vel minimam trahat umbram ejus, ad quod destruendum (scilicet peccati regnum) Filius Dei Redemptor immaculatus advenit; ideoque hujus ordinis terminis, & meritis, non verò oppositis hoc initium regebatur. Tum ob relationem similitudinis inter Christum, & Beatissimam Virginem, constat autem, quod similitudo, unitas quædam est, & quando est in substantia facit unum, immò & idem, teste Philosopho cap. de relatione, unum in substantia facit idem, in qualitate facit simile. Sed ne protendamur ad infinita mysteria, hoc solum placet advertere, ad quod feliciter arctamur, ex præsenti objectione, per quod elucescat id ipsum, quod de unitate meditamur. Non est, inquit, David, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, ex qua secunda parte regulatur prima, quæ est de peccato originali. Clarè in hoc demonstrat, & quod dicit, & quod dicimus, quis non videat?

Sed iterum queris, quid est hoc unum? Breviter dicamus, Christus est Filius Virginis, ergo terminus Relationis Matris; idem qui (licet diverso modo) terminans Relationem Patris dicit, ego & Pater unum sumus, terminans Relationem Matris, dicit quodammodò, ego & Mater unum sumus. Ast quodammodo unum Christus & Virgo? Resp. Petr. Dam. serm. 6. de Nativ. B. V. Cum Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem, quia idem est quod ipsa. Resp. Bernar. A. hom. 3. super missus, Cum sit Deus in omnibus Sanctis per concordiam voluntatis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua, Virginisq; substantia, unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, qui & si nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo Filii, sed unus utriusque filius. Resp. Athanas., & Ansel., apud P. Ang. Paciuch., Excitat. 16. notando, quod Christus in Cruce commendavit Patri spiritum suum, nomine autem Spiritus sui commendabat Patri dulcissimam Matrem, & Ecclesiam; at si omnes nuncupat Spiritum suum, quanto magis Matrem, quam immensè diligit super omnes, cumqua quamdam carnis, & B spiritus identitatem sortitur. Patet ergò ex mente Patrum, quommodò unum sint Christus, & Virgo, & quid sit, ego & Mater unum sumus. Nec frustra putandum est, supra hoc eodem Psalmo dixisse David, *Dominus de cælo respexit super Filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum*, quod idem est, ac si diceret, ut videat si est, qui faciat bonum, & ad hoc quasi respondet, *non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*, nempe inter Filios hominum, unus Filius hominis, ille utique, qui sic se dicebat, ut secum commemoraret, & Matrem, ubi agebatur de totali exceptione a malo actuali, ex qua deducitur singularis exceptio ab originali. Per parentes ad Filios traducitur infectio originalis, in qua comprehenduntur, & homines, & C filii hominum, qui sic propterea dicuntur, quia in hoc, unum sunt; ergo ubi alia texitur, immò incipit origo illibatæ innocentiæ, & sanctitatis, in ea filius hominis singularis, & homo singularissima Virgo, cujus idem est filius, unum sunt, a pluralitate utique segregati, ut unum sint singularissimum initium innocentiæ. Ad quid, & quommodò labem haberet Mater, quæ ex natura sua Matrem inficere solet in se, & ut eam ipsa communicet? Filius ei ab æterno paratus fuit, qui labis incapax fuit.

At dices, non quidem ut communicaret Filio incapaci labem sensit Mater, sed quia ipsa capax ejus erat, ut Filia hominum, a Patribus suis recipiendi, quod ipsi ex eadem ratione a suis receperant, sic regrediendo per resolutionem usque ad primum D hominem, qui pro omnibus peccaverat unus.

Responsum tamen fuit alibi, & plusquam semel huic instantiæ, quod si regrediendum est in via peccati, per resolutionem, ergo saltem in via innocentiæ regrediendum est a Filio unico Deo, ad Virginem Matrem; ne sterilis omninò sit sanctitas, ubi tam fecunda iniquitas: dispar omninò est ratio trivialis; cum tempore fluit aliorum generatio, Filius Virginis ęternus est, Matrem sibi ipse psalmavit dignam se, & qui supra vires omnes naturæ, eam voluit Virginem simul, & Matrem; contra omnes vires etiam nequitiæ eam voluit ab hominibus infectis naturam trahere, non infectionem; si ut id concedat adversarius petit assignari in Scriptura simile exemplum, assignet

ipse exemplum Virginis Matris, quod de fide tenetur asserere; assignet exemplum Matris Dei alterius, quæ fuerit infecta prima culpa; Certè aliud simile, aliud exemplum, vel exemplar non habuit Mater Filii æterni, hominis Dei, nisi ipsum Filium, ad quem facta est. Ab hoc Filio incipit hic ordo, qui ex vi sua, cum relativus sit, comprehendit & Matrem, qua ratione, & se dixit novissimum, & primum: ego principium, & finis, & ille se ac Matre humilima, sic erunt novissimi primi. Et hoc totum ipsa asserere videtur Ecclesia, quæ in festo Præsentationis ad Virginem canit: sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo, ita simul concludens, & nullum quærendum esse exemplum hujus exemptionis, & solum Christum fuisse exemplar Virginis Matris.

Sed adhuc David insistit, eodem Psal. 13. & ne quis eum fortè in hoc Psalmo, alio respexisse suspicetur, quam quo, & nos respeximus assignat de qua, & quare, singularissimam hanc adstruat exceptionem, in eo, quod dicit, non est usque ad unum, & subdit, quoniam Dominus in generatione justa est: quæ est hæc generatio justa? in qua est Dominus, non servus, Dominus Deus, qui solus Dominus, non Adam servus, qui cum innocentia, & Dominium, & Dominum simul perdidit, & cum suis simul inutilis, & inops factus est, ideoque & infelix ejus consilium divinitatem ambiens confusum est, consilium, inquit David, consilium inopis confudistis; quænam est hæc generatio justa, in qua est Dominus? utique Mariæ conceptio, nam etiam in philosophico, & naturali rigore, vera generatio conceptio est, hac nulla justior, aut re, aut mente concipi potest: justitia in hoc consistit, quod tribuatur unicuique quod suum est, patet in omni schola, imò & lumine naturæ: Aliæ generationes, dant hominem peccato, quod est avversio a Deo omnium Domino, ergo non sunt justæ; concedit consequentiam idemmet David Psalm. 50. Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea; dedit generatio, sive melius conceptio Sanctiss. Mariæ, dedit Matrem suam Deo; quid justius, quid magis proprium Filio, quam Mater? & quidem, Filius enim jam erat, quia æternus, & ipsi debebatur Mater sua, qui Filius jam erat Patris æterni, implicat ergò in terminis, & quod sit generatio justa, & injusta, justa planè indubitanter, quia dat Filio Matrem suam, quam ipse possedit in initio viarum suarum, idest omnium creaturarum, at maximè injusta, si daret peccatricem, hoc enim esset dare Filiam peccato, non Matrem Deo; dare simul, & auferre, vel magis auferre, quam dare, suam Deo; si ergo justa, ergo immaculata, ergo ea sola, in qua est Dominus, & non Adam, de qua hic dicitur, quoniam Dominus in generatione justa est; antequam Virgo conciperetur, cum enim, & concipiebat æternitas, & tempora mediebantur, jam verum erat; quoniam Dominus in generatione hac justa est, ut clarum esset, quod prius immaculata in Mente Dei Maria, quam concepta in proprio esse, ac si quodammodo hæc ejus esset modalitas essentialis,

A ut Mater Dei est; primum enim, quod in re aliqua concipitur est de ejus essentia, & hoc quidem intellige juxta communem omnis scholæ definitionem, qua describitur ens nominale, sive essentia præcisa, quod est id, cui competit esse; Matri enim Dei sub hoc conceptu in statu essentiæ prius competebat mulierem immaculatam esse, quam esse hanc mulierem, sicut nobis prius convenit maculatos esse, quam absolutè esse, quippe qui priusquam essemus in esse physico, eramus jam maculati moraliter peccato alterius; id autem obiter dictum sit, ut intelligatur profunditas Davidici sensus, dum ex tunc, quando adhuc Virgo in esse physico non erat, de ea canebat, quoniam Dominus in generatione justa est; quod si adhuc dubitas, an caneret de ea signatè, & singulari- **B** ter, lege Evangelium, consule Archangelum, Lucæ cap. 1. Ave, inquit, Maria, jam notum est, Maria idem est apud Hebræos ac Domina; porrò quis nesciat, Domina, a Domino dicitur, nempe quia Dominus in generatione justa est, illam Dominam facit, unde & ipse subdit, gratia plena, idest plenè Domina, plena Domino. Quid est peccatum originale? per se primò privatio gratiæ originalis, ita omnes Theologi, ergo est vacuitas ipsa gratiæ; si ergo peccatum aliquando verum fuit de Virgine, jam numquam plena, quia illud signum, in quo vacua, plenitudinem impedit in perpetuum; de hoc alias diximus, pergat ergo Gabriel, & explicet, quid est Maria, quid Domina, quid gratia plena, subdit statim, Do- **C** minus tecum, Echus hæc est David canentis, quoniam Dominus in generatione justa est; eadem semper insonat veritas, & antequam Maria fieret, canente David, & postquam facta est, salutante Archangelo; idem hæc omnia sonant, semper immaculata, Dominus tecum, ex quo in generatione ejus justa fuit, numquam discessit; Dominus tecum. Si parum est Gabrielis testimonium, interroga ipsam Sapientiæ Matrem, ipsa respondet, beatam me dicent omnes generationes; vel ergo generatio Virginis Matris Dei, illa est, de qua simpliciter verificatur, & singulariter, quod Dominus in generatione justa est; indeque omnes iterum firmantur, quæ ex hoc antecedenti sanè intellecto emanant consequentiæ; vel si alia fingitur, fortius arguitur, ergo illa genera- **D** tio, de qua sic recinit David, quod Dominus in generatione justa est; si est generatio, si justa, obediet Prophetissæ Matri Dei, dicenti, beatam me dicent omnes generationes, itaque etiam talis generatio ipsam dicet beatam; si beatam, ergo & semper cum Domino, non enim sine Domino ulla unquam fuit, aut erit beatitudo, ergo etiam talis generatio, dicet se illam esse Virginis, si justa est, & de primo ad ultimum, idem semper verum erit, quod de generatione, seu melius conceptione beatissimæ Dei Matris specialiter cecinit David, quoniam Dominus in generatione justa est, & quidem eandem rationem assignant David, Gabriel, & Maria, quare Dominus in ejus generatione justa est. Ille subdens, quoniam Dominus spes ejus est, hic vocabis nomen ejus Jesum, sive

san-

sanctum vocabitur; hæc denique replicans & sanctum nomen ejus. Perpende qui legis. Nec ulterius meditandum, ut Davidicam, seù potius divinam mentem, & sensum, in proposito deprehendamus: pro omni stat illatione conclusio præsentis Psalmi, sic enim demum concludit, quis dabit ex Sion salutare Israel? nempe & Matrem, & Filium Dei, in unam collectos gloriam immaculatæ innocentiæ, ab omni inutili plebe peccatorum segregatos; Propheticis hactenus umbris in toto Psalmo delineans, denique & mysterium, & mentem, & cor, & vota sua eructavit, ut nemi nem lateret, de quo, vel de qua hactenus prædicaverat, Salvatorem nempe ut ex Virgine Matre nasci dignaretur, expostulans; quis dabit in facto, quod pingebam in voto, quis dabit, quæ prælecti, ex beatissimis Jesum, hoc enim est salutare, vel Salvator. Quis dabit ex Sion salutare Israel? jam igitur dissimulare nemo potest in toto hoc Psalmo locutum esse David, sicut de ineffabili Incarnatione, ita & de Immaculatæ Dei Matris privilegio, immunitate videlicet ab originali noxa, per quam cæteri omnes inutiles simul facti sumus, & exinde servi, ac peccatorum nostrorum catenis constricti, solo uno, quod hactenus meditati sumus excepto, uno, quòd ex Filio, & Matre unum est, uno, quod est necessarium, idest factum ex necessitudine, inter Matrem, & Filium Dei, uno, in quo & electa est Maria, ad optimam partem, & optimam partem ipsa elegit sibi; quæ nec umquam ei defuit ab æterno, nec auferetur ab ea in æternum. Nec expositione hæc veritas indiget, nec Expositorum suffragio, quam ipse David concludendo exposuit, ac simul exponendo conclusit, lege meditare.

Et nunc quidem prælibata potius, quam probata, quæ & se ipsam probat, & potius supponenda est, quam in quæstionem trahenda, Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione, & his, quæ dum de Ecclesia dicuntur in Scriptura, intimum ad Dei Matrem respectum veritatis, & laudis, in se nutriunt; idipsum nobis præstandum esset, ex encomiis divinæ sapientiæ, quæ consimiliter divina quadam propensione, ac naturali simpatia, ad eandem Virginem tendunt, eamque Immaculatam limpidissimo rationum, ac eloquentiæ divinæ prorsus flumine exaltant; sed ne in infinitum abeamus ex his, quæ hactenus non modica; & delectione, & delectatione prælibavimus quoad primum, quisque facilè ex se deducet, & concludet quoad secundum: Nobis satis sit, aliqua breviter vix meminisse. Ecce Spiritus sapientiæ, spiritus Mariæ, de quo ipsa cecinit, exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia fecit mihi magna &c: Sapientiæ cap. 7. sic describitur, est in illa spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus; iste ergo immaculatus, quod non esset si ad olim maculatam carnem accessisset; & paulo post rationem assignat; attingit autem ubique propter suam munditiam; ubique scilicet eum, qui ubique est, cum Deus sit, & attingit, & in utero mundissimo, qui major est, quam ipsum

A ubique, cum constringit, addit que: vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis Dei sincera; ecce Virginis prior origo, divina sinceritas; ecce conceptio illius, divina emanatio, per quam Filia hominum, sine hominum contagione processit, & ne de modo, quo id fieri potuit, & factum fuit, angaris, dixit, Omnipotentis Dei; in cujus Omnipotentia omnis difficultas quiescit, ac denique concludit, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit (quid evidentius) candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula; & quidem jam prius c. 6. argumentum nobis paraverat, quo strictè concluderemus, si Mater Dei, ergo nihil ipsa proximior Deo, dici potest; si adeò proxima Deo substantialiter, & in linea essendi, vera Dei Mater,

B ergo in suo esse, & ubicumque tale esse contentum fuisse imaginamur, semper æqualiter incorrupta, scilicet immaculata, & Deo divinè integra semper fuit, quod totum perstrinxit dicens: incorruptio facit esse proximum Deo; ideoque tandem, quam adeò immaculatam definierat, quantum proximam Deo, cap. 7. describit, speculum sine macula, quia in eam nihil incurrit coinquinatum. Optimè speculum, virgineæ maternitatis exemplum, dum in se purissima generatione concipit, & parit in se aspicientis imaginem, & in se tenens eam, a vidente non separat. Vide ergo speculum, Mariam Virginem Matrem Dei, quæ dum Deus eam respiceret, respexit enim humilitatem ancillæ suæ, Dei substantialem imaginem Verbum ipsum, ita in se sine sui læsione concepit, & peperit, ut eam non raperet Patri; naturam enim nostram assumpsit, ut canit Ecclesia; & a paterna gloria non recessit, nec rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Hoc speculum ibi descripsit Spiritus Sanctus; si ergo hoc speculum ipsa est, ipsa sine macula est. Sed quid plura? Dominus, inquit, Proverbio c. 4. possedit me in initio viarum suarum: si prior ipse possedit, quis rapuit, vel deturpavit? Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret: si ab æterno ordinata; si ex antiquis, idest tota Trinitate, quis, quando deordinavit? si cum eo erat cuncta componens, idest Deum hominemque uniens in idea maternitatis Dei, numquid cum ad opus a Deo emissa est, incomposita ipsa?

D Jam ergo satis modulo nostro, numquam satis debito, semper in infinitum multo minus merito suo. Sed subsistimus, nam & erubescimus, timentes ne fortè id Mater opponat, quod olim Filius ejus: peccatori enim dixit Deus. Quare tu ennarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? At si ita conveniamur, responsionem ipsa docebit, eodem cap. 8. proverbio suggerens: Ego diligentes me diligo, & qui manè (idest in conceptione ejus) vigilant ad me invenient me. Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei, illius utique, per quod venit immaculata in hunc mundum: Beatum enim ait, eum, qui de illa meditatur, beatum idest filium, quem Mater pientissima non repellit, sed occurrit, & se illi ostendit hila-

hilariter, beatum, quia filium beatę, ait enim, A
ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes, omnes utique Filii sui.

CAPUT II.

Minutiores tropos, quibus Sacra Scriptura sæpè utitur, specialiter attingens.

IN Sacra Scriptura, quę maximo gloriatur auctore, nihil minimum nihil exiguum: Tropos ergò, (de quibus in pręsenti) minutiores appellamus, tum quia in comparatione eorum, quos hactenus vidimus tales apparent, tum quia ad modum rerum minutiorum, non ita facilè discernuntur, sed ex hoc ipso quanti faciendi sint, facilè constat; latent enim in ipsis mysteria, quæ cum ex se sublimia sint, aut verbis propriis exprimi in se nequeunt, aut a nostra exiguitate, si taliter exhiberentur, effugerent, ideoque qui eos negligit, quasi grammaticos flores, theologicæ tractum esuriet veritatis; duo autem necesse est pręnotare, antequam id, quòd huic capiti debemus, exolvamus.

Primum est. Non esse nobis in præsenti ex professo agendum de tropis omnibus, & singulis, ut rethoricę deserviunt, quamvis enim teste Augustino, quem supra sępius dedimus, quidquid rectum, verum, aut consonum etiam ad ornamentum, in qualibet facultate relucet, a Scripturarum immenso fonte descenderit, nostrum tamen non est, universos hujuscemodi rivulos, aut in suo fonte scrutari; aut in se haustos propinare, sed quantum sufficit ad tyrocinium sacrum, cursim prælibare: Qui exactam horum notitiam desiderat, adeat Emmanuelem Thesaurum, verè Rhetorices, ac omnigenę eruditionis thesaurum, precipuè in commentario italico Rethoricæ Aristotelis, indeque non pęnitendo labore præciosas hauriet notitias, ad intelligenda Dei eloquia, aurum, & argentum probatissimum, igne Spiritus Sancti.

Secundum est, ne vel apparentis inconsequentię arguamur, prævenienda est latens objectio. Ad quid enim de tropis agendum, per quos fit semper impropria locutio, dum proprietatem venamur dicendi Scripturarum? ast non ita arguit, qui advertit, proprium esse Sacrę Scripturę uti metaphoris, tropis, ac translatis vocibus, ex quibus sensus ejusdem connaturalis, & proprius loquentis innotescit, sive ergo ratione finis, ut nempe deprehendatur sensus dicentis, & contextus, sive ratione consuetudinis, quę quędam proprietas est, etiam locutiones, quę appellantur impropriç, quia translatę, constituunt proprium modum dicendi Scripturarum, proprium planè respectu Scripturę, improprium respectu materię, seu objecti, cui immediatè applicatur, ideoque necessariò spectant tropi ad pręsentem tractatum: Utinam quòd intendimus assequamur.

ARTICULUS I.

Metaphoram, ejusque species proponens, & exemplis breviter illustrans.

CUM supra tract. 10. de sensibus Sacrę Scripturę, cap. 3. jam de tropis actum sit, superfluum videri potest, huc jam notata revocare, eo vel maximè, quod plura ibi dicenda, cum jam illic notatis, reverà conveniant, sed ita, & illic requirebat ordo doctrinę, ne sensus metaphoricus omninò lateret, & hic pręcautio dicendorum eadem recolenda debuit prçmonere, ut facilius in praxi discernatur modus dicendi proprius Scripturarum, etiam cum translationibus utuntur,
B & planè ad meliorem notitiam eorundem troporum, quantum ad institutum nostrum pertinet, erant addenda, quod prçstare curabimus. At si cui videbitur nihilominus prçsens caput superfluere, eo quod, vel aliunde, hic dicenda prçnoverit, vel ad citato loco superius exarata redire maluerit, facilè totum prçsens caput pertransire poterit. Nobis ex sapientum consilio satius visum est, tyronibus nostris magis abundare, quam deesse.

Tropus, ut docet Quintilian. lib. 8. cap. 6. & alibi loco citato dictum fuit, est verbi, vel sermonis, a propria significatione in aliam cum virtute mutatio; dicit cum virtute, ut ingeniosam quamdam proportionem in vero tropo repertam insinuet, sine qua translatio esset contemnenda nugacitas: Subdit autem idem, troporum quosdam, gratia significationis, quosdam, decoris assumi, & esse alios in verbis propriis, alios in translatis, vertique formas non verborum modo, sed & sensuum, & compositionis; omnes verò, & singulos in Sacris litteris elegantissimè prçlucere, ex dicendis constabit: quocirca Doctiss. Beda, tom. pr. in principio (quem cum aliis hac in re potissimum haurire curamus) uti fidissimus Divi Augustini Discipulus, in sensu ejusdem loquens, sic prçfatur.

Solet aliquoties in Scripturis ordo verborum, caussa decoris, aliter, quam vulgaris via dicendi habet, figuratus inveniri, quod grammatici gracè schema, nos habitum, vel formam, vel figuram rectè nominamus, quia per hoc quodammodo vestitur, & ornatur oratio. Solet iterum tropica locutio reperiri, necessitatis, aut ornatus gratia, & quidem gloriantur graci, se talium figurarum, vel troporum fuisse repertores: sed ut cognoscant omnes, quod Sancta Scriptura cateris omnibus Scripturis, non solum auctoritate, quia divina est, vel utilitate, quia ad vitam ducit aternam, sed & antiquitate ipsa, praeminet positione dicendi, ideò placuit mihi collectis, de ipsa exemplis ostendere, quia nihil hujusmodi schematum sive troporum valent pratendere ullis saeculis, eloquentia magistri, quod non in illa praecesserit, sunt autem multa species schematum, & troporum, pracipua tamen habet aliquot schemata, & tropos uti selectiores, excerptos ex his qui sunt grammaticis familiares. Quarum primus tropus metaphora est omnium

gene-

generalissimus. Hæc ferè Beda loco citato.

Metaphora secundum Augustinum *lib. 2. contra mendacium c. 2. est de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio* : hæc sumitur tamquam genus ad omnes species translationis, de quibus hoc loco differemus : sed & strictius sumitur, prout exercetur seorsim ab illis, aliquo ex his quatuor modis: primò cum fit translatio ab animatis ad animata : *Psalm. 2. quare fremuerunt gentes, & Psalm. 138. si sumpsero pennas meas diluculo*, proprium enim est bestiarum, aliquarum quidem fremere, aliarum pennas habere, quæ his locis hominibus attribuuntur. Secundò ab inanimatis ad inanimata; *Psalm. 8. pisces maris, qui perambulant semitas maris*, a terra ad mare, quæ inanimata sunt, transfertur semita; terra enim non mare, semitas habet: *Zach. 11. Aperi L bane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas*: fit translatio de domo, aut Civitate, quæ portas habent, ad montem; qui illis caret; & utraque anima carent.

3. Ab animato ad inanimatum: *Psal. 95. gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt, tunc exultabunt omnia ligna sylvarum*: gaudium enim, & exultatio ad animatos pertinent, & rationales, non ad campum, qui anima caret, & ad ligna, quæ rationem non habent; clarius *Psal. 97. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt, & Amos primo; exiccatus est vertex carmeli*, homo enim verticem habet, non mons, ut ibi notat Beda.

4. Ab inanimato ad animatum: *Ezech. cap. 11. auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*, ubi cordi attribuitur durities lapidis, qui cor non habet.

Subdit verò Beda: hic autem tropus, & ad Deum fit multiplicitet, a volucribus, *Psalm. 62. in velamento alarum tuarum exultabo Psalm. 16. sub umbra alarum tuarum protege me.* A feris, ut: *Dominus de Sion rugiet: Joel c. 3., & Amos cap. pr.* a membris humanis: *Isaiæ cap. 40. Qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit, qui appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera.* Ab homine interiore: *ut Pr. l. Reg. cap. 13. quæsivit sibi Dominus virum secundum cor suum*; & hæc phrasis alibi sæpè: a motibus mentis humanæ *Psalm. 2. tunc loquetur ad eos in ira sua, & Gen. cap. 6. pænituit eum, quod fecisset hominem in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus: delebo*, inquit &c. a rebus insensibilibus. *Am. c. 2. stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fæno*, & plurima hujus generis in tota Scriptura occurrunt.

Nunc distinguamus oportet species metaphoræ genericè sumptæ, quæ sunt plures. Octo quidem, quæ quamvis simul valeant in pluribus verbis exerceri etiam conjunctis, in unico tamen & simplici verbo ponuntur; & sunt metaphora specialiter dicta, de qua ejusque modis nunc dictum est. Metonimia, Sinedoche: Antonomasia: Onomatopæja: Catachresis: Metalepsis, & Epithethon: aliæ verò, quæ in verbis conjunctis, quandoque pluribus, quandoque paucis, numquam tamen in uno fiunt, & sunt quatuor- Allegoria, Peri-

A phrasis, Hyperbaton, & Hyperboles; sed a primis inchoandum.

Methonimia tropus in Scripturis frequentissimus, est quædam veluti transnominatio, inquit Beda, ab una significatione ad aliam proximam translata, cujus plures sunt modi. Per continentem rem contentam, per contentum, continentem ostendit. Per inventorem, rem inventam, per rem inventam, inventorem, per efficientem, rem effectam, per rem effectam, efficientem significat, sicut per possessorem rem possessam, & è converso.

Per continentem indicatur res contenta. *Matth. c. 20. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*, idest potionem in eo contentam, & per eam, iterum tamquam per causam efficientem do-
B loris, & mortis, ipsum dolorem, & mortem, quam ipse Salvator subiturus erat, & *Gen. cap. 24. effundensque hidriam in canalibus*: hidria enim non effunditur, sed aqua, quæ in illa continetur: exemplum secundi, scilicet contenti pro continente habetur, *Luc. 16. accipe cautionem tuam, & sede, scribe citò quinquaginta*, non enim cautio, quæ in carta continetur, sed carta illam continens manu accipitur. Quod ponatur inventor pro re inventa, & è converso vix invenitur seorsim ab aliis tropis, ni fortè pro hoc accipias, quod dicitur *Gen. cap. 4. Jabel fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum, & Tubal fuit pater canentium cythara, & organo, & Tubalcain &c.* ubi inventores dicuntur Patres eorum, quos non
C genuerunt, nisi per rem inventam, ubi res inventa sic ponitur pro ipsis. Per efficientem significatur res effecta, ut frequenter in Scriptura passim, per semen significantur filii per illud geniti, & per lignum fructus, ut sæpè in Genesi in primis capitibus. Per effectum significatur efficiens, ut primo Regum cap. 6. dicitur de arca, *dimittite eam, ut vadat, & aspicietis, & siquidem per viam finium suorum ascenderit &c.* certè arca non ibat, sed eam duci, erat effectus trahentium, & sic effectui attribuitur, quod causæ debetur. Se invicem significant possessor, & res possessa, sicut *Gen. cap. 4. Cain ædificavit Civitatem, & vocavit nomen ejus nomine sui filii, Enoch*, quia possessio ejus erat. Cain enim erat profugus super terram, quem etiam dicendi modum indicat, *Psalm. 48.*
D *vocaverunt nomina sua in terris suis.*

2. Sinecdoche: tropus est frequentissimus in Scriptura, estque ad ejus intelligentiam notatu dignissimus, eum describit Beda; est significatio plena intellectus capax, cum plus, minusve pronunciat, fit autem multis modis.

Primò, cum a parte totum significatur, & è converso; *Matth. cap. 12., & Jonæ cap. 2. sicut fuit Jonas in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ*, ubi Sinecdoche non est in hoc, quod dicitur de Jona, quia eum fuisse in ventre cæti, tribus diebus integris, scilicet diebus, & noctibus, nihil vetat; sed in hoc, quod prædicit de se ipso Christus, ipse enim fuit in sepulcro, in parte diei primæ, tota die secunda, & nocte, a qua incipiebat dies tertius,

tertius, unde dicitur fuisse tribus diebus in sepulcro, accipiendo partem pro toto, ut communiter explicant Patres, *Job cap.* 2. de amicis ejus dicitur. *Sederunt cum eo in terra, septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum:* ubi Gregor. *lib.* 3. *moral. cap.* 9. *utrum continuis septem diebus, & septem noctibus, cum afflicto Job sederint, an certè diebus septem, & noctibus totidem, instantia ei crebræ visitationis adhæserint, ignoramus: sæpè enim rem quamlibet tot diebus agere dicimur, quamvis non eisdem diebus ad eam continuè vacemus, & Origen. lib.* 3. *in Job, assiderunt illi septem diebus, & septem noctibus, & mortui luctum, apud viventem Job adimpleverunt;* luctus enim fit mortuo, septem diebus, & septem noctibus; ex quibus patet, similes temporum mensuras accipi moraliter, ideòque veritati satis esse, accipere partem pro toto, dummodo per aliquòd oppositum non fiat interruptio, quia tunc pars declinaret a proprio munere, & expressione.

Nec semper ubi de tempore agit Scriptura, accipi debet, quòd utatur Sinecdoche, si enim semper ita accipitur, veritas historiæ gratis confunditur, sed contextus diligenter attendi debet, ut observat Basil. hom. 2. in Exam. Quis enim illud *Gen. cap.* 47. *dies vitæ meæ parvi, & mali ita accipiet, ac si dies fuerint parvi, & mali, noctes autem non, aut quod dicitur Matth. cap.* 4. de Christo, *cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus,* accipiet moraliter, quasi aliquando, vel die, vel nocte a jejunio cessaverit, sicut amici Job, aliquandiù censendum est, ad opera naturæ illis septem diebus a Job recessisse? prudenter itaque procedendum est, & considerandus finis scribentis, & narrationis, scilicet contextus.

Et hic modus etiam fit, ponendo partem principaliorem pro toto, ut notat Salmeron, unde Apostolus, *ad Hebr. cap.* 11. definit fidem dicens: *est autem fides sperandarum substantia rerum,* quod Sedulius ad illud cap. dictum accipit per Sinecdochen, quia ab insigni parte fidem definit: nam fides, ait, est trium temporum; creduntur enim præterita, quod fuerint, præsentia, quod sint, futura quòd erunt, at quia præcipua, & quæ magis justificationem nostram concernunt, sunt futura speranda bona, ab illis fidem descripsit.

Ponitur etiam genus pro specie, ut cum *Gen. cap.* 3. Eva dicitur *Mater cunctorum viventium;* Mater enim fuit omnium hominum non animalium, sed cursim notandum, quòd ubi Scriptura utitur tropis, ii quidem, ut plurimum apparent, sed plura plerumque sub illis etiam ad proprium sensum relatis, intimantur mysteria; Mater cunctorum viventium Eva, si propriè id sumas, intelliges in homine, omne genus vitæ perfectò modo reperiri, per quòd omnis homo est omnis vivens, ut notat Gregorius. Iterum Evam matrem accipe cunctorum viventium, in propria latitudine sumptorum, sic verificatur finaliter, ut advertit *Ambros. de Noe, & arca cap.* 4. *omnia enim viventia sunt homo, quia propter hominem facta sunt,* certè enim plura unum sunt, cum sunt

A propter unum. Hæc breviter ad exemplum, ut ex aliis etiam tropis, divinæ attingas mysteria locutionis.

Ità è converso ponitur species pro genere, ut *Gen. cap.* 6. *delebo hominem quem creavi a facie terræ,* in quo veniunt, etiam omnia animantia, quæ propter hominem facta sunt, ideoque, quod sequitur, *ab homine usque ad animantia,* intelligitur inclusivè, & de universis, omnia enim reverà in diluvio perierunt.

Aliquando per tempus determinatum, significatur indeterminatum, ut alibi distinguemus. *Psal.* 118. *septies in die laudem dixi tibi,* idest semper, *Psalm.* 33. *semper laus ejus in ore meo, & Matth. cap.* 18. *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies,* quod intelligitur pro toto tempore, quo homo viator est, ut semper a peccatis, & injuriis possit absolvi, quòd eximium est beneficium misericordiæ Dei, in quo maximè elucet, quod vult omnes homines salvos fieri.

B

Interdum pro toto homine ponitur, vel caro, vel anima. *Joann. cap. pr. Verbum caro factum est, & Isaiæ cap.* 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Exemplum secundi, *ad Rom. cap.* 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est,* pro omnis homo, *& Gen. cap.* 46. *accersivit* (Joseph) *Jacob patrem suum, & in animabus septuaginta quinque* notat tamen Origen. loco citato, ad Romanos. *Interdum per animam, interdum per carnem, interdum per spiritum, homo nominatur, sed cum a parte nobiliori, quasi qui spiritalis intelligi debeat, spiritus dicitur, quando ab inferiori, anima, cum verò a deteriore nominatur, caro dicitur: ad Galat. cap.* 5. *Manifesta autem sunt opera carnis.* Ita Origenes, sed melior intelligentia pendet, a consideratione contextus, ideò cum dicitur, *Verbum caro factum est,* intelligi debet, quod quidem humanam naturam, ejusque infirmitatem assumpsit, juxta illud, quod de se ipso dixit, *Marci, cap.* 14. *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* non tamen opera carnis, & concupiscentias, ut in loco, ad Galat. *factus enim est in similitudinem carnis peccati ad Rom. cap.* 8. *sed peccatum ipse non fecit, nec facere potuit, nec inventus est dolus in ore ejus,* quod explic. *ad Hebr. cap.* 4. *pro similitudine absque peccato,* & hæc satis ad exemplum, & incidenter, ne vastam nimis assumamus provinciam.

C

D Per hunc tropum, eum nominantur in Prophetis, & alibi, barbaræ nationes, ut Philisthæus, Ægyptus, Ammon, Moab, Esau, Madian, Epha, Syrus, Assyrius, quibus Deus minatur, vel eos reprobat aut arguit, omnes Gentilium populos, in eis adumbratos accipimus, ideò *prima ad Chorin. cap.* 1., *& ad Galat. cap.* 3. cum dicit Apostolus, *Judæo primum, & græco.* Græcus stat pro gentili: ut docet Tertullianus lib. de spectaculis, & Judæus pro omni hebræo.

Per hunc pariter solvuntur, quæ aliquando obiiciuntur loca Scripturæ, quæ propriè intellecta non videntur subsistere. *Gen. cap.* 37. Vidit Joseph somnium, quod narrans ait: *vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me,* quod certè indicabat ipsum fore adoran-

randum a Patre, & Matre, & Fratribus, & adoratus quidem fuit a Patre, & Fratribus, non autem a Matre, quæ tempore adorationis jam mortua fuerat. Si id opponas, reſpondebitur. Satis verificatum fuiſſe vaticinium, quia in Patre, qui eſt familiæ Princeps, intelligitur, quod deeſt familiæ in aliqua parte, immò in Patre venit, & Mater, ille enim eſt caput mulieris, hæcque de viro ſumpta eſt, & quia erunt duo in carne una, ut notavit Jo: Chriſoſt. hom. 66. in Gen. idque importat Sinecdochen.

Exodi cap. 34. *Deos conflatiles non facies tibi*, ſi quis inferat, ergo poterant facere ſibi alios Deos non conflatiles, ideòque ſculptilia, & res naturales poterant ſibi facere Deos; Inſulſa eſt conſequentia; nam clarè per Sinecdochen ponuntur dii conflatiles, tamquam qui magis in uſu, ſeu melius abuſu erant, pro omnibus aliis diis, qui eo ipſo, quod dii ſunt, quia plures, vel quia, etiamſi unus tantum eligeretur, ex malitia Judæorum, falſus Deus cum verò computabatur, eo ipſo omnes falſi erant, non minus ac conflatiles, idque refertur ad illud *Exodi cap.* 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me*.

Joan. cap. 15. *ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*, non eſt intelligendum ſecundum Auguſtin. ſerm. 1. de verb. Domini, abſolutè de omni peccato, ſed de infidelitate, hæc enim cum ſit maximum peccatum, & radix aliorum, intelligitur per nomen generis, quod etiam concernit Antonomaſiam, aliosque tropos includit, ſed hoc loco ex contextu magis determinatur peccatum ad ſignificandum infidelitatem per Sinecdochen, ubi agitur de inexcuſabilitate; Alia enim peccata ex malitia, certè excuſationem non habuiſſent, non veniente Chriſto, aſt illud infidelitatis eam habuiſſet, ſi Chriſtus non veniſſet, & non docuiſſet verbo, & exemplo. Alia etiam, & quidem difficiliora ſolvuntur, recurrendo ad hunc tropum: hæc ſatis ad exemplum.

Antonomaſia, ſecundum Bedam, eſt ſignificatio vice nominis poſita, ex accidentibus notis propriam ſignificans perſonam, aut rem. Sic nomine Prophetæ venit David, Sapientiſſimi Salomon, & ſimilia, quæ notiſſima ſunt. Fit verò multis modis, nam quandoque ſumitur ab animo, *Pſal.* 88. *Tu humiliaſti, ſicut vulneratum ſuperbum*, qui verè eſt diabolus, alibi dictus accuſator Fratrum, Tentator, Pater mendacii. Aliquando ſumitur a corpore, ut 1. *Regum cap.* 17. *Vir ſpurius altitudinis ſex cubitorum, & Palmi*; Ità immediatè ſignatur Goliath, quamvis per translationem a corpore ad animum, ut notat hic Beda, intelligitur ibi etiam Diabolus, maximè elatus animo. Interdum a loco; *Qui ſedes ſuper Cherubim*, pluries in Pſalmis, *& qui habitat in Cælis Pſal.* 2., & ſimiles loci, qui Deum ſignant; ſæpè etiam ab actu ſingulari. *Matth.* 26. *qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum*. Sic etiam ab eventu. *Joan. cap.* 13. *Diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus*, Joannem ſignificat, quia in cœna recubuit ſuper pectus Jeſu &c. Ab officio, *Job: cap.* 7. *peccavi, quid faciam tibi ò cuſtos hominum*; A genere, ut *Matth. cap.*

A 21. *Oſanna Filio David*, & ſimilia, quæ paſſim occurrunt, & ſignificant Chriſtum, & ſæpe idem ſe nominat Filium hominis antonomaſticè, quia Filius verè non hominum, ſed hominis, ideſt ſolius Virginis, quod ſi & alii quidam Prophetæ, ut Ezechiel dicuntur filius hominis, hoc eſt non per Antonomaſiam, ſed per participationem, quia erant umbra veri Filii hominis.

Onomatopæja, quam cum Beda cæteri explicant, nomen de ſono factum, poſitum ad aliud ſignificandum *pr. Chorin. cap.* 13. *Factus ſum velut es ſonans, aut cymbalum Tinniens. Iſaiæ cap.* 58. *Quaſi tuba exalta vocem tuam, & Hier. cap.* 4. *Canite tuba*: redundat hoc tropo, & ſimilibus, *lib. Iſ. ut cap.* 56. *canes muti non valentes latrare &c.*, & quotieſcumque applicatur Deo, vel creaturis ra-
B tionalibus aliqua vox, vel ſonus proprius alicujus animalis, aut inſtrumenti; nam propriè non homo, ſed Leo rugit, bos mugit, hinnit equus, crocitat Corvus, rudit Aſinus, latrat Canis, ululat Lupus, ſibilat ſerpens; unde *Amos, cap.* 3. *Leo rugiet, quis non timebit*?

Catachreſis, eſt abuſio nominis, aut verbi ad ſignificandum rem, quæ a propria appellatione deficit, ſive ea caret, unde & dicitur abuſio, quæ non habentibus nomen proprium, quòd in proximo eſt, accommodat. Differt a metaphora, quòd hæc vocabula habenti largitur, illa non habenti, commodat alienum. Sic eum, qui fratrem occidit, parricidam dicimus, immò & per oppoſitum piſcinam, quæ caret piſcibus, & lucum, qui ca-
C ret luce, quia hæc niſi extrinſecus ſumant, vocabulo carent. Exod. c. 25., & 26. attribuitur frons, tecto; pedes menſæ, & ſimilia, quæ animantibus, non inanimatis conveniunt propriè. Ita 2. *Paralyp. cap.* 4. *labium illius erat, quaſi labium calicis, vel repandi lilii*: Ità etiam pluries in Scriptura invenimus; *cadent in ore gladii, & gladius meus devorabit carnes*; ut Deuteronom. cap. 33., & alibi ſæpè, *& Hierem. cap.* 18. *deduc eos in manus gladii*, certè os, & devoratio, & manus propria ſunt animantis, non gladii: ſicut & aliquando per hunc tropum ponitur pro temeritate virtus, & liberalitas pro luxuria.

Metalepſis eſt tranſumptio, quæ ex alio, in aliud, velut viam præſtat, ſive ut explicat Beda, dictio gradatim pergens ad id, quòd oſtendit, &
D ab eo, quod præcedit, id quod ſequitur inſinuans: *Pſal.* 127. *labores manuum tuarum, quia manducabis*. Labores poſuit pro bonis, quæ per labores aquiruntur. *Et Pſalm.* 103. *Draco iſte, quem formaſti, ad illudendum ei*. Draco certè diabolus eſt, ſed numquid Deus formavit Draconem? Angelum prius ipſum, fecit Deus, ipſe verò ſe fecit Draconem, hinc illuditur ei, & ſecundum hunc ordinem tropus procedit, ac locus clareſcit.

Epitheton, eſt dictio nomini addita, ad differentiam Antonomaſiæ, quæ vicem nominis gerit. Epythethon enim non eſt ſine nomine. *Eccleſ. cap.* 45. *dilectus Deo, & hominibus Moyſes*, *Pſalm.* 110. & alibi *Miſerator, & miſericors Dominus*, ità ſæpè juſtus Loth, dicitur, Juſtus Noë; *Lucæ primo, optime Theophile. Act. cap.* 26. *optime*

Feste, & similia sæpissimè. Notum verò est Epythethon non utcumque assumi, sed notabilem aliquam innuere qualitatem subjecti, & magis quandoque epitheto explicari, quam prolixa descriptione. Isti sunt tropi, qui ut in plurimum unica dictione aut parte ad summum orationis exercentur. Quia verò alii sunt qui verbis pluribus conjunctis fiunt, & dicuntur non solum tropi sed etiam figuræ. Illis distinctum damus articulum.

ARTICULUS II.

Alios prælibans tropos, qui verbis conjunctis tantum valent exerceri.

HOrum primus est allegoria communiter dicta, quam aliqui ex Quintiliano describunt, consequentem metaphorarum continuationem; latius tamen hic accipitur, *est tropus*, inquit Beda, *quo aliud significatur, quam dicitur*, addit verò Salmeron, *sine ulla nota similitudinis*: hæc autem diversa est, ab allegoria propriè Scripturali, de qua Apostol. *ad Galat. c. 4. scriptum est quoniam Abraham duos Filios habuit &c. quæ sunt per Allegoriam dicta*. Hæc enim de qua nunc agimus fit per verba; illa, de qua Apostolus, fit per res. Præsentis exemplum habetur, *Joann. cap. 4. Videte regiones, jam albæ sunt ad messem*: hoc est *intelligite* subdit Beda, *quia populi jam parati sunt ad credendum*; Hæc igitur, & specialiter modo dicto accipitur, & tamquam genus cujus septem sunt species.

Prima species est Ironia, qua contrarium ejus, quod voce dicitur, pronunciatione ostenditur: *Gen. cap. 3. ecce Adam quasi unus ex nobis, factus est sciens bonum, & malum &c. Per hanc enim*, ait Beda, *nisi eam modus pronunciationis adjuverit, confiteri videmus, quod negare conatur*, ideo potius figura est loquentis, quam tropus locutionis: sic apparet *Matth. cap. 26.*, & cum ait Christus Apostolis, *dormite jam, & requiescite*, & lib. 3. Reg. cap. 8. cum Elias insultabat Prophetis Baal: *Clamate voce majori; Deus enim vester est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit &c.*

Secunda species est antiphrasis, quæ solis verbis contrarium significat, quòd Ironia præstat pronunciatione. *Matth. cap. 26. Amice, ad quid venisti?* & supra, *c. 20. Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* & supra, *c. 20. Amice non facio tibi injuriam*. Ex quibus locis Origenes tract. 35. in Matth., suspectum habet hoc nomen amici in Scriptura; sed ad discernendum, ubi locum habeat antiphrasis, sive quoad hoc nomen, sive quoad similia, consulendus est contextus; aliquando enim, & sæpè propriè accipitur, & sonat in bonum, ut *Lucæ c. 14. Amice ascende superius*, & post, *c. 11. Amice commoda mihi tres panes*. Ad hanc spectat, quod lucus dicitur, quia non lucet; bellum, quia non bellum; piscina, quod pisces non habeat, sed ad alium usum facta fuit; ut de probatica dicitur, Libitina, quia non libet; Parca quia nemini parcit, & benedicere pro

A maledicere, ut in Job, & alibi habetur, sed ex contextu discernitur, sic apud Hebræos ponitur *sanctificata*, idest *qdoscha* pro scorto, seù prostituta, & Anathema, quod apud Græcos significat donum, pro voto aræ suspenso, & tamen in Scriptura per Antiphrasim ponitur pro excommunicato. Oseæ c. 4., & ad Rom. c. 9. ac pr. Chor. cap. ultimo.

Tertia species est, ænigma, idest obscura sententia, per obscuram similitudinem, dum exprimitur, involuta. *Judic. c. 14.* Sampson proposuit Philistæis, *de comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*; sed plura ex his, quæ verius sunt ænigmata, passim in libris Sapientialibus occurrunt, hoc enim quamvis obscurum sit, non formatur per similitudinem; de his plura B habes per doctissimum del Rio in suis adagialibus, & per Cornel. Alap. in præludiis ad libros Sapientiales.

Quarta species est paræmia, idest accommodatum rei, temporique Proverbium, aut Sententia: *Prov. cap. 26. canis reversus ad suum vomitum: 2. Petri c. 2. sus lota in volutabro luti. Luc. cap. 4. Nemo Propheta acceptus est in patria sua. Math. c. 12. omne regnum divisum contra se, desolabitur. Act. cap. 9. durum est contra stimulum calcitrare*. Plura etiam apud mox citatos.

Quinta est Charientismus, sive gratia quædam, & modestia dicendi, nempe tropus, quo duriora quædam dictu, seu etiam minus modesta, mitiore, aut temperato magis sermone proferuntur. *Gen.* C *cap. 29.* Jacob, gravissima injuria læsus a Laban dixit ei; *nonne pro Rachel servivi tibi? quare imposuisti mihi?* in quo dicto, & gravem injuriam mansuete opposuit, & modestia condivit querelam; estque proprium Sacræ Scripturæ, sive partes quasdam corporis, sive actiones, quæ præseferunt turpitudinem quamdam, modesto operire simul, & explicare sermone, cujus cautelæ plurima habentur exempla, quæ melius est cum occurrunt mirari, quam nunc, quid in eis significetur ad mentem revocare.

Astismus ponitur pro sexta specie allegoriæ; melius tamen poneretur, pro vel transcendenti, vel analogo principaliori, quoad omnes, vel ferè omnes tropos, ac figuras. Ideò ait Beda, *hic est tropus multiplex numerosaque virtutis*; nam astismus D putatur, quidquid dictum, simplicitate rustica caret, vel satis faceta, ac decenti urbanitate expolitum est, quod planè reperitur ubicumque aliquis tropus, aut figura ab abjecto, trivialique dicendi modo elevat orationem. Hinc ne contradicamus pluribus, qui astismum ponunt tamquam specialem allegoriam, sub ipsa generice considerata, quando aliquid occurrit in Scriptura, nobili dicendi modo gratum, si ad quem tropum, vel figuram spectet, non apparet, astiismum esse dicemus; sicut *ad Galatas c. 5. utinam & abscindantur, qui vos conturbant*. Altius tamen hic, *lib. de trop.* ascendit Vener. Beda, & astismo adscribit quidquid in Sacra Scriptura sapit allegoriam, sive ea sit, de qua in præsenti tractatu agimus, sive illa, quæ sensum spiritualem allegoricum nominat, quarum

prima

prima fit verbis, secunda factis, vel rebus, & plura ponit utriusque exempla, quæ ad hunc locum non spectant. Videat cui vacat, nobis satis est innuisse.

Septima est, Sarcasmus: nempe hostilis irrisio plena odio; hac in decursu passionis Redemptoris nostri sepè usi sunt nequissimi Judæi, & facto, ut cum finxerunt ipsum Regem ad ludibrium, & verbis, quibus ipsum, tunc ei insulcabant, illudentes, ac demum eum Crucifixo Omnipotenti illudebant dicentes. *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: confidit in Deo liberet nunc si vult eum: Math. cap. 27. & Psal. 21. & Sap. c. 2.* Notat autem hic Salmeron, hoc nomen Sarcasmos, a mortua carne sumi, sive a cadavere, quia usus ejus est in hominem victum, & affectu hostis extinctum, illudendo, ac subsanando, quæ expressio est mortalis odii.

B

Post allegoriam, ejusque recensitas species, poni solet homiosis, quæ describitur, rei minus notæ per similitudinem rei notæ declaratio. Tropus est valdè generalis, at specialiter accipitur, ubi expressè per similitudinem rei notæ, vel notioris, ignotæ exponitur circumstantia, vel natura: *Math. cap. 24. sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit, & adventus Filii hominis*, & ibidem. *Ab arbore fici discite parabolam, cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis, quia prope est æstas*, dividit hunc Beda in tres species, seu partes, aut modos, sunt autem Icon, Parabola, Paradigma.

C

Prima Icon est, personarum, seu eorum, quæ personis diversis accidunt, inter se comparatio, *Math. c. 28. In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. Joan. cap. pr. vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre &c.*

Secunda Parabola. Est rerum genere dissimilium, invicem facta comparatio, ac veluti a rebus corporis ad spiritualia, seu moralia declaranda, per similitudinem progressus, ut *Math. c. 13.* & alibi sæpè, *simile est regnum cælorum grano sinapis &c. fermento, thesauro &c.* de his alibi supra dictum est ad abundantiam.

Tertia Paradigma est, exemplificatio ad persuadendum, sive ennarratio exempli, vel ad aliquid exhortantis, vel ab aliquo deterrentis. *Jacobi c. 5.* exhortatio est ad orandum: *multum enim valet deprecatio justi assidua: Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex, & rursum oravit, & cælum dedit pluviam &c. & Math. c. 6.* exhortatio est ad confidentiam. *Respicite*, ait Christus *ad volatilia cæli, quoniam non serunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa*. Porrò deterrentis exemplum habetur, *Luca c. 13.* ubi de Galilæis, quos occiderat Hærodes inter sacrificia, ait Christus. *Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt: non dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis: sicut illi decem, & octo, supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos putatis quia, & ipsi debitores fuerint*

A

præter omnes homines habitantes, in Hierusalem: non dico vobis; sed &c.

Secunda species tropi in verbis conjunctis est periphrasis, idest elegans circumlocutio, quæ veritatem splendore dicendi illustrat, & describit, 2. *ad Chorin. c. 5. scimus quoniam si terrestris domus, hujus nostræ habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam; sed æternam in cælis.* Hac utitur sæpè Scriptura, cum fœditas quædam describenda occurrit, eam enim honesto verborum circuitu modestè pingit. *Ad Rom. c. 5. nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum, qui est contra naturam &c.* & alibi etiam ut constabit in phrasibus Sac. Scripturæ; deuique ait Salmeron, quod uno verbo dici potest, vel paucis, & multis splendidius describitur, periphrasis est. Non tamen confundi debet periphrasis, cum paraphrasi, seu metaphrasi, quæ ab altero dictam, seu scriptam sententiam, liberiori, ac diffusiori sermone interpretatur, quod munus est expositoris, aut etiam traductoris. Oppositum horum est vitiosa locutio, quæ sine gratia, studio, ac venustate dicendi, aliquid insulsè profert, cujus tamen exemplum in Scriptura non habemus, diffusa enim est gratia in labiis, & calamo in ea dicentis. Tale autem vitium dicitur Pleonasmos, Perissologia, vel Tautologia, & Battologia.

Tertia species est Hiperoaton, quæ est transcensio quædam, ordinem rei, narratione invertens, quæ quidem in Sacra Scriptura reperitur, sed sine vitio, quia consulto, & cum mysterio exercetur. Ejus prima species est Histerologia, vel Hsteron protheron, per quam prius narratur, quod posterius dicendum erat, attento ordine rei: *Psal. 80. in tribulatione invocasti me, & liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis:* certum est enim, quod prius probat Deus per tribulationem, & in ea homo invocat Deum, ac denique eum liberat Deus: & ubicumque reperitur recapitulatio, de qua alibi diximus, habetur etiam hic tropus: Item *Joan. c. 12. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pystici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis*, ubi, ut ex alio loco constat, ordo facti fuit, quod prius lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tersit, postmodum verò unxit. Aliquando tamen talis inversio

D

provenit ex aliqua versione, non ex primigenio textu: sicut *Ps. 7. Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, ubi notat Basil. confusum esse ordinem, quia prior est conceptio, quam parturitio, cui tamen responderi posset, ejusdem quidem rei priorem esse conceptum, quam partum, ibi tamen de diversis agitur, & quidem recto ordine, quia parere injustitiam, idem est, ac concipere dolorem, ex quo iterum oritur, quod subsequitur nova iniquitas, quia peccator non satisfacit Deo pro offensa ipsi irrogata; sed detur locus observationi Basilii, talis transcensio oritur ex versione, (& quidem, ut vidimus non caret mysterio) ac propterea Hieron. vertit, *ecce parturiit injustitiam, concepto dolore, & peperit iniquitatem*. Secunda species hyperbaton

ton est parenthesis, quæ est interposita periodo, diversa, sed cohærens sententia, vel ratiocinatio. *Ad Rom. c. 3. Quid adhuc & ego, tamquam peccator judicor, & non sicut blasphematur (sicut quidam ajunt nos dicere) faciamus mala ut veniant bona, quorum damnatio justa est?* Et quidem hac in re vigilandum est studioso lectori, quia incuria typographi parentesis signum ommittitur, & confusio, vel obscuritas oritur, vel sinistra interpretatio præcipui sensus. *Ad Gal. c. 2. ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit) mihi autem, qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt: sed è contra cum cognovissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes) & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi &c.*

Item *Jo. c. 1. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre) plenum gratia, & veritatis. Ad Rom. c. 8. nam Deus Filium suum mittens (quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem) in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum:* in quibus locis apparet, quanti intersit parenthesim apponere, vel intelligere, ubi opus est, ut verus sensus Scripturæ habeatur. Tertia species Hyperbaton, est Synechysis, idest totalis confusio orationis, quæ ut in plurimum (si quando in Scriptura reperitur) oritur ex versione, cujus idiomati deest expressio primi textus; adducunt aliqui in exemplum hujus, illud *Ps. 27. Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*, quæ verba (undequaque proveniat) videntur esse admodum confusa, ut testatur Beda, sed Tyrinus ea referens ad historiam Semiramidis, cujus insignia præferebant columbam deargentatam ex toto, sed in posteriori parte dorsi deauratam pallente auro, ex supposito argento; quibus insignibus in vexillis suis utebantur Assyrii, inimici Judæorum, non adeò difficilem textum esse ostendit. Cujus sicut, & aliorum similium examen, præsentem transcendit indaginem.

4. Quarta species tropi in verbis conjunctis, est anapodosis, sive anacoluthon, cum uno membro orationis proposito, non redditur alterum correspondens, ut cum ad quarè non subditur quia, & in similibus, cum in Sacra Scriptura contingunt, elucet potius elegantia, quam vitium, aut variatio sensus, ideò pertransimus.

5. Quinta est anastrophe, idest verborum præposterus ordo, hæc tamen reducitur ad hyperbaton, ut notat Euthim. Psal. 141. & quia hi duo tropi coincidunt cum præcedentibus, ut clarum est, eos inter tropos Sacræ Scripturæ Beda non recenset.

6. Sexta species, & ultima est hyperboles, quæ est dictio, vel oratio, fidem excedens, augendo, vel minuendo, nec tamen propterea falsitatem includit, aut mendacium; significat enim ex modo dicendi (& sic etiam intelligitur ab audiente) vel

A rem, quam dicit, inexplicabilem esse, vel excessivam (si auget) admodum, & magnam, vel ad minimum, quod non inclinare, si minuit; soletque procedere pluries per similitudinem, aut comparationem. Idque valdè notandum est, ne nota aliqua divino sermoni inuratur: exemplum augmenti: 2. *Reg. c. 1.* de Saule, & Jonatha ait David *Aquilis velociores, leonibus fortiores. Jo. cap. 12. ecce mundus totus post eum abiit*, & infra *c. 21. Nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros Deu. cap. 1.* Exploratores dixerunt, se vidisse urbes magnas, & ad cælum usque munitas, & monstra quædam filiorum Enac de genere gigantæo, quibus comparati, ipsi videbantur locustæ; exemplum diminutivæ hyperbolis, *Levit. cap. 26. terrebit eos sonitus folii volantis,*
B *Psal. 106. ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos. Math. 11. Et tu Capharnaum numquid usque in cælum exaltaberis, usque in infernum descendes?* & hæc de Hyperbole satis. Cavendum tamen in scrutandis Scripturis, ne tamquam per Hyperbolen dicta accipiantur omnia, vel plura, quæ nostrum superant captum, cum sint divina mysteria. Ad regulam igitur contextus, & intentionem dicentis, ne offendat, semper vigilet, studiosus veritatis amator.

ARTICULUS III.

Brevis inspectio ad figuras, seu schemmata Sacræ Scripturæ.

C TAnta est inter tropos, & figuras affinitas, ut operosum nimis, & extra rem nostram esset ab his illos perfectè discernere: Sequamur itaque vestigia majorum, figuras, quæ communiter recensentur, exemplis Sacræ Scripturæ aliqualiter elucidantes, ex quo quantum, & qualiter a tropis differant quisque discernet. Hoc solum ex Quintiliano lib. 9. cap. 1. notandum. Quod tropus est sermo a naturali significatione translatus ad aliam, ornandæ gratia orationis. Figura verò est conformatio quædam orationis remota a communi, & primum se offerente ratione; Quare in tropis ponuntur verba, alia pro aliis, nam & rebus fit & verbis, at non ita in figuris, nam & propriis verbis, & suo ordine collocatis figura fieri potest.
D Aliæ autem sunt verborum, quæ cum tropis facilè confunduntur, aliæ sententiarum, quæ propriè figuræ dicuntur.

1. Inter quas primò occurrit hypotiposis, græcis enargia, quæ est facti alicujus, aut rei ad vivum expressio, sive ut Cicero lib. 3. de Oratore describit, est illustris explanatio rerum, & quasi hic gerantur sub aspectum subjectio, ut cerni potius videantur, quam audiri; ideò ab aliis dicitur perspicuitas, evidentia, & illustratio. Plura hujus figuræ exempla in Sacris litteris inveniunt Patres; Augustin. potissimum, & Gregorius *Luc. cap. 17.* ubi describitur accessus Magdalenæ ad Christum in convivio Pharisæi, de quo loco ait, *hom. 23. Evangelium cum legeretur audistis, & res gesta narrata, atque versata est ante oculos mentis vestræ;*

&

& similia frequenter. Gregorius verò frequentius, in pluribus nempe parabolis, aliisque locis invenit hanc figuram, ut *Luc. cap.* 8., *& 12.* Eadem utitur Isaias cap. 60. vocationem gentium magnificè describens: *surge illuminare Hierusalem, quia venit Lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo &c.* Item *Matth. c.* 25. Christus venturum judicium, seque Judicem graphicè demonstrat, dicens: *cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo &c.* at magis toto c. 24. ubi agitur de signis præcedentibus, ac de iis, quæ erunt in Judicio &c.

2. Præcedenti, aut similis, aut annexa est prolepsis, quæ unit res ordine gestas, quasi eas simul præsumens, atque ex inde, ordine servato, eas distinguit, sicut cum dicitur, *Gen. primo. In principio creavit Deus Cælum, & terram*, eandemque mox creationem servato dierum, ac rerum ordine describit. Ita etiam, *Matth. c.* 1. *liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham.* In hoc quasi themate futuræ descriptionis, consistit prolepsis, sed quia similis propositio exigit explicationem, ideò eidem annectitur ordo generationis Christi per Patrum, seù melius atavorum ipsius ennumerationem, ordine, & gradu generantium, & genitorum servato.

3. Tertia ponitur gradatio, græcè climax, notissima figura, quę gradatim procedit, sive ascendens, sive descendens, quasi per scalam. *Ad Rom. cap* 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia &c. Ad Eph. cap.* 5. *caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus.* Frequenter etiam alibi idem Apostolus utitur hac figura quę implicitam habet quamdam illationem, & connaturaliter imprimit, quod dicit, ut ratione ordinis facilè retineatur. Ita & Petrus, 2. *e. primo, vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, charitatem &c.* venusta etiam est gradatio, si cum quadam repetitione procedat, *Isaiæ cap.* 26. *vetus error abiit, servabis pacem, pacem, quia in te speravimus: sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum, Civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram &c. conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum &c.*

4. Antithesis nobilis, & elegans figura, contraria invicem opponens quę juxta se posita magis elucent, & ornant orationem. Nec tantum in verbis fit ad apparentiam, sed magis in sensibus. Vide totum c. 5. epistol. ad Rom. ubi Appostol. opponit Adam Christo, delictum & donum, prçvaricationem & gratiam, effectus peccati Adę & Redemptionis Christi, quòd & alibi frequenter exequitur. *Sap. cap.* 11. *bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas a Deo sunt, &c.* 15. *apposuit tibi àquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi &c.*

A *Prima ad Chorin. c.* 4. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles &c.* familiaris elegantia Sacrę Scripturę, quę vi pollet, & energia. Facit enim Deus de tenebris lucem splendescere, & lux in tenebris lucet.

5. Quinta ponitur Zeugma, seù reductio plurium clausularum orationis ad unum verbum per Eclypsim, vel plurium sententiarum per unicam conclusio. Exempl. primi habetur, *ad Eph. c.* 4. *omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis &c.* ubi plura, quę exigunt pluralitatem in verbo, reducuntur per hanc figuram ad singulare: Exempl. *Psalm.* 14. *qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam; qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in*
B *lingua sua &c. qui facit hac non movebitur in aeternum.* Explicat hanc figuram Augustin. *lib.* 1. *locutionum in Gen. c.* 40. alio exemplo, *Gen. cap.* 13. *ascendit Abraham de Ægypto ipse, & uxor ejus, & omnia ejus, & Loth cum eo in desertum*, ubi subauditur, ascenderunt. Nec tamen propriè dicitur ascendisse cum eo, id quòd habebat inanime, sicut aurum, & argentum, & omnis suppellex, ac per hoc intelligitur hic locutio, quę vocatur gręcè zeumatica eclypsis. Simile habes, *Zach. cap.* 1. *ubi sunt Patres vestri, qui non audierunt? &c. ubi Prophetæ vestri &c.* intelligitur, ubi sunt &c. Adde, *ad Roman. c.* 8. *Quis nos separabit a charitate Christi? tibulatio &c.*, & plura hujus generis passim occurrunt.

C 6. Hypozeusis figura, per quam è converso singulis verbis, aut sententiis apponitur suum verbum, sive terminatio immediata, ad majorem distinctionem. *Prima ad Chorin. c.* 13. *sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*, ubi singulis clausulis apponitur sua immediata conclusio per hanc figuram, at quia omnes clausulę ad unam reducuntur, a qua reguntur, scilicet *charitas numquam excidit*, ex hac parte elucet etiam prior figura, scilicet Zeugma; de sententiis exemplum est, *Psalm.* 26. *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

7. Sylepsis, casuum discrepantium in unam significationem contractio, *Psal.* 149. *ad faciendam*
D *vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus &c.* sed hæc quia sic diversimodè procedit, ad alteram ex mox allatis reducitur.

8. Paranomasia, seù denominatio, quæ fit per dictiones consimiles, diversa tamen significantes: hæc non ita frequenter habetur in Scriptura, immò vix invenitur, sumpta in rigore, quia sic importat quamdam affectationem verborum sono, & apparentia affinium, & insuper, quamvis in hebræo sermone, & doceat magis, & de facto in Scriptura reperiatur, ut notat P. Salmeron, prolog. 13. in versione nostra eundem sonum non præsert, ideò prætérimus, maximè quia, ubi est, ad alias figuras reducitur.

9. Ecclypsis, est quædam elegans ommissio alicujus

jus verbi, vel dictionis, quæ requiri videtur ad integritatem totius orationis, vel sententiæ, quod supplendum relinquitur, vel ex ratione, vel ex aliis locis Scripturæ, & aliquando sic procedit oratio, ut ex eo, quod deest excitatus lector, ea quæ dicuntur intimius scrutetur, inveniendi causa, quid suppleat. Plura habemus exempla, quæ notant hoc loco Doctores, & ad rem faciunt. Paulus Apostolus in suis salutationibus sæpè ait: *gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo*, interminata planè oratio est, ut scias ergo quid suppleas ad orationis integritatem, consule similem locum, in *prima Petri, cap.* 1. qui simili salutationi addit, *adimpleatur. Ad Roman. cap.* 9. *quodsi Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum*, etiam attentis, quæ sequuntur trunca omninò apparet oratio, & inconclusa sententia, consulenda est ergo ratio, & quia sermo est arguentis, & indignantis, qui aliquid reticet, quod juxta contextum quisque in se supplere solet, ibi subaudiendum est, *tu quid habes, ut contradicas*, vel inspiciendum, quod supra eodem capite dixit: *ò homo tu quis es, ut respondeas Deo? Psal. 6. anima mea turbata est valdè, sed tu Domine usquequò?* interminata oratio est, per quid ergo complebitur? sanè pulcra est expressio optantis remedium, & curationem turbationis, igitur vult intelligi, *usquequò absens eris, & differes pacem dare, & remedium?* sic facilè deducitur etiam ex contextu, & cohæret alius modus supplendi Scripturam, per Scripturam, cum enim, *Psal.* 12. dicat. *Usquequò oblivisceris me in finem, usquequò avertis faciem tuam a me? quandiù ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? respice, & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando &c.* hæc est paraphrasis illius interminatæ particulæ usquequò? quod ideò retulimus, ut ex hoc exemplo duo inferat lector, primum, interminationem similem in Sacra Scriptura non esse vitiosam, sed maximè expressivam affectus, & multò plura innuere; quam si terminaretur simplici addito. Secundo tutius esse, cum occurrit aliquid supplendum, illud quærere ex alio loco ipsius Scripturæ, quam ex propria ratione, & cum ex ratione quæritur, spectandum esse contextum, sic enim non nos supplemus, sed ipsa Scriptura, per quod objectioni, quæ hic occurrit, respondetur.

Obiici enim potest illud *Apocalyp. cap. ultimo, contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: siquis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*, atqui eadem est ratio de tota Sacra Scriptura; non enim majoris, aut dignitatis, aut infallibilitatis est liber Apocalyp. quam Evangelium, cęterique libri Canonici, ergo numquam, vel terminata, vel interminata occurrat ratio in quovis libro Sacro, aliquid supplendum est, aut suppleri potest, nam supplere, est addere quod deest.

Resp. ex pręnotatis, numquam aliquid Sacræ Scripturę a nobis addi, aut suppleri, sed potius
A ipsam sibi supplere, aut melius, neque Sacram Scripturam in rigore sibi addere, vel supplere, sed imbecillitati nostræ opitulari, qui figuræ hujus energiam non intelligimus, & ad mysterium ejus; quod reticetur, non pertingimus. Adde, quod si adhuc aliquid (ubi occurrit hęc figura) supplendum esse absolutè diceremus, non esset contra nos allegata sententia Joannis, quę viget adversus eum, qui addit verbis Sacrę Scripturæ, cum autem Scriptura apponitur Scripturæ, non additur aliquid Scripturę, sed ipsa sibi unitur, & componitur, una enim semper est, quia veritas est: adde secundo, quod hoc verbum, *addere*, formaliter acceptum, supponit completam esse rem, cui fit additio, nunc autem agimus de locis Sacræ Scripturæ, quæ orationem habent interminatam; ideò quod supple-
B tur, verè non additur. Et certè eruere, & explicare, quod involutum invenitur, non est aliquid addere, aliter omnes Expositores, incurrerent damnationem a Joanne fulminatam; porrò cum in casu orationis interminatæ, dicimus aliquid supplendum esse, idem est, ac si diceremus, cum oratio interminata occurrit, explicandum est, quid lateat in eo, quod dicitur &c. nihil igitur contra nos. Id verò præter morem, hic inseruimus ne vel minimæ in superius stabilitis toto hoc opere, arguamur inconsequentiæ, neve aliqua, vel suspicio maculæ Sacris Litteris inuratur, obluctante Psalmista, *Ps.* 18. *lex Domini Immaculata*, & prius *Ps.* 11. *eloquia Domini, eloquia casta*, idest humanis non jungenda, vel supplenda, aut cor-
C rigenda, quia sunt *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

Prosequamur nunc, quæ supersunt aliqua præsentis figuræ exempla; prodest enim hæc methodus, ut sensim, omnia ferè loca difficilia, explicentur, quod (cum ex professo id perficere non vacet) præstare intendimus insensibiliter, oblata pluries occasione.

Ad Galat. cap. 2. *qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem*, interminata locutio est, saltem materialiter, at sensus integer fit ex consideratione contextus, in quo agit de prædicatione; sic ergo, subaudi, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem, apostolicæ prædicationis munere fungeremur. Ead. epistol. in-
D fra cap. 4. dicit Apostol. *Estote sicut ego, quia ego sicut vos*: obscurus videtur sermo, quia incompletus apparet, sed cum sensus totius ferè epistolæ sit, de evangelio, & lege, ne judaizent Christiani, ideò sensus hujus laconismi est. Estote sicut ego in observatione, & defensione Evangelii, quia & ego fui æmulator legis, sicut vos fuistis, & nunc cognita veritate id sum Evangelio, quod olim fui legi &c. *Ps.* 74. *quia neque ab oriente, neque ab occiden- neque a desertis montibus*, suspensus ibi videtur sensus, quia trunca oratio, ideò quoad hujus loci expositionem, in diversa abiere Doctores. Explicat paraphrastes Caldęus, cui magis standum est, cum explicatio hujusmodi intercisarum locutionum proprium munus sit paraphrastis, ait ergò, *quoniam non est alius præter te, ab oriente, usque in occidentem,*

tem, & a septentrione domus deserta, & ab austro usque ad loca montosa, cui addit Salmeron loco citato, *& per desertos montes intellige meridiem, ex qua parte est desertum magnum Judeæ*: at nos ex regula mox stabilita; a Scriptura ipsa, quarendum esse supplementum putamus ipsius Scripturæ; verior ergo paraphrasis, & explicatio, sive suppletio præsentis textus, sumenda est, *ex Psal.* 138. ubi sic. *Quo ibo a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam, si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in Infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, & enim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*, est ergo sensus præsentis versiculi, nolite loqui adversus Deum iniquitatem, quia neque ab oriente, neque ab occidente &c. erit vobis via effugiendi judicium Dei, ejusque præsentiam, Deus enim judex est universalis, & ubique præsens, quem sensum pulcrè tractat Gregorius, lib. 33. Moral. c. 14. Et hæc satis, ne quid nimis.

10. Apostrophe, quæ fit convertendo sermonem, sive ad animata, sive ad inanimata. Exemp. primi: *Psal. 2. & nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram*. Innumeræ pariter invocationes Dei, quæ passim in Psalmis, ac alibi etiam in tota Scriptura passim occurrunt, hanc præseferunt figuram. Frequenter etiam in libris Sapientialibus habetur, cum ad lectorem, seu discipulum tamquam ad Filium loquitur sapiens, & etiam ad reges, quos instruit, ut *Sap. cap. 6. audite ergo Reges &c. prabete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis*. Exemp. 2. est etiam frequens. *Deut. 32. audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*. Sed in his ferè semper est mysterium, ut puta, quia nomine cælorum, veniunt Angeli, & nomine terræ, omnes homines, etiam terreni, & peccatores, & etiam energia est, seu fortis expressio, ac si audire valeant res inanimatę, ea, quæ homines attendere non curant.

11. Prosopopęja, quæ est fictio, sive inductio personę loquentis, sive illa sit, quę loqui possit, & soleat, sive quę loqui non possit, aut etiam ejus, quę loqui possit, sed non soleat. Exemplum primi, est in parabolis evangelicis frequenter, & alibi, quod cum pateat, non indiget extensione; totum Canticum Canticorum, exemplum est &c. pro secundo habemus *c. 9. l. Judicum. Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem, dixeruntque olivæ; impera nobis*, vide, quæ loquuntur. *Job. cap. 28. perditio, & mors dixerunt, auribus nostris audivimus famam ejus &c.* & similia. Pro tertio habes *Sap. c. 5.* sermonem damnatorum ad conspectum justorum: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii, ecce quommodo computati sunt &c. Ecclesiast.* etiam *c. 24.* inducitur divina sapientia, narrans originem, & dignitatem suam: *ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam &c.* sub qua figura Beatissimę Virginis Immaculatę excellentię pręconia, magnificè divina eloquentia celebrantur, ut sentit Ecclesia, & nos alibi supra ostendimus, & *Prov. c. 8.* eadem sapientia inducitur docens, & dicens: *O viri ad vos clamito, & vox mea ad Filios hominum, &*

A prosequitur in eodem sensu laudis Deiparę, sicut loco nuper citato Ecclesiastici.

12. Anadiplosis, sive fortis repetitio, quę ad majorem emphasim, repetit aliquam dictionem, aut etiam plures, & prout applicatur, diversos exprimit affectus, & effectus. *Apocalyp. cap. 18. cecidit, cecidit Babylon magna. Ps. 91. quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt. Ps. 92. Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem. Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos; mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, & Ps. 93. Deus ultionum Dominus, Deus ultionum &c.* & frequenter in cęteris Psalmis: *Math. c. 23. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas. Hieremia c. 22.* B *Terra, terra, terra audi sermonem Domini*. Et notabile est semper in his repetitionibus, aliquid explicativum, & augmentativum exprimi, ita ut videatur illud plus aliter exprimi non posse, nisi per repetitionem, ideoque numquam vanam illam repetitionem quę redolet superfluitatem, in Sacris Litteris reperiri, in quo sensu nudas repetitiones a Sacra Scriptura longè abesse firmiter in nostris regulis superius statutum fuit.

Plurimę quidem, pręter istas hic appingi possent figurę, quas Rethores magnificant, & quidam Doctores Sacri in Divinis Litteris scrutantur; at quia re ipsa vel in hactenus traditis, vel in regulis, quas proprio loco supra examinavimus, satis continentur, & apud alios, qui in promptu sunt, C Auctores satis diffusè traduntur, earum hic sigillatim mentionem facere superfluum esset. Inter eas tamen non ommittenda esset enallage, quę consistit in mutatione temporum, cum unum pro altero ponitur, vel in mutatione prępositionum, cum una pro altera usurpatur, vel in variatione numerorum, cum pluralis pro singulari, vel è converso accipitur, aut denique casus pro casu, quę figura specialiter dicitur Antiptosis, nisi de his etiam satis dictum fuisset in regulis, ac potissimum in quinta Ticonii, sed & iterum dicetur infra in propriis modis loquendi Sacrę Scripturę. Nec fugit pręcipua, & admodum utilis, immò summè necessaria ad intelligentiam difficilium locorum Sacrę Scripturę, cognitio figurę, quę dicitur anticipatio, seu prępocupatio, & pariter alterius, D quę comes ipsius est, & dicitur recapitulatio. De his quidem ex professo actum est supra, in regula sexta Ticonii, aliquibus exemplis, & doctrina sapientissimi Augustini. At quia aliqua exempla, in quibus apparet necessitas hujus notitię, & plura in eis solvi nequeunt, nisi ad hujuscemodi figuras recurramus, illic addi non potuerunt, operę prętium erit, hoc loco ea supplere. Contingunt autem tales figurę in narrationibus, ideoque frequenter in parte historica Scripturę, in qua certè, si res gestę suo ordine integrè narrentur, absque eo, quod ad pręterita redeatur, locum non habent, cum verò aliqua urgente causa, sive mysterio, ante tempus suum, quo res gesta fuit, narratur, quasi inchoando ab eo, quod fuit in re posterius, dicitur anticipatio, sive prępocupatio,

quan-

quando autem posterius describitur, quod prius evenit, dicitur recapitulatio, seu anacephaleosis.

ARTICULUS QUARTUS APPENDIX.

Quasdam difficultates prælibans, quæ notata postrema hac figura solvuntur.

QUoad anticipationem prima se offert difficultas, *Matth. cap.* 27. ubi narrantur prodigia, tempore passionis Christi Domini mundo ostensa. *Velum templi scissum est in duas partes, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt*: Plures enim communiter opponunt quoad ultimam partem. Si moriente Domino plura corpora surrexerunt, ergo resurrectio Domini non fuit prima, & exemplar, & causa nostræ resurrectionis, ipseque proinde gratis dicitur ab Apostolo, *primogenitus mortuorum*. 2. resurrectio, argumentum maximum est lætitiæ, ergo nedum insensata ipsa elementa mærebant, lætarentur homines, pro quibus non pro inanimatis lapidibus, Redemptor tremendo adeo supplicio moriebatur: 3. illicò Sanctissima illa anima post mortem, Inferos penetravit, amicos suos, utique sanctos consolatura, ac liberatura, quod certè, cum hoc componi non potest, quod plures ex illis sanctis animabus jam abessent, cum ad sua corpora jam eo moriente prius rediissent. Hujus generis plura alia non levia opponuntur. Hæc sanè rationabilia admodum sunt, nec tamen concedendum irrationabilem esse narrationem Evangelistæ, sed recurrendum ad hanc figuram, quia reverà multoties evenit simile in aliis etiam locis Sacræ Scipturę ut observat Gregorius in c. 1. præfationis in lib. Job: *Sacra*, inquit, *Scriptura in superioribus suis partibus solet breviter longè post secutura perstringere, cum studet ad alia subtilius enunciando properare*. Dicendum est igitur, etiam hoc loco occasione data narrandi, quod sepulcra fuerant aperta, etiam resurrectionem aliquorum, quæ fuit post resurrectionem Christi, attexuisse, & hoc propter connexionem, quæ est inter monumentorum aperitionem (quæ verè visa est ipso tempore mortis Christi,) & resurrectionem aliquorum, qui è sepulcris prius reseratis, exierunt postea, quam Christus surrexit, idque satis innuit Evangelista dicens, *& exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*, solvitur ergo omnis scrupulus hoc loco, si memineris hujus figuræ. An verò qui tunc resurrexere, denuo fuerint mortui, quique illi fuerint, quæstio satis implicata est, nec spectat ad hunc locum. Nos sequimur magnum Augustinum, epistol. 99. ad Evodium, & D. Thom. 3. p. qu. 53. art. 3. qui eos iterum corpora reliquisse asserunt reassumenda in communi resurrectione, ut innuit Apostol. ad Hebr. 11. dicens, *ut non sine nobis consumarentur*, & ita etiam plures Patres, non enim corpus reassumpserunt, nisi ad gloriam Christi manifestandam, & confirmandam fidem, vel

A reparandam in mentibus dubitantium, ad quod necesse non erat, quod sic durarent habito fine, ad quem resurrexerant, quia etiamsi corpus retinuissent usque nunc, hoc nescientibus nobis, nihil prodesset, idque satis innuit Evangelista subdens, & apparuerunt multis, quia nempe ad apparitionem talem complendam surrexerant, non ad aliud; Et hæc veritas ex eo constat, quod qui a Christo fuerunt resuscitati, ut Lazarus, & Filius viduæ &c. certè nunc non vivunt, ergo iterum mortui sunt, ergo & isti Sancti, quidquid alii dicant, quorum sensus hic examinare vitiosum esset. Quinam illi fuerint, hoc probabilius invenimus, quod nempe fuerint Prophetæ, qui Christi resurrectionem prædixerant, aliique ex magis notis in Hierusalem, ut in quorum resurrectione proinde, magis constaret

B de miraculo, ac Fides quæ tunc maximè in pluribus ex crucis scandalo vel nutabat, vel perierat, vel firmaretur, vel resurgeret. Hoc certum est, quod non solum aliqui, qui sepulti erant in Hierusalem, sed quidam etiam ex alibi conditis surrexerunt, habemus enim ex Evangelio loco citato, multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt &c., & venerunt in Sanctam Civitatem, si enim venerunt, ergo in Sacra Civitate non erant, nisi hoc fortè dicatur, quia moris erat Judæorum, ut sepelirentur extra Civitatem, ut notum est; De cæteris huc spectantibus aliquid afferere, divinare est.

Huc reducit Alphons. Salmeron loco sæpè citato, quæstionem illam, quam hoc eodem c. 27.

C Matth. aliqui proponunt, an videlicet Judas proditor, ante Christi mortem suspendio obierit, an post ejusdem resurrectionem: ait enim exemplificando in hac figura anticipationis. Judæ præterea suspensio narratur a Matthæo, ante Christi interitum, quæ tamen, si mortem includebat, accidit post Christi ad vitam immortalem reditum, maximè si vera est illa traditio, ab Eumenio narrata, ex Papiæ testimonio in c. 1. Actor. Apostol. quod suspensus fracto fune cecidèrit, & ad aliquot dies vitam infelicem miser produxerit, donec iterum, se præcipitem ex edito loco dedit: hæc Salmeron, sed ibi huic figuræ non est locus, quia illa, quæ dicitur traditio, est potius proditio veritatis, & figmentum: ideò sapienter ad hunc locum *Corneli. Alapid. Abiens laqueo se suspendit: Syrus vertit, & strangulavit. Ethiopicus, laqueo se sus-*

D *pendit, & mortuus est. Errat ergo Theophil., & græci, qui censent Judam suspendio non esse mortuum, sed postea curru fuisse obtritum*: hæc Corn. Et quidem nullus inter Patres, potissimum latinos, huic favet invento, seu potius errori, nec aliquod fundamentum habet in Scriptura, quæ cum utitur anticipatione, aliqualiter hoc indicat in contextu bene pensato, vel cum redit ad caput narrationis, & convincuntur, qui id asserunt, sicut senes Accusatores Susannæ, quorum alter dixit se vidisse Susannam cum Juvene sub pino, alter sub schino, horum enim pariter aliqui dicunt, Judam postea occisum curru, aliqui præcipitem se dedisse, alii ad ficum se suspendisse, quod vix credi potest, cum hujusmodi arbor nimium debilis alter suadeat, alii

aliter

aliter narrent, quod nesciunt. Id autem placuit advertere ne sub colore hujus figuræ, inducatur aliquando error, qui semper est scripturis ignotus.

Exemplum aliud verius affert Augustin. in de consensu Evang. cap. 17. ex Joan. c. 2. ubi narrans miraculum conversionis aquæ in vinum in Canna Galileæ, concludit, quòd eo viso Discipuli ejus crediderunt in eum. Ex quo oritur quæstio, quommodò, si jam Discipuli ejus erant, non crediderant, sed tunc tantum in illo signo, quod fuit initium signorum Jesus, cæperunt credere? certè si illud fuit initium signorum, jam aliud signum non viderant, ex quo convincerentur credendum esse in eum, & tamen Discipuli dicuntur, implicat autem ex alia parte, quòd jam essent Discipuli ejus, cui non credebant. Resp. Thophilact. quòd erant jam Discipuli, & credebant, sed ex vi illius
B signi magis confirmati fuerunt in Fide, sed quod supponit Theophil. probandum est, quod nempe ante illum diem jam crederent, & essent electi Discipuli; electio enim Discipulorum non præcesserat hoc primum signum, sed in captura piscium facta est, cum piscatores hominum fuernnt constituti. Prior enim illa vocatio, quam cap. 1. narrat Joann. fuit præparatio tantum juxta sensum sapientissimum Augustini; Ideoque non audiendus est hac in re Salmer. qui Augustini sententiam postponit interpretationi Theophilacti. Concludamus igitur cum eodem Augustino, loco citato, ibi recurrendum esse ad hanc figuram, quia nempe per anticipationem dicti fuerunt Discipuli, qui tunc
C non erant, sed postea fuerunt, nec contendendum est in eo, quod credere tunc cæperint, cum viderunt miraculum, vel prius antequam essent Discipuli, crediderint; utrumque enim esse potuit, sed in eo sistendum, quod tunc non erant Discipuli, eo tempore, quo tales dicti sunt a Joanne, per anticipationem, quod sic exponit Augustin. *Qui utique si tunc in eum crediderunt sicut Paulo post dicit, nondum erant Discipuli, cum ad nuptias vocati sunt: sed illo more locutionis hoc dictum est, quo loquimur Apostolum Paulum in Tarso Cilicia natum, neque enim tunc jam erat Apostolus. Ita Discipulos Christi invitatos ad nuptias cum audimus, non jam Discipulos, sed qui futuri erant Discipuli intelligere debemus. Jam enim utique Discipuli Christi erant, quando ista narrata, atque conscripta sunt, & ideo*
D *sic de illis locutus est, præteritorum narrator*. Ita Augustin. quæ valdè notabilis Doctrina est, ut intelligamus Scripturas, qua connaturalitate sermonis, hac figura utantur.

3. Iterum difficultas insurgit in hoc eodem cap. quoad Discipulos, ait enim; *post hac descendit Capharnaum ipse, & Mater ejus, & Fratres ejus, & Discipuli ejus, & ibi manserunt non multis diebus*. Incertum est enim (ut convenienter esse potuit) quod tempore cadente inter miraculum patratum in nuptiis, & descensum in Capharnaum, vocaverit, & elegerit Apostolos, saltem Petrum, & Andream, & Philippum, qui eum sequebantur, & postea descenderit in Capharnaum, quod si evenit, jam hoc secundo loco Discipuli directè dicuntur sine anticipatione. Sed etiamsi ita evenerit; adhuc verum habemus sensum ex hac figura, vel enim fuerint tunc electi, vel non electi, verum est quòd Evangelium loquitur de illis, qui quando Evangelista scripsit, jam fuerant ejus Discipuli: hæc autem indeterminatio non vitiat textum, qui per talia verba non intendit describere tempus certum eorum electionis, sed iter Christi in Capharnaum non fuisse prius miraculo facto ad nuptias, ideò ait, post hæc, socios verò ejus tantum indicat, quales fuerunt antequam scriberet ipse Evangelium; quod ideò observandum est, quia revera, ut aic loco citato Augustinus, quo ordine vocati fint, & electi Christo adhæserint duodecim Apostoli, in Evangelistarum narratione non apparet; quapropter certissimam Scripturæ veritatem incertæ notitiæ non alligamus.

At hæc sufficiat (quia specialem quamdam præseferunt difficultatem) diligentius attendisse; alia verò, & quidem non omnia, sed quæ magis notantur; cursim dumtaxat prælibando transibimus. Pro quo notandum, pluries Scripturas pertractanti occurrere nomina, quę vel personis, vel locis tribuuntur, quæ non nisi post eventum aliquòd valdè posterius rem, quæ narratur, obtinuerunt, in quo elucet usus præsentis figuræ, quæ si non attendatur, obscuritatem non modicam, & confusionem rerum, quæ occurrunt, studiosæ ingeric menti.

Gen. cap. 9. maledixit Noe Chanaan, qui ut clarè habetur cap. sequ. tunc natus non erat; nomen igitur illud per anticipationem pronunciatum fuit, & quidem maledictio illa immediatè spectabat Cham, qui deliquerat, non Chanaan, qui nondum erat, sed lata fuit in Filium, qui nundum erat, in pęnam, & afflictionem Patris scilicet Cham, qui peccaverat in Patrem suum Noè, vicemque ei reddidit in Filio, ipse Noe contemptus a Filio. Cur autem non potius reum Cham maledixit in se ipso, qui in se ipso peccaverat, ratio esse potest, quia maledicto Cham, in omnes Filios ejus pertransisset maledictio, qui tamen non omnes futuri erant mali, & imitatores Patris sui; illa ergo maledictio futuri Chanaan, prophetia fuit potius de iniquo Chanaan, quam sententia, quæ secundum jus naturæ proferri nequit in non existentem, de quo alibi.

Item Gen. c. 31. dicitur, quod Jacob in Monte Galaad fixit tentorium, & tamen tunc mons ille non vocabatur Galaad; sed consta eodem cap. posterius, versus finem, quod ratione pacti postmodum initi inter Jacob, & Laban, qui eum persecutus fuerat, appellatum est nomen loci illius Galaad, idest tumulus testis.

Gen. cap. 21. Abraham fodit puteum, & vocavit eum Bersabeę, ex inito juramento cum Abimelech, & tamen multo ante dicitur de Agar, quòd errabat in solitudine Bersabeæ, eodem cap. Immò etiam alius est puteus Bersabeæ ut habetur supra in Gen. c. 26.

Cap. 28. ejusdem Gen. appellavit nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur, in quo non modica est controversia, quia dicitur determinatè,

Gggg quod

quòd urbs illa prius Luza vocabatur. Et tamen Gen. cap. 12. dicitur, quòd Abraham, de Sichem, & convalle illustri, transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel tetendit ibi tabernaculum: sed notandum quod primo loco agitur de mutatione nominis, ideò sine figura loquitur textus narrative: at cap. 12. quia non agebat de nomine, sed de loco absolutè, qui cum Moyses scribebat, jam vocabatur Bethel, ideò sine defectu per hanc figuram potuit uti nomine Bethel juxtà superius notata ex Augustino.

Facilius apparet hæc figura. Josue cap. 4. ubi sic; populus autem ascendit de Jordane, decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho; sed hoc nomen Galgala, cum transirent Jordanem, nondum positum erat, quia dicitur cap. 5. quod pertransito Jordane, & circumciso populo, vocatum est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem, notandum tamen, quod prius signavit locum, postea verò signavit nomen, & addidit usque in præsentem diem, quo scilicet Josue scribebat, ex quo magis apparet figura, de qua agimus.

Plura his similia passim occurrunt. Nam Gen. cap. 14. habetur: venerunt usque ad fontem Masphath, ipsa est Cades, quod nomen tali loco nondum impositum fuerat.

Ibidem dicitur: contra Regem Balæ, ipsa est Segor: hoc tamen nomen Segor, post ea Balæ impositum fuit, ut habetur, Gen. c. 19.

Gen. c. 2., & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, idest fecit, seù Decrevit colendum esse diem Sabbathi: at non invenimus tunc datum fuisse hoc preceptum, scilicet ante legem scriptam, sic videtur aliquibus, dictum fuisse per anticipationem, cui tamen opinioni non aquiescimus, quia per hoc ipsum, quòd ibi dicitur, satis innuitur, simul cum preceptis naturalibus per traditionem, etiam hoc vulgatum fuisse, scilicet sanctificandum, & colendum fuisse diem Sabbathi, ut præceptum naturale virtutis Religionis, insitum lumini naturæ suam haberet observantiam in aliquo cultu determinato primi principii, & ultimi finis, sicque cognoscerent homines auctorem suum; idque satis innuitur Gen. c. 26. ibi, Deus ad Abraham ait: benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; eo quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceræmonias, legesque servaverit, ergo etiam tempore Abrahæ dabantur mandata, & leges, & ceræmoniæ; leges quidem, & mandata naturalia, quæ se extendebant ad aliquas ceræmonias protestativas utique divini cultus, ut est observatio diei festi: quamvis enim solum tempore legis scriptæ tale nomen specialiter obtinuerint, quæ peculiariter ordinabantur in Exodo, Levitico, & Deuteron. revera tamen quoad substantiam, seù rem ipsam, ob rationem adductam, prius etiam præcipiebantur; Sicque hoc loco anticipatio aliqua est nominis, non rei.

Numeror. cap. 34. descendent termini, in Rebla, contra fontem Daphnim; quod vocabulum

A (ut notat Salmeron loco citato) post aliquot secula inventum fuit, ex gentilium fabulis, & ab Interpretibus invectum, sed in hoc non sistimus, quia potius ex Scripturis nostris hauserunt poetæ, quod suis fabulis immiscerent, unde per hoc, quod post aliqnot sæcula Gentiles hoc nomine usi sunt, ad metamorphosim Daphnæ in laurum conversæ, non propterea inducenda est in hunc locum anticipatio, ut clarum est, quod notare opus fuit, ne detur ansa sub prætextu hujus figuræ, inveniendi ad libitum sensus in Sacra Scriptura.

Gen. c. 2. nominatur lignum scientiæ boni, & mali, quod quidem nomen postmodum arbori vetitæ, ex eventu pullulavit, ut facilè ex ipso textu deprehenditur infra.

Alia, & quidem plura, ex Pentateuco occur- B runt exempla: satis sit, quod notat Augustin. lib. 3. qu. super Levitic. c. 13., ubi sic; anticipatione subinde utitur Scriptura, rem eo nomine vocans, non quòd jam est, sed quod futurum est: sic Filii Aaron ante Sacerdotium vocantur Sacerdotes, & Filius Nave Jesus appellatus est, cum longè postea hoc nomen ei Scriptura narret impositum.

Illud tamen non modicam habet quæstionem ex hac figura, apud quosdam, quando nam formata fuerit Eva: dicitur enim Gen. c. 1. creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, masculum & fœminam creavit eos, quo innui videtur etiam Evam creatam fuisse ante septimum diem, quo requievit Deus, ab omni opere, quod C patrarat. At c. 2. dicitur, quod postquam Adam inductus fuit in Paradisum, & nomina imposuit omnibus animantibus, quod certè fuit post septimum diem, vel saltem post sextum, in quo creatus fuerat, adhuc Eva non erat, dicitur enim ibi. *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisit ergo Dominus soporem in Adam &c., & tulit unam de costis ejus, & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam &c.* quo clarè innuitur plura intercessisse inter creationem viri, & mulieris, ac consequenter post septimum diem, feminam creatam fuisse, quòd etiam videtur falsum, sic enim non verificaretur, quod Deus die septimo requievit ab omni opere suo &c.

Resp. facilè hæc omnia ex observatione hujus D figuræ solvuntur, quod enim primo loco dicitur, manifestam importat anticipationem, & quidem valdè ordinatam: convenit enim multoties, & ita frequenter consuevit Scriptura, quando aliqua specialiter, & in se ipsis, etiam quoadmodum narranda sunt, ea simul per modum Thesis proponere, ita in primis verbis Gen. dicitur *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*, qualiter verò ea creaverit, & quo ordine sigillatim, post describitur. Sicque generaliter proponitur creatio Adam, & Evæ prius; postmodum verò utraque declaratur; dicendum est igitur cum D. Thom. p. p. qu. 73. artic. 1. feminam formatam fuisse in se ipsa post septimum diem, ut clarè habemus, ex ipsa Scriptura, materialiter verò creatam fuisse cum Adamo, & in Adamo sexta die, quatenus tunc crea-

ta

ea fuit costa Adæ, ex qua postea Deus post septimum diem formavit Evam. Neque hoc contradicit requieti, quam asserit Scriptura in septima die; sicut nec eidem repugnat, quod exinde creaverit Deus, & quotidie creet innumerabiles animas hominum, hoc enim spectat ad administrationem universi, attenta rerum corruptibilitate; & ideò notanter dicit Scriptura, requievit ab universo opere, quod patrarat, non verò ab eo quod non patrarat; quamvis, & impropria hæc sit locutio nostra, patravit enim Deus omnia, creando species rerum, & infundendo eis virtutem successionis: continuatio verò spectat ad opus conservationis, & administrationis, non verò dicitur patratio, quod signat originalem quamdam productionem; a Patre siquidem dicitur patrare. Ex quibus liquet, per hanc figuram sanè intellectam, & applicatam, non modicas solvi Sacræ Scripturę difficultates; quod magis constabit consulenti Augustinum, & Angelicum locis citatis.

Hinc alia quędam, quæ occurrunt breviter cursim attingemus. Hieronym. in Ezech. cap. 30. ubi dicitur, & faciam judicia in Alexandria; hæc Civitas ait, nomen habuit Nò, quod Aquila, Symmacus, & Theodotio, sicut in Hebræo positum est, transtulerunt. Pro quo, nescio quid volentes septuaginta, dixere diospolim, quæ Ægypti parva Civitas est. Nos autem pro Nò Alexandriam posuimus, per anticipationem, nomen enim hujuscemodi multò post Ezechielem, acquisivit.

Judic. c. 15. habetur, qui cum venissent ad locum maxillæ; nomen tamen maxillę, illi loco nondum impositum erat, sed ex facto, quod post narratur, eodem cap. Notandum verò non semper eodem modo Scripturam anticipatione uti; aliquando enim exprimit, se uti nomine, quòd ex consequenti impositum fuit, sicut eodem cap. versus initium, ubi sic. Philistym castramentati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, idest maxilla, quòd ideò fit, ut discat lector, ejusdem morem dicendi discernere, etiam ubi sine tali declaratione procedit.

Ad Danielis cap. 7. advertit Hieronym. quòd idem Propheta narrat visionem, sive somnium, sibi factum, quòd accidit anno pr. Balthassaris Regis Babylonis, & cap. 8. narrat visionem, quam habuit anno tertio ejusdem Regis, & tamen prius, idest c. 5. narraverat visionem manus scribentis in pariete, quæ reverà accidit nedum novissimo anno, sed extrema die ejusdem Regis, unde necesse est dicere, quod per anticipationem narrantur extrema ejusdem Regis, & Regni cap. 5. per recapitulationem verò postea reassumitur eorum narratio, quę tempore ejusdem Regis, ante mortem ejus scilicet, evenerunt, cap. 7., & 8., & idipsum in cæteris Prophetis potissimum verò Hieremia, & Ezechiele notatis.

Plura occurrunt in Evangelio Matth. quæ nisi observetur usus hujus figuræ, ingerent difficultatem, ac proinde observare oportet contextum quatuor Evangelistarum, ut deprehendatur singulorum, quæ narrantur distinctio, vel identitas, & temporum, quo evenerunt, diversitas, ita etiam

A eum in aliis Evangelistis, quid simile advertitur, ut purà. Narrat Lucas cap. 9. D. Joannis Baptistæ carcerem, ejusque causam, & martyrium, suo loco: at Matth. cap. 14., & Marc. cap. 8. per recapitulationem; Joannes verò per anticipationem; sed de his fusius Deo dante suo loco dicemus.

De Maria Magdalena multi disputant an fuerit una, vel duæ, an bis, an semel unxerit Domini pedes, vel si una tantum, an & ubi unxerit pedes Jesu, & hoc ex diverso modo loquendi Evangelistarum. Sed hoc totum oritur ex usu hujus figuræ. Tutius enim unam tantum fuisse Magdalenam suo loco clarè ostendemus, & bis unxisse pedes Jesu, primo quidem, biennio ante passionem cum fuit conversa, & liberata a septem Dæ-

B monis in convivio Principis Pharisæorum, secundo verò cum prope passionem in Domo Simonis leprosi in convivio, quod attribuitur Mariæ, & Martæ, cum ait Christus ad sepeliendum me fecit, & eam defendit a murmuratione Iscariotis, unde dictum Joan. c. 11. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, accipitur de secunda unctione; quam idem Evangelista ponit cap. 12. quę per anticipationem innuitur, cap. precedenti, scilicet 11. sicque examinandò alios textus, aliorum Evangelistarum, quoad propositas quæstiones circa Magdalenam, notata hac figura, omnia clarescunt.

Joan. cap. 1. Erat Andreas frater Simonis Petri, est anticipatio, post enim narratur, quod Si-

C monem Christus primò nominavit Petrum.

Matth. c. 10. Marci c. 3., & Lucæ c. 6. postremò in Cathalogo Apostolorum nominatur Judas, qui fuit proditor, vel qui tradidit eum. Et hoc clarè per anticipationem, solum enim proditio ejus facta est, in extremo vitæ Christi, non quando duodecim Apostolos nominavit.

Gen. denique cap. 29. osculatus est Jacob Rachel, & elevata voce flevit, & indicavit ei, quod frater esset Patris sui, & Filius Rebeccæ; Prius ponitur, quod evenit posterius, unde August. lib. pr. qu. in Gen. qu. 87. ait, quomodo ab incognito illa osculum accepit, si postea indicavit Jacob propinquitatem suam? ergo intelligendum est; aut illum, qui jam audierat, quæ illa esset, confidenter in ejus osculum irruisse, aut postea Scrip-

D turam narrasse per recapitulationem, quod primò factum erat, idest quod indicaverit Jacob quis esset, vel cum ait, & indicavit, idem fuit, ac dicere, quoniam indicavit.

Diligenter perscrutanti omnia, plura adhuc occurrerent; prælibanti verò hæc satis superque. Ad ulteriora igitur, quæ nos expectant progrediendum.

CAPUT III.

Hebraicæ linguæ mores proprios prout elucent in Sacra Scriptura, & favent ejusdem intelligentiæ, colligens, seú potius prælibans.

HEbraici idiomatis, quòd jure meritò Antonomasticè dicitur Sanctum, primum, & æternum, excellentiam, privilegia, & præconia celebrare, aut saltem referre nostrum non est; qui non idcircò ejus meminimus, ut ipsum scrutemur, sed ut per notatos ejusdem aliquos dicendi mores Sacram Scripturam (cujus major pars primum tali idiomate conscripta fuit) quantum possumus, elucidemus. Sanctum est, quia præcessit peccatum, & beatis in empireo proprium est: Primum, quia Deum immediatum suo ostentat Auctorem, primisque, qui loqui potuerunt, inditum fuit: Æternum, quia æterna per ipsum revelata fuere mysteria, & primum fuit ad homines Verbum Dei; de quo ait Isaias *cap. 40. Verbum autem Domini nostri manet in æternum*, ipseque Christus: *verba mea non præteribunt*. Hæc, aliaque his similia, ex professo illud pertractantibus, ac explicantibus contemplari reservatur. Nos tamen adhuc fugientes, justa quædam admiratio, in re, quæ nostrum concernit institutum aliquantulum sistit. De Protoplaste nostro ait Scriptura, Gen. 2. quod omnia animalia duxit Deus ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, non quidem ut videret Deus, quo nomine singula Adam vocaret, ipse enim ab æterno hoc viderat, quòd & ipsi Adæ indiderat, sed ut ipse Adam videret, quid vocaret ea, quod nempe proprium nomen singula, propriæ naturæ intimè cognita differentia, & proprietate exigerent, & mererentur, quem sensum omninò connaturalem indicat sequens pericope: *omne enim quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus*; quod vocavit, hebraica utique lingua (alia enim tunc non erat) qua & Sacræ litteræ primitus fuere conscriptæ, saltem veteris Instrumenti; Ex hoc autem evidenter sequitur, novum quoddam, & admirabile consequens, sed æquè verum ac certum; Si juxta animantium singulorum naturas, differentias, ac proprietates, perspicaciter infuso superiori lumine cognitas, imposuit Adam eis singulis singula nomina, singulorum expressiva, & significativa, ea ergo non fuerunt signa ad placitum, sed potius naturalia, qualiter exigebant nominatorum naturæ, quo nihil amplius habent signa naturalia, quæ scilicet ex connexione naturali inter effectum, & causam rei alicujus, cum qua naturaliter connectuntur, faciunt in cognitionem venire; non ergo fuerunt pro formali entia rationis, sed quid plus, ergo realia signa, ergo entia realia pro formali, quòd ex eo clarè patet, quòd ens rationis fit concipiendo rem aliter ac est in se: nomina verò, quæ Adam imposuit, facta sunt concipiendo res prout sunt in se, ut ex Scriptura clarum est. Qualiter autem hoc factum fuerit, quia non comprehendimus, miramur; ni forte dicamus, quòd hæc fuit quædam participatio divinarum Idearum, Adæ adhuc innocenti, ac naturæ capiti, rerumque omnium Domino, & Gubernatori, providenter communicata; ut sicut Deus dixit, & facta sunt, ita proportione servata: Adam quæ facta sunt, intimè penetraret, ac diceret, & Verbo suo creato, participaret, prout communicari potuit Verbum Dei; eadem realiter significando per nomen, quę Deus produxerat realiter per Verbum. Quod si ita dicere cogimur (donec de meliori dicendi modo doceamur) de nominibus, quę primò protulit Adam Hebręo inspirato primitus idiomate, a fortiori idipsum convincitur de tota Sacra Scriptura, quę verè, & immediatè proprium est Verbum Dei, quod nempe significatio ejus sit realis, quod quidem nunc obiter, data occasione inferimus, alibi tamen ex professo, supra, scilicet de causa formali agentes ostendimus.

Sed dices; quorsum ista, quę alibi propriam sedem habent? Respondemus, ut noscat lector laboris nostri justitiam, qui tanto, tamque singulari idiomati; quantum verò divino debetur; nosque dum scrutandis hebraicę linguę dicendi moribus, qui in Sacra Scriptura elucent, insudamus, non verbis, sed rebus percipiendis incumbere, non nudę elocutioni Hebręorum, qui ipsam vitio suo, vel oblivione, ita corruperunt, ut nedum difficile, sed & ferè impossibile jam sit putam, ut primitus infusa fuit, invenire, sed veritati capescendę, quam docet Deus in Scriptura sua, servatis moribus primę, puręque linguę Hebraicę, totis viribus, studioque prout brevitati nostrę conceditur conari. Non ergo entia rationis, sed veritatem inquirimus. At ne nimium prǽsumere videamur, furtique damnemur, quod tamen nec furtum esset, aliena scilicet in hac materia usurpare, quę publicè impressa sunt, & donata, ut accipiantur, deprędari enim desiderat, qui thesaurum publicè portat in via, fatemur, & gloriamur, nos hic discere potius, quam docere. Peritiores itaque consulemus, & quoniam eorum operum exemplaria, vel rarò apud nos inveniuntur, inopia temporalium, expensas prohibente, vel ubi habentur diffuso stylo, & qui magistro, ut percipiatur indiget, procedunt; eum qui & peritus sacri eloquii, & sancti idiomatis, cum sit, fatetur nihilominus humiliter ęquè ac sapienter, se aliena collegisse; Doctissimum nempè Alphonsum Salmeronem tom. 1. pr. in Evang. prolegom. 14. compendiosè ac principaliter (alios interim non negligentes) sectabimur, tamen sine voto; in aliquibus enim diversitas Doctrinę, & ratio nos ipsa, ab eo divertit.

Quantùm verò nedum dignus studioso veritatis, pretiosus, utilis, ac fructuosus, sed & pernecessarius sit hujuscemodi labor, ne in plura effundamur, Sapientissimus indicat Augustinus, *tract. 10. in Joan.* ubi sic: *habet Sacra Scriptura linguam suam; quicúmque hanc linguam nescit, turbatur, & dicit: unde fratres Domino? num enim Maria iterum*

pepe-

peperit: Absit; inde capit dignitas Virginum: Illa fœmina Mater esse potuit, mulier esse non potuit: Dicitur est mulier secundum fœmineum sexum, non secundum corruptionem integritatis, & hoc ex lingua ipsius Scripturæ; nam Eva statim facta de latere viri sui, nondum contacta a viro suo, nostis, quia mulier appellata est, Gen. cap. 2. & formavit eam in mulierem: Vide ergo fratres cognati Mariæ, fratres Domini, de quolibet gradu: unde probamus? ex ipsa Scriptura: Frater Abrahæ dictus est Loth, qui fuit filius fratris ipsius: lege, & invenies, quia Abraham Patruus erat Loth, & dicti sunt fratres; unde, nisi quia cognati? Jacob Laban Syrum habebat avunculum, frater enim erat Laban Matris Jacob, idest Rebeccæ uxoris Isaac: lege Scripturam; & invenies quia fratres dicuntur avunculus, & sororis filius: Qua regula cognita invenies omnes consanguineos Mariæ, fratres esse Christi. Ita eximius Doctor.

Ex dictis igitur constat & dignitas, & singularitas, & utilitas, ac necessitas dignoscendi, loquendi morem, seu mores hebraici idiomatis, non utcumque, sed ut in Sacris Literis retinentur; quamvis enim versiones omnes ad tollendam omnem ambiguitatem, confusionem, & errores Indum facilitatem, ex Sacrosancti Tridentini Decreto ad unam vulgatam restringantur, eaque latina sit, mores tamen dicendi hebraicæ linguæ ita eadem retinet, & custodit, ut iis ignotis, quo peritior linguæ latinæ est, qui legit, eo facilius sensum Sacræ Scripturæ proprium, quandoque, aut invertit, aut evertat, ut alibi notavimus ex Patrum Doctrina.

Hunc ergo laborem libenter aggredimur, tum quia utilis ad finem, quem intendimus, tum quia, quamvis humilis, & grammaticalis prima fronte appareat, clavis tamen est thesaurorum sapientiæ, & scientiæ Dei, tum & eo maximè quia auspicem habet, supremam immaculatam Sapientiæ Matrem; Erat enim in Virginem, quæ substantiale Dei Verbum, homine vestiens, humana ditans lingua, Dei sapientiam ad humanos mores traduxit, eamque nos docuit, dum eam nobis donavit, & ne quid minimum suspicaremur, ubi est ineffabile Dei Verbum, dum illud infantili exiguitate velatum protulit, cecinit, Magnificat anima mea Dominum; sicque nos erudivit, etiam in minimis, magnificè tractare sapientiam: Eja ergo dirige, doce, perfice, more amoris tui, vota hæc humilitatis nostræ ad veritatem, Oh verissima Sapientiæ Mater.

ARTICULUS I.

Hebraismos inspiciens dicendi mores, circa nomina, pronomina, & relativa, qui in Sacra Scriptura notantur, seu reti-nentur.

CUM sapientis sit ordinare, ne difformiter ad sapientiam, ad quam tendimus procedamus, præfixum superius ordinem, tanquam sacram servemus, quem innuit, & in ipso ordine ordinem:

A Antequam ergo ad peculiares Sacræ Scripturæ idiotismos in singulari accedamus, iis, jam prælibatis, quæ magis generaliter ad id spectant, quod intendimus, minus generalia, communia tamen, attingere, operæ prætium jubet, quæ in titulo præsentis articuli recensentur. Idque per plures observationes, breviter tamen exequimur.

Primò, quia hebræi genere neutro carent, ut distinguitur a masculino, & fœminino, ideò ad illud supplendum, substituunt modo masculinum, modo fœmininum, quem morem servat frequenter Scriptura, ideoque etiam in latinum versa eum redolet, quia enim aliquando in hoc dicendi modo latet, vel immiscetur mysterium, noluit latinus Interpres ipsum immutare, malens minus latinè dicere, quam minus fideliter. Hanc observa-

B tionem exhibet Hieronym. *in cap. 7. Ecclesiastæ*, ubi sic: *quod nos solemus absolutè, & neutraliter appellare, sicut, hoc quæsivi, illud quod volui, inveni, hebræi fœminino genere pronunciant. Ita Psal. 26. Unam petii a Domino hanc requiram, pro hoc, quod est, unum, & hoc, & pro eo, quod est, ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unam ad unam &c. Adde Psal. 118. octonario 7. hæc facta est mihi, pro eo quod est, hoc factum est mihi.* Sed hinc non est inferendum, quod ubicumque invenitur fœmininum, stet pro neutro, nam eodem octonario, in principio habetur: *hæc me consolata est in humilitate mea*, at quia constat ex contextu, hoc referri ad spem, de qua versu præcedenti, *memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti*, & deinde prosequitur, *hæc* (utique spes) *me consolata est*, ideò non recurrimus ad

C hanc observationem, quæ tunc locum habet, cum fœmininum non apparet, quo referatur, sive quid absolutum supponat, quod benè notandum est. Adverte etiam quod aliquando Interpres, inveniens in hebræo fœmininum, vertit in neutrum, sicut *Psalm.* 117. in Hebræo habetur: *a Domino facta est ista, & est mirabilis in oculis nostris*, & tamen noster vertit: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*, & hoc ideò, quia reperit per hanc mutationem, nullum supprimi mysterium. Ita etiam habemus, *Gen. c. 2.* ubi hebræa habent: *non est bonus esse hominem solum, & ipso est nomen ejus, & Ps. 118. octonario 9. bonus mihi lex oris tui, & bonus mihi, quia humiliasti me.* Noster Interpres vertit, *non est bonum*

D *esse hominem solum; & ipsum est nomen ejus, & Ps. citato: Bonum mihi lex oris tui, & bonum mihi, quia humiliasti me*; & hoc propter allatam rationem. Exemplum autem integrum hujus observationis habemus, componentes quod dicitur, *Michea c. 5. & tu Betlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda &c.* & quod refertur, *Math. c. 2.* nempe Principes Judæorum, & Scribas populi respondisse Herodi, citando prædictum cap. Micheæ. Sic enim scriptum est per Prophetam, *& tu Betlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda:* illic masculinum ponitur, hic fœmininum, ex quo clarè deducitur, genuinum sensum ex neutro esse ob morem Hebræum ponendi masculinum, vel fœmininum pro neutro, itaque proinde sensus erit utriusque textus, qui certè id

ipsum

ipsum dicere debet. *Et tu Betlehem terra Juda, parum est tibi, quod sis in millibus Juda, hoc enim maximum habebis, quod ex te exiet Dux, qui regat populum meum &c.*

Secunda. Quamvis hebræum idioma nominibus etiam, quæ adjectiva, & connotativa appellantur, utatur, ad majorem tamen expressionem loco substantivi, & adjectivi, ponit duo substantiva, alterum in recto, alterum in obliquo, obliquum sumens pro adjectivo, ad significandum qualitatem illam, quam sic describit, & alicui tamquam supposito attribuit, ita illi dominari, ac si esset ipsius substantia, non accidens. Hunc autem dicendi morem frequentissimè in nostra etiam vulgata reperimus retentum: Ita pro homine pacifico, *Ps.* 48. dicitur: *homo pacis*, pro viris divitibus, *Ps.* 75. *viri divitiarum*, pro hominibus sanguinolentis, *Ps.* 25. *viri sanguinum*: pro viris nominatis, *Gen. c.* 6. *viri nominis*, in aliis versionibus, quamvis in nostra dicantur viri famosi; pro vase electo, *Act. c.* 9. *vas electionis est mihi &c.* pro Deo pacifico, 2. *Chorin. c.* 13. *Deus pacis*. Pro Deo misericorde, supra, *c. pr. Pater misericordiarum*. Pro Deo ultore, *Ps.* 93. *Deus ultionum Dominus &c.* pro Judice iniquo, *Lucæ c.* 18. *Judex iniquitatis*. Pro iniquo Mammona, *c.* 16. *Mammona iniquitatis*: pro mercede iniqua, *Act. c.* 1. *merces iniquitatis*. Pro voce clamante. *Joan. c.* 1. *Ego vox clamantis &c.* Notabilia sunt etiam, quæ pluries occurrunt, ut puta, corpus humilitatis nostræ, oves occisionis, sanctitas veritatis, odor suavitatis, & stultitia prædicationis, quæ sunt phrases Apostoli. Sicut etiam substantiva, quæ nomini Filii adjunguntur loco adjectivorum, quorum loca non citamus, cum & notissima sint, & passim in pluribus reperiantur: ut Filius pacis, Filius perditionis, Filius lucis: Filii sapientiæ, Filii obedientiæ, vel è contra filii diffidentiæ. Cujus modi dicendi energia, in eo est, quod sicut Filii, & naturam Patris participant, & mores, & nobilitatem, ac hæreditatem sortiuntur. Sic Filii sapientiæ tales dicuntur, quia sapientia eis adeò connaturalis est, & in operibus, omnique eorum gestu elucet, ut videantur ab ipsa geniti. Sic è contrario, tamen dicuntur filii perditionis, estque propterea hic dicendi modus, elegans, & emphaticus laconismus. Talis modus dicendi in Scriptura ex Hebræo, pulcrè similitudinem, & metaphoram exornat. Hinc *Isaiæ c.* 21. *Filius areæ* ponitur pro tritico, excutiendo a paleis, tamquam Filius a Matre, & ab area quasi ex patria asportando. Filius exercitus pro milite, qui ex ipso exit, quasi nascens ab illa multitudine: *Deuter. cap.* 3. *Filius pharetræ*, idest sagitta, quæ ex pharetra quasi nasci videtur, dicitur, quia ex illa progreditur, eique prius conjungitur. Filius olei, mons pinguis, olivis refertus, sic communiter accipitur, quamvis ex hoc ipso videatur magis dicendus, pater olei, quòd ab eo ennascitur. Filii hominum, qui solum humana sapiunt. Filii Dei Filii Prophetarum, homines Dei Sancti dicuntur, *qui non ex hominibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, explicas *Joann. cap. pr.* Filii excussorum dicuntur, robusti, & expediti, qui omni carent impedimento: *Hieronym. ad Marcellam, excussi significat Juvenes*. Interpres *Psal.* 18. *Filii excussorum*, juxta communem acceptionem sunt *Christiani, a Judæis conversi, scilicet ab Apostolis in fide geniti. Apostoli enim dicuntur excussi, quia liberati a jugo legis, velociter tamquam sagittæ excussæ ab arcu legis, totum mundum percurrerunt*, hinc *Ps.* 44. *sagittæ tuæ acutæ (populi sub se cadent) in corde inimicorum Regis, nempe Apostoli, sagittæ potentis acutæ*. Ita August. *ad Psal.* 18. *&* 44.

Hebræi carent comparativis incomplexis, ideò substituunt aliquando positiva absolutè, cum textus patitur, ideò in Evangel. Matth. hebraicæ conscripto habetur. *Magister, quòd est mandatum magnum in lege? cap.* 22. idest majus, qui mos etiam alibi servatur in libris primum græcè conscriptis, 1. *Corin. cap.* 7. *bonum est homini mulierem non tangere*, idest melius. *Luc. cap.* 10. *Maria bonam partem elegit*, sic enim græcè habetur, idest meliorem, tunc enim erat comparatio inter partem Mariæ, & Marthæ, ex quo nostra vulgata traducit, *optimam partem*. *Hæc descriptio prima facta est. Lucæ cap.* 2. prima pro prior.

Aliquandò tamen exprimunt comparationem per particulam præ, vel similem, *Psal.* 44. *speciosus forma præ filiis hominum*: & ibidem, *unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, *Psal.* 134., *& ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ*, *Luc. cap.* 13. *putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint?* & alibi sæpè.

Clarior est comparatio per particulam *plusquam Aggæi cap.* 2. *Magna erit gloria Domus istius novissimæ plusquam primæ*. Ita & per particulam, inter, ut *Gen.* 3. *Maledictus es inter cuncta animantia terræ*, idest præ omnibus. *Cantic. cap.* 2. *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; unde patet, perperam intelligi ab aliquibus, ly inter, tamquam exprimat immixtionem; verè enim comparatio est, ut ex textu. Ita etiam per particulam super *Psal.* 118. *super omnes docentes me intellexi &c. super senes intellexi; bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti; ideò dilexi mandata tua, super aurum, & topazion. Cantic. cap.* 4. *odor unguentorum tuorum, super omnia aromata*, & similia plura.

Obscurior verò est, cum exprimitur, per ex. *Psal.* 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, idest super omnem intelligentiam meam major, & mirabilior, quam quòd ego cognoscere possim, ut ex Chaldæo Paraphraste: Et Hieronym. vertit, super me est scientia tua, excelsior est, non potero ad eam. *Isai. cap.* 56. *dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a Filiis, & filiabus*.

Vix tamen notatione indiget, cum ponitur comparatio per absolutum, & particulam *quam*, aut similem. *Psal.* 117. *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, bonum est sperare &c* idest melius. *Matth. cap.* 18. *bonum est tibi ad vitam ingredi, debilem, vel claudum, quam duas manus,*

nus , vel duos pedes habentem mitti in gehennam, & ibidem , *expedit , ut suspendatur mola asinaria &c.* ideſt prꝗſtat , ſeù melius, expedientius eſt &c. ſolent tamen aliqui ut notat Salmeron, in ſimilibus locis intelligere comparationem negativam , ut ſi dicatur , hoc bonum eſt , non oppoſitum , quòd ubi contextus patitur , non incongruè accipi poteſt, licet idiomati proprio hebrꝗo , minus quandoque conveniat, ſenſus tameu proprius Scripturꝗ magis contextui alligatur, quam proprietati dicendi in ſingulis.

Superlativis etiam caret incomplexis hoc idioma, ſed hoc vix notabile eſt , quia ſatis exprimit exceſſum, vel per adverbium valdè, vel nimis, vel vehementer , *Gen. cap. pr. Vidit Deus cuncta , quæ feeerat, & erant valdè bona*, ideſt optima, & *cap. 13. erat autem dives Abraham valdè in poſſeſſione auri, & argenti*. Et *Marci cap. 16.* de lapide ſepulchrali Chriſti, *erat quippe magnus valde . Ezechiel. cap. 9. Iniquitas Domus Iſrael, & Juda , magna eſt nimis valde . Hierem. cap. 24. Calathus unus , ficus habebat bonas nimis . Pſalm. 103. Magnificatus es vehementer*. Suppletur etiam ſuperlativum per additionem nominis Dei. *Pſal. 35. Juſtitia tua, ſicut montes Dei*, ideſt al. ıma *Pſal. 29. operuit montes umbra ejus , & arbuſta ejus eedros Dei*, ideſt celſiſſimas. Ita frequenter admodum in toto vet. Teſtam. *Job : eap. 6. ſagittæ Domini* , ſcilicet acutiſſimꝗ pr. *Regum eap. 26. Sopor Domini irruerat ſuper eos. Gen. c. 32. caſtra Dei ſunt hæc, Exodi c. 8. Digitus Dei eſt hic*. Denique alia plura ubique.

Excellentiam etiam maximam innuunt Hebrꝗi per additionem obliqui , ejuſdem ſubſtantivi cum ſuo recto. *Vt Deus Deorum, Dominus Dominorum, Cæli Cælorum , Sanctum Sanctorum , Sabbatum Sabbatorum : Canticum Canticorum : Rex Regum ; vanitas vanitatum , Virgo Virginum*, quod ſoli competit præcl ariſſimꝗ Matri Dei Mariꝗ , idque notat Hieronym. in *eap. pr. ad Galatas*.

Geminatio etiam ejuſdem nominis in eodem caſu, quoddam ſuperlativum, & ſummum declarat. *Exodi cap. 8., & collegerunt ranas , aeervos , acervos. Pſalm. 121. Illuc enim aſcenderunt Tribus Tribus Domini*, ideſt omnes Tribus, & admodum numeroſꝗ. *Pſal. 86. Homo, & homo natus eſt in ea*, ſcilicet quilibet homo ; hoc tamen intellige, ubi contextus in congeminatione alium ſenſum non petit.

Familiare eſt Hebrꝗis, abſtracta ponere pro concretis. *Pſal. 44 dilexiſti juſtitiam , & odiſti iniquitatem. Pſal. 5. Non Deus volens iniquitatem, tu es. Pſal. 10. Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit , æquitatem vidit vultus ejus*. In quibus , & ſimilibus energia eſt, & laconiſmus, ut clarum eſt. Magis tamen quadrat hic dicendi modus , cum ſermo eſt de aliqua divina perfectione , in ipſo enim omnia ſubſtantialia ſunt, & infinita , quod ſicut intelligi, ita nec exprimi poteſt a nobis, niſi per abſtracta, quæ ſubſtantivè ſignificant , & infinitum depingunt ; forma enim abſtracta ſi daretur , infinita eſſet, & per ſe completiſſimè ſtans, ut eſt proloquium in Thomiſtica Schola : ideò propriè dicitur, Chriſtus, deſiderium collium æternorum , ſapientia, juſtitia, redemptio, & ſanctificatio, reconciliatio, & propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi : lux, meritum, prætium, ut ſæpè innuit Apoſtolus, & notiſſima loca ſunt : immò idem ipſe de ſe ait. *Joan. cap. 14. Ego ſum oſtium, ego ſum via, veritas, & vita* : & alibi, *ego ſum lux mundi*, aliquando etiam per quandam participationem, ad nos etiam extenditur hic dicendi modus. *2. Chorin. c. 5. Vt nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*. Et *Eccleſiaſtici eap. 44.* de ſummo Sacerdote dicitur : *Ecce Sacerdos magnus &c., & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio &c.* plura ommittimus, quia nimis nota.

Mos etiam eſt aliquando , ponere antecedens pro conſequenti. *Jacobi c. 1. Patientia opus perfectum habet*, ideſt mercedem operis perfecti. *Iſai. c. 32. Erit opus juſtitiæ pax, & ſecuritas*, ideſt operis juſti præmium, erit pax, & in præſenti ſæculo, & in æternum . *Leviti. c. 19. Non morabitur opus Mercenarii tui uſque mane*, ideſt merces ipſi debita, apud te non morabitur. *Pſ. 127. labores manuum tuarum quia manducabis*. Non enim manducantur labores, ſed quod per labores aquiritur. *Pſal. 104. dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt &c.* Idque benè notandum, ne quandoque error ſubrepat.

Proprietas quædam dicendi eſt apud Hebræos, eaque in Sacra Scriptura frequens, relativum, ſive pronomen addere , ubi apud latinos redundaret, eam tamen fidiſſimus noſter Interpres , etiam in vertendo ſervavit. Nec tamen vitium, aut redundantia dici poteſt, cum figuram includat non inutilis repetitionis , ad magis inculcandum ; quod dicit, & magis diſtinguendum, at ſi non obſervetur attentè , obſcuritatem quandoque ponit. *Pſ. 18. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*. Quod Hieronym. tranſtulit : non eſt ſermo, & non ſunt verba , quibus non audiatur vox eorum, ex quo patet ly eorum, non redundare, immò Apoſtol. ad Roman. c. 10. ponderat illud relativum, eorum . *Pſal. 10. Dominus, in cælo ſedes ejus*, & *Pſ. 104. Miſit Moyſen ſervum ſuum, Aaron, quem elegit ipſum*, certè apud nos videtur redundantia, attamen ſi benè conſideres, expreſſio eſt utilis, & aliud quid innuit, non adeò manifeſtum, ſicut hoc ultimo loco, Aaron enim Deus elegit, quaſi ipſum Moyſen ; ipſeque fuit tamquam lingua ipſius Moyſis, ideò Auguſt. in illum Pſalmum, etiam præciſa ſignificatione, quam nos adduximus, addit, *nihil in eo quærendum eſt, quod additum eſt, ipſum, locutio Scripturarum eſt, ſicuti eſt, in qua habitabunt in ea, qua locutione divinæ Paginæ plenæ ſunt*.

Diligenter obſervandum , quandoque ex more dicendi Hebræo ; non modicum expreſſivo, relativum anteponi ſuo antecedenti. *Joan. 20. Domine ſi tu ſuſtuliſti eum , dicito mihi , ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam*: ita Magdalena de Chriſto mortuo, ſupponens omnibus notum eſſe, quod Chriſtum, & intenſe ipſa diligebat, & quod aliud quid, præter eum quærere non poterat, ubi ly eum, nedum præcedit ſuum antecedens in dicendo, ſed in illo relativo ipſum antecedens includit,

&amo-

& amoris explicat magnitudinem, qui quo magis ad unum est, eo & major est, quia totus, isque dicendi modus similis est illi, quo utuntur Prophetæ, qui aliquando incipiunt locutionem a conjunctione, & quæ ex se relativa est ad aliud præcedens; idque provenit ex certitudine prophetiæ, & unione, quam habet sermo exterior cum interiori, ut observat Gregor. in Ezechielem.

Hujus generis plura se se offerunt in Canticis, ut cum incipit ille liber, *osculetur me osculo oris sui &c.* & infra *c. 3. quæsivi, quem diligit anima mea: numquid quem diligit anima mea vidistis?* sic enim loquitur sincerus amor, qui inter cor, & linguam non novit distantiam, idque nemo aliter exprimeret, nisi sic dicendo, ex quo convincimur, nihil in Sacra Scriptura occurrere, quod divinitatem non redoleat; idque deducimus, quodcumque parvitati, vel potius ignorantiæ superbiæ nostræ in ea videtur inconsequens, aut corrigendum, illud esse summæ sapientiæ, ac veritatis mysterium, quod non nisi humilibus patet. Quandoque verò contingit relativum propriè suo antecedenti præponi, ut *Psal.* 86. *fundamenta ejus in montibus sanctis*, at statim ex regula contextus intelligitur, de quo loquatur, quod nempe sit antecedens, quia subdit: *diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Jacob.*

Aliud etiam quoad similia notandum, nempe cum ponitur relativum, & antecedens non apparet, referendum tunc esse ad Deum, nisi textus repugnet. *Thren. c. 3. Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus. Psal.* 113. *In exitu Israel de Ægypto &c. facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus*; in his clarum est, ly ejus, ad Deum referri, qui & Judex omnium unus est, & sanctificatur in suis, cum eos liberat, & Dominus est, universorum, & in his quæ exprimunt dignitatem, & excellentiam, omnium supremus, & antecedens est, ex suę merito majestatis.

Quandoque per quamdam repetitionem, Hebręo more, antecedens ponitur, sive replicatur, loco relativi, quòd ad expressionem majorem conducit, & claritatem. *Gen. cap. 7. fecit ergo Moys. illud atque illud sicut præceperat Dominus Moysi. Gen. cap. 4. dixit Lamech uxoribus suis Adę, & Sellæ, audite vocem meam uxores Lamech: Matth. c. pr. Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata Mater Jesu*, pro Matre ejus; sic dicit, quòd & in prædictis, & aliis plurimis locis apparet, cujus, modi dicendi rationem assignat Augustinus, *Psal. 67. ad illud Rex virtutum dilecti &c. locutio*, inquit, *in Scripturis usitatissima est, si quis advertat, quod ibi maximè apparet, ubi etiam proprium nomen exprimitur, ut eundem esse, de quo dicitur dubitari omnino non possit.*

Quod alibi etiam notavimus, hic propriam sedem habet, frequenter poni singulare pro plurali, & plurale pro singulari. *Exodi cap. 8. venit musca gravissima, & dixit, & venit locusta, & bruchus*, quasi dicat, omnis musca, omnis locusta. Sicque alibi similiter. Pro singulari verò plurale frequentius, & est energia quædam, aut species hyper-

A bolis, aliasque includit figuras. Hinc quòd habetur *Psal. 130. Qui divisit mare rubrum in divisiones*, aliqui interpretantur, in plurimas aut saltem duodecim divisiones, juxta numerum tribuum, ut Epiph. Hær. 64. quod tamen inhærendo magis contextui. Theodoret., & alii recte intelligunt, de una divisione, in duas partes, cum dicat Scriptura. *Aqua autem erat eis tamquam murus a dextris, & a sinistris. Jos. cap. 7. peccavit Israel, & prævaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate &c.*, & tamen unus Achan furatus fuerat virgam auream, & baltheum.

Psal. 2. Astiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum, si litteraliter, vel historicè rem attendamus, unus Herodes Rex particularis, & unus Pilatus Princeps persecuti sunt Christum, ut
B Petrus notat Actorum cap. 4. Prophetice tamen accipiendo eundem locum, aliter explicant Expositores. *Exodi cap. 32. Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ita dictum est de vitulo aureo, uno tantum. *Matth. c. 26. Videntes autem Discipuli, indignati sunt dicentes, ut quid perditio hęc*, quòd nisi ad hunc dicendi morem recurramus facit difficultatem; Joannes enim c. 12. id a solo Juda dictum esse refert. Ex hoc etiam solvitur apparens quædam contradictio, cum in novo Testamento, aliquid ex veteri recitatur, quod quamvis dictum fuerit ab unico tantum Propheta, a pluribus dictum asseritur. *Act. c. 13. Videte ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & dispergimini,*
C *quia opus operor ego in diebus vestris &c.* quòd in solo Abacuc cap. pr. habetur. *Matth. c. 2. ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*, quòd in solo Isaia c. 11. non in vulgata, sed in versione Hieronymi ex Hebręo, epist. 101, solum, habetur.

Inter hæc omnia, speciali animadversione dignum est, dialecticam regulam de universalibus non tenere in Scriptura, illic enim dicitur: non omnis quidam, non nullus non, valet omnis: non aliquis nullus &c. sed in sacro idiomate, negato omni, tollitur etiam aliquis. *Habacuc: c. 2. omnis spiritus non est in visceribus ejus*, idest nullus spiritus. *Prima. Chorin. c. 1. non glorietur omnis caro in conspectu ejus*, idest nulla caro, sive nullus homo; *prima Joan. c. 3. Omnis qui peccat, non vi-*
D *dit eum*, scilicet, nemo qui peccat. *Joan. cap. 6. omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo*, idest nihil, seu nullum.

Gen. c. 4. posuit Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis &c. Levit. c. 11. ad omnem mortuum non ingredietur omnino, & Psal. 118. non dominetur mei omnis injustitia, & supra *Psalm. 48. cum interierit, non sumet omnia*, & alia plurima passim occurrunt, quæ negationem afferunt universalem, idque, bene considerantem docet contextus.

Sed quod magis observandum, ut magni momenti quandoque dubia dissolvantur, est: In Sacra Scriptura pluries ad exprimendum magnum numerum, aut rem, pro pluribus, poni omnes, quæ est species hyperbolis, si consideretur communis

noster

noster loquendi usus, in se tamen non est, callentibus morem dicendi Scripturarum. *Hierem. cap. 6. omnes avaritiæ student. Ad Philipp. c. 2. omnes, quæ sua sunt quærunt. Joan. c. 11. si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & cap. 12. ecce mundus totus post eum abiit.* Ita notavit etiam Hieronym. *in c. 13. Isaiæ* dicens, *idioma est Sanctæ Scripturæ, ut omnem terram, illius significet provinciæ, de qua sermo est, quod quidam non intelligentes, ad omnium terrarum subversionem trahunt.* Ita etiam Aug. *lib. 6. contra Julianum*, & plura quidem exempla hoc confirmant, & ratio ipsa, quia minima pars in comparatione majoris, quæ totum quasi adæquat, pro nihilo reputatur, & major pars, sive plures præcipuæ partes, totum repræsentant, sicut 1. *Esdræ c. 1.* dicit Cyrus, *omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus*, cum tamen aliqua, quæ minoris momenti erant, ei non dedisset, & *ad Timoth. c. 4. omnes me dereliquerunt*, & tamen Timotheus, & Titus, cæterique plures erant cum eo, cum id scribebat. *Psal. 115. omnis homo mendax* in quo David (si in rigore locutionis persistas) se etiam dicit mendacem, ideoque sibi non esse credendum, dum dicit hoc ipsum, *omnis homo mendax*, ideoque frustra se loqui fatetur, & ibi, & ubique, quod quamvis rectè solvi possit, dicendo, in eo, dum canonica scribit, non loqui hominem, sed specialiter Deum, ideoque hoc dixisse fatetur in excessu suo, qui excessus planè est ipse Spiritus Sanctus, immediatus, & specialissimus auctor Sacræ Scripturæ, melius tamen intelligitur omninò litteraliter, attento more dicendi Scripturarum, quo omnis ponitur pro pluribus, sive pro majori parte, nec immoramur, cum res sit æquè clara, ac observanda, sed id obiter licet inferre, nullius videlicet momenti esse, quod (quasi Scripturas invertamus) dum toto spiritu, & veritate plenissima asserimus, & videmus, & videre speramus in æternum, scilicet beatissimam Virginem Dei Matrem Mariam, omninò Immaculatam sine originali nota, aut etiam debito conceptam; nobis obtrudunt, & veluti magnum quid, ac insolubile argumentum exaltant adversarii, nempe quod ait Apostol. *Rom. c. 5.* de Adam, *in quo omnes peccaverunt*, unde colligunt, ergo & Beatissima Dei Mater in eo peccavit; si enim talis consequentia locum haberet vel minimę probabilitatis, jam in aliis quibuscumque locis, ubi sonat omnis, nullum excipere tenemur, & contra sensum evidentem Sacræ Scripturæ plurimos textus necesse esset, vel negare, vel pervertere, vel damnare, & auferre morem hunc dicendi, ab Hebręo idiomate, & usu, & intelligentia omnium rectè sentientium in Fide, ut acthenus vidimus toto hoc numero. Quia verò de hoc alibi, sensum veriorem aperuimus, nunc satis est innuisse.

Dissimulandum tamen non est, è converso, in Sacra Scriptura, juxta morem dicendi Hebræorum, poni multos pro omnibus, & aliquando licet rarius poni multos pro uno; Exemplum primi est *Math. c. 20. sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro*

A *multis*, idest pro omnibus, ut intelligit, seu supponit Augustin. *lib. 6. contra Julianum cap. 12.* ubi sic: *cum verò multos, quod dixit postea Apostolus non vis intelligi omnes, quod prius dixerat, ideò existimans dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur, poteris hoc dicere, & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt gentes, non omnes gentes ei fuisse promissas; quia dictum est alio loco, Gen. cap. 17. patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideò sic locutam Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa; sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, idest quaternario continentur. Et rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia; sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt, non enim omnium est fides ait Apostolus.* Hæc Augu-

B stin.

Math. cap. 26. qui pro multis effundetur; de sanguine suo ait Christus quem locum, licet aliqui exponant, pro multis immò pro omnibus, quoad sufficientiam, pro paucis verò quoad efficaciam, quia multi vocati, pauci electi; Euthim. tamen ad eum locum dicit, absolutè multos hic dicit omnes, quia omnes multi sunt. Sic & alii plures.

Ad Rom. c. 5. sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem, justi constituti sunt multi &c. quod refertur ad illud, quod præcedenti numero dicebamus de B. Virgine Immaculata. Ad quod, & ad præsentem Doctrinam facit, quòd ibidem habetur,

C *si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum, in gratia unius hominis Christi, in plures abundavit* (multi dixit ibi, non omnes, ne damnes excipientem cum debito fundamento, aliquam) Hæc autem ideò sic firmata addunimus, ut advertat lector, hanc non regulam esse, ut cum *omnes* dicitur in Scriptura, accipiantur tantum multi inter omnes, & cum dicitur multos, accipiantur omnes, sed quòd aliquando, tum illud, cum istud verificatur; attendendo tamen vim contextus, aliquando utrumque in contrarium tendit; ad quod, cum ex vi contextus clarè non discernitur, necesse est, ad alios textus, & rationes ex ipsa Scriptura, & re, de qua agitur ennascentes inspicere diligenter, ideoque cum de Beata Virgine Deipara tractatur, quę ex propria

D electione æterna, ac dignitate impertransibili, in ordine creato, hoc habet, ut omne dignius privilegium, lex sit ejus gloriæ, & excellentiæ, non est ambigendum de ejusdem exceptione ab omnibus; Sic enim debetur ei, quæ cum sit divina Imperatrix, se ex toto corde professa est Ancillam, ut eam includas in omnibus, de quibus ait, Incarnata per ipsam Sapientia, omnis qui se humiliat exaltabitur, & ab omnibus excipias, ubi agitur de peccato maximè originali, cujus prima species est superbia.

Poni etiam multos pro uno, ut in principio hujus numeri diximus, constat; *Psal. 106. omnem escam abominata est anima mea* idest manna, quæ dicitur planè omnis esca, quia omnis saporis habebat suavitatem, & verè etiam omnis esca fuit;

quia quando eam misit Deus, nulla alia esca præter eam populo suppetebat. *Matth. c.* 5. ait Christus. *Beati estis; cum dixerint omne malum adversum vos*, ubi certè sensus non est, beatum tantum esse eum, de quo omnia mala dicuntur, sed qui aliqua, vel una injuria afficitur propter Christum. *Ad Hebr. cap.* 11. *lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt*; & tamen unus tantum inter eos, de quibus loquitur Apostolus, sectus est Isaias Propheta, & unus tantum Stephanus lapidatus; quod advertit notanter Hieronymus, *in Matth. c.* 26. ubi etiam subdit, *quod numerus expressus per nomen multi solet in vitio esse, ideo & in Gen. c. 6. dicitur, quod homines cœperant multi esse, cum maximè peccatum abundabat, & Psal. 3. multi insurgunt adversum me, quia Ecclef. cap. 1. stultorum infinitus est numerus. Pauci verò, cum sic exprimitur, licet in plurali numero, accipi solet in bonum. Matth. cap. 10. Pauci verò electi, & Psal. 16. Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum &c.*

Quis? aut quis putas? aliquando, & frequentius rarum, aut difficile, aliquando tamen impossibile significat, mos est hebraicus, sed dignoscitur ex contextu. Primi exemplum *Ecclef. cap.* 3. *quis novit, si spiritus Filiorum Adam ascendit sursum?* ubi Hieronym. *in Isai. cap.* 53. *quis, difficultatem rei voluit demonstrare, pronomen enim quis, non pro impossibili semper accipitur, ut hic, generationem ejus quis enarrabit, & in Psal.* 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c.* aliquando tamen licet rarius ponitur pro impossibili, ut notat *Origen. lib.* 8. *in ad Roman. c.* 10. ubi dicit, *quis ascendit in Cœlum, hoc est Christum deducere, vel quis descendet in abyssum, hoc est a mortuis reducere; hic quis est idem ac nullus.*

ARTICULUS II.

Alios expediens dicendi mores hebraicos, qui in Scriptura relucent quoad particulas quasdam, potissimum verò quoad verba.

1. **E**Videns est, morem esse hebraicæ locutionis omninò proprium, & diversum a latinis, casum sumere, quandoque & frequenter pro casu, qui non est defectus hebræis, quamvis sit latinis in propria lingua, & in ipsum etiam verbum, aliasque particulas apparentem refundit deordinationem apud nos solum. *Ps.* 117. *lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, pro lapis; & superius, *Ps.* 34. *quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam*, idest quasi proximus & frater: *Joan. c.* 14. *& sermonem, quem audistis, non est meus, & prima Joan. c.* 2. *& vos, unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, l.* 2. *Machab. c.* 1. *benefaciat vobis Deus, & meminerit Testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac servorum suorum.* Similia autem passim occurrunt, quæ quamvis auctor vulgatæ facilè potuisset, in traducendo, perfecta latinitate donare, in venerationem tamen hebraici

A laconismi maluit simplici translatione verbali referre, ut latinitas potius serviret divinæ locutioni, quam illa latinitati.

2. Hic tamen generalis quædam, antequam progrediamur, non est prætereunda notatio, nomina, quæ habentur *c.* 10. *Gen.* ubi recensentur generationes Filiorum Noe, nomina quidem propria hominum esse per se primò, sed exinde etiam Provinciarum, sive Regionum, in quas dispersi habitarunt, & etiam linguarum, in quas una prius lingua divisa fuit; notat siquidem *Alcuinus lib.* 1. *qu. in Gen. c.* 11. *nihil novi factum est, cum lingua ad turrim Babel dividerentur, sed tantum ejus, quæ prius una esset sonum, litterasque, & ordinem sic inversum esse, ut omnes septuaginta duæ linguæ ex una promanarent.*

B 3. Elegantia quædam, & laconismus est Hebræis, particulas aliquas subticere, quas proinde, ut intellectum accommodemus latinitati, supplere debemus, vel melius subaudire: sed ommittimus, quia commune est omnibus linguis, quod aliquando reticetur verbum substantivum, ut *Ps.* 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum &c. & Ps.* 118. *Beati immaculati in via &c.* subaudi illic, est, hic, sunt. Magis notabilis est reticentia particulæ ad, vel similis, quæ ubi non subauditur, textum obscurum relinquit. *Psal.* 86. *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea*: subaudi, *Ad Sion*, ut vertit Hieronymus, sic & particula *usque. Ps.* 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, supple, *usque ad terminos terræ*, & frequenter particula *sicut* siletur. *Ps.* 67. *nive*

C *dealbabuntur in Selmon*, nempe sicut nix, & eodem loco post, *ut excludat eos qui probati sunt, argento*, idest sicut argentum. *Ps.* 11. *eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terræ*, scilicet sicut argentum &c. probatum terræ, a terra mundatum, quo dicendi more alibi etiam utitur Scriptura. *Et* 1. *Regum c.* 13. *Filius unius anni erat Saul*, supple, *sicut*, Caldæus expressit, *innocens, & purus, sicut Filius unius anni*, unde additur, *& duobus annis regnavit super Israel*, intellige in eadem innocentia, qua cœpit, primis duobus annis regnavit, & ita certè intelligendum, cum ex *Actor. c.* 13. habeamus, quod absolutè multo pluribus annis regnavit: Nec minus observanda est illa veluti ecclypsis, in affectivis locutionibus, cum

D terminus principalis reticetur, & verba intercidunctur. *Psal.* 51. *Viderunt oculi nostri. Ps.* 34. *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti. Ps.* 118. *tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam*, nec dicit, quid viderit, quid factum sit, quid faciendum: Notat tamen Euthimius, *in Ps.* 51. subaudiendam in prædictis textibus vindictam, ut dictat contextus. Idemque *in Psal.* 125. *Est proprium*, inquit, *hoc idioma hebraicæ linguæ, Dominus fecit cum illo, intellige misericordiam; sicut, & cum dicit eodem Ps. Magnificavit Dominus facere nobiscum, subde misericordiam, ex eo, quod sequitur. Facti sumus lætantes. Psal.* 74. *Quoniam neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, aliquid apud nos supplendum, ex. gr. aliquid enim latet, quia reverà nihil undique, aut ubique enim latet,*

latet, cui nuda, & aperta sunt omnia.

Nec refert, si obiicias, nulla ratione a nobis corrigi posse, quod dixit Deus; est enim summa pœna taxata, Apoc. c. ultimo, addentibus, vel minuentibus, quid vel minimum in illo libro; quod communiter accipitur dictum de tota Sacra Scriptura; ergo &c.

Resp. diversum valde esse corrigere juxta proprium sensum hominis, quod loquitur Deus, & illud quasi ennucleare, quod intus latet, quodue ideò videtur deesse in nostra versione latina, quia impossibile est per latinitatem adæquari hebraicam dicendi proprietatem, laconismum, figuram, & expressionem, illud ergo, quod quandoque subaudimus, non addimus sensui Sacræ Scripturæ, sed potius per ipsum supplemus inopiam nostram, & latini idiomatis, & conamur sic assequi, quod continet, & docet ipse contextus. Hoc igitur potius obsequium est veritatis divinæ, quam præsumpta correctio: Sicque docet *Augustin. lib. 14. de Civi Dei, c. 8.* dicens. *Cum legimus eos, quorum auctoritati resultare fas non est, ibi sunt intelligendæ particulæ, seu sermonis proprietates, ubi rectus sensus, alium etiam non potest invenire.* Hæc ille, sed alibi simili objectioni, jam satisfactum est.

4. E converso etiam quandoque aliquid in Scriptura apponitur, quod videtur esse resecandum, quasi superfluum, contra ea, quæ superius de regulis stabilivimus, ut *Ps. 113. agni ovium, & Tob. c. 2. hædus caprarum;* & *Jud. c. 13. hædus de capris;* & alibi sæpè similia occurrunt, ubi certè apparet redundantia quædam. Si enim agnus est, ergo de ovibus. Si hircus, ergo caprarum, sed proprietas quædam dicendi est hebræi idiomatis, cujus rationem si quæras, quamvis pro ratione satis sit, ita morem esse loquendi in illo idiomate, alias suggeret ipse contextus respectivè, ubicumque apparet superfluitas, & duplex posset assignari generaliter, prima est, aliam mereri inspectionem, agnum ex ovibus, & agnum ex ove; illud enim designat agnum de grege, hoc verò, agnum pauperis habentis unam tantum ovem, sic & de hirco: secunda, quod cum dicitur agnus de ovibus, exprimit sic textus, agnum ibi accipiendum esse litteraliter propriè, non verò metaphoricè, quod nomen aliquando necessariò accipi debet metaphoricè, & non propriè, ut cum Christus dicitur agnus &c. nihil itaque in Sacra Scriptura redundat, & cum id prima fronte apparet, arguendus est nostræ defectus intelligentiæ, non Sacri Scriptoris excessus, qui nullus est.

5. Mos est, & quidem frequentissimus Hebræorum, isque in Scripturis maximè elucet, præsens ponere pro futuro, isque dicendi modus, si in Prophetis invenitur, ut sentiunt communiter Patres, designat certitudinem Prophetiæ; si in Christi locutionibus infallibilitatem divinæ præscientiæ, & denique ubique independentiam æternæ veritatis a tempore, quod ex propria natura dilabitur; veritas autem Domini manet in æternum. Infinita propemodum exempla, ubique apud Doctores reperies, nobis satis est aliqua, quæ magis juvant intelligentiam Scripturarum prælibare; *Lucæ cap.*

A 1. Immaculata Dei Mater ait Gabrieli: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* pro non cognoscam, qui loquendi modus propositum certissimum expressit, & votum virginitatis æternæ, sic enim dicendo, exclusit omne possibile præsens, quo aliquando verificari possit, quod virum cognoscat, quæ divinam solam novit, comprehenditque realiter, semper Immaculata Sapientiam. *Math. c. 27. Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas;* idest, qui dicebas, te destructurum templum Dei, & idem in triduo reædificaturum, & hoc quidem quantum ad litteram; quoad sensum siquidem intimum, significatur mysterium, cum enim hoc dicebant, idest tempore passionis, verè erat præsens destructio templi non manufacti, scilicet mors, & triduum incipiebat reædificationis
B ipsius, idest triduum, quod complendum erat resurrectione, certum autem est, ut notat Evangelista Joann. cap. 2. quod cum hoc prædixerat Christus, locutus fuerat de templo corporis sui, ideò verò hoc in præsenti notamus, ne quis putet præsentes notationes idiomatismi, contrarias esse aliis sensibus, diversa siquidem illorum est disciplina ab hac, quæ litteræ veritatem concernit. Ex hoc dicendi more, si benè notetur, cessat quorundam admiratio. *Math. c. 11.* ubi Christus interrogatur: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* (quæ interrogatio usque modo perseverat in ore hebræorum) quommodo enim dici potest, qui venturus es, & tu es? immò in ipsa interrogatione, responsio includitur, faten-
C tur enim, eundem ipsum esse illum venturum, quem prædixerant Scripturæ; nam talis interrogatio supponit ipsum eundem esse venturum, unde idem est, ac si quærant, tu ne es, qui es? tu ne, venisti, qui venturus es? in quo si rigorem sermonis attendimus, vel contradictio, vel nugatio apparet; Non tamen est, sed potius contra propriam arguebant sic incredulitatem; voluntariè enim non credentes fatebantur in modo dicendi, eum ipsum esse, quem credere talem dubitabant; Sic autem dicimus de ipsis discipulis Joannis adhuc invidis, non verò de Joanne, qui per ipsos interrogaverat Christum, & ita habemus *ex Hieronymo* ad hunc locum *in catena aurea. Alii aliter intelligunt, sed similes angustias subire non timemur, ut comprehendamus sensum eorum, qui nondum cre-*
D *debant, ac si esset sensus proprius Spiritus Sancti, qui hoc quidem refert, ut dictum a Discipulis Joannis, non ut proprium, sicut cum dicit in Ps. 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus,* sufficiet ergo, ut modum illum sic referendi defendamus, inspicere morem dicendi proprium hebræorum, de quo nunc, secundum quem, præsens ponere aliquando consueverunt, pro futuro, unde est sensus: Tunc es Christus Messias, quem expectandum jam novimus, ex Prophetis? & est similis textus Joan. c. 6. ubi credentes dicebant: Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum, non enim tunc adhuc venturus erat, qui jam venerat, sed ille erat, de quo prædicatum multo antea fuerat, ipsum esse venturum; sicque ly venturus, erat potius antonomastica locutio, quam expressio temporis;

sed adverte, dicitur enim *Math. c. 17. Elias quidem venturus est, & restituet omnia*, & statim subdit idem Christus, *dico autem vobis, quia Elias jam venit*, quem locum adducunt aliqui in exemplum hujusmodi dicendi de quo hic agimus, sed constat ex contextu, non esse, quia non agitur secundo loco de eodem Elia, qui venturus est, sed de Joanne, qui jam venerat, & ab Herode fuerat occisus in carcere; non igitur semper accipiendum est præsens pro futuro, immò nec frequenter, sed ubi textus ex tempore quo utitur, videtur dissonare notæ jam veritati tunc enim præcipuè mos iste est observandus.

6. Præsenti verò dicendi modo addendus est, qui interdum, raró tamen occurrit, præteritum nempe ponens pro præsenti, qui planè mos loquendi, admodum rationabilis est; dum enim præsens pronunciamus, jam præteritum est, se se enim trahit tempus, & id solum, quod fuit, videtur aliquid soliditatis habere, quia nequit non esse præteritum, ubi præsens, quia mox erat futurum, & mox nec est præsens, quia præterit, in mutatione versatur, & dum mutatur, ideò desinit esse mutabile, quia fit præteritum. Hunc dicendi morem astruit, & exemplificat in Scripturis *Ambros. lib. 1. de Abraham c. 8. possumus* (inquit) *quidem uti ad defensionem, Scripturæ consuetudine divinæ, quia præterita plerumque ponit pro futuris, vel præsentibus, ut in Evangelio habes Math. c. 3. & 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, sic dicit in præterito, cum tamen, & nunc, & semper in æternum in Filio complaceat sibi Pater. Math. c. 23. super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*, ait Christus, & tamen tunc etiam in præsenti, sedebant super cathedram Moysi iidem, & nunc etiam aliquando contingit, quod illis similes super cathedram Christi, quę successio cathedrę Moysi est, sedent; & certè super imaginariam, & usurpatam Moysi cathedram usque in finem mundi, cum reliquię Judęorum salvę fient, sedent, & sedebunt iniquissimi Judęi. *Ad Rom. c. 13. Qui diligit proximum, legem implevit*, pro implet. Ita etiam *Lucæ c. 1.* canit Immaculata tympanistria, spiritum suum in Deo exultantem describens: *Magnificat anima mea Dominum*, utique in pręsenti, quia in ęternum, cum ęternitas sit unum indivisibile semper pręsens. Quid hic expectabas, nisi cohęrenter ad magnificat, & exultat spiritus meus? utique & hoc caneret rectè, sed melius, ut sciamus, semper in ęternum, etiam a parte ante, quo modo fuit, immaculatam semper fuisse, & numquam a Deo excidisse spiritum ejus, sed semper in Deo exultasse, usa est more dicendi Scripturę ponens pręteritum, & pro pręterito, & pro semper pręsenti, ac futuro, canens in pręterito, *& exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*; sic exprimens, quod exprimendo, *Magnificat* expressit pariter magnificavit, sicut canendo, exultavit, expressit idem, ac semper exultat, in quo sensu, ea etiam accipimus, quę in pręterito dicta sequuntur.

His adde etiam illud, *Gen. c. 27. per me metipsum juravi dicit Dominus*, *pro eo quod est*. Juro de pręsenti, & semper, idque sapientissimè dictum est, ut per firmitatem pręteriti, stabilitatem exprimat juramenti; & *Luc. c. 7. remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, certè enim, & dilectio Dei, & peccatorum remissio simul sunt; si ergo dilexit, ergo remissa sunt ei peccata; si remittuntur, ergo in pręsenti diligit, ut idem Christus expressit eodem loco dicens, cui minus dimittitur, minus diligit, sed & in hoc per pręteritum, amoris firmitas designatur.

7. Inter hęc verò, frequentissimum est in omnibus Scripturis, ac potissimum in Prophetis, pręteritum, perfectum, & completum ponere pro futuro, quod quamvis, & pauló antè, hoc eodem articulo, & alibi sępè notaverimus, hic tamen tamquam in propria sede ponendum censemus, ut sic occasione data, quę hactenus diximus de hac temporum transmutatione, magis elucidentur. Quo circa Hieronymus in c. 30. Ezechielis notat, hunc dicendi modum usucapi a Prophetis, cum ad significandam certissimam Dei providentiam, ex qua tam certum est futurum, quod prędicit, quam pręteritum, quod jam evenit, cum ad declinandum odium viventium: & idem clarè, *in c. 2. Epistolę ad Ephes.* ad illud; *& conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu*, sic ait: *mos est iste Scripturarum, ut interdum futura, tempore præterito declinentur. Verbi causa de cruce Domini: Foderunt* (inq. *Ps. 21.*) *manus meas, & pedes; & alibi de passione ejus: Isai. c. 53. Quasi ovis ad victimam ductus est, & adhuc de injuriis flagellorum, livore ejus sanati sumus &c. Hic autem ideò, ut quia futura semper incerta sunt, hominum spes fluctuet, & vacillet, ea quæ Deus futura cognovit, apud quem nihil ambiguum est, quasi jam facta memorantur, ut quia præterita secundum Philosophos, quoque, fieri infecta non possunt, qui audierint, quasi jam facta habeant, quæ futura sunt*. Hęc Hieronym. quę & nos numero pręcedenti. Innumera porrò ebulliunt hinc inde exempla, eaque in medium vocare, pręlibantis munus excedit, nihil enim in illis difficultatis, notato, receptoque hoc dicendi more occurrit.

8. Utuntur hebræi futuro indicativi modi pro imperativo, & ita sæpè fit in Sacra Scriptura; est enim modus imperandi, & præcipiendi elegantior, & humanior. *Gen. c. 2. Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; hæc planè est lex præfixa viro uxorem accipienti, non quidem, ut omnes accipiant, sed ut qui accipiunt, sic se gerant. *Deuteron. c. 19. In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum*. Lex est ad plenam fidem faciendam statuens testium pluralitatem. *Exodi cap. 20.*, & alibi sæpè, ubi de lege Decalogi, *non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem. Non occides: non mœchaberis*. Nec plura, cum hæc sufficiant. Notandum tamen, futurum apud Hebręos, latiorem habere usum, quam apud nos, ideoque eo sæpissimè utuntur, maximè cum agunt de re, quæ est absoluta a tempore, ideòque præcepta positiva, sive affirmativa, quia non absolvuntur

a tem-

a tempore, sed obligant pro tempore determinato per imperativum potius traduntur, quam per futurum. *Exodi 20. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam: memento, ut diem Sabbati sanctifices &c.*, & similia: Negativa verò, quia semper obligant, & absolvuntur a determinato tempore, per futurum feruntur.... *Non habebis Deos alienos: non occides, non furaberis.*

9. Notabile est, quod sicut futurum modo dicto ponitur pro imperativo, ita è converso, imperativa quædam prophetica accipienda sunt pro futuris: sicut *Isai. c. 6. excæca cor populi hujus, & aures eorum aggrava*, idem est ac, excæcabis, & aggravabis. *Psal. 68. fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, idest fiet, & ibidem. *Obscurentur oculi eorum ne videant*, scilicet obscurabuntur. *Isai. cap. 54. lauda sterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis.* Prophetia est solvendæ sterilitatis &c.

10. Particula quis addita futuro, apud Hebræos, stat pro optativo. Res clara est. *Deuter. c. 5. Quis det, talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea?* *Job 1 c. 19. Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei*, & quæ sequ. &c.

In canticis, satis is dicendi modus occurrit, c. 8. *quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te.* Desiderium est Incarnationis Verbi. *Hier. cap. 9. quis dabit capiti meo aquam &c.*, *& Marc. cap. ultimo, quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti*, potius desiderium est, quam consultatio, & sic optantes mulieres Deus exaudivit, mittens Angelum.

11. Mos omninò proprius linguæ hebraicæ, qui multum elucet in Scriptura, est & numquam sine energia ac laconismo, uti verbis transitivis, juncto nomine verbali, ab ejusdem verbi radice enato. *Habac. c. 3. audivi auditionem tuam, & timui. Exodi c. 3. vadam & videbo visionem hanc magnam. Gen. c. 8. odoratus est Dominus odorem suavitatis. Isai. c. 8. timorem eorum ne timueritis. Psal. 105. laudaverunt laudem ejus. Psal. 97. Cantate Domino canticum novum &c.*, & prolixum nimis esset, universa percurrere hujus generis.

12. Huic consimilis mos est, ad vehementiorem sententiæ confirmationem, & continuationem alicujus actus explicandam, unum, & idem verbum congeminare. *Psal. 117. Castigans castigavit me Dominus. Psal. 39. expectans expectavi Dominum. Ps. 118. concupivit anima mea desiderare justificationes tuas*, vel ut Hieron. vertit. *Desideravit anima mea desiderare &c.*, & alia plurima.

13. Privativum, seu negativum, positiva expressione significare, quandoque in Sacris litteris pervium, idque oritur ex hebræa phrasi, quam latini non adæquant; res tamen ipsa docet sensum esse debere negativum. *Is. c. 6. excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava;* idemque recitatur in Evangelio: *Exodi c. 10. Ego induravi cor Pharaonis. Psal. 80. dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Psal. 104. convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. Hierem. c. 20. seduxisti me Domine, & seductus sum. Matth. c. 13.* id quod supra 15. cap. 6. *Joan. cap. 9. In Judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.* Certè apud nos in his est energia causæ positivè moventis, & operantis, seù saltem cooperantis ad malum, & quasi cogentis, qui tamen scimus, & malum morale non esse, nisi per actum liberum, & Deum non posse ad malum movere, ac multò minus posse ad illud impellere, quo ipse offenditur, necessarió hæc intelligimus negativè, scilicet quod Deus denegat gratiam indebitam, idque in pœnam peccatorum præcedentium; est ergo ille modus dicendi, quædam species hyperbolis, quæ est proprietas apud hebræos, ex quo duo innuuntur: primum necessitas divini auxilii, ad quodcumque bonum peragendum, quæ tanta est, ut
B. illo denegato sequatur infallibiliter ex nostra debilitate, ac pravitate peccatum, ac si illa denegatio esset ipse positivus influxus in malum; secundum est, quale, & quantum sit peccati demeritum, ut ipsum Deum, qui peccati nostri vera causa esse non potest, quasi trahat ad impossibile, scilicet ad illud apparenter causandum, reverà tamen sensus directus similium locorum, est negativus.

14. Ex phrasi pariter hebræa ortum habet, dari verba in Sacra Scriptura, quæ adhuc in latinum versa, aliter significant, ac latini auctores intelligunt, & ideò dicuntur, verba merè Ecclesiastica, ut benedicere, quòd accipitur pro laudare, sive prædicare juxta contextum, non enim
C. semper eodem modo, aut idem significat; item benedicere, pro benefacere, benedictio pro eleemosina ut 2. Chorin. c. 9. benedicere, & gratias agere pro consecrare sive conficere Sacramentum Eucharistiæ. Matth. c. 16., & Luc. c. 18. Justificari pro justum fieri apud Deum per gratiam sanctificantem, animæ inhærentem, quod verbum apud latinos significat judicis declarationem, quòd iste sit justus extrinsecè: credere in Deum phrasis est singularis, ignota græcis, & latinis. Tingere, abluere, baptizare, pro regenerationis Sacramento. Manus imponere juxta diversos contextus, diversas habet significationes, nam aliquando importat transfusionem potestatis in alterum, *num. c. 27. Tolle Josue Filium Nun virum, in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum:* &
D. infra: *ad verbum ejus egredietur ipse* (scilicet Eleazar &c.) & *Deuteron. c. 34.* explicatur. *Josue autem Filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas*, sicque impositio manuum, etiam tum primitus gratiam conferebat legitimè facta. Testes etiam imponebant manus super reum, quæ erat confirmatio attestatæ veritatis. Dan. c. 13. Imponebant etiam manus super victimam immolandam, quæ cæremonia significabit omnia peccata offerentis recidere in caput victimæ, & ita loco sui ipsius peccator, qui erat dignus morte ante Deum, victimam illam substituebat. Exod. c. 29. Levit. c. 4., & c. 16. Impositio manuum etiam curationem morbi alicujus significat 4. Regum c. 5. Matth. c. 9., & Marci c. 6., & 7., *& Marci c. 16. super ægros manus impo-*

imponent, & bene habebunt. Aliquando etiam collationem benedictionis, & hæreditatis, ut cum Jacob imposuit, cancellatas manus super Ephraim, & Manasse &c. Gen. c. 48. Alibi etiam collationem Spiritus Sancti, & etiam Sacramenti, sive confirmationis, sive ordinis, Act. c. 8., & 19. Prima ad Timoth. c. 1., & 2. ad eundem cap. 1., & alibi sæpè. Alia etiam quoad hoc notant auctores morales, & cæremoniarum Magistri cum Durando. Gavant. &c. nobis satis.

15. Verbo præsentis temporis significatur in Scriptura pluries, non tempus ipsum, sed rei efficacia, quantum est ex se, & præscindit a tempore: ob quam intelligentiam considerandus est semper contextus; cum enim, non est intentum notandi tempus, ut plurimum, locum habet modus iste dicendi, seu significandi. Ita Christus dicitur, *Joan. c. 1. lux, quæ in tenebris lucet*, quia ex se lucem habet, & vim expellendi omnes tenebras, atque peccata, & ibidem: *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non quod id pro aliquo determinato solum tempore faciat, sed quantum est ex ipso, id omnibus, & semper præstet, quos enim creavit, conservat, & ita omni momento, quia conservatio est continuata productio, & omnis homo, venit continuò in hunc mundum, & a Christo illuminatur; semper coruscans est sol, si semper eum aspicias.

Sic etiam in promissionibus habetur, *Marci cap. ultimo, qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*: hæc est fidei, & baptismatis efficacia, non alligata ad unum vel determinatum tempus, sed virtutis expressio est, quæ qualiter causat, ex aliis Scripturæ locis habetur. Plurima de his exempla passim occurrunt.

16. Ex hebræo more, verbum, respondere, non accipitur rigorosè, quasi semper supponat interrogationem, satis enim pro interrogatione, stat quædam expectatio locutionis, ut hæc dicatur responsio: *Matth. cap. 11. respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terra &c. Matth. c. 12. responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis dicentes. Magister volumus a te signum videre, & c. 17. respondens Petrus dixit ad Jesum, Domine, bonum est nos hic esse*. Et similes sæpè textus occurrunt, in quibus nulla præcedente interrogatione, sed sola, vel expectatione, vel præmeditatione respondentis, quasi interrogaretur, responsio dicitur, absoluta locutio. Plurimas ex more dicendi hebræo verborum aliquorum diversas a nostris intelligentias hic reticemus, ne tractatus confundantur, alibi enim propriam sedem sibi reservatam expectant. Alias etiam, quæ ex græca lingua ortum habent, & a quibusdam notantur, hic non damus, quæ enim ad nostram rem faciunt illæ sunt, quæ quamvis in græco idiomatè eluceant, ab hebræo dicendi more derivantur, & in datis satis continentur, non enim proprietates linguarum in se ipsis attendimus, sed prout in Scripturis divinam indicant veritatem.

CAPUT IV.

De Idiotismis Scripturæ Sacræ propriis, qui aliquid speciale habent, quoad nos, ratione præpositionum adverbiorum, interjectionum, & conjunctionum.

ARTICULUS I.

De intelligentia præpositionum.

Habent hebræi præpositiones; quæ variantur secundum genus, & numerum, vel nominum, vel verborum, quibus præfiguntur, ideò transferri in latinum, cum omnimoda proprietate non possunt. Exempl. sit præpositio *Be*, quæ significat *in*. In genere masculino, & in singulari dicunt, Bi, Becha, Bo, scilicet in me, in te, in illo, & in plurali, Binu, Bichem, Bachem in nobis, in vobis, in illis. In fœminino singulari, Bi, Bach, Bah, scilicet in me, in te, in illa. Et in plurali, Banu, Bachem, Bahen, in nobis, in vobis, in illis, & sic de aliis.

Porrò frequenter in Scriptura præpositiones videntur abundare, seu redundare. August. *in Psal.* 104. *Et crediderunt in verbis ejus*. Minus latina videtur locutio, quia non ait verbis ejus, vel in verba ejus, sed in verbis ejus, tamen Scripturis usitatissima, non tamen facilè dicendum est; quod redundet præpositio, nam si bene ponderetur aliquid addit formale, nempe ut in proposito, quod tota ratio credendi verbis ejus, erat in ipsis verbis, vel quòd in eodem instanti, quo loquebatur, ipsi credebant, vel quamdam fidei plenitudinem, & quietem, quia crediderunt in verbis, & eodem proportionali modo dici debet de illo, *Exodi* 15. *Portasti populum tuum: in fortitudine tua, & Gen.* 32. *in baculo meo transivi Jordanem istum*.

Aliquando etiam præpositiones sunt subintelligendæ, ut *Isa.* 26. *Elongasti omnes terminos terræ*, idest usque ad omnes terminos terræ, & *Psal.* 2. *possessionem tuam terminos terræ*, idest usque, ad. Ita quidem notat Salmeron, sed ubi absque eo, quod suppleatur quid quam, habetur sensus sufficienter, non est facilè quid supplendum, nec planè in prædictis locis quidquam supplent Expositores. Incognit. ibi, & alii.

Super omnia in hac materia valde notandum est ad evitandos errores, non eodem modo sumendas esse præpositiones in Scriptura, ac vel in grammatico, vel in philosophico rigore sumuntur apud latinos; hunc enim tenere volens Arius, fidem reliquit. Nam quia apud Philos. *A quo* designat efficientem, vel artificem; per quod, vel per quem, concausam, seu ministrum, & etiam instrumentum. *Ex quo*, vel de quo, materiam ex qua, vel de qua res efficitur. Propter quod, sive ad quod, finem, vel ideam, ad quam respiciens arti-

artifex operatur; in quo, tempus, vel locum, quæ non semper in phrasi Scripturæ, quæ cum de Deo, ac de divinis agit, non subest Philosophię, observantur, sed longe diversam quandoque continent expressionem; eundem exigens io Scriptura dicendi rigorem, illud Apostol. 1. *Chorin.* 8. *nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*, hæreticè interpretatus est, diversam Filio tribuens a Patre naturam, tamquam alicui creato, & concausæ, seù instrumento, ut deducitur, ex Basilii Doctrina lib. de Spiritu Sancto c. 2.

Quò circa notandum, quod in Scriptura, ly ex quo, vel de quo, & dicitur de Patre, & de Filio, & de Spiritu Sancto, de Patre loco citato Apostoli, ex quo omnia, & designat primum, & fontale principium rerum omnium; A qua significatione didicerunt Philosophi, eandem applicare materiæ per quandam analogiam, eo quod materialia a materia, tamquam a quodam communi fonte derivantur.

Dicitur de Filio, *Colos.* 1. *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & contexum per omnem juncturam, & Joan.* 1. *de, vel ex plenitudine ejus omnes accepimus*; & ipse Christus, *Lucæ* 8. *Novi virtutem de me exisse.*

Tribuitur & Spiritui Sancto. *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.*, & ibidem: *Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex Spiritu, spiritus est, & Matth.* 1. *quòd in ea natum est de Spiritu Sancto est. Et Joan.* 4. *In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu Sancto suo dedit nobis.*

Item præpositio per, de singulis tribus Personis æquè dicitur. De Patre 1. *Chorin.* 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus. Galat.* 4. *quod si Filius, & hæres per Deum, & Roman.* 6. *Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris.*

De Filio dicit. loco citato, 1. *Chorin.* 8., & alibi, *ad Roman. per quem accepimus Apostolatum*, & ubique de Spiritu Sancto. *Is.* 30. *Ordiremini telam, & non per spiritum meum. Act.* 1. *præcipiens per Spiritum Sanctum.* 1. *Chorin.* 2. *Nobis autem revelavit per spiritum suum.* 2. *Timoth.* 1. *Bonum depositum custodi, per Spiritum Sanctum.* Ratio autem esse potest, quia opera Trinitatis ad extra, sunt a tota Trinitate, quamvis alicui tantum personæ quandoque attribuantur.

Idem dicimus de præpositione, in quo. *Psalm.* 59. *In Deo faciemus virtutem. Psalm.* 17. *In Deo meo transgrediar murum. Psalm.* 88. *in nomine tuo exultabunt tota die, & in Evangel. Nescitis quia ego in Patre*, de Filio dicitur, *Colos.* 1. *In ipso condita sunt universa. Hebr.* 1. *Novissimè locutus est nobis in Filio. Joan.* 5. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* Et de utroque, 1. *Thessal.* 1. *Paulus Sylvanus, & Timo. Eccles. Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.* De Spiritu Sancto jam supponitur.

Quod autem Apostolus dixit, *ex ipso, & per*

A *ipsum, & in ipso sunt omnia, Rom.* 11. Augustinus refert ad totam Trinitatem lib. 1. de Trinitate c. 6. Basilius verò lib. citato c. 1., & Ambros. l. 4. de Fide c. 6. referunt ad Filium, & Marius Victorinus lib. 1. de Trinitate, ad Patrem.

De præpositione *A*, vel *Ab*, io Sacra Scriptura. Hæc præpositio aliquando significat causam efficieotem, vel Origenem, *Ecclesiast.* 1. *Omnis Sapientia a Domino Deo est, & fuit semper. Psal.* 117. *A Domino factum est istud. Matth.* 21. *Non est potestas, nisi a Deo.* Efficientem signific., *Matth.* 18. *væ mundo a scandalis. Psalm.* 118. *A mandatis tuis intellexi*, idest didici, vel propter mandata edoctus sum. *Et a verbis tuis formidavit cor meum.* Idest propter verba tua. *Psal.* 67. *a templo tuo, quòd est in Hierusalem tibi offerent reges mu-*
B *nera*, idest propter templum; Explicat tamen Noster Incogn. a templo ly *a* sumi pro *in* templo. Significat etiam aliquam præsideotiam, ut 3. *Regum* 4. *Josaphat erat a commentariis*, scilicet præerat. Significat etiam patriam, ut Jesus a Nazareth saltem denominatione idest Nazarenus: Lazarus a Bethania &c. sed in hoc nihil Scripturæ speciale.

Significat etiam dorationem originis, *Mich.* 5. *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. Psal.* 94. *regnavit a ligno Deus*, scilicet, ex quo crucem ascendit. Stat etiam, quandoque comparativè, 2. *Chorin.* 11. *æstimo nihil me minus fecisse a magnis Apostolis*, idest nil minus, quam illi. *Luc.* 18. *descendit hic justificatus ab illo*, idest præ illo, quia
C Mem præpositio, A, vel Ab, & etiam præ denotat. Stat etiam pro, *post. Joan.* 13. *surgit a cœna*, scilicet post cęnam, unde & oos dicimus a prandio post prandium. *Matth.* 11. *a diebus Joan. Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & Roman.* 1. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi*, idest post mundi creationem, ut exponere Basilium, & Theodoretum refert Salmeroo. At hæc noo est expositio, sed debet esse suppositio, cum certò supponi debeat, ante mundi creationem, nec aliquid fuisse visibile, nec aliquem, qui posset videre.

Præpositio *de*, & *ex*, at maximè *ex*, secuodum Augustinum lib. de natura boni, contra Manich. c. 26. dicuot egressum alicujus de substantia alterius. *Matth.* 1. *de qua natus est Jesus qui vocatur*
D *Christus*, & ibi, *genuit Phares, & Zaram de Tamar, Salmon genuit Booz de Rahab, & David Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ*, consonat symbolum: *Deum de Deo, lumen de lumine, genitum non factum consubstantialem Patri*; ponit autem Augustinus, inter illas differentiam, loco citato. *Deus*, inquit, *de se non fecit ea, quæ condidit, sed de his, quæ omninò non erant; sunt quidem omnia ex eo, sed non de Deo, dicente Scriptura. Ex ipso per ipsum, in ipso sunt omnia; quod dicit ex ipso, non idem significat, quod, de ipso; ex ipso cælum, & terra, quia fecit ea, non autem de ipso, quia non de substantia sua, quemadmodum homo, si gignat Filium, & faciat Domum, dicimus Filium ex ipso esse, dicimus & Domum ex ipso esse, Filium autem de ipso, Domum autem non de ipso, sed de terra, & ligno.*

Hæc

Hæc Augustin. unde concludit Driedo, *lib. 3. c. 1. ablativum, cui subservit præpositio ex generaliter indicare omne principium, a quo aliquid est, sive fuerit ex consortio substantiæ ipsius, sive de substantia alterius. De autem indicare principium, de quo aliquid est particeps substantiæ ipsius. Sic dicimus Filium Dei esse de Deo Patre, & Spiritum Sanctum esse de utroque, & secundum hanc considerationem præpositio ex est communior, quam præpositio de, sicut Pater genuit Filium de sua substantia, & Psal. 109. ad Filium loquens ait, ex utero ante Luciferum genui te.* Sed hæc differentia non ubique servatur, nam *Matth. 1.* legitur. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Item in symbolo. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine.* Quòd in Maria natum seù conceptum est secundum carnem, non est de substantia Spiritus Sancti, sed a Spiritu Sancto tamquam Authore ejus nativitatis secundum carnem, ideoque non generante, sed condente, & formante fætum de castissimo Sanguine Virginis Immaculatæ. Proindeque Spiritus Sanctus dici non potest Pater Christi, quia ipsum non genuit, nec *de*, nec *ex* propria substantia. Advertendum igitur ad peculiaria loca, juxtà Patrum intelligentiam, quia in Scripturis hæ propositiones valde promiscuè sumuntur: designant quandoque materialem causam. *Gen. 2. hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: 1. Cor. 15. Primus homo de terra terrenus. Joan. 3. qui de terra est, de terra loquitur.*

Significat quandoque causam efficientem, a qua aliquid est, vel secundum naturam, vel artem, vel gratiam. *1. Cor. 8. & Eph. 4. Unus Deus Pater, ex quo omnia, idest a quo omnia condita sunt, & nos in illo*, ubi Ambros. *nos discrevit a cæteris, qui dum ex illo sint, non tamen ille sunt, dum adhuc non credunt &c. Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, scilicet per gratiam &c., *& Jo. 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*; utique per adoptionem, & gratiam. Et *Eph. 2.* de gratia: *Dei enim donum est, non ex operibus*, ubi ly *ex* designat causam meritoriam sicut, ad *Timoth. 3. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, & Rom. 5. Justificati, ex fide, pacem habemus ad Deum.*

Significat etiam motum de loco, & descensionem naturalem ex patria. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Gen. 12.* Et, *leo de Tribu Juda &c.* Ita etiam augmentum, quod fit per quemdam quasi motum, ab imperfecto ad perfectum. *Rom. 1. de fide in fidem. Psal. 83. Ibunt de virtute in virtutem.*

Differunt autem *de* & *ex*, nam cum dicimus; *qui de terra est, de terra loquitur*, possumus vertere primum, qui ex terra est, non autem eodem modo secundum, ex terra loquitur, quia ly *de* signat subjectum locutionis; cui non accomodatur ly ex. Et hoc frequenter invenies. *Act. 1. Primum quidem sermonem feci de omnibus ò Theophil., & Joan. 5. de me scripsit ille scilicet Moyses, & Joan. 16. Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de Judicio &c.* ubi est sensus hebr., & latinus determinatus ad hanc præpositionem, ut ly ex non æquivaleat.

A Non ita alibi determinatur. Nam *de* valet pro, vel *in Joann. 15. Rogabo Patrem de vobis*, idest pro vobis. *Psal. 45. Da nobis auxilium, de tribulatione.* Hebr. habent in tribulatione. *Psal. 148. Laudate Dominum de Cælis, laudate eum in excelsis* ibi *de*, & *in* idem significat idest creaturæ cælestes, & habitantes in excelsis laudate Deum, & laudate Dominum de terra, hoc est in terra.

De præpositione *in* Hæc præpositio, in Sacra Scriptura diversas admodum habet significationes. Exemplo sit, quod dicitur 1. c. *ad Eph. benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati* in *conspectu ejus*, in *charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ*, In *qua gratificavit nos* in *dilecto Filio suo*; In *quo habemus redemptionem per sanguinem ejus (remissionem peccatorum) secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit* in *nobis*, in *omni sapientia, & prudentia.* Ecce quanta diversitas significationum unius præpositionis, 14. vicibus repetitæ brevi intervallo, & vix aliquam reperies uniformitatem significandi, in duabus, aut tribus clausulis.

B Primum *in*: dicunt aliqui superfluit, *in omni benedictione* quia potest sensus haberi etiam sine *in*. Sed quamvis hoc videatur latinis, apud tamen hebræos aliqua est specialis insinuatio, scilicet, vel quod benedixit, stabiliendo in omni benedictione, vel quod in omni benedictione ipse fuit, & se nobis dedit, ideò benedixit in omni benedictione; explicat D. Thom. *benedixit nos in præsenti in spe, in futuro, in re*: unde ly *in* non superfluit; Sed esto de hac expositione sapientioribus judicium. *In cælestibus* explicat D. Thom. *idest in Cælo, vel ad distinctionem legis, quæ benedicebat in terrenis, nos Deus benedicit in cælestibus, signat terminum benedictionis, scilicet cæleste præmium. In Christo*, D. Thomas, *idest per Christum, vel in Christo operante, quia ipse reformabit corpus*, & ita ly *in* significat mediatorem, & efficientem, quia Deus est benedictio hæc. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Idest per ipsum, vel ratione ipsius,

C unde in hoc loco designat causam meritoriam sensus est D. Th. qui exponit, *benedicet nos, non nostris meritis, sed ex gratia Christi, sicut per ipsum elegit nos a massa perditionis, gratis separando, & preordinavit nos in ipso idest per Christum, ut essemus Sancti &c. In conspectu ejus.* D. Thom., *idest interius in corde, ubi ipse solus conspicit, vel in conspectu ejus, ut inspiciamus eum, quia visio est tota merces.* Igitur *in* designat subjectum, & etiam finem. *In charitate*: Idem D. Thom. *in charitate sua, vel in ea, qua nos sanctificat*, ubi ly *in* designat iterum efficientem, vel formam, & medium, ut clarum est.

D *Qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum, idest* D. Thom. *sola gratia præelegit nos, in adoptionem Filiorum, idest ut associaremur cum aliis filiis adop-*

tionis

tionis in bonis, *quæ habituri sunt*, unde ly in signat causam finalem, & quia quod fit tale, debet tale fieri per id, quod tale est per naturam, ideo adoptionem filiorum oportet fieri per filium naturalem, addit ergo, *per Jesum Christum*. *In ipsum*, *idest in quantum ei conformamur*, *& in spiritu servimus*, *1. Joan. 3. videte qualem charitatem dedit nobis Deus*, *ut Filii Dei nominemur*, *& simus*. Ex quo patet quòd *in* hoc loco signat causam exemplarem. *In laudem gloriæ gratiæ suæ*. *Causa finalis ibi denotatur* inquit Angelic. *quæ est*, *ut laudemus*, *& cognoscamus bonitatem Dei*, *quæ notatur ibi in laudem gloriæ &c.* nec solum dicit, *gloriæ*, sed addit, *gratiæ*, quasi gloriosæ gratiæ; quæ est gratia, in qua ostenditur magnitudo gratiæ, quę consistit etiam in magnitudine gloriæ, & modo dandi, quia nullis meritis præcedentibus, sed adhuc immeritis existentibus eam dat.

In qua gratificavit nos. *In qua*, idest, *per quam*, ut supra, *nos gratos fecit*, *in dilecto filio suo*, pro quo scilicet nos diligit in quantum sumus ei similes, dilectio enim fundatur super similitudine. *In* itaque significat formam, & relationem, sive qualitatem.

In quo habemus redemptionem. Ibi, *in*, designat efficientem scilicet Redemptorem, & medium, scilicet mortem ejus, ibi, *per sanguinem ejus &c. secundum divitias gratiæ ejus*.

Quæ superabundavit in nobis, *idest*, *abundantius fuit in nobis scilicet Apostolis*, *quam in aliis hæc gratia Redemptionis* D. Thom. *in*, ibi designat subjectum, & effectum.

In omni sapientia, *& prudentia*, explicat ibi superabundantiam gratiæ, ejusque effectum, unde *in* ibi dicit qualitatem, modum, & formam, ut patet. Hæc autem adduximus, ut appareat, quam diversis modis hæc præpositio *in* significet secundum tutissimam Angelici Doctrinam.

Præterea specialiter significat naturæ identitatem in divinis Personis, *Joan. 14. Ego in Patre, & Pater in me est*.

Sumitur etiam aliquando pro, *per*. *Hebr. 1. olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, idest per Prophetas, *novissime diebus istis locutus est nobis*, *in Filio*, idest per Filium, quod explicat Zacharias canens *Luc. 1. sicut locutus est per os Sanctorum*. *Ps. 76. deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi*, *& Aaron*, idest per manum Moysi, & Aaron. D Plurima de hac, aliisque significationibus exempla congerunt Doctores, sed si omnia velimus adducere, totam Scripturam pluries repetemus, ideò satis est nobis peculiaria quædam insinuare. Solumque addimus.

Ad Coloss. 3. omne quodcumque facitis in verbo, *aut in opere omnia in nomine Domini Nostri Jesu Christi facite*, *gratias agentes Deo*, *& Patri per ipsum*. Et illud, *Marci ultimo*. *Baptizantes eos in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. Quocirca non modicum laborant Patres, ac Expositores in explicando, quid sit aliquid facere, aut petere in nomine Jesu. Prædictum verò textum Apostoli exponit Angelic. *Ponit usum directionis in opere*, *dicens*, *omne quodcumque facitis &c.* ubi etiam quæ-

A rit, an in his verbis contineatur præceptum, an consilium, & resolvit esse præceptum, quòd impletur per hoc, quòd omnia in Deum referantur habitu saltem, etsi non actu, unde patet, quòd ly *in* exprimit causam finalem.

Joan. Driedo loco citato, considerans cum majori extensione ad alia loca Scripturæ rem hanc, ut cum dicitur, *in nomine meo dæmonia ejicient*, & illud *Act. 4. In qua virtute*, *aut in quo nomine fecistis hoc vos*, & similia, quæ passim in Scriptura occurrunt, dicit, quod præpositio, *in*, similibus in locis reperta, causam designat efficientem, unde cum Apostoli dicebant, se in nomine Jesu dæmonia ejicere, curare, baptizare &c. significabant Jesum Dei Patris Verbum esse, ex cujus virtute, & potestate invocata per nomen, & professa, ta-
B lia operabantur. Et notat, plus esse energiæ in hoc, quod dicitur aliquid fieri in nomine Jesu, quam cum dicitur fieri ex ejus virtute. Tunc enim propriè in nomine Jesu aliquid agimus, cum intus, & in corde agnoscimus, & profitemur Jesum esse Auctorem operis, quod facimus, unde & subdit Apostolus, *gratias agentes Deo & Patri per ipsum*, quod exequimur per talem recognitionem: unde Theophilatus in locum prædictum Apostoli dicit *omnia quæ facitis &c. hoc est illum*, *ut adsit*, *invoca*, *& ut opem ferat*, *precare*, *sic dicit Paul. 2. Chorin. 2. Ego si quid donavi*, *in Persona Christi donavi*, *idest velut Christi vicem gerens*. Ambros. *in persona Christi*, *idest pro vice Christi*, *eoque jubente donans*, & ad rem Christus, *Joan. 5. Ego ve-*
C *ni in nomine Patris mei*, *& opera*, *quæ ego facio*, *ipse facit*.

Addit autem Driedo. *Verum hic sciendum*, *quòd in Scripturis nomen Domini*, *non est aut vox*, *aut sermo transiens*, *sed interdum est fama*, *aut notitia Domini Dei*, *interdum*, *& id quidem communiter*, *est ipse Jesus Mariæ Filius*, *unus cum Patre*, *& Spiritu Sancto Deus*, *homo factus pro homine &c. Proinde habere gratiam*, *& remissionem in nomine Jesu*, *aliquid plus designat*, *quam a Jesu esse gratiam*, *& remissionem*. *Est gratia*, *& remissio a Patre*, *& Filio*, *& Spiritu Sancto*, *sed per Jesum hominem tamquam mediatorem*, *cujus solius meritis*, *operibus*, *& passionibus*, *tota Trinitas dat nobis gratiam*.

Proinde & ipse Pater remittit nobis peccata in nomine Jesu; Rursus ipse Jesus remittit nobis pecca-
D ta in nomine Patris. In primo exprimitur Jesus mediator. In secundo, operator, sed virtute divinitatis.

Ut autem intelligatur vis sermonis Christi dicentis. *Joan. 16. usquemodo non petitis quidquam in nomine meo*, dicit ibi Augustin. *duobus modis in est intelligendum*, *vel quia non in nomine meo petistis*, *quod nomen*, *non sicut cognoscendum est*, *cognovistis*, *vel non quidquid in nomine meo dignum dari vobis*; *Ego veni*, *ut per me Pater det vobis*, *non hujus Mundi bona*, *sed salutem*, *& remissionem peccatorum*, *& vitam æternam*. Hoc significat per omnem locum Scripturæ. *Deus in nomine tuo salvum me fac. Ps. 53.*, *& Adjutorium nostrum in nomine Domini &c. Turris fortissima nomen Domini ad eam confugiet justus &c.*

Amplius autem, & sermo ille Scripturæ cum dicit in nomine alicujus, alias habet significationes. *Matth.* 10. *Qui recipit. Prophet. in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum in nomine justi &c.* Hic ly in nomine designat titulum, & rationem formalem, idest qui recipit justum, quia justus est, & ratione justitiæ, sive ut talem nempe, ut justum &c., & sic de aliis.

Matth. 28. præcipit Christus Apostolis. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* D. Thom. in 4. *Sent.* dicit, Christum non intendisse ibi daro baptismi formam, sed præcipere actum baptizandi in professione Trinitatis secundum formam sibi prius datam, & ex auctoritate creditæ Trinitatis, quia sicut cum præcipitur, ut in nomine Jesu comedamus, & bibamus, non est consequ. ut teneamur proferre nomen Domini in comedendo &c. Satis verò est, quòd Jesu invocato, ut omnis operis boni auctore, incipiamus comedere, & operari, ita nec est necesse, ex vi hujus textus in baptizando exprimere Trinitatem, cum igitur hoc revera sit necessarium, ex priori institutione formæ oritur hæc obligatio. Quæ Doctrina intelligi debet cum grano salis, & bene intellecta præcisione, & reduplicatione, ne error contingat, quem abhorremus.

Sumitur etiam *In*, pro, *inter*. *Rom.* 1. *In quibus estis, & vos vocati* pro *inter* quos. *Exodi* 25. *habitabo in medio eorum*, scilicet inter illos. *Psal.* 98. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus* scilicet inter Sacerdotes, ut explicat in sequenti, *& Samuel inter eos &c.*

Sumitur etiam *In*, pro, *cum*. *Isai.* 7. *in die illa radet Dominus in novacula acuta*, idest cum novacula. *Psal.* 65. *Introibo in Domum tuam in holocaustis*, cum holocaustis. *Psal.* 88. *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* *Marc.* 9. *hoc genus Dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.* In pro *cum*, vel *propter*. *Deuter.* 22. *Non arabis in bove simul, & asino*. *Matth.* 22. *diliges Dominum tuum, in toto corde tuo, in tota anima tua*, quamvis vulgata vertat, *ex toto corde*, quia Beth hebr. in, aliquando etiam significat, de vel ex. *Philip. ultimo omnia possum in eo, qui me confortat*, idest cum eo, vel per eum &c. Probat autem Basil. in lib. de Spiritu Sancto c. 28. idem esse *in* & *cum*, ex illo Apost. 1. *Chorin.* 5. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens cum, qui sic operatus est. In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi hominem Satanæ &c.* Quòd enim prius dixit, *in nomine* explicuit dicens, *cum virtute &c.*

Accipitur etiam *in* pro *de*. *Ad Eph.* 5. *Ego autem dico in Christo, & Ecclesia* hoc est, de Christo. *Ad Galat.* 5. *Ego confido in vobis*, hoc est de vobis. *Rom.* 11. *an nescitis in Elia* (idest de Elia) *quid dicat Scriptura*, *Eph.* 6. *Ita, ut in ipso*, idest de ipso, *prout oportet me loqui.*

Item & pro *propter*. *Eph.* 4. *Donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis*, scilicet propter Christum. Ibidem *Ego, vinctus in Domino*, scilicet propter Dominum. *Rom.* 16. *commendo vobis, Phœben Sororem meam, ut eam suscipiatis in Domino*, scilicet propter Dominum, *digne sanctis*. *Colos.* 1. *omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*, scilicet propter ipsum. *I. ad Timoth.* 4. *In hoc laboramus, & benedicimus*, scilicet propter hoc, quia speramus &c. *Matth.* 26. *omnes vos scandalum patiemini in me*, scilicet propter me.

Ponitur etiam *in* pro *ante* ex more hebræo: *Gen.* 2. *complevitque Deus in die septimo opus suum*, idest immediatè ante; ex Rabinis, id probat Salmeron, & ex 72. qui habent, in die sexto. *Exodi* 12. *In prima die non erit fermentum in Domibus vestris*, scilicet instante die azimorum; *Matth.* 1. *Josias autem genuit Jeconiam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis*, scilicet illa instante.

Præpositio *ad*, & etiam, *in* aliquando stat pro *de*. *Lucæ* 19. *Ait Jesus ad eum, quia hodie salus Domui huic facta est.* *Ad eum* stat pro *de eo*, quia ad Zachæum non loquitur Christus, cum de eo loquatur in tertia persona, *eo quòd & ipse Filius sit Abrahæ*. *Rom.* 10. *Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas.* Scilicet de Israel hoc dicit. *Actorum* 8. *David autem dicit in eum*, scilicet de eo. *Hebr.* 1. *Ad Angelos quidem dicit: Hunc enim locum: Quod dicit, & ad Angelos quidem Deus Pater, tale est, ac si diceret, de Angelis. Ad ponens pro de & similiter, cum sequitur ad Filium. Ad Hebr.* 4. *omnia autem sunt nuda, & aperta oculis ejus, ad quem nobis sermo*, idest de quo.

Præpositio *apud*, quæ significat propinquitatem, & consortium aliquando in Scriptura stat pro *a* vel *ab*: *Psal.* 36. *Apud Dominum gressus hominis dirigetur*, scilicet a Domino. *Psal.* 129. *apud Dominum misericordia*, scilicet a Domino, & ab ipso copiosa redemptio. Ita interpretatur sæpè Augustin. in Psalmos. *Psal.* 108. *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi, apud Dominum*, idest qui detrahunt mihi, dicentes me a Domino recessisse. *Psal.* 31. *Advena ego sum apud te, & peregrinus*, scilicet a te, Juxta illud Apostoli: *Peregrinamur a Domino*.

Præpositio *ante* aliquando tempus significat *Joan.* 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Aliquando præsentiam coram. *Psal.* 71. *permanebit cum Sole, & ante Lunam*: & *Gen.* 3. *collocavit Cherubim ante paradisum*: & *Ps.* 82. *sicut stipulam ante faciem venti.*

Præpositio *post*, in Scriptura diebus apposita, non omninò eos excludit. *Matth.* 27. *Post tres dies resurgam.* Et tamen in aurora 3. diei surrexit: *Luc.* 9. *factum est post hæc verba quasi dies* 8., *assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem.* Et *Jo:* 20. *Post dies* 8., *iterum erant Discipuli ejus intus* ergo non erant tamen consumati. *Hier.* 2. *Ambulaverunt post vanitates, & Eccles.* 18. *post concupiscentias tuas ne eas.* Ibi est sensus, quod vanitati, & concupiscentiæ, opere servierunt, ideò in ipsis potius, quam post ipsas immersi.

Præpositio *contra*, nihil habet proprium notatu dignum in Scriptura, quia eodem fere modo apud hebræos, & græcos sumitur, ac apud latinos. Aliquando enim est adversativa, & facilè dignosci-

gnoscitur, aliquando veluti demonstrativa, & ponitur pro coram, vel è conspectu. *Matth. 27. sedentes contra sepulcrum*, aliquando habet utrumque, ut *Psalm. 50. peccatum meum contra me est semper.*

Præpositio *cum* significat societatem, auxilium, favorem, & aliquando instrumentum, & aliquando est adverbium, pro quando, ut, *cum invocarem exaudivit me Deus*, & clarè dignoscitur etiam in Scripturis.

Præpositio *super*, claram etiam significationem habet, solum notamus, ut etiam supra vidimus, quod in Scriptura aliquando significat superlativum, vel comparativum. *Psal. 118. dilexi mandata tua super aurum. Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti*, quia hebræa lingua non habet terminum superlativi, vel comparativi proprium, nominaliter, sicut latini.

Frequenter etiam accipitur pro *de Rom. 15.* de charitate, *non gaudet super iniquitate, & 1. Chor. 13. gratias ago. Deo super inenarrabili dono ejus. Psal. 137. confitebor nomini tuo super misericordia & veritate tua*, & ponitur aliquando, cum eadem oppositione, cum accusativo. *Psalm. 29. & super salutare tuum exultabit vehementer*, & alibi sæpe.

Peculiare hoc habet, ut ponatur pro *juxta*, vel *secus. Psal. 23. quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit &c.*, idest juxta mare, & flumina: *Psal. 136. super flumina Babylonis, illic sedimus &c.*; idest juxta Psal. 135. *qui firmavit terram super aquas*, idest juxta aquas, quia terra non est super mare stabilita, sed super stabilitatem suam. *Psal. 103.* ibi Augustin. *Luc. 2. Pastores custodiebant vigilias noctis super gregem suum*, nempe juxta. *Joan. 4.* de Christo, *sedebat sic super fontem*, scilicet prope, ut interpretatur Chrisost.

Cum tamen dicitur, *firmavit terram super aquas*, & similia ly *super*, sumi potest pro particula comparativa, ut dicatur magis firmavit terram, quam aquam, & super maria, nempe magis quam maria, & flumina, eam stabilivit, melius tamen est sequi sensum Augustini.

Præpositio *secundum*, vel *juxta*, in Scriptura, aliquando sumitur pro *in*. *Rom. 9. secundum hoc tempus veniam: & erit Saræ Filius*, idest, in hoc tempore veniam, ut habetur Gen. 18.

Hebr. 9. Munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, scilicet, quæ non possunt in conscientia, seu, in anima munditiem operari. *Et cap. 11. juxta fidem defuncti sunt omnes isti*, scilicet in fide. *Psal. 94. sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto.* Hebræi habent, in die tentationis in deserto. Accipitur etiam, pro *per*. *Ad Galat. 1. Notum vobis facio Fratres Evangelium, quod Evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem*, idest per hominem, vel ab homine, unde subdit: *neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

Præpositio *per & propter*. Interdum propter accipitur pro *per*. *Joan. 6. sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*, scilicet per Pa-

A trem, *& qui manducat me, vivet propter me*, idest per me, agitur enim ibi de efficienti, non de finali. Ita Salmeron ibi. At Augustin. *tract. 26. in Joannem*, prope fin. accipit ly *propter*, finaliter, *Ut ego vivam propter Patrem*, idest ad illum, tamquam ad majorem referam vitam meam &c. nec tamen efficientem excludit, prosequitur enim. *Si autem ita dictum est, vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est &c. Rom. 8. sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*, idest per eum, & ita legit August. lib. 22. de Civit. Dei c. 23., & Græci Patres. Ad Philip. 1. *Quidam quidem propter invidiam, & contentionem, quidam autem, & propter bonam voluntatem, Christum prædicant*; ly *propter*, secundum aliquos dicit, per. Quia subdit, *Quid enim? dum omni modo, sive per*
B *occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo &c.*

Et è converso *per* pro *propter*. *Rom. 6. Quomodo Christus surrexit a mortuis, per gloriam Patris*, idest propter gloriam Patris. *Matth. 27. sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum*, scilicet propter invidiam.

Propter etiam stat pro, *Pro*. *Passus est propter nos: attritus est propter scelera nostra. Is. 53.* & illud symboli, *propter nos homines, & propter nostram salutem*, valet idem, quod pro nobis, ut adjutor, & Redemptor noster, cum ipse potius sit finis noster non nos illius. Si autem intelligitur ly *propter* simpliciter, legenda sunt hæc, supplendo aliquid, sicut, & cum dicitur, *1. Chorin. 7. propter fornicationem unusquisque suam uxorem*
C *habeat, & unaquæque suum virum.* Idest propter evitandam fornicationem; unde etiam ly, *attritus propter scelera nostra*, ad ea tollenda, & *Rom. 4. resurrexit propter justificationem nostram*, conferendam nobis. Hæc enim possunt dici finis immediatus illarum actionum Christi, qui finis simul cum actione ipsa Christi redit ad Christum, & Deum. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi. Christus autem Dei.*

De præpositione *per* simpliciter considerata multa identidem dicta sunt: Nunc breviter: Hæc præpositio designat causam efficientem vel stricto, vel lato modo, stricto quidem modo, cum dicimur nos aliquid habere per virtutem, & gratiam Dei, & adjutorium ejus; lato modo, cum
D ly *per* afficit locutionem de Personis divinis invicem, inter quas origo quidem, sed non efficientia invenitur: Verum cum dicimus, Pater operatur per Filium, *per quem fecit & sæcula, per quem omnia facta sunt*, ly per, neque causam, nec instrumentum notat, sed personam, quæ virtutem accepit operandi, a Patre *Joan. 5. Non potest Filius a se facere quidquam*, nec tamen inde sequitur, quod minor sit, quia eandem potestatem, & virtutem accepit Filius, quam habet Pater. Rursus addit Driedo, loco sæpe citato. *Dicimus Filium agere per se, idest per suam propriam naturam, propriamque potentiam, quam habet eandem cum Patre, & quia accepit hanc a Patre; ideo, secundum sensum quemdam, dicitur Filius agere per Patrem, idest per acceptam a Patre potestatem.*

 Unde,

Unde, etsi falsum sit Patrem esse per Filium, verum tamen est Patrem operari per Filium: Hinc Hilarius, lib. de Trinitate, *Filius per se* inquit, *agit, sed non agit à se, insuper quamvis admittendis, Patrem operari per Filium, nequaquam tamen admittere possumus Patrem esse sapientem, aut potentem per Filium, tametsi dicamus Filium esse sapientem, aut potentem per Patrem*. Unde solent Sacræ Theologiæ magistri, hanc tradere regulam: Præpositio *per*, cum verbo absoluto designat accusativum, cui servit, esse principium a quo. Velut cum dicimus, iste est bonus potens, sapiens per illum. Et idcircò non concedimus Patrem esse sapientem per Filium, tametsi Filius sit sapientia Patris, non per quam Pater est sapiens absolutè, sed tamquam originem habens a Patre: Eadem autem præpositio, cum verbo transitivo, designat rem, cui servit, nunc esse, ut accipientem nunc, ut dantem virtutem, seu potestatem, sicut nos vincimus hostes Christi, per voluntatem Dei Patris, & è converso dicimus. Voluntas Dei vincit hostes Christi, per nos.

Verum & hic sciendum, quod præpositio hæc, etiam Filio juncta, interdum causam significat medium, aut meritoriam quæ reducitur ad efficientem; velut cum Pater legitur dare nobis aliquid per Filium, secundum humanam naturam deitati unitam: *Joan. 14. nemo venit ad Patrem, nisi per me*, & alibi, *per quem gratia, & veritas facta est; per quem accepimus gratiam, & remissionem peccatorum*. Et propter hoc Ecclesia, omnes orationes suas concludit: *Per Dominum Nostrum Jesum Christum Filium eum &c.*

Addit Chrisostom. consuevit Scriptura, *per quem*, non numquam dicere pro, *à quo*, velut cum *Gen. 4.* dicitur: *Possedi hominem per Deum*, idest à Deo. *Fidelis Deus per quem vocati estis, in societatem Filii ejus*, idest, à quo vocati estis. *Veh homini, per quem scandalum venit*, idest à quo.

Habet, & hæc præpositio juramentum exprimere. *1. Chorin. 15. Quotidie morior, per gloriam vestram Fratres*, & pluries invenitur, sed clara est expressio.

Pro præpositio, quandoque ponitur pro *de*. *2. Chorin. 7. Multa mihi gloriatio pro vobis*, idest de vobis, & *c. 12. Pro hujusmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor*, idest de hujusmodi, de me autem *nihil gloriabor*.

ARTICULUS II.

Pauca de Adverbiis.

UT fideliter verteret Auctor vulgatæ, potius attendit proprietatem dicendi hebraici idiomatis, quam latini; hoc tamen etsi detineat aliquos, nobis nihil facessit, quia intelligentiam Scripturarum non obscurat; vix ergo aliqua notabimus, quæ sensum videntur aliqualiter abscondere.

Adv. *Post*: *Psal. 77. sustulit eum de gregibus ovium, de post fætantes accepit eum, pascere Jacob &c.* scilicet sublevavit eum de grege ad Regem, ut nempe esset Rex; dicit autem de post fætantes, significans, quod servilem curam gregis habebat, & retro totum gregem pergebat, curans oves fætantes, quæ ultimo loco manent post alias, cum difficile pergant, & majori cura pastoris indigeant, secundum illud *Isaiæ* de pastore Messia. *In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fætas ipse portabit*.

Adverb. hebræor. *Amen*, idest, *fiat, fiat*. Aliter etiam sumitur pro *certè asseveranter, professò, ita est*, maximè cum duplicatur. *Jo: 3. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit*; & *Jo: 6. Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, & etiam simplex; *Amen. Luc. 4. Amen dico vobis; nemo Propheta acceptus est in patria sua*. Primo modo sumpta, secundum Chrisostomum *in epist. ad Galat.* est particula conclusiva, ut in pluribus. *Rom. 9. cogitationes antiquas, fideles, Amen*, & *in Ps. 71. & replebitur majestate ejus omnis terra, fiat, fiat*: hebr. *Amen, Amen*. In omnibus etiam patet orationibus Ecclesiæ, quia est quædam replicatio orationis, petens, ut fiat, id quod hactenus petierat, ut fieret, & prolatis verbis consecrationis, alta voce populus respondebat amen, ut habet Jacobus in sua liturgia, magna fide confirmans, ita esse, scilicet *hoc est corpus meum &c.* esse vitali, ut benè advertit Salmeron, convenit quod ait Apost. *1. Chorin. 14. qui supplet locum Idiotæ, quomodo dicet* Amen *super suam benedictionem*? sic terminantur omnes Pauli epistolæ, & ipse Christus dicitur, *Amen*. *Apoc. 1. hæc dicit Amen testis fidelis, & verus*, idest ipsa veritas Christus, rectè dictus, *Amen*, quia hoc significatur fiat, & certè ea omnia, quæ Deus fecit, cum ait Fiat in principio, *omnia per ipsum facta sunt*; *Jo: 1. & sine ipso factum est nihil*, & ipsa Virgo Mater Immaculatissima, semperque sanctissima, & divina parens, cum ipsum concepit, inquit: *Fiat mihi secundum Verbum tuum*, quod est, *Amen, Amen*, unde & cum seniores illi in Apocalyp. dicebant, *Amen, Amen*, adorantes, & creationem rerum, & redemptionem commemorabant.

Quoad adverb. *quidem, & autem, vel verò*, quæ sibi secundum regulas grammaticæ correspondent, notandum, quod in Scriptura aliquando non ita se habent, & ratio est, quia ly, *quidem* aliquando est mera, & absoluta affirmatio, vel negatio, si cum *ne*: unde non habet relationem ad *autem*, *Job. 31. pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de Virgine*. *Actorum 19.* Joan. quidem baptizavit baptismo penitentiæ populum; *& actor. 1. Primum quidem sermonem feci de omnibus ò Theoph.* & *Rom. 1. primum quidem gratias ago Deo meo*, & sæpissimè, sic invenitur sine correspondentia, quod ideò advertimus, ne forte eam in sequentibus saltem inclusam venantes, obscuremus veritatem sensuum Scripturæ.

Adverb. *valde, nimis, vehementer*, stant ferè semper pro eodem *valdè*, nec ly nimis accipitur pro vitioso excessu, quia exprimuntur per idem Mod hebr. *Ps. 118. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. *Psal. 138. mihi autem nimis honorati*

sunt

sunt amici tui Deus, nimis confortatus est. Ps. 91. nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, & Ps. 92. testimonia tua credibilia facta sunt nimis; quibus in locis, *nimis* stat pro *multum*, valdè exprimitur autem per *nimis*, ut in nostro conceptu ly *multum* non habeat limitationem, quia cum de divinis agitur, numquam satis; sicut & de dilectione Dei ajebat August. modus diligendi Deum, est diligere sine modo.

Ita intellige, & ly *vehementer*. *Ps. 103. Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Ps. 118. ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud*, & iterum, *& dilexit ea vehementer*. Si igitur sincere velimus hujusmodi textus intelligere, vel dicatur, *nimis*, vel *vehementer*, nullum novum latet mysterium.

Adverb. *Gratis* ex contextu patet, ubi ponitur, quod propriè apud Hebræos significat *frustrà*, vel etiam, *sine fructu*, vel *sine ratione*. *Ps. 118. principes persecuti sunt me gratis, & Ps. 34. odio (& Isai. 15.) habuerunt me gratis.* Primò tamen in utroque idiomate signific. idem, quod *liberaliter, & sine pretio*, vel *merito*. Frequens Pauli Phrasis, ubi agit de justificatione, & de gratia.

Adverb. *donec*, *antequam* &c. significant absolutè, secundum phrasim Scripturæ, non autem illativè: scilicet usque ad tale tempus factum esse aliquid, vel non factum, non tamen inferunt quid postea factum sit, vel non factum, quod est significare præcisivè, & prout res stant, ut passim in Scriptura habemus. Pereat ergo, ut in æternum pereat, infælicissimus hominum Elvidius, cujus memoria in maledictione est, qui ausus est electissimam Deo Virginem, venenata impetere dementia, negans Virginem fuisse post partum, sed aliorum naturalem matrem, qui dicti sunt fratres Domini, in eo fisus, quod habetur, *Math. c. 1. non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, si, *donec peperit*, inquit, *non cognoscebat, ergo postquam peperit cognovit*. Quarè non potius, ergo a fortiori postquam peperit, non cognovit, cum & nova ratio urgebat, quia nempè peperit Deum, & Sanctus Deo uterus, hominem deterrebat, & ipse Deus ostenderat absolute se nolle Virginitatem illam temerari, quam supra omnes naturæ leges, in Filii nativitate servaverat. Ad quid cognosceret? ad filios procreandos? at quomodo hoc posset? qui viderat ex facto, eam sine carnali complexu potuisse concipere, eandem sciebat, Deo facilitatem esse, in uno miraculo, at in pluribus. Facilitatem tamen nullam in Virginis illius violatione, quam adeò Sanctissimam Deus servaverat, ut stare non posset eam esse, & non inviolatam, non immaculatam, non Virginem Matrem. Pereat grammatica hæc, quæ usque ad impossibile desipit. *Math. 28.* inquit Christus Discipulis, *ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi*, ergo ne post consummationem sæculi non erit? ubi ergo illud, *ut edatis, & bibatis super mensam meam, in regno meo?* ubi illud, *ubi ego sum illic, & minister meus erit?* ubi, quòd regni ejus non erit finis? *Ps. 110. dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis, donec ponam*

A *inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, ergo ne, cum omninò prostratus fuerit inimicus, in die Judicii, ultimo supplicio perimendus, cum ipse Elvidius, illibato Virgineo pede conculcatus, turpissimo mergetur sceleris sui inferno specialiter excruciandus, tunc desinet sedere Filius, qui tunc judicabit, quia Pater omne judicium dedit Filio Virginis? hoc stylo procedit Ambros. *de institut. Virginis c. 5. Consuetudo*, inquit, *Scripturæ divinæ est, ut causam, quæ suscepta est astruat, incidentem differat. Quo solvitur etiam terrena quæstio, qua dictum est. Non cognovit eam donec peperit filium. Quid ergo? postea cognovit? minime. Denique scriptum est: Ego sum Deus, & donec senescatis ego sum numquid igitur postquam senuerint, quia dictum erat, donec, Deus esse desinit.* Ita Hieronym. in p. c. Math. ita Aug.

B caeterique Patres omnes, ita tota sentit Ecclesia, & militans, & triumphans, quæ in hoc maximè triumphat, quod infinito beatitudinis stipendio, immaculato, ut beanti suæ candori militat Imperatricis) si enim de beatitudine dictum est, *similes ei scilicet Deo erimus, quia videbimus eum, sicuti est*, & Virgini similis, quia ejus Filius, Filius Dei, qui est candor lucis æternæ, speculum sine macula, jam de primo ad ultimum beatitudo non esset, nisi esset Virginis similitudo, nec impugnari potest Virginis divinissimus candor, nisi puritas ipsa beatitudinis omnium inculcetur, unde beatitudinem, ut describeret Apostol. qui viderat arcana verba, quæ non licet homini loqui, ad Immaculatæ Virginis intendebat exemplar. *Eph. 1. elegit*

C *nos in ipso*, inquit scilicet Christo Filio Virginis, *ante mundi constitutionem* (quando nihil erat immundum, sed tota Virgo erat in mente Dei creatura) *ut essemus sancti, & immaculati*, (ecce Virginis similitudo) *in conspectu eius*, ecce visio intuitiva Dei, *in charitate*, quæ facit utraque unum. At quorsum hæc? ne quæso miretur lector. Ubi Virgo amantissima occurrit, totam absorbet hominis mentem, quæ totum absorbuit Dei Verbum, & in hoc solum vivere se sentit anima, quod eam optat laudare, quæ est vita dulcis, & vita dulcedo, & consolatio suavissima totius spei nostræ. Porrò qui sileat vivens, æternitatis Matrem, si & mortuus ad eam in æternum exulet. David. Qui de se ipso ait. *Omnia ossa mea dicent Domine, quis similis tibi?* De sola siquidem Virgine dici potest,

D quod sit similis Patri, eundem, ac ipse generans Filium Deum, similis Filio, quia generatio est in similitudinem naturæ. Similis Spiritui Sancto, quia de ipso concipiens duplicem naturam in unica univit persona, sicut ille duplicem personam in una unit natura, quia nodus, quia amor.

Nunc ad priora redundendo, quæ tamen semper Virginis militant encomio, habetur etiam 2. *Regum 6. Michol filiæ Saul non est natus filius, usque in diem mortis suæ.* Sane etsi magis habeat de illativo, & affirmativo, particula *usque*, quam, *donec*, tamen apertè significat, *numquam*. Unde & Origen. *hom. 7. in Josuè, usque in hodiernum diem; Scripturæ Sacræ moris est, dicere de iis, quæ usque ad finem, vel vitæ, vel sæculi permanent V. C. ut ait. Hic Pater est Moabitarum usque in hodiernum diem;*

diem, quod significat usque in finem sæculi. Et iterum dicitur in Evangelio. Math. 27. quia diffamatus est sermo hic apud Judæos, usque in hodiernum diem &c. de Moyse etiam dicitur, Deuter. ultimo. Mortuus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum; & non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.

De particula non: certum est si ponatur sola, negationem esse, si autem ponatur cum exceptione, aliquando stat pro, non solum, ut Marci. 9. quicumque me susceperit, non me suscepit, sed eum, qui misit me. Ibi planè significat non me solum, ne sit contradictio. Et qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. & doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me, idest, non est mea solum, sed ejus, a quo eam habui, quod exprimitur per ly: misit me.

Adhuc apud Hebræos significat usque huc, sive ad tempus aliquod. Sumitur autem frequenter, ut est quædam nota longanimitatis, pietatis, & misericordiæ. Achan. in homil. de passione. Græcè tractans Verbum Jonæ ad Niniven. Noverat Propheta in verbo adhuc mansuetudinem latere, eamque consuetudinem Scripturæ esse, Deum ubi longanimitatem suam ostendere concupiscit, tum per hoc verbum adhuc solere significare, cum dicit per Isaiam c. 5. quid adhuc debui facere vineæ meæ, & non feci? & per Hieremiam c. 2. propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filiis vestris disceptabo. Luc. 14. Domine factum est, ut imperasti, & adhuc locus est, &c. c. 15. cum adhuc longe esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est. Act. 10. Adhuc loquente Petro verba hæc cecidit Spiritus Sanctus. Ps. 76. aut non apponet, ut complacitior sit adhuc. Abac. 2. Adhuc modicum aliquantulum, & qui venturus est veniet, & non tardabit. Aggæi 2. Adhuc semel ego commovebo cælum, & terram. Nempè ut adveniat Christus. Jo. 2. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc, idest evangelium ut ibi Augustin. &c.

Hodiè præsens tempus in Scriptura significat Aug. ad Probum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Math. 6. si addatur determinatio, significat hanc diem. Ps. 94. Hodie si vocem ejus audieritis. Hodie, & cras significet longum tempus. Hodie, & cras, & tertia die consumor, & ad Hebr. ultimo, Jesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula. pro semper. Ad bonum Latronem etiam dicit Christus, hodie mecum eris in paradiso. Lucæ c. 23. ubi magna quæstio est, quia Christus in illa die non fuit in paradiso, sed in lymbo. solvit August. l. 12. de Gen. ad litteram c. 34. quod fuit in sinu Abrahæ S. Lazaro, & Christus descendens communicavit visionem beatificam, qua semper Christus fruebatur, ideò secum fuit in Paradiso. hic enim formaliter constituitur per visionem beatam, sed de hoc alibi; potest enim per hodie accipi æternitas, nec obest, quod dicit, eris, nam hodie æternitatis futurum erat illi, qui adhuc viator erat.

Manè idem est, ac tempestivè, debito tempore. Hier. 7. locutus sum manè consurgens, & loquens. Ps. 5. Manè exaudies vocem meam. Manè astabo tibi, & videbo. Et Psal. 54. Deus, Deus meus ad te de luce vigilo. N. Incogn. Ps. 5. manè significat statum gratiæ, & ibi Augustin. mane, idest peracta erroris nocte. Aliquando tamen significat naturaliter primam partem materialem diei, Gen. 1. vespere, & manè dies unus. Est & manè Incarnationis, Isa. 21. dixit custos venit manè, & nox, si quæritis, quærite &c.

Cras designat in Scriptura quodlibet tempus futurum. Ita Hieron. in epist. ad Amandum. Eccl. 19. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies. Et 1. Reg. 28. Samuel ad Saul, cras, tu, & filii tui mecum eritis; Filii enim Saul non mortui sunt postero die, sed solus Saul. Nisi dicas, quod, quia cum Saule mortuus est illa die Jonathas filius primogenitus ejus, mortua fuit ejus successio, ideoque, & Filii.

Heri, & nudius tertius accipitur pro præterito tempore. Augustin. lib. loc. in Gen. 33. animadvertit faciem Laban, quod non esset erga se, sicut heri, & nudius tertius, & Moys. non sum eloquens ab heri, & nudius tertius &c.

Tunc adverb. temporis est. Augustin. lib. 2. de consensu Evangelistarum c. 29. Ita accipiendum, ut punctum ipsum temporis significet. Tunc ergo, idest, statim: Matth. 11. tunc cœpit exprobrare civitatibus &c. c. 12. tunc responderunt ei quidam de Scribis, &c. c. 26. tunc abiit unus de duodecim. Theophil. verò, in Marc. c. 13. stare pro tempore indeterminato, nec referri semper, ait, ad superiora. Mar. dict. c. Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, ecce illic. Quod autem dicit tunc, ne intelligas, quod, quando fiant ea, quæ dicta supra sunt de Hierusalem: Tunc si quis vobis dixerit. Sed scito quod Scripturæ proprietas hæc est, sicut & Matth. 3. post genealogiam Christi dicitur. In diebus illis advenit Joan. Quibus diebus? num mox sequentibus post Christi nativitatem? non, sed indefinitè, & Lucas tradit spatium ferè 30. annorum, ab illo tempore supra relato, quod usque ad adventum Joannis interfuit. Ita & Chrisost. hom. 10. in Matth. sed utrumque dictum, si de diversis intelligatur, verum est, ut patet in exemplis utrinque adductis, ideò regula generalis intelligentiæ nequit stabiliri, sed observandi sunt textus, & consulendi Patres.

Forsan, fortè, vel forsitan, in Scriptura, non est dubitantis, quia nihil dubium est in Scriptura, ut suo loco vidimus. August. tract. 37. in Joan. sed stat pro utique, vel ironicè, vel loquens qui introducitur, erit homo, vel denique ad summum. Erit expressio liberi arbitrii, unde se tenebit tunc ex parte rei, de qua loquitur, non ex parte dicentis. Psal. 50. Ps. 54. Matth. 11. Joan. 4. & 5. & 8. Luc. 26. Matth. 21. Marc. 12.

Quasi, ex more Scripturæ dictum, de eo quod suscipit, magis, & minus, significat circiter, ut, quasi jactus lapidis, vel quantum jactus lapidis, quod ferè idem est, cum non sit indivisibilis terminus jactus lapidis. Ex Joan. 21. Non longè erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, & alibi sæpè; Si verò qualitati, vel personæ applicetur, veritatem aliquando denotat sine diminutione, & potius dicis modum, vel se tenet ex parte modi, vel stat pro sicut, vel pro, ut, ut cum dicitur, jubet

quasi

A *quasi Rex*, ideſt qualiter Rex, vel uti, & eo modo, qui decet Regem. Joan. 1. *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti*. Id tamen fortè dicit Joan. hoc modo, ut abſconditam ejus gloriam ſub humilitate deſcribat, nam etſi magnam homo viderit gloriam Christi, non tamen penetravit, nec Unigenito Dei debitam gloriam vidit, ſed quaſi.

Dan. 7. *Ecce cum nubibus Cœli, quasi Filius hominis veniebat*, ita dicit, vel quia abſconditus in nubibus, vel obſcuritatem expreſſit viſionis, vel ly *quasi* ſignificat ſimilem Filio hominis. Jacob 2. *redarguti a lege, quasi transgressores*. Intellige ſicut decet tranſgreſſores. 1. *Petr.* 2. *sive Regi quasi præcellenti*, ideſt tanquam præcellenti, ſe enim explicat Apoſtolorum Princeps, in eo, quod ſequitur, *sive ducibus tanquam ab eo missis*, unde

B & poſt pauca concludit, *quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem*, in quibus ly *quasi* ſtat pro *sicut*, ut apparet ex hoc, quod addit: *sed sicut servi Dei*, ex quo clarum eſt, quòd in aliis etiam locis ſimilibus, de quibus dictum eſt, *quasi* ſtat pro *tanquam*, vel pro, *sicut*, aut *similiter*; nec planè. Textus reſiſtunt, de quibus ſupra, & illud *Isai.* 1., & *Rom.* 9. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen* (ubi hebr. habet, *sicut paucas reliquias*) *quasi Sodoma fuissemus*. Ideſt ſicut Sodoma fuiſſemus.

Sicut: *velut*, in phraſi Scripturæ non ſemper æqualitatem, aut proprietatem adæquatam, ſed aliquando ſimilitudinem, quæ magnam habet latitudinem denotat. *Psal.* 121. *facti sumus, sicut consolati*. Ubi Auguſtinus *quare velut consolati, &*

C *non ut consolati: non semper ad similitudinem ponitur hoc verbum, sicut quod dicimus aliquando ad proprietatem, refertur aliquando ad similitudinem, & modo ad proprietatem relatum est &c.* *Eccl.* 3. *sicut vixit Pater, ita & Filius; ad similitudinem; sed quod dicitur, sicut pecus, ita homo moritur, ad proprietatem refertur, ascenta corporis corruptibilitate*.

Apprime: explicat hanc particulam Hieron. lib. 3. in epiſtolam ad *Eph.* in cap. 5. *In proximo similitudo ponitur, ut sic eum diligas, sicut te: in uxore autem comparationis adverbium, nempe, unusquisque suam uxorem, sicut se diligat: sicut, non similitudinem sed approbationem, & confirmationem cum quodam pondere sonat, quomodo dicimus de viro. Quasi vir fecit, & de Salvatore scriptum est,*

D *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti. Non quod Salvator gloriam habuerit ad comparationem alterius Unigeniti, ipse est enim Unigenitus; & Unigenitus, si & alter fuerit, Unigenitus non potest appellari, unde alterius Unigeniti non indigebat exemplo &c.* ly *erga unusquisque uxorem suam diligat sicut se ipsum*, intelligitur per proprietatem, quia erunt duo in carne una, itaque jam non sunt duo, sed una caro. *Matth.* 19. & *Eph.* 5. *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua*.

Ad Philip. 2. *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo*, propriè intelligitur, & verè homo, ſine aliqua diminutione. Unde Ambroſ. *in epistola ad Irenæum*: *Non sibi blandiatur virus Apollinaris, quia ita legitur, & specie inventus ut homo. Non enim negatus est homo Jesus cum*

A *alibi ipse Paulus, de eo dicat, Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus. Sed confirmatus est. Id enim est usus, & moris Scripturæ sic significare; sic & in Evangelio legimus. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, sicut ergo quasi Unigenitus dicitur, & non abnuitur Unigenitus Dei Filius, ita, ut homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur*.

Gregor. l. 18. *Moral.* c. 4. idem dicit. *In Sacro eloquio sicut, & quasi aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate, unde illud Job, sicut impius inimicus meus, & adversarius meus, quasi iniquus*, ſic & quaſi *pro affirmatione potius, quam pro similitudine dictum est*.

Joan. 19. *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, veræ guttæ veri ſangui-

B nis intelligendæ ſunt. *Hieron. adv. Pelagium*, *tam vehementer orabat Dominus, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus*.

Innoc. III. in c. In quadam, de celebratione Missarum lib. 3. *decret. restat ut qualiscumque fuit illa aqua* (loquitur de aqua ex latere Chriſti) *sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, procul dubio vera fuit, cum naturaliter possit, & compositum in componentia, & elementatum in elementata resolvi, quemadmodum, & verus extitit sudor ipsius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*.

Et quia hæretici plura conantur eruere ex hac

C particula in modo loquendi Scripturarum, ideò prolixius eam pertractamus. *Cyrill. lib.* 2. *in Joan.* c. 4. Sicut *similitudinis dictio est, & similitudinem quidem non æqualitatem rerum signat. Quando igitur de rebus dicitur diversis, ac natura differentibus, tunc non æqualitatem, sed similitudinem significat: Quando autem de iis dicitur, quæ ejusdem naturæ sunt; tunc ultimam similitudinem, immò identitatem, & æqualitatem ostendit*. Idipſum pariter exprimit *Theophyl. in Joan. c.* 17., & *Euthymius in cap.* 15. *Joan.* ubi addit, quod ly ſicut, cum verſatur inter Deum, & homines, licet dicat ſimilitudinem, non tamen non ubique, nec rigoroſè eam ſignificat, ſed cum quadam analogia, quæ lata dicitur ſimilitudo. [illegible] *sicut*, & *sic*, videlicet, ut unum, ſic aliud, nihil

D amplius dicere videntur quam *sicut*, de quo uſquemodo diximus, diverſum tamen valdè ſenſum facit, quia, ut, ſic, verum adæquationem rei ad rem, perfectamque in iis, quibus junguntur ſimilitudinem declarant. *Is.* 24. c. & *erit sicut populus, sic Sacerdos, & sicut servus, sic Dominus ejus*, ubi bene notat Salmeron, *proleg.* 16. ſi dixiſſet, erit populus, ſicut ſacerdos, jam in rigore non poſſet dici, erit Sacerdos, ſicut populus, quia in aliquo, in quo fundatur prima proportio poſſet quidem eſſe, ac non abſolutè ex vi illius propoſitionis eſſet taliter, ut dici poſſet ad convertentiam, at verò cum dicit, ſicut populus, ſic Sacerdos, adæquatam ſignat ſimilitudinem, ſaltem ſecundum contextum, qui ſignat in his ſemper debet attendi, ideoque valet, ſic erit Sacerdos ſicut populus. 2.

Para-

Paralip. 18. Josaphat Regi dixit Achab. *Ut ego, & tu. Sicut populus tuus, sic & populus meus, tecumque erimus in bello*. Ubi exprimitur similitudo uniformis utrinque in eo, de quo est sermo, unde est reciproca locutio.

Propterea. De hac particula notat idem Auctor ex Euthimio c. 24. in Math. quod non semper causam reddit, sed vel confirmat, vel superfluit in Scriptura, sed quod superfluat non est admittendum. Si enim vel Jota unum superflueret, aut illud esset Scripturæ, aut non, si secundum, jam non supesflueret in Scriptura, sed neo posset dici superfluum; quia quod ad Scripturam non pertinet, sicut nequit esse ipsi necessarium, ita nec valet dici superfluum. Si ad Scripturam pertinet, quommodo potest intelligi, quod potius cęlum, & terra transeat, quam quod illud non impleatur, vel prætereat, ut, inquit veritas Christus? Quod verò particula ista semper sit causalis, constat ex primo exemplo, quod ibidem idem Auctor adducit *Math.* 13. *Propterea omnis Scriba doctus in regno Cælorum &c.* ubi nostra vulgata habet, *ideò*, non autem propterea; certum est, autem, quod ideò semper est causalis, sed hoc, nec ipse negat; Ad exemplum verò, quod addueit ex Euthimio, ut probet aliquando superfluam esse, scilicet, *Jo.* 7. *propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*. Si bene consideretur textus, non est superflua. Facit enim hunc sensum, ideo vos circumciditis hominem in Sabbato, quia Moyses dedit vobis circumcisionem, ut non solvatur lex Moysi, & mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbato; aliud etiam ad hoc ponit *Joan.* 12. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias; excæcavit oculos eorum &c.* hoc inquit Euthim. non est causale, sed futuri declarativum, quia futurum erat, ut credere non possent utique ex propriis, sive nollent. At planè textus ostendit causalem, vel enim non dabatur eis credere posse, quia hoc prædixerat Isaias de ipsis, vel quia excæcati erant, semper aliqua causa insinuatur; quare non poterant credere in sensu composito, eaque erat cæcitas, vel quam ipse tangit Euthimius, quia nolebant. Hæc verò nos hic tetigimus, non quęrentes occasionem coarguendi doctissimum Patrem, cui plurimum debent Sacræ Doctrinæ Studiosi, maximè cum ibi non loquatur ex propria sententia, sed quia sæpè vidimus in ejus operibus, eum in hoc inclinare, ut superfluitatem notet in verbis Sacrę Scripturæ, quod nos sustinere non possumus; at in hoc etiam excusandum censemus. Forte enim non accipit superfluitatem absolutè, sed comparativè ad aliquem unum sensum, vel etiam considerando præcisam grammaticæ latinæ indigentiam, non verò hebraicam expressionem, & mysteria, quæ in minimo etiam latent accentu Sacræ Scripturæ.

A

ARTICULUS III.

De interjectionibus, & conjunctionibus &c.

DE interjectionibus pauca; aliquæ particulæ solent in Scriptura quandoq. ad expressionem alicujus affectus orationi interponi, sed hæ facilè constat, quid significare intendant.

Vah comminatoria est Math. 18. *vah homini illi, per quem scandalum venit*. Et 1. *Chorin.* 9. *vah mihi est, si non evangelizavero*. Et hæc particula sæpius de æterna, quam de temporali pęna intelligitur in Scriptura. Ut *vah mundo a scandalis*, idest ob scandala. Greg. *hom.* 9. *in Ezech.*, designat etiam compassionem, & calamitatem. *Math.* 18.

B *vah vobis Scribæ, & Pharisæi*. Dicunt aliqui hanc particulam, quandoque esse vocantis, sed in vulgata talis expressio non invenitur.

Eugè, idem est ac *Eja*, animantis est, & sumitur in bonum. *Math.* 25. *Euge serve bone, & fidelis &c.* quod si aliquando sumitur in malum, est locutio ironica: *Psa.* 69. *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi Euge Euge*. *Psal.* 34. *euge, euge viderunt oculi mei*.

Vah insultatio est. *Math.* 27. *Vah qui destruis templum Dei*.

Ah, Ah, Ah, vox dolentis, & pueriris expressio, clara est. Hier. 1. Ezech. 4. Joel. 1.

De conjunctionibus, sive particulis conjunctivis.

C ITA dicuntur, quia institutæ sunt ad conjungendum verba in oratione, vel sensus, vel clausulas. Multiplex autem invenitur conjunctio: Copulativa, quæ simpliciter, & per se primò conjunctio est, scilicet *Et*, *Que*. Conditionalis, *si*, *dummodò*, *si tamen*. Causalis *quia*, *quoniam*, *enim*, *ut*. Adversativa: *Sed*, *Nisi*. Discretiva, vel electiva, *quam*.

Et quando rigorosa conjunctio est, ita clarè significat, atque unit; sive hebraicè, sive græcè, sive latinè; ut nulla sit in intelligendo difficultas; aliquando tamen est particula explicativa; & ponitur frequenter pro *idest*, *Colos.* 2. *videte nequis vos seducat per philosophiam, & per inanem fallaciam &*, idest per inanem fallaciam. *Gen.* 2.

D *benedixit diei septimo & (idest) sanctificavit illum*. *Gen.* 3. *inimicitias ponam inter te, & mulierem* ibi est vera conjunctio, sed in eò quod sequitur, stare videtur pro *idest*. *Et (idest) semen tuum, & semen illius*. *Math.* 13. de Angelis. *Colligent de regno ejus omnia scandala & (idest) eos, qui faciunt iniquitatem*. *Rom.* 2. *Thesaurizas tibi iram, in die iræ & (idest) revelationis justi judicii Dei*. *Psal.* 115. *sacrificabo hostiam laudis, & (idest) nomen Domini invocabo*. *Gen.* 37. *Frater enim & (idest) caro nostra est*. Quandoque valet idem, ac *etiam*. *Eph.* 2. *dilexit nos, & cum essemus mortui delictis convivificavit*, ly *& idem est*, ac etiam 1. *Joan.* 3. *qui facit peccatum, & (etiam) iniquitatem facit*. Hæc tamen acceptio ferè singularis est Salmeroni.

Stat

Stat aliquando pro *vel*, sive *aut*. *Act.* 17. *non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi &c. divinum esse simile.* Subdens, *aut* lapidi, ostendit per correspondentiam ly, *& argento*, stare pro *vel argento*. 1. *Chorin.* 11. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Ly *&* stat pro *vel*, ut explicat cum subdit, *Itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem*, quia sub altera tantum specie sumens, & mortem Domini annunciat, ut nunc fideles, & reus est corporis, & sanguinis Domini, si accedat indignè, ut observat Cyprian. lib. 3. ad Quirinum.

Poni *&* pro *ut*, observat Salmeron, sed extortæ sunt expositiones, quas ponit ad exemplum, ideò transeundæ.

Bene verò observat poni *&* pro, *quia nam*, & similibus causaliter, *Isaia* 64. *ecce tu iratus es, & peccavimus*, scilicet, quia peccavimus; nisi sit exageratio peccati ad iram, sive durante ira Dei, perpetrati. *Rom.* 1. *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, &* (pro *nam*) *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*. *Joan.* 4. *qui metit mercedem accipit, &* (pro *nam*) *congregat fructum in vitam æternam*. *Luc.* 1. *erit tibi gaudium, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*, scilicet, quia multi, ibidem. *Exaudita est deprecatio tua, &* (pro *nam*) *Uxor tua Elisabeth*. Ibid. *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum & ipse præcedet in spiritu, & virtute Eliæ*. *Et* idest *Nam*. Siquidem per quod præcessurus sit in spiritu, & virtute Eliæ, est conceptus prior, quam conversio plurium. Ideò sumitur hoc modo, *&* pro *quia*, vel pro *nam*, quando prius narratur effectus, ac per particulam *&*, additur causa, quod frequenter contingit in Scriptura, sine defectu narrantis; nam effectus notior est, quam causa, & ipsam trahit in cognitionem. Item *Luc.* 1. *benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, &* scilicet *quia nam*, prout ibi Beata Virgo cecinit, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes*.

Ponitur etiam *&* quandoque pro *tamen*. *Luc.* 4. *cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias*, scilicet ad nullam tamen illarum. *Psal.* 118. *anima mea in manibus meis semper, &* (pro *tamen*) *legem tuam non sum oblitus*. *Luc.* 23. *remisi vos ad illum, & nihil dignum morte actum est ei*, pro *tamen*, ut patet.

Etiam pro *sic*, vel *ita* *Joan.* 20. *si sic Deus dilexit nos, &* pro *ita & nos debemus alterutrum diligere*. In oratione Dominica: *Fiat voluntas tua sicut in Cælo, &* scilicet *sic in terra*. *Luc.* 22. *& vos estote parati*: Ita vos estote parati.

Stat aliquando pro *ergò*. *Rom.* 8. *si Filii &*, idest *ergo heredes*. *Matth.* 25. *Et ibunt hi* idest *ergo ibunt hi in supplicium æternum*. *Act.* 10. *& nunc mitte viros in Joppen*, pro *ergo*.

Aliquando pro *ideo*. *Joan.* pr. *Ego vidi, &* scilicet *ideò testimonium perhibui*. *Joan.* 4. *Spiritus est Deus, &* pro *ideò propterea eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare*.

Et etiam stat pro relativo *qui*. *Eph.* 1. *benedi-*

A *ctus Deus, & Pater*, qui est Pater. Malach. c. 1. *quis ex vobis, &* scilicet *qui januas claudat gratuitò*, ita habent hebræa. *Gen.* 9. *arcum meum ponam in nubibus, & erit signum*, scilicet *qui erit*.

Rursum autem Salmeron, quod hæc etiam particula sit multoties superflua in Sacra Scriptura, conatur ostendere: Verum ut advertit Origen. ita videtur in respectu ad linguam latinam, in quam non possunt transferri omnes proprietates hebraicæ linguæ, cui frequentissima est hæc particula, *&* Præter ennumeratas acceptiones, deservit etiam figuris, nec est dubitandum sua in hebræo habere mysteria. Si autem dicenda est multoties superflua, quia, etiam ea relicta, habetur in latino integra sententia; poterunt ergo omnia de Scriptura tolli
B tamquam superflua, sine quibus integra potest remanere sententia, poterunt figuræ mutari, totumque divinum volumen inverti, & ansa hæreticis dabitur subdolè plura de Sacris libris tollendi, vel mysteria, quæ SS. PP. notant in similibus, irridendi.

Non igitur de Gregorio dicendum est, quod non attendens ad linguæ phrasim, elegantem sit meditatus conjunctionis rationem cum *hom.* 2. *in Ezech.* exposuit ejus principium, cujus exordium est. *Et*, dicens. *In mente Prophetarum ita conjuncta sunt exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant, simulque in eis fiat, & intus Verbum, quòd audiunt, & foras, quod dicunt. Et ideò, qui nihil dixerat inchoavit dicens. Et factum est, quia hoc Verbum, quod foris protulit, illi verbo, quòd intus audierat*
C *conjunxit &c.* quod si in particula, quæ prima fronte rejicienda uti superflua videtur, immò impossibilis, vel contra propriam posita naturam (cum quælibet conjunctio supponat extremum, quòd alteri jungat) Gregor. invenit mysterium, & in simili præstitit Augustin. Psal. 4. ennarrans; cur alibi eadem particula ut superabundans ad nihilum valebit?

Si conjunctio apud Hebr. multas sortitur significationes. *Si* in principio clausulæ vim habet interrogationis, *Num* vel *an*. *Luc.* 13. *si pauci sunt qui salvantur? &* 22. *si percutiamus in gladio, &* 14. *si licet Sabbato curare*. *Act.* 1. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel* eadem in omnibus significatio est, *numquid, an &c.*, & hæc in-
D telligentia directum habet fundamentum in ipsa Scriptura; Nam *Matth.* 22. dicitur, *si licet censum dare Cæsari, an non*, ly enim *an non* explicat ly *si* antecedens, intelligi interrogativè, pro *an* affirmativo, ideò in similibus, ubi textus patitur, ità est intelligendum, ut *Matth.* 19. *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa*. *Et Ecclesiast.* 3., *quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum*, scilicet *an &c.*

Si cum juramento junctum, negativum concludit, & hoc ex proprietate linguæ hebr. *Psal.* 94. *quibus Juravi in ira mea si introibunt in requiem meam*, est enim juramentum ad instar aliorum in Scriptura: *Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat*, si hoc dicam, vel faciam ut passim, in

Libris Regum, & alibi.

Et etiam quandoque sine juramento, negativè concludit. *Malach. 1. si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum est? &c. offer illum duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam*, quod dicit, non placebit, nec suscipiet. *If. 22. revelata est, in auribus meis vox Domini exercituum; si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*, scilicet non dimittetur in tota vita. *Psal. 88. semel juravi in sancto meo, si David mentiar, & Hierem. 38. vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, & si tradidero te in manus virorum istorum, qui quærunt animam tuam, & Psal. 136. si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, idest non possim amplius psallere, dicebat David, si obliviscar tui, Civitas Dei Hierusalem. Aliquando ponitur cum juramento, sed reticetur, & tunc subaudire aliquid oportet, juxta connexionem textus. *Psal. 43. si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, numquam exaudiat*. Hæc enim facientem, indignum reddunt apud Deum, obtinendi, quæ petit. *Cap. 31. Job*, multa hujusmodi habet, quæ sunt per modum imprecationis, & concludunt ejus innocentiam. *Isai. 14. Juravit Dominus exercituum dicens, si non ut putavi, ita erit, & quommodo mente tractavi, sic eveniet*, subintellige, non ero verax.

Particula *si* aliquando includit *utinam*, sed hoc est ex contextu *Psal. 138. Si occideris Deus peccatores*, hoc est, *utinam* punias Deus peccatores, & animum ab his aversum ostendens subdit. *Viri sanguinum declinate a me*. Noster Incognitus ibi dicit, *ly si stat pro quia, ut sit sensus, quia tu Deus occides peccatores obstinatos, morte gehennæ, quæ dicitur mors secunda. Apoc. 20. Ideò Psalmista, ne occidatur cum illis, eorum fugit consortium dicens, Viri sanguinum declinate a me*. Illud verò, quod superius dictum est, *ex Psal. 43. si obliti sumus nomen Dei nostri, si expandimus manus nostras ad Deum alienum*, explic. Incogn. *hic ly si, stat pro non, ut multoties in Scriptura, & est sensus, si obliti, idest non sumus obliti nomen Dei nostri, si expandimus, idest non expandimus, & secundum glosam ita dicit, quia qui expandit manus, de se ipso crucem facit, propterea hic innuit Psalmista se crucifixum, & non Deos alienos adorasse*.

Stat etiam pro *utinam*, aliis in locis. *Luc. 19. Dominus videns Civitatem flevit super illam, dicens, quia si cognovisses & tu*, scilicet utinam cognovisses, quæ mala tibi impendebant, pro quo nota, quod particula, *utinam*, multoties latet in sensu, nec profertur in verbo, sicut in illa phrasi usitata in Scripturæ idiomate, *quis det, quis dabit, quis tribuet, quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris. Cantic. c. 8. quis dabit capiti meo aquam. Hierem. c. 9. quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei, quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, aut &c. Job: cap. 19. Deuteron. 5. quis det eos talem habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea?*

A Interdum etiam *si* stat, pro adverbio temporis, non pro conjunctione: Idest pro *quando*, ut cum, *If. 4. si abluerit Deus sordes Filiorum Sion*, idest quando abluerit, & alibi, *cum Jubilæus*, idest quinquagesimus, *annus remissionis advenerit*, habet hebr. *si advenerit Jubilæus*.

De ut conjunctione causali.

ETiam in phrasi propria Scripturæ *ut* est conjunctio causalis, indicans finem præconceptum: *Matth. 6. attendite, ne justitiam faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, ne scilicet finis bonæ operationis sit gloria humana. Supra verò c. 5. jam explicuerat, quem finem habere debemus, in bona operatione facta coram hominibus, scili-
B cet, *sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est*, quamvis aliqui intelligant ly *ut* modum dicere non causam, ut sit sensus, tantum vestrum opus bonum hominibus innotescat, quantum satis est ad gloriam Dei, semper tamen causalis implicita est, ut patet, nimis verò prolixum esset, si omnia sigillatim loca, in quibus ly *ut*, causalitatem denotat, discuteremus, id tamen saltem in genere præstare curabimus.

Aliquoties tamen, & quidem sæpissimè particula *ut* non signat causam, sed eventum, & consecutionem, & quamdam concomitantiam, quæ aliundè oriuntur.

Cum enim dicit Scriptura, *Matth. c. 26. hæc*
C *autem facta sunt, ut implerentur Scripturæ Prophetarum*, & illud, *cum crucifixissent eum, diviserunt sibi vestimenta ejus, mittentes sortem, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, diviserunt sibi vestimenta mea &c.* Item *Rom. 5. lex subintravit, ut abundaret delictum. 1. Corinth. c. 11. oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant. Psal. 50. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis*, in his, ac similibus locis, ly *ut* non causam prætendit, sed eventum, & consecutionem, aut quandam concomitantem sequelam, quemadmodum dicimus, ita evenit, ut putavi: *Neque enim Deus sicut homo est, ut agat pœnitentiam; venerunt dies ejus, ut moreretur; post hæc factum est, ut moreretur*. Sed sicut in his clarum est, quod ly *ut*, non dicit causam, sed quam-
D dam contingentiam, vel conjunctionem, nobis accidentalem, aliamque similem expressionem, quæ est modus dicendi potius, quam assignatio causæ, ita proportione servata etiam superiora loca intelligi debent: *Hæc sic facta sunt, ut implerentur* (ex hoc ipso, idest ex eorum eventu) *Scriptura: lex ita subintravit, ut abundaret delictum*, sive augmentum sumeret occasionaliter: hoc est, ex lege subintrante delictum abundavit, quòd explicat. Apostolus, dicens, *ergò lex peccatum est, absit, sed peccatum non cognovi, nisi per legem*, & ibi ostendit; legem quoad peccatum comparari, ut meram occasionem ab homine acceptam, ad exercendam libertatem, contra ipsum vinculum legis datæ contra peccatum: Malum coram te ita feci, ut justificeris, idest justus appareas, & verax in sermonibus

nibus tuis, quia peccatum mendacium est, *& lex tua veritas*, opposita autem juxta seposita magis elucescunt, absque eo, quòd unum oppositum sit causa alterius. Sed de hoc alibi diximus, hunc textum exponentes: Ita etiam intellige illud, *oportet, & hæreses esse ut, qui probati sunt &c.* Sic etiam *Isai.* 9. de puero Jesu prædicitur, *butirum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Significat, non quod puer comedet butirum, & mel eo fine, ut sciat reprobare malum, sed quia puer ita comedet butirum, & mel; ut etiam in comedendo sciat reprobare malum, & eligere bonum: Et hanc doctrinam eruimus, ex lib. 3. c. 1. Sapientissimi Joan. Driedonis, quæ, ut in aliis vidimus, non habet contradictorem. At quia multi sæpè hallucinantur in intelligentia hujus particulæ, in Sacris Scripturis, alia addemus.

B

Athan. tractans illud: *ut implerentur Scripturæ Prophetarum multi*, inquit, *cum id audirent, existimabant, ea, quæ fiebant in Christo passo, non ob aliud fieri, quam ut implerentur ea, quæ scripta erant, ob id arbitrabantur eos, qui hæc faciebant, non solum in culpa non esse, verum etiam potius laude dignos, quippe qui his, quæ scripta erant subservirent; Nam Prophetarum verba, non futura fuissent vera, nisi illi hæc egissent; deinde si ut Isaiæ sermo impleretur, non crediderunt Judæi, non ipsi accusandi propter incredulitatem, sed is potius, qui hæc prædixit, propter quem completa sunt. Verum hujusmodi objectio multum abest a veritate. Neque enim Propheta his causam præbuit, sed prævidens, quæ futura fuerant, annunciavit; neque ipsi Judæi tanquam subservientes propheticis sermonibus facinus perpetrarunt, sed propria sponte fecerunt, ne ipsi magis fuerint in causa, propter quam hæc de illis mala loquerentur Prophetæ. Dominus noster Jesus Christus passus est, non propter se ipsum, nec propter hoc ut impleretur sermo Prophetæ, sed propter nos liberandos; pro peccatis nostris induit carnem nostram, in qua pateretur pro nobis, & sanguinem, seque ipsum offerret Deo Patri. Et hoc Prophetæ futurum prædixerunt, figurantes hæc omnia in cæremoniis, & sacrificiis suis &c. & dum hæc omnia in Christo sunt adimpleta, simul evenit, ut & Prophetæ sermo verus esset.*

C

Eundem prorsus sensum habet Cyrillus, lib. 9. in Jo. c. 10. quem brevitati donamus, cum nihil superaddat Athanasio.

D

Placet autem advertentia Patris Alph. Salmer. loco supra citato, quam ex D. Thomæ doctrina passim quisque haurire potest; videlicet hæc particula *ut*, in Scriptura, ubi afficit aliquid boni, quod proinde Deus prævidit, & providit, scilicet voluit fieri, illudque proinde necessario evenit necessitate consequentiæ, etsi non consequentis, tunc prædicta particula causalis est, cum verò afficit aliquid mali, quod proinde non est intra sphæram absolutam divinæ causalitatis, cum inter Deum permittentem, & talem effectum mediat ali causa (quod abusivè dicitur) prima, scilicet defectibilitas causæ secundæ, tunc ly *ut*, dicit eventum, vel extraneam consecutionem. Sic ergo, *Joa.* 11. c. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria*

A *Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*, proculdubio, ly *ut*, dicit causalitatem, & supra, *Jo.* 9. *in judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant* (causalis est) *& qui vident cæci fiant*; eventum signat, ex hominum perversitate causatum.

Alium textum adducit Salmeron, ex *Math.* 23. *ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis &c. ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est*, ut ex eo ostendat ly *ut* dicere eventum, sed si bene consideretur, non dicit eventum, sed effectum, per hoc enim, quod missos occiderunt, venit super eos omnis sanguis justus, vel causalitatem moralem designat, quia in pœnam occisionis priorum, meruerunt absentiam gratiæ, qua carentes

B immersi sunt in sanguine etiam aliorum justorum, *a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ*, non enim ly *ut*, refertur ad illud dictum, *ecce ego mitto ad vos Prophetas*, sed ad illud proximum, *ex illis occidetis*, unde etiam sensum facit, occidetis, ut impleatis vestram perversitatem, & duritiem, de qua gloriamini, cum verum erit omnes justos, quia ad vos missi sunt, a vobis occisos fuisse.

Clarius constat prædicta distinctio, significationis, in illo loco. *Marc.* 4. *& Luc.* 8. *Illis qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut videntes videant.* ecce causalis, & non videant, ecce eventus, *& audientes audiant.* Causalis, *& non intelligant* eventus, *ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata*, consecutio est, *ne quando*, scilicet, *ut numquam*.

C

ARTICULUS IV.

Specialiter de particulis quia, & quoniam.

PArticulæ istæ sunt causales ex propria suæ significationis natura, etiam in Scripturis Sacris, at quia alia est causa, per quam aliqua res cognoscitur, quod competere potest etiam effectuis per quos in cognitionem causæ devenimus, & dicitur a posteriori, alia est causa, per quam res est, & etiam cognoscitur, ut cum per causam entitatis rei, eandem rem cognoscimus, & dicitur a priori; Ideò bene notandum est, quando nam in Scriptura per effectum demonstratur causa,

D & quando per causam effectus; Frequentior autem in Scriptura est prior ille modus, quia cum in ea frequenter de Deo agatur, ipseque, & ejus causalitas a nobis cognoscatur per effectus, ideò cum munus Scripturæ sit manifestare Deum, connaturalius procedit a posteriori.

Luc. 7. *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, probat remissionem peccatorum, per dilectionem, quæ tamen est effectus illius remissionis (relinquimus pro modo, theologicæ disputationis ambages) cum non possit intelligi multa dilectio, cum peccatis, quod tamen esse deberet, si dilectio eorum antecederet expulsionem, quæ pro nunc sumitur pro remissione; Sed de hoc specialiter, ubi supra, de præcepto charitatis.

Psal. 16. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me,*

exauditio certè non est causa orationis, sed effectus, at cognoscitur oratio per exauditionem; certum est enim connaturaliter, quod si exauditus fuit, prius oravit; aliter tamen aliqui hunc, & similes textus intelligunt, unde ibi Noster Incogn. *ly quoniam potest referri ad ly clamavi, & tunc est sensus quod causa clamoris, fuit exauditio, vel potest referri ad ly exaudisti me, & tunc est sensus, quod causa exauditionis fuit oratio. Et utroque modo verum est, quoniam Deus sua gratia prævenit clamorem nostræ orationis, inspirando voluntatem orandi, per quam nos exaudit, antequam oremus, & tunc ly* quoniam *refertur ad ly exaudi. Deus etiam orationem gratia prosequitur, concedendo postulata, & tunc ly quoniam refertur ad clamavi, idest quia clamavi exaudisti me &c.* & ita exemplum habemus de omni eo, quod proposuimus.

Item, *Jo: 4. in hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu Sancto suo dedit nobis.* Et supra c. 3. *In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*, ubi ut plane apparet, ex effectu cognoscitur causa.

Aliquando verò, nec sunt causales hæ particulæ, modo dicto, sed quandam tantummodo consecutionem significant, sicut de particula *ut* dicebamus, exemplum enim illic adductum huc etiam spectat; *Jo: 12. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcavit.* Non enim prophetia Isaiæ fuit causa, quare non crederent, sed potius eorum non futura fides fuit causa prophetiæ, quia objectum est causa actus, qui versatur circa ipsum, unde, vel ly *quia* non est causale, vel causale à posteriori, quatenus ex eo, quod ita dixit Isaias, deducitur, quod objectum prophetiæ erat infallibile, & eventurum ex propria causa efficiente, scilicet ex pertinacia, & duritie Judæorum; Ideò enim dixit sic Isaias, quia sic eventurum erat. Quare autem sic eventurum erat, certè cum agatur de defectu, non potest assignari, nisi causa deficiens, nempe peccator.

De his autem particulis prout causam referunt a priori, superfluum est afferre exemplum; tum quia, ubi ita significant, se se clare produnt; tum quia non est in eo aliquod proprium Scripturarum.

Proprium quidem Scripturæ est, easdem ponere particulas, nempe *quia*, & *quoniam*, pro *quod*, absque causali significatione, ut illud *Math. 2. videns Herodes, quoniam illusus esset à Magis*, idest, *quod*. Idque sæpissime contingit in narrationibus; Ibidem, *ut impleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur.* Et alibi sæpissime: *Tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Creditis, quia hoc possum facere vobis? Quia nemo est in cognatione sua, qui vocetur hoc nomine. Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt, dicite, quia Dominus his opus habet*, & denique plusquam decies millies hoc invenies in Scriptura. Nec videatur dissonus, aut mirabilis talis discendi modus, certe hæc est propria Scripturæ locutio, ex hebr. dial. ortum ducens, ideoque plenum non habet in latinum translationem. Insuper ly *quoniam*, si bene introspiciamus, videtur aliquid plus significare quam *quod*; innuit enim ex relatione ad aliquid aliud, etiam modum illius; sicut, *Videns Herodes, quoniam illusus &c.* idest quod, *hoc modo*, unde habet quandam implicitam, etsi remotam causalem, sicut in illo; *ut impleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam*, idest *quod*, eo modo, & ea ratione, qua intellexerunt Prophetæ: Nazareus vocabitur.

Sic etiam ly *quia*, videtur aliquid plus significare, quam particula *quod*, ex se considerata, sicut cum dicitur: *Confitebor illis, quia numquam novi vos*; vel confitebor illis, ipsos excludi, quia numquam eos novi. Ita cum dicitur, *quia nemo est in cognatione tua &c.* apertè significatur per ly *quia*, adduci rationem, quarè puer non est vocandus. Joan. sed potius Zacharias, scilicet, *quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*; Sicut etiam cum dicunt, *scis quia Pharisæi, hoc audito scandalizati sunt*, idem est, ac si dicant, scis Pharisæos scandalizatos esse ex hoc, quod audierunt. Vel scis Judæos scandalizatos esse hoc audito, & scisne rationem hujus rei? hocque deducitur ex eo, quod Christus respondens Discipulis assignavit eis causam, sive rationem, quare illi, illo audito fuerint scandalizati, dicens: *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.* Et per hoc quidem non intendimus Sapientissimis Doctoribus obviare, qui absolutè dicunt in locis similibus, *Quoniam*, vel *quia*, stare pro *quod*, etsi enim hoc dicant, non negant, aliquid plus inesse posse, cum omnes fateantur, majorem causam obscuritatis in pluribus, & plurimis locis Scripturæ oriri, ex laconismo proprio hebræi idiomatis, & inexprimibili cum sua modalitate, in latinis dictionibus, dicimus ergo non ita facilè prætereundos Sacræ Scripturæ apices, sed quantum fieri potest, invocato, Sacræ Scripturæ Auctoris auxilio, ac magisterio, scrutandas esse similes Scripturæ Sacræ particulas, & magis quid inveniemus, quam quod prima fronte apparet.

Quod si *quia*, vel *quoniam* nihil plus, quam *quod* significare deperias, hoc tamen plus innuunt, quod nempe, quia quæcumque narrantur, aliquam sui causam habent, vel rationem, ea particula rationali, *quia* vel *quoniam*, id innuitur, nempe rem illam ex aliqua ratione factam esse, vel dictam, unde illa particula ex se causalis, etiam posita pro *quod* interrogat quodammodò, seu innuit rei illius in ipsa re, vel dicto latere rationem, ut ex his, quæ modo breviter expendimus, elucescit. Inclinat in hoc etiam P. Salmer. dicens, in his omnibus (relatis pluribus exemplis) & similibus ferè infinitis. *Quoniam*, & *quia* significat idem ac particula, *quod*, quæ interdum latinis rationem reddit, & valet idem, ac *ep quod*, & causa hujus rei est, quoniam hebræis, & græcis *quoniam*, & *quod* indifferenter significant, & idcircò Interpres aliquando posuit *quoniam*, vel *quod*, ubi potuisset ponere quia; Aliqua tamen, in quibus ipse dicit, vel superfluere ly *quia*, & *quoniam*, vel stare materialiter pro *quod*, breviter placet attingere.

Psal. 3. Quoniam misericordiam, & veritatem diligit

ligit Deus; Mirabile est enim, quod non videat, ly *quoniam*, seù *quia*, ut habet vulgata, esse verè causalem: Subdit enim, *gratiam, & gloriam dabit Dominus*, nempe ex eo quod diligit misericordiam, ideò dabit gratiam, ex eo quod diligit veritatem, dabit gloriam, qui est optimus sensus, & litteræ connaturalis, ut videre est apud Incognit. aliosque Doctissimos Expositores. Immo potest ly *quia* referri, vel ad præcedentem versiculum, vel ad subsequentem, & semper optimi sensus elucescunt, illaque particula, semper est causalis, nec oscitanter prætereunda, aut abiicienda tamquam superflua, immò nequit significare, *quod*, ullo modo, ut legenti constabit.

Psa. 101. *Quia cinerem tamquam panem manducabam &c.* ibi etiam apertissimè ly *quia* dicit causam; dixerat prius Psalmista, *tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, adversum me jurabant*, deinde assignat causam tanti opprobrii, scilicer quia pœnitentiam agebat, quia cinerem tamquam panem manducabat, ita Expositores, & applicat hoc Incogn. ad Judam Machabæum, suosque, qui cum fugissent in monte, comedebant subcinericium panem, mixtum cinere, præ penuria &c. ex hoc inimici eorum, eis exprobrabant.

Joan. 4. Samaritanæ respondit Christus, *benedixisti, quia non habeo virum*, ibi est relatio ad anteriorem locutionem: dicenti enim Christo, ut vocaret virum, respondit ipsa, se virum non habere, quod fuit, ac si diceret, vocare non possum virum, quia non habeo, hinc optimo jure replicat Christus, benedixisti, quia non habeo virum, hoc enim inclusum erat in ejus priori responsione, & veram causalem importat, in replica explicatam, in responsione prima implicitam, & prosequitur Christus, probando suam propositionem per rationem facti.

Matth. 25. *dicite, quia Dominus his opus habet*: Præcesserat Christi imperium & prævencio, *siquis vobis aliquid dixerit*, scilicet in oppositum, cum solveris asinam, & pullum ejus, *dicite*, hoc est, respondete, vos id facere, quia ille, qui est Dominus, his opus habet. Si docuit Christus Discipulos rationem reddere de eo, quòd ipse jubebat, ergo in ly *quia* inclusa erat ratio & causa.

Luc. 18. *dixi vobis, quia ego sum; & tu dicis, quoniam Rex sum ego*. In primo enim ly, *quia*, est ratio, quare debeant dimittere Discipulos, unde subdit, *si ergo me quæritis, sinite hos abire*, quare hoc? *quia ego dixi vobis, quòd ego sum*. Ad secundum: *Tu dicis*: nempe verum dicis, quare autem verum est, quod dicis? quia revera ita est, & dictum cum re concordat. Hoc est *tu dicis quoniam Rex sum ego*.

Marc. 3. *dicebant enim, quoniam in furorem versus est*, ly *quoniam* refertur ad priora, & dat rationem, quare illa faciebat, & dicebat, scilicet, *quia in furorem versus est*. Eodem modo intellige, quæ sequuntur, scilicet ibidem, *& scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant dicebant. Quoniam Beelzebub habet*, nempe hæc est ratio, & causa quare ita fengebat.

Marc. 11. *Nonne scriptum est, quia Domus mea Domus orationis est?* ly *quia* verè dicit *quod*, sed indicat, in dicto ejusdem dicti reperiri rationem, nempe eam, quæ dicitur domus Dei, domum esse orationis, planè ea hoc, quia domus Dei est, unde patet, quod etsi sine ly *quia*, alicubi sensus esse possit, non tamen explicatio sensus, & proprietas ipsa dicendi, quam habet Scriptura, quam quia penetrare non possumus, damnare non debemus superfluitatis, ut studet iste Auctor, cum suis similibus: Adducit autem demum locum *Joan.* 10., in quo videtur ipsi, ne dum superfluum, sed & vitiosum unum *quia*. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum*. Primum *quia*, est, quod damnat Salmer. sed omninò irrationabiliter. Videat contextum, ibique leget, quod cum vellent lapidare Christum, ipse respondit, de quo bono opere ipsum vellent lapidare, at illi dixerunt, *non de bono opere, sed de blasphemia*; idest, *quia* blasphemas. Sic ipsum igitur responsum citans Christus, ipsos coarguit: *Quem Pater sanctificavit &c. vos dicitis, quia blasphemas*, cum dixi, sive *quia* dixi, Filius Dei sum. Nedum ergo non superfluit, nec vitiosum est ly primum *quia*, sed necessarium ad coarguendum eos, assumendo causam ab ipsis adductam, ob quam volebant eum lapidare, scilicet, *ut vos dicitis, quia blasphemas*.

Conjunctio *enim*, sicut *nam*, *namque*, *quippe* ex natura sua causalis est, & rationem aliquam reddit, vel quasi rationem, vel saltem confirmationem rationis, aut dicti, aut rationis explicationem, & hoc etiam in Sacra Scriptura. Sicut, *Math.* 5. *Quod enim, in ea natum est, de Spiritu Sancto est*: Angelus assignat Josepho rationem, quare timere non debeat, accipiendo Mariam in conjugem suam, quia, *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Stat etiam pro *enim vero*, pro *autem*, *etenim*, & similibus, nec est circa hoc aliqua difficultas, vel dicendi singularis proprietas in Scriptura.

Tamen, particula est exceptiva, & ut plurimum affirmativa, nec habet aliquid peculiare in Sacra Scriptura.

Si tamen, aliquando particula est suspensiva. *Eph.* 3. *Ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi*. Et hanc quidem significationem habet apud latinos ex se; apud Scripturam, verò videtur esse affirmativa, & idem esse, ac *siquidem*, ut in prææallegato textu sit sensus, *siquidem audistis &c.* sicut, & *prima Petr. c.* 2. *si tamen gustastis, quia suavis est Dominus, & Rom.* 8. *si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, idest, *siquidem gustastis, siquidem habitat &c.* sicut etiam ibidem. *Si tamen*, idest certè, *namque*, *siquidem compatimur, ut & conglorificemur*.

Sed aliquando ponitur confirmativè pro *immò* 2. *Chorin.* 8. Sed *sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia*, idest, immò abundatis.

Nisi significat *si non*, tamen aliquando ponitur pro *sed*, ut *ad Gal.* 2. *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem*, ly, *nisi*, facit sensum, *sed per fidem*. Aliter sensus esset quod

quod homo justificaretur ex operibus legis, per fidem, sive addita fide, quod non est verum, quia immò opera legis antiquæ, de quibus Apostolus loquitur, non possunt stare cum vera Fide Evangelii.

Stat etiam aliquando affirmativè, saltem in sensu, ratione figuræ. *Hebr. 6. Juravit per semetipsum dicens: nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem &c.* nisi idest, *reverà ita faciam &c.*

Quam est distrectiva conjunctio. *Gen. 9. tam in volucribus, quam in jumentis.* Frequentissime tamen est expressiva augmenti, & stat pro *quantum*, admirativè, non determinans augmentum.

Psal. 83. quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Psal. 118. quam dulcia faucibus meis eloquia tua? Rom. 10. Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem &c., & ita passim reperies.

Interdum pro *quam* ponitur *quid*. *Psal. 3. Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* idest, *quam*, quia multi, ut statim explicat; *Multi insurgunt &c.*

Habet etiam vim comparativi. *Luc. 15. dico vobis, quòd ità gaudium erit &c. quam super nonaginta novem, Justis*: hoc explicat, *Matth.* 18. dicens, *magis, quam*.

Hæc sunt, quæ prout temporis angustia permisit, collegimus. Notandum tamen ea nos consultò ommisisse, quæ ex Cornel. Alap. tom. 1. in Pentateucon ex ejus scilicet facibus, quam Pentateuco suo præaccendit, deduci possunt, quia hunc ubique habere possumus. Eaque fortè in futura tractatione, ubi locum habebunt virtualiter, aliqua inseremus.

CAPUT V.

De peculiaribus Sacræ Scripturæ locutionibus complexis, ex veteri potissimum Instrumento prælibatis, quæ Hebraismum sonant.

ARTICULUS UNICUS.

Eas complectens, quas Oleaster notat, juxtà propriam versionem, quæ tamen, ad sensum proprium Sacræ Scripturæ intelligendum in omni alia juvant, & etiam in vulgata.

PARAGRAPHUS I.

A.

ANimam in manibus ponere, portare, habere, vitæ discrimen significat, quæ enim manu geruntur, omni patent periculo, manus objicimus ad defensionem, idque facilè cadit, quod manu gestatur. *Psal. 118. Anima mea in manibus meis semper, & primo Regum 28. Pitonissa Sauli, posui animam meam, in manibus meis &c.*

Ambulare cum aliquo, est ejus voluntatem facere, in omnibus, vel obedire. *Gen. 6. Noe cum Deo ambulavit &c.* nam qui simul incedunt, conveniunt.

Ambulare coram aliquo, est ejus præsentiam venerari, aut timere, ut servus Dominum; coram quo cautè agit. *Gen. 17. Ambula coram me, & esto perfectus*, dicit Abrahæ Deus. Item pro ministrare, & obsequi 3. *Reg. 8. ut servi coram Domino. Memento*, ait Ezechias, *quommodo ambulaverim coram te &c.*

Ambulare facere, ponitur pro detrahere, quia detrahens, mala alterius venire facit coram audiente, 2. *Reg.* 19. Davidi Miphiloseet, *ambulare fecit servum tuum, ad Dominum meum*, idest mihi apud te detraxit, vel me tibi commisit.

Ambulare ad pedem alicujus, est alteri morem gerere in omnibus, vel sequi adamussim, ut qui ambulat cum alio, pari passu cum illo graditur. *Gen.* 33. Jacob Fratri. *Ego me ducam, ad pedem gregis.*

Avertere faciem alicujus, est postulata negare, cui enim negatur aliquid, ille confusus recedit, & non avertere, est concedere. 3. *Regum* 2. Bersabeæ Salomoni, *ne avertas faciem meam.*

Abscondere oculos a peccatore, est velut dissimulatio, ne puniatur *Levit. 20., si abscondendo absconderit populus terræ oculos suos a viro illo, qui de semine suo dederit Idolo Moloch. &c.*

Aperire aurem, hebræos est, revelare, aut indicare aliquid alicui. *Isai. 50. Dominus aperuit mihi aurem.* Qui enim aliquid revelat, loquitur proximè ad aures. 1. *Regum* 9. *Dominus autem aperuerat aurem Samuelis.* i. revelaverat ei adventum Saulis.

Accingere lumbos, est expeditè aliquid agere. Habitus est velociter exequentis &c. passim, 2. *Reg. 4. Accinge lumbos tuos &c.*

Animam facere, aut animas, est greges, aut homines in possessionem aquirere, aut sibi nasci, quod ea, quæ aquirimus, industriæ nostræ partus sint. *Gen. 12., & animas, quas fecerant in Aram tulerunt secum Abraham, & Loth.*

Aspicere, pro otiari accipitur ab hebræis aliquando, otiosi enim est aspicere: *Gen.* 42. cum Jacob videret Filios non curare alimenta domibus suis, ait: *Quid aspicitis*, seù quarè negligitis?

Ascendere in cor, est cogitare, nàm cogitatio videtur ascensio rei in cor: *Luc. 24., & cogitationes ascendunt in corda.*

Aqua pedum. Urina, eo quod descendat a vessica ad pedes. *Is. 36. ut bibatis aquam pedum*, seu urinam vestram, ut vulgata.

Aperire vulvam, est primogenitum nasci. *Exod. 13. & Luc.* 2. eo quod clausa censetur, donec prima proles appareat.

PARAGRAPHUS II.

B.

BEnedicere hominis ad hominem, est bona apprecari. *Gen. 14. Benedixit Melchisedech Abraha.*

ba. *Benedicens Deo Altissimo*; hominis ad Deum, est, laudare; *Psal. pluribus, benedic anima mea Domino*. Dei ad hominem, est benefacere: *Gen.* 24. ubi servus Abr. *benedixit Dominus Domino meo*.

Bonum esse in oculis alicujus, est illi placere. Malum è converso. *Gen.* 16. *fac ei, quod bonum est, in oculis tuis*.

Benedictionem accipere pro munus accipere, quia munus, cum boni apprecatione offertur.

Primo Regum 25. Abigail Davidi. *Accipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua*.

Dicitur etiam benedictio, quia recipiens reddit pro munere benedictionem.

PARAGRAPHUS III.

C.

Contegere pedes: Hebræis est, alvum purgare, quod vestibus defluentibus se tegunt, alvum purgantes, ut verenda abscondant, *pr. Reg.* 24. *Ingressus est Saul speluncam, ad pedes tegendos*, ubi vulgata, *ad alvum purgandum*.

Caput, aut in caput esse, superiorem signat; esse in caudam, postremum. *Deuter.* 28. *Ponet te Dominus in caput, & non in caudam*. Sic & Il. 9.

Cognoscere fœminam, est rem cum illa habere, quia tunc practicè cognoscitur, quod est fœmina, & familiarius tractatur, quasi res notissima: *Gen.* 4. *cognovit Adam uxorem suam, & Gen.* 24. de Rebecca: *Vir non cognoverat eam*.

Cognoscere aliquid cum aliquo, est illi non fidere, sed rationem exigere. Non cognoscere quidquam cum alio, est omnia illi tradere, sine exactione. *Gen.* 39. de Domino: Joseph dicitur, quod non cognoscebat cum eo quidquam, quia ex fiducia in eum ignorabat sua.

Contestando aliquem contestari, est eum coram testibus admonere. Ex. 29. Moyses, *contestando contestatus sum populum*: & *Deuter.* 31. *contestatus sum hodie contra vos cælum, & terram*.

Custodire custodiam, est præcepta servare. *Num.* 18. *ut custodiant sibi Sacerdotium*, idest præcepta Sacerdotii, aut non sinant sibi surripi Sacerdotium, ex inobservantia.

Cadere aliquid de sermonibus alicujus, est non impleri, quæ dicit, ea enim quæ non implentur, videntur cadere in terram, ut mortua. 2. *Regum.* 10. *Nihil sermonis Domini cecidit*.

Cingens cingulum, est masculum esse, quod soli masculi se cingulo cingunt. 2. *Regum* 3.

Claudum vocat clausum, quia non potest ire, quò voluerit, ac si clausus esset. 2. *Reg.* 14. *clausum, & novissimum*.

PARAGRAPHUS IV.

D.

Dare cervicem, aut dorsum, est fugere. *Ex.* 23. & *Ps.* 7. *Quoniam pones eos dorsum*. Vel dare cervicem est se ponere alteri in potestate jugulari. Dare manum pro percutere. Exod. 7. vel pacisci.

A Dare fœminam in sinum alicujus, est dare eam illi in uxorem, seu in concubitum. Gen. 16.

Dare animam pro anima, est dare vitam pro vita, seu occidere occisorem. Ex. 21.

A diebus in dies aliquid servare, est perpetuò servare. Ex 22.

Diei rem facere in die suo, est pensum diei præscriptum implere. *Exodi perficite opera vestra, rem diei, in die suo*.

Declinare judicium, est illud pervertere, nam declinans a recto deflectit. *Exodi* 23. *non declinabis judicium pauperis tui*.

Dare faciem in aliquem, est ira adversus eum moveri, quia iratus se vertit ad eum, ex quo sumit vindictam: *Lev.* 20. *Dabo faciem meam contra eum, qui comederit sanguinem*.

B Deum esse cum aliquo, est eum juvare in omni opere suo. *Gen.* 21. *Fuit Deus cum puero*, & 39. *Fuit Deus cum Joseph*.

Domo pro intus, utitur Hebr. & Domi esse, pro intus esse, & loco intus, & extra, dicit, è Domo, & extra. *Exodi* 25. *deaurabis eum intus, & foris*. Hebr. habet, *è domo, & extrà*.

PARAGRAPHUS V.

E.

Esse alicui in panem, est, ab eo, uti panem, devorari, nam panis dentibus scinditur. *Num.* 14. Explorat. de Cananæis dicunt: *Sunt panis noster &c.*

C Esse intra portas alicujus, est eum dirigere. *Num.* 10. Esse in pedem est ire, quo ille erat iturus. *Job.* 29. *Oculus fui cæco, pes claudo*. Et *num.* 10. *Moys.* ad Cobab. *Fuisti nobis in oculum*.

Explorare post cor, est sequi cordis concupiscentias: Explorare post oculos, est visa desiderare, quia concupiscentia sequitur cognitionem. *Num.* 15.

Ædificare Domum, est dare prolem, vel posteritatem in copia, ut sicut in ædificio, Domus Domui additur, ita in familia persona personæ: unde *tanah* hebr. est ædificare, & *ben* Filius, quasi Patris ædificium, Domus enim sumitur pro familia. *Audite Domus David*. *Is.* 7. & *Exod.* 1. *quia timuerunt obstetrices Dominum, ædificavit illis Domos*, scilicet

D posteritatem, & *Gen.* 16. Sarah, & Rachel c. 30. dicunt se ex partu ancillarum ædificandas.

Extendere lineam, pro punire, usurpat hebr. 2. *Reg.* 19. *extendam super eam lineam Samariæ* idest puniam eam, sicut punivi Samariam. *Opus in ea faciam, sicut feci in Samaria*, nam punitio dicitur *opus*. *Is.* 28. *ut faciat opus suum, alienum est opus ejus ab eo*. Et accipitur linea pro opere, quia per lineam opus dirigitur.

Erigere pactum cum aliquo, est pacisci solemniter, nam paciscentes, aliquid erigebant. *Gen.* 31. de Laban, & Jacob, & *Gen.* 20. quæ tumuli, vel lapidis erectio stabilitatem pacti signabat.

Esse in gentem, est multiplicari. *Gen.* 17. & alibi sæpè. *Faciam te in gentem magnam*.

Egressum esse cor, est animo deficere, seu admirari,

mirari, quod qui summè miratur, in sincopem, vel spatium cadit, quasi cor amiserit: Gen. 42. Fratres Joseph invenientes pecuniam, in saccis &c.

PARAGRAPHUS VI.

F.

FAcere aliquid in perfectione, vel integritate cordis, est non facere insidiosè, aut malitiose; At facere in munditia manus indicat, nihil mali esse in opere exteriori. *Gen. 20. Abimelech ait: Domine, in perfectione cordis mei, & in munditia manuum feci hoc*, idest, & quoad intra, & quoad extrà, sincerè, & rectè ægi.

Facere in manu elevata, seu excelsa, est facere ex superbia, quod superbi soleant facilè punire alios, aut loqui elevata manu. *Num. 15. anima, quæ fecerit elevata manu.*

Facere manum, est facere punitionem, quod manu fieri soleat percussio. *Exo. 14. Vidit per Israel manum excelsam* idest plagam, *quam fecit Dominus, in Ægyptios.*

Facere misericordiam, est facere bonum, ad quod non tenemur. Facere veritatem est debitum implere. *Gen. 24. Et nunc si facitis misericordiam, & veritatem, cum Domino meo*: Servus Abrahæ ad ejus consanguineos, idest si facitis, secundum quod debetis ex consanguinitate, & ultrà ex pietate.

Facere fœtere, aliquem alicui. Est eum facere ei odibilem, cui gratus erat, quod fœtor omnibus displiceat. *Gen. 34. Turbastis me, ut fœtere faceretis me habitatoribus terræ*. Et *Exo. 5.* ad Mos. & Aar. dicunt Israelitæ; *Fœtere fecistis odorem omnium coram Pharahone.*

Facere mendacium in animam, est vitam decipere, seu vitæ mentiri, quod is cui mentitur vita, ea privetur, 2. *Reg.* 18. Miles ad Joab de vita Absalom.

Facere labium, est pilos superioris labii resecare, sicut facere pedes, est ungues pedum secare: 2. *Regum 19.* De Miphib. *& non fecerat sibi labium, neque pedes.*

Facere stare faciem, est non turbari, quia quod stat non mutatur. 3. *Regum 8.* de Elisæo, *stare fecit faciem suam*, idest non est mutatus.

Facere, pro sacrificare frequentissimum est; quia immolans ex hostia fumum facit; unde facere bovem, agnum, ovem est illud Domino offerre; in Levitico passim. Et 1. *Chorin. 11. hoc facite*, idest sacrificate, *in mei memoriam &c.* pecularis est phrasis græcis, & latinis.

Fieri alicui in Satan, est illi adversari, quod Satan omnibus bonis adversetur. 2. *Regum 16.* David Abisai. *Nolite fieri mihi in Satan*, idest ne adversemini.

Furari cor alicujus, est eo inscio aliquid facere, quod cor pro scientia quandoque sumatur: *Gen. 31.* Laban ad Jacob. *Cur furatus es cor meum?* idest quare me inscio abire voluit. Ponitur etiam pro amore, phrasi quadam communi.

Famem, pro cibo ponere aliquando consuevit. *Gen. 41.* Pharao fratribus Joseph, *& famem domorum vestrarum accipite*, idest cibum ad famem sedandam.

Filias dicit, oppida, & vicinas urbes, principali alicui, cui inhærent, ut matri ad sustentationem: *Num. 21. Habitavit Israel in Chebron, & in omnibus filiabus ejus.*

Filium pro simili, aut proximo ponit: *hi sunt duo filii olei. Zach. 4.* idest uncti, aut oleati, vel unctis similes: *Is. 5. Filius olei* pro uncto, aut abundanti oleo.

Filius areæ pro tritico, aut grano, quod in ea excutitur a palea, sicut filius a Matre. *Is. 21. sagitta filia* dicitur *pharetræ*. Et *Tren. 3. gladius filius vaginæ; filius domus*, idest propinquus, & notus in domo: *Gen. 15. Filius orientis*, idest ibi natus: *Filius auroræ*, quia similis illi. *Is. 14. Filius exercitus*, miles de exercitu, *Deut. 3. Filius arcus*; jaculum: *Job. 41. Filius mortis*, idest ei proximus, vel ea dignus, quia Filius meretur dignitatem Patris, idest *Reg. 20.* dicit Saul ad Mihol. *Tolle eum, quia Filius mortis est*; scilicet David.

PARAGRAPHUS VII.

H.

HEri, & nudius tertius ponitur pro præcedenti tempore. *Exo. 5. non dabitis paleas populo, sicut heri, & nudius tertius*, idest, sicut prius consuevistis.

Homo mensuræ, idest homo magnus; *Num. 13. homines numeri*, idest pauci, quod pauci facilè numerentur, & plures nimis, dicantur innumerabiles.

Habitare in medio populi, est habere adjutorem in promptu, vel habere ad manum necessaria. 3. *Reg.* 4. Sunamitis Elisæo offerenti operam suam apud Regem. *In medio populi mei habito.*

PARAGRAPHUS VIII.

I.

INterrogare os alicujus, est inquirere sensum ejus; *Gen. 24. Interrogemus os puellæ.*

Ire per viam omnis terræ, est mori, aut denotat consuetum omnium, & dicitur via; quia frequens est. 1. *Regum 2. Ingredior viam universæ terræ*, David Salomoni.

Ire ad dextram, vel finistram, est deviare a recto, sic enim qui errant in via, divertunt a medio. *Deut. 5. Non declinabis ad dextram, vel finistram*, idest non pervertetis judicium.

Ingredi ad fæminam, est eam cognoscere, quod actus ille fieri soleat in occulto, non tamen semper idem significat, ut patet Luc. 1. ubi mera littera consideratur, non phrasis.

In medio aliquorum enutriri, est velut unum ex eis educari. 3. *Reg.* 11. de Jerob.: *in medio filiorum Pharaonis fuerat enutritus*: sic in medio maris; idest intra mare; sic in corde maris.

Incircumcisus labiis, est habens labia crassa, & balbutiens. *Exodi 6.* Moys. Domino: *Incircumcisus*

sus labiis ego sum, idest balbus; Et indigere videntur labia mea circumcidi.

Judicare alicui, est in favorem ejus jus dicere: Item, *judicet Dominus inter me, & te*, est jus in favorem meum dicat, contra te. *Gen. 16., & 1. Reg. 24.*

Integrum esse aliquem, est illi nullum deesse de suis, quod alii vertunt, pacificum esse: *2. Reg. 18. est ne integritas puero Absalon?* idest, deest ne illi aliquid? est ne pax illi?

Invenire iniquitatem alicujus, est eum punire. *Gen. 44.* Fratres Joseph; *invenit Deus iniquitates nostras.*

Invenire gratiam in oculis, est placere, quia oculus nuncius est amoris.

PARAGRAPHUS IX.

L.

LOqui ad cor, est consolari, & blanda, ac alicui placita dicere ad cor, idest juxta cor, idest desiderium. *Isa. 40. loquimini ad cor Hierusalem*; Idem *Gen. 34., & Ruth 2.*, & alibi &c.

Lucere facere faciem suam super aliquem, est hilarem, ac benignum se illi ostendere, eo quod lux exhilarat. *Psal. 66. Illuminet vultum suum super nos*, & alibi, *illumina faciem tuam super servum tuum.*

Loqui bonum super aliquem, est ei bonum promittere, vel servare: *Num. 10. Dominus locutus est bona super Israel*, scilicet promisit se daturum.

Loqui contra animam, est aliquid dicere, cujus causa moriaris: *1. Reg. 2. contra animam suam locutus est Adonias*, idest verba, quorum ratione moreretur.

Loqui non posse bonum, neque malum, est non posse mutare voluntatem Domini. *Gen. 24. Non possumus loqui bonum, neque malum*, idest non possumus ejus mutare sententiam.

Levare caput alicujus, aliquando est eum a malo liberare: *Gen. 59., & 2. Regum 25.* aliquando est numerare, vel summam accipere, quod res, per capita soleant numerari. *Exodi 30.* levare manum contra aliquem est adversari ei, ac malum intentare, eo quod percussio fit per manuum elevationem: *3. Regum 11. Jerob: levavit manum contra Salomonem.*

Levare faciem alicujus, est ejus importunitatem ferre, vel eum honorare: *Gen. 16.* Angel. ad Loth, *ecce levavi faciem tuam etiam in verbo isto*, idest tuli petitionem tuam importunam, & feci.

Levare manum, aliquando est jurare. *Gen. 14.* Abraham *levo manum meam ad Deum*, idest juro per Deum, & illa levatio manus testificabatur, Deum esse in cœlo, & supremum Dominum esse. Ita *Deuter. 32.*, & Exodi 6. ubi ipse Deus sic jurat; Indeque mos sic jurandi, per manus elevationem, per vitam Dei, & similia.

PARAGRAPHUS X.

M.

MOvere caput super aliquem, est de malo ejus dolere. *Job c. 6.* quandoque admirari, *Hier. 18. Omnis, qui præterierit obstupescet, & movebit caput*, quod etiam est condolere.

Movere caput post aliquem, est illum deridere, capitis gestu, quod qui veretur faciem alterius, sic ipsum post tergum ejus derideat nutibus: *2. Regum 19. Isa. 37. caput post te movit filia Hierusalem.*

Mittere manum, aliquando sumitur, pro furari, aliquando pro percutere. *Exodi 12., & 24.*

Mundus manibus, est innocens in opere, mundus corde, innocens in cogitatione. *Psal. 23.*

Mingens ad parietem, ponitur pro masculo, quod solus vir, non fæmina sic mingat. *2. Reg. 25., & 1. Regum 24.*

Manus Domini gravis, est magna Dei punitio, quod hæc manu fieri soleat: *1. Regum c. 5.*

In manu esse, pro esse in potestate accipitur: *Gen. 16. ancilla tua, in manu tua est.*

Per manum alicujus loqui, idem est, ac per ipsum loqui, sed dicitur loqui per manum, quia sicut manus est instrumentum, ita ille, per quem loqueris, & manu loquimur, per gestus. *Osea 12. Agg. 5.*

Manum Domini esse super aliquem, est ejus virtutem super ipsum operari: *3. Regum: 3. Facta est manus Domini super Elisæum, & Prophetavit &c.*

Magnus nimis, pro maximus ponitur, quia Hebr. carent superlativo: *multum vobis*, idest, satis sit vobis. *Deut. 3. multum vobis, quod venistis, usque huc, & Num. 16. &c.*

PARAGRAPHUS XI.

N.

NON ipse, idest non comparet ipse: *Gen. 5.* de Enoc: *Et non ipse*, idest non comparuit, & c. 42. *Minimus non ipse*, idest non apparet, vel non est.

PARAGRAPHUS XII.

O.

OS duplex ponitur pro duplici portione hæreditatis, quod portiones, juxta concedentium ora soleant multiplicari, *4. Reg. 2.* dixit Eliæ Elisæus, ut legit Pagnin. *Erit os duplex in me*, ubi non est sensus, ait Oleast. Erit in me geminus spiritus Prophetiæ, ad tuum in me, sed erit mihi duplex Prophetiæ portio comparatione ad alios Prophetas Filios tuos: Ac si dicat. Ero tibi velut primogenitus, cujus erat duplex portio ad alios filios, in bonis paternis: Prophetia hic accipitur latè pro gratia, & sanctitate.

Os pro præcepto sæpissimè ponitur, ut *num.* 4. *Ad os Domini*; idest ad præceptum Domini; *ad os Moysis* idest ad præceptum Moys. Accipitur etiam pro locutione: *Gen.* 43. ubi dicit Joseph *Interrogavit nos vir, secundum os verborum istorum*, idest, secundum locutionem istam.

Juxta os, quòd attigerit manus voventis, idest, sicut dixerit vovens, manus suas posse, aut sicut responderit manus voventis: *Levit. ultimo, & c.* 27. *Erit æstimatio tua, ad os seminis*, idest quantum seminis dixerint agricolæ, agrum exigere, aut sicut petierit semen; *Num.* 7. *juxtà os ministerii*, idest prout ministerium exegerit.

Secundum os annorum, idest sicut anni exegerint. Indicare verò juxta os alicujus, est juxtà quæsita ab eo, respondere.

Esse alicui in os, est pro eo loqui, quòd ore loquimur. *Exodi* 4. *Aaron frater tuus erit tibi in os*, idest loquetur pro te. *Tu eris illi, in Deum*, quoniam miracula facies, quando ipse dixerit: *Et 7. eris Propheta tuus*, ut alius vertit, quod Prophetæ solerent esse os Domini.

Os meum loquitur ad vos, idest patrio sermone; & non per interpretem. *Gen. c.* 43.

Operire alicujus sanguinem, est mortem ejus celare, quod sanguis sit hebræis mors. *Psal.* 50. *libera me de sanguinibus*, idest, de occisionibus. *Gen.* 37. dicunt fratres Joseph. *Quid proderit nobis, si celaverimus sanguinem fratris nostri.* Et 2. *Regum* 16. *Egredere vir sanguinum &c.*

Onus Babylonis, idest punitio, vel pœna, quam debet portare Babylon. *Isa.* 23. & alibi etiam de diversis, apud Prophetas, quod dura mala, ad modum oneris gravent, & opprimant.

PARAGRAPHUS XIII.

P.

PErcutere fœdus, idest pactum inire; dicitur percussio, quia dum faciebant pactum, victimæ feriebantur ad ipsius confirmationem, & etiam, quia fœderati sibi dabant manus, percutientes: *Gen.* 15., *&* 21.

Percutere animam; est occidere, quòd anima pro vita accipitur in Scriptura: *Gen.* 8., *&* 1. *Reg.* 24.

Ponere cor super aliquem; est illum considerare, vel ejus curam gerere. *Job* 14. *quid apponis erga eum cor tuum?* sumitur etiam, pro cogitare, & sentire: 2. *Reg.* 13. *Ne ponas super cor*, idest ne cogites super hoc, aut de hoc, ne affligaris.

Ponere oculos super aliquem, est eum diligere: *Gen.* 44. Joseph de Beniam. dicit, se oculos positurum super eum; quod qui diligit, numquam satiatur videre dilectum.

Percutere in ore gladii, est ferire acie gladii, & hæc dicitur os, quia devorat hominem, sicut os, scilicet scindendo: *Judic.* 18. *percusserunt eos, in ore gladii*. Phrasis frequens est Scripturæ.

Populus formicarum, idest ad modum populi. *Prov.* 30. *formicæ, populus non fortis.*

Ponere manum super oculos alicujus, est eos morienti claudere: *Gen.* 46. dicit Domin. Jacob, quod Joseph ponet manum suam super oculos ejus, idest morienti adstabit &c.

Patrem dicunt, nedum qui generat, sed qui inventor est, aut præcipuus, in re, vel arte: *Gen.* 4. *ipse fuit Pater canentium &c.* servi etiam Naaman, eum Patrem vocant.

Non parcere, quandoque est non misereri, sed aliquando non ommittere: *Gen.* 45. dicit Pharao: *non parcat oculus vester vasis*, idest nullum vas ex vestra suppellectili ommittatis afferre vobiscum: *Ezech.* 16. *non pepercit tibi oculus meus*, idest non ommisi, quæ tibi erant necessaria dare, & cap. 20. pepercit oculus meus eis idest misertus sum, aut dissimulavi cum eis.

Proiicere aliquid post corpus, est illud vile æstimare, quod ea, quæ post nos dimittimus, vilia æstimamus, nolentes ea respicere: 1. *Reg.* 14. *Projecisti me post corpus tuum, & Is.* 38. *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea*, idest noluisti ea videre ad vindictam, quæ enim post tergum proiicimus, videre nolumus.

Ponere faciem super aliquem, est illum uti spectabilem habere: 1. *Reg.* 2. dicit Adonias: *super me posuerunt omnis Israel facies suas.*

Petere animæ, ut moriatur, est mortem optare: 3. *Reg.* 19. *Elias &c.* esse sub pedibus, est esse subditum.

Pondus, & pondus, idest diversa pondera, per replicationem etiam multitudo significatur: *Gen.* 14. *putei, & putei, & Exodi* 8. *collegerunt ranas, acervos, acervos.* Frequens est hebraism.

Pinguedo, hebræis vocatur omne pretiosum, aut primum: *num.* 18. *pinguedinem vini, & olei*, idest præcipua in his *dedi tibi*, quod pinguedo supernatat aliis humoribus.

Percutere cor, est remorsus conscientiæ, 2. *Reg.* 24. *percussit cor David, eum*, idest conscientia momordit.

Panem præbere ad os parvuli, est omnia singulis cum proportione ministrare. *Gen.* 47.

Ponere alicui reliquias, est ei dare posteritatem, quòd posteritas relinquatur post Patres; *Gen.* 45. dicit Joseph, se missum ante fratres in Ægyptum, ut poneret illis reliquias.

Ponere manum est juvare. *Exodi* 23. ponere verbum in ore alterius, est eum docere, quid dicat. *Exodi* 4., & alibi.

PARAGRAPHUS XIV.

Q.

QVid mihi, & vobis, quæ quæstio est inter nos, vel quid ad nos pertinet: 2. Reg. 16. David ad filios Sarviæ: stat in utroque sensu, & 4. *Regum* 26. dicit Jehu. *Quid tibi, & paci? & Matth.* 8., *& Joan.* 2. *quid mihi, & tibi est mulier?* idest quid nostra interest, si vinum non habent. *Quid tibi hic est Elia*, intellige agendum: aut quid agas hic?

PARA-

A

PARAGRAPHUS XV.

R.

Revelare pudenda alicujus, frequenter sumitur, pro rem habere cum illa, quod congressus viri, & fœminæ fiat revelatis pudendis eorum. *Levit.* 18., & ponitur sæpè.

Removere posteriora alicujus, est delere ejus posteritatem; nam filii sunt, velut posteriora Patris. *3. Reg.* 20. dicit Dominus ad Achab, *& demetam posteriora tua*, idest Delebo filios, & nepotes tuos.

Reddere in faciem alicujus malum ejus, est eum punire, quod qui punit aliquem, venit ille ex adverso. *Deut.* 7. *&c.* sicut reddere in caput, est punire percutiendo caput, vel absolute punire. B

Reddere aliquid in sinum alicujus, est reddere illi occultè: *Hier.* 33. *reddens iniquitatem Patrum, in sinum filiorum eorum*, idest in occulto, ut nesciant, se portare iniquitatem Patrum suorum.

PARAGRAPHUS XVI.

S.

Suscipere faciem alicujus, est precibus illius aquiescere, aut benignè eum admittere; est etiam ferre ejus aspectum: *Gen.* 19. dicit Angelus ad Loth, *suscepi faciem tuam &c.* & *Gen.* 32. *forsitan suscipiet faciem meam*, idest feret, aut honorabit. Sic suscipere faciem alicuius in judicio, est gratia præsentiæ alicujus, quidquam facere, sic accipere personam. C

Secundum non habet, idest caret filio, hærede. *Eccl.* 4. *unus est, & secundum non habet.*

Sanctificare cætum, est eum immunditiis repurgare, sanctificare jejunium, est homines etiam separare ab immunditiis, ut ritè jejunent, aut jejunare propter Deum, qui sanctus est. *Joel* 2.

Secundum tempus vitæ, idest si hoc, vel eo tempore vixero; *Gen.* 18. dicit Angelus Abrahæ, *veniam ad te secundum tempus vitæ* idest, dummodò vixeris.

Sanguis ejus in eo, aut super eum, idest, ipse fuit causa effusionis sanguinis sui, vel sibi imputatur effusio sanguinis sui, vel significat reatum mortis alterius: *Lev.* & *Math.* 26. D

Suscitare verbum, seu stare facere, est promissum implere, quod dejecta, seu dormiens videatur promissio, cum non impletur: 2. *Regum.* 7. David: *& nunc Domine suscita verbum tuum.*

Satur dierum, seu plenus dierum mortuus est, ut in vulgata, idest completis diebus suis obiit, quibus scilicet homines vivere solent, aut nolens plus vivere: *Gen.* 25. *Paralip.* 24.

Si sic, aut si ita, pro si opus est, sæpè ponitur, aut si sic oportet fieri: *Gen.* 4. & alibi &c.

PARAGRAPHUS XVII.

T.

Tradere gladium in manum alicujus, est illi dare causam sæviendi. *Exodi* 5. dicunt Judæi Moysi, & Aaron, quod tradiderint gladium in manu Pharaonis, ideft quod fuerint causa Pharaoni, sæviendi in eos.

Transire facere peccatum, est transferre punitionem de uno in alium: 2. *Regum* 12. *Dominus transire fecit peccatum tuum in filium*, idest pœnam peccati tui.

Transire facere vocem præconis, est proclamare, *Exodi* 26.

PARAGRAPHUS XVIII.

V.

Venditum esse aliquem, ut faciat malum, est esse alteri additum ad malum faciendum, sicut de Acab. 3. *Reg.* 21. *Qui venditus est, ut faciat malum*, idest uxori Jezabel, ut servus ad malum additus.

Vocari ex nomine, est præ aliis eligi, sicut nosse ex nomine, est cæteris familiarius aliquem nosse. *Exodi* 32. de Moyse, & de Beseleel 31.

Umbram pro protectione usurpant hebræi. *Num.* 14. Exploratores. *Recessit umbra*, idest protectio eorum, qua sub umbra, ab æstu protegimur.

Vide, verba utuntur, pro quodam vitati sale, seu gratia dicendi, & reperitur sæpè in hebræo, rarius tamen in vulgata. *Gen.* 17. *Vide, odor filii mei*; vulgata dicit *ecce odor &c.* idest considera.

Verbum a Domino eggressum esse, est ita evenisse, ut optabatur. *Gen.* 24. eo quod verbum, quod a Domino egreditur, certò fiat, & impleatur, ut ipse vult.

Vir sanguinum, idest homicida; Vir Belial, idest sine obedientia: 2. *Regum* 16. vir pecoris, idest pastor: *Gen.* 42. vir agri idest venator. *Gen.* 25. de Esau. Vir terræ, idest agricola: *Gen.* 9. vir verborum, idest eloquens: *Exodi* 4. *Non vir verborum ego.*

Venire cum corpore, pro venire absolutè ponit hebraismus. *Exodi* 21. de servo: *Si cum corpore suo venerit, cum corpore exibit.*

Vado, quo vado, idest quo nescio, aut quo ire debeo: 2. *Reg.* 15. dicit David: *Ego vado, quo vado.*

Venire in dies, est senem fieri: *Gen.* 24. & *Josue* 23.

Post verba ista, idest post hæc facta, vel post res istas, quia hebraism. ponit verbum pro re, aut facto, & verbum ponit pro his, quæ per verba significantur, quod est notandum, frequens enim est locutio, quæ intelligitur juxta contextum, ubi ponitur.

Verbum mihi ad te, idest te alloquor, vel loqui tecum debeo. 3. *Regum* 2.

Vertere se ad aliquid, est complacentiam in eo

 habere,

habere, non vertere è converso. *Num.* 16. dicit Moyses Domino, *ne te vertas ad oblationem eorum:* quod suspicientes aliquid se soleant vertere ad offerentem.

Via, pro consuetudine frequenter ponitur; quod per consuetudinem frequenter eant homines, sicut per viam solent viatores.

Via mulierum, menstruum est, & consuetudo ipsarum: *Gen.* 18. via terrę, mors sępè, cum sit consuetudo inevitabilis, mors. Via etiam, mores significat, ob eandem rationem: *Gen.* 19.

Via etiam quandoque pro copula: Filię Loth. *Non est, qui ingrediatur ad nos, juxta viam,* & *Gen.* 6. *omnis caro corruperat viam suam*, idest congressum masculi cum fęmina.

DIVINI SERMONIS ARCANUM PRÆLIBATUM.

TRACTATIO APPENDIX

Præcipui Tractatus, de Peculiaribus Sacræ Scripturæ locutionibus.

CAPUT I.

Homo omnia.

IMpenetrabile mysterium Deus, sed eo impenetrabilius, quo & familiaris magis hominibus, propter homines Deus homo, semper summus, semper latens; denique cum declinavit, cum apparuit in homine, & sublimior homini visus est, & minus visus, ac visibilis in ipso: Immutabilis tamen semper, declinationem quidem, altissimo sibi adscivit mysterio, sed in homine; hæc siquidem est totius declinationis effigies: Deus homo, Deus hominis, Deus homini, Deus hominem, o Deus homo, Deus ab homine.

Vides, quod semper immobilis Deus, qui semper primus est ipse ego, qui est semper ipsum, *sum* in omni hominis casu. In ipsa enim declinatione, semper Deus hominem regit ipsi unitus, ut hominem sibi immobilem faciat, semper ipse immotus, qui, stabilisque manens, dat cuncta moveri. Hæc tota, hæc una est Sacræ paginæ divina constructio: Deus homo, hominem, quem creaverat reconcilians Deo, factus est Deus hominis: quippe ab eo redemptus homo, factus est, homo totaliter proprius Dei. Sic Deus homo tota, ac novissima ratio est, cur sit Deus hominis; hinc Deus homini datus in Deum, paratus in cibum, donatus in præmium. Deus hominem assumpsit ad gloriam, & quia hæc æterna est, semperque ulterior in durationem se extendens infinitam semper, ò Deus homo, in quo tota sita est hominis fælicitas semper clamat, ac demum omnia simul in hoc uno, mysteria concluduntur, Deus ab homine, nempe Deus, ab homine offensus, Deus ab homine natus, Deus ab homine crucifixus. Deus ab homine creditus, dilectus, glorificatus, & visus. Hæc per epilogum totius Sacræ Scripturæ est expositio; quod enim verbum suum Deus in Scriptura prius operuit membranis, exposuit, cum humanis abscondit in membris, ut nedum totum vetus Testamentum, sed ipsa ejus essentia, nempe esse Scripturam, Prophetia esset hominis Dei. Prius sine nomine Verbum, quia erat ineffabile nomen ejus, quia Deus erat Verbum, non nomen, additum est nomen verbo, vocabis, inquit, nomen ejus, cum factus est homo Deus, sic & perfecta reddita est propositio, & completa Scriptura, ut scias hoc unum Scripturæ totius esse compendium, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientię Dei, hoc unum, quòd est Deus homo.

At quid inde? hoc est divini sermonis arcanum. *Homo:* antequam Deus assumeret humanitatem; Integra propositio completa non erat divinæ manifestationis, Scriptura, ergo completa est, & exposita per humanitatem. Magnum ergo divini sermonis arcanum intelliget, qui in Scripturæ sermone, quid homo, ejusque partes innuant, penetrabit. Tota ad hominem spectat, tota hominem respicit, & per hominem homini se manifestat Scriptura, vel enim propriè loquitur ab illo proprietatem, vel metaphoricè, ab illo, iisque, quæ ad ipsum attinent, sumit translationem, ex hoc significans se totam, quæ est verbum Dei humano modo exaratum, imaginem ejus esse, qui est verbum Dei humanitate circumdatum, qui est Deus homo. Sic idem ipse mittens Apostolos ad prædicandum, inquit prædicate Evangelium omni creaturæ, ubi concludit Hieron. super Lucam. *Omni ergo creatura prædicatur, cum soli homini prædicatur,*

tur, ut sub inferas, omnis ergo creatura exprimitur in Scriptura, cum homo, cum homini prædicatur; & quia creaturas assumit Scriptura, ut Deum manifestet, tunc ipsum Deum utique prædicat, sed hominem repræsentat. Hinc vel in ipso rerum principio, cum factus est homo in animam viventem, postquam ejus ennarrat creationem, Deum quasi hominem describit, primos peccatores alloquentem, ambulantem ad auram post meridiem, ac picntissimum Patrem, innocentia nudatos, pelliceis tunicis operientem, quæ magis hominem repræsentant quam Deum, & ipse quidem dicendi modus planè propheticus fuit, Deum hominem prænuncians, qui lapsum hominem reducturus erat ad Deum, non inficias eum. Addendum tamen est primam eam arcani sermonis explicationem fuisse, ut scilicet disceremus, in divino sermone per humana exprimi Deum, ac proinde nihil ex ea intelligi, nisi sciamus, quid Scriptura significet, cum proprio sibi idiomatismo humana describit. Ad hoc igitur tendit præsentis laboris hujus indago, ut totam ferè exponat Scripturam, arcanum hoc revelare, vel potius, ut muneris nostri est, prælibare. Quid nempe per hominem, ejusque affectiones, quid per humana, quæ videlicet, vel hominem quomodolibet componunt vel ambiunt, vel complent, in sibi tantum propriis dicendi modis, divina intendat significare Scriptura. Ita sane prout angustia temporis patitur, & voluminis brevitas permittit, præstare curabimus, si non satis pro voto, satis pro munere, non enim plenam paramus mensam, sed vix prælibans, ne omnino jejuna mens dediscat, vel esurire. Doceat utinam divinę sapientię nutritius debitum hoc reddere, qui fuit vir justus, quique Mariæ Sponsus, ex superefluentissimo illo mari Verbi Dei, prælibationi nostræ stillulam concedat effundi.

ARTICULUS UNICUS.

Per numeros distinctus Homo omnia.

Frustrà quæritur, quid significet in Scripturis, quod in se, quid sit, ignoratur. Vel enim loquatur Deus per nomina, litteraliter utique, vel per res ipsas nominibus explicatas, quod loquendi genus spiritualem innuit sensum, sicut, an est ita, & quid est rerum, quę nominibus indicantur, necesse est pręcognosci, idque definitione constat, ac divisione declaratur, ut logica docet, & praxis probat: Et planè tametsi agamus de homine, quo nihil homini notius videtur, nihil tamen reverà semper fuit ignotius; Qui omnia noverat, si seipsum practicè novisset Protoplastes, nec ignorantiam rerum omnium ligasset posteris, nec ipsum, quem prius non noverat hominem, sibi ipsi abscondisset. Soli Deo, quem latere non poterat, erat visibilis, & tamen, post peccatum, semetipsum verecundus abscondit, ut sciremus hominem imposterum sibi ipsi absconditum fore, nec aliam sibi apertis oculis sui superesse cognitionem, nisi (quę privatio, & nihil est) infęlicissimæ nuditatis: *cognoverunt*, inqu. *se esse nudos*. Hinc sapientissimus Augustinus, hinc Seraphicus Franciscus, ut Deum in omnibus, & in Deo omnia noscerent, suam omnibus votis peroptabant notitiam.

Noverim me, noverim te; ipsaque priscorum philosophia, hoc uno nitebatur principio, *nosce te ipsum*. Quæramus igitur, ex quo nos perdidit Adam, nos ipsos.

Naturalis hominis definitio.

1 Homo ex humo (inquit raro) uti factus, ita & denominatus, at evidens hæc probatio est, quod nescit homo se ipsum; si enim homo sic dictus, quia ab humo, jam & animantia, & omne vivens, homines & dicentur, & erunt, nam hæc omnia ab humo, ut patet Gen. 1. & sic nihil vidit mirabile cæcus ille *Marci c.* 8. qui dixit. *Video homines, sicut arbores ambulantes*. Dicetur ergo potius homo a concordia, nam græcè, & homo, & consensus, idest consensio eodem ferè consulto gaudent. Ita concludit doctissimus Beyerlinch, est enim homo omnium animalium maximè sociabilis, quare consortio, & concordia hominem dictum existimamus.

Produxit hunc Deus, de limo terræ, *& inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem, ad imaginem, & similitudinem suam Deus creavit illum*. Patet *Gen.* 1. Ubi quinque hominis causæ numerantur. Materia, limus terræ, forma, spiraculum vitæ, idest anima dicta spiraculum vitæ ab effectu, scilicet respiratione, qua vivimus, efficiens Sanctissima Trinitas, quod expressit dicens, faciamus. Exemplar idem Deus, qui ad imaginem suam nos fecit, idest ad exemplar Filii sui, qui perfectissima est Patris imago, non autem ipse est ad imaginem, ideò homo secundaria participata, & deficiens est Dei imago in comparatione illius: duplex autem hæc in nobis Dei resplendet imago, altera naturalis, quæ non deletur peccato, altera supernaturalis, scilicet gratia, quam animæ animam vocat Augustinus. Finis immediatus scilicet operis, est, ut homo sit vivens, idest sentiens, se movens, intelligens verum, volens bonum, omniaque vitæ opera excellentiori modo, super omnia animantia exercens.

Ex his quamvis sacrarum rudis litterarum Cicero, videtur 1. *de legibus*, hominem descripsisse, *hoc animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse a summo Deo solum. Est enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, & cogitationis, cum cætera sint omnia expertia*. Hæc ille. Hominis autem prærogativas, præsentis loci non est ennarrare, identidem enim, sive, quæ in bonum, sive quæ in malum ei competunt, opus erit attingere, aliquas etiam in definitione morali afferemus.

2 Definitur autem homo communi definitione, quæ non habet contradictionem, animal rationale, quæ definitio, ut omnibus probatur, sic omnibus patet. *Dicitur autem minor mundus, quia est compositus ex omni creatura totius mundi. D. Thomas*

mas p. p. q. 91. art. 1. & ibidem art. 3. ad tertium. Homo habet superius, & inferius, sicut in toto mundo, plantæ verò in oppositum, sed bruta medio modo; abundat autem in calore cordis; ut sit statura recta, ibidem ad primum, & iterum. Homo assimilatur Deo secundum triplicem similitudinem, scilicet, quæ fundatur super proportionem, super communem qualitatem, super receptionem, p. p. q. 3. art. 1. ad secundum.

3. Descriptio moralis hominis.

3. PUlcrè Augustin. *de Civit. Dei l. 9. c. 8.* hominem ex Apulejo l. de Deo Socratis, *a Platonica definitione describit Apulejus, qui homines, describendo, inquit: Homines ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, levibus, & anxiis mentibus, brutis, & obnoxiis corporibus, dissimilibus moribus, similibus erroribus pervicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, fortuna caduca, singillatim mortales, cuncti tamen universo genere perpetui, vicissim in sufficienda prole mutabiles, volucri tempore, tarda sapientia, cita morte, querula vita, terras incolunt.*

Idem lib. *solil. Infælix homo, quid sum, qui loquor tecum? abyssus tenebrosa. terra misera, filius iræ, vas apertum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia, & post pauca. Miser, & mortalis, vita mea, vita fragilis, & caduca, vita, quæ quantò magis crescit, tantò magis decrescit.*

Adhæret Bernard. in meditationibus dicens, *unde superbit homo, cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori. Post hominem vermis, post vermem fœtor, & horror, sic in non hominem vertitur omnis homo.*

Nec planè minus prisci Philosophi, etsi cæci, se ipsos noverunt, unde Arist. *homo est fortunæ ludus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium.* Trismegist. etiam, *Quid est homo? corruptionis vinculum, mors viva, sensitivum cadaver, sepulcrum circumvertibile, velamen opacum.* Plurima id prælibantibus satis est, sentientibus ita esse, plus nimio est.

Divisio.

4. DIviditur in animam, & corpus, divisione essentiali phisica; anima bipartitur, in genere operativo in rationalem, & sensitivam; nam in uno quoque homine habet utrumque, ut rationalis tripartitur, in intellectum, memoriam, & voluntatem, veluti in potentias a se ipsa, & invicem distinctas. Quælibet potentia in suos actus, at sensitiva in potentias cognoscitivas, seù sensus internos, & externos, & in appetitivam, seù appetitum sensitivum. Corpus in membra.

Iterum divisione phisica accidentali, homo dividitur in masculum, & fœminam, uterque autem ratione durationis, in infantem, puerum, adolescentem, juvenem, virum, senem, decrepitum; diversaque accidentia, & exercitia, actiones, defectus, passiones, inclinationes, seù affectiones, unicuique statui proportionatas.

Ut animal politicum, dividitur in superiorem, & inferiorem, juxta rerum, ordinumque diversitatem, ob boni communis exigentiam, diversamque, cujusque capacitatem. Et quia simul intellectuale animal est, & ratione suæ corruptibilitatis, ac potentialitatis, indigens adjutorii secundum diversas artes, aliaque extrinseca, diversas sortitur divisiones, quæ revera non hominis, sed potius humanæ qualitatis sunt partitiones.

Ea verò, quæ extrinsecus ei subiiciuntur, omnia sunt, præter Deum, qui omnia subjecit sub pedibus nostris, oves, & boves universaque pecora campi; volucres cæli, & pisces maris, ac omnia, quibus Deus præfecit hominem dicens, dominamini piscibus maris, & bestiis, universæque terræ, omnia denique, quæ propter hominem creata sunt. Unde, ut patet, tentans adæquatam hominis ex omni parte cognitionem, ad omnis intelligibilis audet comprehensionem. Nobis igitur, qui non de homine adæquatè tractamus, sed ad intelligentiam Scripturarum tendimus prælibandam, quid homo, atque ea, quæ humana sunt, sive quæ proximius ipsum, vel componunt, vel circumdant, vel ab eo oriuntur, quid inquam ista in divino sermone significent, sive ad quid significandum, ex ejusdem divini sermonis proprietate assumantur, satis erit vel cursim attingere, vel potius exquirere, ut indicemus. Sit itaque.

CAPUT II.

De usu hujus nominis *Homo* in divino sermone.

ARTICULUS UNICUS.

Num. 1. Multoties etiam in divino sermone, sumitur ut in humano, idest phisicè.

HOmo per se primò, ut clarum est, nomen est speciei, hinc pro humana natura etiam in Sacris litteris, multoties usurpatur. *Gen. 1. faciamus hominem, ad imaginem &c.* prius enim dixerat. *Fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & dixit Faciamus hominem*, ut indicaret etiam, cum dixit hominem, de ejus specie esse sermonem; unde & subdit, *& creavit Deus hominem ad imaginem suam*, quæ est expressio specificæ rationis, scilicet rationabilitatis. Nam etsi creatio terminetur ad individuum, cum sit actio productiva, quia tamen primus tunc homo creatus est, in quo virtualiter tota species erat, & ad hunc finem addidit Deus: *crescite, & multiplicamini*, ideò sumitur tale dictum, de specie.

Ita etiam *Exodi c. 5. quis fecit os hominis? num. 31. Ab homine usque ad pecus;* & quotiescumque indeterminatè ponitur homo, nisi textus resistat, vel intelligitur humana species, vel quodlibet unum individuum, aliud non excludendo, quod in idem recidit, non enim logico rigore tenetur Scriptura.

Cum

Cum verò nomen homo, aliquem particularem designat, textus ipse se explicat, ut *Deut. 33. Moyses homo Dei*, quòd etiam passim dictum est de N. S. P. Elia *a pr. c. l. 4. Regum ad c. 9.* & *Luc. 7. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus &c.* nec ibi immorandum, sed dumtaxat notandum, quod hoc nomen, ubi ex adjunctis, vel antecedentibus, non trahitur ad moralem, aut mysticam significationem, significat naturam hominis; vel in uno, vel in pluribus, etiam in usu divini sermonis.

2. Homo idem quod Adam, & Enos. Addit tamen Arias Mont. in suo Joseph c. 81. ex hebræo fonte nasci alias hujus nominis acceptiones. Latini enim, inqui, Interpretes, uno hominis nomine plura hebræa nomina varia admodùm in significando, convertunt. Et in primis. Nomen Adam hebræum, propriissimè vertitur in hoc nomen, homo, nam Adam Hebr. sumitur a terra, ex qua assumptus fuit, & significat hominem, ut ab humo, quocirca nomen homo, ut ab humo, magis est nomen proprium Adami, quam appellativum; quia tamen ab illa terra desumptum est, in quam pulsus fuit homo post peccatum, sumitur pro homine appellativè post peccatum. Itaque Adam sive homo in prioris testamenti libris, hominem significat in statu lapsus; in novo autem Testamento, cum status sit naturæ reparatæ, significat, prout determinatur in textu. Exempla primi plura sunt. *Gen. 6. cum cœpissent homines multiplicari super terram. Gen. 7. non permanebit spiritus meus in homine; quia caro est, & videns Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra, & nequaquam maledicam terræ propter homines, & Is. 31. Verè scio quod ita sit, quòd non justificetur homo, compositus Deo*, ideoque hominis nomen defectum, & tenuitatem, per quæ homo opponitur Deo, solet exprimere, ex ipso hebræo fonte. Sicut ibidem *Is. 31. Ægyptus homo, & non Deus.*

Enos etiam hebraicum nomen hominem vertunt Interpretes, & verbum ipsum, infirmum, miserum, ac fragilem significat, quod volentes imitari, latini, dicunt mortalis, hujus etiam significationis exempla sunt: *Job. 7. militia est vita hominis super terram. Quid est homo quia magnificas eum? Job. 10. numquid ut dies hominis dies tui, aut sicut videt homo, & tu videbis? Job. 25. & quantò magis homo, putredo, & filius hominis vermis? Psal. 9. Exurge Domine, non confortetur homo, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.*

3. Homo etiam a latinis reddi solet, ex hebraico nomine, quod propriè hominem ex ea parte significat, qua præstat; scilicet virilitate, efficacia, & fortitudine, unde idem nomen hebræum, pro masculo sigillatim, in omni animantium genere usurpatur, sicut vir apud latinos, cum formaliter loquimur, quam dicendi proprietatem, etsi quandoque interpretes observent, non tamen semper, & tamen valdè interest, tales differentias observare, vel observatas a scientibus eddiscere, ut observat peritissimus Arias loco citato, ne mala intelligentia, cum veritatis detrimento sequatur. Igitur homo ex voce hebræa propria translatus, marem hominem significat; ut *Gen. 3. propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*; unde & Paulus dicebat, *viri diligite uxores vestras*, & cum masculum significat frequentius utitur nomine viri, quam hominis.

Significat etiam homo ex tali voce translatus, aliquem valde præstantem virum, quacumque in re, sive divitiis, sive virtute, ingenio, aut arte aliqua, sive etiam in malo. *Gen. 9. cæpit Noe vir agricola, & homo simplex rectus, ac timens Deum. 4. Reg. 4. Imposuit puerum super lectum hominis Dei. Psal. 40. Etenim homo pacis meæ in quo speravi. Psal. 47. quique terrigenæ, & Filii hominum. & virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.*

4. Homo tribus modis accipitur in Scriptura; Gregor. *l. 7. mor. c. 17. Scriptura Sacra hominem tribus modis appellat, aliquando per naturam (ut supra diximus) sicut scriptum est, faciamus hominem &c. Gen. 1. aliquando per culpam, sicut scriptum est. Psal. 81. ego dixi dii estis, & Filii excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, ac si apertè dicat, sicut delinquentes obibitis: unde, & Paulus ait, cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis, ac si apertè dicat, nonne adhuc ex reprehensibili humanitate peccatis, aliquando per infirmitatem, sicut scriptum est. Maledictus homo, qui confidit in homine, ac si apertè dicat in infirmitate. Et quocumque modo accipitur homo, apparet quòd est sicut fænum, quia ecce per mortem a flore vitæ decidens arescit.*

Addid Augustinus, lib. *quæst. super levit. Omnis homo est advena nascendo, incola vivendo, & compellitur migrare moriendo, & lib. pr. super Genesim. Quia Deus est incommutabile bonum, homo autem, & secundum animam, & secundum corpus mutabilis est, ideò nisi ad incommutabile bonum, quòd est Deus, conversus substiterit, formari, ut justus, beatusque sit non potest, ac per hoc Deus idem, qui creat hominem ipse operatur, ut & homo bonus, beatusque sit. Et lib. 5. homil. 28. si justus est homo, gratia Dei est. Quid enim est homo, nisi quia memor es ejus. Psal. 8. Sumitur in Scriptura homo, quod nihil sit, nisi quod Deus memor est ejus.* Idipsum ibi habet Ambrosius. Ex quo patet, & minima hominis parvitas, & maxima hominis dignitas, illa quia ex se nihil est; hæc verò quia Deus dignatur semper esse memor illius. Quid est homo? respô quia memor es ejus. Subdit autem Augustinus. *Vis videre, quid sit homo; omnis homo mendax. Ps. 115. homo ergo si vult esse aliquid boni, non sit de suo; si de suo esse voluerit, mendax erit, si verax esse voluerit, de Deo, non de suo erit. Homo mendacium, si homo omnis mendax, in tunc non erunt mendaces, quia non erunt homines. In Psal. 115.*

Idem & *lib. de vera innocentia, multa bona fecit Deus in homine, quæ non fecit homo, nulla verò facit homo, quæ non fecit Deus, ut faciat homo. Isai. cap. 26. omnia opera nostra operatus es nobis Domine.*

Et lib. de verbis Apostoli, nostrum nihil est nisi peccatum quod habemus.

5. Homo multoties in Scriptura sumitur pro peccatore.

tore, *Filius hominis pro Justo*. Prius jam id vidimus ex Gregorio. Adhuc tamen addendum ex *Glosa*. *Psal.* 8. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum. Ibi per hominem intelliguntur peccatores; per Filium hominis justi, unde ad faciendam differentiam inter hominem, & Filium hominis posita fuit disjunctio inter utrumque, scilicet homo, aut filius hominis, qui homo est, sed non è contrario. Adam enim fuit homo, sed non filius hominis*, & hæc ratio esse potest, quare Christus dicebat, se non hominem absolutè, sed filium hominis; sic enim a peccatore Adamo se distinguebat, qui filius hominis non fuit. Addit autem Incognitus hoc loco. *Homo ergo hic accipitur omnis, qui portat imaginem terreni illius hominis, idest omnis malus, & peccator. Filius autem hominis dicitur, omnis, qui portat imaginem Christi, sit omnis justus imitator ipsius; & utrosque respicit Deus sua misericordia, sed malos sejunctim a Deo, bonos autem quasi præsentes, & propinquos, unde ait. Quid est homo, quia memor es ejus, quòd enim per memoriam aspicitur, quasi a longe positum videtur, aut filius hominis, quoniam visitas eum, quòd enim visitatur, prope conspicitur. Per visitationem autem Incarnatio intelligitur, juxta illud Lucæ pr. benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, ostenditque hoc modo nullum esse meritum nostrum, quod Verbum sit caro factum. Dicens quid est homo &c. idest quod meritum ejus.*

6. Quid significet homo peccati, filius perditionis. Homo pacis. De hoc jam dictum fuit, sed aliquid specialiter addendum, quod illic deest. Per hoc enim nomen in divino sermone, sive etiam per æquivalens, ut filius perditionis, significatur Antichristus, constat clarè, 2. *Thess.* 2. *Nisi venerit discessio primum, & reveletur homo peccati, filius perditionis*. Justè autem sic dicitur; singulariter enim erit sub dominio peccati, alii enim peccatores, peccatum quidem habent, sed non sunt peccati, quia peccatum ipsos non possidet, ipse autem volens omnibus dominari, ipsique se Deo vero, ac etiam falsis Diis, præponens, ut advertit hic D. Thomas soli serviet peccato, ideo erit homo peccati: & constat evidenter, dicitur enim *Sap.* 15. De nobis peccatoribus, ad Deum. *Etenim si peccaverimus, tui sumus*, assignatque ibi sapiens rationem, quare etsi peccatores a Deo avertantur, tamen adhuc sunt Dei. Subdit enim. *cognoscentes magnitudinem tuam*, cum igitur Antichristus non cognoscat magnitudinem Dei, cui se miserum hominem præfert, quærens divinum cultum sibi offerri, de illo dici nequit, ut de aliis, quòd etsi peccet, sit tamen Dei, cognoscens magnitudinem ejus; dicitur ergo homo peccati, & filius perditionis, quia quilibet similitudinem ejus communicat, cujus est filius, unde homo generat hominem, cum autem Antichristus studeat propagare perditionem, rectè filius dicitur perditionis, & homo peccati, eadem ratione, quia peccatum propagare conatur, inde nequit melius ejus iniquitas significari, quam assignando ei peccatum, quasi patrem, & perditionem quasi matrem, ipsum verò uti monstrum, cum homo sit, & simul perditionis filius, & homo peccati.

Immò cum dicitur in Scriptura, homo impius, homo superbus, quasi antonomasticè, nisi textus resistat, id diabolo attribuitur, & intelligitur prius de Antichristo, ut interpretatur Incogn. *Psal.* 9. sicut & cum dicitur, homo, absolutè in malum; homines enim in hoc sensu dicuntur sectatores Antichristi, ut idem ibi. *Constitue, Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.*

Homo pacis manifestè significat Judam: si enim accipiatur absolutè, dicitur ironicè, quia milites adduxit contra Christum si autem litteraliter, prout *Psal.* 40. est clarissima prophetia proditionis Judæ: *homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos magnificavit &c. Homo*, quia mendax, *omnis homo mendax*, pacis, quia osculo fictæ pacis prodidit Christum. *In quo speravi*, quia dum accederet ad Christum ipse, ut eum alliceret ad pœnitentiam, de ipso non desperans, eum dixit amicum: *Amice, ad quid venisti?* ipsum enim nondum abjecerat, quia nondum desperaverat, ut post, cum laqueo se suspendit. *Qui edebat panes meos*, scilicet quia duplicem panem ei, cum aliis dederat, scilicet corporalem, & sacramentalem, & singulariter etiam eidem porrexerat intinctum panem.

7. Sæpè hoc nomen, homo, in Scripturis significat pœnam, aut effectum peccati.

Sæpè omnis homo mendax, ideò & peccator, *etsi dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: vel ergo fateamur peccatum, vel negemus, semper peccatores sumus, si enim fatemur, jam verum dicimus, & ideò verum est, quod dicimus, scilicet quod peccatores sumus; vel negamus, & ita magis peccatores sumus, quia aliis peccatis addimus, quod mentimur, *& veritas in nobis non est*. In sensu igitur generali, semper hoc nomen homo (nisi Christum signet, qui peccatum non fecit) significat peccatorem, at non loquimur in hoc sensu; nam aliud est significare eum, qui est peccator, aliud eum ut peccatorem exprimere, ratione pœnæ. Primum itaque supponimus, secundum asserimus. *Psal.* 143. *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt*. Hoc plane homo habuit per peccatum, quia per peccatum mors: unde Augustin. in hunc Psalmum. *Homo peccando vanitati similis factus est, nam quando primò conditus est homo, veritati similis factus est; sed quia peccando digna recepit, vanitati similis factus est, quia transit, labitur, non manet, stabilitate caret, ut umbra, propter quod subdit, dies ejus, sicut umbra prætereunt: attendat homo sibi in diebus umbræ suæ, ut faciat aliud dignum desiderata lucis suæ.*

Ita etiam intelligitur, ubicumque S. Job. hominis deflet vanitatem, & miserias, cum enim eas incurrerit per peccatum, ly homo, procul dubio exprimit peccatorem, & pœnam, ut talem. Gregor. *lib.* 11. *moral. c.* 27. *Cum sol cursum suum peragat, & numquam se in stabilitate figat, cur cursus vitæ hominis, umbræ potius, quam soli comparetur, nisi quia, amisso amore Conditoris, calorem cordis*

dis pendidit, & in solo iniquitatis suæ frigore remansit; quia, juxta veritatis vocem, abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum &c.

Ita & cum dicitur, *Ps.* 38. *veruntamen universa vanitas omnis homo vivens.* Vanitas enim idem est, ac vacuitas, vacuus autem remanet omnimodo, qui ab eo avertitur, eumque a se expellit peccando, in quo omnia, per quem omnia, ex quo omnia; cum igitur describitur formalis peccati effectus, homo in quo est talis effectus, certè hic sumitur pro peccatore. Immò ipsum peccatum vanitas dicitur, quia non implet, quia *peccatum nihil est* inqu. Augu. in *Jo. c.* 1. *& nihil fiunt homines, cum peccant*, & 3. *Regum* 6. dicitur. *Peccaverunt, & peccare fecerunt Israel, & provocaverunt Deum in vanitatibus suis*, sic & cum dicitur, *veruntamen in imagine pertransit homo &c.* quomodo autem homo, quasi homo esse desierit per peccatum, describit August. *serm.* 2. *de annunciatione. Dum hunc novum Dominum vidit possessio salutaret, serpentis cum nuper momordit invidia, & dum apertius nocere non posset, velabat facinus in amore, eritis, inqu. sicut dii, o ingeniosa deceptio, o subdolus artifex, homicidium erat in lingua latronis. Ecce homicidium, ubi molles ramos, ubi pendentes fornices undosa inflarat amœnitas, & profusas vameras explicarat: Eritis, inqu. sicut dii, o* [illegible] *deceptrix, & funestum præmium. Et quod Dominus dederat, perdidit, nec quod diabolus promittebat, accepit.*

8. Hoc nomen homo, quandoque exprimit dignitatem, & sumitur in bonum.

Cum in princip. Gen. usque ad esum ligni nominatur homo, certum est, quod in bonum, & litteraliter sumitur, designatque hominis dignitatem, ita etiam, cum alibi nominatur relativè ad ejus creationem: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Gen.* 1.

Aug. lib. 1. *super Gen. c.* 20. *Hic illud non est prætereundum, quia cum dixisset ad imaginem nostram, statim subjunxit, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis &c. ut videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationabilibus animalibus antecellit. Id autem est ipsa ratio,* lib. tamen 8. idem ferè repetens, addit. *Nec tamen hoc, secundum corpus, sed secundum mentis intellectum, quamquam & in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quod erecta statura factus est &c.*

Ambr. *super Beati Immaculati. Esto, ut & Angeli ad imaginem, scriptura tamen de homine locuta est, quod sit ad imaginem. Habemus enim aliquid, quod Angeli fortasse non habent. Nobis Christus ex Virgine natus est, legimus enim puer natus est nobis, nobis carnem suscepit, immò potius nos in illa carne suscepit, quando filium hominis in Dei sede constituit. Non lego Angelos in Dei sede, nisi stantes, nisi ministerium deferentes (subscribit Apost. nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ &c.*

Resp. autem Horontiano, quare homo ultimus omnium creatus sit. Octo hominis exaltat elegantissimè prærogativas.

Idem, *in examerone c.* 10. *Mundani operis summa conclusa est, perfecto videlicet homine, in quo princi*-

A *cipatus est, & summa quædam universitatis, & omnis mundanæ gratiæ creaturæ. Requievit autem in recessu hominis. Fecerat enim hominem rationis capacem. Gratias ergo Domino Deo, qui hujusmodi opus fecit, in quo requiesceret: Fecit cœlum, non lego, quod requieverit; fecit terram, lunam, & stellas, nec ibi lego, quod requieverit, sed lego, quod fecerit hominem, & tunc requievit, habens, cui peccata dimitteret.*

Sic etiam intelligitur, *Ps.* 48. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus &c.* de quo Gregor. 24. *Mor. c.* 8. *Scriptura homines dicit eos, quos a bestiis ratione distinguit, idest illos, qui non subjiciuntur passionum motibus, demonstrat, quibus per Prophetam dicit. Ezech.* 34. *vos autem greges mei, homines estis, quia illos videlicet Deus pascit, quos, voluptas carnis, jumentorum more non afficit. At contra ii, qui carnali affectioni succumbunt, non jam homines, sed jumenta nominantur. De quibus per Prophetam Joel* 1. *dicitur computruerunt jumenta in stercore suo, & alibi, carnes asinorum, carnes eorum, & fluxus equorum, fluxus eorum.*
B

Ex quo intelligitur difficilis textus *Ecclesi.* 3. *unus est interitus hominis, & jumentorum, & utriusque æqua conditio, & nihil habet homo jumento amplius.*

Pro homine enim in illo textu intelligitur, qui non utitur ratione, de quo hic dicitur, *comparatus est jumentis insipientibus*; hoc enim illic dicitur relativè ad hunc textum Ecclesiæ, in quo severa talem hominem comparat cum jumento.

Prædictum verò textum Psal. pulcrè tractat Bernard. *dictus heu, quomodò, de grege facta est egregia creatura. Puto dicerent jumenta, si loqui possent; ecce Adam factus est, quasi unus ex nobis. Cum in honore esset inquit in honore? &c. certè &c. erat illi societas cum Angelis, sed mutavit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Agnosce tandem o bos possessorem tuum, & tu asine præsepe Domini tui, cognosce pecus, quem non cognovisti homo, adora in stabulo, quem fugiebas in Paradiso.*
C

De dignitate hominis, & quomodo ea multoties hoc nomine signetur in Scriptura, maximè post Incarnationem, plura habet Ambros. & Aug. ubi supra; & Incognitus, passim, ac præcipuè, *Ps.* 143. *v. Domine quid est homo, quia innotuisti ei.*

Ps. etiam 35. homo in bonum sumitur, *homines, & jumenta salvabis Domine*, & post. *Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Primum textus exponit Incogn. *Per homines intellige contemplativos, qui per rationem elevantur in Deum, per jumenta activos, qui juvant, unde, & David dicebat, ut jumentum factus sum apud te. Ps.* 72. *& ad contemplationem aspirans, dicebat, & ego semper tecum.*
D

9. Hoc nomine homo significatur aliquando Christus in Scriptura; & etiam Joann. Baptista.

Pulcrè exponit Incognit. ad litteram illud *Ps.* 87. *numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea*, cujus summa est. In hebræo dicitur, numquid ad Sion dicet homo, sicque construitur, quod homo dicat ipsi Sion, homo natus est in ea: ly homo, qui dicit, apertè ad litteram, est Joan. Bap. qui ipsi Sion, scilicet populo Sion, Christi adven-

eum annunciavit. De ipso enim Joanne ad litteram scriptum est: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes, hic venit in testimonium &c.* hic enim annunciavit Judæis Deum hominem factum. *Post me venit vir, qui ante me factus est, &c. ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Homo ego, de quo dixit ipsi Sion, hic stat pro Christo, qui dicitur homo natus in ea, idest in Virgine, quæ phrasis fuit Gabrielis ad Joseph; *quod enim in ea natum est &c.* sed quomodo homo dici potest, qui adhuc in utero matris est, cum homo dicatur, qui ratione utitur; sed advertere, Christum etiam in utero perfectæ fuisse rationis, homo igitur primo loco stat pro Joan. Bap. 2. loco stat pro Christo.

Ast qua ratione id subsistet, cum dicat Christus, in Ps. 21. Ego autem *sum vermis, & non homo.* Resp. Magist. in Glosa, & *non homo dixit, idest non homo tantum, sed etiam Deus*, quod exprimit etiam per ty vermis, nam vermis non nascitur ex commixtione, sed sine patre, & propter alias rationes, quas ibi assignat, propter quas eo ipso, quod Christus se assimilaverit vermi, hominis nativitatem ordinariam prætergressus est; ideo addit, & non homo, idest non homo tantum.

10. In divini proprietate sermonis, filius hominis in singulari significat Christum. Hac expressione passim Christus, se ipsum signat in Evangelio. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere. Filius homin. non habet &c.* quare autem? quia cæteri alii sunt Filii hominum, habentes patrem & matrem, ipse solum matrem, ut alibi sæpe, unde non est filius hominum, sed filius hominis, & filius Dei, sicut eum interrogavit, *quem dicunt homines esse filium hominis?* Petrus respondit *tu es Filius Dei.* Ita communiter Patres. Ita verò se dicit, ut delectetur in memoria matris suæ, ut ipsam glorificet, & fateatur, & prædicet, ipsamque hominem dicit, ut quidquid perfectionis in omni viro, & femina est, in ea esse dicat, quæ est antonomastice homo, denique, Inquit Pilatus. *Ecce homo.*

Alibi etiam pro homine in sacro sermone venit Christus, sed textus clari sunt, & nimis opus excresceret, si cuncta referremus.

11. Pro veteri homine, Adam; pro novo, Christus intelligitur, & quomodo.

Ephes. 4. Deponite vos secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis. Ubi D. Thom. *hic advertendum, quod sicut uniuscujusque vetustatis principium fuit Adam, per quem peccatum intravit in omnes, ita principium primum novitatis, & renovationis Christus est, quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, unde ad Galat. ultimo, In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura: Qui secundum Deum creatus est, Et qui potest referri ad novum hominem scilicet Christum, qui creatus est, idest formatus in utero Virginis, secundum Deum, idest non semine humano, sed Spiritu Sancto; in justitia, quoad homines, in sanctitate, quoad Deum, & hoc veritatis, non falsitatis. Luc. 1. In sanctitate, & justitia: Vel ut sanctitas sit in corde, veritas in ore, justitia in opere &c.*

Aliter etiam significat vetus, & novus homo, semper tamen cum relatione ad Adam, & Christum, unde ibidem S. Doctor: *dicunt aliqui, quòd hic homo vetus exterior, homo novus interior dicitur; sed dicendum est, quod homo vetus dicitur tam de interiori, quam de exteriori, qui subditur vetustati, quantum ad animam per peccatum, & quantum ad corpus, quia membra corporis sunt arma peccati, & sic subjectus homo peccato secundum animam, & corpus, dicitur vetus homo, secundum quod illa vetusta sunt, quæ sunt in via corruptionis, vel in ipsa corruptione, quod antiquatur, & senescit prope interitum est, ut dicitur Hebr. 8. & sic homo subjectus peccato, dicitur vetus, quia est in via corruptionis, propter quod subditur, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Quomodo autem deponendus sit, docet Apostol. scilicet diminuendo actibus suis, non tollendo substantiam ejus, sed conversationem, & ita proportione servata intelligitur, quomodo induendus sit novus homo per conformitatem cum Christo, Supr. 2. creati in Christo Jesu in operibus bonis.*

Clarè etiam Ambros. ad Ephes. 4. *Homo itaque unus, atque idem est, qui si pristina sequatur vitia, vetus dicitur, si autem in novitate vitæ ambulat, alienus a seculari amore, qui est sive in actu, sive in sensu, novus dicitur, Christum autem induitur, qui æmulus est vitam, quam tradidit Christus, ut juxta Deum creatus dicatur, idem in eo quis creatus est, in quo sapit.*

Conclud. August. lib. de vera innocentia c. 299. *Manifestum est ad illum, scilicet Adam pertinere omnem, qui ex illa successione propagatus nascitur, sicut ad istum pertinet omnis, qui gratiæ largitate in illo renascitur. Unde fit, ut totum genus humanum, quodammodo sit homines duo, primus, & secundus &c.*

Addit Pagnin. lib. 7. n. 15. *vetus homo est, qui secundum Adam vivit, novus qui secundum Christum.*

12. Homo, & quæ ad ipsum spectant, dictiones in Scripturis, aliquando de homine interiore, aliquando de exteriore aliquid significant.

Dari hominem interiorem, & exteriorem, in quolibet homine, apertè docet Apost. 2. *Chorin. cap. 4. Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est renovatur de die in diem.* Ubi contra Tertullian. hæresim asserentis animam rationalem habere figuram corpoream, & corporea membra, sicut & corpus habet, eamque dici hominem interiorem, corpus verò cum suis sensibus dici hominem exteriorem. S. Doctor dicit: *Secundum phil. in ethicis, & secundum consuetudinem loquendi, unumquodque dicitur esse illud, quod est principalius in ipso, putà quia principalius in Civitate dicitur esse princeps, & consilium, quod isti faciunt, dicitur tota Civitas facere; principalius autem in homine potest judicari, & secundum veritatem, & secundum apparentiam, secundum veritatem quidem principalius, quod sit in homine, est ipsa mens,*

mens, & ratio; unde secundum judicium spiritualium virorum, mens dicitur homo interior, secundum apparentiam vero, principalius in homine est corpus exterius cum sensibus suis; unde secundum judicium eorum, qui terrena sapiunt, id dicitur homo exterior, & hinc ortum habuit modus iste sic distinguendi, ut homo interior dicatur mens & ratio, exterior vero corpus, cum parte sensitiva.

Origen. *in prol. cant. canticor. in principio*, inquit, *verborum Moysi, ubi de mundi conditione conscribitur, duos invenimus homines creatos referri. Primum ad imaginem, & similitudinem Dei factum, secundum è limo terræ; hoc Paulus Apostolus bene sciens, & ad liquidum in his eruditus, in suis litteris apertius, & evidentius binos esse, & per singulos quosque homines dixit, dicens: sed licet is, qui foris est &c. & iterum: condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, & his similia, quanta conscribit.*

Probat autem Pagninus, *lib. 7. cap. 14.* & sequen. admitti omninò debere hanc distinctionem, sine qua plura in Scriptura non possunt intelligi; immò sicut datur homo interior, & exterior, & iste partes suas habet visibiles, & suas actiones, & sensus, ita etiam interior, suo modo sibi proprio, ac spirituali, & rationali eas debet habere; unde nedum nomen homo, sed nomina ætatum atque membrorum corporalium, aliquando etiam significant affectiones quasdam, seu quasi similitudinarias partes hominis interioris, & sine hac animadversione, nemo intelliget c. 7. & 8. epist. ad Romanos; videatur hic D. Thom. & D. August. *lib. 14. de Trinit. c. 1. Nemini dubium est, sicut interiorem hominem intelligentia, sic exteriorem sensu corporis præditum. & l. 12. c. 1. Corpore secundum exteriorem hominem non distamus a pecore, nisi quod figura corporis non proni, sed erecti sumus, qua jure admonemur ab eo, qui nos fecit, nec meliore nostri parte, idest animo similes pecoribus simus, a quibus corporis erectione distamus; non ut in ea, quæ sublimia sunt in corporibus, animum projiciamus; nam in talibus quietem voluntatis appetere, prosternere est animum, sed sicut corpus ad ea, quæ sunt excelsa corporum, idest ad cælestia naturaliter erectum est, sic animus, qui substantia spiritualis est, ad ea, quæ sunt excelsa in spiritualibus erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ. Et lib. 6. rectè dicimus mentem principale hominis, idest tamquam caput humanæ substantiæ, cum ipse homo cum mente sit homo.* Hæc ille, quæ ideò etsi fortè prolixè, tamen necessario adduximus, ut intelligatur qualiter in Scriptura hominem, & humana intelligere debeamus, cum aliquando exteriori homini nullatenus valeant applicari, vel saltem non debent, ut cum dicit *Ecclesiast. sapientis oculi in capite ejus*, & multoties, *factus est sermo Domini in manu Prophetæ*, & cum 1. *Joan. 2.* dicitur, *Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & per verbum Dei, quod manet in vobis vicistis malignum*, & cum fit mentio de cibo hominis, & de aqua, *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi, & Joan. 6. qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*; distinguere ergo, qui intelligentiam desiderat Scripturarum, hominem interiorem spiritualem, ab exteriori materiali, & sicut isti, sic illi cum proportione omnia, quæ in isto corporaliter sunt, vel circumstant, vel ad ipsum requiruntur, in illo spiritualiter adinveniat; sic enim non quidem eruendo sensum mysticum, sed intelligendo litteralem, metaphoricum, per quem exprimuntur, mutuata significatione a corporalibus, spiritualia, Scripturarum legitimam assequetur intelligentiam, sicque deprehendet præsentem Doctrinam, quæ videtur diffusa, brevius forte, quam oportet, extendi. Nihil tamen addendum censemus, quia cum se se offeret occasio, in praxi fortè lucidius exponetur. Nunc solum advertendum, quòd etiam homo exterior, debet fieri spiritualis per interioris rationis prædominium, sicut fit consummatè per gloriam; inqu. enim Apostol. 1. *Chor. 15.* de corpore nostro in resurrectione, *seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; si est corpus animale est & spiritale, sicut scriptum est: factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus homo Adam in spiritum vivificantem; sed non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Qualis terrenus, tales, & terreni. Qualis cælestis, tales & cælestes, igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis: hoc autem dico, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Videatur ibi D. Thom., & Pagnin. loco citato.*

Vir mulier, pro quo stent in proprietate Scripturæ.

13. Certum est, hæc nomina pluries accipi in Scripturis secundum naturalem eorum significationem, nec, cum hæc nobis incumbit, distinguere, vel notare; id solum advertere placet, nomen viri a vi, a virore, vel a vigore derivari, non a virtute; prius enim est vir, qui virtutis subjectum est, & causa, quam virtus, unde potiùs, virtus a viro, quam vir a virtute; maximè, quia prius est simplex, quam compositum, in omni disciplina, ideoque eadem ratione dicitur *Gen. cap. 2. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est*. Cum autem communiter Doctores dicunt, quod vir dicitur a virtute, non est, quòd hæc dictio, vir, derivetur ab ista, scilicet, virtus, sed quia denominatio viri habetur a forma virtutis, sine qua vir absolutè nemo dici potest, scilicet utens ratione. Certum etiam est, hæc nomina vir, & mulier, per se primò, in natura humana sexus distinguere. Verum ut ait Gregor. initio lib. moral. dupliciter hæc duo nomina in Scripturis significantur. Nam vir aliquando stat pro sexu, aliquando pro virtute animi; similiter & fæmina, seu mulier aliquando pro sexu, aliquando pro mollitie, & debilitate; de sexu cum sit communis acceptio etiam extra Scripturam, non est nobis curandum.

14. Nomen itaque viri in Scriptura sumitur

potius pro vigore, vel virtute animi, non præcisè
pro sexu, ut *Psal. 49. beatus vir, cujus est nomen
Domini spes ejus;* multæ enim etiam mulieres, bea-
tæ sunt, ex eo quod nomen Domini sit spes ea-
rum, ut Seraphica Nostra M. Teresia a Jesu, &
prior omnibus beatissima semper Virgo Maria,
quæ cecinit, *& sanctum nomen ejus. Ecce enim ex
hoc beatam me dicent omnes generationes*, cujus ma-
xima dignitas, ex tunc declarata est, cum dictum
est ipsi, *vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim sal-
vum facit populum suum*, ideò de ipsa prius, quam
de quolibet viro canebat David: *beatus vir, cujus
est nomen Domini spes ejus*; si enim beatam illam
dicent in æternum omnes generationes, quommo-
do non per se primò, eam beatam diceret genera-
tio sua, videlicet Pater ejus David? Immò ideò
putandum est, toties in Psalmis eum beatitudinem
viri cecinisse, quoties prophetico intuitu, vel Vir-
ginis merita in ipsa, vel in Filio ejus meditabatur.
Tunc tamen intimius Virginem, ne dum in sua
conceptione, sed & ante intuebatur, cum in *Ps.*
118. initio canebat: *beati immaculati in via, bea-
ti*, subaudi, viri. Meditabatur enim beatam Vir-
ginem, in via ad conceptionem, ex qua viator fie-
ri debebat, ex Dei decreto filius Dei, qui postmo-
dum dixit; *Ego sum via, veritas, & vita.* Tunc
enim beatissima hæc immaculata erat, in hac via,
scilicet in filio Dei, futuro filio suo, ideò erat in
veritate, & in vita, non in eo, in quo erat om-
nis homo mendax, per quem unum mors ingressa
fuit in mundum, sicque & cum dicitur, *beatus vir
qui timet Dominum*, Psal. 111. annunciatur, &
laudatur primum Virgo Beata, cujus *potens* immo
omnipotens *in terra semen ejus, & generatio ejus*,
quæ generatio fuit, generatio rectorum, *benedice-
tur*: ut *beatam* eam *dicant omnes generationes.* Si-
cut enim Pater in cælis est, a quo omnis Paterni-
tas in cælo, & in terra nominatur, ita Beatissi-
ma est Dei Mater, in cælo, & in terra, a qua
omnis creaturarum beatitudo in cælo, & in terra
descendit, ut beatam Matrem dicant in æternum
omnes generationes, quæ ab ipsa hauserunt beati-
tudinem.

Sed ecce dum occurrit canens, beatitudinis Ma-
ter, silere non patitur, ne beatitudinem deserant,
filios suos. Non extra chorum recinunt filii, dum
beatissima canit Mater, quæ unica chorus est, &
cor beatificat amore suo: canit ergo: *ecce enim,
ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: medi-
temur: si enim omnes generationes, ergo & gene-
ratio æterna Verbi immutabilis, per quam sicut
semper id ipsum dicitur, ita idem est, quod dictum
est, & dicitur, & dicetur, ipsam utique beatam
dixit semper, quia beatam dicet, si beatam semper,
ergo jam & immaculatam semper, ne incomponi-
bile componamus, in aliquo instanti scilicet, &
maculatam simul, & beatam. Si omnes generatio-
nes, ergo, & tota simul universitas creaturarum,
rerumque progenies, & cęlum, & terra, & quid-
quid a Deo est; omnis creatura, quam statim, ac
a Deo positam descripsit Moyses, conclusit: Hæ
sunt generationes cęli, & terræ; ergo & omne
tempus, & omne instans, hoc enim, imprescindi-

A bilis, mobilium omnium, ac moventium fuit ab
initio est, & erit mensura; ex tunc, cum in prin-
cipio creavit Deus cęlum, & terram, immò & il-
lud ipsum primum *nunc*, quando creabatur, cum
temporalibus tempus: tunc enim primò factus est
vespere, & mane dies primus, ideò & prima uni-
tas, principium omnis numeri, ordinis, & men-
suræ; omne igitur conceptibile a nobis; hoc in
primo sui esse concepit, ut beatam semper diceret,
sine interruptione, auctoris sui genitricem, ne di-
scordaret a Verbo, per quod omnia facta sunt,
& sine ipso factum est solum nihil, quod non est
generatio: si omnes generationes, ergo & ipsa
Virginis ejusdem generatio, ipsa nempe prima na-
turalis conceptio, in qua verificatur ipsius transi-
tus, de non esse ad esse, beatam novit, beatam
B dicet, asseret, quod idem est, immaculatam: sic
enim arguitur, vel immaculatam (quod in beata
includitur) dicit propria ejus conceptio Mariam,
& sic tollitur quæstio, dicere enim conceptionis,
est esse, ut evidens est, quod cum sit divini vesti-
gium verbi, dicitur vox: vel non dicit immacula-
tam, sicque nec beatam, quod est impossibile, ne
ultra maculam inurat Virgini Matri veritatis,
mendacium, canenti, *ecce enim ex hoc beatam me
dicent omnes generationes*. Nunc autem prætereun-
dum non est; quod sequitur: ac si enim interro-
gares canentem, *ex hoc beatam &c.* ex quo hoc?
quamvis constet ex præcedenti, ubi dicebat, *quia
respexit humilitatem*, vel sicut ex græco, *nihilita-
tem Ancillæ suæ*, quia nempe respexit ipsum nihil,
C ex quo ducebatur ad esse, specialissimo Dei eam di-
ligentis, eique vigilantis respectu, ne macularetur;
tamen adhuc respondens subdit, *quia fecit mihi ma-
gna, qui potens est*, quid enim est, *fecit mihi ma-
gna*, nisi quod primò *mihi*, primò scilicet mei esse,
cum primo verum fuit de me *ego*, cui respondet,
mihi, *fecit magna*; Nunc verò, si eam coinquinari
permisit, quid fecit ei magnum, cum macula sit
intrinsecè privatio, quæ est de genere nihili, cui
repugnat essentialiter, non solum ratio magni, sed
ipsa ratio entis. Quid magnum? cum quidquid ei
contulisset, per maculam fędatum, & danti, &
recipienti, & aspicienti displicuisset; malum enim,
ex quocumque defectu, ideò nec magnum, quod
saperet originalis superbiæ fœtorem, a quo fugit
Deus, qui alta a longe cognoscit, ubi sola magni-
D tudinis mensura est accessus ad Deum? quid ma-
gnum cavendum esset, ubi originale mendacium
suspectam suspenderet vocis veritatem? ut ergo ve-
rificetur causalis, *quia fecit mihi magna*, quod ad-
ditum est, attendamus, *quia nempè fecit mihi magna,
qui potens, & sanctum nomen ejus*: non ex ordi-
nario rerum cursu, aut potius defectu, & recessu
a Deo, secundum quem omnes concipimur Filii
iræ, qui Deum respicit, aut permittentem, aut ju-
stitiæ gladium evaginantem in Adam fugientem,
metienda est Matris Dei conceptio, sed ex supremo
hypostatico ordine, in quo specialissima splendet
Dei miserentis omnipotentia, ideò canit *ex hoc quia
fecit mihi magna, qui potens est*, & quidem verè
magna. In quo ordine? nempe sanctitatis, & san-
ctum nomen ejus: sanctum videlicet substantivè,

ut annunciavit Gabriel cum de nascituro Filio Dei, ait ad Virginem, *sanctum vocabitur*; fecit ergo Virgini magna, juxta omnipotentiam suam, non juxta debilitatem, aut defectum nostrum, ne humana quæratur ratio, ubi divina prævalet omnipotentia, ne quæramus Virginem, ubi natura cecidit, sed ubi Deus exaltatur, non ubi impotens Adam, sed ubi omnipotens Deus; *magna*, eaque in linea sanctitatis substantialis, scilicet primæ, ejusdem videlicet sanctificando substantiam; constat enim, quod substantia significat directè, & propriissimè primum omninò esse rei, quod autem non est omninò primum, supervenit, ideoquè & accidit primo, nec substantia dici potest.

Sic ergo non scribens, qui suis genuit in tenebris, sed ipsissima Immaculata Mater Sapientiæ de se ipsa, dictante, qui & eam Deo fœcundavit, Spiritu Sancto, ab initio sui esse triumphans canit, concludit Maria; cui quis refragabitur?

Ex his itaque evidenter constat, ad Virginem semper immaculatam, David ejus Patrem, seu melius Spiritum Sanctum ejusdem Sponsum respexisse, cum ait: *beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus*. Et *beati Immaculati in via*, & *beatus vir, qui timet Dominum*.

Ita intellige, & *Ps.* 40. *beatus scilicet vir, qui intelligit super egenum, & pauperem*, nam id primum Virginem respicit, quæ est pientissima Mater misericordiæ, *in die mala liberabit eum Dominus*, eam quippe liberavit Dominus a peccato, vel in die primi peccati Adæ, quæ fuit prima dies mala, quia prima dies mali, omniumque malorum: Prima dies maledictionis, & miseriæ, cum primò auditum est maledicta terra in opere tuo, vel in die conceptionis, quæ est dies mala venientibus ad laborem, quam Job maledicebat dic. *Pereat dies, in qua dictum est, conceptus est homo*, quam vituperabat Salomn: *Laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem utroque duxi, qui nondum est natus*, utique prima nativitate, quæ secundum naturales conceptio est. Et sic beatam illam dicunt omnes generationes, scilicet omnes homines, dum generantur, non beati, sed damnati, eam dicunt beatam, in illa die mala, quia scilicet, non sicut omnes cæteri damnata concipitur.

Eodem eam celebrat plausu, dum canit, *eodem Ps. beatus vir, quem tu erudieris Domine*, illam siquidem plus erudire non potuit, quam substantialem Dei sapientiam ipsi, tamquam propriam largiendo, quam concepit, & peperit; nihil enim magis proprium Matri, quam Filius, at insuper nullus Filius, ita proprius Matris; sicut Filius Virginis Virgini, quandoquidem aliarum Filii, divisa quadam proprietate, & proprii sunt Matris, & proprii Patris; Filius autem Virginis, sine Patre, solius Virginis Filius, solius Virginis Matris proprius, proprietate, ac dominio totali, ut ipsa sola Domina inter omnes, ipsa sola Domini beatissima Mater dici possit, quod sæpissimè commemoramus, ne a memoria unquam recedat.

Ast multò acutius eam respexit, cum cecinit. *Ps.* 41. *beatus vir, cui non imputavit Dominus pec-*
A *catum, nec est in spiritu ejus dolus*: Sanè in Psalmi ejusdem initio dixerat: *beati quorum remissæ sunt iniquitates*, in quo Virginem ne inspiceret, peccatores pœnitentes, qui mente occurrebant, obstabant, eam tantummodo prospiciens, uti misericordiæ Matrem, & causam, quare remitterentur illis iniquitates, & eis, opposito Immaculatæ Matris velo, eorum peccata tegerentur, ex quo per ipsam in eis resultabat per reflexionem, quædam beatitudinis similitudo, scilicet spes: *beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum*, ab ipsa Virginis obumbratione tecta sunt peccata, ut etiam generatio ista seu potius regeneratio filiorum Dei, eam dicat beatam; at statim ipsam recolens immaculatam, in se ipsa, quare beata sit ennarans, & modum admirabilem præservationis ejus ab omni
B macula describens, dixit, si illi beati sunt, quorum remissæ sunt iniquitates. Sanè beatior illa, cui Dominus non imputavit originale peccatum. Hoc enim, & quia omnium aliorum causa fuit, & quia primum, & quia ratione originis maximum, antonomasticè peccatum dicitur. Beatus igitur vir, cui Dominus non imputavit peccatum, & quod agat de originali certum est; illud enim solum nostrum esse potest, per imputationem, quatenus alius pro nobis peccavit, non verò nos ipsi in nobis, unde ad distinctionem personalis peccati, dicitur imputatum, quatenus non a nobis, sed ab alio, in quo eramus, & putabamur revera peccasse, patratum est. Beata ergo, cui Dominus nullum imputavit peccatum, unde immaculatus omninò fuit in primo instanti spiritus ejus, accedens
C ad eam carnem, cui Dominus non imputavit peccatum, vel peccati effectum, aut venenum, per quod spiritus hominis commaculatur, unde statim subdit, *nec est in spiritu ejus, dolus*. Idque planè argutissimè explicat per ly *dolum*; occultè enim qualitas morbida, quæ est in carne, accedentem in conceptione inficit animam, quæ a Deo, qui non est auctor culpæ, creatur, unde talis communicatio peccati, & propter modum occultum, & propter naturam culpæ, quæ in se semper dolosa est, dicitur dolus: si ergo non est in spiritu Virginis dolus, jam nec est communicatio ulla peccati, indeque est, quod quia nunquam dolosa, sed immaculata in æternum, ideò cecinit. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, spiritus enim, in
D quo dolus est, non exultat, sed absconditur, quia est in dolo, nec prout sic Deum dicit salutare suum, quem Judicem veretur, nec exultat, sed gemit.

Concedat hæc lector animo, & calamo, qui totum se debet, & plusquam, se, & plusquam potest, immaculato diviníssimoque decori Virginis Matris. Hæc ubi occurrit, mentem rapit, ut alibi confessi sumus; vel melius acceptare dignatur ad se venientem, ad se aspirantem, ut vel propria talis mentis deformitate, magis eluceat immaculata, quam beatam, quia Immaculatam dicunt omnes generationes.

Sistimus verò conatu non modico, ac cætera Scripturæ loca, quæ propositum confirmant, brevitati donamus; satis fuerit in his, ipsa Sapientię Maria,

Mariæ, Mariam dulcissimè prælibasse, indeque margaritam aliquam, quæ laus ejus est, ad veritatis ornamentum hausisse; Id igitur concludimus, hoc nomen viri, in proprio Sacræ Scripturæ sermone, etiam mulieres, quandoque, immò frequentissimè, ubi contextus non resistit, si locutio sit indefinita, comprehendere, & ubi huic dictioni aliquid annectitur, quod vel virtutem, vel beatitudinem, vel sanctitatem, vel magnitudinem, vel dignitatem, vel puritatem, vel gloriam, laudemque præseferat, illud dictum, ut exemplis ostensum est, apertissimè beatissimam primum Virginem respicere, & prædicare. Non enim incongruum est viri perfectionem ei attribuere, a qua ipsum virum esse, ipse Deus accepit.

Et hæc quidem satis videri poterant brevitati, ac parvitati nostræ in hac materia; at quia dum hæc scriberemus, difficilis textus, nobis propositus fuit a viro docto exponendus, qui habetur Math. c. 11. isque ad præsentem spectare videtur tractatum, & locum, ubi viri significationem quousque extendatur, rimemur, ausique in prædicto textu rationem solidissimam pro Beatiss. Virginis singulari immunitate clarè elucentem intuemur, hanc ideò præsenti doctrinæ necessariò inserimus digressionem, qui excursum, indeque libenter occasionem oblatam acceptamus, salvæ illi duplicem difficultatem, vel objectionem contra principium de Immaculata assertum, quod alibi præstare brevitas, quam profitemur, non permisit; at nunc, cum ad finem brevis hujus opusculi properamus, tanti debiti conscientia dissimulare non patitur; Sit ergo

Ex occasione præsentis phrasis, utilis, ac necessaria digressio, seu parenthesis de Beatiss. Virgine, (olim omissa supplens)

PARAGRAPHUS I.

Firmatur alibi asserta a nobis intelligentia ex dicto Christi *Matth. cap. 11.* ubi commendatos summo præconio Præcursorem suum, ait: *inter natos mulierum, non surrexit major, Jo. nne Baptista*, in quo nedum viris, sed & fœminis, illum prætulit, ut clarè constat, ac propterea usus est phrasi communi omnibus, sive masculis, sive fœminis, dicens; *non surrexit major*, maximè quia attendere contextus, non erat comparatio in aliquo corporeo, in quo tantum ordine attenditur diversitas sexuum, sed in gratia, sanctitate, & privilegiis spiritualibus, quæ spectant ad animam, quæ sexum non habet, sicut nec ipsa gratia, ut benè notat Ambrosius; sed ibi incidit dubium: si hæc comparatio ex parte unius termini comprehendit omnes natos mulierum, & etiam fœminas, excepto Christo (de quo idemmet subdit, quod minor in regno cælorum, major est illo, scilicet Christus, qui & in minimis se se recipi, dicit, & inter Discipulos suos, ait, *ego autem sum inter vos, sicut qui ministrat*, & de eo prius prædixerat Propheta. *Vidimus eum novissimum virorum &c.*) ergo major erit Joannes etiam Beatissima Virgine; si

A enim, ut voluit aliqui comprehensa fuit in parto, & consequenter peccavit in Adamo, & vel contraxit, vel saltem debuit contrahere originale peccatum; ideoque, & ipsa est inter natos mulierum, & surrexit; jam certè stat sub comparatione, & singulis apicibus illius dicti; non enim eam excepit, sed se ipsum dumtaxat, hoc tamen nemo concedet; dignitas enim matris Dei est infinita, & inadæquabilis a pura creatura, quantumvis elevata per gratiam, ut concedit etiam Angelicus Doctor, & in 4. sentent., & in 3. P. &c. præterea ipsa fuit, cujus audita salutatione, adhuc in utero sanctificatus fuit Joannes; ipsaque nedum præcucurrit Christo prænuncia, sed ipsum genuit, ex proprio sanguine, utroque contulit suo, & proprio lacte nutrivit, ipsique idemmet Christus se subdere

B dignatus est. Etiam de fide est, eam numquam peccasse peccato personali, nec levissimè, quod tamen de Joanne non dictat Fides; ergo cum in linea sanctitatis, sistat hujusmodi comparatio, certo certius est, eam fuisse majorem Joanne. Quid ergo ad hæc?

Respondetur necesse omninò esse primò asserere Beatissimam Virginem in generalibus propositionibus, quæ culpam, vel supponunt, vel inferunt, non venire, sed esse exceptam ex privilegio dignitatis suæ, quæ nulli fuit, aut erit umquam communis, sicque resoluta satis manet, vel ex hoc ipso tantum dicto Filii sui, controversia, an in Adamo peccaverit; quod quidem asserunt ex vi propositionum generalium comprehendentium in parto, & peccato Adæ omnes natos Adami, vel quæso assigne-

C tur sufficiens diversitas, & ratio, quare in aliis propositionibus, & non in hac comprehendatur.

2. Dicendum, quod ipsa non surrexit, ideò ad eam non pertenit comparatio, quod si non surrexit, ergo numquam cecidit, si non surrexit, cum sit excellentissima, elevata omninò fuit ante periculum communis casus per gratiam incomparabiliorem gratia cuiuscumque, qui surrexit post casum, ut clarissimè constat. Quin immò, si liceat interpretari, aut conjicere de mente sapientissimi, qui ipsa est sapientia, cujus Virgo est Mater, eo forte respexit Christus in hac comparatione, ut penetrantes vim verborum, & certò scientes Matrem suam esse multò majorem Joanne,

D concluderent eam non surrexisse, quia nec ceciderat numquam, atque ideò hic textus vim certè non modicam nutrit pro pia sententia, quam & sequimur, & veneramur, uti eam, quam innuit Christus.

Facit enim ad hoc mirabiliter, id quod sequitur in exceptione, qui autem minor est in regno cælorum, major est illo, in quo quamvis videatur (ut sentit Petrus Damian. sermone 3. de Sancto Joanne Baptista) & multi PP. quod Christus se ipsum excipiat ab illa comparatione, reverà tamen de Matre sua locutus est, vel de se ipso, & Matre simul; ipse enim, qui & homo erat, & Deus, licet ex muliere natus, tamen certè supponebatus, nec cecidisse, nec proinde surrexisse, ideò nec indigebat excipi a comparatione, & quamvis

A vis minutus Paulo minus ab Angelis, humiliavit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, & iterum quia minor ætate, quam ipse Joannes, ut notat Augustin. ac propterea dici posset minor in regno cœlorum, tamen quia erat omnino extra numerum eorum, qui ceciderunt, & surrexerunt, quippe qui Deus, & Filius quidem hominis, sed non hominum, ideò sicut includi non poterat in termino comparationis, ita nec formaliter excipi: Restat igitur, ut dicamus, quod de Matre sua loqueretur, si enim ipsam interroges canentem, se ipsam fatetur minimam, quia respexit, inquit, nihilitatem ancillæ suæ. Certè sicut major in regno est Rex, ita minor in regno est servus, & adhuc ex propria conditione servo minor Ancilla, ergo minor in regno cœlorum illa est, quæ ita cecinit,
B quæque prius responderat Gabrieli, ecce Ancilla Domini, ipsa ergo est, de qua dixit Christus, qui minor est in regno cœlorum, major est Joanne, quod si minor in hoc regno, ergo non est inter eos recensenda, qui in Adamo peccaverunt peccato majoritatis, idest superbiæ, quæ vera fuit, & prima species peccati Originalis; minor, quia non altum sapuit, ideoque ut ad eam virtus Altissimi descenderet, venit in umbra, ne terreretur, & fugeret, quæ altum respiciebat, minor, cui proinde a jure justitiæ suæ vetitum erat, immò, & invalidum, contrahere, cum periculo alienationis, hæreditatis, ipsi debitæ a Filio suo, a Patre, a Sponso, a tota videlicet Trinitate. Minor, quæ ne haberet, quo caderet, in imo se collocavit humilitatis, & sicut Filius ejus cecinit per David
C Patrem suum; *infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, ita ipsa per se ipsam in echo tam divinæ humilitatis adjecit, quia respexit humilitatem, seu melius nihilitatem Ancillæ suæ, ille, qui humilia respicit, & alta a longe cognoscit, qui deposuit potentes de sede, de sublimitate justitiæ originalis, & exaltavit humiles, dicendo, *qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*; hinc sublimi quadam energia Spiritus Sanctus, qui novit abscondita, etiam profunda Dei, præsentem textum, alia comparatione exposuit, dicens: *Prov. cap. ultimo: Surrexerunt Filii ejus, & beatissimam prædicaverunt*; nos nempe Filii ejus, qui planè cecidimus, & Deo per ipsam largiente surreximus, ex nostro casu infelices, ex dono ejus surgentes,
D ideò beati, eam surgentes beatissimam prædicamus, quia sola summè elevata est, & non surrexit, quia non cecidit; beatissimam, inquam, quia superlativum est, supra omnem comparationem; & hoc ipsum nostro casu & surrectione, magis ostendimus, & prædicamus, quia opposita juxta se posita magis elucescunt, sicque hoc privilegio decoratur etiam noster lapsus (quia Filii sumus ipsius) ut Matrem nostram exaltemus, & ipsam adhuc sic lapsi, numquam cecidisse probemus, quam beatissimam prædicamus. Quod si major Joanne illa est, ad quam Sponsus dicit, soror nostra parva, & Filius, ut ei complaceat, appellat minorem in regno cœlorum, & ideò maximam, & beatissimam prædicant Filii sui, qui surrexerunt; ergo cum hæc comparatio sit in linea gratiæ, & sanctitatis, &

A privilegiorum gratiæ, ut omnes concedunt, magis incomparabiliter fuit privilegiata Beatissima Virgo, quam Joannes, ergo si summum, & præcipuum Joannis privilegium fuit emmundari in utero Matris, ab originali culpa, quo privilegio unicum hoc majus est, scilicet nullam umquam contraxisse, nec in se, nec in alio, hoc de necessitate præsentis textus concludi debet de Beatissima Virgine; non enim est major utcumque Joanne, sed major, quia maxima, quia Filii ejus, inter quos est Joannes, in quo ipsa peperit gratiam, surrexerunt, & eam beatiorem, sed & Beatissimam prædicaverunt. Vir gin is ... Vir ejus, sic dictus, quia Filius Virginis, Vir ejus Christus, in Evangelio hac exceptione laudavit eam; ideò enim dixit, *surrexerunt Filii ejus*,
B quia nos surreximus, sed cum textus dicit, *vir ejus*, non addidit surrexit, quia Christus, cum non ceciderit, non surrexit, in sensu locutionis gratia. Adde, quod si ipsa Joanni apparente, fugit culpa, quomodo, ipsa rerum naturæ præsentata, vel possibili, vel futura, ipsi vel minimum appropinquavit, ut eam læderet?

Sit ergo, quod si intimè penetramus hoc loquo, dictum Salvatoris nostri, defensio fortissima est piæ sententiæ, & clara probatio, Beatissimam Virginem concludens omnimodo excogitabili, omnique tempore, & in se, & in Adamo Immaculatam.

Et quidem ad rem tam ponderis, non deessent, nisi ea fisteret tempus, & brevitas operis, testimonia aliqua Patrum, ex quibus eadem conclu-
C sio inferri posset, & necessario vacaret, non enim ab eis abstinemus, vel ob defectum debitæ venerationis, vel ex eo, quod cogitemus sufficientes nos nobis esse, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui ab eo postulantibus sine hæsitatione sapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat. Fatemur quidem, non ita facilè, aut passim in Patrum Scriptis assertum hoc apertè inveniri, sed hoc nullatenus præjudicat veritati; Scripserunt enim plerique PP. cum fervebat, vel suffocata repullulabat hæresis Pelagiana, negans universalem peccati originalis traductionem, ideoque nec mentionem Virginis facientes, nec ipsam aut includentes, aut excludentes, universaliter de cæteris concludebant, rationibus, & textibus generalibus; ex quo ipso sequitur, quod ubi
D dignitas incomparabilis, privilegium exigit incomparabile, per idipsum, per quod probatur universalitas legis, quoad non speciali jure utentes, concluditur exceptio privilegiati, sive specialissimo jure utentis, supra commune vulgus elevati. Ubi ergo ex rivis immediatè haurire, tempore eorum cursum aliò divertente, non facilè datur, satis sit, ex ipso fonte situlam prælibare, Evangelio videlicet, cujus hoc loco, sine distorsione aliqua, ut liquet ex rationibus, sensus est, quem prætulimus, ascendens ad Virginem eo respectu, ut sic arguendo concludatur; Inter natos mulierum, qui surrexerunt, nullus major Joanne: Beatissima Virgo incomparabiliter major fuit Joanne, ergo non est in numero eorum qui surrexerunt, quippe qui & prius ceciderunt, ergo nullo prorsus modo dici

potest,

potest, quòd illa umquam ceciderit, clarum est. Sed ne quòd nlim impleri non potuit, semper ommittatur, antequam finem videat præsens opusculum sit.

PARAGRAPHUS II.

In quo difficultati primæ respondetur, quæ communiter opponitur piæ sententiæ.

MAjor, & in qua devotio ipsa non sine quadam trepidationis specie sistit difficultas, seu apparentia difficultatis contrà præcipuum assertum, de gloriosa, ac totali immunitate B. V., est: Beatissima Virgo fuit redempta per Christum, ergo mortua per Adam, & in Adam. Consequentia evidens apparet, quia essentialiter redemptio, supponit, rem redemptam fuisse alienatam &c. ante est supponendum.

Resp. primò fuisse redemptam hoc modo, nempe Christus infinita sua merita, ita Virgini applicavit, ut ea quantum est ex se, si ipsa, vel in Adamo, vel in se peccasset, abundè sufficerent, ad ejus redemptionem; quia verò nulla in ipsa fuit, vel alieni, vel proprii peccati labes, tota illa applicatio versa est in augmentum gratiæ primordialis, & donorum ordinis superioris, ideoque ex communi Patrum sententia, major est gratia, ideoque & gloria Virginis, quàm tota simul, & hominum, & Angelorum; ideoque hoc argumentum, a posteriori, non concludit; supponit enim id, quod debet probare, scilicet eam peccasse saltem in Adamo; immò retorqueri potest; si fuit rigorosè omninò redempta, vel fuit in se, vel in alio tantum redempta; si in se, ergo in se mortua fuit, quod tamen negant tenentes præcisum debitum, & jam ferè communiter; si in alio tantum redempta, ergo in se nihil habuit formalis redemptionis, sed sicut debuit participare mortem, debuit etiam participare redemptionem, & quia illam non participavit, ideò nec Redemptionem participavit; non ergo Maria redempta, sed Adam, qui pro illa peccavit, fuis pro illa redemptus, quod tamen absurdum est, aliter oporteret dicere, quod Adam redemptus fuit, ut caput hominum, quam tamen dignitatem, numquam recuperavit, semel deperditam per peccatum, ut notum est apud Theologos; sic ergo, nec redempta fuit in se, quia non in se mortua, nec redempta in alio, ob deficientiam capitis, in quo redimi posset, & hoc verificatur, si formalitatem redemptionis alligamus suppositioni mortis, vel in se, vel in alio.

Respon: fuisse redemptam, redemptione gratiæ, non redemptione justitiæ. Certè etiam ipsa cum pura creatura esset ex nihilo, poterat peccare; resultat enim potentia peccandi ex eo, quod sumus ex nihilo, ita & Adam creatus in statu justitiæ originalis, componebat cum eodem statu posse peccare, & per peccatum ammittere eundem statum, ut infœlix probavit eventus: hæc autem potentia peccandi intrinseca conceptui suppositi creabilis, aut creati, ita inclinat ad nihilum, seu peccatum, ut petat ab auctore generali naturæ permitti sibi, aliquando exire ad proprium terminum; ideò (Doctrina est Patrum Salmaticensium de gratia) si aliquis novem, singula sigillatim præcepta, ex gratia ordinaria, ut potest, servaverit, ad decimum perveniens (supponamus ea tantum decem esse etiam collectivè) si eum sola gratia generali relinquatur, deficiet in ultimo, reclamante potentia peccandi ad auctorem generalem; hoc supposito dicamus, quod, quia potuit etiam Beatissima Virgo ex conditione, & finitate naturæ defectere, etiam originaliter, disponique, eam fuisse contentam in pacto, & in ejus violatione, obsistente tamen summa specialique gratia, quam exigebat ex merito, & dignitate Filii divina maternitas, ad quam ab æterno fuit electa, per eandem gratiam fuit ab hac naturæ creatæ exigentia redempta; & bene dicitur redempta, quia primò ad maternitatem Dei fuit electa, ad quam certè naturæ exigentiam, aut debitum non habebat, & exinde, quia sic eligebatur ad majorem unionem, quæ haberi possit a pura creatura cum summo, ac toto ente, scilicet Deo, compressa fuit omninò nihilitas, ex qua erat, ejusque exigentia; ac taliter res disposita, ut nullo modo nihilo appropinquaret, ex ea enim propinquitate ad Deum superata est, & omninò sepulta, infinita distantia, quæ est inter Deum, & creaturam, ex qua oritur posse ab illo etiam per peccatum recedere: dicamus ergo, fuit redempta multiplici redemptione gratiæ; primò per electionem ad Dei Maternitatem, empta quodammodo ex nihilo, quia hoc creaturæ non debebatur; secundò iterum empta, per hoc quod ei sic electæ debebantur ea omnia gratiæ dona, quæ exigit summa Dei propinquitas, quæ essentialiter pugnat cum nihilo formali, & omni effectu nihilitatis, sicque verè redempta, quia totaliter, & multipliciter empta, pretium in se ut suum, quo omnia, & omnes redimerentur, possedit, & ab æterno; sic electa fuit, sic redempta, & in tempore sic concepta, sic nata, sic omni modo Matri Dei Redemptoris debito fuit redempta; eaque tota est redemptio gratiæ, quia per gratiam indebitam naturæ; debitam verò summo ordini, qui non regulatur terminis communibus, cum sit ex sua natura specialissimus, & singularis, ita recedens a nihilo; sicut accedit ad totum, dicimus autem non redemptam redemptione justitiæ sicut Adam, & nos peccatores, non quia fuerit debitum justitiæ in nobis, quod sic redimeremur, sed quia supposita, Dei offensa, Deus ex justitia exigebat pro offensa infinita satisfactionem, & hanc obtulit pro nobis ipse Filius Dei Incarnatus, verus homo, & hoc modo intelligitur, quod redempti sumus redemptione justitiæ, juxtà phrasim Apostoli, appellantis Christum justitiam nostram, & redemptionem. Hae autem sic explicata redemptione dicimus, immaculatam, non fuisse rigorosè in termino grammaticali redemptam; immò ex hoc ipso, quod nos taliter fuimus redempti, deducimus, eam non sic fuisse, hac brevi inspectione: Filius Dei, ut honorem debitum redderet pro nobis Patri, a nobis offenso, sic se ipsum pro nobis tradidit, sic nos redemit; ergo cum matrem sibi elegit,

elegit, hoc tibi munus attribuit, ut ejus honorem ab omni læsione possibili vindicaret, ipse enim, idem est, qui ait, honora patrem tuum, & matrem, cum ergo nulla sit major ignominia, abjectio, & dedecus, quam Dei esse inimicum per peccatum, ipsi esse abominabilem per maculam, qui est candor lucis æternæ, ab eo fugere cum Adamo, ac infinito grege peccatorum, jam non videtur conceptibile, quod adeò curans honorem patris, adeò simul, & semel oblivisceretur honorem matris, ut dum se offerebat ad illius delendam infinitam offensam, hanc in eandem præcipitem sineret labi, & deturpari; accedit quod mens humana non capit, Filium Dei infinities optimum, dum eligebat matrem habere, ex qua carnem sumeret, & passibilitatem humanam, media qua redimeret sibi infensos peccatores, tantum boni per hoc illis tribuens, quantum mali, iidem in ipsum profunderant, retribuens pro malis, ipse idem propriæ matri, per quam tantam moliebatur misericordiam, eidem inquam, in idem ipsum malum ruere permitteret, ex quo in ipsa prius mala invenirentur pro bonis, dum bona in inimicos parabat ipse pro malis. Hoc arduum magis videtur, quam valeat sustineri.

3. Ex his autem potest tertiò responderi. Redempta fuit, redemptione intransitiva, seu quodammodo activa, ut qua; idque clare ex brevi explicatione constabit. Dicimus enim redemptam esse intransitivè, primò, quia redempta fuit a communi sorte naturæ; qua præcisè attenta debuisset, & ipsa includi in pacto, sed electa Mater Dei, supra pactum elevata est, quippe quæ hac ratione habebat gratiam independentem ab actu Adami, sive conservativo, sive destructivo justitiæ originalis; conceptus enim ille maternitatis divinæ, multò excellentior incomparabiliter fuit ipsa justitia originali, unde non potuit per actum puri hominis, sive obtineri, sive conservari, aliter diceretur, quod Adam potuisset mereri de condigno Incarnationem Verbi; quod nemo admitteret. Si ergò ex singulari hoc privilegio adeò fuit elevata supra naturam, & ipsum caput naturæ; supra ipsum, & ipsam stetit, sic redempta ab omni conditione, & statu, in quo posset cum Adamo peccare; ideoque Redemptionem obtinuit nedum a culpa, aut debito, sed ab ipsa habilitate, ut ita dicamus, ut per actum puri hominis regularetur ejus justitia, ideò intransitivè, quia supra pactum Adæ, ad ipsum ex natura gratiæ talis, transire non valuit; idque patenter ex eo deprehendimus, quod in tantum nemo nostrum conqueri potuit, se fuisse inclusum in pacto, quod Deus iniit cum Adamo pro ipso, & nobis, ut si præceptum servaret, pariter, & pro se, & pro nobis justitiam originalem servaret; eamque cum pari universalitate amitteret, si illud violaret in tantum, inquam nemo de hoc conqueri potest, quia sic ponebatur quisque in statu, & capacitate justitiæ originalis, quæ nemini debebatur: quem statum non habuisset sine pacto, sed mansisset cum sola inclinatione, indifferenti quidem ad bonum, vel ad malum, magis verò ad malum, ex finitate propriæ naturæ, & indigentia auxilii

A indebiti, ut beatitudinem etiam naturalem obtineret, quam doctrinam supponimus ex communi Theologia. In electa verò Matre Dei res aliter se habent; nos inclusi in pacto potuimus aliquid ex eo aquirere, ipsa verò ex conceptu maternitatis divinæ intransitivè plus habebat, quam obtinere posset per pactum, adhuc servato præcepto, si in illo fuisset inclusa, unde in ipso includi, quoad ipsam, eo deterior status fuisset, quo major est Dei Maternitas, ipsa gratia originali.

PARAGRAPHUS III.

Dictorum explicatio, & confirmatio.

B AT quia cum versemur in mysterio non modicum recondito, ipsa explicatio involuit obscuritatem; ex eo quod fuit in facto per exemplum, declarare & confirmare necesse est, quod dubitatur, & intimum sensum hujus responsionis aperire. Notum est lumine naturæ, mulierem ex propria conditione, & fine suæ creationis, debere esse subditam viro; quod ex ipso actu generationis evidens est, idque divino stylo explicatum est, Gen. c. 3. ubi Deus ad mulierem, inquit: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, quo cum summa dicendi modestia significatum est, quod verecundia consuevit silere, & quamvis ex suppositione peccati id evaserit pœna, fuisset tamen, ut omnes supponunt, etiam justitia perdurante, tamquam conditio, & ordo naturæ; nunc Deiparam inspiciamus. Certè ipsa, & concepit, & peperit Virgo,

C ex quo posset intelligi, eam solam veram Dominam esse, quæ supra quamcunque exigentiam naturæ, non fuit subdita alicui viro (talis enim subjectio, ut clarum est, Virginitatem excludit) ideoque soli Dei dominio reservatam, ergo ex hoc ipso inferendum est, non potuisse a viro induci in servitutem, eam, quæ dominum, & caput non novit, nisi Deum, cujus solius ipsa se se appellavit Ancillam; Si ab eo per gratiam elevata est, quod natura exigebat, quia nempe fuit Mater, & Virgo sine subjectione reali ad virum, multò magis certè ab eo, quod importat subjectionem ad Sathan, fuit ab ea subjectione redempta, quæ etiam in statu originalis justitiæ vigeret, quantò magis ab ea, quæ in statu naturæ lapsæ versa fuit in

D pœnam, quæ culpam supponit, qua nulla major subjectio. Redemit eam Filius Dei, Filius suus, ne prætium solveret, quo natura emit utcumque maternitatem, scilicet a jactura Virginitatis, quæ tamen ab Auctore naturæ ordinata ad propagationem, culpam necessariò non involuit ex suo conceptu, ergò multò magis eam redemit, a violatione justitiæ, quæ ipsa culpa est. Certè non repugnabat, ex se, cum divinitate Verbi, quod qui eligebat filium esse mulieris, eligeret filium esse, & viri; & tamen ad salvandum dominium, & dignitatem Matris suæ, noluit eam viro esse physicè subjectam, & voluit Virginem Matrem: Nihil magis pugnat cum Deo, quam culpa, qua infinitè offenditur, quis ergò imaginabitur matrem suam prius voluisse subjectam Sathanæ saltem in alio;

scilicet viro, sibique hoc modo inimicam, & non solum non Dominam, sed vile mancipium, ab ipso jam prostrati inimici sui? hæc igitur fuit redemptio intransitiva, quod nempe ipsam solutionem pretii pro redimendis omnibus nobis fecit esse Matris suę privilegium, quo semper detenta fuit, ne in ullam umquam, vel umbram servitutis periclitaretur descendere, appropinquare hosti suo, fugere a Filio suo; ex his autem secundo, explicatur hæc redemptio intransitiva, seu quodammodo activa: Talis enim dicitur, ex eo quod adeo unita fuit, ex vi Maternitatis divinæ cum ipso omnium Redemptore, activè redimente, ut non quidem ipsa Redemptrix, sed unitate relationis, unum quid esset cum Redemptore, unitate viæ unum cum termino, ipsa enim via, fuit, per quam immediatè transivit Redemptor, de qua ait Propheta: hæc via sancta vocabitur, ex quo modo unitatis actum est, quod eo modo, quo capax fuit, redempta est, quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur, recipit autem ipsa activam redemptionem; ministravit humanitatem Filio Dei, at quia nemo potest prius Deo dare, quam recipiat: quis enim prior dedit Deo, & retribuetur ei, oportet concipere, quod Filius Dei, ab æterno prius dederit Virgini, digna Deo, ut dignam Deo faceret, quam quod ab ipsa reciperet humanitatem, dignam Deo uniri in unitate suppositi. In quo utroque continetur omne inexplicabile bonum, quod proinde limitare non debet, humanæ imbecillitas intelligentiæ, ideoque, quod exprimere nemo valet, non est mirandum, si a nobis quasi ænigmaticis terminis explicetur; nec tamen ænigma est; redempta fuit redemptione intransitiva, quod explicat proximitatem cum Redemptore, & redemptione talem, ut in ipsam redundet denominatio activi; quatenus videlicet ipsa dedit id, quo usus est Redemptor ad redimendum, unde tale pretium prius fuit proprium Virginis, ipsamque prius ditavit (quommodo ditari potuit) quam alios, eidemque ex unitate, & titulo tantæ propinquitatis ad Deum, qua nulla major in creatis, debita, & data fuit talis gratia, quæ modo superius explicato, eam redimeret a radice ejus, quod capax est rigorosæ redemptionis; ideò dum ministravit redemptionem, intransitivè ipsa redemptio eandem affecit, dignam eam reddens, ut se ministraret. Nec tam multiplex redemptionis acceptio displicere potest, fuit enim infinita redemptio; quam plurimis etiam finitis nominibus adæquare nemo præsumet, quanto minus unius nominis unica tantum acceptione. Huc respiciens Regius Psaltes, *Ps.* 129. ait; *apud Dominum misericordia, & copiosa, apud eum Redemptio*, ubi primò expressit, hoc nomen redemptionis copiosum esse, non limitatum, & intelligi debere, sicut intelligitur nomen misericordiæ, quæ totuplex est, quotuplex est miseria, a qua nos liberat, & quot sunt modi, quibus nos liberat, & dona quibus nos sublevat, & opera ipsius Dei, supra quæ omnia se extendit, quia misericordiæ ejus super omnia opera ejus, ex quo deducit idem Propheta, quod quamvis infinitæ essent iniquitates Israelis, adhuc ab eis per misericordiam, & redemptionem liberaretur, subdens, *& ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.* Et quidem non incongrue dici potest, sic canentem ad Virginem respexisse, cujus redemptio singularis in eo emicuit, quod adeò semper Deo fuit propinqua, ad quem non appropinquat iniquitas, ideò dixit, copiosa apud eum redemptio, non illa præcisa redemptio, qua redimet Israel ex iniquitatibus, sed copiosa, & supereminens, qua gratiarum copiam effundens in Virginem, eam constituit Matrem suam, sicque ipsi unita, & numquam ab eo avulsa, fuit ipsa apud eum copiosa redemptio, ex qua Incarnatus postmodum redemit Israel ex omnibus Iniquitatibus suis.

Sed adversus hæc omnia dices primò; ut sincerè intelligamus Scripturas, sumendum est hoc nomen redemptionis in toto rigore, sicut illud intelligunt Sancti Patres. Hier. & Aug. cæterique, in qua proprietate, ut verificetur de Virgine Deipara, debet verificari de ipsa, quod prius alienata fuerit a Deo per culpam, saltem in Adamo, est enim redemptio, nova quædam aquisitio rei, quæ prius erat propria redimentis, & ex ipso alteri mancipata, iterum ab eodem dato pretio recuperatur.

2. Si Beatissima Virgo, vel exempta fuisset a pacto, vel aliquo singulari modo ex illis, qui in his responsionibus attinguntur redempta, hoc non siluisset Scriptura, cum sit res magni momenti, & maximè exaltans Deum, & ejus Virginem Matrem, & certè similia in Sacra Scriptura non abscounduntur; cum ergo nihil de supra tactis, in Sacra Scriptura, habeamus, ea meditationis censenda sunt inventa non veritatis.

3. Cum Beatiss. Virgo inter puras creaturas, fuerit maximè proxima Deo, ac majoribus super omnes, gratiæ donis insignita, redemptio magis, & cum majori proprietate debuit eam afficere, ergo non sunt inveniendæ aliæ acceptiones impropriæ redemptionis, cum de ipsa tractamus.

Sed hæc horum omnium potissima solutio est, ac simul eorum, quæ asseruimus, confirmatio, quod ipsi opponentes debent ipsi solvere, quæ opponunt, idque hoc pacto demonstratur.

Primò. Si ut intelligamus Scripturas, sumendum est nomen redemptionis in omni, & toto rigore, ac proprietate, videamus hanc proprietatem, & rigorem in exemplo. Captus fuit Filius Regis, qui verè suus erat, a Turcis, convenit Rex de pretio summo, cum Turcis, ut Filium liberaret, devenerat hic Filius captivus in servitutem barbari Piratæ, qui eum in vinculis detinebat, pretium Rex obtulit, & misit, Filium tamen redemptum non obtinuit, quia pretium ad manus possidentis captivum non devenit, ut ergo filium liberaret, debuit pretium solvere in manu propria possidentis captivum, solvit, redemit, recuperavit, hæc certè est redemptio rigorosa, & cum proprietate, simili enim exemplo explicat opposita opinio rigorosam redemptionem propriè acceptam. Nunc ad nostra. Per peccatum captivum erat genus humanum, sub Sathanæ potestate, qui per tentationem, & suggestionem

suam,

sumi, a proprio Domino, illud ad se avverterat; venit Filius Dei, cum nullo quidem convenit, hoc enim necesse non fuit, quia pretium infiniti valoris effudit, proprium sanguinem; quæramus nunc, quis pretium hoc accepit? nemo dicet, quod illud Sathan acceperit, sed Pater Æternus, qui certè non erat detentor generis humani apud se sub captivitate, tota enim captivitas in eo erat, quia a Deo homo recesserat ad partes inimici captivantis, & detinentis; jam ergo recedere necesse est a proprio rigore redemptionis, itaut dici quidem debeat rigorosa satisfactio facta Deo pro offensa infinita, non autem, in toto rigore propriissima redemptio in rigore explicato. Huic autem difficultati aliter nequit responderi, nisi quod in his moralibus, non possunt nomina sumi cum toto rigore, & proprietate, sicut in physicis. Et clarius quidem exemplum habemus in infinitate offensæ, & infinitate valoris operum Christi, in quo, cum res notissima sit, non detinemur. Si ergò sumere necesse est nomen redemptionis extra proprium rigorem, & adhuc bene intelliguntur Scripturæ, gratis negatur posse sumi redemptionem extra proprium rigorem, modis quibus supra, eam, cum debito rationis fundamento accipiebamus; aliter oporteret dicere (quod Fides, & ipsa natura abhorret) nec nos redemptos, nec Christum fuisse Redemptorem.

Eadem via corruit etiam secunda objectio, sic. Maximi momenti est, ac maximè glorificans Deum, quod Beatissima Virgo, numquam peccaverit peccato actuali, etiam minimo, & similia pariter circa excellentiam Matris Dei, & tamen hæc Scriptura non dicit explicitè, ergo ne, & hoc & similia dogmata, quæ explicitè Scriptura non dicit, erant piæ meditationes, & non talia, ut ea postmodum de Fide declarare debuerit Ecclesia? & quidem, quod Beata Virgo fuerit omninò præservata, quod non inclusa in pacto, ac similia, nos non asserimus esse de Fide; sed ex hoc, quod aliqua, quæ non dicit Scriptura explicitè, & tamen verissima esse constat, ex hoc, quod declarata fuerint de Fide, deducimus, nihil convincere hanc objectionem; sufficit enim ad veritatem, quam intendimus, quod possimus, quæ dicimus, deducere theologicè, ex his, quæ habemus in Scriptura, ac deductis tantam tribuere firmitatem, quantam eis tribuit ratio Theologica; nec aliquid plus exigimus, quàm quod concedit Ecclesia, quæ non utitur hoc argumento; Scriptura non dicit explicitè hoc, ergo est reiiciendum, sed sublimi lumine informata, relinquit in hac materia utramque opinionem, in suis terminis, & probabilitate, quam habent, utique ex pondere Theologicæ rationis; ita ut altera alteram non condemnet, nec sibi usurpet munus Ecclesiæ reservatum.

Si autem quæras, cur in privilegiis, & excellentia Virginis exaltanda, aperto stylo non se se effundat Scriptura. Mysterium est, utique majoris laudis, ut fortè dicat facto Matri Verbi, sicut Verbo ipsi Increato; Tibi silentium laus. Illi quidem, quia omne Verbum est, huic quia, dum medium planè silentium tenerent omnia, idipsum A Verbum protulit, operante Spiritu Sancto conceptum, qui scientiam habet vocis. Vel dicas: satis dixit Scriptura de Virgine, quæ eam Matrem Dei descripsit, hæc est summa Theologia, totaque eloquentia excellentiæ omnium maximæ, inter creaturas, ut certissimum sit, quidquid ex hoc antecedenti profluit, quidquid deducitur, ad exaltationem ejus, de qua, quo magis ascendit, eo magis mirantur, & clamant secum quærentes, quod solvere nequeunt sublimiores spiritus: quæ est ista, quæ ascendit innixa super dilectum suum? Modicum quidem de Virgine loquitur Scriptura; sed hoc ideò, quia ipsimet commisit, ut se se exaltaret, quæ se se ad infimum, cum summa esset, humiliavit. Imperatrix, se se vocans ancillam, ut ex ejus humilitate ejusdem excellentia, si mensura- B bilis est, mensuretur. Ipsi inquam, suum commisit elogium, ipsaque obediens, totum protulit brevi compendio, canens; *Fecit mihi magna, qui potens est*. Magna ergo quæ fecit Virgini Deus, ea sunt, quæ ipse Deus potest; ut jam legitima consequentia sit, ubi agitur de Deiparæ gratia, privilegiis, & excellentia: Hoc ei facere potuit Deus, ergo hoc ei fecit; hoc ei dare, ergo hoc ei dedit. Salva conditione puræ creaturæ, & modo morali inferendi. Et hæc quidem Scriptura est, ecce ergo, quid de Virgine dicat Scriptura, in quo & quidquid opponitur, non dici, & quidquid dici potest, invenitur. Si itaque dicas; totalis exceptio Beatæ Virginis, vel a pacto, vel quomodolibet a quavis maculæ umbra, magni momenti est, & maximè cædit in C gloriam Virginis Matris Dei, hoc ipso jam approbas quod hoc implicite dicit Scriptura, arguit ipsa Virgo, quia fecit mihi magna qui potens est: fateris hoc magnum, fateris hoc Deum posse, ergo dicere censetur Scriptura hoc fecisse, & quidem peculiaria omnia dona singulatim, aut sigillatim, non explicuit, ad hoc enim requirebatur, nec sufficeret immensum volumen, & de his etiam diceret Joannes, si sic singula scriberentur, puto totum mundum non posse libros capere, reticuit ergo singularia, ut in infinitum quoad nos ea protendi, & nostræ debilitati impervia cognosceremus: dixit Matrem Dei (adde, jam supra nos ostendimus, ex quot immensis Sacræ Scripturæ locis hoc deducatur) ipsaque Dei Mater in eadem Scriptura inquit, fecit mihi D magna qui potens est: ergo jam satis est, dedit pro mari fontem; satis sit parvitati humanæ, quæ totum mare per stillas haurire non valet.

3. Objectio, & quidem eadem via facilius coarctatur. Jam eam superius multipliciter prævenimus, & impugnavimus, nunc autem se ipsam tollat necesse est. Sic enim arguimus ex ejus terminis. Supponamus ergo, ut supponit objectio, veram redemptionem propriè, & rigorosè acceptam, ex conceptu essentiali supponere in redempto culpam, vel aliquid de linea culpæ, quale est debitum proximum contrahendi originale peccatum, vel unico verbo, redemptum peccasse in alio, vel in se; nunc autem ponamus illud antecedens Beatissima Virgo, cum fuerit maximè proxima Deo &c. Redemptio

maximè, & cum majori proprietate debuit eam afficere, at quid inde sequitur? ergo debuit habere majus peccatum, & majora peccata, a quibus redimeretur; sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, cum agitur de ratione formali, si ergo non potest dari propria redemptio formaliter sine peccato redempti, ergo nec major participatio, & efficacia redemptionis, nisi detur majus peccatum; ergo cum affecta fuerit a redemptione in se ipsa; quippe quæ in se ipsa fuit maximè Deo proxima, ergo habuit peccatum in se ipsa, & majus, quam alii, cum enim magis participaverit gratiam formaliter redemptivam, quam Divus Petrus, in ipsa supponebatur majus, vel magis peccatum, quam in Divo Petro, qui negavit Christum; hæ autem consequentiæ debent ab omnibus negari, ut Fides salvetur, ergo pariter etiam necessitas sumendi redemptionem cum proprietate illa adeò rigorosa, ex qua proprietate sequuntur immediatè, ut clarum est, & luce clarius. Concedatur ergo, posse sumi, & dici redemptionem, cum proportione ad subjecta; sicut enim nemo negat, aut negare potest Christi redemptionem fuisse infinitam, & universalem, ita concedi debet, quod juxta exigentiam subjectorum pariat diversos effectus, & ex eadem exigentia, diversas suscipiat acceptiones, non quòd ipsa diversa sit, sed quod ad diversa potest extendi, & de facto se extendit, & hinc est, quod Sancti Patres, ut superius notabamus, quia agebant contrà hæreticos negantes, vel limitantes contractionem peccati originalis in parvulis, sub communi, & indistincta ratione in Adamo peccante contentis; redemptionem in ea proprietate tractabant, & explicabant quæ communiter solet usurpari, cum verò agitur de subjecto singulari, & habente singularem, & specialem titulum, nemini alteri inter puras creaturas communem, qui vult ei applicare redemptionem modo communi, eo ipso supponit, quod est in quæstione, scilicet tale subjectum verè peccasse in Adamo, immò & in se ipso contraxisse, quod alii communiter, sicque negat eı contra rationem, suam singularitatem, & titulum specialissimum, de quo nemo dubitat. Hæc tamen omnia intelligi volumus non ultra, nec supra, quam rationes, & Theologicum ratiocinium probat, salva semper debita veneratione, & observantia decretorum Sanctæ Sedis, cui & nostra, & nos ipsos libentissima humilitate subjicimus.

PARAGRAPHUS IV.

Secunda principalis difficultas adducitur, & solvitur.

1. Opponi videtur; quod Beatissima Virgo mortua est, mors autem, ut clarè constat ex Genesi, est pæna peccati originalis; porrò cum supponi debeat, divini Filii Virginis erga Matrem suam summa dilectio, certè non permisisset, eam subire pœnam, nisi præcessisset in ea culpa, quæ ejusdem justitiam, ad infligendam talem pœnam, interpellaret.

A 2. Resp. per hanc, & priorem etiam, ac similes objectiones non infirmari vim Evangelici textus, quem superius pertractavimus; de Majoritate Beatæ Virginis suprà Joannem Baptistam, ex quo manifestè sequitur, vel eam non esse inter natos mulierum, quod nemo somniatur, vel textum illum non subsistere, ad quod nec audent nequiores hæretici, vel Beatissimam Virginem non surrexisse, ideoque nec cecidisse ullo modo, scilicet nec in se, nec in alio, quolibet enim ex his, aut similibus modis cecidisset, verificaretur, quod non surrexit major Joanne, quod nec suspicandum est, ideoque etiam oppositæ fautores sententiæ tenentur similibus objectionibus, aut scrupulis respondere, ne indirectè se involuant, in evangelica doctrina, quam fideliter profitentur.

B Nunc autem, quantum ad hanc objectionem, nullam in ea (fatemur brevitatem intelligentiæ nostræ) umquam novimus difficultatem. Primò ob efficacissimam rationem, quam offert ipsa Immaculata Sapientiæ Mater. Novimus ex Evangelio, quod *cum impleti essent dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Hierusalem* (ipsa utique Virgo, uti purificanda, & creditus Pater Jesu Joseph) *ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est, in lege Domini*. Quis attento *cap. 13. Exodi, & cap. 12. Levitici*, ex hoc audebit inferre, susdeque versa tota serie fidei nostræ, Beatam Virginem non fuisse Virginem Matrem, nec concepisse de Spiritu Sancto, nec filium ejus Deum esse, sed immundum quid cum Matre Filium, tollendo totam Catholicam Fidem? Si ergo non

C tenet hæc prorsus hæretica consequentia, Maria purificationi subesse voluit, & Filium obtulit in templo, sicut offerebantur, & offerebant peccatores, ergo fuit, & ipsa &c. tremit calamus, suffocatque blasphemiam: ita proportione servata, nequit inferri, subiit Beatissima Mater totius vitæ, mortem, quæ per sententiam, & legem justi Judicis taxata fuit in pænam originalis delicti, ergo illud incurrit, utrumque enim subiit, & eadem utrobique ratione, & utrobique immunis ab illis legibus, & ab ista, ut impleret omnem justitiam cum Filio suo per humilitatem, sicut idem ipse ait, cum baptizari voluit in Jordane a Baptista renuente, *sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam*. Mater ejus erat, qui innocentiam

D suam, se ipsum subjecit oneri peccatorum omnium; ipse enim portavit iniquitates omnium nostrum, ne ergo vel apparenter, Filio suo se præferret, ab eo didicit mori in Innocentia sua, & sicut ille, majores calumnias, & blasphemias sustulit, quasi non esset Filius Dei, qui moreretur, cum improperarent ei nequissimi Judæi, *si Filius Dei est, liberet nunc, si vult eum*; Ità & illa, quia mortua est, hujuscemodi sustinet suspiciones culpæ, quasi non esset Mater Dei, quæ talem non se ostenderet, si ipso moriente, nollet mori; unde & de se directè, & de Matre sua relative dixit Christus, instante passione, *& hoc, quod scriptum est impleri oportet de me, & cum iniquis reputatus est*; Mortuus enim ipse est inter duos latrones; Mater ejus inter Adam, & Evam peccatores, quos in Gethsemani,

mani, ubi obdormivit Virgo sepultos esse, quædam veluti traditio est: Nec refert, quod quidam opponunt Damascenum Oratione 2. de dormitione B. Mariæ, qui ait: *sed cedit legi latæ ab eo, quem genuit, & ut Filia veteris Adam, veterem sententiam subiit:* nam S. D. & in sequentibus, & in præcedentibus satis se explicuit, voluntatis mortem fuisse non necessitatis, aut pœnæ, addit siquidem; nam, & Filius ejus, qui est vita ipsa, eam non recusavit, ut autem Dei viventis Mater, ad illum ipsum dignè assumitur, & quidem prius. Ex qua enim omnibus vera vita manavit, quommodo illa mortem gustaret &c.? sic igitur patet ejus sensus; idem enim ipse diceret de Virginis Purificatione, non solum non necessaria, sed neque quę possibilis purificatio est in purissima Dei Matre, quę semper Virgo in ęternum, sine viro Filium Dei concepit? sed cedit legi pro aliis latę, qui sunt peccatores, & corrupti, & sicut vulgaris mulier, non Virgo, petit purificationem, hoc enim & voluit Filius ejus Redemptor omnium, quasi natus peccator, circumcidi, & redimi per oblationem columbarum; sicut ergo in hoc non arguitur, quod fuerit id, quod apparere elegit; ita & in morte, non quia Filia veteris Adam, hoc enim designat peccatum, sed quasi Filia, sicut una ex his, qui peccaverunt, dignata est mori, quia hoc in se ipso voluit Filius ejus, verus Adam, de cęlo cęlestis, qui venerat, ut vitam omnes haberent, & abundantius haberent, quanto magis, ut viveret Mater ejus, a qua vitam dignatus fuit accipere, ipse, qui vita erat, & vita erat.

2. etiam evacuatur objectio notando, quod dictat textus canonicus de R. I. in 6. Sine culpa, nisi detur justa causa, non datur pœna, ex quo clarè habetur non posse semper, & per se inferri, datur pęna alicui, ergo in eo supponitur culpa, potest enim subesse justa causa inferendi alicui, id quod aliis est pęna; concedatur igitur, mors est pœna peccati originalis, sed non tenet consequentia hæc a posteriori, ergo in eo datur reatus culpæ originalis, in quo est mors, sed similes illationes, ut teneant, debent è converso fieri a priori, sic: datur in aliquo culpa originalis, ergo est obnoxius morti, ideoque arguere ut in præsenti objectione, est supponere in Beatiss. Virgine culpam originalem, quod est in quæstione, quod si hic arguendi modus a posteriori in similibus esset efficax; inferret omninò falsum, & falsissimum, ac incompossibile consequens, videlicet Christus mortem subiit, & revera mortuus est, per veram divisionem animæ a corpore, ergo & ipse contraxit culpam, quo quid ignavius? stet ergo Beatissimam Virginem mortuam esse, sed absit objecta consequentia; quæ locum non habet, cum in ea justa causa potius debeat inferri, subeundi mortem, & non culpa, quæ illam nec novit. Quæ autem fuerit hæc justa causa, satis constat ex eo, quod supra ex Damasceno deduximus, aliæque justæ causæ possunt assignari, quarum alteram, & planè præcipuam adducit Ecclesia in coll. secr. Missæ de Vigilia Assumpt. orans ad Deum Patrem, & de hac morte definiens Dei Genitricis, *quam ideircò de hoc sæculo transtulisti, ut apud te pro nobis intercederet*, quod summum meritum, non reatum demonstrat, juxta sensum igitur Ecclesiæ iterum, & semper negatur consequentia.

3. Denique resp. prænotando, quod etiam si Adam in originali innocentia perseverasset, adhuc tamen, & ipsius & posterorum ejus vita desineret, tum quia non esset propterea compositus ex anima, & materia cęlesti, sed sublunari, quæ in hoc essentialiter ab illa differt, quod illa inammissibiliter, hæc verò ammissibiliter informatur, tum quia temperamentum ex elementis constans, quæ agunt, & reagunt, ideoque, & patiuntur, & repatiuntur, ita exigit; constat autem, quod gratia, sive originalis, sive reparationis sit, elevat quidem, & perficit naturam, naturalia verò non destruit; tum quia justitia originalis non plus perficiebat hominem, quoad corpus, quam quoad animam, sed certè minus, & tantum consequenter, & proportione quadam servata, ac denique corpus perficiebat, per refusionem perfectionis animæ in ipsum corpus, si ergo non obstante tam sublimi, ac privilegiata perfectione, quam animæ conferebat, & potuit deficere, & revera defecit in sua linea, a suo vero ultimo fine, ad quem cum tanta perfectione gratiæ ordinabatur, multò magis potuisset corpus deficere, & de facto denique defecisset, non quidem per violentiam, & involuntariam desitionem, sed per quandam suavem deficientiam; idque ex hoc suadetur (præter allatas rationes) constat apertissimè, quod Angelus, quia est ex conditione sui esse purè spiritualis, & immortalis, ideò non dantur plures Angeli in eadem specie, ut fundatiss. cum Angelico Præceptore nostra sustinet schola; si ergò homo ex vi status innocentiæ fuisset absolutè immortalis, non debuisset adeò multiplicari, constat autem, quod etiam in sensu composito justitiæ originalis, adhuc eadem numerositate erat multiplicandus, ac sine ipsa, quod ex eo evidenter constat, quod collata fuit justitia originalis Adæ, ut eam suis posteris servaret, & inclusi omnes nos fuimus in pacto; tantus ergo numerus hominum fuisset imposterum, servata ab ipso justitia; ac sunt & erunt, ea abjecta, ergo sicut morimur nunc, & ex hac ratione succedunt posteri, ut suppleatur priorum defectus, sicque vigeat humana species, ita & tunc esse debuisset in hypothesi servatæ justitiæ.

Confirmatur, hoc ipsum, cum eadem evidentia; nam antequam homo deficeret, creatæ fuerunt omnes species fructuum, & alimentorum, & animalium, & piscium, & herbarum, & ipsum lignum vitę, cujus fructus esset in reparationem deficientis vitæ, ergo in omni statu, quem elegisset homo, sive justitię, sive lapsus semper fuisset nutriendus aliquo modo, ac reparandus modo finito, ideoque tandem ejus vita deficeret, ut finis generationis perseveraret, & non frustra essent, quę fuerant creata propter ipsum.

Hoc ergo supposito, necesse est asserere, quod mors, quę, durante justitia fuisset, ac non per

modum

modum pęnę, posito peccato, per justam Judicis sententiam taxata, versa fuit in pęnam, ideoque non nuda desitio vitę modo est, sed cum agone, ac doloribus, ac reluctantia naturę, & fractione temperamenti, & quidam necessitate, & impetu, ac coactione insuperabili, quę verè exprimunt, nunc eam esse pęnam primi reatus, & deordinationis totius naturę, quæ in capite pro toto corpore, idest pro omnibus peccatoribus cępit in abjectione illa justitiæ originalis. Talis autem pęna ea fuit, quam ante peccatum homini comminatus est Deus dicens in quacumque hora comederis, morte morieris, non quod, si non comederet ex vetito, careret fine vita hominis, sed quod careret angustiis, & tali morte, quam nos sentimus; illa enim vitæ desitio, si Adam non peccasset, non posset dici mors formaliter, quia hoc indicat angustiam, dolorem, & violentiam, qua tunc caruisset, sed quædam naturalis desitio, congrua naturæ; qualis verò tunc foret ea desitio, an quædam translatio, an vera separatio animæ a corpore, cum ex Sacra Scriptura non habeamus, non nisi divinando astrui potest, hęc autem, quæ hac in re hactenus intulimus, non tamquam de fide, aut quemquam impugnando statuimus, sed quantum suadet ratio Theologica, tantum ponderis habere volumus; hoc solum certissimum afferimus B. Virginem non ea morte obiisse, quæ formaliter taxata fuit in pœnam, sed quæ, & humilitati, & amori ejus sufficeret, non eam torquendo; sed ejus charitati obediendo; non enim amplius poterat intra corporis angustias tanta charitas coarctari; itaut potius extasis, quam desitio, extasis inquam, naturam omninò superans, ut mystici testantur, dici possit, cumque hęc potius sit excessus quidam divini amoris, tantum abest, ut dici possit pęna, quin potius sit summæ virtutis, & meriti gloriosum extremum, & præmii æterni præambula prælibatio.

Jam igitur patet, quid sentiat hæc secunda responsio primæ proxima; dormitionem enim B. V. sicut Damas. concedit, mortem verò, vel ut pęnam, vel sicut est, cum est pęna a vitæ Matre eliminat, desitionem, qualem admitteret perseverans originalis justitia non negamus, & hanc quidem non sibi debitam, sed volitam, ex justissima causa, ut suprà dictum est, & voluntariam ex amore, ex cujus sola, suavissimaque sagitta profecta est, concedimus; aliud quodcumque imperfectionem involuens negamus, & quidem primum cum hac diversitate, quod illa capax erat, & fuit, ut ex sententia Judicis transire posset in pęnam, hæc verò solum capax fuit, ut transiret in meritum simul, & præmium charitatis, qua in pura creatura, nec ulla umquam fuit, nec erit major, & quia planè tanta fuit charitas, adeò appropinquavit ad Deum, ut quia Deus purissimus spiritus est, corporis quodammodo oblita sit viatoris, rapta in terminum, sibi tam proximum, quam Matri Filium; si hæc pęna est, quæso, quid erit meritum, quid pręmium? ne ergo miretur lector, si quasi intempestivus ingruerit, in hunc summarium tractatum, non adeò brevis excursus, similis digressioni, quę enim hic exarantur, alibi deerant, ideoque ne quid ab exiguitate nostra desideretur in obsequium Immaculatę Deiparę Matris nostrę, ea dispensatione usi sumus, quam immensum ejus meritum concedit, ut nempe ubicumque ejus meminimus, omnis locus omninò proprius sit ejus laudis absque ulla prorsus inconsequentiæ nota, quidquid enim dicimus tractantes Verbum Dei, ejus Indesinentur respicit Matrem, & denique, si tanta ejus dulcissima, ac potentissima charitas fuit, ut nobis raperet matrem, nil mirum si & rapuit Filios, utinam & rapiat in ęternum, pro modo autem in mysteriis nostris gemimus, & conamur, unum facere, & aliud non ommittere, ideò prosequimur.

15. Sæpè etiam nomine viri in divini proprietate sermonis intelligitur Christus.

Cum dicitur in Scriptura. *Matth. c. 7.* quod vir sapiens ædificat domum suam supra petram, apertè dicitur de Christo, qui inqu. Petro, *Matth. c. 26. tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.*

Zach. c. 6. Vir oriens nomen ejus, certè est ipse Filius Dei Christus, qui semper nascitur, ideò & si sit homo, semper tamen est oriens, quia semper filius Dei, cujus mater aurora dicitur, *quæ est ista, quæ ascendit, sicut aurora consurgens*, quia ejus Filius est sol oriens. Qui est vir oriens, quia quando ortus est, erat perfectæ rationis, unde oriebatur vir, magis quam infans. Aliis nomen imponitur, sed cum Christo nomen ipsius nascitur, qui fuit nominatus in conceptione *vocabis nomen ejus Jesum Luc. 1.* ideò ejus nomen dicitur nasci, idest vir, oriens nomen ejus. *Vir oriens*, quia sponsus Ecclesiæ, de quo dicitur *ortus est sol, & Psal. 103., congregati sunt*. Nam Ecclesia est congregatio populi. *Ego principium, qui & loquor. Joan. cap. 8.*

Isai. c. 51. vidimus eum novissimum virorum, virum dolorum. Nemo dubitat dici de Christo, qui & vir oriens, & novissimus virorum; ipse est enim, qui de se inqu. *Apoc. 1: ego sum Alpha, & Omega primus, & novissimus*, & Isaiæ cap. 44. ferè idipsum.

Ita etiam in omni loco Scripturæ, ubi vir potest intelligi de Beatissima Virgine, certe per prius intelligitur de Christo, de cujus plenitudine, & ipsa accepit, nam si ipsa mare est, & ille fons est gratiarum, & ipse est vir antonomasticè, in quo solo totam habuit humanitas perfectionem, & ipse caput est hominum, & Angelorum, qui eam omnium instituit Imperatricem.

Hier. 31. Novum fecit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum. Communi Doctorum suffragio, ibi vir significat Christum, quem specialissimè Virgo circumdedit utero suo, cum esset verè, nedum infans, sed homo, & Deus, circumdedit enim, quia nihil ejus extra ipsam fuit, *& coronavit eum*, ut inqu. Bernard. *& ab eo vicissim meruit coronari*, unde ex ea natus est Rex pacificus, vehementer magnificatus. Natus Filius David, de quo ipse Salomon cecinit, *can. c. 3. Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate*,

quo

quo coronavit eum mater sua, confessus est ipse coram Pilato respondens, *Jo.* 18. *tu dicis, quia Rex sum ego, & in hoc natus sum &c.* denique femina circumdedit virum, de solo Christo potest esse verum, aliis enim filiis facit semicirculum Mater, & semicirculum Pater, quia sunt Patris, & Matris, qui propterea sunt duo in carne una, unum circulum, quo filium circumdent componentes, at beatissima Virgo totum sola circumdedit, quia sine viro genuit virum ipsa sola, ne dignitas tanta haberet consortem; infinitum siquidem non multiplicatur. Item *prov.* 18. *Vir amicabilis ad societatem magis proderit, quam frater. Prov.* 31. *Nobilis in portis vir ejus.*

Ps. 79. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Ibi vir evidenter significat Christum, qui est vir dexteræ Dei: *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis. Facta est*, inqu. *Glosa, manus Dei super hunc virum, quando sola manu Dei, idest operatione Spiritus Sancti conceptus est, unde & subdit, & quod stat pro idest, super Filium hominis, idest super Filium Virginis, quem confirmasti tibi, scilicet decreto æterno sanxisti incarnandum*; vel *confirmasti tibi*, quia per hoc, quod factus sit filius hominis, non desiit esse Filius Dei, vel *confirmasti tibi*, quia quod semel assumpsit, numquam dimisit, *& confirmatus*, scilicet semper impeccabilis fuit. Subdit verò hic Incogn. rationes, quare Christus singulariter dicatur vir in Scriptura. *Primò ratione ætatis, quia passus est in virili ætate. Secundo, quia fuit plenus omni virtute. Tertio, quia etiam in utero fuit perfectæ rationis, de quo dicitur ut supra, mulier circumdabit virum. Quarto, quia vir idem est quod maritus, Christus autem est verus Sponsus Ecclesiæ 2. Cho.* 11. *despondi enim vos, uni viro Virginem castam exhibere Christo. Unde & de hoc viro Christo dicit Petrus act.* 2. *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in nobis, virtutibus, & signis, quem vos interemistis.*

Is. 4. *aprehendent* 7. *mulieres virum unum*, idest septem virtutes Christum. *Apo.* 21. *Sicut Sponsam ornatam viro suo.*

Ps. 1. *beatus vir, qui non abiit &c.* quem versum immò, & totum Psalmum exponunt Doctores communiter de Christo, Vid. Incogn. in princip.

4. Dictio viri in Scriptura, quandoque significat Deum, quandoque verò etiam Angelum.

Quia ad hominem, qui materialis est, & non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, idem Dei Spiritus loquitur in Scripturis, ideo, vel de Deo loquitur, quasi de homine, ei attribuens humanas operationes, & partes, vel ipsum etiam nominat virum; idque potissimum in veteri Testamento, & quoniam omnia in figura contingebant illis, etiam modus iste loquendi, ut alibi observavimus, propheticus erat, Deum humanitatem assumpturum prædicens, sic enim ostendebatur humanitatem Deo non repugnare, nec impossibile fore hominem Deum. Et quidem primum constat in primis Gen. capitibus, ubi Moyses Deum inducit dicentem, *fiat*, operantem, ac dividentem, ac denique

A requiescentem, postmodum verò ambulantem ad auram post meridiem, & cum Adamo, Eva, ac Serpente, & Cain, loquentem, aliaque hujusmodi, quæ magis hominem pingunt, quam Deum, ut Deus est, quem scimus Spiritum, & actum esse purissimum sine corpore, & absque omni prorsus limitatione, & imperfectione humana. Secundum etiam patet, *Gen.* 18. ubi sic. *Apparuit autem ei*, scilicet Abrahæ *Dominus in convalle mambre, cumque elevasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum, & adoravit pronus in terram*; post hæc parato convivio, comederunt. In his tribus, qui apparuerunt, ad quos loquebatur Abraham in singulari, ac si esset unus, recognoscunt Doctores Mysterium Trinitatis, primò revelatum, ideoque tres divinas

B Personas in illis tribus, tamquam saltem in repræsentantibus adstitisse: Tamen dicit Scriptura, Apparuerunt ei tres viri, eos autem revera Angelos fuisse, ex eo deduci potest, quod subditur in eodem c. *converterunt se inde, & abierunt Sodomam*; capite verò sequenti aperte dicitur, quod duo Angeli Sodomam venerunt, eosque iterum Scriptura nominat viros eodem c. 19. *Ubi sunt viri, qui introierunt ad te.* Sicque & Deum, & Angelos significat Scriptura per nomen viri.

Patet etiam, *Gen.* 32. ibi de Jacob, *& ecce vir luctabatur cum eo usque mane*, & post pauca, idem vir dixit ad Jacob, *non vocaberis Jacob, sed Israel; si enim contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis*, postque dixit Jacob, *Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima*

C *mea*. Vidit virum, dixitque se vidisse Deum, quia Deum nominaverat virum, sed planè Angelus fuit, & Deum igitur, & Angelos Scriptura viros appellat.

Quod verò Angelos simpliciter viros appellet, passim hab. *Danielis* 10. *ecce vir unus vestitus lineis &c., & ecce quasi similitudo filii hominis, tetigit labia mea, & cap.* 12., *& vidi ego Daniel, & ecce quasi duo alii stabant &c., & dixit viro, qui erat indutus lineis*; cap. autem 9. dixerat, *ecce vir Gabriel &c.* sic etiam *Ezech.* 9., & alibi sæpè.

5. Viri sanguinum, hæc dictio semper in malum ponitur, est proprius dicendi modus Scripturæ ad significandum eos, qui crudeles sunt erga pauperes, ut habet Glos. *Psal.* 25. *ne perdas cum im-*

D *piis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam*; sicut, & *Psal.* 138. *si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me*, & fundatur hæc intelligentia in verbis Christi, in die Judicii, *Matth.* 25. cum expellet a se immisericordes, cum igitur Psalmista petat non perdi cum malis tunc, scilicet cum viris sanguinum, vocat viros sanguinum eos, qui a Christo repellentur, scilicet immisericordes.

Intelliguntur etiam universaliter peccatores, *Psal.* 5. *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus, idest homicidam, & peccatorem, qui se ipsum occidit*, ita *August. in Psal.* 138., & potest etiam explicari, quia peccator nec sanguinem suum, idest se ipsum, & vitam, aut animam servat, nec sanguini Christi parcit, ideò vir sanguinum jure

noncu-

noncupatur, qui propter iniquitatem suam breviter moritur. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Psal. 54.*

Primò Reg. 16. Semei maledicens Regi David, cum fugeret dicebat, *egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem Domus Saul, ecce premunt te mala, quia vir sanguinum es,* ubi clarè significat peccatorem crudelem, & per modum adagii: contumelia quædam insignis est.

6. Nunc de muliere breviter dicendum, quæ denominatio ferè semper sumitur pro sexu, simul, & pro molitie, sive debilitate, quamvis enim nomen viri, & masculum comprehendat, & etiam feminam, non tamen è converso nomen mulieris, quia virtus, quæ a viro est, utrique sexui, quandoque communis est, molities autem, & debilitas naturalis, a qua mulier dicitur, numquam in homine reperitur eodem modo, & si reperitur, vel ratione vitii, vel infirmitatis, vel senectutis, vel infantiæ propriam habet denominationem: Hæc itaque dictio mulier, absolutè prolata (nisi textus resistat, ob aliquod adjunctum, vel ob subjectum, ut cum de Beata Virgine, vel de SS. Feminis dicitur) aut de Jaele, Judith, Esther, & similibus, vel sumitur indifferenter, vel magis in malum saltem phisicum, si non morale, quia primam videtur commemorare, ex cujus seductione periit totum genus humanum. Ita sonat in Gen. excepta prima vice: Gen. 2. cum dicitur Deus ædificasse costam, quam tulerat de Adam in mulierem, tunc enim exprimitur, ut terminus divinæ operationis, per quam nihil mali. Unde August. *serm. 2. de annunciatione. Quid est enim fœmina Fratres agnoscite, muscipula est animæ, latrocinium vitæ, suavis mors, blanda percussio, interfectio lenis, pernicies delicata, malum libens, sapida jugulatio, omnium enim rerum calamitas mulier. Quando non decipit mundum, quæ peccare fecit & cælum. Inventa est ergo mors per mulierem, sed reddita vita per Virginem.*

Ita & Ambros. *serm. de vinculis S. Petri. Ad similitudinem, Evæ beatum Petrum ostiaria quoque mulier decepit, & sicut Adamum mulier circumscripsit, ita & Petrum femina circumvenit, usitatus enim ad decipiendum sexus est. Fraudis suæ vasculum in hostiaria, diabolus recognovit. Fideles viros non nisi per mulierem oppugnare consuevit.*

Addit tamen August. *serm. 17. de nativitate Domini. Adventus Christi in carnem, mulieris removit obbrobrium. Dominus noster nasci voluit de Virgine, ut salus per Virginem redderetur, denique, & quando Christus tertia die ab Inferis resurrexit, primum mulieres adorantes occurrunt, quibus, ideò jubetur resurrectionem Apostolis nuntiare, quasi ostenderet hominibus dicens, ecce per quam cecidistis in mortem, per ipsam vobis mortuorum resurrectio nunciatur; Mulier enim, ideò prior resurgentem vidisse monstratur, ut non perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret, & quæ culpam nobis trasfuderat, transfunderet & gratiam.*

Sed hæc potius quoad mores, & posita ad venerationem Patrum, quorum est Scripturæ intima penetrare, quantum verò spectat ad præsens.

A Mulier, & fæmina nominant sexum, sicut & masculus, & vir; aliquando certè masculus in Scriptura designat dignitatem, & eminentiam, & fæminam debet regere, ut *ex Gen. cap. 3.* habemus, & *Lev. 8. omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia sanctum sanctorum est,* & in sermonis divini usu, masculus solus rem perfectam firmam, & efficacem, & ex animi sententia succedentem designat. *Isa. 66. antequam veniret partus ejus peperit masculum, & Malach. 1. Maledictus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile,* idest fæminam. *Apoc. 12., & peperit Filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.*

B E converso verò fæmina seù mulier, inhabilem rebus magnis, & imbecillem, ac deterioris notæ rem significat, in ejusdem proprio sacri sermonis usu, ut *mulieres venientes, & docentes eam, non est enim populus sapiens. Isa. 27., & gladius ad omne vulgus, quod est in medio ejus, & erunt quasi mulieres. Hier. 50., & devoratum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres.*

7. Pater, generis initium est, & primus familiæ institutor. *Gen. 9. Cum ipse pater Canaan, & Gen. 17., & eris Pater multarum gentium,* hinc Pater dicitur auctor artis &c. ut supra in generatione.

Mater alterum generationis principium. *Gen. 3. & vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, eo quod mater sit cunctorum viventium. Significat amorem, pietatem, & sollicitudinem; Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Is. 66.*

C Urbes etiam in Scriptura dicuntur matres. *Isa. 23. Erubesce Sidon, non parturivi, & non peperi, & non nutrivi juvenes.*

Nuptiæ, & Sponsi, lætitiam signant. *Apoc. 18. non audietur in se vox Sponsi &c.*

Item tranquillitatem, & jocunditatem. *Hier. 25. Perdamque ex eis vocem Sponsi &c. Matth. 9. Numquid possunt Filii Sponsi lugere &c.*

Virgo, gentem nundum ab aliquo domitam, & subjugatam significat. *Is. 23. calumniam sustinens virgo filia Sidonis, in Chetim consurgens transfreta. Is. 37. subsannavit te virgo Filia Sion, & contrita est virgo filia populi mei. Amos 5. Revertere virgo Israel revertere, & virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. Apoc. 14. Virgines enim sunt, & sequuntur agnum &c.*

D Concipere, matrum est, sed in usu Scripturæ significat eas cogitationes, quæ magno studio suscipiuntur. *Job 4. conceptum sermonem retinere quis poterit. Psal. 7. concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Is. 33. concipietis ardorem, & parietis stipulam, & in epist. Jacobi c. 1. concupiscentia cum conceperit &c. parit peccatum.*

Parere, cum partus, dolores multos afferat; significat eventum sive bonum, sive malum, cum dolore, ut in textibus mox citatis. Et alibi, *ut parturiens loquar. Is. 26. peperimus spiritum salutis.* Significat quandoque liberationem; *Is. 66. antequam parturiret, peperit.*

Etiam difficultatem gravem. *Os. 13. dolores parturientis venient ei; Mich. 4. Filia Sion quasi parturiens. Mulier cum parit, tristitiam habet.*

Fi-

Filius primogenitus, carum, & amatum caput. A *Hier. 31. Quia factus Israel Pater, Ephraim primogenitus meus est.*

Filia gentem, aut nationem, addito aliquo explicante. *Sicut mater, sic filia ejus. Ezech. 16.*

Præstantissima, & fortissima res in omni genere dicitur primogenita. *Consumat brachia ejus. Primogenita mors. Job 27.* Ita Christus primogenitus mortuorum, quia in fortitudine sua è morte primus surrexit.

Puer infans, simplicitatem, & innocentiam morum. *Sicut modo geniti infantes. 1. Petri, 2., & Psal. 8. ex ore infantium &c. Is. 11. delectabitur infans ab ubere matris suæ, & primo Reg. 13. puer unius anni erat Saul, cum regnare cæpisset, & in actis Apost. adversus sanctum puerum Jesum. Act. cap. 4.*

B Puer etiam famulum, & familiarem ministrum. *Num. 11. cumque Prophetarent in castris cucurrit puer, & nunciavit Moysi. Jud. 7. Descendat tecum Phara puer tuus. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Hebr. 2.*

Puer insipientiam, quandoque, & imperfectionem. *1. Chor. 14. Nolite pueri effici sensibus. Is. 10., & puer scribet eos. Is. 11. Puer parvulus minabit eos.*

Juvenis. Floret ætate, non consilio, ad voluptatem inclinat, pro his ergo moribus sumitur in Scriptura. *Job 32. Junior sum tempore, vos autem antiquiores, propterea veritus sum vobis indicare meam sententiam. Prov. 20. exultatio juvenum, fortitudo eorum. Juvenes defecerunt de choro psallentium. Psal. 36. Junior fui etenim senui*, idest olim C imperitus, nunc expertus. Et tamquam mirabile scribitur *Joel 2. Juvenes vestri visiones videbunt*, & è converso; *Juvenes in infirmitate cadent. Isa. 40.* Quia juvenis, robur significat, & *Is. 42. laqueus juvenum omnes. Tren. 1. Et juvenes mei abierunt in captivitatem.*

Vir jam de hoc dictum est. Sed pro ætate specialiter significat robur, animique constantiam. *Hæc vocabitur virago*, (idest fortis) *quia de viro sumpta est, Gen. 2., & sub viri potestate eris. Gen. 3. Neque in tibiis viri beneplacitum erit ei, Psal. 146.*

Ita & præstantiam in aliqua facultate. *Gen. 6. Noe vir justus &c., & Math. 2 Joseph autem vir* D *ejus, cum esset justus &c.*

Senex. Virium minus, prudentiæ magis. Unde ad miraculum scribitur, *Gen. 21. Abrahæ seni jam emortuo natum filium. Exod. 6. vade, & congrega Seniores Israel. Levit. 19. Honora personam senis.*

Item pro longævo, & prospero. *Gen. 25., & mortuus est in senectute bona. Psal. 91. senectus mea in misericordia uberi, & non erit amplius infans dierum, & senex, qui non compleat dies suos. Is. 65. Zach. 7., & viri baculus in manu ejus, præ multitudine dierum.*

Pro prudentia. *Prov. 16. corona dignitatis senectus. Psal. 106., & in catedra seniorum laudent eum.* Et dignitas senum canities, & *Psal. 118. super senes intellexi.*

Pro debilitate. *Gen. 19., & Pater noster senex &c.*

CAPUT III.

CUM præsens appendix opusculum potissimum hominem concernat, quippe ad eum tota dirigitur Scriptura, quæ ut suavius procedat, & hominem doceat semetipsum, sæpius hominis meminit, quàm eorum, quæ ipsum concernunt, ideò attentius, ea hucusque tractavimus, quæ de ipso immediatius, & notabilius in Sacra Scriptura occurrunt, eo enim vel maximè, quòd inter homines, summus homo Deus dignatus est recenseri, immò & novissimum hominum apparere; & inter fæminas gloriatur natura, Virginem Immaculatam Dei Matrem venerari, quod ipsi necessarium erat, ut se defenderet, ne confunderetur cum natura peccatum, si nec unam posset ostendere, in qua pura natura esset, & nullo modo peccatum, ideò non ita cursim erat prælibandum, quod vel illum adumbrat, vel hanc exaltat. Ea igitur, quæ sequuntur, sicut assumpti nostri muneris est, etsi hominem, etiam intimè vel componant, vel sequantur, vel circumstant vix prelibabimus, non enim idem est meritum, & totius & partium, substantiæ, & accidentium, vel accedentium. Qui plura voluerit totum tomum secundum bibliæ regiæ apparatus; Salmeronem tom. primo in Evangelia, aliosque diligentissimos Doctores, quos alibi dedimus, adeat, perlustret, exhauriat, Nobis enim satis, ac suprà brevitatis, & instituti nostri vires est, quod præstare conamur. Hic igitur divisi hominis partes brevissimæ in Scriptura scrutamur, & cum partes hominis, vel artus dicantur, vel articuli, ne confundantur eum re, tituli, & capita, non in articulos, ut superius, sed potius in numeros identidem partiemur.

PARTES ESENTIALES.

1. ANima, etsi unica sit: *& à leonibus unicam meam. Psal. 34.* tamen agendi, patiendique facultate multiplex est.

Prout dat gradum corporis vegetativi, ac sensitivi, & in omnes correspondentes operationes inclinat, eodem nomine dicitur & de homine; & de cæteris animantibus.

Ut Gen. 1. qua ratione aliquando sumitur pro hominis individuo; *Exod. 1. omnes anima eorum, qui eggressi sunt de femore Jacob 70. Et Joseph nati sunt in Ægypto animæ duæ. Gen. 49., & Exod. 12. Juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Lev. 12. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quòd, occisum a bestia est.*

Non rarò anima significat vitam, qua homo vivit, respirat, & sentit, *Exodi 4. Mortui sunt omnes, qui quærebant animam tuam. Gen. 19. salva animam tuam, noli respicere post tergum. Psal. 127. anima nostra erepta est &c. Job 2. v. tuntamen animam illius serva. Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam &c. Joan. c. 15.*

Aliquando sumitur pro affectionibus ejusdem vitæ seù animæ. *Num.* 11. *Anima nostra arida est. Nihil aliud vident oculi nostri &c.* A

Num. 19. *Affligetis animas vestras*, sumitur pro jejunio.

Deut. 14. *Et vinum quoque, & Sicera, & omne, quod desiderat anima tua.*

Job 3. *Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt?*

Luc. 12., *& tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.*

Matth. 26. *tristis est anima mea usque ad mortem.*

Aliquando significat cogitationem, & desiderium, consilium, & arbitrium, ac propositum agendi seriò susceptum, ideoque ipsam mentem. *Gen.* 27. *affer mihi, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Gen.* 49. *In consilium eorum non veniat anima mea.* B

Psal. 105. *benedic anima mea Domin. Luc.* 1. *Magnificat anima mea Dominum.*

Sæpè etiam propriè anima ut immortalis, & quæ salvari potest, significatur. *Psal.* 120. *custodiat animam tuam Dominus.*

Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Heb. 6. *Quam sicut ancoram habemus animæ tutam.*

Jacobi. 1. *Suscipite insitum verbum, quod salvare potest animas vestras.*

1. *Petri.* 2. *Abstinete a carnalibus concupiscentiis, quæ militant adversus animam.*

Alterum animæ munus est, cogitare, & quæ ad cogitationem sequitur inclinatio voluntatis in aliquid. Quod latini dicimus animum, in quo amoris, & odii, & diligentiæ, aut negligentiæ vis est, & affectus. Sicque intelligunt Interpretes, cum ponitur animus in Scriptura: *Gen.* 27. *ambæ offenderunt animum Isaac, & Rebeccæ. Ex.* 35. *omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino. Jos.* 7. *ut pugnarent uno animo, eademque sententia. Prov.* 16. *qui dominatur animo suo, melior est expugnatore urbium.* C

Eadem anima, ut deliberato studio aliquid agit, intendit, cupit, dicitur mens a latinis Interpretibus. *Ex.* 35. *Obtulerunt mente promptissima. Lev.* 26. *Incircumcisam mentem.*

Num. 32. *Quarè subvertitis mentem filiorum Israel?* D

Prov. 15. *secura mens, quasi juge convivium.* Hanc latini dicunt conscientiam.

Et non recogitavit in mente sua. Is. 44.

Propter quod succinti lumbos mentis. Prima Petri cap. 1.

Quandoque mens pro memoria. *Annos æternos in mente habui. Psal.* 76.

In mente habe, qualiter acceperis, & audieris, & serva. Ap. 3.

SPIRITUS.

1. Eadem etiam anima prout immortalis, & rationalis est. Spiritus dicitur, ut ejus magna dignitas exprimitur; ea enim, quæ suprema est creatura, spiritus dicitur. *Ps.* 103. *Qui facit Angelos suos spiritus*, & de hominis anima scriptum est. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam. Psal.* 145. *& Eccl.* 12. *spiritus redeat ad eum, qui dedit illum, & Dan.* 3. *benedicite spiritus, & animæ justorum Domino.*

Impropriè tamen etiam anima irrationalium dicitur spiritus, ni fortè sumatur spiritus pro respiratione, quod ferè in idem recidit. *Psal.* 103. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & revertentur in terram suam*, & *Ps.* 150. magis generaliter. *Omnis spiritus laudet Dominum.*

Frequentius tamen immò frequentissimè ponitur spiritus pro facultate, & virtute ad aliquid agendum, & pro vehementi aliqua affectione, aut perturbatione; cum ipsum nomen spiritus vehementem efficacitatem, & motum significet, ex analogia ad ventum, qui nec quiescit, nec alia finit quiescere. Similis enim efficacitas quandoque inest hominibus. *Job* 32. *Sed ut video spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam:* immò omnis singularis virtus, spiritus dicitur. *Gen.* 41. *num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?*

Exod. 28. *& loqueris cum sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ. Et Josuè filius nunc repletus est spiritu sapientiæ. Deut.* 34. *& Prov.* 1. *proferam vobis spiritum meum. Num.* 27. *Deus spirituum omnis carnis.*

Ponitur etiam pro animo, & consilio. *Jos.* 5. *Non remansit in eis spiritus. Ps.* 54. *a pusillanimitate spiritus, & tempestate. Job.* 7. *& loquar in tribulatione spiritus mei.*

Prov. 16. *& spirituum ponderator est Dominus. Et in Ev. Lucæ c.* 19. *Nescitis cujus spiritus estis.*

Item pro indignatione nimia, vel alio affectu. *Jud.* 8. *& requievit spiritus eorum, quo intumebant contra eum.* Ita & spiritus zelotipiæ dicitur. *Num.* 5. *& Ps.* 105. *& exacerbaverunt spiritum ejus. Eccl.* 1. *vanitas, & afflictio spiritus. Psal.* 105. *anxiatus est super me spiritus meus.*

Pro efficacitate, & virtute, absolutè sine addito. *Ps.* 138. *quo ibo a spiritu tuo*, sed melius intelligitur pro respiratione, vel indignatione, etiam hoc loco. Sicut etiam *Job* 17. *Spiritus meus attenuabitur.*

Sumitur frequenter pro Spiritu Sancto nomen Spiritus *c.* 8. *ad Roma.* decies septies replicatur, & semper accipitur pro Spiritu Sancto, præterquam cum ait expressè, *spiritui nostro, quoniam spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*

Ibi, *siquis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, & post pauca, *spiritus autem vivit propter justificationem*, vivit, idest vivere facit, ut explic. Ambr. & Aug. videatur totum illud caput.

Pro pluribus stat regula Hieronymi in c. 2. Micheæ ubi sic, *spiritus tam in novo, quam in veteri Testamento, ubicumque sine additamento ponitur, in bonam partem accipitur. Ad Gal.* 2. *fructus au-*

tem

rem spiritus, charitas, gaudium, pax, & totum cit. cap. ad Rom. & *If. c. 48. dans flatum populo, qui est in ea, & spiritum &c.* Idque ostendit ex eo, quod quando spiritus sonat in malum, semper ponitur cum addito, id innuente. *Pr. Regum 16. spiritus malus invasit Saul. Mat. c. 12. cum autem malus spiritus exierit ab homine*, vel saltem ex contextu aperte cognoscitur.

De significatione in Sacra Scriptura hujus nominis spiritus tractat August. copiosè 13. de Civit. Dei, ipseque, & Origen. eandem statuunt regulam, quam ex Hieronymo adduximus. Cui tamen Driedo l. 3. de regulis, & dogmatibus addit, recurrendum simul ad considerationem contextus, nam & quibusdam in locis spiritus absolute positus non Spiritum Sanctum, sed aut animam, aut flatum, sive impetum significat, sicut & nos supra.

DE CORPORE.

3. INferior hominis pars corpus, sensibili, crassaque constans terrestreitate, indeque caduca, & gravis, & nisi animæ vi sustentetur labens, multis constat membris, quæ capitis vigore, ac facultate reguntur, cujus debilitate, ac pondere, anima ipsa laborat. *Sap. 9. corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.*

Aliquando sumitur in Scriptura corpus pro toto homine inferiori, sive pro inferiori ejus parte, secundum quam non solum carne, & membris, sed & sensibus internis, externisque, ac rationi reluctante constat appetitu. *Rom. 7. infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Rom. 6. Mortuus est Christus, ut destruatur corpus peccati. Rom. 8. si Christus in vobis, corpus quidem mortuum est.

Sæpissimè sumitur corpus pro mystico, scilicet pro Ecclesia, quo modo, etsi intelligatur de corpore mystico, sensum tamen reddit litteralem. *Rom. 12. Multi unum corpus sumus in Christo. 1. Chor. 12. Non sit scisma in corpore, sed pro invicem sollicita sint membra.*

Ponitur etiam pro vera realique existentia. *Colos. 2. In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Quoad corpus tamen, & corporalia, sive membra, sive effectus cum Deo attribuuntur in Scriptura, valdè vigilandum est, admonent communiter Patres. Addit verò August. *l. contra Adamantium c. 7. Sacra Scriptura verbis nostris loquens, etiam per hæc verba demonstrat, nihil digne de Deo posse dici. Cur enim non etiam verba ista dicantur de illa majestate, de qua quidquid dicitur, indignè dicitur, qua omnes opes linguarum omnium ineffabili sublimitate præcedit?* Explicat autem idem Aug. l. de essentia divinitatis omnes hujusmodi metaphoras.

DE PARTIBUS CORPORIS.

4. COrporis autem plures sunt partes, quarum duo sunt genera, aliæ homogeneæ, aliæ etcrogeneæ. Homogeneæ ut caro, & ossa, quæ

A in aliis æterogeneis reperiuntur. Sed hæc utraque pars aliquando, carnis nomine noncupatur. *Isaiæ 31. Equi eorum caro, & non spiritus.*

Pluries tamen diversimodè, & salva earum oppositione utitur illarum significatione Scriptura. Nam ex, quod caro mollis, & debilis est, ponitur pro fragilitate, & caducitate.

Job 6. Neque caro mea ænea est.

Job 19. Pelle, & carnibus vestisti me, & Job 19. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.

Ps. 55. Non timebo, quid faciat mihi caro.

Ps. 77. Recordatus est, quia caro sunt, & Job 10. Numquid oculi carnei tibi sunt, & 1. Paralip. 31. cum illo est brachium carneum, nobiscum Deus noster.

B Pro mollitudine, etiam duritiæ contraria, scilicet pro facilitate spiritus. *Ezech. 11. & 36. Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum.*

Pudenda etiam dicuntur caro, sicut & ipsa peccati confusio. *Ezech. 16. Exfornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis, magnarum carnium.* Ejusdem 44. *Incircumcisos carne.*

Carnes quandoque dicuntur homines, unde carnes in olla, habitatores urbis intelligimus. *Ezech. 24. consumentur carnes, & coquetur universa compositio. Mat. 24. Nisi abbreviarentur dies illi non fieret salva omnis caro. Mar. 10. Erunt duo in carne una, itaque non sunt duo, sed una caro. Luc. 3. & videbit omnis caro salutare Dei.*

Caro sonat pluries in malum; signatque humanam audaciam, & corruptelam, divinæ oppositam

C legi. *1. Cor. 1. Non multi sapientes secundum carnem. Gal. 6. Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Gen. 6. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Apost. ad Gal. 6. & Eph. 2. conversati sumus in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis.*

Caro, & sanguis homo dicitur, vel humanæ prudentiæ, aut sapientiæ consilium, non illustratum divino spiritu. *Gal. 1. continuo non acquievi carni, & sanguini. Math. 16. caro, & sanguis non revelavit tibi. 2. Cor. 1. numquid quæ cogito, secundum carnem cogito*, hinc dicta est sapientia carnis, quæ inimica est Deo, & *Jo. 1. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis &c.* hinc

D Carnales homines dicuntur, qui nondum immutati sunt divino spiritu. *1. Cor. 3. Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. 1. Petr. 2. Ego autem Fratres non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, adhuc enim carnales estis, Abstinete a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, Jud. ep. odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

Carnale aliquando idem ac humanum, & non in malum, *1. Cor. 9. si nos spiritualia vobis ministramus, magnum est si carnalia vestra metamus. 1. Eph. 6. Servi obedite Dominis carnalibus. Esther. c. 14. carnalis Rex* dicitur.

Ex his, quæ superius identidem dicta sunt, & quæ infra dicentur, plura colligere poteris huc etiam spectantia; Aliquando enim caro accipitur pro humana natura, & non in malum, nec cum

 pecca-

peccato. Ut *Jo. 1. & Verbum caro factum est.*

Sicut, & quandoque significat consanguinitatem. *Caro, & Frater noster est. Gen. c. 37.* & alibi sæpè.

SANGUIS.

5. PArs est corporis animalis, in qua residet vita corporalis; *Lev. 17. Quia anima omnis carnis, in sanguine est*; hinc sæpè sumitur sanguis pro vita, unde in Lev. ibidem, *& ego dedi illum vobis, ut expietis super altare in eo, pro animabus vestris.*

Hinc, qui vitam hanc mortalem eripit, dicitur reus sanguinis, ipsumque homicidium, sanguis dicitur. *Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui Abel, & Gen. 9. quicunque effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius. Osea 4. & sanguis sanguinem tetigit. Math. 23. si essemus in diebus eorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.*

Dicitur etiam pro calumnia, & omni alia iniquitate, quæ vel occidit animam, vel meretur pœnam mortis. *Is. 1. Manus vestræ sanguine plenæ sunt, & Is. 33. qui obturat aures suas ne audiat sanguinem. Zach. 9. Auferam sanguinem ejus, de ore ejus.*

Significat quandoque pactum, more antiquo initum, scilicet per mactationem, & divisionem victimæ; immò etiam emundationem, quæ fiebat per aspersionem sanguinis. *Tu autem in sanguine testamenti, eduxisti vinctos tuos de lacu. Zach. 9. & Apost. ad Hebr. 9. si cinis vitulæ, & sanguinis aspersi sanctificat ad emendationem carnis, quanto magis sanguis Christi.*

Sanguines in plurali, pro omni iniquitate ponitur, ut alibi notavimus. *Ps. 50. Libera me de sanguinibus &c.*

ADEPS, ET PINGUEDO.

6. SIgnificat abundantiam, saturitatem, suavitatem, & prosperum rerum usum. *Dan. 32. cum adipe agnorum, & arietum Filiorum Basan, & de quorum victimis comedebant adipes. Ps. 62. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & Ps. 147. Adipe frumenti satiat te.*

Etiam stat pro exuberantia, quandoque in bonam, quandoque in malam partem. *Ps. 16. Adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.*

Ps. 72. prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in &c.

Item & pinguedo, ubertatem. *Gen. 41. septem boves pulcræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt.*

Divitias etiam, & gloriam. *Is. 17. & erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marcescet. Ps. 77. & occidit pingues eorum.*

Et consolationem etiam spiritualem. *Psal. 64. Pinguescent speciosa deserti.*

Dominium etiam, & ejus protestationem: *omnis adeps Domini erit. Levit. c. 3.*

OSSA.

FIrmissima corporis pars, quibus fragiliora fulciuntur, & destructis eis, supersunt, corporisque quoddam servant substantiale delineamentum. Ideò Gen. 50. Joseph ossa sua ex Ægypto asportari in terram promissionis mandavit. Et quia caro ablata succrescit, ac pullulat, ossa verò non, ideò personam magis præseferunt, quæ non mutatur, quia certam continent naturam; Hinc in sermonis arcani usu, plura significant.

Primò consanguinitatis, & generis communionem. *Gen. 2. Hoc nunc os, ex ossibus meis, & caro de carne mea. Gen. 29. os meum es, & caro mea. Et os enim, & caro tua sumus.* Adeoque hoc prævalet, ut nomen, ossis apud Hebr. idem significet, ac pronom. ipse, & ipsemet, ac idipsum.

Ossa, laboris, & quietis subjectum sunt. *Psal. 34. Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi. Js. 66. Ossa vestra, quasi herba germinabunt. Hier. 23. contremuerunt omnia ossa mea, Tren. 1. de excelso misit ignem in ossibus meis.*

Robur, & integritatem virium, vel eorum defectum in oppositum. *Ps. 37. Non est pax ossibus meis a facie iræ tuæ. Job. 33. Omnia ossa ejus marcescent. Conturbata sunt ossa mea. Ps. 6. Job 40. Ossa ejus, quasi fistulæ æris. Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto. Ps. 138.*

Ossa medullata sanitatem, & consist., & è contra, si vacua, quia ossa medullis irrigantur. *Prov. 3. medullis ossa ejus irrigantur. Prov. 15. sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. Prov. 14. fama bona impinguat ossa. Prov. 17. putredo ossium invidia. Tren. 3. spiritus tristis exsiccat ossa.*

Ossa confracta, extremam calamitatem. Ossa mortuorum immunditiam, & corruptionem. Hinc *Math. 23. hypocritas assimilat Christus sepulcris dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum.*

COMPAGES, ET MEDULLÆ.

PEnitissima quæque rerum abscondita significant. Hinc *Verbum Dei penetrabilius omni gladio, pertingens usque ad divisionem animæ &c. compagum quoque, ac medullarum.*

Etiam quandoque Principes regni, vel urbis. *Ezech. 24. congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur, & armum, electa, & ossibus plena. Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea.*

Scrutare campum Ezechielis &c. *Ossa ista Domus Israel &c.*

NERVI.

HIS corporis actus colligantur, ut motui deserviant, ideò læso nervo vitiatur motus. *Gen. 32. tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit. Ipse verò claudicavit pede.* Mirabile Dei indicant opificium in homine. *Job. 10. ossibus & nervis*

nervis compegisti me. Eorum usus, vitam signific. *Ezech. 37. Dabo super vos nervos. Et vidi, & ecce super ea nervi.*

CUTIS.

MEmbra vestit, & defendit, carne durior, in ea pulcritudo, & signa morbi, ut in lepra. Gen. 13. toto illo c. Cutis, vitia, consuetudinem vitiosam, aliosque contactu maculantem, signific. illo capite.

Debilitatem, famemque, emaciata signific. *Job 7. cutis mea aruit, & contracta est. Job 18. devoret pulchritudinem cutis illius. Tren. 4., & cutis mea denigrata est*, & pro fame quasi adagium. *Adhæsit cutis eorum ossibus. Tren. 4.*

Integra, rerum integritatem, statum, & decorem. *Dan. 2. comminuet cutem, & consumet universa regna.*

ETÆROGENEÆ PARTES, ET PRIMO CAPUT.

7. EX eo, uti primo, in cætera membra vis distribuitur, est veluti quædam arx, in qua præcipua virtus, gubernatioque residet. In ea integra sensuum sedes, & communicatio, cogitationum, & deliberationum conventus, & consiliorum postrema absolutio, utque situ primum, sic natura summum membrum est.

Hinc in sacrificiis manuum impositiones super capita hostiarum, & in ministrorum consecrationibus frequentissimæ sunt, nec carent significatione. *Exodi 29. & fundens oleum super caput ejus. Pones tiaram in capite, & imponet manum super caput victimæ.*

Omnium rerum principium designat. *In capite libri scriptum est de me. Psal. 39. lapidem quem reprobaverunt ædificationes, factus est in caput anguli. Ps. 117. caput circuitus eorum labor labiorum ipsorum. Et prov. 5. In capite turbarum clamitat. Gen. 47., & conversus ad lectuli caput.*

Principem in negotio, vel regno, vel consilio, vel alia quacumque ratione, caput dicit Scriptura. *Is. 7. caput Siriæ Damascus, caput Damasci Rasin, & Is. 9. disperdet Dominus de Israel caput, & caudam; incurvantem, & refrenantem. Deut. 28. longævus, & honorabilis ipse est caput. Is. 17. & constituet te Dominus in caput, & non in caudam. Ps. 17. constituit me in caput gentium.*

Caput pro persona ipsa. *Gen. 49. fiant in capite Joseph, & in vertice Nazarei. Psal. 7., & dolor ejus in caput ejus. Psal. 3. gloria mea, & exaltans caput meum. Prov. 1. addatur gratia capiti tuo. Prov. 10. benedictio Domini super caput justi.*

Pro principe. *Hier. 48. Devorabit partem Moab, & verticem filiorum tumultus.*

Consilium, & cogitationem studiosè initam. *Gen. 3. ipsa conteret caput tuum.*

Caput etiam pro animo, & sensu, & mente ponitur, immò, & pro qualitatibus sensus interni, aut pro externi operatione, quia in eo sensuum organa sunt, & est præcipua sedes animæ operan-

A tis. *Daniel 7. visiones capitis tui in cubili tuo, & ibidem. visiones capitis mei conturbabant me. Luca c. 21. respicite, & levate capita vestra.*

FRONS.

PUdoris verecundi, & modestiæ locus præcipuus, si hæc absint, impudentiæ, & improbitatis magnæ est argumentum. *Ezech. 3. Domus Israel attrita fronte est.*

Durities frontis, aliquando constantiam, aliquando perversitatem significat, *ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

Professio, & studium in fronte dignoscitur. Ideò *Ap. 9. donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*, & Ap. 7. præcipitur, ne lædantur,
B nisi qui non habet signum Dei in frontibus suis. Superbus Goliath in fronte percussus a David lapide, quem jecit in nomine Domini, ipseque infixus est in fronte ejus, qui dura meditabatur in populum Domini. 1. Reg. c. 17.

Frons etiam ponitur pro omni eo: quod primò apparet in omni opere etiam artificiali. Ezech. c. 40., & alibi sæpè.

COLLUM. CERVIX.

COllum unit cætera membra, cum capite; libertatem in Sacris litteris, vel servitutem, secundum quod ei additur expressio, significat. Vario enim rerum genere oneratur, vel deturpatur,
C ut torque, vel jugo. Ut infrà.

Amplexui etiam, & amori exprimendo. *Gen. 33., & amplexatus est eum, & stringens collum ejus. & cap. 41., & collo torquem auream circumposuit, & Jud. 5., & suppellex varia ad ornanda colla congeritur.*

Ad servitutem. *Deut. 33. negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis. Jos. 10. ponite pedes vestros, super colla Regum istorum.*

Superbiam. Extensio ejus significat, & arrogantiam. *Is. 3. extento collo &c.* Filiab. Israel exprobrat Isaias.

Urbem aliquam regiam, & cæteris præstantiorem. *Is. 8., & ibit per Judam inundans, & transiens usque ad collum veniet, & spiritus ejus usque ad collum ejus.* Idem de cervice observatur.

D Excussio jugi de cervicibus, libertatem. *Gen. 27. tempusque erit, cum excuties jugum ejus de cervicibus suis.*

Pertinaciam, & perversitatem, dura cervix significat. Phrasis est usitata in Scriptura. *Act. 7. dura cervice, & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Superbiam, & malitiam. *Psal. 128. Dominus concidit cervices peccatorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

Habitum peccati. *Job 15., & pingui cervice armatus est.*

Laborem etiam indicat, quia in cervice radix verborum est. *Tren. c. 3. cervicibus nostris minabamus, lapsis non dabatur requies.*

PECTUS.

A

PECTUS.

QUia cogitationum officina est, ideò in sacrificiis mysticè postulatur. Et Aaron jubetur insigne judicii super pectus gestare. Scripturæ valdè proprium est per pectus, cogitationes, & consiliorum inceptiones significare. *Gen. 3. super pectus tuum gradieris, Esth. 15. & cum elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset.*

VISCERA.

AFfectibus valdè commoventur. *Gen. 41. commota sunt viscera ejus.*

Pro corde, & intellectu aliquando hoc nomen ponitur. *Job 38. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? Ps. 51., & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Sæpissimè affectum, cogitationem, & amorem. *Is. 16. viscera mea ad murum cocti lateris. Et multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum super me, continuit se. 2. Cor. 7. & viscera ejus abundantius in vobis sunt, & Luca c. 1. per viscera misericordiæ Dei nostri.*

Pro securitate ponitur. Apost. *ad Philamonem, consolationem habeo, quia viscera Sanctorum in te requiescunt.*

Pro magna calamitate, effusio viscerum. *Job. c. 16. effudit in terra viscera mea.*

COR.

COgitationum, & affectuum fons est, & studiorum obtinet significationem. *Mat. 6. ubi thesaurus vester est, ibi, & cor vestrum erit.*

Mentem, & intellectum signif. *Rom. 1. obscuratum est insipiens cor eorum. Is. 10. Ipse autem non sic arbitratur, & cor ejus non sic existimabit.*

Fortitudinem, etiam, & spiritum. *Is. 7. cor tuum non formidet: Hier. 48. erit cor fortium Moab. in medio eorum, sicut cor mulieris.*

Superbiam. Cor magnum. *Hier. 10. visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur.*

Cor durum, pertinaciam, & obstinationem in malo, apud Prophetas signif. *Hier. 9. abierunt post pravitatem cordis sui. Omnis autem domus Israel incircumcisi corde.*

Cor, & ossa, lętitiæ, & quietis, & oppos. sedes sunt. *Is. 66. videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra germinabunt, quasi herba.*

Quia cor prima sedes vitæ est, & simul in eo appetitus quivis radicem habet, ideò infinitis locis pro vita ponitur, sicut & pro genio; odio, amore, timore, omnique affectu, & pro tota anima usurpatur.

INTESTINA.

IDem apud hebr. ac viscera signific. ideò vide supra.

BRACHIA.

INter cætera membra, vim, & usum habent præcipuum, a pectore robur, a cerebro motum per collum, spiritus autem a vicino corde hauriunt. Hinc ad usum divini sermonis.

Robur, & fortitudinem signific. *Exod. 6. redimam eos in brachio excelso, & deduxit te Dominus in manu forti, & in brachio extento. Ps. 70. donec annunciem brachium tuum, generationi omni, quæ futura est, & tuum brachium, cum potentia, & Is. 52. & salvavit sibi brachium meum, & indignatio mea &c. Is. 51. brachia mea populos judicabunt.*

Auxilium, & societatem. *Ezech. 31. brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum.*

B

Brachium pro omni operatione. *Cantic. 8. Pone me ut signaculum super brachium tuum. Memorare Dei tui in omni opere tuo.*

Pro comminatione. *Is. c. 30. & terrentem brachii sui ostendet in comminatione furoris.*

MANUS.

ORganum organorum, soli homini data, ut variis ejus inserviat cogitationibus, & operationibus.

Ministerium cordis, manus significat. *Is. 15. Omnis manus dissolvetur, & omne cor contabescet.*

Amicitiam, & societatem. *Ezech. 17. ecce dedit manum suam.*

C

Potentiam, & violentiam. *Ezech. 18. a pauperis injuria avertit manum.*

Opera, & actiones. *Ps. 72. lavabo inter innocentes manus meas, & secundum puritatem manuum mearum, & Ps. 24. Innocens manibus, & mundo corde.*

Etiam imperium. *Ps. 89. & ponam in mari manum ejus.*

Manus Domini bona. Gratiam, & auxilium, *& dedit ei Rex secundum manum Domini bonam super eum. Esd. 7. & venit in Hierusalem juxta manum Domini bonam super se.*

Alias, manus Domini, tribulationem & pœnam signific. *Job. 1. extende paululum manum tuam. Job. 2. alioqui mitte manum tuam. Job. 19. Manus Domini tetigit me.*

D

Omnem etiam efficientiam. *Ps. 62. tradentur in manus gladii.*

Rapiendi etiam facultatem, vel promptitudinem. *Eccl. 42. Ubi manus multæ sunt, claude.*

Manus pro persona, & officio. *Malach. 1. Ad Israel in manu Malachiæ*, immò, & pro visione. *Osea c. 12. & in manibus Prophetarum assimilatus sum.*

Conscientiam signific. & memoriam. *Ps. 118. anima mea in manibus meis semper.*

Item & periculum; quod in manu fertur, patet violentiæ, & rapinæ, ideò ponere animam suam in manibus suis, est se morti exponere pro alio, sæpè occurrit in Scriptura; Phrasis ejus est, de qua alibi supra.

Pro-

Prophetiæ spiritum, & vim. *Facta est super Elisæum manus Domini, & prophetavit* 4. *Reg. c.* 3.

Manus pro exercitu, quia per exercitum Princeps operatur. *Act. c.* 12. *Misit Herodes Rex manus.*

Manus Dei pro Filio Dei, quia omnia per ipsum facta sunt, *mitte manum tuam de alto. Psal.* 143.

DEXTERA.

INdicat agentem, & præcipuum in opere. E contra sinistra, cum ejus in agendo, nihil interest in opere. *Math.* 6. *Nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua.*

Is. 44. *nec dicet fortè mendacium est in dextera mea. Is.* 63. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem ejus gentes. Psal.* 17. *qui eduxit ad dexteram Moys. Psal.* 116. *& dextera tua suscepit me. Ps.* 16. *a resistentibus dexteræ tuæ. Ps.* 20. *dextera tua inveniat omnes inimicos tuos. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Dextera Domini fecit virtutem. Psal.* 117. Solium regni, & Dominium. *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis. Ps.* 109. Gratiam & tutelam Dei, ac salutem. Ideò *Mat.* 25. *dicet his, qui a dextris erunt*, è contra sinistra reprobationem. *Hædos autem a sinistris.*

Auxilii vim. *Tren.* 2. *Avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici.*

Consilium rectum. *Eccl.* 10. *cor sapientis in dextera ejus*, è contra sinistra.

SINISTRA.

INepta ad opera, apta ad onera, fortis ad comprehendendum. *Jud.* 5. *dextera malleum, sinistra clavum &c.* & 7. Gedeonis milites, sinistris lampades, dextris tubas tenuerunt. Inferior est in omni argumento. Hinc *Gen.* 49. *Jacob dexteram super caput Ephraim minoris, sinistram super caput Manasse posuit, dicens frater ejus minor, major erit illo.* Hinc pro inferiori nota in Scripturis ponitur. *Non declines ab ea ad dextram, nec ad sinistram.*

Signif. errorem: *cor stulti in sinistra ejus, supra Ecclesi. c.* 10.

Ut dextera meridiem, ita sinistra septemtrionem signific. *Job* 23. *si ad sinistram, quid agam, non apprehendam eum. Is.* 54. *Ad dextram enim, & lævam penetrabis.*

Pro secundis, & adversis rebus ponitur dextera, & sinistra. 1. *Cho.* 6. *a dextris, & a sinistris.*

Ultimum excidium signific. Ideò *Ap. c.* 10. *Angelus pedem sinistrum ponens super terram, juravit, quod non erit amplius tempus.*

In bonum etiam accipitur. *Prov. c.* 3. de sapientia. *Longitudo dierum in dextera illius, & in sinistra illius divitiæ, & gloria.*

VENTER.

IN omni animali ea pars dicitur, quæ alimento conquoquendo destinatur, & in se animalia

A continet membra, ut Iecur, intestina &c., & generationi ministrat. Hinc in sacro sermone, pro saturitate etiam morali ponitur, & pro avaritia. *Job* 20. *non est satiatus venter ejus. Et utinam adimpleatur venter ejus. Ps.* 16. *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Prover.* 13. *justus comedit, & replet animam suam. Venter autem impiorum insaturabilis.*

Pro generatione seù descendentia. *Gen.* 25. *duo populi ex ventre tuo dividentur. Gen.* 10. *Numqu. ego Deus sum, qui privavi te fructu ventris tui? Benedictus fructus ventris tui.*

Pro affectibus, & pro visceribus &c., quæ sedes sunt perturbationum. *Prov.* 20. *livor vulneram abstergit mala, & plaga in interioribus ventris. Cant.*

B 5., *& venter meus intremuit ad tactum ejus. Is.* 16. *& venter meus Moab, quasi cithara sonabit.*

Ps. 30. *conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.*

Joan. 7. *qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent &c.* quod scatet mysteriis.

Apoc. 10. *Et amaricatus est venter meus.*

Quandoque voluptatem signific. *Philip.* 3. *quorum Deus venter est. Esca ventri, & venter escis &c.*

VMBILICVS.

IN sacro sermone sumitur pro firmissimo, & uberimo loco. *Ezec.* 38., *& super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere cæpit, &*

C *esse habitator umbilici terrarum.*

Etiam perfectionem significat innocentiæ. *Cant.* 7. *Vmbilicus tuus, sicut crater tornatilis.*

TERGVM.

OBlivionem, negligentiam, fraudem, & perversitatem. *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Isa.* 38. *verterunt ad me tergum, & non faciem.*

Occultam actionem. *Colligebat spicas post terga metentium Ruth. c.* 2.

Fugam etiam. *Gen.* 14. *Rex Sodomæ &c. terga verterunt. Et Jos.* 7. *Terga vertentes percussi sunt.*

Ire post tergum, est aliquem sequi, ut ducem. *Is.* 59., *& aversi sumus, ne iremus post tergum Do-*

D *mini. Sophon.* 1. *Qui averterunt de post tergum Domini, & qui non quæsierunt.*

Erubescentiam notat, clamare post tergum alterius. 3. *Reg. c.* 17. de Elia, *clamavit post tergum ejus.*

DORSVM.

FErendo tantum inservit, ideò pro patientia ponitur, & pro castigatione. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Ps.* 128.

Pro tribulatione dicitur. *Nahum* 1. *conteram virgam ejus de dorso, & Rom.* 11. *dorsum eorum semper incurva.*

Scapula eodem modo, ac tergum, & dorsum.

Insuper

Insuper protectionem. *Ps. 90. scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.* A

UBERA.

TErræ fertilitatem, ac pecorum copiam, quia lacte continuo manant. *Isa. 32. super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili.*

Integra, Virginitatem, & morum integritatem, Compressa corruptionem, officii violationem, & religionis contaminationem. *Ezech. 23. subacta sunt ubera earum, & compressæ mammæ earum.*

Inter ubera collocari, amoris signum maximum ex cordis propinquitate. *Cantic. 1. inter ubera mea commorabitur.* B

JECUR.

AMoris sedes, & impotentium affectuum; & hunc sensum habet in Scriptura. *Prov. 7. donec transeat sagitta jecur ejus. Tren. 2. effusum est in terra jecur meum, super contritione filiæ populi mei*, nempe pro dolore &c. Hinc *Lev. cap. 2.*, & 3. frequ. mentio in ritibus sacrificiorum. De Jecoris reticulo flammis inurendo.

LUMBI.

PRima generationis officina, ponitur pro successione ob insignem modestiam sermonis arcani. *Job c. 16. convulneravit lumbos meos.* C

Ezech. c. 21. Ingemuit in contritione lumborum, sæpè clarius id invenies.

Ob eandem rationem ponitur pro tentatione, & concupiscentia. *Psal. 37. quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.*

Lumbos præcingere, velocitatem, seu celeritatem notat, quia sic succinctus molitiem comprimit, quæ otium causat. Id frequentissimè in Scriptura. *3. Reg. cap. 18. accinctisque lumbis currebat ante Achab.*

Cingulum lumborum, justitiam. *Lucæ 12. Sint lumbi vestri præcincti.*

RENES.

COgitationes animales, & similia consilia. *Hier. 12. prope es tu ori eorum, & longè a renibus ipsorum. Hier. 17. Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Psal. 15. insuper, & usque ad noctem increpuerunt me renes mei. Ps. 138. Quia tu possedisti renes meos.* D

CRURA.

HIs fulcitur, hisque movetur corpus; ideò motum, & fortitudinem significat. sed revelata, celeritatem ad longum iter. *Is. 47. revela crura, transf. flumina.*

PEDES.

EXtrema pars, qua corpus continetur, movetur, & quiescit, signific. fundamentum in omni alia re. Ligati captivitatem, soluti libertatem. Psal. 9. 17. 25. 30. Impositi alicui victoriam, & dominium. Jos. 10. Ps. 46. Ps. 110. Heb. c. 10. inimicos scabellum. Persistentes, fortitudinem. Ps. 39. 55. Ezech. 2. 3. Actionem, & vitæ consuetudinem. *Psal. 72. mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Prov. 1. Prohibe pedem tuum a semitis eorum. Psal. 13. veloces pedes eorum ad effundend. sanguinem. Prov. 3. custodi pedem tuum ingrediens Domum Dei, & Ps. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ponitur etiam pes pro mensura. Videbim. alibi. In cœlo sedet Deus, & pedibus terram calcat, *cœlum mihi sedes, & terra scabellum pedibus meis. Is. 66., & Ps. 17., & caligo sub pedibus ejus.*

Commoditatem, vel occasionem. *Matth. 18. si pes tuus scandalizat te &c.*

Pro extremo orbis imperio, scilicet Rom. ponitur pes. *Dan. 2.* Pedes alterius apprehendere, subjectionem, *Reg. 4. apprehendit pedes ejus. Mat. 28. procedit ad pedes ejus.*

ARMUS.

SAcerdotem, & Principem. *Ezech. 24. Congere frusta ejus, pectus, & armum.*

Omnem partem ejus, armum, & pectus, electa, & ossibus plena.

CALCANEUS.

REum, & negotiorum finem. *Ps. 49. Iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

Infirmitatem humanæ naturæ. *Ps. 55. Ipsi calcaneum meum observabunt.* Mysticè, *Gen. 3.*

DIGITUS.

OMni membro magis articulatus, ideò habilis ad plura.

Efficacitatem. *Exodi 8. digitus Dei est hic; Luc. 11. Si ego in digito Dei &c.*

Opera exigua, unus digitus. *Digito suo nolunt ea movere. Matth. 23.* Est & mensura &c.

LINGUA.

AD vocem, & gustum animanti datur.

Locutionem significat, & orationem ipsam. *Job 5. A flagello linguæ, & 20. occidet eum lingua viperæ.*

Ignota captivitatem. *Hier. 5. Gentem, cujus ignorabis linguam, & Psal. 74. de Joseph.* Idem, quandoque quod ora, vel littus. *Jos. 15. a summitate maris salsissimi, & a lingua ejus.*

DEN-

A

DENTES.

AD cibum conterendum, & oris ornamentum dantur.

Fortitudinem, & è contra. *Prov. 15. dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.*

Risum dentium dixit Sapiens. Eccl. 19.

Ex translatione, crudelitatem, & nocendi facultatem. *Prov. 30. pro dentibus gladios habet, ut comedat Inopes. Psal. 34. frenduerunt super me dentibus. Ps. 35. dentes eorum arma, & sagitta.*

SPUTUM.

COntumeliæ genus. *Job 30. faciem meam conspuere non verentur. Marc. 10., & Is. 50.*

CAPILLUS.

OPerimentum capitis, & gloria mulieris. *pr. Chor. 11. Mulier si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli ei ad velamen dati sunt.*

In arcano sermone multitudinem signific. *Psal. 39. multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.*

Signific. etiam virilem ætatem. *Luc. 21. non cadet capillus ejus &c.*

Ætatem etiam signific. Math. 5.

NARES.

AD ornamentum, & respirationem. *Spiritus in naribus vitam*, signific. *Isa. 2.* Item ad odorem.

Indignationem signific. *Job 41. de naribus ejus fumus.*

Circulus in naribus servitutem; ut jumenta domantur. *Job. 40. pones circulum in naribus ejus. Ps. 37. ponam &c.*

Nares latæ, & magnæ longanimitatem, & patientiam Deus hebraice latis naribus dicitur, & naris nomine apud Hebræos. Ita designatur semper; prudens latis, insipiens angustis apud Hebræos describitur.

LABIA.

ORI gratiam conferunt, & ad verborum usum dantur.

Composita rectum, distorta obliquum sonum mittunt. *Exod. 6. non scio loqui, quia incircumcisus labiis sum.*

Signific. linguam vel dialect. *Gen. 11. erat terra labii unius, ibi confusum est labium universæ terræ.*

Ponitur pro dicto. *Psal. 11. labia dolosa in corde, & corde &c., & labia nostra a nobis sunt.*

Frænum in labiis ponere, Imperium. *Ps. 35. ponam frænum in labiis tuis.*

Labium linguæ, fabula publica est. *Ezech. 36. ascendistis super labium linguæ, & opprobrium populi.*

FACIES. VULTUS.

SUmmo loco facies hominis revelat animum. Sæpius turbatum animum revelat. *Gen. 6. Quare concidit facies tua?*

Faciem pro naso vertit Interp. noster. *Gen. 2. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.*

Majestatem, & judicium. *Gen. 3. Abscondit se Adam, & Eva, a facie Domini.*

Efficacitatem, & Auctorem. *Gen. 6. repleta est terra iniquitate a facie ipsorum.*

Misericordiam. *Num. 6. ostendat Dominus faciem suam tibi. Psal. 66. illuminet vultum suum super nos.*

Facies pro persona. *Honoravi faciem tuam 3.* B *Reg. 2.*

Iram, & alios effectus. *Lev. 20. ponam faciem meam contra ponam faciem meam super hominem illum, & succidam eum.*

Notitiam. *Abscondit eum a facie Ataliæ.*

Apertè, palam, dicitur in facie. *Nisi in faciem benedixerit tibi. Job. 1.*

Juxta adjuncta varia, diversa significat.

OCULUS.

PRetiosius, pulcrius membrum, opus Deo dignum. *Prov. 20. Aurem audientem, & oculum videntem Deus fecit utrumque.*

Plura exprimit, nutu, colore, motu.

C Mentem, judicium, opinionem, & fidem. *Sap. 3. visi sunt oculis insipientum mori. Matth. 6. lucerna corporis tui oculus. Ps. 93. Qui finxit oculum, non considerat?*

Custodiam, curam, gratiam. *Psal. 32. Ecce oculi Domini super justos &c. Psal. 31. firmabo super te oculos meos. Zach. 11. super lapidem unum, oculi septem.*

Cogitationem, & appetitionem. *Psal. 12. Illumina oculos meos ne umquam. Psal. 16. oculos suos statuerunt declinare &c. Psal. 24. oculi mei semper ad Dominum. Ezec. 20. offensionem oculorum tuorum abjiciat.*

Prophetas, & præpositos signific. *Isa. 29. Claudet oculos nostros Prophetas, & Principes vestros.*

D Oculus dexter prudentiam, & rem carissimam. *Zach. 11. gladius super oculum dextrum ejus. Oculus dexter ei, tenebrescet, obscurabitur. Matth. 5. si oculus tuus dexter scandalizat te.*

Impudentiam, & nequitiam indicat. *Ecclesiast. 26. Fornicatio mulieris in oculis ejus, & ab omni irreverentia oculorum ejus cavè.*

Rem valde caram. *Prov. 7. serva legem, quasi pupillam oculi tui &c.*

Oculus malus invidiam, & avaritiam. *Matth. 20. An oculus tuus nequam est?*

PALPEBRÆ.

OCulis datæ ad custodiam, somnumque, apertæ attentionem, occlusæ negligentiam, vel

securitatem. *Job 16. palpebræ meæ caliguverunt.* A
Job 41. oculi ejus, ut palpebræ diluculi.

AVRES.

OBedientiam, & studium veritatis significant, *Matth. 15. qui habet aures audiendi, audiat.*

BARBA.

VIri insigne. Impexa, & horrens mæstitiam, tonsa lætitiam.

De naturalibus quibusdam affectionibus; seu ad ipsas spectantibus quoad hominem,

PUritas, decus, & cultum significat. *Psal. 88.* B
destruxisti eum ab emundatione, & sedem ejus in terram collisisti.

Odor bonus, amabilitatem, bonam famam, & gratiam. *Cant. 1. curremus in odorem unguentorum tuorum. 2. Chor. 2. Odorem notitiæ suæ manifestat per nos &c. quia Christi bonus odor sumus, in iis, qui salvi fiunt; & in iis, qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* Optabilem etiam successum. *Cant. 5. manus meæ distillaverunt myrrham*, & odor suavitatis dicitur de sacrificiis, quæ acceptantur a Deo sæpissime in Sacra Scriptura.

Odor malus, oppositum. *Exodi 5. Putere fecisti odorem nostrum coram Pharaone.*

Cibus solidus arcanam sapientiam. *Hebr. 5. Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo.* Com- C
municatio in cibo, amicitiam, & societatem. *Abd. qui comederunt tecum ponent insidias subter te, & psal. 13. qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem, & psal. 54. & 1. Paralypo Prov. 23. Ezech. 24.*

Absolutè positus omnem rei familiaris usum: 3. *Reg. 4. erat cibus Salomonis per diem &c.*, & aliquem cibare, est commoditatibus ejus prospicere; *Prov. 25. si esurierit inimicus tuus ciba illum &c.*

Comedere idem, ac vastare. *Is. 9. esuriet, & comedet ad sinistram, & non saturabitur.*

Non comedere, indignantis, & perturbati. 3. *Reg. 21. Achab avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.*

Cibare pane, & potu lacrymarum, est perpe- D
tuò affligere. *Ps. 79. cibabis nos pane lacrymarum &c.*

Dulce ponitur pro singulis bonis metaphoricè passim; *dulcis, & rectus Dominus. Psal. 24., & Ps. 118. quam dulcia faucibus meis eloquia tua, & dulcis est somnus operantis &c. Eccle. 5.*

Amarum dicitur omne, quod displicet, etiam quoad mores. 1. *Regum 1. cum esset Anna amaro animo. Habac. 1. gentem amaram, & velocem.* Difficultatem, & molestiam. *Ps. 69. intenderunt arcum rem amaram Hier. 1. amarum est reliquisse te Dominum &c., & Col. 3. diligite uxores, & nolite amari esse ad illas. Jac. 3. si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris.*

Panis pro omni victus ratione usurpatur. *Eccl.* A
29. initium vitæ hominis aqua, & panis. Ezech. 4. sic comedent Filii Israel panem pollutum; & ita passim etiam moraliter.

Rem utilem, & necessariam signific. *Matth. 7. si quem petierit Filius ejus panem, numquid lapidem dabit ei.* Item donum, & beneficium. *Matth. 15. non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Ecclesiast. 15. cibavit illum pane vitæ, & intellectus.*

Panis doctrina est arcanè. *Tren. 4. petierunt parvuli panem, & non erat qui frangeret eis.*

Panis Ecclesiam passim. Panis fractio, cummunicatio Corporis Christi est. 1. Chor. 10.

Mel suavitatem, & jocunditatem designat etiam moralem, ut de dulci dictum est. Psal. 118. & passim.

B Juncto lactis, vel butiri nomine, abundantiam, & prosperitatem indicat. *Ezech. 20. in die illa levavi manum meum pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti in terram, quam provideram eis fluentem lacte, & melle.* Passim in Scriptura. Terra promissa dicitur fluens lacte, & melle. *Job. 20. torrentes mellis, & butiri. Cantic. 4. mel, & lac sub lingua ejus.*

Mel, & lac, sapientia, ac scientia. *Prov. 24. comede fili mi mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo.*

Ponitur etiam pro delitiis corporis. *Prov. 25. mel invenisti? comede quod satis est tibi, ne fortè satiatus evomas illud.*

Favus rem dulcissimam, suavem, salubrem. *Cant. 4. Favus distilans labia tua. Comede fili mi*
C *mel, quia &c.* ut supra *Prov. 24.*

Convivium, amicitiæ, & hilaritatis indicium. In natalibus, ablactationibusque Filiorum, in nuptiis, in magnorum consiliorum, & munerum initiis. De Abrah. Gen. 21. de Joseph Gen. 43. de Sampsone Jud. 14. Absal. 2. Reg. 13. de Assuero Esth. 1.

Felicitatem indicat. *Is. 65. ecce servi mei comedent, & vos esurietis*, communicationem. *Gen. 31. & fecerunt tumulum, & comederunt super eum. Canti. 5. veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.*

Frementum sæpius malam doctrinam, & contaminantem. *Math. 16. cavete a fermento Phariseorum, a fermento Herodis. Galat. 5. modicum*
D *fermentum totam massam corrumpit.*

Etiam originale peccatum dicitur, quod omnes inficit. 2. *Chor. 5. expurgate vetus fermentum, & non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ.*

Uim diffusivam, & penetrantem. *Math. 13. simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier &c.*

Azimum arcanè, significat sinceritatem, & simplicitatem. *Chor. loco citato, ut sitis nova conspersio, sicut estis azimi, sed in azimis sinceritatis, & veritatis.*

Massa totum negotium simplex, & benè institutum. *Rom. 11. si delibatio sancta, & massa sancta, & Chor. loco citato, modicum fermentum totam massam corrumpit.*

Butirum, ut supra, abundantiam, & optimum

rerum

rerum usum. *Is.* 7. *præ ubertate lactis comedent butirum. Job.* 29. *quando lavabam pedes meos butiro, & petra fundebat mihi rivos olei.*

Potus exhibitus, humanitatem. *Gen.* 15. *bibe Domine, & camelis tuis potum tribuam. Math.* 25. *sitivi, & dedistis mihi bibere, & Math.* 10. *quisquis potum dederit uni ex minimis meis &c.*

Si cum felle, vel alio simili, vehementem miseriam. *Hier.* 8. *potum dedit nobis Dominus aquam fellis. Habac.* 2. *vah qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians.*

Lac primam doctrinam fidei, seu pœnitentiam. 1. *Chor.* 3. *lac vobis potum dedi, non escam.* 1. *Petri* 2. *rationabiles sine dolo lac concupiscite. Cantic.* 5. *bibi vinum meum cum lacte meo.*

Lac, & vinum, affluentiam suavitatis. *Is.* 55. *venite, emite absque argento vinum, & lac.* Ita lac, & mel. *Joel* 3. *stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel, & per omnes rivos Juda fluent aqua.*

Dormire, tranquillam animi securitatem, & quietem. *Dormietis, & non erit, qui exterreat. Lev.* 26. *& Psal.* 3. *ego dormivi, & soporatus sum. Ps.* 4. *in pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

Quandoque negligentiam. *Ps.* 120. *ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Prov.* 6. *usquequò piger dormies.* 1. *Tessal.* 5. *igitur non dormiamus &c.*

Exanimem, jacentem, obliviosum esse. *Ezech.* 4. *& tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitatem domus Israel super numero dierum, quibus dormies super illud.*

Vel pro mori, ut frequenter. *Gen.* 47. *dormiam cum Patribus meis.* 3. *Regum* 1. *cum dormierit Dominus meus Rex &c.*

Vel concumbere. *Gen.* 19. *Inebriemus Patrem nostrum vino, dormiamusque cum eo. Lev.* 20. *qui dormierit cum Noverca.*

Somnum, quietem, sicut & vulgò; at magis vanitatem, & apparentiam falsam. *Ps.* 75. *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Mortem: *Job.* 3. *nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Hier.* 51. *dormiat somnum sempiternum.*

Torporem. *Prov.* 20. *noli diligere somnum. Exurge qui dormis, & exurge a mortuis.*

Cubare, præter naturalem jacendi expressionem, & moralem ut concumbere, infirmi habitum signat.

Somnium, vaticinia. *Gen.* 28. *Jacob vidit scalam. Gen.* 20. Abimelech Deus visus, locutusque est. Gen. 37. Pharaonis somnia, Josephi, aliorumque. Vel apparitiones, seu spectra. *Lev.* 19. *non augurabimini, nec observabitis somnia.*

Vanitatem, & instabile consilium. *Job.* 20. *velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna. Ps.* 72. *Velut somnium surgentium,* magna vanitatis expressio.

Vigilare summam solertiam, & sollicitudinem, ac expectationem. *Ps.* 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea. Ps.* 126. *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat &c.*

A *Luc.* 12. *Vigilate, & orate: Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Job* 24. *vigilantes ad prædam, præparant panem liberis;* idipsum significat vigilia &c.

Vigilia propriè, certa noctis horarum nota est, ex more castrorum, & pastorum, ordine vigilantium, unde 4. vigiliæ. *Luc. cit. loco, etsi venerit in secunda vigilia &c. Exod.* 14. *Jam advenerat vigilia matutina. Psal.* 76. *anticipaverunt vigilias oculi mei.*

Esurire, vehemens desiderium est: *Job.* 6. *animæ esurienti, etiam amara, dulcia videntur. Luc.* 1. *esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Math.* 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam,* ideò esuries, summa inopia est, vel spiritualium, vel temporalium. *Job* 16. *non affliget fame animam*
B *justi. Ps.* 58. *famem patientur, ut canes, & circuibunt civitatem. Ps.* 38. *attenuetur fame robur ejus:* Arcanæ justificationis signat defectum, ut locis hactenus allatis, & *Ezech.* 36. *non portetis ultrà opprobrium famis in gentibus, & Ps.* 36. *in diebus famis saturabuntur.*

Sitire, sitis, eandem habet significationem vehementis desiderii, ac maximè ex amoris calore. *Ps.* 41. *quemadmodum desiderat cervus ad fontes &c.* addita spe. Ibi, *spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi &c. Prov.* 25. *& aqua frigida animæ sitienti. Ps.* 61. *cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant &c. Is.* 55. *omnes sitientes venite ad aquas. Is.* 44. *effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam. Joan.* 7. *qui sitit, veniat ad me, & bibat;* unde patet rarò si-
C tim materialiter accipi in Scriptura, etiam in sensu litteræ &c.

Admiratio, stupor, & hujusmodi affectiones, ordinariam habent litteralem significationem, etiam in Scriptura, at cum emphasi magna, quia inexpectata, & miracula, quæ in ea ponuntur, divina sunt, unde *Is.* 29. *obstupescite, & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non a vino &c. Ezech.* 5. *eris opprobrium, & blasphemia, & exemplum in omnibus gentibus. Ap.* 13. *& admirata est universa terra post bestiam. Ps.* 47. *admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.*

Confusio eodem modo sonat in Scriptura, & alibi; siquid peculiare, textus ipsi se clarè expli-
D cant.

Vox Sponsi, & Sponsæ, lætitiam, sicut & vox molarum, abundantiam; Cum ergo dicitur. *Hier.* 25. & alibi frequenter, *perdam ex eis vocem Sponsi, & vocem Sponsæ,* non accipitur materialiter, quod omnia tollantur sponsalia; sed quod in omnibus mœstitia magna erit; est enim proprius dicendi modus Scripturæ.

Vox turbæ, bellum indicat: *Is.* 13. *vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium.*

Vocis, & oculorum elevatio, superbiam, & arrogantiam. 4. *Regum* 19. *contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in cœlum oculos tuos?*

Sonus tubæ, vel clangor, aut bellum, aut calamitosos dies, vel pœnitentiam, & jejunium indicit.

dicit. *Ezech. 7. canite tuba, præparentur omnes, & non est, qui vadat ad bellum. Soph. 1. dies tubæ. & clangoris, super civitates munitas, & super angulos excelsos. Amos 3. si clanget tuba in civitate, & populus non expavescet?*

Lacrymæ, tribulationem, oppressionem, dolorem. Frequentissime pro his, & similibus usurpatur hoc nomen in Scriptura. *Eccl. 4. lacrymas innocentium, & neminem consolatorem. Ps. 55. posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Hinc panis lacrymarum pro quotidiana miseria.

Clamor, quandoque indignationem. *Mich. 6. vox Domini ad civitatem clamat*; quandoque patientis injuriam, vel dolorem. *Ps. 119. Ad Dominum cum tribularer clamavi &c.* Quandoque peccati impudentiam. *Isa. 5. expectavi, ut faceret justitiam, & ecce clamor.*

Ululatus, maximum significat desiderium, ac dolorem. *Is. 15. super Nabo, & super Medaba, Moab ululabit. Et anima ejus ululabit sibi. Isa. 13. ululate naves maris, quia vastata est domus &c. Hier. 25. vox clamoris pastorum, & ululatus optimatum gregis, quia vastavit &c.*

Desperationem etiam significat. *Is. 13. ululate, quia prope est dies Domini, quasi vastitas a Domino veniet. Jacob. 5. Agite nunc divites plorate, ululantes in miseriis vestris.*

Fremitus, exercitum, & bellum. *Osea 10. ex Hebr. consurget fremitus in populo tuo*, translatio sumpta ex fluctibus maris. Rabiem, & desperationem. *Ps. 111. dentibus suis fremet, & tabescet.*

Risus, prosperitatem, & jocunditatem. *Gen. 21. risum fecit mihi Dominus. Job 8. donec impleatur risu os tuum. Luc. 6. beati qui nunc fletis, quia videbitis.*

Vanitatem. *Eccl. 2. risum reputavi errorem, & gaudio dixi, cur frustra deciperis. Jac. 4. risus vester in luctum convertetur. Eccl. 10. in risum faciunt panem, & vinum*, ut legit Arias.

Plausum, sive qui plausus dicitur a latinis, in Sacris Litteris dicitur risus. *Eccl. 7. melior est ira riso, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Et sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti &c. Prov. 29. vir sapiens cum stulto contendens, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem.*

Etiam quandoque irrisionem. *Job. 9. & non de pœnis innocentium rideat. Idem 29. sustinete me, & ego loquar, & post mea (si videbitur) verba ridete.* Alibi etiam &c.

Gaudium frequentissimè sumitur pro objecto gaudii. *Tren. 5. defecit gaudium cordis nostri. Ps. 51. convertisti planctum meum in gaudium mihi. Ps. 50. auditui meo dabis gaudium, & lætitiam.* Arcano sensu significat animi pacem, & tranquillitatem, quam Christus per Spiritum Sanctum illis donat, quos perficit. *Math. 25. Intra in gaudium Domini tui. Luc. 2 Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Jo: 15. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Gal. 5. Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo &c. fructus autem*

A *spiritus charitas, gaudium, pax.*

Cantus, vix aliquando mœrorem, semper potius lætitiam, gratulationem, aut laudem, ac gratum animum, & quia idipsum habet vulgò etiam apud latinos, nihil peculiare notatur.

Parabola, præter naturalem significationem, quam servat in Scriptura; specialiter in ea sumitur, ad extremam abjectionem, & ultionem, aut etiam derisionem. *Hier. 24. dabo eos in opprobrium, & in parabolam, & in maledictionem universis locis, ad quæ ejeci vos. Ps. 68. factus sum illis in parabolam.* Sic frequenter.

Societates, & relationes.

B PRima societas ad imitationem unitatis, quâ in homine copulantur anima, & caro, ea fuit, cum ædificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, qui ait *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & vocabitur virago, quia de viro sumpta est; quæ propter relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc, ait Apostol. magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, ex quo habemus; quod ubi nomine viri, seu mariti, aut sponsi (textu consentiente) intelligimus Christum, & nomine uxoris, seu conjugis, aut sponsæ proportione eadem servata, sumimus Ecclesiam, non est sensus mysticus interpretativus, sicut alii, quos DD. ex Littera Sacra eliciunt, sed realis, & di-
C rectus, salva semper doctrina, quam hæc de re suo loco expendimus; unde, & doctissimus Arias, sui Joseph. cap. 84. per Sponsum Christum, per Sponsam Ecclesiam Christi interpretantur, ut, qui habet Sponsam, Sponsus est. Jo. 3. In quem sensum venit frequentissimè Aug. ut ex dictis de sensibus Scripturæ patet, & magis infra. Addit tamen Arias loco citato.

Vir, seu maritus, quandoque legem significat, cujus conditionibus humana natura tenebatur ante justificationem. *Rom. 7. nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi.* Uxorem autem templum allegoricè significare, quo populus convenit domestica consuetudine, Deus ipse docuit Ezechielem, *c. 24. locutus sum ad populum mane, & mortua est uxor mea vespere*; in quo textu manife-
D sta est prophetia defectionis templi, & legis, adveniente Christo, ut patet ex ipso contextu, cui proinde successit Sacramentum, de quo Apostol. loco supra citato.

Socius, & societas, præter communem sensum, vitæ, & conditionis similitudinem signat in Scriptura. *Job. 30. Frater fui Draconum, & socius Struthionum. Is. 1. principes tui socii furum. 1. Chor. 10. nolo vos socios fieri dæmoniorum. Philip. 1. & socios gaudii mei omnes vos esse. Hebr. 10. & in alio socii conversantium taliter effecti. 1. Chor. 1. vos estis in societate Filii ejus.*

Mutuam etiam operam, debitam ex jure societatis. *Gen. 3. mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi.*

Concursus, ex rei nescientia, & admiratione, tumultui

tumultui similis est in Scriptura. 2. *Reg. populus concurrens augebatur cum Absalon. Ezech.* 39. *concurrite undique ad victimam.*

Ad novam utilitatem significandam. *Act.* 5. *concurrebat multitudo vicinarum civitatum Hierus. afferentes agros.* Frequens id in Evangelio.

Conventus, communionem consiliorum, aut rerum &c. sed scientium est, concursus verò etiam nescientium. *Gen.* 14. *omnes hi convenerunt in vallem sylvestrem, quæ nunc est mare salis. Num.* 20. *cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysem, & Aaron. Ps.* 2. *principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Ps.* 101. *in conveniendo populos in unum, & Reges ut serviant Domino.* In his etiam exprimitur conjunctio virium ad agendum.

Populus; præter naturalem multitudinis hominum significationem sub capite &c., religionis, & studiorum Partes ab aliis discretas signific. *Gen.* 25. *duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit.*

Peculiarem gentem, & statum, & professionem. *Gen.* 49. *ego congregor ad populum meum*, & est phrasis frequens, in Scriptura. Sicque signific. Ecclesiam, & vitæ, ac dignitatis communionem. *Exodi* 30. *exterminabitur de populo suo. Lev.* 7. *peribit de populis suis.*

Populus sempiternus sunt, qui jam diù perierunt. *Ezech.* 26. *cum his, qui descendunt in lacum sempiternum.*

Civitas, civium unitas formaliter. Habitatio plurium unitorum, materialiter; secundum hæc significata sumitur in Scriptura, unde vix aliquid speciale habetur.

Civitas supra montem posita, a Christo dicuntur Apostoli, Discipulique sui, ac prædicatores; uti prima pars Ecclesiæ ejus, toto orbe diffusæ; civitas etiam quasi antonomastice Cœlestis Hierusalem, toto libro Apocalyp., & alibi. Vel militans Ecclesia, ob summam charitatis unitatem, cum triumphante. *Eph.* 2. *sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati.*

Viduitas, & orbitas, desolationem materialem, aliquando simul, & formalem, aliquando earum alteram significat. *Tren.* 1. *quommodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium? Is.* 47. *sede vidua tacens, & intra in tenebras filia Caldæorum. Isa.* 62. *non vocaberis ultra derelicta.* Hoc enim nomen est viduitatis. Hæc satis est innuere, ne transcribamus Scripturas.

Pedagogus, institutorem minoris importat. Ita legem vocat Paulus, *Gal.* 3., & pedagogum a Patre distinguit, 1. *Chorin.* 4. *nam si decem millia pedagogorum habeatis &c. sed non multos Patres.*

Hæres, & hæreditas sumitur cum proprietate in Scriptura, ut apud latinos, immò, & Juristas Participationem in vita, & proprietatem post vitam, strictius signific., ad quam, vel naturæ, vel adoptionis jure, quis assumitur. Summa tamen hæreditas Christi est, & jure naturæ, quia Filius Dei naturalis, & merito obedientiæ, per quam est perpetua hæreditate dignissimus, *quem constituit hæredem universorum per quem fecit, & sæcula.* Ex cujus plenitudine, cum omnes homines acceperint, cohæredes etiam dicuntur, quicumque hæreditatem capiunt salutis; Nam Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit diligentibus se. Apost. passim, & Jacob. 2., & *ad Rom. cap.* 8. specialiter, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Hospes, & excipientem, & exceptum hospitio, æquè signific. apud omnes. Priori modo in Scriptura humanitatem, & charitatem indicat: *Rom.* 16. *Cajus hospes meus.* 1. *Petri.* 4. *hospitales invicem, sine murmuratione, hospitalitatem nolite oblivisci &c.*

Posteriori modo alienum a patria, & indigentem, vel propriè, vel translatè signific. *Sapien.* 5. *tanquam memoria hospitis unius diei: Matth.* 25. *hospes eram, & collegistis me. Eph.* 2. *alienati, a conversatione Israel, & hospites testamentorum. Hebr.* 11. *defuncti sunt non acceptis repromissionibus, sed a longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram.*

Peregrinus, pro ignoto hospite, ideoque pro inope, & indigente, aut etiam ignorante, & ignoto accipitur. *Gen.* 12. *descendit Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, & Gen.* 35. *Hæc est Ebron, in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac. Exod.* 23. *peregrino molestus non eris, quia & vos peregrini fuistis, in terra Ægypti. Matth.* 27., *& emerunt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.*

Peregrinum adjectivè, egregium, rarum, & supra communem usum signific. 2. *Par.* 14. *altaris peregrini cultus. Is.* 28. *peregrinum est, & alienum opus ejus ab eo*; non quod Deus mirabilia non operetur; sed quod opus, de quo illic agitur, scilicet redemptionis, sit supra omne opus, quod ab eo est.

Peregrinum, etiam neglectum, vel negligentem ea, quæ ipsi aliò tendenti occurrunt. *Hier.* 14. *Quare quasi colonus futurus es, & quasi viator declinans ad manendum?* 1. *Petri* 2. *Obsecro vos, tamquam advenas, & peregrinos, abstinere a carnalibus desideriis*, ideò vita, peregrinatio, & corpus dicitur tabernaculum. 1. *Petr.* 1. *velox est depositio tabernaculi mei*, & Jacob Pharaoni: *dies peregrinationis meæ boni, & mali &c.* frequens est hæc intelligentia, in Scriptura. *Tu solus peregrinus es in Hierus., & hæc ignoras.*

Advena, hospitem, diù manentem signat. *Gen.* 19. *ingressus es ut advena, numquid ut judices. Gen.* 23. *advena sum, & peregrinus, vos date mihi sepulcrum vobiscum.*

Inopiam etiam portendit. *Deut.* 24. *non negabis, mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est &c., & non perverses judicium advenæ &c., sed relinques advenæ pupillo, & viduæ. Eph.* 2. *Jam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei.*

Viator, sumitur pro eo, qui tantum curat pervenire, quo tendit, nil aliud curans, dic ut supra, eadem acceptione peregrini.

Eum etiam, qui via sistit, significat, & est ultimus

mus gradus humanæ societatis : Job 31. *Foris non manet peregrinus, ostium meum viatori aperui.*

Quemcumque ignotum, aut quemcumque hominem absolutè. Job 21. *Interrogate quemlibet de viatoribus, & eadem illum intelligere cognoscetis.* Ezech. 36. *terra deserta erit exculta, quæ quondam fuerat desolata in oculis omnis viatoris.*

Rem inexpectatam. Prov. 6. *veniet tibi, quasi viator, egestas.*

Alienigena pro eo accipitur, qui etsi admissus ad populum, tamen aliunde genitus est. Gen. 17. *tam vernaculi, quam emptitii, & alienigenæ circumcisi sunt.* Excluduntur etiam a sacrorum ministerio. Exodi 18. *hæc est religio Phasè, omnis alienigena non comedet ex eo, & 29. alienigena non comedet ex eis, quia sancti sunt.*

Alienum etiam a religione significat, Hest. 14. *detestor cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.* Luc. 17. *non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Act. 10. *Vos scitis, quòd abominatio est viro Judæo accedere ad Alienigenam.*

Gens quandoque pro universitate omnium hominum. Psal. 150. *Laudate Dominum omnes gentes, & Ps. 48. audite hæc omnes gentes.* At plerumque signific. populum alienum a vero Dei cultu; olim ut distinguebatur ab Ecclesia Israelitica, nunc prout a vera Christi Ecclesia; quæ excludit Paganos, Synagogam, Hæreticos, & Scismaticos. Propriè igitur alienos a Fide notat. Ps. 78. *effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Psal. 2. *dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Aliquando posteritatem Cam, & Canaan. Ps. 43. *manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos.*

Barbarus, terribilem alienigenam. Ezech. 30. *dissipabo terram, & plenitudinem ejus in manus alienorum.*

Scythæ immanes, ac barbari antonomasticè habentur. 1. Machab. 4. *miseros autem, qui etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes judicarentur, & Apost. Colos. 3. barbarus, & Scytha.*

Græci pariter quoad Judæos. Joel 3. *Filios Judæ, & Filios Hierus. vendidistis filiis græcorum.* Zach. 9. *& suscitabo filios tuos Sion, super filios tuos græcia.* Rom. 1. *Judæo primum, & græco.* Rom. 10. *non enim est distinctio Judæi, & græci.* Item græci sumuntur pro universa gentilitate, locis citatis. Sed aliquando pro sapientibus, & cultissima natione. Rom. 1. *græcis, ac barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum.* Alibi, *nam & græci sapientiam quærunt.*

Arabs antonomasticè pastorem signific. Isa. 13. *nec ponet ibi tentoria Arabs.*

Rex præter naturale significatum dignitatis, sumitur pro re præstantissima, & fortissima in unoquoque genere; Job. 18. inqu. Montan. regem interituum legimus, sive ut hebraicè ad verbum est Regem conturbationum. Uulgata, Rex interitus.

Salomon, antonomasticè ponitur pro humana gloria, & sapientia. Matth. 6. *nec Salomon in omni gloria sua indutus est sicut unum ex istis;* scilicet liliis agri. Matth. 12. *ecce plusquam Salomon hic.* Ità in aliquo summè præstantes ponuntur antonomasticè ad exemplum, & grandem expressionem, &c.

De rebus humano usui inventis.

AD humanam societatem, quæ rationabilis est, quædam uti communicationis instrumenta adinventa sunt, mutuæ enim animorum instructiones, refectiones, ac tractatus, variis rebus, & actionibus efficiuntur, quarum pars verbis, & sermone, pars etiam rebus constat.

Nomen. Præter communes nominis notitias, quædam nominum observationes ad sacrum, arcanumque sermonem pertinent. Ea enim in Scriptura induntur ad futuræ, vel præteritæ rei significationem: Is. 8. *voca nomen ejus, accelera, festina, prædare, spolia detrahe.* Plura in Gen. cap. 3. *vocabitur nomen ejus virago, quia de viro sumpta est, & Gen. 22. vocatum est nomen loci illius Deus videt. In monte Dominus videbit.*

Nomen, personæ, locum, vicemque refert, Ezech. 37. *Tu fili hominis sume tibi lignum unum, & scribe super illud. Juda, & filiorum Israel sociorum ejus, & tolle lignum alterum, & scribe super illud, Joseph, lignum Ephraim, & cunctæ Domus Israel, sociorumque ejus.*

Dignitatis confirmandæ causa, nomina certa alicujus ponuntur personæ, aut loci, 2. Paral. 13. *num ignoratis, quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super omnem Israel? & prævaluerunt contrà Roboam Filium Salomonis &c. & ejecistis Sacerdotes Domini filios Aaron, atque Levitas.*

Aliquando nomen aliquod appellatum, professionis, & studii symbolum est? Matth. 7. *non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, & Hierem. c. 7. Templum Domini, templum Domini.* Matth. 19. *eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.*

Nomen, idem, quod virtus, & auctoritas, Luc. 9. *vidimus quemdam ejicientem dæmonia in nomine tuo.* Joan. 1. *his, qui credunt in nomine ejus.* Matth. 12. *in nomine ejus Gentes sperabunt.* Act. 3. *in nomine Jesu Christi Nazareni, surge, & ambula.* Frequens est hæc expressio.

Nom. pro fama accipitur. Cantic. 1. *oleum effusum nomen tuum.* Prov. 22. *melius est nomen Domini, quam divitiæ multæ.* Prov. 10. *nomen impiorum putrescet.*

Nomen idem, ac munus. Ps. 146. *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Exodi 31. *ego vocavi ex nomine Bezeleel, & Gen. 2. omne, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* Is. 49. *de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.*

Nomen unius, ad depressionem alterius ponitur, 2. Paral. 10. *Non est nobis pars in David, nec hæreditas in Filio Isai.* Matth. 6. *nonne hic est Fabri filius, et mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas?*

Verbum, mente cogitatum, oreque pronunciatum indicat. Inde res ipsæ cognitæ dicuntur verba

ba in Scriptura. *Luc.* 1. *non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* 2. *Reg.* 2. *eo quod fecisti verbum istud*; & propria, & frequens Scripturæ phrasis est, quæ passim occurrit, ita ut frequentius, verbum stet pro re, vel actione, aut negotio cogitato, aut cogitabili, aut pro facto, seu qualibet re, quæ verbis exprimi possit, quam pro verbo, ut apud latinos accipi solet, ex qua observatione plura intelliges, quæ videntur obscura.

Aliquando idem est, ac argumentum, aut sententia alicujus orationis, vel etiam actionis. *Exodi* 4. *si non crediderint tibi, nec audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Exodi* 23. *munera subvertunt verba justorum.*

Sumitur etiam in Sacris Litteris pro mandato: *Deut.* 4. *non addesis ad verbum, quod ego vobis loquor. Deut.* 2. *& misi nuncios ad Sehon Regem Hesebon, verbis pacificis.* Ac denique verbum pro omni Dei facto, *qui dixit, & facta sunt.*

Specialiter vero, maximoque mysterio, secunda in divinis persona, verbum dicitur, & est: *Joan.* 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est.* Hinc in Sacris Litteris res, quæ participationes quædam illius sunt, verba dicuntur; ipsaque Sacra Scriptura, quæ Dei locutio est, Verbum verum verissimè, & cum omni proprietate dicitur. *Ps.* 44. *eructavit cor meum Verbum bonum &c.*

Evangelium etiam antonomasticè, quia Christi, & de Christo est, Verbum dicitur. *Marc.* 2. *loquebatur eis Verbum. Math.* 13. *orta persecutione propter Verbum. Math.* 13. *& qui audiunt Verbum, & suscipiunt.* Ita etiam alibi frequenter. Ut in parabola seminis &c.

Verbum populi, est fabula publica, quæ de miseris, & afflictis circumfertur. *Ezech.* 36. *Ascendistis super labium linguæ, & Verbum populi*, ubi Noster Interpres rectè vertit, *opprobrium.*

Oratio in Scriptura religionis actum, petitionem, supplicationem, ac preces, exclusis aliis significationibus apud Rethores, Musicos, & Grammaticos usitatis, importat. 3. *Reg.* 8. *Respice ad orationem servi tui. Ps.* 5. *Intende voci orationis meæ.* Totusque Psalmorum liber frequentat hanc vocem, & significationem, totaque Scriptura.

Veritas, eandem ubique servat significationem, quod sit conformitas inter rem, & dictionem, de hac plura, suo loco, supra, dicta sunt. Opponitur in locutione veritas mendacio, nec non (licet diversimode) exemplo, vel parabolæ, ut umbra corpori, resque imagini. Veritatem ipsam rem certam, & constantem esse dicimus. Ad promissum relata, effectum infert promissum; ad conventa verò, & dicta constantiam, seu justitiam, & veracitatem importat. *Os.* 4. *Non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: Is. & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Zach.* 8. *loquimini veritatem, unusquisque ad proximum suum.*

Veritas, & misericordia, beneficium. *Gen.* 24. *si facitis misericordiam, & veritatem, cum Domino meo. Prov.* 3. *misericordia, & veritas te non deserant.*

Veritas, & Judicium, æqui cognitionem, ac studium; passim in Sacris Litteris occurrit. 3. *Reg.* 3. *sicut ambulavit in conspectu tuo, in veritate, & justitia. Dan.* 3. *In veritate, & judicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.*

Christi veritas, divinum Spiritus Sancti beneficium in homines collatum, & novorum hominum regeneratio est. *Joan.* 1. *plenum gratia, & veritatis, &* 15. *lex per Moys. data est, gratia, & veritas per Jesum Christum. Quem ego mittam vobis spiritum veritatis. Eph.* 4. *& sicut est veritas in Jesu, deponere veterem hominem.*

Ipse autem Christus veritas. *Jo.* 14. *Ego sum via, veritas, & vita, & Joan.* 8. *veritas liberabit vos*, denique solus ipse vera veritas, in omni genere, & acceptione. In veteri Testamento sumitur veritas, ut prophetia de ipso, in novo, ut omne verum bonum in ipso, & per ipsum.

Judicium in Sacris Litteris sæpè, æquitatem, & sanctitatem significat. *Gen.* 18. *scio quod præcepturus sit Filiis suis, ut faciant judicium, & justitiam.*

Pœnam etiam, & sententiam, & judicium, quod est ipsa judicatio. *Deut.* 1. *ego redimam vos in brachio excelso, & in judiciis magnis. Et in diis Ægyptiorum faciam judicia*, & alibi passim.

Leges quoque ad societatem humanam servandam latæ, judicia propriè vocantur. *Exodi* 15. *constituit ei præcepta, atque judicia. Hæc sunt judicia, quæ propones eis. Exodi* 21. *custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis.*

Divinæ providentiæ erga res humanas significationem illustrem passim reperimus per judicium, vel per Verbum judicare in Sacris Litteris. *Psal.* 9. *judicabit orbem terræ in æquitate; paravit in judicio tronum suum. Ps.* 10. *auferuntur judicia tua a facie ejus, diriget mansuetos in judicio.*

Justam quoque damnationem, aut causam judicatam. *Jo.* 3. *hoc est autem Judicium, quia lux venit in mundum; &* 12. *Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio; nunc judicium est mundi. Rom.* 2. *judicium Dei est in eos, qui talia agunt, &* 5. *Judicium quidem ex uno in condemnationem.*

Laus præter id, quod vulgò exprimit, sumitur in Scriptura pro causa, seu argumento laudis substantivè. *Ps.* 117. *fortitudo mea, & laus mea Dominus. Deut.* 10. *ipse est laus tua, et Deus tuus. Ps.* 21. *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.*

Salutatio pacis, & charitatis signum. *Ex.* 18. *egressus Moys. in occursum Cognati sui, adoravit, et osculatus est eum, salutaveruntque se mutuò*, & Math. 5. in præcitato dilectionis inimicorum &c.

Honoris etiam signum. 4. *Reg.* 10. *descendimus ad salutandos filios Regis, & Filios Reginæ. Math.* 23. *Pharisæi amant salutationes in foro.*

Salutationis prætermissio, intentum animum alteri negotio signific. 4. *Reg.* 4. *si occurrerit tibi homo, non salutes eum, etsi salutaverit te quispiam non respondeas illi. Luc.* 10. *et neminem per viam salutaveritis.*

Imi-

Imago, aliquando pro simulacro, vel idolo sumitur. *Deut. 4. Ne fortè decepti faciatis vobis similitudinem, sculpturam, aut imaginem masculi, vel fœminæ etc. 4. Reg. 11. Ingressusque est omnis populus terræ templum Baal, et destruxerunt aras ejus, et imagines contriverunt validè.*

Imago quandoque idem, ac exemplum virtutis, & efficientiæ saltem deficientes. *Gen. 1. faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. Rom. 8. quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui.*

Rem levem aliquando, & velut umbram, etsi in specie æstimatam. *Ps. 38. Verumtamen in imagine pertransit homo. Ps. 72. In civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.*

Sed & ipsam rei substantiam aliquoties, & definitionem. *Hebr. 10. Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

Ponitur pro re tenui, & spirituali, ut sunt species intelligibiles. *Job. 4. stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum. Imago coram oculis meis.*

Spectaculum, semel pro admirabili re usurpatur in Scriptura. *2. Reg. ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo.* Præter hunc locum, cætera spectacula sic dicta in Scriptura, horrenda, & gravissima sunt, notat Montan. probrosaque æstimantur. *Luc. 23. omnis turba eorum, qui aderant, ad spectaculum istud. 1. Chor. 4. spectaculum facti sumus omnibus hominibus. Hebr. 10. In altero quidem opprobriis, et tribulationibus spectaculum facti etc.*

Scribere, Scriptura specialiter exprimit rei durationem, perpetuamque memoriam, & testimonium. *Exod. 17. scribe hoc ad monumentum Filiis Israel. Deut. 11. scribes ea super postes. Is. 65. ecce scriptum est coram me, non taceho. Deut. 31. scribite vobis canticum istud, et scripsit Josuè super lapides; et legem regni scripsit in libro. Habac. 2. scribe visum, et explana sermonem.*

Rem etiam scitu dignissimam commendat. *Ap. 14. Audivi vocem de cælo dicentem mihi, scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Scribitur aliquid in manu seu palma ad recordationem. *Is. 49. ecce in manibus meis descripsi te. Et illud si oblitus fuero tui etc. oblivioni detur dextera mea,* relativè ad primum.

Littera, seu litteræ, scientiam, & eruditionem, quandoque signific. nescitæ verò, vulgare ingenium notant, seu ruditatem. *Is. 29. cum dederint scienti litteras dicet, non possum legere, quia signatus est, et dabitur nescienti litteras, et dicet non possum legere, quia nescio litteras. Jo. 7. quomodo hic litteras scit? actorum 4. videntes autem Petri constantiam, et Joannis, cognito, quod homines essent sine litteris, et Idiotæ admirabantur.*

Etiam in Scriptura, aliquando, ut vulgò significant epistolas.

Sacræ Litteræ, antonomasticè Sacram Scripturam, in qua sola omnis scientia, & sapientia est, ipsaque epistola est Dei ad homines, ut alibi ostensum est.

Littera autem in singulari, antiquam legem indicat, ejusque observantiam a spiritu sejunctam.

A *Rom. 2. qui per litteram, et circumcisionem prævaricator legis est. 2. Chor. 3. et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est; et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem vivificat.*

Thau littera, apud *Ezechiel. c. 9.* tessera eorum erat, quia communi damnatorum sententia ad vitam excepti essent. Similiter, & in *Apocalypsi.*

Jota, & apex, minimæ notæ sunt, resque omninò minimas notant. *Math. 5. donec transeat cælum, ac terra. Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege.*

Significationem litterarum hebræarum supra alio loco positam vide si vacat, nec enim repeten-
B da sunt.

Numerus naturalem in Scriptura retinet significationem, solum specialiter, quandoque sumitur pro debita proportione, ac temperamento. *Omnia fecit Deus in numero, pondere, et mensura.* De numeris alibi suo loco infra.

Unitas vulgarem etiam in Scriptura servat significationem, aliquando verò moralem indivisionem signat, sicut, & pacem, ac conformitatem. *Eph. 4. sollicitu servare unitatem spiritus in vinculo pacis, et donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, et Act. 4. multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.*

Summa unitas Deus est. *Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Ita essentialiter unus,
C ut eo ipso, quod Idolum vel idola ponantur, eo ipso evidenter simul negentur esse Dii, tota de hoc Scriptura declamat. Ideò Apostol. Idolum nihil est.

Ludus, seù ludere præter vulgarem significationem, idem quandoque est in Scriptura, quam suaviter agere. *Prov. 8. delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.*

Ponitur etiam pro lætitiæ plausu, ut canere, saltare. Ita Sampson. Judic. 16. ante Palestinos lusisse dicitur. & 1. Reg. 18. *præcinebant mulieres ludentes, et dicentes etc.*

Etiam exercitatio Idololatriæ dicitur ludus. *1. Chorin. 10. sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.*

D

Vitia animi, et corporis.

TUrpitudo, seù ignominia, calamitosa tempora designat. *Tren. 1. omnes, qui glorificabant eam, spreverunt eam, quia viderunt ignominiam ejus.*

Æstus, afflictionem vehementem, ab extrinseco, & ferè inevitabilem. *Deut. 28. percutiat te Dominus, ardore, et æstu, et aere corrupto, et rubigine, et persequatur, donec pereas. Isai. 4. tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu. Is. 25. et quia factus es spes a turbine, et umbraculum ab æstu. Isa. 49. et non percutiet eos æstus, et sol, quia miserator eorum reget eos. Apoc. 7. non cadet super illos sol, neque ullus æstus, quia agnus, qui in medio throni est, reget illos.*

Frigus, afflictionem, quæ animum premit, ac deiicit. *Deut.* 28. *percutiat te Dominus febri, et frigore*. *Zachar.* 14. *non erit lux, sed frigus, et gelu*.

Infirmitas præter naturalem significationem, scilicet ut morbus, & debilitas, aliquando in Scriptura ponitur pro omni miseria, passione, & afflictione. 2. *Chor.* 11. *libenter gloriabor in infirmitatibus meis etc.*

Animi vitia, vel eorum pœnas signific. *ps.* 15. *multiplicatæ sunt infirmitates eorum etc. ps.* 102. *qui sanat omnes infirmitates tuas*. *Eccles.* 5. *est alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiæ conservata in malum Domini sui*, frequens est talis significatio.

Humanæ naturæ miseriam, conditionem, & obnoxiam sortem, ut a divina longè distat. *Isa.* 53. *virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, & Dominus voluit eum conterere in infirmitate, & ipse infirmitates nostras portavit, & ægrotationes, seu labores nostros*. 2. *Chor.* 13. *Christus crucifixus est ex infirmitate*. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*. 2. *Chor.* 11. *si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor; & infirma mundi elegit Deus*.

Ebrietas aliquando omne luxuriæ studium, aut complectitur, aut significat. *Is.* 5. *Væ qui consurgitis mane, ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam*. *Luc.* 21. *videte ne fortè graventur corda vestra crapula, & ebrietate*. *Gal.* 5. *non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus &c.*

Aliquando animi vertiginem, & perturbationem, sapientiæ contrariam, ac præcipitem, seu damnationem. *Hier.* 48. *Inebriate eum, quia contra Dominum erectus est*. *Hier.* 13. *Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus, & Reges, qui sedent de stirpe David super thronum ejus, & Sacerdotes, & Prophetas, & omnes habitatores Hierusalem ebrietate*.

Cæcitas mentis, absconsionem, seu reprobationis punitionem, quæ Judæis accidit ob Christi repulsam. *Rom.* 11. *cæcitas ex parte contigit in Israel, & excæcavit Dominus mentes incredulorum*. Frequenter in Scriptura invenitur, ac frequentius in peccatoribus.

Generaliter ignorantiam, & inscitiam arguit, eamque vel ex supina negligentia, vel ex affectato studio admissam. *Math.* 3. *indignatus est Christus super cæcitate cordis eorum*. Eph. 4. Apostolus alienatas ait gentes a via Dei, per ignorantiam, quę est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. *Math.* 15. *cæci sunt, & duces cæcorum*.

Macredo, sterilitatem significare docuit Joseph interpretando somnium Pharaonis Gen. 41.

Claudus miserum, & ab integritate alienum. *Mich.* 4. *in die illa congregabo claudicantem*, & 2. *Reg.* 5. ad David dictum est; *non intrabis, nisi auferas omnem claudum*, sic & alibi; Stat etiam pro peccatore, qui conatur duobus Dominis servire. 3. *Reg.* 18. *Elias*. *Usquequò claudicatis in duas partes*.

Confusio, erubescentiam ex vitio, vel opprobrio natam, ut puta ex irrationabili mutatione consilii. 1. *Reg.* 20. *numquid ignoro, quod diligis Filium Isai, in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ?* *Job.* 8. *qui oderunt te induentur confusione, & Ps.* 108. *Induantur sicut diploide confusione sua, & Prov.* 10. *qui stertit æstate Filius confusionis est*. *Apoc.* 3. *non appareat confusio nuditatis tuæ*.

Confractio, calamitatem magnam. *Ps.* 2. *tamquam vas figuli confringes eos*. *Ps.* 17. *confringam eos, nec poterunt stare, & Psal. in ira populos confringes*. *Tren.* 3. *confregit me, posuit me desolatam*. *Is.* 24. *confractione confringentur*.

Confractio stat pro violenter aperto ingressu, ut in bello &c. unde etiam sumitur pro irruptione in gentem, vel turmam. *Ps.* 105. *& edixit, ut disperderet eos; si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*.

Dolor parientis, impotentem afflictionem, & gravissimam miseriam innuit. *Is.* 66. *antequam parturiret peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum*, ubi bene notat Montanus priora duo verba, parturire, & venire partum, hebraicè dolores parturientis significant. *Hier.* 49. *dissoluta est Damascus, versa est Damascus, tremor apprehendit eam, angustia, & dolores tenuerunt eam, quasi parturientem*. 1. *Thess.* 9. *Tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient*.

Mors præter naturalem significationem, quæ dicitur vitæ privatio, animæque recessus, ac totius ultima resolutio viventis. Sumitur in Scriptura aliquando pro ipsa conditione mortalitatis. *Gen.* 2. *quacumque hora comederis ex eo, morte morieris*, & Apost. 2. *Chor.* 3. *quis me liberabit de corpore mortis hujus*, ubi etiam accipitur pro infirmitate rationis, seu concupiscentia, sumitur etiam pro futuro statu, ad quem per mortem transitur. *Job* 38. *numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?*

Ea quidem vulgatissima, & nota ad sensum est, at quia privatio est, directè in se nequit intelligi, ideò nec explicari. Hinc etsi omnis sensus expers sit, tamen accipitur, tamquam reale quoddam monstrum, vitam omnium scindens, & absorbens, ac si haberet corpus, ut supra ex Apostolo, & alibi sæpissimè in Scriptura.

Frequentior tamen acceptio ejus est, per translationem, pro culpa, quæ est mors animæ, ac spiritus, & causa fuit mortis corporis, & mortalitatis omnium in primo homine, vel pro complexu primæ miseriæ, unde dicitur mors animi, mors spiritus, corpus mortis, corpus peccati, & pluribus aliis infaustis nominibus indicatur; ac potissimum mortis æternæ. *Ps.* 33. *mors peccatorum pessima*. *Num.* 2. *Inclinata est ad mortem via ejus*. *Prov.* 5. *pedes ejus descendunt in mortem*. *Is.* 9. *qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est eis*. *Is.* 28. *percussimus fœdus cum morte, & pactum cum inferno*. *Jo.* 5. *qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit a morte in vitam*. *Rom.* 5. *& per peccatum mors*.

Mors peccatum, quandoque significat. *Ezech. 43. nunc ergo repellant procul fornicationem suam, & ruinas* (ideſt cadavera) *regum suorum a me, & habitabo in medio eorum semper.* Hinc mortuus peccatorem, aut peccatum ipſum ſignific. *Eccleſ. 34. qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lauatio ejus? & Apoſt. deſtruxit quidem mortem, & quis me liberabit de corpore mortis hujus, ut ſupra:*

Aliquando mortis nomine dicitur reprobatio, & indueatio eorum, qui non credunt Evangelio. *Aliis ſumus odor mortis in mortem. Apoſt. ubi ſupra.*

Mors ſecunda, eſt mors æterna, ſeu judicium condemnans ireevocabiliter, ita in Apocalypſi.

Cadavee pro præda aliquando ponitur. *Math. 24. ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquilæ.*

Significat etiam arcanè opera mortua, ideſt peccata hominem contaminantia. *Leu. 11. nec cadauera contigeritis, et num. 19. qui tetigerit cadauer hominis mortui, immundus erit ſeptem diebus.*

Cadaver inſepultum, ignominiam maximam. *Hier. 16. Non ſepelientur; in ſterquilinium, ſuper faciem terræ erunt, et gladio, et fame conſumentur, et erit cadauer eorum in eſeas volatilibus cœli, et beſtiis terræ etc.*

Vita præter conſuetam, & vulgarem ſignificationem, altius ſumitur in Scriptura pro ea, quæ vera vita eſt, quia fælix, æternaque, ac propria Deo in ſe foemaliter, & originativè quoad ſuos. *Jo. 1. in ipſo vita erat; et vita erat lux hominum*, quo pacto etiam ea omnia ſignificat, quæ ad ipſam nos ducunt, & maximè.

Prædeſtinationem. *Iſ. 4. ſanctus vocabitur omnis, qui ſeriptus eſt in vita, in Hieruſalem.* Et gratiam. *Pſ. 35. quoniam apud te eſt fons vitæ*, & ſapientiam. *Prou. 3. lignum vitæ eſt iis, qui apprehendunt eam.* Et redemptionem, juxta illud, *veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant*, atque omne bonum. *Jo. 5. ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ita dedit, et Filio habere vitam in ſemetipſo, ut omnis, qui eredit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et Jo. 8. panis, quem ego dabo, earo mea eſt pro mundi vita, es prima. Joan. 1. et vita manifeſtaca eſt, et Jo. 14. ego ſum via, veritas, et vita*, & paſſim ſimilia occurrunt in Scriptura, ubique enim ſcribitue, quæ ubique, & omnibus exhibetur.

Salus, vitæ fælicem uſum. *Gen. 42. per ſalutem Pharaonis:* Aliquando ſubſidium, aut liberationem. *Gen. 45. pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus, et Pſ. 117. fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus eſt mihi in ſalutem. 1. Reg. 11. cras erit vobis ſalus, cum ſol incalnerit. Pſ. 3. Domini eſt ſalus, et ſuper populum tuum benedictio tua.*

Beneficium vitæ æternæ per Chriſtum. *Iſ. 46. et ſalus mea non morabitur, dabo in Sion ſalutem, et in Hieruſalem gloriam meam. Iſ. 49. poſui te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea, uſque ad extremum terræ. Luc. 1. erexit cornu ſalutis nobis in Domo David pueri ſui etc. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum. Rom. 1. Euangelium Dei eſt ad ſalutem omni credenti.*

Ad apprecandum omne bonum, utuntur ſalutantes; nomine ſalutis, ac potiſſimum fęlicem vitam. *Jac. 1. iis, qui ſunt in diſperſione ſalutem;* & ſimilia habes in Sacris epiſtolis Pauli, & aliorum.

Pax quandoque quietem, & torporem, ſeu concordiam nocivam. *Math. 10. nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium etc.*

Quandoque vero Chriſtum. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Eph. 2. qui dixit vobis. Lucæ 24.* quietum gratiæ in anima dominium. *Phil. 4. pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, habitet etc. et Lucæ 2. Gloria in excelſis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Frequens acceptio eſt.

Lœtitia, & gaudium, præter naturalem ſenſum, exultationem cordis, & corporis deſignat, etiam ſæpe in Scriptura. *Ut 1. Eſdr. 6. fecerunt ſolemnitates Azimorum ſeptem diebus in lætitia; quoniam lætificauerat eos Dominus.*

Verius in Scriptura ſignific. fęlicem ſtatum Fidelium, ut ſint Filii Dei, liberi a ſervitute graviſſima peccati, & hic, & in termino. *Iſ. 35. lætitia ſempiterna veniet ſuper capita eorum, gaudium, et exultationem obtinebunt, et fugiet dolor, et gemitus. Iſ. 51. gaudium, et lætitia inuenietur in ea, 66. videbimus in lætitia veſtra. 1. Petr. 1. et eredentes exultabitis lętitia inenarrabili, et glorificata. Jo. 16. triſtitia veſtra conuertetur in gaudium. Gal. 5. fructus autem ſpiritus, eſt charitas, gaudium, pax.*

Vitia animi.

IMpuritas omnis, turpitudinem morum, ac improbitatem. Magis autem muliebris impuritas omnem animæ immunditiam, idololatriam, ſeu apoſtaſiam, ac graviſſima ſcelera exprimit. *Tren. 1. Facta eſt Hieruſalem, quaſi polluta menſtruis inter eos.* Et frequens eſt apud Prophetas deſcribere prædicta ſumma vitia, ſub phraſi fornicationis, & adulterii, aut ſtupri, ut ubique offendes.

Peccatum propria Scripturæ ſignificatione ultra communem, qui actum, & culpam, contra Dei legem rectamve rationem denotat, pro ipſo malorum fonte ſumitue, ſcilicet concupiſcentia, & quod originale peccatum dicitur. *Rom. 3. cauſati enim ſumus, judæos, et græcos omnes ſub peccato eſſe. Rom. 6. neque exhibeatis membra veſtra, arma iniquitatis peccato. Rom. 7. peccatum occaſione accepta, per mandatum ſeduxit me.*

Accipitue etiam peo oblatione ipſa, quæ fit pro peccato, & in veteri Teſtamento, ubi ſæpè de Sacerdotibus, *peccata populi mei comedent.* Et in novo. *Rom. 8. de peccato damnauit peccatum in carne, et eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

Quandoque ſumitue pro ereore, vel conſilio incerto. *Rom. 14. omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.*

Peccatum cum impudentia summum, & inexplicabile: *Hier.* 11. *numquid carnes sanctæ auferent a te malitias, in quibus gloriata es?*

Superbia præter ordinariam significationem, quam servat in Scriptura; pro Rege potente, & tyranno usurpatur: *Ezech.* 7. *egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia.*

Mentiri, seu falsum ostendere, aut facto, aut & principalius dicto, uti vulgariter, sic & in Scriptura frequenter; stat tamen antonomasticè pro eo, quod est falsum dicere testimonium. *Matth.* 5. *beati eritis &c. cùm dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me.*

Et consuetudine, & vitio mentiri, timoris, & servitutis argumentum est; quod servi ex metu sæpè Dominis suis mentiuntur. *Psal.* 65. *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*

Sumitur etiam mendacium pro vanitate, seu vacuitate, aut mutabilitate, *Psal.* 115. *omnis homo mendax, & Ps.* 61. *mendaces Filii hominum in stateris.*

Et pro quocumque peccato. *Psal.* 4. *Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

Vanum, & vanitas. Vanitatem dicit Scriptura, quidquid contra divinum consilium est, vel a dæmone inventum, vel ab hominibus initum. Sicut Idololatria, superstitiones, ac propriæ hominum cogitationes, a ratione recta deviantes, aut divino proposito obsistentes. *Deut.* 2. *Ipsi me irritaverunt in vanitatibus suis.* 4. *Regum*: 17. *secuti sunt vanitates, vanè egerunt. Job* 11. *ipse videt hominum vanitatem. Psal.* 25. *non sedi cum consilio vanitatis, & loquuntur vanitates, Is.* 59. *& Ps.* 5. *cor eorum vanum est.*

Inutile, vanum dicitur: Sic *Hier.* 10. dicuntur leges populi vanæ, & auxilium vanum, & *Ezech.* 4. *visiones vanas.* Et *ad Gal.* 4. *ne fortè in vanum currerem, & Jacobi* 1. de non refrenante linguam suam dicitur, *hujus vana est religio.*

Meretrix, præter communem notissimam significationem, qua utitur etiam Scriptura; habentur loca, in quibus, id nomen, non vitium, sed quæstum tantum significat. Ita: *Jos.* 2. Rahab meretricem intelligimus, & Jud. 11. Matrem Jephte. Et 3. Reg. 3. duas fœminas, quæ Salomonem Judicii causa adiere; quod quidam cauponæ servitium autumantur magis, quam verum meretricium, ut in communi venit acceptione.

Aliquando etiam, sic nominatur publicum Emporium, & mercatorum conventus. *Is.* 23. de Tyro, *Sume citharam, circui Civitatem, meretrix oblivioni tradita.* Ita Montanus, at clarè hoc loco arguitur Tyrus notata meretricis nomine, quæ publicæ se offert iniquitati, ac luxuriæ.

Frequentior acceptio meretricis in Scriptura, est fundata in similitudine, quam habet opus meretricium cum Idolatria, omnique consequente iniquitate; ideoque pro Idololatria passim sumitur. *Hier.* 2. *sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix, & fornicata es cum amatoribus multis.*

Fur præter communem significationem in Scriptura, sumitur pro callido, & res suas tantum quærente. *Joan.* 10. *fur non venit, nisi ut furetur.* Sic
A & pro arte acuta aliis ignota, ac facilè incautos opprimente. 1. *Thess.* 5. *sicut fur in nocte ita veniet.* Sic & in Evang. *vigilate.*

Adulterium pro omni corruptela, & officii prævaricatione in rebus, & muneribus magnis ponitur, unde frequenter pro Idololatria. *Ezech.* 23. *quæ attrita est in adulteriis, nunc fornicabitur in fornicatione sua. Matth.* 12. *generatio mala, & adultera signum quærit &c, Jacobi* 4. *non enim sumus sicut plurimi adulterantes Verbum Dei.*

Artes Usuales.

AGricultura. Ars hominis prima inter omnes, etiam in Innocentiæ statu. *Gen.* 2. *posuit in eo*, scilicet paradiso, *hominem ut operaretur, &*
B *custodiret illum. Gen.* 3. *emisit eum Dominus de paradiso, voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Et hominem igitur omnem signare potest, & quandoque Deum. *Joan.* 15. Christus ait: *Pater meus agricola est.*

Hominem rudem aliquando, ac rusticum, terrestremque significat. *Gen.* 4. *erat autem Cain vir agricola.*

Aratio, arare in Scriptura transfertur ad actionem aliquam, consulto initam: *Deut.* 22. *Non arabis in bove, & asino. Jud.* 14. *si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. Is.* 28. *numquid tota die arabit arans? & arastis impietatem. Os.* 10.

Pro omni etiam actione, & opere: *Prov.* 20.
C *propter frigus piger, arare noluit, & quis autem vestrum habens servum arantem?*

Ex consequenti vastationem signific., & solitudinem. *Hier.* 26. *Sion quasi ager arabitur.*

Curas etiam, & culturam animi, quæ fit per prædicationem, & Evangelium. *Ezech.* 36. *convertar ad vos, & arabimini, & accipietis sementem.*

Negotium etiam summè necessarium, studiosè susceptum. *Luc.* 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrorsum, aptus est regno Dei.*

Præparationem, & propositum. *Hier.* 4. *novate vobis novale*, sic habetur hebraicè.

Serere, & seminare, quod idem est. Idem signific. in arcano sermone, doctrinam nempe vitæ,
D & morum, & actionum institutionem: *Levit.* 19. *Agrum tuum non seres diverso semine, & Hierem.* 4. *nolite serere super spinas. Hierem.* 12. *seminaverunt triticum, & messuerunt spinas*; quæ fuit pœna a Deo Adæ inflicta, per quam ultra rem ipsam materialem, quæ non semper accidit, accipitur ignorantia, & mentis corruptio, qua veritatem vertit in errorem.

Et quod semen sit Verbum Dei, explicat Christus: *Matth.* 13. *in parabola exiit qui seminat, seminare semen suum &c.*

Seminare etiam, est negotium gravissimum instituere, uti pœnitentiæ, studium, religionis cura. *Psal.* 125. *qui seminant in lacrymis, in exultatione metent: Euntes ibant, & flebant, mittentes semina tua.* Et ad oppositum: *Os.* 8. *ventum semi-*

nabant, turbinem metent. *Os.* 10. *seminate vobis in tristitia; & metite in ore, misericordia, innouate vobis nouale*.

Signific. etiam mortalis vitæ finem. 1. *Chor.* 15. *seminatur corpus animale, surget spiritale. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria*.

Benefaciendi etiam studium, omnemque humanam exercitationem. 2. *Chor.* 9. *qui parcè seminat, parcè, et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, et metet, quoniam, qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*.

Messis in lętissimarum, & rursus grauissimarum rerum expressionem sumitur in Scriptura. *Is.* 9. *lætabuntur, et exultabunt coram te, sicut qui lætantur in messe. Hier.* 8. *transijt messis, et finita est æstas, et nos saluati non sumus. Is.* 19. *inebriabo te lacryma mea Esebon, quoniam super vindemiam tuam, et super messem tuam, vox calcantium irruit*; ibi enim interruptio magnæ lętitiæ ennunciatur.

Aliquando vero calamitatem, & cladem magnam ex divino judicio, opportuno tempore inflictam, vel infligendam signific. messis. *Osee* 6. *sed et Juda pone messem tibi, et tempus trituræ ejus. Hier.* 51. *adhuc modicum, et veniet tempus messionis ejus. Ap.* 14. *mitte falcem, et mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terræ*.

Messis, etiam opportunitatem gerendæ rei signific. *Math.* 9. *messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Math.* 13. *sinite ergo utraque crescere usque ad messem; et in tempore messis dicam messoribus etc.*

Accipitur autem ex temporis obseruatione pro fine æstatis, atque adeò pro tota æstate. *Gen.* 9. *cunctis diebus terræ sementis, et messis etc. Jos.* 3. *Jordanis autem ripas aluei sui tempore messis impleuerat. Prou.* 25. *sicut frigus niuis in die messis*.

Metere fructum, usum rei capere significat. *Ps.* 128. *de quo non impleuit manum suam, qui metit, nec sinum suum, qui manipulos colligit*. Quod de terrenis dicitur: *qui seminat iniquitatem, metet mala. Eccl.* 11. & similia, ut supra de semine. *Eccl.* 4. *qui considerat nubes numquam metet. Luc.* 19. *alius est, qui seminat, alius qui metit. Et scio quod homo austerus sis, metis, quod non seminasti*.

Tritura, laborem, & calamitatem signific. *Is.* 25. *triturabitur Moab sub eo, sicut atteruntur paleæ in plaustro. Is.* 41. *ego posui te, quasi plaustrum triturans nouum, et triturabis montes. Hier.* 51. *et Filia Babylonis, quasi area tempus trituræ ejus*.

Laborem etiam, & opus, fructus, gratia adhibitum, ut *Deut.* 25. *non alligabis os boui trituranti*, et prima *Chor.* 9. *qui triturat debet in spe fructus triturare*.

Sumitur etiam pro raro, & delicato cibo. *Os.* 10. *Ephraim vitula docta diligere trituram*.

Primitiæ ultra id, quod vulgò important, pro se Sacra non violanda; sed custodienda intelliguntur. *Hier.* 2. *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus*.

Plantatio plantare, arguit in Scriptura securitatem, & habitationem longæuam. 1. *Par.* 17. *dedi locum populo meo Israel, plantabitur, et habitabit in eo, et ultra non commouebitur. Psal.* 106. *seminauerunt agros, et plantauerunt vineas. Is.* 37. *in anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas. Luc.* 17. *in diebus Loth plantabant, et ædificabant*.

Institutionem, & doctrinam morum, ac religionis signific. *Hier.* 1. *ego constitui te hodie super gentes, et super regna, ut euellas, et destruas, et disperdas, et ædifices, et plantes. Psal.* 79. *vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam. Hier.* 2. *Ego autem plantaui te vineam electam. Math.* 15. *omnis plantatio, quam non plantauerit Pater meus, eradicabitur* 1. *Chor.* 3. *ego plantaui, Apollo rigauit*.

Longam etiam, & stabilem pacem signific. *Is.* 65. *ædificabunt domos, et habitabunt, et plantabunt vineas; et comedent fructus earum. Hier.* 12. *plantasti eos, et radicem miserunt, proficiunt, et faciunt fructum*.

Rigare est institutæ doctrinæ fovendæ, & augendæ curam gerere; ut 1. *Chor. c.* 3. *ego plantaui Apollo rigauit*, & etiam Sacramenti Baptismatis exercitationem, ibidem *neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt*.

Eradicare, euellere, plantationi opponitur, unde arguit rei improbationem, & sublationem. 1. *Regum* 20. *quando eradicauerit Dominus inimicos David, unumquemque de terra. Job.* 31. *progenies mea eradicabitur. Prou.* 15. *cogitationes impiorum eradicabuntur*.

Eradicatas arbores Judas in sua canonica dicit homines nullius frugis, & improbatos *arbores eradicatæ bis mortuæ. Ps.* 51. *et euellet te, et emigrabit te, & radicem tuam de terra viuentium. Eccl. c.* 3. *tempus euellendi, quod plantatum est*.

Pascere, pastor, pastus. Pascere sumitur pro regere, & gubernare, seu præesse. *Par.* 11. *Tu pasces populum meum Israel. Ps.* 77. *pascere Jacob seruum suum, et Israel hæreditatem suam*. Item & docere signific. *Hier.* 3. Dabo vobis pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientia, & doctrina. *Ezech.* 34. *nonne greges a pastoribus pascuntur etc. pascebant se ipsos, et gregem meum non pascebant. Jo.* 21. *Jesus Petro: Pasce agnos meos, pasce oues meas.* 1. *Petr.* 5. *pascite, qui in vobis est, gregem, providentes non coactè, sed spontaneè*. Utraque autem significatio, ferè ubique confunditur, ut idem sit, pascere, quod docere, & idem quod gubernare, ac dirigere.

Hinc Pastor, vel potentem Regem, vel auctoritate præditum ministrum signific. *Is.* 44. *qui dico Cyro: pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Hier.* 2. *pastores præuaricati sunt in me, &* 10. *quia stulte egerunt pastores. Ezech.* 34. *propheta de pastoribus Israel. Naum* 3. *dormitauerunt pastores tui; Rex Assur, sepelientur Principes tui*.

Magis autem doctrinæ legitimè ministrum, qua ratione antonomasticè Christus est Pastor, & Pastor

stor bonus, de quo *Math. 26. percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Jo. 10. qui intrat per ostium, pastor est ouium. Eph. 4. & alios dedit pastores, & doctores, & 1. Petr. 1. cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* A

Sicut pascere, docere, sic pascua, spirituale alimentum. *Tren. 1. Facti sunt Principes eorum, velut arietes, non habentes pascua. Is. 49. & super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum.*

Pastus etiam copiam, & fecundas res signific. *Is. 17. super vias pascentur, & in omnibus molitibus eorum pascua.*

Ex opposito etiam desolationem, aut vastitatem. *Is. 17. derelictæ sunt ciuitates Aroer, gregibus erunt &c. Soph. n. 2. Accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium, & mors depascet vos &c.* B

Silva communiter, suam retinet significationem etiam in Scriptura; at quandoque signific. gentes alienas a Dei cultu, barbarosque eorum animos. *Ps. 95. tunc exultabunt omnia ligna sylvarum. Ps. 79. exterminabit eam aper de sylva. Hier. 5. percussit eos leo de sylua.*

Vinea, Vinitor, sinagogam, & Ecclesiam in Scriptura signific. *Is. 5. vinea Domini exercituum Domus Israel est. Ps. 79. vineam de Ægypto transtulisti. Cant. 1. posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Hier. 2. Quomodo conversa es mihi in prauam vitis aliena!* Hinc Vinitor gubernator, & custos Ecclesiæ. *Os. 2. dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.*

Vindemiare, vindemia præter naturalem significationem, vastationem maturam ex Dei Judicio. *Ps. 79. vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Tren. 1. quoniam vindemiauit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. Apoc. 14. mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus, & misit Angelus falcem suam acutam in terram &c.* Hine vindemiatores dicuntur hostes, ultionis ministri. *Hier. 49. si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum.* Sic & apud Abdiam. C

Venatio, Venator; bellum arte, & consilio gestum. *Tren. 3. venatione ceperunt me, quasi auem inimici mei gratis. 1. Mach. 3. Judas Machab. quasi catulus leonis in venatione rugiens.*

Venator, Imperatorem regnandi avidissimum; *Gen. 10.* Nembrod venator robustissimus coram Domino. *Eccl. 7. quæ laqueus venatorum est,* quod bellorum plurium, ac malorum causa sit. *Hier. 16. Post hæc mittam in eos venatores multos, & venabuntur eos de monte, ibi principes Aquilonis omnes, & universi venatores.* Laqueus, fovea, rete, & pedica, dolos, captionem, & insidias, ac pericula judicant. *Ps. 9. in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Ps. 35. pluit super peccatores laqueos &c. quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui. Prou. 1. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Ps. 7. Lacum aperuit, & effodit eum.* D

Piscatio, piscator; Piscatio bellum grave parvo periculo, magno quæstu, ac studio susceptum. *Hier. 16. ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos. Habac. 1. Totum in hamo suo sublevauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit illud in rete suum. Math. 4. faciam vos fieri piscatores hominum,* mysterium magnum, ut hoc mare magnum, & spatiosum manibus daret Apostolis repellia sua.

Rete, laqueus; exercitum multum significat. *Ezech. 12. extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea,* & ut supra. Ita & laqueus. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Ps.*

Hamus, arma ad præliandum. *Ezech. 29. Et ponam frenum (hebraicè hamum) in maxillis tuis, & extraham te de medio fluminum.*

De Architectura, & ejus usu.

HÆC ars inter rusticas, humano victui admodum necessaria, altiori sensu in Scriptura usurpatur; æterna enim vita homines expectat, quam maximè spectant Scripturæ. Ideò in Apoc. Hierusalem cælestis utiq; describitur, ejusq; forma, materia, figura, mensuraque delineantur; Ezech. templum, & tabernaculum, & alibi Scriptura talia præferibit ædificia, qualia cœlestem tantum, ac propriè anagogico arcano, commendant habitationem. Satis sit innuisse, ne nimis extendamur exemplis.

Ædificare commune verbum, omnem constructionis formam complectens. *Gen. 2. ædificauit Dominus costam in mulierem;* quia mulier prima habitatio est singulorum. *Gen. 4. Cain ædificauit ciuitatem,* scilicet nedum habitationem filiis, sed & habitationis cives. *Gen. 8. ædificauit Noe altare Domino,* religionem construens.

Generis, & familiæ dilatationem, & prosperitatem. *Deut. 29. sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. 2. Reg. 7. quia tu, Domine exercituum &c. dicens, domum ædificabo tibi, & Psal. 88. ædificabo in generatione, & generationem semen tuum.*

Prosperitatis simbolum est ædificatio. *2. Paral. 24. ædificauit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, & nulla temporibus ejus bella surrexerunt &c. Prou. 14. sapiens mulier ædificat domum suam, insipiens extructam quoque, manibus destruet.*

Stabilire, & statuere negotium, per ædificationem significatur. *Ps. 27. destrues illos, non ædificabis eos. Ps. 88. in æternum misericordiam ædificabitur in cælis. Ps. 121. Hierus. quæ ædificatur, ut ciuitas. Eccl. 3. tempus destruendi, & tempus ædificandi. Hier. 1. constitui te, ut destruas, & ædifices, & plantes. 2. Chor. 13. Azam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. Gal. 2. si enim quæ destruxi, iterum ædifico, prævaricatorem me constituo.*

Ædificator, & Architectus, idem, quod studiosus, & efficax procurator. *Isa. 58. vocaberis ædificator sepium, 1. Chor. 3. secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.*

Totum negotium, ædificii nomine, & imagine indicatur,

Indicatur, ut Paulus hoc loco, & Ezechiel pluribus capitibus.

Umbra umbraculum. Prima hominum latibula, umbras fuisse credimus, sive naturales ex arborum virentium textura, ac ramis, sive industria paratas. *Gen. 3. abscondit se Adam, & uxor ejus a facie Domini] in medio ligni paradisi.* Hinc umbra, & umbraculum, protectionem signific. *Gen. 19. dummodo viris istis nihil mali feceritis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei. Judic. 9. venite sub umbra mea, & requiescite. Job 40. sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus; protegunt umbræ umbram ejus. Psal. 16. sub umbra alarum tuarum protege me. Cant. 2. sub umbra illius, quem desideraveram sedi. If. 49. in umbra manus suæ protexit me. Act. 5. ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur &c. Ezech. 31. sub umbraculo ejus habitabat cœtus gentium plurimarum.*

Umbraculum, custodum locus est. *Job 37., & sicut custos facit umbraculum. If. 1. & relinquetur Filia Sion, ut umbraculum in vinea. Ezech. 31. & brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum.*

Umbra vel ad corpus refertur, & imago quædam imperfecta est, vel etiam, ut luci opposita sumitur, sic autem accepta, substantiam immediatè non significat, aut virtutem ejus, cujus umbra est, sed consecutivè. Sic antiqua sacrificia, & mysteria, exemplari, & umbræ cœlestium deservire dicta sunt: *Hebr. 8., & hebr. 10. umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum:* Umbra, cum modo major, modo minor sit, rem fluxam, & inconstantem signific. *1. Paral. 29. dies nostri, quasi umbra super terram, & nulla est mora. Psal. 101. dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fænum arui. Ps. 108., & sicut umbra cum declinat, ablatus sum. Eccl. 7. tempus, quod velut umbra præterit.*

Tabernaculum, tentorium. Tabernaculorum usus ante Domos fuit, qui post in bello, & castris retentus est; & ab iis, qui peregrinam, & non fixam vitam agunt, ut a pastoribus, & nationibus quibusdam, quales Filii Cedar, & Recabitæ. Sic Abraham in tabernaculis habitans, cum Isaac, & Jacob cohæredibus peregrinari se a Domino profitebatur, & *If. 38. Generatio mea ablata est, & convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.*

Accipitur etiam, pro communicatione jurisdictionis. *Gen. 9. dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem. Hab. 1. ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram &c. ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. Job 21. ubi tabernacula impiorum. Ps. 48. tabernacula eorum in progenie, & progeniem.*

Omne etiam, signific. habitationis genus. *Job 5. scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. Job. 8. tabernaculum impiorum non subsistet, Job 18. habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est. Matth. 17. faciamus hic tria tabernacula.*

Pro omni vitæ commodo, & secundo usu. *Prov. 14. tabernacula justorum germinabunt.*

Pro familiaritate, & tutela magni Principis, maximè Dei, *Sap. 9. qui creavit me requievit in tabernaculo meo. Psal. 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Psal. 26. quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum &c. in abscondito tabernaculi sui.*

Templum Dei veri sic vocatur. *Psal. 45. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Psal. 73. polluerunt tabernaculum nominis tui. Psal. 131. donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob, & introibimus in tabernac. ejus. Tren. 2. demolitus est Dominus tabernaculum suum.*

Ecclesia hoc nomine sæpè exprimitur: *Amos 9. suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus.* Disputat Apost. hebr. 9. de tabernaculo non manufacto, quod est Ecclesia.

Humanum corpus, tabernaculum specialiter dicitur in Scriptura, in quo anima a patria sua peregrinans commoratur. *2. Chorin. 5. qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati. 2. Pet. 1. justum esse arbitror, quam diu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione &c. certus sum, quod velox est depositio tabernaculi mei.*

Arcanè Beatissima Virgo dicitur tabernaculum proprium Dei. *Sap. 9. qui creavit me requievit in tabernaculo meo. Ps. 18. in sole posuit tabernaculum suum,* & frequenter in *Psal. 5. sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus manè diluculo.* Tota sic Verbi Matrem veneratur Scriptura, & Matrem misericordiæ hoc nomine imploramus nos peccatores. *If. 4. tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem a turbine, & a pluvia,* ipsaque ne timeamus majestatem luminis gloriæ ejus, ait *Cantic. 1. nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar,* quæ erant fortissima in defensionem, erant enim continua habitatio populi illius, ut supra initio vidimus.

Tentoria similiter ponuntur in Scriptura, etiam pro domo, palatio, & regia. *Hier. 4. repentè vastata sunt tabernacula mea, & Hier. 10. Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei disrupti sunt.*

Pastus etiam, & passionis usum signific. *Isai. 13. Nec ponet ibi tentoria Arabs,* magis verò obsidionem. *Hier. 6. Ad eam venient pastores, & greges eorum, fixerunt super eam tentorium in circuitu. Ezech. 25., & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua.*

Domus præter naturalem significationem, arcanè signific. totam familiam, & posteritatem, idque majori elegantia hebraicè, quam græcè, aut latinè, ut testantur, utrobique periti. Idem enim nomen hebraicum, & lapides ad ædificationem commodos, & filios ad posteritatem propagandam procreatos significat, unde perpetuus est hujus elegantiæ usus in Scriptura. *Ex. 2. egressus est vir de domo Levi. Levit. 10. Omnis domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit. Ps. 113. In exitu Israel de Ægypto, Domus Jacob &c.* & frequenter in eodem Psal., & alibi passim.

Diversa

Diverſa etiam munera factiones, & ſtudia, prout ſingulis familiis competunt. Pſal. eodem. Sacerdotalis, & laicalis familia ſic diſtinguitur. *Benedixit Domui Iſrael, benedixit domui Aaron;* ſic & Domus regia dicitur familia tota regia cum miniſtris, & magiſtratibus, prout a cæteris diſtinguitur, & ad hoc facit, quod *Pſal.* 67. *dicitur, qui habitare facit unius moris in domo.*

Domus etiam dicitur, cujuſque rei repoſitorium, in quo conſervatur. *Pſ.* 44. *mirrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te Filiæ Regum in honore tuo. Pſ.* 83. *ſepulcra illorum domus eorum in æternum. Paſſer invenit ſibi domum. Pſ.* 83.

Domus Dei communiter, templum Dei dicitur, illud verò ſignificantius, quod domus abſolutè, vel Domus Domini, inſtitutum vitæ, & religionis, & morum diſciplinam oſtendat. *Prov.* 31. *conſideravit ſemitas domus ſuæ. Pſal.* 22., *& inhabitem in domò Domini omnibus diebus vitæ meæ, & viſitem templum Domini, & illud, Domine dilexi decorem Domus tuæ. Pſ.* 54. *in domo Dei ambulauimus cum conſenſu, & plantati in domo Domini, in atriis Dei noſtri florebunt. Pſ.* 91.

Pii quoque homines, omnes & ſinguli dicuntur, domus Dei. *Hebr.* 3. dicitur Chriſtus tamquam fidelis in domo ſua, quæ domus ſumus nos. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* 1. *Petr.* 2. *& vos tamquam lapides vivi, ſuper ædificamini domus ſpiritalis, &* 1. *Petr.* 4. *tempus eſt, ut incipiat judicium a domo Dei. Pſ.* 10. *Dominus in templo ſancto ſuo.*

Templum communiter dicitur locus, vel Deo vero, vel falſis Diis dicatus, ſed pro cœlo, & mundo ſumitur. Pſal. eodem. *Dominus in templo ſancto ſuo Dominus in cœlo ſedes ejus. Pſ.* 17. *exaudivit me de templo ſancto ſuo. Iſa.* 6. *quæ ſub ipſo erant, replebant templum.*

Corpus humanum, animæ templum, at Chriſti corpus, animæ, & divinitatis ipſius templum eſt. *Jo.* 2. *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud, hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Anima verò ſpecialiter dicitur templum Dei, cum eſt in gratia. 2. *Chor.* 5. *vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis.*

Natura humana, vel etiam Eccleſia, ſic dicitur. *Eph.* 2. *in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.* 2. *Teſſal.* 2. de Filio perditionis Antichriſto dicitur, *ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.*

Turris, naturalem ſervat etiam in Scriptura ſignificationem, quod ſit erecta ad defenſionem, unde Beatiſſima Virgo ait. *Cant.* 4. *ubera mea, ſicut turris.* Quia enim dulciſſima eſt Dei Mater, & nutrix, quod per ubera intelligitur, nos inſuperabiliter defendit, quo mollior, eo fortior, lacte pugnans pro nobis filiis ſuis, & de eadem *Iſa.* 5. *ædificavit turrim in medio ejus*, hoc eſt Eccleſiæ.

Villa præter naturalem ſignificationem, indicat rem, ſeù negotium. *Luc.* 14. *villam emi. Luc.* 15. *miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.*

A Torcular ſumitur pro muſto. *Oſ.* 9. *area, & torcular non paſcet eos. Agg.* 2. *Intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas.*

Significat etiam calamitatem, & preſſuram, ſeu judicium graviſſimæ pœnæ inflictivum. *Tren.* 1. *torcular calcavit Dominus Virgini Filiæ Juda. Iſa.* 63. *torcular calcavi ſolus. Joel* 3. *venite, & deſcendite, quia plenum eſt torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata eſt malitia eorum. Apoc.* 19. *Torcular vini, furoris, iræ Dei.*

Legis exactio, & præceptorum, exercitatio dicitur torcular. *Iſa.* 5. *& Matth.* 8. *torcular extruxit in ea*, hoc eſt Eccleſia.

Carminis etiam genus ſignific. quod cani ſolebat, tempore vindemiæ, & torculariûm. Unde Pſalmos aliquos legimus inſcribi, pro torcularibus, B quia eorum verſus, ac pedes concinnati erant, eo metro, quod proprium erat, carminum, torculariûm. Ità advertit Montanus. Nec tamen aliæ excludi debent intelligentiæ tituli ſimilis, quas ex Auguſt. Incognito cæteriſque afferemus ſuo loco.

Terminus, potentiam, ditionem, & dominationem ſignificat, limite certo præſcriptam. *Gen.* 10. *Facti ſunt termini Chanaan, venientibus a Sidone Geraram, uſque &c. Ex.* 34. *Et cum tulero gentes a facie tua, & dilatavero terminos tuos. Iſ.* 10. *& abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum. Hier.* 31. *& revertentur Filii ad terminos ſuos &c.*

Sepulcrum pro morte ipſa ponitur. *Job* 3. *gaudent vehementer, cum invenerint ſepulcrum, &* 17. C *ſolum mihi ſupereſt ſepulcrum.*

Mortem etiam ſignific. inſatiabilem, & nocendi aviditatem nimiam. *Pſal.* 3. *ſepulcrum patens eſt guttur eorum. Hier.* 5. *pharetra ejus, quaſi ſepulcrum patens. Hab.* 2. *dilatavit quaſi infernus animam ſuam.*

Vacuitas, inopiam, & calamitatem ſignific. ex illa antiqua privationis imagine, cum. *Gen.* 1. *terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Exodi* 3 *cum egrediemini, non exhibitis vacui, ideſt inopes. Ruth.* 1., *& vacuam reduxit me Dominus*, & paſſim. *Job* 22. *vacua eſt anima ejus.*

Otioſum etiam, & proprio effectu carens dicitur vacuum. *Iſa.* 55. *Verbum, quod egredietur de* D *ore meo, non revertetur ad me vacuum. Abac.* 2. *laborabunt gentes in vacuum, & deficient.* 2. *Chor.* 6., *& gratia ejus in me vacua non fuit*, frequens locutio eſt.

Plenitudo eleganter ponitur pro univerſitate rerum. *Deut.* 33. de frugibus terræ, & de plenitudine ejus. 1. *Paral.* 16. *tonet mare, & plenitudo ejus. Pſal.* 23. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus &c.*

Perfectionis etiam, & integritatis præfert imaginem. *Prov.* 19. *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur, abſque viſitatione peſſimi. Joan.* 1. *de plenitudine ejus omnes accepimus. Coloſ.* 2. *in Chriſto habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed in virtute, & in Spiritu Sancto,*

cto, & in plenitudine multa. Ps. 71., & dies pleni inuenientur in eis. Marc. 4. plenum frumentum in spica.

Plenitudo, abundantiam etiam, & prosperitatem. Gen. 25. ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni. Gen. 41. septem spica plena, atque formose in culmo uno. Joan. 1. vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Vnigeniti a Patre plenum gratia, & veritatis. Joan. 16. ut gaudium vestrum sit plenum. In his autem locis æquè plenitudo significat perfectionem, sed ex abundantia ipsa judicatam, uti clarum est.

Puteus, sive lacus, sine aqua, periculum inextricabile, & horrendum, sicut apud Inferos innuit. Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui; emisisti vinctos tuos de lacu, quo non est aqua.

Puteus cum aquis, miserias admodum importunas. Tren. 3. lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me, inundauerunt aqua super caput meum, dixi perii. Apoc. 9. data est ei clauis putei abyssi.

Puteus venatorius, insidias, & periculum. Ps. 54. deduces eos in puteum interitus. Prou. 23. puteus angustus, aliena; Et pro quocumque periculo sumitur. Luc. 14. cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet. Ezech. 26. descendentes in puteum, seu lacum dicuntur pereuntes.

Pro legitimi conjugii usu sumitur a Salomone. Prou. 5. bibe aquam de cisterna tua, & fluenta de puteo tuo &c., & non bibat alienus ex ea &c.

Lacus præter communes, nec non & peculiares hactenus tactas significationes, cum ferè similes eas, ac puteus sortiatur. Aliquando stat pro gravissimo, & teterrimo carcere, qui vel servis, vel odiosis hominibus paratur ad pœnam, Hier. 37. Itaque ingressus est Hieremias, in domum laci, & in ergastulum, & c. 38. Tulerunt Hieremiam, & projecerunt in lacum Melchia Filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris.

Aliquando, & sæpè pro sepulcro, seu perditione. Psal. 29. saluasti me a descendentibus in lacum. Psal. 142. Non auertas faciem tuam a me, & similis ero descendentibus in lacum. Prou. 1. deglutiamus eum, sicut infernus viuentem; & integrum, quasi descendentem in lacum. Isa. 38. non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Rara, & eggregia significatio est, ut maternam generis originem significet. Isa. 51. respicite ad petram, ex qua excisi estis, & ad cauernam laci, de qua defossi estis.

Fovea, periculum, imprudenti objectum. Jos. 23. erunt vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro. Prou. 22. fouea profunda os aliena, & 23. cui fouea, cui sine causa vulnera, nonne iis, qui in vino commorantur? Eccl. 10. Qui fodit foueam incidet in eam.

Naturale ejus etiam significatum servatur, ut stet pro latibulo, vel hominum, vel ferarum. Is. 34. habet foueam Ericius. Math. 8. vulpes foueas habent &c.

Navis, maritimum locum innuit. Gen. 49. Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium. Navis etiam piscationem, ac frequentius

A negotiationem mercaturæ. Judic. 5. Dan vacabat nauibus. Ps. 47. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis, & Ps. 103. illic naues pertransibunt. Is. 2. dies Domini exercituum super omnes naues Tharsis. Is. 23. nunc stupebunt naues maris in die pauoris tui. Ezech. 26. & naues maris Principes tui in negotiatione tua. Apoc. 8. tertia pars nauium interiit.

Anchora sumitur pro symbolo firmæ spei. Hebr. 6. quam sicut anchoram habemus anima tutam, & firmam, & incedentem usque ad intima velaminis.

Solium, regiam potestatem, & auctoritatem. Gen. 41. uno tantum regni solio te pracedam. Prou. 16. justitia firmat solium. Is. 14. super astra Dei exaltabo solium meum. Tren. 5. non est solium filia Chaldæorum. Etiam sacerdotalem dignitatem. Zach.

B 6. erit Sacerdos super solium suum.

Via, doctrinam, institutum, vivendi rationem, & negotii exequendi formam. Ps. 118. Beati immaculati in via. Hier. 18. frustra libantes, & impingentes in viis suis. Ps. 25. vias tuas Domine demonstra mihi. Math. 1. ecce ego mitto Angelum meum &c. qui præparabit viam tuam ante te.

Via pro vulgari vivendi consuetudine. Hier. 3. vide, ubi non prostrata sis, in viis sedebas expectans eos, quasi latro. Sumitur etiam pro duri, & vulgaris ingenii moribus, ut quod Marci 4. dicit Christus de semine cadente secus viam &c.

Publicitatem etiam rei significat. Hier. 48. in via sta, & prospicè habitatio Aroer. Via spinosa, difficultatis periphrasis est, è contra vero inoffensa via, facilitatis. Prou. 15. Iter pigrorum, quasi

C sepes spinarum, via justorum absque offendiculo.

At maximo mysterio via dicitur Christus. Jo. 14. ego sum via, ego vado, & viam scitis; nemo venit ad Patrem, nisi per me &c.

Semita angustior, quam via, & paucis nota, quandam innuit singularitatem uti a viæ publicitate distincta; Semitam ignorauit auis. Job. 28. & Job. 18. abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam. Ps. 8. de piscibus, qui perambulant semitas maris. Ideò sumitur pro privato, ac peculiari alicujus consilio. Job. 19. semitam meam circumsepsit, & custodiuit omnes semitas meas. Job. 33. intelligas semitas domus tua. Ps. 138. semitam meam, & funiculum meum investigasti. Prou. 1. sic semita omnis auari, animas possidentium rapiunt.

D Singularem, ac peculiari studio dignam doctrinę partem significat. Ps. 22. deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum. Ps. 26. dirige me in semitam rectam.

Varias etiam hominum opiniones. Hier. 6. state super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Hier. 18. oblitus est mei populus meus &c. impingentes in viis suis, & in semitis sæculi, ut ambularent per eas, in itinere non trito.

De his, quæ ad Architecturam referuntur.

AD arcani, figuratique sermonis Scripturarum usum, quædam reperiuntur ex his, quę

ad

ad Architecturam spectant accommodata, uti sunt, quæ materiam vel ædificiorum partes, vel instrumenta, aut modos indicant, eaque brevissimè prælibantur.

Maceries opportunum, cujusque rei terminum, certa cura, & custodia conservatum, eamque conservantem. *Ps. 143. non est ruina maceriæ, neque transitus. Os. 2. ego sepiam vias tuas spinis, & sepiam eam macerie. Mich. 7. dies, ut ædificentur maceriæ tuæ.* E converso. *Ps. 61. interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ. Ps. 79. destruxisti maceriem ejus. Is. 5. & diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem*, quæ autem difficilia occurrunt ex Scriptura, circa hoc nomen, suo loco explicabuntur. Idque notandum est etiam, quod cætera, quæ in hoc tractatu tanguntur. Consultò enim plura sub præsenti silentio, propriis locis reservantur, ne ubique eadem repetendo, frustra opus propriam excedat mensuram. Illud autem magis arcanam rem indicat, quoad præsens, quod ait Apost. *Eph. 2.* Medium parietem maceriæ a Christo dirutum, in quo distinctionem populorum, & inimicitias, ac separationes, variaque studia, ad summam pacem, gratiam, consortiumque fuisse traducta significat.

Paries, negotium significat, ob commodum, cogitatum, susceptum, quale est, cum novum aliquid superbi homines, ambitionis, vel avaritiæ causa moliuntur. Sic *Ezec. 13.* populo ait Deus, quod *ædificabat parietem, quem Pseudopropheta luto illinirent, citò casurum. Ita Habac. 2. lapis de pariete clamabit*, quo innuitur, subsistere non posse.

Paries inclinatus rem instabilem, ruinæque proximam innuit, ut supra *Ps. 61.* de maceria &c.

Paries dealbatus, hypocritam, virtutem foris ostendentem, vitium intus nutrientem. Sic Apost. *Act. 23. percutiet te Dominus, paries dealbate.*

Murus præsidium. 1. *Regum 25. pro muro erant nobis tam nocte, quam die. Prov. 18. substantia divitis, urbs roboris ejus, & quasi murus validus circumdans eum. Prov. 25. sicut urbs patens, absque murorum ambitu.*

Urbs ipsa, murus dicitur, si est munita, & instructa. *Is. 2. super omnem murum munitum. Is. 56. dabo eis in muris meis locum. Ps. 50. ut ædificentur muri Hierusalem.*

Transgredi murum, est capere urbem. *Ps. 17. in Deo meo transgrediar murum, & nocte vastatus est murus Moab. Et. Tren. 2. cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion.*

Ita murum inspici a Deo, est servari civitatem. *Is. 49. muri tui coram oculis meis. Is. 60. occupabit salus muros tuos.*

Murus juxta id, quod ipsi adjungitur significat, & adjuncti emphasim auget, ut murus ferreus.

Murus igneus fortissimam, & inaccessam custodiam innuit. *Ezech. 4. Tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te, & inter civitatem. Zach. 2. ego ero ei, ait Dominus murus igneus in circuitu. Apoc. 21. & habebat murum magnum, & altum.*

Sine muris habitare, modò securitatem, modò populi extensum nimis numerum. *Ezech. 38. ascen-*

A *dam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes, habitantesque securè, & absque muro habitabitur Hierus. præ multitudine hominum, & jumentorum in medio ejus.*

Iniquissimam custodiam, seu potius obsidionem peccatorum, eorumque multitudinem exagerat. *Ps. 54. tota die circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & in medio plateæ ejus usura, & dolus.*

Fundamentum; hoc nomine fortitudo, & stabilitas innuitur in omni negotio. *Prov. 10. justus autem quasi fundamentum sempiternum. Ps. 136. exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. Psal. 17. fundamenta montium conturbata sunt, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum. Ps. 86. fundamenta ejus in montibus sanctis.*

Ideoque etiam actionem optimo consilio initam
B signific. *Luc. 6. similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum suum supra petram. 2. Tim. 2. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc &c.*

Pro Principibus, & Magistris, summisque viris, stat fundamenti nomen. *Hier. 51. ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta ejus.*

Antonomasticè stat sæpè pro Christo. *1. Chor. 3. fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est Christus Jesus.* Ita ut dicatur fundamentum fundamenti. *Eph. 2. superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide. Christo Jesu.*

Angulus, angustum statum, vitamque privatam, & absconditam signific. *Prov. 21. melius est sedere*
C *in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi.* Angulos platearum dixit Sapiens, secretiora, & exquisita loca.

Ubi peculiariter agitur de ædificio, angulus firmitatem significat fundamenti. *Ps. 117. lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli. Zach. 10. Ex ipso angulus, & ex ipso paxillus.*

Columna, eam vel personam, vel rem signific, cui vel respublica, vel totum innititur negotium. *Job. 9. qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus contremiscunt. Ps. 74. Ego confirmavi columnas ejus.*

Rectam etiam instructionem. *Prov. 9. Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit columnas septem. Et Salom. columnas domus fecit argenteas.*

D Munimentum, atque constantiam &c. *Hier. 1. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream. Prima Timoth. 3. columna, & firmamentum veritatis vocatur Ecclesia. Apoc. 3. faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Porta, seu hostium, aditum negotii significat. Sic portæ mortis, morbi gravissimi, vel pericula summa, dicuntur. *Ps. 9. Qui exaltas me de portis mortis. Gen. 28. non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Ps. 117. Aperite mihi portas justitiæ, scilicet cognitionem, & hæc porta Domini, justi intrabunt in eam, & Apost. ostium mihi apertum est magnum, & evidens, & adversarii multi.*

Portæ pro tota civitate, idest habitatoribus, eorumque frequentia, vel quandoque infrequentia. *Is. 3. Lugebunt portæ ejus. Is. 14. ulula porta,*

clama divitias, & occupabit portas ejus. Ruth 3. Et scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ.

Porta pro judicio frequenter accipitur, quia in portis civitatis, sedes erat judicii. Frequens locutio est.

Institutionem vitæ signific. Math. 7. Intrate per angustam portam, quia lata porta est, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem. Quam angusta porta &c.

Portas valuas, & ostia, posita invenies pro labiis. Eccles. 12. & claudent ostia in plateas.

Melius porta Christus est, per quem accessum habemus ad Patrem, ad vitam, ad regnum, immò ad Ecclesiam. Jo: 10. Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. B

Portæ Inferi, peccatum, & peccati regnum, ex quo aditus est ad Inferos. Math. 16. super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.

Portæ stant pro Apostolis. Ita Apoc. 21. duodecim ponuntur portæ civitatis.

Medium, selectissimam partem significat, virtutem, æquitatem. Ita frequentissimè in arcano sermone; quod determinari debet juxta contextum. Ezech. 5. Hæc dicit Dominus: Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam. Ps. 39. & legem tuam in medio cordis mei. Ps. 81. in medio autem Deos judicat.

Rectum, justum, & optimam institutionem, seu rem, & actionem, curvum verò, sive obliquum significat oppositum. Patet in tota Scriptura; Rectum etiam stabilem, & quietum. Curvum verò inquietum, & declinantem. Ps. 50. Spiritum rectum innova in visceribus meis. Eccles. 7. hoc inveni, quod ab initio Deus fecit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus. C

Materia, ejus nobilitas, vel ignobilitas rem commendat, vel deprimit. Fecit Deus hominem de limo terræ, & quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. 3. Cantic. 1. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Res est æquè evidens, & frequens.

Petra, refugium significat. Sic Ps. 70. David Deum petram suam dicit, & alibi frequenter.

Petra etiam dicitur, firmissima veritatis notitia, seu Fides, ob quam Christus ait Petro. Math. 16. Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Notissima est acceptio Petræ pro Christo. Petra autem erat Christus, & Rom. 9. lapis offensionis, & petra scandali.

Idem etiam lapis angularis, & probatus, immò petra fluens. 1. Chor. 10. bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem &c.

Petram, vel lapidem imponere alicui, desperatam, & insuperabilem calamitatem. Tren. 3: lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt super me lapidem. Et expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus &c.

Perpendiculum, judicium rectum, & examen justum. A Isa. 28. ponam judicium in pondere, & justitiam in mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. Zach. 1. perpendiculum pro linea ad ædificandum admota Interpres vertit.

Idipsum & Trulla. Amos 7. Ecce Dominus stans super murum, & in manu ejus trulla cæmentarii.

Vectes, idipsum ferè quod ostia, at magis fortitudinem concretam, atque custodiam. Job. 38. circumdedi illum terminis meis, & posui vectem, & ostia. Ps. 106. qui contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Is. 43. propter vos emisi Babylonem, & detraxi vectes universos &c.

Illud autem, scilicet ostium, securitatem indicat. Ezech. 38. Non ostia, nec vectes eis.

Trabs rem maximè notabilem, atque conspicuam. Math. 7. vides festucam, quæ est in oculo fratris tui, & trabem quæ in oculo tuo est, non considerans.

Clavis, potestatem, auctoritatemque significat. Is. 22. dabo clavem Domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat &c. Luc. 11. quia tulistis clavem scientiæ, & nec ipsi intratis, nec alios sinitis intrare. Math. 16. tibi dabo claves regni cælorum &c. Apoc. 1. habeo claves mortis, & inferni. Immò clavis, pro ipso Rege, aut Christo, quandoque ponitur, ut interpretatur Ecclesia locum Isaiæ, mox datum.

Linea, si repetita, lentam actionem significat. Is. 28. & erit eis Verbum Domini, expecta, reexpecta. Ubi hebraicè legitur: Linea ad lineam, ut notat Arias.

C Linea funiculus ædificantium, ædificationem significat. Zach. 1. linea sive perpendiculum extendetur super Hierusal. Job. 38. quis extendit super eam lineam?

Aliquando verò excidium parare. Tren. 2. Tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam.

De pænis, quæ belli usum respiciunt.

DUX in Scriptura pro rectore, & gubernatore in omni rerum genere ponitur. Habac. 1. Facies homines, quasi pisces maris, et quasi reptilia, quæ non habent ducem? Hier. 3. vocabis Pater meus, dux Virginitatis meæ. Malach. 1. offer illum duci tuo, si placuerit illi. Math. 2. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

D Pro magistro, & præceptore elegantèr ponitur. Math. 15. cæci sunt, et duces cæcorum. & 23. væ vobis duces cæci. Rom. 2. confidis te ipsum esse ducem.

Ducem pro magistratu accipit D. Petr. 1. 2. Sive Regi, quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.

Exercitus usurpatur pro re terribili. Cant. 6. pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata.

Speculator, Prophetam, Admonitorem, bonæque doctrinæ ministrum. Ezech. 36. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annunciabis eis. Hier. 6. constituam super vos speculatores.

Arma, bellum, & pugnam ipsam. Hier. 46.

pra-

præparate scutum, & clypeum.

Rustica instrumenta in arma converti, magnum, & frequens bellum indicat. Joel. 3. concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Oppositum verò pacem tranquillam. Is. 2. conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Id ipsum ferè Michææ 4.

Armorum nitor, ad terrorem. Naum 2. Aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

Armatura Dei, fortitudinem, ac virtutem signific. Eph. 6. propterea accipite armaturam Dei.

Hasta, & clypeus, per hos describuntur nationes, quæ ipsis utebantur, scilicet septentrionales. Ezech. 38. multitudinem magnam, hastam, & clypeum accipientium.

Victoriam signific. specialiter. Josue 8. Leva (ait ei Deus) clypeum, qui est in manu tua contra urbem Hai, quia tradam eam tibi &c. ubi alii vertunt ex hebræo. Leva hastam militarem, a ducibus gestari solitam.

Hasta fulgurans, terrorem pugnantis, & timorem aggressi signific. Naum 3. Micantis gladii, & fulgurantis hastæ. Habac. 3. in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore coruscantis hastæ tuæ. Ibi autem describuntur fulgura, & fulmina secundum Montanum.

Arcus, & sagitta, vim bellandi, & arma propria alicujus nationis, ut Elamitarum. Hier. 49. Ecce ego confringam arcum Elam, & summam fortitudinem eorum. Et Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum. Percutiam arcum tuum, in manu sinistra tua.

Robur etiam, & fortitudinem. Os. 1. In illa die conteram arcum Israel in valle Jezrael. Am. 2. Non enim in arcu meo sperabo. Et tenens arcum non stabit. Zach. 10. Ex ipso angulus, & ex ipso paxillus, & ex ipso arcus prælii.

Arcui hæc adscribuntur, velox percussio, certitudo feriendi, & copia sagittarum pro copia ferientium, quæ diversimode in Scriptura applicantur in arcano sensu, unde pro certa, & cita victoria. 4. Regum 14. Elisæus ait, affer arcum, & sagittam &c. ita ut tot significarentur victoriæ, quot jaculationes, & cohærenter addicta. Tren. 2. omnes arcus eius extenti: tetendit arcum suum, quasi inimicus. Abac. 3. suscitans, suscitabis arcum tuum, scilicet Christum.

Periculum etiam ex dolo, quod minus valeat præcaveri, per arcum significatur. Psal. 10. Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in occulto rectos corde. Ps. 63. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Expressa arcus materia, juxta illam, vim auget significativam. Psalm. 17. posuisti, ut arcum æreum, brachia mea. Job 20. fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.

Arcus dolosus, ejus, qui officium deservit, aut pervertit in symbolum assumitur. Os. 7. reversi sunt, ut essent absque jugo, facti sunt, quasi arcus dolosus. Ps. 77. & averterunt se, & non servaverunt pactum, quemadmodum Patres eorum, conversi

A sunt in arcum pravum.

Arcum tendere, est ex consilio, ac studiosè moliri malum alteri. Tren. 3. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.

Ensis, gladius accinctus, belli propositum, ac studium signific. Cant. 3. uniuscujusque ensis super femur suum. 2. Regum. 11. Et accinctus erat ense novo.

Gladius, perniciem publicè, & cominus adductam, sicut arcus eminus, & occultam. Psal. 36. gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum. Ps. 143. Numerabo vos gladio, & omnes in cæde corruetis, & alibi e gladio maligno eripe me.

Efficacitatem magnam, & promptam gladius indicat. Isa. 49. posuit os meum Dominus, quasi gladium acutum. Hinc Hebræo 4. sermo Dei dicitur

B gladius acutus, & penetrabilior: Et Apoc. 1. de ore ejus exibat gladius utraque parte acutus. Is. 27. & visitabit Dominus in gladio suo, duro, grandi, & forti super Leviathan.

Acutus efficacitatem, limatus terrorem signific. Ezech. 21. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, & limati ad fulgendum.

Communiter in Scriptura gladius idem est, ac bellum. Is. 1. gladius devorabit vos, & 3. viri tui gladio cadent. & 51. Contritio, & fames, & gladius. Ezech. 5. gladium evaginabo post eos.

Separationem etiam. Matth. 10. Non veni pacem mittere, sed gladium.

Item dolorem. Luc. 2. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.

C Magistratum, seu publicam potestatem. Rom. 13. Non enim sine causa gladium portat.

Securis rusticum, & domesticum instrumentum, quandoque, & bellicum, & tunc exterminium ultimum signific. Psal. 73. securibus exciderunt januas ejus, & in securi, & ascia dejecerunt eum. Hierem. 46. cum securibus venient ei. Matth. 3. & Luc. 3. de Christo, qui fuit destructor peccati: Jam securis ad radicem arboris posita est.

Novacula, nocumentum improvisum. Psal. 51. sicut novacula acuta fecisti dolum.

Exercitum quoque, universa sine pietate vastantem, & nemini parcentem. Isa. 7. in illa die radet Dominus in novacula conducta in iis, qui trans flumen sunt, in Rege Assyriorum, caput, & pilos pedum, & barbam universam.

D Lapis fundæ certissimam, & terribilem incursionem. Zach. 9. Devorabunt, & subiicient lapidibus fundæ.

Scutum, defensionem, & salutem: Deut. 33. qui salvaris in Domino, scuto auxilii tui 2. Regum 22. Scutum meum, & cornu salutis meæ. Psal. 34. apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Ps. 90. Scuto circumdabit te veritas ejus: Eph. 6. In omnibus sumentes scutum fidei hinc Judæi. 1. Mach. 9. Romanis scutum miserunt, ut sic vel facto peterent protectionem.

Serra ultionem, seu penam. Hinc serrati currus, gravissimam stragem indicant. 2. Reg. 12. Populum quoque ejus adducens serravit, & induxit super eos serrata carpenta. Isa. 41. Ego posui te quasi plaustrum triturans, novum, & habens rostra serrantia.

Currus auctoritatem, ac potestatem signat. Gen. 41. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum &c. Potentiam, & fortitudinem bellicam. 4. Reg. 19. In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium. Ps. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Hier. 4. Et quasi tempestas currus ejus. Apoc. 9. Vox curruum equorum multorum currentium in bellum. A

Currus regna, & imperia signific. quæ bello rem gesserunt; Hinc Zach. 6. quatuor currus pro quatuor imperiis.

Æquitatus fortitudinem, & strenuitatem bellicam. Cant. 1. equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.

Tubam, Evangelium. Zach. 9. Dominus in tuba canet. Item & Judicium. Tess. 4. Canet enim tuba, & nos resurgemus. B

Lætitiam. Ps. 46. Ascendit Dominus in voce tubæ. Ps. 80. buccinate in Neomenia tuba; sæpissimè bellum, ut passim offendes.

De Instrumentis, seu rebus, molestia inferendæ causa institutis.

MUnus, servitutem, & obedientiam Victori Principi exhibitam. Judic. 3. miserunt Filii Israel, per Aod munera Eglon Regi Moab. Psal. 67. Tibi offerent Reges munera. Ps. 71. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent.

Accepta a Judice, acceptionem Personarum arguunt, hinc in Scriptura arguuntur. Deut. 10. personam non accipies, nec munera. Psal. 14. Et munera super innocentem non accepit. Is. 1. Omnes diligunt munera. C

In bonam partem acceptam, benevolentiam, & honorem. 3. Reg. 10. Salomon dat Sabæ munera, sæpè in Scriptura.

Protestationem etiam cultus divini. Gen. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò &c.

Onus, servitutem, & subjectionem, vel tributum. Exodi 1. Preposuit Magistros operum, ut affligeres eos oneribus. Deut. 26. Afflixerunt nos Ægyptii; & persecuti sunt imponentes onera gravissima.

Onus Verbi Domini, quòd sæpè legimus in Prophetis, intimationem gravissimæ Dei sententiæ importat &c. D

Divinæ legis observantiam, diligentibus levem, obtrectantibus gravem signific. Matth. 11. Onus enim meum leve.

Quandoque doctrinam sonat, & præcepta. Matth. 23. alligant onera gravia, & importabilia, super humeros hominum. Act. 15. Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quam hæc necessaria. Sed hoc de antiqua lege intelligitur.

Indigentiam, etiam, & defectum innuit. Eph. 6. Alter, alterius onera portate. Et conscientiam: Unusquisque onus suum portabit.

Molestiam etiam exhibitam. 2. Chorin. 2. Non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem vos.

Stimulus Impulsum, & quasi necessitatem ab extrinseco. Hier. 45. Stimulator ab aquilone veniet. Eccl. 12. Verba sapientium, sicut stimuli. Act. 9. durum est tibi contra stimulum calcitrare. 1. Chor. 15. stimulus mortis peccatum est.

Molestiam magnam. 2. Chor. 12. datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ &c.

Jugum, servitutem. Gen. 27. tempus veniet, cum excuties, & solves jugum ejus de cervicibus tuis. 3. Regum 12. Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis, tu ergo imminue. Psal. 2. projiciamus a nobis jugum ipsorum. Deut. 28. ponam jugum ferreum super cervices tuas. Matth. 11. Tollite jugum meum super vos, ex quibus, cæterisque locis patet, per jugum significari imperium ex una parte, ex altera servitutem, vel etiam legem, & disciplinam.

Virga, virtutem, auctoritatem, & potestatem. Exod. 4. Reversusque est Moys. in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua; hoc enim virga Moysi, & virga Aaronis semper innuit. Psal. 2. Reges eos in virga ferrea. Ps. 44. Virga directionis, virga regni tui. Isa. 11. & percutiet terram virga oris sui. Scilicet Evangelio. Ester. 5. & extendit contra eam virgam auream. Hæc est sceptrum, ideò Regem significat virga, & Judicem. Ezech. 7. egressa est contritio, floruit virga. Et 19. Egressus est ignis de virga ramorum ejus.

Christum Regem, & Judicem, virgam appellarunt Prophetæ. Isa. 11. Egredietur virga de radice Jesse.

Imperium quoque, ac pœnam, ac correctionem. Isa. 9. virgam humeri ejus confregisti. Isa. 10. væ Assur virga furoris mei. Prov. 10. virga in dorso ejus, qui indiget corde. Prima Chorin. 4. Vultisne, ut in virga veniam ad vos.

Virga florens potestatis usum. Ezech. 7. floruit virga, germinavit superbia, ita & virga Aaron. Num. 17.

Vincula, leges, observationes, & præcepta, arcanè signific. Ps. 2. dirumpamus vincula eorum. Ezech. 20. subiiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis. Carcerem etiam. Phil. 1. Et in vinculis meis socios vos habeo &c. ita ut vincula mea manifesta fierent in omni prætorio. Act. 26. vellem vos omnes esse sicut me ipsum exceptis vinculis his &c. laborem, molestiam, & oppressionem. Ps. 115. dirupisti vincula mea. Prov. 7. Ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus.

Conjunctionem, & societatem. Colos. 3. Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Eph. 4. solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Laqueus, occultum periculum, & dolos. Hier. 18. laqueos absconderunt pedibus meis. Os. 5. laqueus facti estis speculationi; & rete expansum super Thabor. Prov. 11. qui cavet laqueos securus erit.

Ferè inevitabile discrimen. Isa. 24. formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Psal. 34. & veniat illi laqueus, quem ignorat. 1. Timoth.

3. ut

3. ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

Catena captivitatem, & servitutem etiam spiritualem. *Leu. 26. Ego Dominus, qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis recti. Job 36. Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum.* Fraudem, & dolum. *Isa. 58. si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui, quod non prodest.*

Compes, molestam detentionem. *Tren. 3. circumaedificavit aduersum me, ut non eggrediar, aggravavit compedem meum.* *Arctissimum carcerem, & dolorem. Ps. 104. humiliaverunt in compedibus pedes ejus. Ps. 149. ad alligandos Reges eorum in compedibus. Et omnes Principes ejus confixi sunt in compedibus.*

Flagellum, servitium, & exactionem molestam. *Ex. 5. En famuli tui flagellis cadimur. 3. Reg. 11. Pater meus cecidit vos flagellis &c.* Item contumeliam, & ignobilitatem. *Marci 15. Pilatus tradidit Jesum flagellis caesum; ut crucifigeretur.*

Punitionem, castigationem, tentationem. *Psal. 31. multa flagella peccatoris. Ps. 37. Ego in flagella paratus sum. Ps. 34. Congregata sunt super me flagella, & ignoravi. Job. 42. Vixit autem Job. post hac.* In Hebr. additur *flagella*.

Crux ignominiam, & supplicium. Notissimum est in tota Scriptura; sed magis accipitur pro molestia, & passione quacumque. *Math. 10. Qui vult venire post me abneg. &c. tollat crucem suam &c.* Simile *Luc. 14.* At magis arcane, Redemptionem, & piorum compassionem cum Christo, ejusq; fidem, & Evangelium. *1. Chor. 1. Evangelizare misit me Dominus, non in sapientia Verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, iis autem, qui salvi fimus idest nobis, Dei virtus est. Gal. 5. Si circumcisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior? ergo evacuatum est scandalum crucis.*

Venenum, fraudem, & fallaciam mortiferam. *Ps. 13. venenum aspidum sub labiis eorum. Jac. 3. lingua, inquietum malum plena veneno mortifero.*

Calcatio, cladem cum summa victoria. *Deut. 33. Tu eorum colla calcabis. Is. 63. calcavi eos in furore meo. Malach. 4. calcabitis impios, cum fuerit cinis sub planta pedum vestrorum.*

Radere, omninò delere signific. *Ezech. 5. sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumens eum, et dedecus super caput tuum.*

Instrumenta domestica, & artium aliqua.

VAS nomen commune omni artis instrumento, apud Hebraeos. *Gen. 49. vasa iniquitatis bellantia,* pro armis. *Exod. 12. & postulabit unusquisque a vicino suo vasa aurea, & argentea. Ps. 7. & in eo paravit vasa mortis, scilicet jacula. Psal. 70. Confitebor tibi in vasis Psalmi. Is. 18. In vasis papyri super aquas* pro navigiis.

Clavis, consilium certum, & auctoritatem, ut alibi de hoc eodem nomine superius dictum est.

Mensa relaxationem laboris. *Job. 36. requies*

A *autem mensae tuae erit plena pinguedine. Ps. 22. parasti in conspectu meo mensam adversus omnes, qui tribulant me.*

Mensae paratio, copiam victus. *Ps. 77. numquid poterit parare mensam in deserto, aut parare mensam populo suo. Prov. 9. miscuit vinum, et posuit mensam.* Communis mensa, familiaritatem, & concordiam. *2. Reg. 9. Tu comedes panem in mensa mea semper. Is. 65. qui ponitis fortunae mensam, et bibitis super eam. Luc. 22. ut edatis, et bibatis super mensam meam. Prima. Chor. 10. non potestis mensae Domini participes esse, et mensa daemoniorum.*

Lampas, ignis efficacissimus est, efficaciamque signific., quod alio nomine dicitur spiritus. *Ex. 20. Cunctus autem populus videbat voces, et lampades,* B *et sonitum tubae. Job. 40. de ore ejus lampades procedunt, sicut faces etc. Is. 62. donec eggrediatur ut splendor justus ejus, et lampas ejus, super caput ejus. Apoc. 4. septem lampades ardentes, septem spiritus sunt.*

Lucerna, consilium, & instructionem. *2. Reg. 22. quia tu lucerna mea Domine, et tu Domine illuminabis tenebras meas Job. 18. lux obtenebrescet in tabernaculo ejus, et lucerna, quae super eum est, extinguetur. Ps. 118. lucerna pedibus meis verbum tuum. Prov. 6. mandatum lucerna est, et lex, lux. Jo. 5. ille erat lucerna ardens.*

Curae, ac Regis symbolum. *2. Reg. 21. non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel. 3. Reg. 11. ut remaneat lucerna, David servo* C *meo; cunctis diebus coram me. Apoc. 21. lucerna ejus est agnus.*

Mentem rationis compotem, alias oculum dictam. *Math. 6. lucerna corporis tui est oculus tuus, et non egebunt lumine lucernae.*

Verbi Dei usum. *Math. 4. Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio. Luc. 12. lucernae ardentes in manibus vestris. 2. Pet. 1. Propheticum sermonem, tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco.* Laetitiam. *Ap. 18. Perdam ex eis vocem molae, et lumen lucernae.* Diligentiam. *Luc. 15. Nonne accendit lucernam etc. Sophon. 1. scrutabor Hierus. in lucernis.*

Candelabrum cum lucerna, divinam virtutem, & spiritum Dei. Hoc est candelabrum a Zach. c. 4. visum, nempe Verbum Domini ad Zorobab. D *non in exercitu etc. sed in spiritu meo dicit Dominus exercituum.*

Ecclesiam. *Apoc. 1. conversus vidi septem candelabra aurea.* Populum Dei gratia auctum, & illustratum. *Zach. 4. Vidi, et ecce candelabrum aureum totum. Et lampas ejus super caput ejus.*

Canistrum, diem significare, Joseph indicavit. *Gen. 40. Tria canistra, tres adhuc dies sunt.* Servitutem. *Ps. 80. manus ejus in cophino servierunt.*

De Vasis.

VAS vetus, & tritum rem contemptibilem. *Hier. 22. numquid vas fictile, atque contritum vir iste Jeconias? etc. Os. 8. devoratus est Israel nunc factus est in nationibus, quasi vas immundum.*

Vas

Vas conflatorium, pœnam, animadversionemque, ac tentationes. *Ezech. 22. Sicut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio Hierusalem &c.* ubi de conflatorio vase agitur.

Vas, hominem signific. ut concavum vasis, animam, convexum verò corpus contineat. *Math. 23. vah vobis Scribæ, & Pharisæi, quia mundatis, quod de foris est calicis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Luc. 11. Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam quod intus est, fecit.*

Vasa, instrumenta sunt, quorum nomen pro ministris accipitur. *Vt 2. Timot. 2. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam, siquis autem emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctific., & utile Domino, ad omne opus bonum.*

Vas, conjugum uterque dicitur. *1. Thess. 4. ut sciat unusquisque vas suum possidere, in sanctificatione, & honore &c. 1. Petr. 3. quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam, & cohæredibus gratiæ vitæ.*

Calix sortem certò paratam, & oblatam. *Ps. 10. Ignis grando &c. pars calicis eorum. Ps. 74. hunc humiliat &c. quia calix in manu Domini &c. Psal. 15. Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. Ps. 115. calicem salutaris accipiam &c. Is. 51. Sume de manu Domini calicem iræ ejus &c. Tren. 4. Ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. Luc. 22. Transfer calicem hunc a me.*

Communionem vitæ. *1. Chor. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?*

Humanum corpus, ut supra de vasis.

Olla saturitatem. *Ex. 16. Quando sedebamus super ollas carnium, & Ps. 59. Moab olla spei meæ.* Judicium etiam maturatum, & executum. *Ezech. 24. pone ollam pone, & mitte in eam aquam, congere frusta ejus in eam. Hier. 1. ollam succensam, ego video.*

Saccus vetus, longum usum significat. *Jos. 9. & Aggæi 1.* Saccus pertusus, laborem frustra consumptum.

Uter, animum doctrinæ capacem. Novus nundum eruditum, è contra vetus. *Math. 9. Nemo mittit vinum novum in utres veteres &c.*

Mola servitutem. *Ex. 11. A Primogenito Regis, ad primogenitum Ancillæ, quæ est ad molam. Is. 47. Tolle molam, & mole farinam. Math. 24. duæ erunt molentes in mola, una assumetur.* Molæ usus lætitiam, & convivia. *Hier. 23. perdam ex eis vocem gaudii, vocem molæ, & lumen lucernæ. Ap. 18. vox molæ non audietur in ea.*

Mola asinaria, græcè, & hebraicè dicta Asinus, quia crassissima, & gravissima, depressionem; *Math. 18. Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus &c.*

Clibanus, citam, & vehementem consumptionem. *Ps. 20. pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui. Os. 7. omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente, & calefacti sunt, quasi clibanus, & devoraverunt Judices suos.*

Despectandum etiam rerum signum. *Math. 6. Si enim fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur. Deus sic vestit.*

Ventilabrum, separationem, & dispersionem. *Hier. 15. & dispergam eos ventilabro in portis terræ. Math. 3. cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam.*

Malleus, durum, gravemque impulsum. *Job. 41. Quasi stipitem æstimabit malleum. Prov. 19. parati sunt mallei percutientes corporibus stultorum. Hier. 23. numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras. Hier. 50. Babylonem malleum universæ terræ &c.* Ea enim usus est Deus, ad superbiam aliarum gentium contundendam.

Paxillus consistentiam. *Is. 22. Figam illum paxillum in loco fideli, & auferetur paxillus &c.* Minimum quid. *Ezech. 15. Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur ex ea paxillus, ut pendeat in eo quodcumque vas?*

Rota, motum, ac vertiginem. *Ps. 81. pone illos ut rotam.* Etiam tumultum. *Hier. 42. Vlulabunt gentes a multitudine rotarum illius. Vox impetus rotæ, & equi frementis.* Caput humani corporis. *Eccles. 12. Antequam confringatur rota super cisternam.*

Filium, tenuissimum, & minimum. *Ex. 39. Extenuavit in fila, ut possent torqueri. Gen. 14. a filo subtegminis, usque ad corigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Et rem fragilem. *Judic. 16. rupit vincula, quasi fila.*

Funis, impeditum, captivitatem, & obligationem. *2. Reg. 22. Funes Inferni circumdederunt me,* scilicet mortis discrimen. *Job. 36. Et si vinciatur funiculus paupertatis. Psal. 116. Funes peccatorum circumdederunt me. Et iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Etiam hæreditatem, vel fundum, aut limitem ejus. *Psal. 15. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Jos. 17. ceciderunt funiculi Manasse.* Frequens est locutio.

Funis ad cincturam, miseram conditionem. *Is. 3. Et erit pro zona funiculus.* Funiculum tendere, dirutionem, unde hyperbolicè. *2. Reg. 17. circumdabit omnis Israel civitati illi funes, & trahemus eam ad torrentem. Tren. 2. cogitavit Dominus dissipare murum Filiæ Sion, tetendit funiculum suum &c.*

Camus, vel capistrum, coactionem, punitionem, ac repressionem. *Prov. 26. flagellum equo, & camus asino. 4. Reg. 19. ponam circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te. Ps. 31. In camo, & fræno maxillas eorum constringe.*

Frænum, continentiam in officio. *Job. 30. afflixit me, & frænum posuit in os tuum,* ut alibi.

Mensura, certam rei definitionem nundum exactæ, vel jam suppletæ. *Math. 23. implete mensuram Patrum vestrorum. Job. 28. aquas appendit in mensura, & 38. quis posuit mensuras ejus, si nosti?* Tenuitatem, & angustiam. *Psal. 79. potum dabis nobis lacrymas in mensura. Ezech. 4. aquam in mensura bibes sextam partem hin.* Officium, & retributionem. *Is. 27. In mensura contra mensuram,*

cum

-cium abjecta fuerit; judicabis eam. Math. 7. qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.

De Vestibus.

PLura vestibus, & vestium modis in Scriptura exprimuntur, sicut & nuditate, pauca tamen tangere licet ex instituto brevitatis.

Vestes igitur juxta personam, dignitatem, & potestatem, vel regiam, vel sacerdotalem; Regiam. *Is. 22. Induam eum tunica tua, & cingulo tuo, & confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus.* Pulcræ, lętitiam. *Is. induere vestimentis gloriæ tuæ Hierusalem.* E contra verò expoliari. *Juda Apost. odientes eam, quæ carnalis est maculatam tunicam. Apoc. 3. habes paucos nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulant mecum in albis.*

Vestimentum vetus, mores inveteratos. *Colos. 3. Expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes &c. Math. 9. Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus; tollet enim plenitudinem ejus a vestimento, & pejor scissura fit. Cant. 5. Expoliavi me tunica mea, quommodo induar illa?*

Vestes sacerdotales, decorem, honestatem, & auctoritatem; earum sordidatio, turpitudinem, & iniquitatem. *Zach. 3. Auferte vestimenta sordida ab eo, & dixit ad eum, ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis,* agit autem de Jesu Sacerdote magno.

Corona regia, populi curam, & studium; sacerdotalis, ejusdem disciplinam, de Christo utrumque intelligitur. *Zach. 6. Sumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Jesu Filii Josedech Sacerdotis magni.*

Generaliter honorem, & dignitatem. *Job. 19. spoliavit me gloria, & abstulit coronam de capite meo. Phil. 4. Fratres mei charissimi &c. gaudium meum, & corona mea.*

Laudem virtutis, & præmium emmeritum. *2. Tim. 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Hebr. 2. Gloria, & honore coronasti eum. 1. Chor. 9. Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem &c.*

Pacis, lętitiæ, ac dignitatis in signum sumitur. *Hier. 13. humiliamini, & sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ. 2. Thess. 2. Quæ enim est nostra spes, aut gaudium, corona gloriæ? Is. 61. ut darem eis coronam pro cinere. Prov. 12. Mulier diligens corona est viri, & c. 16. corona dignitatis senectus, & 17. corona senum Filii eorum.*

Diadema, regni peculiare insigne. *Is. 62. Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Apoc. 12. Ecce draco sufusus, habens capita septem, et cornua decem, et in cornibus ejus diademata septem.*

Linteum, mortis indicium, ac sepulturæ. *Luc. 24. Jo.* vidit linteamenta posita, in quibus sepultus fuerat Christus. Linteum magnum quatuor angulorum, orbem terræ signare celebre est. *Act. 10.*

A Purpura, regius color, ad honoris magni signum assumitur. *Dan. 5. Tunc jubente rege, indutus est Daniel purpura, et circumdatus torque aurea.*

Divitias etiam, atque splendorem. *Prov. 31. byssus, et purpura indumentum ejus. Luc. 16. dives Epulo induebatur purpura, et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Apoc. 17. Mulier erat circumdata purpura.*

Saccus, lugentium habitus est in Scriptura frequentissime, & mæstitiam indicat. *Job. 16. Saccum consui super cutem. Ps. 27. conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. Amos. 8. Quasi virgo accincta sacco etc.*

Velamen, divina mysteria. *Hebr. 6. Quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, et*
B *incedentem usque ad interiora velaminis, et 10. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen,* idest carnem suam, *et Sacerdotem.*

Honestatem, & modestiam. Sic jubetur mulier velare caput, & capillos, dicit Apost. datos esse mulieri pro velamine. 1. Chor. 1.

Excusationem. *1. Petri. 2. Non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem, sed sicut servi Dei.*

Sinus familiaritatem, & conjugalem amorem. *Deut. 13. si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut uxor, quæ cubat in sinu tuo. Deut. 28. Et invidebit viro, qui cubat in sinu ejus. Gen. 16. dedi ancillam meam in sinum tuum.*

C Maternam curam. *Num. 11. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi. Porta eam in sinu tuo.*

Protectionem, & similitudinem, ac communionem. *Luc. 16. Lazarus in sinu Abrahæ. Et Joan. 13. Joann. in sinu Christi, quem diligebat Jesus.* Certitudinem, & adhæsionem. *Ps. 34. Hæc spes mea in sinu meo,* idest certa mihi. *Ps. 78. oratio mea in sinu meo convertetur. Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. Ps. 128. Non implebit sinum suum, qui manipulos colligit. Luc. 6. mensuram confertam dabunt in sinus vestros. Prov. 17. munera de sinu impius accipit.* Quo loco etiam occulta præda significatur.

Anulus, fidem, & promissionem. *Gen. 38. da mihi anulum tuum, et baculum tuum.* Auctoritatem, & potestatem.
D *Esth. 8. Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, ex Regis nomine signantes litteras anulo aureo.*

Baculus solus, paupertatem, & solitudinem. *Gen. 37. In baculo meo transivi Jordanem istum.* Iter. *Ex. 12. calceamenta in pedibus, et baculos in manibus tenentes.* Baculus panis pro cibo. *Levit. 26. postquam confregero baculum panis vestri.* Auxilium, & sustentaculum. *4. Reg. 18. An speratis in baculo arundineo?* baculum senectutis Filium suum dicebat Tobias. Gubernationem, & correctionem. *Ps. 22. Virga tua, et baculus tuus ipsa me etc.* Pœnam. *Is. 10. Assur virga furoris mei etc. baculus iste est in manu eorum, indignatio mea. Hier. 45. baculum tuum levabit super te in via Ægypti, quomodo confracta est virga furoris, et baculus gloriosus.*

fus. Longævam vitam quandoq; *Zach.* 8. *Viri, baculus in manu ejus præ multitudine dierum.* Cæcitatem. *Os.* 4. *Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annunciavit ei.*

Sceptrum pro jure regio. *Gen.* 49. *Non auferetur sceptrum de Juda.* *Num.* 18. *Sceptrum patris tui sume tecum.* *Hier.* 51. *Sceptrum hæreditatis Domini Israel.* Dicitur, servitutem impositam. *Is.* 9. *Sceptrum exactoris ejus superasti, et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet.* *Naum* 1. *conteram virgam ejus de dorso tuo etc.*

Speculum, exiguam notitiam. 1. *Chor.* 13. *videmus nunc per speculum, et in ænigmate.* Et inconstantem. Auditorem hinc Verbi, & non factorem, consideranti vultum nativitatis suæ in speculo comparat. *Jacob.* c. 1.

Unguenta inter res pretiosissimas recensentur. 4. *Regum.* 20. *Ostendit eis domum aromatum, et aurum etc. et unguenta varia.* Cultum sacrum. 1. *Paral.* 9. *Filii autem Sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant.* Profanas etiam delicias. 2. *Paral.* 16. *Posuerunt eum super lectum suum plenum aromatibus, et unguentis meretriciis, quæ erant etc.* Hinc unguentum, summam gratiam, & jocunditatem quandoque signif. *Cant.* 1. *oleum effusum nomen tuum.* *Ps.* 132. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam.* *Cant.* 2. *in odorem unguentorum tuorum curremus.* Nimias etiam delicias. *Esth.* 14. *Et pro unguentis variis, cinere, et stercore implevit caput.* *Is.* 57. *Et ornasti te Regio unguento, et multiplicasti pigmenta tua.* *Dan.* 10. *sed neque unguento, unctus sum.*

Calceamentorum par, rem abjectissimam, & vilissimi pretii. *Possideamus pro argento egenos, et pauperes pro calceamentis.*

De rebus institutione magis, quam natura constantibus.

Signum convocationem. *Is.* 5. *Et elevabit signum in nationibus, & sibilabit ad eum de finibus terræ.* *Hier.* 4. *Levate signum in Sion,* aliquando observationem temporaneam. *A signis cæli nolite metuere.* *Et Gen.* 1. *ut sint in signa, & tempora, et dies etc.* argumentum veritatis *Ex.* 3. *Hoc habebis signum quod miserim te.* *Ps.* 85. *Fac mecum signum in bonum, et alibi posuit in eis verba signorum suorum.* Pœnam, & ultionem. *Job.* 16. *confregit me, et posuit me sibi quasi signum.* *Tren.* 3. *posuit me quasi signum ad sagittam.*

Stat aliquando pro tessera. Sic Abraham, circumcisionis signum accepit. *Rom.* 4. *Apoc.* 7. *et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et Apoc.* 9. *jussit ne læderent habentes signum Dei.*

Sigillum, integritatem, custodiam, & arcanum. *Ezech.* 28. *signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore.* *Ag.* 2. *ponam te quasi signaculum, quia elegi te.* *Cant.* 4. *Fons signatus.* *Apoc.* 5. *Vidi librum scriptum intus, et foris, signatum sigillis septem.* Approbationem, & auctoritatem. *Esd.* 10. *Signatores autem fuerunt, Nehemias, Athersatha.*

Tabulæ ad scribendum. Perpetuam recordationem. *Prov.* 3. *misericordia, et veritas te non deserant, describe eas in tabulis cordis tui.* *Habac.* 2. *Explana eas super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.*

Sanctitas, separationem a communi usu, in rebus potissimum divinis. *Ps.* 113. *In exitu Israel de Ægypto, facta est Judæa sanctificatio ejus.* *Ps.* 131. *Exurge Domine in requiem tuam tu, et arca sanctificationis tuæ.* *Lev.* 20. *Sancti eritis mihi, quoniam ego sanctus sum.* Mysteria omnia, quæ significationem habent, arcanam sancta dicuntur. *Math.* 7. *Nolite sanctum dare canibus.*

Sabbatum, tempus impeditum. *Rogate, ne fuga vestra fiat hyeme, vel sabbato.* Spiritualem requiem, & pacem ex Spiritu Sancto. *Hebr.* 4. *Qui enim ingressus est in requiem ejus, requievit ab operibus suis, sicut et a suis Deus.*

Circumcisio, Judæos. *Act.* 10. *obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro etc. et Actorum* 11. *et alibi sæpe.* Renovationem spiritus. *Deut.* 30. *circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui.* *Rom.* 2. *circumcisio cordis in spiritu, non in littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Incircumcisi, Gentiles significat. *Jud.* 15. *En siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.* *Is.* 52. *Et incircumcisus, et immundus, et morte incircumcisorum morieris.* Ineptum ad aliquid. *Ex.* 6. *quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis.* *Act.* 7. *dura cervice, et incircumcisis cordibus etc.*

Præputium pariter, gentes. 1. *Chor.* 7. *In præputio aliquis vocatus est, non circumcidatur, et Gal.* 2. *creditum est mihi Evangelium præputii.* Peccatum cordis. *Circumcidimini Domino, auferte præputium cordium vestrorum.* *Col.* 2. *Et cum essetis mortui in delictis, et præputio carnis vestræ.*

Sors, societatem. *Prov.* 1. *Sortem mitte nobiscum.* *Sap.* 5. *& inter Sanctos, sors illorum est.* Eventum. *Psal.* 30. *In manibus tuis sortes meæ.* *Hier.* 13. *hæc est pars tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus,* divinum beneficium. *Eph.* 1. *In qua nos etiam sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum gratiæ ejus.* *Col.* 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui nos dignos fecit in partem sortis Sanctorum.*

Thesaurus, virtutem, & opulentiam. *Num.* 20. *Domine aperi eis thesaurum tuum.* *Deut.* 28. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ &c. benedicatque cunctis operibus manuum suarum.* *Ps.* 134. *producens ventos de thesauris suis.* *Timor Domini ipse est thesaurus.* *Luc.* 6. *bonus homo de bono thesauro cordis profert bonum.* *Colos.* 2. *in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei;* scilicet in Christo.

Rem etiam summe dilectam. *Math.* 6. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* *Math.* 6. *Nolite thesaurizare vobis, &c.* 2. *Chor.* 4. *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* *Math.* 13. *simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.*

Ex

A

Ex commerciis humanis.

VEndere, alienationem. *Gen.* 25. *Juravit ei Esau, & vendidit primogenita sua. Ps.* 43. *vendidisti populum tuum sine pretio. Is.* 52. *quis est iste creditor, cui vendidi vos, ergo veritatem eme, & noli vendere.* Abundantiam. *Prov.* 31. *syndonem fecit, & vendidit*, aliquando paupertatem. *Ezec.* 7. *Venit tempus &c. qui emit non lætetur, et qui vendit non lugeat, quia ira super omnem populum eius. Deut.* 28. *vendet, et non erit qui emat.* Emere, & vendere, cupiditatem. *Luc.* 17. *emebant, et vendebant.* Industriam. *Prov.* 31. *considerauit agrum, et emit eum.*

Pecunia, possessionem omnem signific. *Ex.* 21. *si seruus percussus superuixerit etc. non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est. Eccles.* 5. *Auarus non implebitur pecunia.* Pro pretio stat, & mercede. *Mich.* 3. *pro pecunia diuinabant. Et pro diuitiis. Quam difficile est confidentes in pecuniis introire in regnum cælorum. Marc.* 10.

Assis, vilitatem. *Math.* 10. *nonne duo passeres asse veneunt.*

Bilanx, & statera, rationem, & judicium. *Ezech.* 5. *Assumes tibi stateram ponderis, et diuides eos. Dan. Appensus es in statera, et inuentus es minus habens.*

Negotiari, securitatem, pacem &c. *Gen.* 34. *Negotiamini in terra, et exercete eam.* Commodi priuati studium. 1. *Petr.* 2. *Ezech.* 23. *Syrus negotiator tuus.*

Negotium, litem, & tentationem. *Psal.* 90. *A negotio perambulante in tenebris etc.*

De aliis quibusdam actionibus.

CLaudere, præter alibi adducta. Arcanè significat. abalienari a gratia. *Isa.* 22. *dabo clauem Domus Dauid etc. claudet, et nemo aperiet; aperiet, et nemo claudet. Math.* 23. *Væ vobis Scribę, qui clauditis regnum cęlorum hominibus etc.*

Cribrare, dissipationem. *Amos* 9. *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro. Luc.* 22. *Ecce Sathan expetiuit, ut cribraret vos.*

Maledictio, præter naturalem significationem, infęlicitatem magnam. Deut. 11. ubi calamitas violatoribus legis denunciatur, & explicatur. Maledicentiam etiam. Ps. 10. *cuius maledictione os plenum est.* Detestabile exemplum. *Hier.* 26. *Vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrę &c. & Zach.* 8. Sterilitatem. *Malach.* 4. Maledicam benedictionibus vestris. Am. 3. & 5. Damnationem, & adjurationem. 2. *Paralip.* 6. *si peccauerit &c. seque maled. const. coram altari. Gal.* 3. *qui ex operibus legis sunt sub maledicto. Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.*

De benedictione in oppositum dicitur in Scriptura.

OSculum, necessitudinem. *Gen.* 29. *adaquato grege osculatus est eam.* Ita Gen. 33. de Esau, & Jacob. Pacem, & charitatem. *Ps.* 64. *Justitia, & pax osculatę sunt.* Obseruantiam. *Esth.* 5. *osculata est summitatem virgę eius*, & Magdalena pedes Christi. Gratiam. *Cant.* 1. *osculetur me osculo oris sui.*

Baptisma, præter naturalem ablutionis significationem. Spiritualem etiam significat, ut baptismus pęnitentiæ ipsam pęnitentiam. *Math.* 5. *Et baptismum Spiritus Sancti. Marc.* 1. *ille vos baptizabit Spiritu Sancto, &* 1. *Petr.* 2. baptismus iste explicatur. Mortem ipsam. *Marc.* 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari.*

B

Jejunium, orationem, & calamitatem, cujus causa suscipitur. 2. *Reg.* 12. *deprecatus est Dauid pro paruulo, & jejunauit jejunio. Joel* 1. *Sanctificate jejunium.* Passim in Scriptura agitur de jejunio in hoc sensu.

CAPUT IV.

De habitu, & gestu.

C

NON tædeat studiosum lectorem, si quæ dicta sunt superius, aliqua saltem imposterum, iterum repetita reperiat, sic enim postulat series notationum, suis titulis adaptata, & locus idem quandoque utrobique optimè quadrat. Ad euitandam autem frequentiorem repetitionem, loca Scripturæ, quæ communiora sunt, vel magis nota, vel alibi allata; non ponimus per extensum, sed sola citatione contenti, consuluimus breuitati.

Habitus, & gestus, vel animantium, vel anima carentium sunt, ut cæli, terræ habitus, vel habitudo, quam rectè dicimus faciem, sicut, & agrorum, & aquarum, at nihil magis expressiuum, quam hominis habitus.

Hi spectantur vel in toto corpore, vel in partibus, singulisque membris, alii autem passiui, alii actiui. Primum naturæ ordinem secuti, de singulis partibus. Secundò de toto.

D

Capitis habitus, & gestus in Scriptura.

I.

CApite operto esse, damnationis ad supplicium, & repulsi habitus est. *Esth.* 7. Signific. etiam afflictionem. *Esth.* 6. *& Hier.* 14.

Capitis demissio, dolorem, & humiliationem; addito cinere, & puluere. *Is.* 58. *Tren.* 12. *Abjecerunt capita sua in terram Virginis Hierusalem.*

Unctum, & coronatum caput, lętitiam. *Isa.* 61. *& darem coronam pro cinere oleum gaudii pro luctu.*

Caput caluum, barba rasa, saccus in lumbis,

 luctum

luctum magnum arguunt. *Hier. 48. omne caput* A
calvitium, & omnis barba rasa erit, in cunctis manibus colligatio, super omne dorsum cilicium.

Capitis depilatio, humerus levis, magni laboris argumentum. Nabucodonos. oppressit Tyrum. *Ezech. 29. omne caput decalvatum est, & omnis humerus depilatus.*

Capitis elatio, superbiam. *Ps. 82. & qui oderunt te, extulerunt caput.*

Capitis altitudo, & erectio. Victores ita incedunt, quasi ovantes. *Is. 51. lætitia sempiterna supra capita eorum; gaudium & exultationem obtinebunt.*

Caput terra inspergebant lugentes pro se, vel pro alio. *Job. 2.* amici ejus, & *Esth. 4.*

Capitis motio, vel irrisio, vel admiratio est.
Hier. 78. omnis qui transibit per eam, obstupescet, B
& movebit caput suum. Ps. 43. commotionem capitis in populis. Math. 27. & 4. Regum 19.

Manus habere super caput in fœmina, anxiam nimis, & dolentem signif. *Hier. 2. & manus tuæ erunt super caput tuum.*

Habitus, sive gestus valdè insolitus, & difficilis, signum est obnixæ deprecationis. *Elias 3. Regum 18. pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum, respice &c.*

Capite aperto orat vir, ad significandum ingenuitatem, velato fœmina, ad subjectionem, & pudorem. *1. Chor. 18.*

FRONS.

DUra, obstinationem, perfidiam, impudentiam. *Nervus ferreus cervix tua, & frons tua ænea. Ezech. 3. Is. 48.*

CERVIX.

INclinata, laborem, servitutem, & affirmationem signific. *Roman. 16. salutate Priscam, & Aquilam adjutores meos &c. qui pro anima mea cervices suas supposuerunt.*

CORNU.

AD homines figurate translatum, potentiam, signific. exaltatum, victoriam. *Tren. 2. lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.*

CAPILLUS.

CApillorum evulsio, & laceratio, iram, & dolorem. *Esdr. 9. & evulsi capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mærens. Hier. 47. non sepelientur &c. neque calvitium fiet pro eis. Item Mich. 1. & Hier. 7.*

Capillorum tonsio Nazaræi, votum signific. Paulus votum spopondit. *tenеb. & caput Hierosol. totondit. Act. 18.*

Pilorum horror, & asperitas, timorem, & subitam perturbationem. *Job. 4. & cum spiritus me præsente transiret horruerunt pili carnis meæ.* Mos est carceratis, & miseris pilos negligere, sic Joseph educto pili tonsi. *Gen. 41.*

AURIS.

INclinata, attentionem. Ita decet Judicem, & discipulum. *Psal. 101. Inclina ad me aurem tuam, & alibi. Prov. 4. ad eloquia mea inclina aurem tuam,* est etiam habitus obedientium. *Hier. 7. non audierunt, nec inclinaverunt aurem.*

Revelare aurem alicujus, est monere, & corripere. *Job. 36. Revelavit aurem eorum, ut corripiat &c. Psal. 50. 4. Revelabit in tribulatione aurem ejus.*

Aurem obturat, impersuasibilis. *Ps. 57. sicut aspidis surdæ, & obturantis &c. Prov. 21. qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur. Is. 33. qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem. Act. 7. Judæi ne audirent veritatem. Exclamantes continuerunt aures suas.*

Aures tinnientes, terrorem, & pavorem maximum. *4. Reg. 21. Inducam mala, ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus. Mich. 7. ponent manus suas super os suum, aures eorum tinnient;* sic hebraicè.

OCULI.

I I.

ELati, arrogantiam, & superbiam. *Prov. 21. exaltatio oculorum est dilatatio cordis. Isa. 2.*
C *oculi sublimes humiliabuntur.*

Inclinati humilitatem, & modestiam. *Job. 21. qui inclinaverit oculos suos ipse salvabitur.* Ita Publicanus in Evang.

Oculos attollunt orantes Deum. *Jo: 17. Jesus autem elevatis sursum oculis oravit,* & in cœna, *elevatis oculis in cælum dixit Pater venit hora &c. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Is. c. 18.*

Oculi aversi, negantem, fastidientem, dissimulantem, vel odientem significant. *Eccles. 4. oculos tuos ne avertas a paupere. Deut. 15. non auferet oculos suos a justo. Ps. 118. averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Oculi igniti, aciem acutam, & penetrantem, nec impura dissimulantem. *Apocalyp. 2. hæc dicit*
D *Filius Dei, qui habet oculos, tamquam flammam ignis.*

Oculi nictantes, malitiosos mores, & cogitatus perversos. *Eccl. 27. nictans oculo fabricat iniqua, & ultimo eum abiiciet. In conspectu tuo conculcabit os tuum. Et homo apostata vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Ps. 3. qui oderunt me gratis, & annuunt oculis. Prov. 10. qui annuit oculis, dabit dolorem.*

Oculi deficientes fletu, dolorem maximum. *Tren. 2. defecerunt lacrymis oculi mei.*

Oculi deficientes, attentam intentionem. *Psal. 118. defecerunt oculi mei, in eloquium &c. & Ps. 28. defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.*

Oculos attollere in rem aliquam, promptam, volun-

voluntatem, & animum. *Ezech.* 33. *qui in sanguine comeditis, & oculos vestros elevatis ad immunditias vestras. Et oculi Domini super justos.*

Oculi clausi meditantem, & sæpè in malum. *Prov.* 16. *qui attonitis oculis, (hebraicè clausis) cogitat prava, mordens labia sua, perficit malum.*

Oculos aperire, vigilantiam, & attentionem. *Prov.* 20. *noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Aperi oculos tuos, & saturare panibus. Job.* 27. *dives cum dormiet, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet.*

Oculos levare, novi spectaculi signific. *If. leva in circuitu oculos tuos &c.*

Ad oculos omnis transeuntis aliquid facere, est rem manifestare. *Ezech.* 5. *& dabo te in desertum, & in opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, ante oculos omnis prætereuntis.*

Ex oculis animus, & morbus signific. *Ps.* 87. *oculi mei languerunt præ inopia.*

Oculos habendo, non videre, est non observare, nec intelligere ex his, quæ videntur, & est statuis, ac brutis assimilari. *Math.* 8. *nondum cognovistis, nec intelligitis, adhuc cæcatum habetis cor, oculos habentes, non videtis.*

LACRYMÆ.

IN maxillis, luctum inconsolabilem. Tren. 1. *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ &c.* In oratione magnum affectum. 4. *Regum* 20. *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, ecce sanavi te.*

C Aliquando teneræ dilectionis, & lętitiæ signa. *Gen.* 43. *de Joseph. erumpebant lacrymæ.*

NARES.

III.

DE his dictum est supra. Adde. Ramus ad nares, certa vani cultus ceremonia, ad ortum solis adorantes, ei odoris suavitatem tribuentes. *Ezech.* 8. *conversi sunt ad irritandum me, & ecce applicant ramum ad nares suas.*

Circulus in naribus, domitum signific. *Job.* 40. *In sudibus perforabit nares ejus. If.* 37. *Ponam circulum in naribus tuis, & hamum in labiis tuis.*

Ventum naribus colligens, animal inconstans. D *Hier.* 14. *Et onagri steterunt in rupibus traxerunt ventum, quasi dracones &c.*

OS.

APertum, gravem, & prolixam significat orationem. *Psal.* 77. *Aperiam in parabolis os meum. Math.* 5. *Aperiens os suum docebat eos. Act.* 8. *Aperiens Philippus os suum; & in illa die aperietur os tuum, cum eo qui fugit, & loqueris, et non silebis ultra.*

Gratiarum actionem. *Ezech.* 29. *et tibi dabo apertum os in medio eorum, et scient.*

In aliquem, os apertum, & dilatatum, irrisionem, & insultationem. *Tren.* 2. *Aparuerunt super*

A *te os suum, omnes inimici tui sibilaverunt.*

Aliquando inimicitiam. *Ps.* 21. *et* 34. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo. Dilataverunt super me os suum dicentes Euge, Euge viderunt oculi nostri. Abd.* 1. *non magnificabis os tuum in die angustiæ.*

Obserare os, silentium. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.*

Manus super os imposita, habitus redargueti, vel convicti. *Mich.* 7. *videbimus, et confundentur, ponent manum super os suum. Ps.* 38. *obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.*

Os vertere, aut pervertere, duplicis, & invidentis hominis. *Eccl.* 27. *In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur, novissime autem pervertet os suum, et*
B *in verbis suis dabit scandalum.*

Os in pulvere depositum, humiliter orantis, miseri, enixè precantis. *Tren.* 3. *Bonum est viro, cum portaverit etc. ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes. Abjecerunt in terram capita sua Virgines Hierusalem.*

Os percussum, detestationem doctrinæ, ejusque accusationem. Ita Paulo contigit. *Act.* 23.

LABIA.

COntrahere, & scindere, irrisionem, jactationem, detractionem, malignitatem signific. *Prov.* 4. *Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. Et* 16. *melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam torquens labia sua, et insipiens, et ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne comisceris.*

Amicire super labium lugentis, & frustrari spe est, *Mich.* 3. quod latine versum est, *& confundentur divini, & operient omnes vultus suos.*

OSCULUM.

SAnctum, amicitiam, & salutationem. 1. *Thesc.* 5. *Salutate Fratres omnes in osculo sancto. Luc.* 7. *osculum mihi non dedisti, hæc autem &c.*

Mutuam pacem, & consuetudinem. 2. *Reg.* 20. *& tenuit manu dextera mentum ejus, quasi osculans eum.*

Consuetudinis iterandæ desiderium. *Gen.* 45. *osculatusque est Joseph fratres suos, & flevit super singulos. Act.* 20. *magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum.*

LINGUA.

PAlato inhærens, silentium spontaneum, vel coactum. *Job.* 29. *Vocem suam cohibebant duces, & lingua ipsorum gutturi suo adhærebat. Ezech.* 3. *linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans. Ps.* 21. *& lingua mea adhæsit faucibus meis.*

Linguam mordens, impatientiam doloris, & laboris. *Apoc.* 16: *& commanducabant linguam suam præ dolore, & blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis.*

DENTES.

HIS frendere, hos nudos ostendere, miserationem. Thren. 2. aperuerunt super te os suum &c. sibilaverunt, & frenduerunt dentibus suis, & dixerunt devorabimus eum.

Etiam maximum dolorem, & rabiem. Ps. 34. peccator videbit, & irrascetur &c. Math. 13. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Etiam indignationem. Act. 7. In Stephanum stridebant dentibus.

BARBA.

CAna, authoritatem, & potestatem. Apocal. 14. Caput autem ejus, & capilli erant candidi, tamquam lana, & tamquam nix. Psal. 132. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam.

Medietate rasa, contumeliam. 2. Reg. 10. Tulit itaque Amon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum.

FACIES TOTA.

INdicat cor, & affectus. Eccles. 13. Cor hominis mutat faciem ejus, sive in bona, sive in mala.

Faciem ponere in rem aliquam, attentionem, & intentionem. Ezech. 25. Si alienatus fuerit a me &c. & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam. Et 29. Pone faciem tuam contra filios Amon. Hier. 3. pone faciem tuam contra Pharaonem, & non avertam faciem meam a vobis, quia ego sanctus sum dicit Dominus.

Huc spectat faciei illuminatio. Ps. 118. faciem tuam illumina super servum tuum.

Faciem avertere, renuentem, detestantem &c. Ps. 21. quia non despexit deprecationem pauperis, nec avertit faciem suam a me &c. Ps. 43. quare faciem tuam avertis? avertente autem te faciem turbabuntur. Averte faciem tuam a peccatis meis. Ps. 50.

Faciem demittit ille, quem conscientia accusat; Faciem verò attollit bona conscientia, spes, fides, charitas. Gen. 4. cur concidit facies tua? nonne si bene egeris tolles scil. faciem tuam. Sic hebraic. Job. 22. super omnipotentem, deliciis affluet, & elevabis ad Deum faciem tuam. Ps. 81. & facies peccatorum sumitis?

Faciem demittere, Deum adorantis est. 2. Paral. 7. & omnes Filii Israel &c. & corruentes proni in terram adoraverunt. Math. 26. in faciem procubuit Christus, debitorum pondere nostrorum pressus, orans.

Idem habitus, gratitudinem. Ruth. 2. Ruth. cadens super faciem suam, & adorans &c. dixit, unde hoc mihi?

In facie superbia. Os. 7. & humiliabitur superbia Israel in facie ejus. Ita & pudor, ideò velabantur damnati. Ezech. 12. in conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine efferéris, faciem tuam velabis, & Isa. 13. facies combusta vultus eorum,

A. & Dan. 3. Susanna velata facie publicè rapta ad judicium.

Facies lota, lætitiam, & æquanimitatem. Gen. 44. Joseph lota facie continuit se. Math. 6. cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava.

Sordida, lugentis, & mœrentis habitus est; Si autem fingatur est hipocrisis. Job. 16. facies mea intumuit a fletu, & Math. 6. exterminant facies suas, ut videantur.

Facies vertitur ad aliquem locum, ad colligendam intentionem. Is. 38. Ezechias versa facie ad murum.

Ante faciem alicujus quidquam facere, contemptus. Is. 65. populus qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam semper. Os. 5. respondebit arroganB tia Israel in facie ejus.

Faciem alicujus consputare, abominationem contemptumque significat. Mal. 2. ecce ego projiciam vobis brachium; & dispergam super vultum vestrum, stercus solemnitatum vestrarum. Ita Christus consputus est in passione.

Faciem alicujus rogare, reverentiam, & observantiam. Job. 11. requiesces, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Ps. 44. vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Faciem alicujus videre, gratiam, & familiaritatem, & facilitatem ab eo impetrandi. Math. 18. videte ne contemnatis unum ex his pusillis &c. vident faciem Patris mei. Esth. 1. septem Duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis.

C Facie ad faciem aliquid agi, est sine impedimento, & facilè fieri. Ezech. 10. adducam vos in desertum populorum, & judicabor ibi vobiscum facie ad faciem.

VVLTVS.

IDem ac de facie. In eò apparet pallido timor, & dolor. Hier. 30. & conversi sunt universi vultus (vel facies) in auruginem. Joel. 2. a facie ejus cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam, idest tingentur. Ezech. 7. & in omni facie confusio, Hebr. rubor. Nom. 2. Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam. Dan. 5. Facies ejus commutata est, & cogitationes ejus conturbaverunt eum.

COLLVM.

D IV.

De hoc etiam supradictum est.

HVMERVS.

SIgnificat obedientiam. Sophon. 3. & servient ei omnes humero uno.

Recedens imperii detrectationem. Zach. 11. & dederunt humerum recedentem, & cervicem suam induraverunt.

Idipsum significat humero niti, ac reniti. Ezech. 29.

BRACHIA.

BRachium extensum, & elevatum, potentiam ad rem perficiendam. Ita victor, & triumphator. Exod. 6. redimam vos in brachio excelso.

Deut.

Deut. 4. & per pugnam, & robustam manum, extentumque brachium. Et in signis, & portentis in manu robusta, & brachio extento.

Brachium roborare, est strenuum se ostendere. *Prov. 31. accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum.*

Brachium sigillatum, memoriam. *Cant. 8. pone me, ut signaculum super brachium.*

CUBITUS.

IN cubitum recumbere, est immorantium, & familiariter, ac securè agentium. *Ecclef. 9. cum aliena muliere, ne sedeas omninò, nec accumbas cum ea super cubitum.*

PECTUS.

CIliciis indutum in muliere, luctum, & miseriam. *2. Mach. 3. Accinctaeque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant.*

Pectoris percussio, lamentantis gestus, ac miseriam profitentis, ac compassionis. *Luc. 23. & omnis turba &c. percutientes pectora sua revertebantur.*

Supplicum etiam gestus est. *Luc. 18. Publicanus &c. percutiebat pectus suum.*

MANUS.

V.

MUltiplex, manus, gestus, officium, & significatio, sicut, & operatio; sunt binæ manus, interdum altera, interdum utraque gestum habet, & signum.

Manus altera erecta extenta robur vim potentiamque. *Ps. 9. Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua. Exod. 15. extendisti manum tuam, & devoravit eos terra. Et extendam manum meam super Judam, & super omnes habitatores Hierusalem, & disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus Deus. Sophon. 1. & Esd. 5. & in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Tren. 3. tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die.*

Manus dextera elevatur ad juramentum. *Gen. 14. levo manum meam ad Dominum Deum cœli, & terræ. Ezech. 36. Idcircò hæc dicit Dominus, ego levavi manum meam ad gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ut ipsæ confusionem suam portent. Dan. 12. cum elevasset dextram, & sinistram suam in cælum, & jurasset per viventem in æternum.*

Manus arcu impleta, certam feriendi facultatem. *Zach. 9. extendi mihi Judam, quasi arcum implevi Ephraim.*

Manum in aliquem extendere, vel mittere, ferientis habitus & direptionem signif. *Job. 1. extende paululum manum tuam & tange cuncta, quæ possidet. Tren. 1. manum suam tetendit hostis ad omnia desiderabilia ejus.*

Manus extenta pacificatoris, vel alio modo silentium indicentis habitus est. *Act. 19. Alexandr. manu silentio postulato volebat populo rationem reddere. Act. 21. Paulus stans in gradibus annuit manu*

A *ad plebem, & magno silentio facto locutus est hebraica lingua. Act. 26. Idem coram Rege Agrippa manu extensa defensionem suam agressus est.*

Prov. 1. vocavi, & non audistis, & extendi manum meam, & non erat, qui aspiceret. Is. 13. supra montem exaltate vocem levate manum, & ingrediantur portas duces.

Manus ori admota habitus tacentis, & modestè agentis, admirantis ac secum reputantis. *Prov. 30. si enim intellexissent ori suo manum imposuissent. Job. 29. attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro (hebraicè manum) & Principes cessabant loqui.*

Eadem observantiæ erga alium signum est. *Job. 31. & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.*

B Manum extendere judicantis, & asseverantis habitus. *Math. 12. & extendens manum in discipulos suos dixit. Ecce mater mea, & fratres mei.*

Manum dare, habitus fidem dantis, & societatem firmantis. *Tren. 5. Ægypto dedimus manum &c. Ezech. 17. spreverat juramentum, ut solveretur fœdus, & ecce dedit manum; Hierem. 50. Clamate adversus eam, ubique dedit manum suam.*

Manum alterius aprendere, admonentis, hortantis, robur addentis habitus. *Is. 8. Hæc enim ait Dominus ad me, sicut in manu forti erudivit me.*

Idem, vel auxilium ferentis. *Isa. 51. non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis, quos nutrivit.*

C Vel deducentis. *Isa. 41. in quo apprehendi te ab extremis terræ.*

Dextram retrovertere, ejus est, qui imploratum negat auxilium. *Tren. 2. avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici.*

Manus porrectio, auxilium. *Act. 9. Petrus, ut habitam erigat manum porrigit, & Math. 14. Jesus Petrum erigat, manum porrigit.*

Manus in altum sublatæ, orantem, & miseriam profitentem signific. *Ps. 27. dum oro ad te, dum extendo manus meas ad templum sanctum tuum, & Ps. 76. in die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte, contra eum, & non sum deceptus. Ps. 86. clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas. Tren. 1. Expandit Sion manus suas, non est, qui consoletur eam.*

D Manum porrigens, offerentis. *Ps. 87. Ethiopia præveniet manus ejus Deo.*

Manus implere, est initiari ad munera, & sacrificia offerenda. *1. Paral. 29. Siquis sponte offert, impleat manum suam hodie.*

Manus lavare, habitus profitentis innocentiam. *Ps. 72. ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas. Et de Pilato &c.*

Manus tollere gratulantis, & laudantis Deum. *Nehem. 8. & respondit omnis populus, amen, amen, elevans manus suas.*

Manus in sinu tenere, otiosi; & negligentis. *Ps. 73. at quid avertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?*

Manus remissæ, negligentiam, vel mœstitiam. *Hebr. 12. remissas manus, & genua soluta erigite.*

Mani-

Manibus plaudere, gratulantem, irridentem, insultantem. *Nah. 3. omnes qui audierunt auditionem tuam compresserunt manum suam super te, quia super quem non transivit malitia sua? Tren. 2. plauserunt super te manibus, omnes transeuntes per viam.*

Manum sub femore Abraham posuit famulus antiquo jurandi ritu, sed erat juramentum, cum imprecatione; vel execratione violantis. *Genes. 24.*

Manuum fortificatio, spem, & animum &c. *Zach. 8. confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermonem Prophetarum.*

Manu tangere rem, vel personam, studium juvandi signific. *Math. 20. & misertus Jesus tetigit oculos eorum, & confestim viderunt. Et extendens Jesus manum tetigit eum, dicens, volo, mundare.*

Manus impositæ, communicatam potestatem, officium, munus ac vicem, & dignitatem. *Math. 8. Christus extensis manibus benedixit Apostolis,* sic ministerii concessio Paulo, & Barnabæ facta. *Act. 2. et 2. Timoth. 1. quæ est in te per impositionem manuum mearum,* & de Sacramentis id explicatur.

Victimis mactandis manus sacrificans imponebat, eo habitu profitens suum erratum, & debiti solutionem, & vicem sui in victima. Arcano Christi mysterio. *Levi. 4. et 8.*

Manus etiam sanando imponitur, vel liberando. Ad signum certæ voluntatis. *Act. 28. contigit autem Patrem Publii febribus, et disenteria vexatum jacere, ad quem Paulus intravit, et cum intrasset, et imposuisset ei manus, salvavit eum.*

Imponebantur in benedictione, & apprecatione, est habitus attentionis, & intenti. *Math. 3.* Christus pueris imponebat manus, & *Act. 8.* Apostolis imponentibus manus, descendit Spiritus Sanctus in Samaritanos.

Manus expansæ, petentem, & rogantem. *Ps. 142. expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Is. 5. cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis.*

Miseri etiam auxilium implorantis. *Hier. 4. vox Filiæ Sion inter morientes, expandentesque manus suas.*

Manuum plausus, approbationem, & laudem. *4. Reg. 11. feceruntque eum Regem, et unxerunt, & plaudentes manibus dixerunt, vivat Rex. Isa. 55. & omnia ligna regionis plaudent manibus.*

Manus remissæ, timorem, consternationem, & dejectionem signific. *Is. 12. propter hoc omnes manus dissolventur. Ezech. 7. omnes manus dissolventur, & omnia genua fluent aquis. Sap. 3. dissoluta est Damascus, versa est in fugam. Hierem. 50. Noli timere Filia Sion, non dissolvantur manus tuæ.*

Manus super lumbis, dolorem quasi parturientis. *Hier. 30. quare ergo vidi omnis viri manum super lumbos suos, quasi parturientis.*

Manus super caput, etiam proprium idem. *Hier. 2. manus tuæ erunt super caput tuum, quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam.*

Manuum commissio, decidentium, vel complexus brachiorum, pigritiam, & stultitiam. *Eccles. 4. stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens &c.*

Manus insculptæ, & unguibus laceræ, calamitatem oblongam. *Hier. 48. omnis barba rasa erit, & in cunctis manibus colligatio, hebraicè incisio.*

Amantis, & caræ personæ languori succurrentis habitus describitur. *Cantic. 2. Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Palmam tangere, fidem dare, aut convenire. *Prov. 22. noli esse cum his, qui defigunt manus suas, hebraicè palmas tangunt.*

Palmarum in sublime extensio, orantium Deum, & aliquid potentium. *Exod. 9. cum egressus fuero, extendam manus meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, et grando non erit.* Multa exempla palmarum, hebraicè, quæ a latino Interprete dicuntur manus.

Palmas extendere, habitus est omnia elargientis. *Prov. 31. manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.*

DIGITUS.

V I.

ORI admotus silentium. *Job. 38. Tace, pone digitum super os tuum, et 29. digitum superponebant ori suo.*

Digito loqui malitiosum. *Prov. 6. terit pede, et digito loquitur. Is. 58. si desieris extendere digitum, & loqui, quod non prodest.*

Digito rem aliquam attingere, aliquid facere, vel minimum significat. *Math. 25. digito autem suo nolunt ea movere. Luc. 16. ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.*

Est etiam attendentis, & ultrò rem facere volentis. *Math. 7.* Christus digitos in aures ejus immisit, quem sanare voluit. Idem digito scribebat in terra, veluti intentus ad aliud.

Digitorum immissio in rem aliquam, examen, & argumentum ex contrectatione. *Jo. 20. nisi videro &c. & mittam digitum meum in locum clavorum. Infer digitum tuum huc etc.*

DEXTERA.

DAta, societatem. *Gal. 2. Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis. 1. Math. 6. nunc itaque demus dexteras hominibus istis, & faciamus cum illis pacem.*

Dexteræ exaltatio, habitus est prævalentis. *Psal. 88. firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.*

Dexteras accipere, pacisci cum victis. *2. Math. 13. et clamaverunt ad Simonem, ut dexteras acciperet.*

Ad dexteram, vel finistram sedere, proximitatem dignitatis. *Ps. 119. sede a dextris meis. Math. 20. dic ut duo filii mei etc.*

SINI-

SINISTRA.

PRæter dicta. In bonum. *Prov.* 3. *longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra ejus divitiæ, & gloria.*

Dormire ad latus sinistrum, firmitatem. *Ezech.* 4. *sic jubetur dormire Ezech.* ad cordis immobilitatem significandam. Ad hoc signific. arcus, & clypeus, ac quæ magis firmitate, quam dexteritate prosunt, & sinistra tenentur. *Ezech.* 39. *percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, & Ap.* 20. Angelus habet pedem dextrum in mari, & sinistrum in terra, ob firmitatem, quia in terra nihil durabile, nisi quod sinistrum.

TERGUM.

PRæter dicta adde. Post tergum ire. Sequelam, & obsequium. 1. *Reg.* 15. *præcedite me, ecce post tergum sequar vos. Isa.* 30. *auris tuæ audiet verbum post tergum monentis.*

DORSUM.

V I I.

SUper dorsum cilicium. *Hier.* 48. habitus pœnitentis. In dorso vis. 3. *Reg.* 12. *minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.*

LUMBI.

IN ejs virilitas, efficacitatem toti communicans. *Job.* 40. *fortitudo ejus in lumbis ejus.* Lumbi accincti, succincti habitus strenui sunt. 4 *Reg.* 9. *accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam hanc olei &c. Job.* 38. *accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te responde mihi. Isa.* 11. *& erit justitia cingulum lumborum ejus. Luc.* 18. *sint lumbi vestri præcincti.*

Lumbi dissoluti, impotentiam, & debilitatem. *Ps.* 37. *quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, non est sanitas in carne mea. Is.* 21. *repleti sunt lumbi mei doloribus.*

Saccus ad lumbos, habitus dolentis, & pœnitentis. 3. *Reg.* 20. *ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediemur ad Regem Israel.*

FÆMUR.

FÆmur ferire solent, qui se deceptos norunt. *Hier.* 31. *postquam enim convertisti me, ego pœnitentiam egi, & postquam ostendisti mihi, percussi fæmur meum,* sic & apud Ezechielem.

GENUA.

CUrvata reverentiam, & obedientiam. *Rom.* 14. *Vivo ego dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu. In nomine Jesu omne genuflectatur. Ad Philippens. cap.* 2.

A Etiam orantis, & supplicis, & adorantis habitus. 3. *Reg.* 8. *surrexit Salomon a conspectu altaris, utrumque enim genu fixerat.* 4. *Reg.* 11. *& cum venisset curvavit genua, contra Eliam, & precatus est eum, & ait.* 2. *Esd.* 9. *& curvavi genua mea ad Dominum Deum meum.*

Genua robur curvum continent, ad cursum, & erectionem corporis. *Dan.* 10. *& erexit me super genua mea.* Genuum dissolutio, debilitatem totius. *Ps.* 108. *genua mea infirmata sunt præ jejunio.*

PEDES

LOtio pedum, ad recreationem, & munditiam facit. Ideò inter hospitalia officia ponitur. *Gen.* 18. *afferam paxillum aquæ, & lavate pedes*
B *vestri, & requiescite sub arbore.*

Pedes illoti, honorem, & asperitatem ex mœrore aliquo. 2. *Reg.* 19. *Miphibos, & filius Saul descendit in occursum Regis illotis pedibus, & intonsa barba. Tren.* 1. *sordes ejus in pedibus ejus.*

Pes nudus, longum iter, quo calcei attriti sunt. *Hier.* 2. *prohibe pedem tuum a nuditate, & guttur tuum a siti.*

Pede percutiunt irrisores alienæ calamitatis. *Ezech.* 25. *pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es ex toto affectu super terram Israel.*

Pes rectus constans, studium rectum, propositumque significat. *Ps.* 25. *pes meus stetit in directo. Ps.* 55. *eripuit oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Ecclesiast.* 4. *custodi pedem tuum ingrediens*
C *Domum Dei.*

Pedes moti, inconstantem, & titubantem animum in sententia. *Psal.* 72. *mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Psal.* 37. *dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt. Ps.* 93. *non det in commotionem pedem tuum, etsi dicebam, motus est pes meus, misericordia tua adjuvabat me. Hier.* 14. *hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, & non quievit.*

Pedum festinatio, temeritatem arguit; & inconsultam actionem, cum inefficacitate. *Ps.* 13. *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Prov.* 6. *cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum. Prov.* 17. *& qui festinus est, pedibus offendet, & garrula, & vaga quietis impatiens, nec vacans in domo consistere pedibus suis.*
D *Hebr.* 12. *ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.*

Pedes in compedibus alligati, servitutem. *Eccl.* 6. *injice pedem tuum in compedes illius, & in torquem illius collum tuum,* scilicet sapientiæ.

Compes in pedibus, laborem, & difficultatem. *Eccl.* 21. *compes in pedibus, stulto doctrina.*

Ad pedes alterius provolvi, adorantis, & supplicantis. *Esth.* 8. *nec his contenta procidit ad pedes Regis, flevitque. Math.* 5. *& venit quidem de Archisinagoga nomine Jarius, & videns eum, procidit ad pedes ejus, &* 28. *illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.*

Calcaneum magnificare, est insolenter prodere. *Ps.* 40. *qui edebat panes meos, ampliavit super me supplantationem.*

COR.

COR.

VIII.

DUrum, pertinaciam, impudentiamque. *Ezech. 3. nolunt audire te, quia nolunt audire me &c. atrita fronte est, & duro corde.*

Latum, patientiam, quassatum, timorem subitum. *Jos. 2. pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit spiritus.*

Ardens, divinationem, & acguitionem. *Luc. 24. nonne cor nostrum ardens erat in nobis.*

CARO. PELLIS.

COnsumpta, infirmitatem. *Tren. 3. vetustam fecit pellem meam; contrivit omnia ossa mea.*

Carnem comedere propriam, & sanguinem bibere, summam egestatem. *Is. 49. & cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur.*

Alienis carnibus vesci summam ultionem, & invidiam. *Job. 31. si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus ut saturemur.*

PRÆCORDIA, VISCERA.

MAgna, commota, misericordiam magnam. *Is. 63. ubi est zelus tuus, & fortitudo tua? multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum super me continuerunt se.*

Commotio, & tentatio gravis, dolorem, & turbationem animi. *Hier. 4. ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me. Et interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.*

OSSA.

OSsium tremor, & cordis comminutio, animi dolorem, & indignationem vehementem. *Hier. 23. contritum est cor meum, contremuerunt omnia ossa mea, factus sum quasi vir ebrius.*

COLOR.

VArius, varia animi simptomata. Pallor in facie timorem, albedo perturbationem, ruboe verecundiam. *Non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet.*

SANGVIS.

OCultus homicidium inultum, & impunitum. *Is. 6. ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & revelabit terra sanguinem suum, & ultra non operiet interfectos suos.*

Inundans, stragem magnam. *Is. 34. tabescent montes a sanguine eorum.*

Sanguine perfusus, stragem, & victoriam a se factam portendit. *Is. 63. quis est iste, qui venit de*
A *Edom tinctis vestibus de Bozra, & posuit sanguinem prælii in balteo suo.*

CAPUT V.

Totius corporis habitus, & situs. Num. I.

CRassitudo, & obesitas, arrogantiam, & stultitiam efficit, quarum impudentia comes. *Job. 15. operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus arvina dependet.*

JACERE, PROCUMBERE, PROCIDERE.

B IN terra jacere supra dextrum latus, impotentiam, & animi dejectionem. *Tren. 2. effusum est in terra jecur meum, (jecur est a dextris) super contritione filiæ populi mei. Hier. 3. Jacebimus in confusione nostra, & accipiet nos ignominia nostra, quoniam Domino peccavimus.*

Imbellium, lassorum, ac victorum situs. *Is. 51. filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, & illud. Posuisti, ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.*

Jacere in pulvere, desolationem. *Is. 52. excutere de pulvere consurge, sede Hierusalem.*

Jacere in faciem terræ in sacco, pœnitentiam. *1. Paralip. 21. & ceciderunt tum ipse, quam majores natu, proni in terram vestiti ciliciis.*

Procubitus in terram, reverentiæ, & supplica-
C tionis instantissimæ habitus est, & gratias agentis. *Math. 20. tunc accessit ad eum mater Filiorum Zebedei, adorans, & 2. Paral. 20. Josaphat, & Juda, & omnes habitatores Hierusalem ceciderunt in terram coram Domino, & adoraverunt. 2. Par. 29. & cum finita esset oblatio incurvatus est Rex Ezechias, & omnes qui erant cum eo, & adoraverunt. & Math. 2. Magi procumbentes adoraverunt. Luc. 17. leprosus sanatus gratias agens cecidit ad pedes Jesu. Act. 10. Cornelius procidens ad pedes Petri adoravit.*

Est etiam procubitus, religiosi timoris index. *Ps. 71. coram illo procident Ethiopes, & inimici ejus terram lingent. Act. 16. cum petiisset lumen tremefactus procidit Paulo, et Silæ ad pedes. Isa.*
D *49. et vultu in terram demissa adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.*

Et dolentis, ac precantis. *1. Esdr. 10. orante Esdra, et deprecante Deum, et flente, et jacente ante templum Dei. 1. Mach. 4. Sciderunt vestimenta sua, et planxerunt, et imposuerunt cinerem, et ceciderunt in faciem super terram. 2. Mach. 3. Sacerdotes ante altare, cum stolis Sacerdotalibus, instraverunt se. Act. 19.* Paulus procidens, & orans pro juvene mortuo.

Quandoque cubare, impotentem indignationem. *3. Reg. 21. Achab indignatus cubuit aversa facie.*

Recumbere, convivarum situs, olim enim in lectis ad mensam *Amos 2. et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare.*

IN-

INCLINATIO.

MInisterium humilis reverentiæ. *Math. 1. cujus ego non sum dignus, ut procumbens solvam corigiam calceamentorum ejus*: Caput etiam in terram demiserunt mulieres ante Angelum timore correptæ. *Luca 24.*

GENUFLEXIO.

SEcundo *Paral. sexto*. Salomon genibus flexis, & palmis ad cœlum sublatis orat, & petit, *& Dani. 6.* tribus temporibus in die Daniel similiter orabat.

Genuflectere, & faciem in terram demittere adorantis, & timentis divinam majestatem habi-
B tus est. 2. *Paral. 7.* dum descenderet Dominus indicio ignis &c.

STARE.
I I.

IN templis ante Dominum, habitus est constanter orantis. 2. *Paralip. 7. Sacerdotes stantes orabant, & populus astabat.*

Et Deum laudantis erecto animo. *Sacerdotes stabant in officiis suis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David. 2. Paral. 20. & omnis Juda stabat coram Domino, cum parvulis, uxoribus, & liberis suis, & Is. 49. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt &c.*

Docentis, & audientis habitus est. *Act. 1. Petrus verba facturus stetit in medio fratrum. 2. Par. 6. dixerunt Levitæ, surgite, & benedicite Domino Deo vestro, & convertit Rex faciem suam, & benedixit &c. nam omnis turba stabat intenta.*

Curantis, rem aliquam fieri. *Amos 9. vidi Dominum stantem super altare, & dixit, percute cardinem. Hier. 1. tu ergo surge, loquere ad eos omnia, quæ præcipio tibi. Math. 26. surgens Princeps Sacerdotum ait illi, nihil respondes, & Filium hominis stantem Act. 7.*

Assurgere alteri, honor, & reverentia. *Job. 29. videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant.*

Stare ante Deum in consilio, habitus ministrantis est. *Hier. 23. si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo. Zach. 3. & de his, qui nunc hic assistunt, idest ministrant, & Seraph. stabant &c.*

Stare, perseverantiam orandi. *Habac. 2. super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem meam*, sic enim fixus petebat solvi quæstionem.

Stare coram aliquo, habitus est verba facientis. *Esth. 8. illaque consurgens stetit coram eo, & ait.*

SEDERE.

PLura indicat, attento loco, ubi sedetur, & aliis adjunctis.

Sedere in excelso, quietem, & securitatem.
A *Is. 33. iste in excelsis habitabit munimenta saxorum sublimitas ejus.*

Sedere in terra, habitus mærentis. *Isa. 3. lugebunt portæ ejus, & desolata in terra sedebit, Hierem. 13. humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ. Ezech. 26. descendent de sedibus suis omnes principes maris, & in terra sedebunt. Is. 47. sede in terra, non est solium Filiæ Caldæorum. Tren. 1. quomodo sedet sola civitas &c. Tren. 2. sederunt in terra conticuerunt senes Filiæ Sion. Ps. 136. super flumina Babylonis illic sedimus.*

Est & pœnitentium habitus. *Joan. 3. & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, indutus est sacco, & sedit in cinere.*

Sedere in vineis, agris, & hortis, pacem, quietem, & tranquillitatem. *Mich. 4. & sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit quid deterreat. 1. Mach. 14. sedet unusquisque sub vinea sua, & sub ficulnea sua.*

Sedere in cathedra, docentium habitus. *Math. 23. super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & quotidie apud vos sedebam docens in templo.*

Auditores etiam sedent, ut quietè discant. *Marc. 3. & sedebat circa eum turba, & circumspiciens eos, qui in circuitu sedebant. Luc. 10. Maria sedens secus pedes Jesu, audiebat verbum illius.*

Sessio, quieti, & liberi hominis habitus. *Luc. 8. & invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant.*

Sedere ad dexteram, ut supra dictum est, pro-
C ximitatem potestatis indicat. *Marc. 16. & Dominus assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei.*

Denique Regum, Principum, Judicum, Consulum, Senatorum habitus est sessio. *Ps. 79. qui sedes super Cherubim. Ps. 46. Deus sedet super sedem sanctam suam. Prov. 28. Rex qui sedet in solio Judicii. Ps. 118. etenim sederunt Principes & &c.*

RESPICERE.
I I I.

HAbitus est curantis rem, vel personam respectam. *Gen. 4. respexit Dominus ad Abel. Cain autem non respexit. Gen. 19. salva animam tuam, noli respicere post tergum. Ex. 2. Respexit Dominus filios Israel, & liberavit eos. Ex. 4. & audierunt, quod visitasset Dominus filios Israel, & quod*
D *respexisset afflictionem eorum. Deut. 26. Respice Dom. de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & benedic populo tuo. Ps. 21. oculi ejus in pauperem respiciunt. Deus meus, respice in me Domine, quando respicies. Ps. 34.*

ASCENDERE.

INdicat termini sublimitatem, de iis dicitur, qui tendunt in Judæam, & Hierus. *Deut. 1. vide terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, ascende, & posside eam, & quia ascendere vos feci de terra Ægypti. Luc. 2. Ascendentibus illis Hierosolimam secundum consuetudinem. Joan. 1. ascendit malitia Ninivitarum coram me*, idest summè excrevit.

EQVO SEDERE.

HOnoris est, ut altius sedens magis conspicabilis sit. *Esth. 6. homo quem rex honorare cupit. Imponi super equum, qui de Sella Regis est. Eccl. 10. vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram.*

Christus asello vectus conspicabilem fecit modestiam, & humilitatem. *Zachar. 9. exulta satis Filia Sion, jubila &c. ecce Rex tuus venit tibi.*

Ex equo desilire, honorem, & reverentiam exhibet. *Gen. 24. Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum.*

MOTVS.

COrporis varii sunt, & re, & modo, ut tarditate, ac celeritate, aliquam semper cogitationem sequuntur, & indicant.

AMBVLARE.

STudium, & curam, & exercitationem. *Zach. 3. si in viis meis ambulaveritis, & custodiam meam custodieritis.* Hoc modo Elisæus sollicitudinem indicabat. 2. *Reg. 4. at ille reversus deambulabat in domo, semel huc, atque illuc. Marc. 10.* Jes. discipulos suos in via præcedens, salutis nostræ curam indicabat, illis stupentibus. *Ita Gen. c. 3. ambulabat Dominus ad auram per meridiem,* & Christus perambulabat Jericho. *Luc. c. 19.* Est & alius motus inquietus compatientis, ut subveniat, vel afflicti, & sollicit., quem exprimit hebræa locutio sæpè; *Hier. 15. quis miserebitur tui? quis ibit ad rogandum pro pace tua, & Hier. 16. Ne ingrediaris domum convivii, ne vadas ad plangendum, nec consoleris eos. Ps. 68. sustinui, qui simul contristaretur. Nahum 3. vastata es Ninive, quis commovebit super te caput.* Ita & *Job. 11.* in his tali utitur verbo, quod satagere significat.

Mare, & aridam circuire, est omnia tentare, & experiri. *Math. 23. væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui circuitis mare, & aridam; ut faciatis unum Proselytum.*

Claudicare in motu, translatione ex pecudibus sumpta, est miserè vivere. *Mich. 4. in illa die congregabo claudicantem, & eam, quam ejeceram, colligam, & quam afflixeram consolabor, & ponam claudicantem in reliquias.*

Recedere ab aliquo, est vitare uti pestilentem. *Qui videbant me foras fugerunt a me.*

Non egredi ostium. Metuentis, & sibi caventis est. *Job. 31. si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui, nec egressus sum ostium.*

CVRRERE.

CUrsus, studium, diligentiam, & magnam curam rei agendæ. *Gen. 18. quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. Cucurrit puella, et nun-*

A *ciavit in Dom. 3. Reg. 19. Elisæus relictis bobus cucurrit post Eliam. Ps. 49. si videbas furem currebas cum eo. Ps. 118. viam mandatorum tuorum cucurri.*

LABI.

FErè semper periculum arguit. *Deut. 32. ego retribuebam eis in tempore, ut labatur pes eorum, & Prov. 24. ne desperaveris lapsus in die angustiæ. Tren. 3. lapsa est in lacum vita mea. Hier. 23. idcircò via eorum erit, quasi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea.*

CADERE.

B DE victis, & occisis in prælio dicitur. *Num. 14. ne cadamus gladio Gen. 14. Rex Sodome, & Gomorræ terga verterunt, cecideruntque ibi. 2. Reg. 1. Quomodo ceciderunt fortes? ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Hier. 5. idcircò cadent juvenes ejus in plateis.*

DORMIRE.
I V.

HAbitus securi, & negligentis. *Ps. 43. exurge quare obdormis Domine. Job. 11. habebis fiduciam proposita tibi spe, & defessus securus dormies. Act. 12. erat in ipsa nocte Petrus dormiens. Math. 13. ne cum Dominus venerit, inveniat vos dormientes,* ibi socordiam signific. *1. Chorin. 11. multi imbecilles, & dormiunt multi.*

C

VIGILARE.

SIbi consulentis, & res suas curantis habitus est. *Sap. 6. qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit. Vigilate itaque &c. 1. Cho. 16. vigilate, & state in fide.*

VOX.

UT variæ ejus formæ, ita & significationes, format enim natura prius nos intus, idque exterius exprimit, efferens animi motus per linguam.

Afflicta, & tenera, dolorem. *Dan. 6. & appropinquans Rex lacui ✠ Daniel voce lacrymabili*
D *inclamavit. Osea 10. quia luxit super eum populus ejus.*

Humilis supplicem. *Eccles. 29. donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam.*

Alta, ut clamor unius, aut plurium, pro varietate sonitus, monitionem, vel lætitiam, victoriam, vel luctum. *Tren. 2. vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni. Is. 42. & non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris.*

In locis altioribus editur, ut latius audiatur; *Hier. 3. vox in viis audita est, ploratus, & ululatus filiorum Israel. Hier. 4. vox in Rhama &c. Isa. 40. super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion &c.*

Tritu-

Triturantes, & vindemiantes ad lætitiam, & A gratulationem, vocem extollunt, ut se ad opus incitent. *Hier. 25. Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam Dominus rugiet super decorem suum, celeusma quasi calcantium.*

Vox hamon sive tubæ exultantis, lætitiam publicam. *Ps. 117. vox exultationis, & salutis in tabernaculis justorum.*

Vox tubæ, aut cornu clangor, bellum, vel periculum. *Ezech. 7. canite tuba, præparentur omnes, & non est qui vadat ad prælium. Os. 5. clangite buccina in Gabaa, tuba in Rhama, ululate in Bethaven, et in gutture tuo sit tuba, quasi aquila super Domum Domini.*

Ululatus, est plangentium, vel insanientium desiderio. *Is. 23. ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant. Isa. 65. præ contritione spiritus ululabitis. Ezech. 30. ululate, vah, vah diei. Soph. 1. ululate habitatores.*

SIBILARE.

VOcare est, vel irridere. *Is. 5. levabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ. Is. 7. sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti. Tren. 2. sibilaverunt, & moverunt caput suum.*

SILERE.

ALiquando animum manifestat, dolor enim loqui non sinit si magnus. *Tren. 2. sederunt in terra, & conticuerunt senes Filiæ Sion. Ps. 31. quoniam tacui inveteraverunt ossa mea. Ezech. 24. ingemisce tacens mortuorum luctum non facies.*

Patientiam alias indicat victi, & cognoscentis juste se pati. *Am. 6. sileamus ibi, quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & dicet ei tace, & non recorderis nominis Domini. Ps. 38. obmutui humiliatus sum, & silui a bonis &c. Tren. 3. bonum est cum silentio præstolari.*

Verecundiam, & timorem indicat. *Job. 31. 34. terruit me, & non magis tacui.* Obedientiam, omnesque virtutes in Christo, silentium arguit, in passione.

RIDERE.

GAudium. *Gen. 17. cecidit Abraham in faciem suam, & risit. Gen. 21. risum fecit mihi Dominus. Prov. 14. risus dolore miscebitur.*

LVGERE.

DEsiderium rei caræ. *Is. 19. et mærebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum. Joel. 1. luxerunt Sacerdotes ministri Domini, luxerunt speciosa pastorum etc. Am. et Ezech. 1. et qui vendit non lugeat, quia ira super omnem populum ejus.*

RAVCEDO.

VEhementis, nimisque clamoris signum est. *Psal. 68. laboravi clamans raucæ factæ sunt fauces meæ.*

CAPUT VI.

Affectus corporis, & animi.

AFfectuum alii, corpus, alii animum agunt; utrumque pars alia tentat. Dicimus affectum, gravem passionem, ut dolorem, sitim, famem, desiderium, præcipua genera, quæ in usu
B Scripturæ sunt perstingemus.

SVDARE.

1.

INtensum laborem, & multam operam in re aliqua signific. *Eccles. 2. cumque me convertissem ad universa opera etc. in quibus frustra sudaveram. Eccles. 24. et multo labore frustra sudoratum est. et non exivit de ea nimia rubigo.*

Fatigationem, & difficultatem subitam. *Gen. 3. in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Christi sudor singularem affectum habet.

Immunditiam significabat alibi. *Ezechiel. 24. et non es mundata a sudoribus tuis, neque mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam*
C *a te. Ezech. 44. vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, et fæmoralia linea in lumbis eorum, et non accingentur in sudore.*

ESVRIRE.

MAgnum defectum, & vehemens desiderium. *Job. 6. animæ esurienti etiam amara dulcia videntur. Job. 24. esurientibus tulerunt spicas, et animæ effeminatorum esurient. Prov. 25. sicut somniat esuriens, et concedit, cum autem etc. vacua est anima ejus. Luc. 1. esurientes implevit bonis.*

SITIRE.

D DEsiderium necessariæ rei, vel ex consuetudine. *Hier. 48. descende de gloria, et sede; in siti habitatio Filiæ Dibon. Psal. 62. sitivit in te anima mea.*

Interdum fatigationem, & lungum iter. *Ps. 106. esurientes, et sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Hier. 2. prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti.*

Aliquando insatiabilitatem rei adeptæ. *Eccl. 24. qui bibunt me, adhuc sitient.*

OBSTVPESCERE.

EX novitate, & admiratione, aut casu inopinato. *1. Reg. 14. et factum est miraculum in castris, sed, et omnis populus etc. obstupuit.*

TREMOR.

MEtuentium est. *Deut. 2. hodie incipiam immittere terrorem.* Etiam ex dolore oritur. *Hier. 49. dissoluta est Damascus, tremor apprehendit eam.*

HORRERE.

MÆstitiam magnam signific. *Math. 3. circumfusa enim erat mæstitia quædam viro, & horror corporis, per quæ manifestus aspicientibus dolor cordis ejus aspiciebatur.*

PUDEFIERI. CONFUNDI.

ANimi perturbationem ex frustrato voto, aut consilio. *Hier. 20. qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt, confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Ps. 24. in te confido non erubescam. Joel 1. confusi sunt Agricolæ, ululaverunt Vinitores.*
Pœnitentiam ferunt, semper autem extortam. *Ps. 96. confundantur omnes, qui adorant sculptilia.*
Accusatorem fallunt. *1. Petr. 3. ut in eo, quod detrahunt de vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.*

PARTURIRE, PARERE.

INgentem dolorem, & discrimen. *Ps. 7. ecce parauit injustitiam concepit dolorem, & peperit.*
Parere absque dolore, subitam salutem indicat. *Is. 56. antequam parturiret, peperit.*

De ætatibus observationes.

I I.

PUERI.

IN plateis projecti, miserum urbis statum. *Tren. 2. 11. & 19.*
Ludentium puerorum frequentia, salubritatem, & securitatem. *Zach. 8. & plateæ civitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis ejus.*

SENES.

SEnectus facilis, & jocunda, reipublicæ felicitatem. *Hier. 31. tunc lætabitur Virgo in choro, juvenes, & senes simul, & convertam luctum eorum in gaudium. Zach. 8. adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Hierusalem, & viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum.*

DE VESTITU.

VEstitus variæ formæ, varia signif., quæ ex crassiori materia sunt conditionem duriorem vitæ, vel temporis indicant, quæ ex tenui, jocundiorem. Sicut *Hebr. 11. In melotis, in pellibus caprinis &c. angustiati &c. & Math. 11. ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*

A SACCUS.

PÆnitentiam, vel in calamitate præssorum. *Ezech. 7. & operient se ciliciis, aperiet eos formido. Ps. 29. conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.*
Deprecantis, *Esth. 4.* publicè pœnitentis. *Nehem. 9. 1. Paral. 21.* de David. *Math. 11.*
Captivorum vestes. *Am. 8. Ezechiel. 12. Gen. 41. Hier. 52.*
Pullatis vestibus utebantur lugentes, & afflicti. *Ps. 34. quasi lugens, & contristatus,* Hebræus legit, *pullatus.*
Immundis vestibus indutus externam miseriam. *Zach. 3. et Jesus erat indutus vestibus sordidis.*
B Pannorum, usus, pauperes. *Prov. 23. vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio. Jac. 2. etsi introierit vir pauper in sordido habitu.*
Candidę vestes ad gloriam, majestatem, & puritatem. *Math. 17.* de Christo transfiguratio. *Jo. 20.* Angeli in albis sedentes. *Ap. 3. ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt; Qui vicerit, vestietur vestimentis albis. Ap. 19. vestes bissinæ justificationes sunt Sanctorum.*
Purpureæ, sive hyacintinæ supradictam, & optatam conditionem. Linum crudum, extremam conditionem. *Eccl. 40. qui utitur hyacintho, et portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo. 1. Mach. 10. 14. Dan. 5. 16.*
C Vestes fœdidæ miserorum, & quos vitæ tædet. Melphib. *2. Regum 19. 14.*
Ornatus fœminæ descriptio, civitatum opulentiam designat. *Hier. 4.*

NUDITAS.

INfantilis summam inopiam. *Os. 2. ne forte expoliam eam nudam, & statuam eam secundum diem nativitatis suæ.*
Nuditas, & neglectus vestium, summum aliquod desiderium. *Mich. 1. super hoc plangam, & ululabo, vadam spoliatus & nudus.*
Captivitatis indicium. *Is. 47. Mich. 1.*
Vehementem, & subitam fugam. *Amos 2. & robustus corde nudus fugiet in die illa. Math. 24. nu-*
D *dus profugit, amictus erat sindone super nudo.*
Nuditas capitis, & pedum, & labiorum velatio, panni sœdidi usus, omnia hæc luctum gravem signific. & concitant ob desiderium carissimi capitis. *Ezech. 24. Fili hominis ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges, nec fluent lacrymæ tuæ, ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies. Corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.*
Calceamenta detrahi, vestibus collectis crura nudare, ultimum miseriæ signum. *Hier. 13.*
Nuditas etiam, quia pudenda res est, veræ religionis, & institutionis privationem significat, & peccatorem Deo exosum. *Ezech. 16. Apocal. 3. Ap. 16.*

CAPUT

A

CAPUT VII.

De his, quæ circa vestes observantur Num. I.

LAceratio vel publica, vel privata, ingentem animi dolorem significat ex calamitate magna, delicto, morte, periculo, sacrilegio, & similibus; tota scatet Scriptura hac expressione frequentissima. 2. *Paral.* 13. *Gen.* 44. 12. *Act.* 14. 13. *Act.* 22. 13. pęnitentiæ signum est *Joel.* 2. 14.

Vestem deserere, fugam præcipitem. *Marc.* 13. *qui in agro est non revertatur retrò tollere vestimentum suum.*

B Præcinctæ vestes, promptum ad agendum. *Dan.* 10. 5. *Ps.* 17. 13. *Luc.* 12. *Act.* 12. 8.

Vestes non exuere, vigilantiam. *Nehem.* 4. 23.

Vestiri, & nudari simbolice, consuetudinem, & dissuetudinem. *Rom.* 13. *abiiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Induite Dominum Jesum Christum &c.*

Quandoque ex forma vestis, munus significatur. 1. *Mach.* 10. *stola; quia Sacerdos.*

Vestes præscindere alicui, genus contumeliæ. *Hanon pueros David.* 1. *Par.* 19. *Act.* 16. *Magistratus scissis tunicis eorum jusserunt eos virgis cędi.*

Vestes cruentatæ, vulnera &c. *Tren.* 4. *erraverunt caci &c.*

Vestes prætereunti sternere summum honorem. *Math.* 21.

C Vestitum esse, & compositum, sanam mentem signific. in eo qui prius insaniebat. *Marc. c.* 5.

Vestitum, & calceatum arripi, furiam arripientis. *Dan.* 5. *viri illi cum brachiis suis &c.*

Velatum esse facie, cæcitatem, & mentis turbationem. 1. *Chor.*

Sinus vestis super faciem mulieris, prostitutam. *Nahum* 3. *ecce ego ad te dicit Dominus, & revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*

ANIMANTIUM HABITUS.

AVES.

II.

D VOlantes, celeritatem, diligentiam, & attentionem. *Is.* 31. *& protectionem sicut aquila.*

Liberè, & temere vagantes, vastationem. *Hier.* 4. *intuitus sum omne volatile cęli recessit.*

Cadavera lacerantes aves, & feræ, hostium immanitatem. *Hier.* 12. *avis discolor ad devorandum.*

BOS. ASINUS.

IN segetem immissus, agrorum luxuriam, & fęlicitatem significat. *Is.* 32. 10. *beati qui seminatis super omnes aquas.*

CANIS.

VIgiliam, & custodiam, mutus, Prophetam, & Sacerdotem non arguentem. *Is.* 56. *speculat. caci &c. canes muti.*

A

FERÆ.

CAdavera lacerantes, hostes pessimos. *Hier.* 4. *venite omnes bestia properate ad devorandum.*

COLUBER. DRACO.

ARiditatem loci, & vastationem, ubi quiescunt. *Is.* 35. 7. *Hier.* 49. 33.

Coluber innocens, securitatem loci. *Is.* 65. *serpenti pulvis panis ejus; non nocebunt in monte Sancto.*

CAPUT VIII.

Aliarum rerum habitudines.

B *CÆLUM.*

I.

CÆli commotio, & turbatio, timorem, tremorem, perturbationem, malum &c. *Is.* 13. 20. *Is.* 50. 3. *Hier.* 4. 20. *Ibidem.* 8. *Ezech.* 32. 7. *Joel.* 2. 9. cælorum concitatio, Dei indignationem ob peccata. *Hier.* 2. 12. *obstupescite cęli super hoc, & porta ejus desolamini. Dicit Dominus duo enim mala fecit. Populus meus.*

Cęli, & terræ cantus, lætitiam summam, & gloriam. *Is.* 49. 13. *Hier.* 51. 48.

SOL.

OBtenebratus, magnam miseriam, & iram Dei, ita semper. *Is.* 24. 9. *Hier.* 15. 9. *in passione Christi, & Judicii die in Evangeliis.*

C *TERRA.*

MOta, terrorem, & calamitatem gravissimam. *Ezech.* 38. 19. terra tenebrata, quæ serotina dicitur, rem inutilem, & abjectam signific. *Hier.* 2. *numquid solitudo &c. aut terra serotina.* Terra lugens, pressuram. *Hier.* 4. *lugebit terra, & marebunt cali &c.* exinanita vastationem. *Hier.* 12. 4. culta, & exercitata, pacem, & securitatem. *Hier.* 31. 5. Terræ cantus, & laudatio, lætitiam, & fælicitatem. *Isa.* 49. 13. *Hier.* 51. 48. *& in psalmis sapè.*

ALTITUDO.

II.

D VAlde conspicua, modo magnam ignominiam, modo gloriam, signifi. altissima trabs Aman. *Esth.* 7. & crux Domini.

MANE DIES, MERIDIES, VESPER.

TEmporis observatio, certam habet significationem. Summo mane inita operatio, diligentiam, & studium. *Sop.* 3. *& in Psalm. sapè* & ubique in Scriptura. In die fieri est manifestè, & sine metu fieri. *Ezech.* 30. *In Memphis angustia quotidiane* hebr. habet, *in die* V. plura exempla.

Meridies claram lucem signific. qua nulla major. *Job.* 5. 14. *Is.* 59. 10. *Is.* 16. 3.

Ante, & post immediatè meridiem estus est. Vid. Incognit.

Ve-

Vesper laboris finem, initium quietis, at feris è converso. Ps. 103. Vulneratis, & ægris fastidium, & periculum. 1. Reg. 22. *mortuus est vespere.* Ezech. 24. *mortua est uxor mea vespere.*

Nox, nihil in ea commodè geritur, mala nutrit, & operit, nam qui malè agit, odit lucem. Os. 4. 5. & Ps. & *nox illuminatio mea.*

Ad cogitandum, & orandum opportuna, maturitatem, & recessum, & devotionem significat.

AQUA.

III.

AMara calamitatem, & ærumnam. *Dedit nobis potum aquam fellis.* Hier. 8.

Aquæ mentientes, auxilii defectum. Hier. 15. *facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.*

Aquæ super ariditatem effusæ oportunum auxilium. Is. 44. *effundam aquas super sitientes &c.*

B

FLUVIUS.

FLuviorum, & montium mutatio, rerum mutationem, & innovationem. Isa. 42. *desertos faciam colles &c.*

Inundans, copiam, & celeritatem, aliquando vehementem impetum. Is. 66. 12. Is. 59. 19.

Fluviorum arefactio, vastationem, & excisionem. Is. 44. 16.

MONS.

MOntium mutatio, aut alteratio, similem in rebus casum significat. Isa. 42. 15. Isa. 52. 7. Vide Incognitum.

C

NUBES.

INter cœlum, & terram mobiles, Dei ministræ, ejus currus, grandinum, aliarumque affectionum officina, plura divina portendunt. Ps. 67. Marc. 14. *venientem in nubibus cœli*, & in Transfiguratione, & in Ascensione.

VENTUS.

VAlidus, vim magnam, & insuperab. Hier. 4. 11. Indignationem Dei, & similia.

IGNIS.

IGnem excitare, & scintillas, irritationem, & offensionem. Is. 50. 11. *ecce vos omnes accendentes ignem &c.* Ezech. 21. 30. Ignis in spinis, iram celerem. Ps. 117.

D

MARE.

RUgiens, & sonans, terrorem. Is. 5. & *sonabit super eum in die illa, sicut sonitus maris &c.*

METALLA.

EOrum immutatio in melius, felicia tempora. Is. 60. *Pro ære afferam aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.* Argentum æs, cupr. impura, perditos mores. Hier. 6. 28. *omnes Principes &c.* Ferrei vectes confracti, expugnationem absolutam. Is. 45. *ante te* A *ibo &c. portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.*

CAPUT IX.

Habitus eorum quæ ad rem rusticam pertinent. I.

AGri neglecti, & inculti, bellum grave, importunum, & assiduum signific. Hier. 6. 25. Seminare, serere, plantare, satio prope flumina, fertilitatis spem. Is. 32. *beati qui seminatis.* Est etiam Verbum Dei docere, Math. 13. est etiam largiri benignè ad opus bonum 2. Cor. 9.

ARBOR.

INcrementa, & augmenta, pacem, & felicia tempora. Isa. 41. 19. *dabo in solitudinem cedrum.*

Arborum sectio, exterminium, Math. 7. *omnis arbor &c.* & alibi *securis ad radicem arboris &c.*

RAMUS.

RAmi strati in via, lætitiam, & triumphum. Math. 21. Palmas efferre, victoriam. 1. Mach. 13. 52. & *intraverunt in arcem &c. cum laude, & ramis palmarum.*

FLOS, FLORES.

APparentes, ver significat. Cant. 2. 12. producti, felicitatis initia. Psal. 91. 13. Psal. 71. 16. Is. 27. 6.

FRUCTUS.

FRuctuum amplificatio, prosperitatem. Is. 41. 19. lignum olivæ &c. libera collectio, pacem. Hier. 40. 10. eorum negatio, & desiderium, vastationem, & penuriam commodorum omnium. Hier. 8. 13.

ARUNDO.

QUassata, debilitatem. Isa. 42. *calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.*

SPINÆ.

PRO tritico, calamitatem magnam. Hier. 12. *Seminaverunt triticum, & spinas messuerunt &c.* Vide pro ordeo.

VINEA.

EJus plantatio, religionem. Hier. 2. Ego plantavi te. Psal. 79. 9. *vineam de Ægypto transtulisti.* Communiter, & ibi Ecclesiam.

STIPULA.

ANte ventum, jactatum ab insuperabili virtute. Hier. 13. & *disseminabo eos, quasi stipulam, quæ vento &c.*

LAC.

LAC.

SUgere, optimis rebus frui. *Hier.* 60. *& suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.*

NIDUS.

EUM construere, est sibi, & posteritati providere. *Ezech.* 31. *cum extendisset umbram, in ramis ejus, nidum fecerunt.*

VIA.

II.

VIÆ infrequentes, & dissipatæ, loci desolationem. *Is.* 33. 8. *dissipatæ sunt viæ &c. Hier.* 6. *nolite exire in agros.*

Stratæ solemnem adventum, & lætum tempus. *Is.* 62. *transite, transite per portas, præparate viam populo.*

Planæ suavem, & jocundum vitæ usum, sed asperæ durum. *Is.* 49. *ponam omnes montes meos in viam, & semita mea exaltabuntur.*

PORTA.

POrtæ Urbis clausæ, metum hostium, patentes securitatem. *Isa.* 60. *aperientur portæ tuæ jugiter, die, ac nocte &c.*

Perpetuò clausæ, derelictionem, & solitudinem. *Hier.* 13. *Civitates austri clausæ sunt, & non est qui aperiat.*

Muri effossio, migrationem, & fugam, ut captivorum. *Ezech.* 13. *ante oculos eorum perfode tibi parietem.*

Habitus animantium erga terram.

III.

TErram lingere, humilimam conditionem, & fractum animum, servitutemque extremam. *Isa.* 49. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ &c., & pulverem pedum tuorum lingent. Psal.* 71. *& alibi.*

In terram proiicere, ruinam, & vastationem totalem. *Tren.* 2. 1. *Is.* 52. 2.

In terram inferiorem, seu in lacum, ut noster Interpres, Descendere, est, vitam, & honorem amittere. *Ezech.* 32. *cane lugubre super multitudinem Ægypti, & detrahe &c. ad terram ultimam, cum his, qui descendunt in lacum.*

Pulvis, & quæ circa pulverem aguntur.

OS in pulvere, humilitatem. *Tren.* 3. In pulvere jacere, ærumnam. *Psal.* 43. *humiliata est in terra anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.*

Pulverem in caput proiicere, mærentium, in cælum jactare indignè ferentium. *Ap.* 18., *& miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt flentes. Act.* 22. *vociferantibus eis, & proiicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aerem.*

Pulverem è pedibus excutere, est detestatio communionis, & societatis, totalis fractio. *Luc.* 10. *& Act.* 19.

Plura alia, & diversis in locis notat Arias Montanus loco citato, & idipsum alii. Sed ne eadem pluries repetamus, hæc satis sunt, ut specimen in eis habeat Lector, ad cætera notandum, & contemplandum, ac denique videndum, quod de iis, quæ spectant ad hominem, vel propriè vel translatè tota constat Scriptura, ut a nobis clarius, & connaturalius intelligi possit, ad quod demonstrandum, in his notationibus hactenus insudavimus. Utinam prosit.

CAPUT ULTIMUM.

De mensura, numero, & pondere, quid significent in Sacra Scriptura.

O*Mnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, inquit *Sapiens cap.* 11. in quo quidquid continet Sacra Scriptura, divino quodam epilogo comprehendit: portat omnia virtute Verbi sui, & Verbo veritatis suæ divinum Verbum, etiam scriptum, sive creata sint, sive increata, eademque continet hæc propositio: Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti; increata quidem, si sumatur activè, creata verò omnia, si passivè. Ita docet Augustinus, *dialogo quæst. ad Orosium, qu.* 39. *numerus, & mensura, & pondus, quæ Deus est: ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus, ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura; ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus; omnia ergo in mensura, & numero, & pondere disposuit, tanquam si diceret, omnia in se disposuit;* & concludit, *lib.* 4. *de Gen. ad litt. cap.* 3. *mensura omni rei modum præfigit, numerus omni rei speciem præbet; & pondus omnem rem ad quietem, & stabilitatem trahit.* Ex hoc Angelicus Doct. 1. par. qu. 5. ar. 5. omne bonum deducit consistere, in modo, specie, & ordine, & tantum singulis rebus inesse bonitatis, quantum modi, speciei, & ordinis, quod idem est, ac quantum mensuræ, numeri, & ponderis. Qui ergo id comprehenderet, qualiter in omnibus, & singulis, quæ in Scriptura dicuntur, se haberet mensura, numerus, & pondus, certè totam Scripturam fæliciter comprehensione concluderet. At in hujus vitæ obscuritate, ubi ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, mensuræ nostræ totum non datur, deficit numerus dierum, quia ars longa, vita brevis, & corporis depressa pondere mens, ne ad altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei perveniat, detinetur. Sufficiat ergo scire hoc an est, ut divinam, venerando admiremur sapientiam, videlicet, & res omnes & quidquid Scriptura continet, in hoc mirabili epiphonemate contineri. Omnia disposuisti in mensura, numero, & pondere. Quod si idipsum comprehendere nemini datur, ne scrutator majestatis opprimatur a gloria, id nemo exiget a parvitate nostra, qui tantum ex munere nostro universa prægustare, seu prælibare tenemur,

tur, ad acuendum sapientiæ appetitum. Satis ergo sit hoc a longe vidisse & ad intelligendum, quid Scriptura significet alicubi, ubi de mensura, numero, & pondere aliquid insinuat brevi studio, si non attingere, saltem desiderare.

ARTICULUS I.

De mensura in generali, & in particulari.

MEnsura generaliter, ut notissimum est, dicitur id, per quod quantitas rei cognoscitur: idque competit etiam ponderi, seu momento stateræ, aut lancium, per quod quantitas, & pondus rei ponderatæ indivisibiliter demonstratur, de quo etiam materialiter sumpto, ac simul accepto pro materiali quavis mensura dicitur. *Prov. cap. 20. Mensura. & mensura, pondus, & pondus, utrumque abominatio est apud Deum.* ubi duplex sensus directè intelligitur, primus est abominatio injustitiæ, cum alia quis mensura, aut pondere emit, & alia idipsum vendit, aliud superbiæ, & hypocrisis detestatio, ac propterea prius dicit: *quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato.*

Simili duplici sensu dicitur, *Psal. 61. veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum, in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.*

De mensura hac materiali rerum materialium, in Scriptura, non plura inveniuntur, nisi fortè in Levitico, & apud Ezechielem, ubi taxantur mensuræ, & pondera pro materia sacrificiorum illius temporis; de quibus mensuris, quæ erant in usu apud Hebræos, plura habet Bejerlinch V. mensura, nec non, & Villalpand. & Cornel. Alap. aliique Expositores omnibus pervii, nec materia admodum necessaria est, studiosis veritatis Sacræ Scripturæ; videat ergo cui vacat. Quod si alicubi sparsim aliquid dicitur de mensura, sensum facit, vel litteralem moralem, ut in adductis exemplis; vel spiritualem aliquem, & misticum. Nos, qui significationes venamur litterales, magis intentas in Scripturis, ubi istæ occurrent, aliquid breviter prælibabimus; Agens enim est in fine velocius.

Illud tamen hic valdè notandum, quod cum & Philosophi, & Theologi distinguant quantitatem, aliam esse molis, aliam esse virtutis, duplex supponenda est mensura utrique respectivè quantitati respondens; Sed in Sacris litteris, quamvis aliquando historicè sermo sit de quantitate molis, ejusque mensura, frequentius tamen agitur de quantitate virtutis, ejusque consequenter mensura; ad hanc igitur respiciemus.

Mensuram quandoque ponit Scriptura pro termino, sive pro brevitate. *Mensurabiles posuisti dies meos. Psal. 38.* idest paucos, qui facilè mensurantur, prius enim ait. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est? ut sciam quid desit mihi &c.*

Psal. 103. Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum, quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur &c. Simile de mari: *circumdedit illi terminos. Job cap. 38.* clarè de men-

A sura humanæ vitæ, *constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt Job. cap. 14.*

Mensura etiam, judicium, & justitiam significat quam sibi quisque præparat actionibus propriis. *Lucæ cap. 7. eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis,* & alibi sæpè. Juxta illud, *2. Chorin. c. 9. qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Ponitur tamen ad exprimendam aliquando liberalitatem Dei, cum suis electis, ut *Lucæ cap. 7. confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum;* quia Deus præmia largitur suprà condignum; nam bona mensura etiam vulgò dicitur, quæ abundans est supra rigorem mensuræ, coagitata etiam, ut in mensura tritici,
B quæ coagitata capacior est.

Quandoque ponitur pro penso operis diurni. *Exodi cap. 5., & mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam.*

Solet frequenter poni mensura pro modo, & determinatione, ac gradu a Deo præfixo, & quia Christo data est gratia, quæ superat omnem gratiam, creaturis collatam dicit Apost. *ad Rom. c. 12. non enim ad mensuram dat Deus Spiritum,* loquens de Christo de aliis autem eodem loco dicit, *& unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei, & Ephesiorum c. 4. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi; quæ est juxtà exigentiam corporis ejus mystici, quod est Ecclesia,* sicut ibi; *operationem in mensuram uniuscujusque mem-*
C *bri,* quod intelligitur, de gratiis gratis datis.

Mensura etiam ponitur pro complemento, & perfectione, eodem *cap. ad Eph.* quod nempe beati resurgent corpore perfecto, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Mensura idem est, ac regula, sicut in Architectura; ideò *Job. cap. 38. quis posuit mensuras ejus si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?* idest regulam, vel mensuram, quam præterire non licet.

2. Chorin. c. 10. nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos.

Maximo mysterio mensura est Crux Salvatoris Domini nostri. De qua *Habac. c. 3. in oratione* dicitur, quod Christus *in ea stetit, & mensus est*
D *terram,* & quia omnia ad suam tendunt mensuram, cui coaptantur, ideò idem, *Joannis cap. 17. & ego cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum;* vera hæc est mensura, quæ clavis suis sibi fixit immensum; qui merito suo infinito, pro omnibus satisfecit peccatis, ideò in cruce omnia, & singula peccata suæ inveniunt infinitæ offensæ satisfactionis mensuram, *qui peccata nostra portavit super lignum crucis. 1. Petri cap. 2. & alibi qui factus est pro nobis justitia, & sanctificatio, & &c.*

Mensura est, idest exemplar, ait Princeps Apost. *ep. 1. c. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Cui exemplari ita se conformabat Apostol. Gentium, ut diceret, *vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.*

2. ad

a. ad Galat. cap. 2. 5. & 6. Christo confixus sum cruci, & iterum mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, & ego stigmata Dom. Je. in corpore meo porto, ac demum concludens crucem Christi verè esse mensuram idest regulam, subdit; *& quicumque hanc regulam secuti fuerint pax super illos*.

Mysterium autem aliud hujus mensuræ tetigit Habac. loco citato, dic. quod Christus in cruce *mensus est terram*, quia cum terra sit rotunda, & Dominus operatus sit salutem in medio terræ; verè mensus est terram per crucem, crux enim in medio circuli a centro ducta ad circumferentiam, in quatuor triangulos circulum dividit, ex quibus, & quadrato crucis perfectè circulus mensuratur, & præcipuè figurarum species in ipso formantur; ipseque proinde, qui ait, *cælum, & terram ego impleo*, in medio terræ, & medians inter cælum, & terram, mediator Dei, & hominum, in cruce erectus, & terram mensus fuit, quæ circularis est, & cælum, quod pariter circulus est, per crucem; sic faciens per se ipsum utraque unum, attingens a fine usque ad finem, ut impleret omnia, & sic nihil esset, quod effugeret ejus mensuram; ita enim apparuit, quommodo Pater omne Judicium dederit Filio. Jo. c. 5. & magis patebit, cum signum crucis erit in cælo, eodem veniente ad Judicium. Et hæc quidem in crucis obsequium addere licuit, præter morem præsentis tractatus, cui enim totum debemus, & hoc vel minimum negare, piaculum fuisset.

Mensura potius de pœna dicitur. *Ps. 79. cibabis nos pane lacrymarum, potabis nos lacrymis in mensura*, oppositum verò de gloria, quæ explicari non potest, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. 1. *Chor. c. 2.*

Est tamen in alio sensu etiam mensura gloriæ, quatenus commensuratur cum suo principio, videlicet lumine gloriæ in intensione, ideò *Apocal. c. 21. Angelus metiebatur civitatem Dei, sive murum ejus, mensura hominis, quæ est Angeli* ait Jo: quatenus ejusdem rationis est lumen gloriæ, & cætera dona patriæ, sive in Angelo, sive in homine, eademque mensura utrobique luminis, & meriti, non naturæ. Vel dicitur mensura hominis, quæ est Angeli, quia quot Angeli ceciderunt, tot homines exaltantur ad gloriam, ad reparationem ruinæ, & plenitudinem majestatis cælestis Senatus.

Quia verò quatuor quasi species mensuræ sunt latitudo, longitudo, altitudo, & profundum, quia hæ differentiæ considerantur in re mensurabili, seu quanta, ideò breviter.

Latitudo sumitur in Scriptura aliquando in malum, sicut angustia in bonum. *Math. c. 7. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam; quam angusta porta, & stricta via est, quæ ducit ad vitam &c.*

Sæpius tamen in bonum ponitur, pro amplitudine præmii. *Ps. 17. & eduxit me in latitudinem, salvum me fecit, quoniam voluit me, juxta illud Baruch c. 3. o Israel, quàm magna est Domus Domini, & ingens locus habitationis ejus.*

A Latitudo pro facilitate legis. *Psal. 118. omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, quia qui superavit difficultatem sæpius, per observantiam divinæ legis, fit ei latum mandatum, cum finem obtinet consummationis, vel cum perfectus evadit; ideò in eodem Psalmo dicitur, *et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.*

Latitudo pro amore, seu charitate, ex qua nascitur, *eodem Ps. viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*; ideò & Christus, qui legem imposuit charitatis, ait, *Math. 11. jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Latitudo cordis, sapientiam, & libertatem animi. 3. *Reg. c. 4. dedit quoque Dominus Salomoni, sapientiam, & prudentiam &c. & latitudinem cor-*
B *dis, sicut arenam, quæ est in littore maris*, nam arena littoris maris, fluctus omnes repellit, ut prudens, & sapiens, quidquid ei acciderit.

Latitudo, levamen de tribulatione sæpissimè in Scriptura. *Ps. 4. in tribulatione dilatasti mihi, juxtà illud Ps. 93. secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Longitudo, quia tendit rectè, & directè, unit sub se distantia, & significat æternitatem, quæ in se unit omnia tempora, & omnia bona. *Psal. 20. vitam petiit a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi, & Psal. 90. longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

C Ob eandem rationem intelligitur longitudo pro pace, & vera fœlicitate. *Prov. cap. 3. longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ, & gloria; viæ ejus, viæ pulcræ, & omnes semitæ illius pacificæ.*

Longitudo, quæ in hoc conceptu nullum exprimit terminum, accipitur etiam pro misericordia Dei, quæ replet omnem terram, & cœlum; immò *misericordia ejus super omnia opera ejus*. Et quæ nec finem, nec fines habet, ideò sępè in Psalmis, *misericordia ejus manet in sæculum sæculi, & usque in æternum misericordia ejus, & denique Psal. 102. longanimis, & multum misericors.*

Altitudo in Scriptura cœlum designat, ubi ex adjuncto alteri non applicatur; cælum enim, ut supra omne materiale creatum, ita altitudinis men-
D sura est. *Psal. 67. ascendisti in altum &c., & Ps. 143. mitte manum tuam de alto.*

Altitudo frequenter ponitur pro superbia. 2. *Chor. cap. 10., & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Psal. 137. quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit. Rom. cap. 11. Noli altum sapere, sed time*, ideò superbia dicitur extollentia oculorum. *Eccl. c. 25., & alibi. Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper Ps. 73.*

Ponitur etiam in bonum, ut cum Deus, ejusque summa intelligentia per altitudinem exprimitur sæpissimè in Scriptura, ex quo antonomasticè, Deus dicitur Altissimus, ut passim. Per altitudinem, & celsitudinem, & similes phrases describitur symbolicè nobilitas Angeli, antequam caderet

per superbiam. *Ezechiel cap. 31. altitudinis firmamentum palmitudo ejus est, species ceeli in visione gloriæ. Psal. cap. 47.*

Significat quandoque altum, & arcanum mysterium, quod ideo altum, & sublime dicitur, vel quia ad Altissimum spectat, vel quia per excelsum incomprehensibilem nobis, superat parvitatem nostram. *Ad Roman. c. 11. o altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Mirabilis significatio altitudinis est in Sacra Scriptura, quod indicet humilitatem. Clarè id explicat in suo Cantico Beatissima Virgo. *Luca c. 1.* magnificat anima mea Dominum, & exultat spiritus ejus in Deo, qua major altitudo inveniri non potest, & tamen hoc totum est expressio summæ humilitatis ejusdem Dei celsissimæ Matris, *quia,* inquit, *respexit humilitatem Ancillæ suæ*, & hæc est vera ipsius altitudo, sublimitas, & excellentia, humilitas tanta.

Psal. etiam 63. accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, ubi necessariò cor altum accipitur pro corde humili, quia subditur, *& exaltabitur Deus*, cum non aliter possimus exaltare Deum in nobis, nisi per humilitatem nostram, ut in superiori exemplo B. Virginis.

Ad hoc facit, quod dicitur, *Ps. 83. ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit*, nosse enim se ipsum abjectum in hac valle lacrymarum, est ascensionem ordinare in corde, quod altum evadit, eo quod Deo appropinquat, qui propè est humilibus, *& alta a longè cognoscit. Ps. 118. Propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas*, idest humilitas nostra, quæ verissima veritas est.

Cum autem altitudo sit terminus comparativus, competit etiam rebus infimis, in comparatione ad terminum inferiorem, ideò dicitur de terra. *Isaiæ cap. 58. super altitudines terræ extollam te & cibabo te hæreditate Jacob. Matth. c. 13. & Marci cap. 4. non habebat altitudinem terræ.* Et dicitur etiam de Inferno. *Eccl. c. 51. de altitudine ventris Inferi, & a lingua coinquinata*, lingua enim mala, est mensura ventris Inferi. Et alibi similia, sed tritius obvii, & clara sunt.

Sublimitas idem ferè semper significat, ac altitudo, ideò nihil hic addendum.

Altera dimensio est profunditas, sive profundum, quod antonomasticè dicitur de Inferno, tum quia est locus ejus in centro terræ, tum etiam formaliter, quia nihil magis distat a Deo, qui dicitur & est Altissimus, quam Infernus, ideòque profundissimus est, ideoque, ac simpliciter, & antonomasticè, profundum ipsum. *Ps. 68. Non absorbeat me profundum, nec urgeat super me puteus os suum. Exodi c. 14. Ceciderunt in profundum quasi lapis* dictum de mari rubro; sed etiam relativè ad Infernum. *Isaiæ cap. 7. in profundum Inferni, & cap. 14. detraheris in profundum laci,* & alibi sæpè in Scriptura.

Ponitur etiam eadem ratione, pro peccato, sive peccatis. *Psal. 48. Infixus sum in limo profundi*, quod intelligitur etiam de Redemptore nostro, qui portans peccata nostra, eorum pondere in passione sua depressus, dicit, *infixus sum in limo profundi, & tempestas demersit me. Ose c. 9. qui profundi estis corde. Prov. c. 8. impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Profundus ponitur pro ignoto, & abscondito. *Job 12. 22. qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis. Dan. c. 2. ipse revelat profunda, & abscondita. 1. Cor. c. 2. spiritus scrutatur omnia etiam profunda Dei. Prov. 18. profunda verba ex ore viri.*

Significat etiam miseriam magnam. *Psal. 129. de profundis clamavi ad te Domine. Ezech. cap. 23. calicem sororis tuæ bibes profundum, & latum &c.* quæ sequuntur. *Jonæ cap. 2. projecisti me in profundum.*

Oblivionem portendit. *Michea c. 7. et projiciet in profundum maris, omnia peccata nostra. Psal. 67. convertam in profundum maris.*

Cum proprietate dicuntur profunda divina mysteria nobis impervia. *Psal. 91. nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Eccl. c. 1. Profundum abyssi quis dimensus est?*

Denique per quatuor istas dimensiones Apost. ad Eph. cap. 3. arcana verba, quæ non licet homini loqui prout fieri datum est, explanavit, & beatitudinem ipsam, *Di ut possitis comprehendere cum Sanctis omnibus, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, et profundum*, id implicitè exprimens, in rebus, quæ a Deo distant, non esse veram latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profunditatem, sic enim Sancti comprehendunt; immo ipse Deus, coram quo pro nihilo hæc minima computantur.

In hoc autem Apostol. etiam per analogiam ad cælestem Hierusalem cujus dimensiones in manu Angeli, vidit Joan. in Apocal. etiam crucem, per quam ad illam pervenitur, descripsisse, ne verò eadem repetamus, vide dicta superius, de mensura in genere, ubi de cruce, in hoc eodem articulo retrò versus initium, quam bene Deus omnia disposuit in mensura, idest in sua beatitudine, in Cœlis, in cruce, in terris.

ARTICULUS II.

De Pondere.

De ponderibus in particulari, secundum morem hebræorum, sicut etiam de mensuris plura habet Arias Montan. in Bybliis Regiis, quæ faciunt ad intelligentiam materialem Sacræ Scripturæ in aliquibus locis, juxtà hebræos, quia tamen hæc soli deserviunt curiositati, nec apparet, quid ad mores, vel sensus litterales, similia prosint, quę solam litteram hebræam explicant, ideò fugiunt brevitatem, & propositum nostrum, idque satis est innuisse.

Pauca igitur subdimus, de usu, & intelligentia, hujus dictionis in Sacra Scriptura.

Pondus accipitur pro justitia. *Levitici cap. 26. et reddans eos ad pondus*, & alibi etiam, quia esse aliquid ad pondus est esse tale ad æqualitatem requisi-

quisitam, ut dicitur, *Levit. c. 19. Statera justa, & aequa sint pondera.* A

Actiones sanctas designat, nam omnia debebant ponderari pondere Sanctuarii, ut frequenter praescribitur in Levit., & Numeris, & Deuteronom. & alibi, nec aliquid judicabatur certum, & justum, nisi esset juxta pondus Sanctuarii, porrò regula hujus ponderis est illa. *Leviticei c. 19., & 20. Sancti eritis vos, quia ego Sanctus sum dicit Dominus, et Matth. c. 5. Estote et vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est.*

Pondus laborem, & defatigationem. *Matth. c. 20. Qui portavimus pondus diei, et aestus. 2. Paral. c. 10. Ego majus pondus apponam.*

Pondus pro vi opprimente. *1. Reg. c. 31. totumque pondus praelii versum est in Saul. Job c. 31. semper enim quasi tumentes fluctus super me, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.*

Pondus pro mensura; & dispositione cujuscumque rei. *Job c. 28. qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. Isaiae cap. 40. Quis mensus est pugillo aquas, et caelos palmo ponderavit, qui appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera.*

Pondus judicium significat. *Prov. c. 16. Spirituum ponderator est Dominus eod. cap. Pondus, et statera Judicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sacculi. Mich. c. 6., et sacculi pondera dolosa. Isa. c. 28. ponam in pondere Judicium.*

Pondus obligatio. *Eccl. cap. 13. Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat*, & Christus de obligatione legis suae ait. *Matth. cap. 11. Tollite jugum meum super vos etc. jugum enim meum suave est, et onus meum leve*, quod idem est, ac pondus. Sicut & *cap. 13. de Pharisaeis ait Salvator, alligant enim onera gravia, et importabilia super humeros hominum. Actorum cap. 15. Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?*

Quandoque pondus ponitur pro peccato. *Psal. 37. iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me*, ubi onus ponitur pro pondere. *Hebr. cap. 12. deponentes omne pondus.*

Etiam in bonum accipitur, cum ingens, & supereminens bonum describitur, ut *2. Chorin. c. 4. aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

Ex eodem loco habetur, quod etiam hujus vitae tribulatio pondus habet, ait enim, *momentaneum, & leve tribulationis nostrae, utique pondus aeternum gloriae operatur.* Illud autem dicitur leve in comparatione ad summum gaudium gloriae, quod promeretur, non tamen semper leve est, respectu imbecillis naturae, propterea idem Apostolus alibi conqueritur dicens, *supra modum gravati sumus, ità ut taederet nos etiam vivere.*

ARTICULUS III.

De Numero, & Numeris.

OMnibus numeris absolutissima Sacra Scriptura, innumerabilia in numeris exhibet mysteria, & significationes, quibus proinde scrutandis, innumerabilium, nedum dierum, sed & annorum labor succumberet; sola enim divina unitas, & Trinitas in omnibus, & singulis Dei operibus adumbrata, propter quod significandum, inquit, *omnia disposuisti in pondere*, in quo signat unitatem, *et numero* in quo Trinitatem, non minus quam aeternitatem, & clara Dei visione percipitur. Quid ergo ad impossibile pro praesenti statu
B conamur? respondet opusculi hujus intentio, & munus; nostrum non est, nisi praelibare, eaque proponere, quibus ad intima sapientiae penetranda, studiosa mens invitetur, eoque perveniat, quo ista tendunt, non ubi sistunt. *Cum consumaverit homo, tunc incipiet. Ecclesiastici cap. 18.* incipiet utique scrutari mirabilia Dei, ut textus ostendit. Nos siquidem uti senes, ea tantummodo praelibamus, quibus speramus citò in Dei visione, si misericors Deus dignetur concedere, plenè satiari; studiosos verò nostros uti juvenes decet, quia a fine, & fonte distantes, coelesti interim hoc pane nutriri, nempe divinarum jugi meditatione Scripturarum, ne fame pereant, ne tamquam temporis, & vitae prodigi lacrymentur, *quot mercenarii in Domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Lucae c. 15.*
C Mercenarii utique sunt, qui consumato labore mercedem acceperunt, de qua Augustin. *Visio est tota merces.* Et hanc igitur, quae superest cognitionem, quam proposuimus, praelibabimus, eis, quos vacat, penitiorem ejus indaginem committentes. Quia verò, nec sine propria mensura res cognoscitur, nec sine ordine procedit sapientia, prius aliquid de unitate, quae est mensura numeri proponendum est, exinde de numero prout concentus est, postmodum de numero generaliter, prout est multitudo, ac denique, de diversis speciebus numerorum, quid in Scriptura significent, brevissimè tractandum est, & quia sic exigit hęc non facilis materia, specialiter, & pręter morem hujus postremi tractatus, nedum ex
D Sacra Scriptura, sed etiam ex Patribus, ubi opus erit, interpretatio desumetur.

De uno ex sublimi Doctrina Petri Bungi ex Patribus hausta.

I. UNum omnia significat, quia & singula, quidquid enim concipitur esse extra nihilum, debet cognosci ut primo nihil excludens per indivisibile ejusdem contradictorium, quod est ipsum unum, plura enim ab uno, non a nihilo sui, abstracta intelliguntur; ideò mirabili expressione omnium, & singulorum creatio, prout sunt unus terminus creatricis omnipotentiae, quae una est, in primis verbis Genesis declaratur. *In principio*, inquit, *creavit Deus caelum, et terram,*

non enim ait, in plurali cælos, & terras, sed singulariter, ut eorum primum esse, uti ex nihilo tractum, per unum exprimatur. *In principio*, inquit, quod est imperceptibile, nisi intelligatur, unum quid durationis, destructivum oblivionis perpetuæ nihili, per solam sui inceptionem indivisibilem, ex nihilo infinitum durationis terminantem; ideoque hunc eundem locum profundissimè simul, & clarissimè exposuit *Ecclesiasticus cap.* 18. dicens, *qui vivit in æternum, creavit omnia simul*, si simul ergò unum, quod est omnia simul, & singula, ut unum, nam omnia comparata ad nihil, unde trahuntur, unum quid, & singulum dicunt; ut sic simultati totius nihili, quæ est exclusio omnis unitatis, omnium unitas una opponatur, una in hoc, quod simul omnia, ideó, & quid singulare, si unum quid omnia; hoc enim necesse est asserere, si consideretur unitas Creatoris, ne primò cognita ut plura, omnia unitatem in primo suo conceptu non exprimant sui Conditoris, a quo immediatè fluxerunt, quod est & ingratam essentialiter conditam esse naturam. Plura autem, propterea non negamus entia, cum inter se in propria finitate comparantur, sed hoc ipsum exprimit in natura, unius unitatis appetitum, dum conantur singula per propriam qualemcumque unitatem particularem, multiplicare, quam nequeunt adæquare, primæ, & perfectissimæ unitatis imaginem; sicut cum in frusta discinditur speculum, quævis ex divisis partibus conatur ratione suæ diversæ terminationis, eandem imaginem reddere multipliciter, quam frusta illa, cum essent partes simul unitæ, unicam, & unam in suo toto, singulariter unicè, & perfectius exprimebant; quæ analogia bene ponderanti, rem satis pro modulo nostro declarat, ne vel nova, vel falsa videamur obtrudere, qui nihil nisi ex Scriptura ipsa, & Patrum sensu, hæc etiam in re exhibemus, contractum quidem ad brevitatem, sed collibratum, & prælibatum ad veritatem. Patres verò sigillatim non recensemus, nec eorum verba, nimis enim prolixum foret; qui plura desiderat auctoritatum monimenta, videat Eruditissimi Petri Bongi celeberimum opus de mystica numerorum significatione, ac præsertim in principio ubi de unitate sermo est.

2. Unitas si bene consideretur in sermone Scripturæ idem est, ac veritas, nihil enim magis unum, quam veritas; idque ex eo constat, quod cum sæpissimè in Sac. Textu fiat mentio veritatis, numquam tamen hæc dictio *veritates*; in toto sacro volumine reperitur, nisi semel translatę, ut sic tota Scriptura testetur, adeò unam esse veritatem, ut idem omninò sit veritas, & unitas; hinc dilectionis dilectus Apost. Joannes sciens (quod & ipse sæpius docuit) charitatem esse unitatem in secunda epist., & etiam in tertia ait, *quos ego diligo in veritate, & quem ego diligo in veritate*, idem faciens unitatem dilectionis, & veritatem. *Ps.* 118. *principium verborum tuorum veritas*; constat autem, quod principium ut tale est unitas, ut num. præd.

Veritas est conformitas rei ad intellectum, ita ut una sit forma in re, & intellectu, unitas est conformitas, idest unitas formæ, quæ facit, & complet unum etiam in pluribus. *Ad Rom. c.* 8. *quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui*, qui utique ait de se ipso, *Ego sum via veritas &c. & ego, & Pater unum sumus. Jo. c.* 10.

Ad oppositum, nihil magis habet de divisione, quam mendacium, in quo homo opponitur sibi ipsi, quia it contra propriam mentem, oh turpe monstrum! describit David mentientem. *Ps.* 72. *posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transivit in terram, & Math. c.* 15. *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me &c. Omne regnum (inquit Christus Math. c.* 12.) *divisum contra se, desolabitur, & omnis Civitas, vel domus divisa contra se, non stabit*: quare autem regnum diaboli contra se divisum sit, ostendit *Jo. c.* 9. *Vos ex Patre diabolo estis etc.* & statim, *quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, et Pater ejus*, scilicet mendacii, & *Jacobi c.* 4. idem est peccatorem esse, qui veritatem non facit, & esse duplicem animo. *Emundate manus peccatores, et purificate corda duplices animo: et cap.* 1. *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis*, quia æquè recedit ab unitate, ac a veritate, quæ stare nequit cum duplicitate.

3. Unum antonomasticè, & propriè, & simpliciter, ac singularissimè in sensu arcani sermonis significat Deum ipsum.

Ad altissimum conatur quantum potest mens impulmis ascendere, impossibili quodam volatu, ignoto effatu, non quidem superbiæ impulsu, nimis enim a superbis distat, ut cognoscatur, qui alta a longè cognoscit, sed potius mystico humilitatis desiderio ex se supra se elevata, quæ enim veritas est juxta sensum Seraphicæ Matris Nostræ Teresiæ, quo motu verissimè nos ad nostrum verum nihil intelligendum ducit, ad summi entis, unius, veri Dei tentandam agnitionem, veritatis simpatia compellit, ut qui se humiliat, juxta promissum Evangelium simul eodem motu exaltetur. *Non videbit me homo*, inquit Deus, *& vivet*, & tamen vitæ hujus tædet, quia eum non videt, & torquente desiderio dum vivit, moritur potius homo, quam vivit, sicque nova necessitate mortalis; moritur si videt, & moritur, quia non videt; sic ad suum exemplar deficiens imago suspirat, dum ipsa dicit sibi met, ubi est Deus tuus? & simul cognoscit, *quare tristis es anima mea? & quare conturbas me. Ps.* 42. Quod fortè idem Psalmista alibi expressit dicens, *veruntamen in imagine pertransit homo* ad suum, quod non videt suspirans exemplar, sed & frustra conturbatur, quia quandiu turbari potest, non videbit immutabilem unitatem. Quærimus nunc, sed inveniemus eum, qui est unum, ac totum esse, cum amiserimus illud nihil, quod sumus, hoc enim est immutari; quippe & nihil, cum ei Deus occurrit, in totum id, quod verè est, fuit jam immutatum. Quid ergo pro nunc divinamus? certè si quæramus quid est Deus, ipsa sibi respondebit ignorantia, non solum non posse dici, sed nec posse quæri quid sit, quod supra omne quid, super omne esse, super omne intelligibile, dans omni esse intelligibilitatem, in se

ipso

ipso tota intelligibilitas est, quam pars non attingit, quam quæstio limitans eo ipso, quod limitata, & limitans est, omninò supra se supponit. Hujusce modi igitur quæstio, quæstio non est, sed desiderium. Nec tamen desistimus; qui enim dignatus est, ut eum videremus saltem in velamine, & viveremus, immò ut viveremus, carnem nostram assumere, idem hominibus iterum attemperando, nedum Verbum dictum, sed Verbum scriptum, se se, idest suum esse pariter dignatus est, quantum viatoribus licet in Sacris Litteris manifestare. Quære jam quid, quid est Deus? hoc saltem ex Scriptura intelliges, si non quid sit, adæquatè, saltem quommodo sit, ut simul in eo, in quo non distinguitur, & esse, & modus essendi, aliqualiter capias, & quid sit.

B Respondet igitur ipse. *Deuter. c. 6. Audi Israel, Deus, Deus vester Dominus unus est;* Ad Israel loquitur, qui interpretatur, videns Deum, *Deus Deus vester*, Deus prout modo videri a vobis potest, & sic vester esse, unus est, magis, ac melius declarari non potest, quam per unitatem; & *Marci cap. 12. Dominus Deus tuus Deus unus est.* Dicamus ergo Deus quid? unus est. Quidquid extra Deum est plurificatur natura, ut notum est plus, aut minus ea proportione, qua à Deo distat, ergo quidquid in Deo concipitur, unum est substantialiter, quia, quidquid in illo est, Deus est; unde & tenet consequentia ad convertentiam, unum est simpliciter sine addito, substantivè unum, ergo Deus verus est, & è converso. De uno enim homine ex. g. dicitur unus, sed unus homo. Deus unum est sine addito, cum non dentur dii, a quibus distinguatur. Contemplare unitatem substantialem modo dicto, & non unitatem, certè non es unitas, vel est nihil, cujus conceptus nullus est, ideò nec valet dici, quod sit hoc, vel illud; vel non unitas est numerus inventus, in quo de necessitate plura entia simpliciter concipiuntur, se invicem excludentia, & singula consequenter finita; quatenus unum ex illis alterius naturam non absorbet, ergo ad oppositum, substantialis expressio infinitatis, ideoque & divinitatis est unitas in natura ipsaque natura substantialis unitatis, unde Theologorum illud elucet. In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, quæ subsistit, cum identitate naturæ. Hinc eruditissimus Petrus Bongius parte prima de Unitate, priscorum, & modernorum etiam Philosophorum, Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum plurima auctoritate ubique munitus, ostenso, quod quæstioni, quid est Deus? non est locus, nec responsio, subdit, hoc dumtaxat posse asseverari, Deus esse unitati similimum, immò essentialiter, & simpliciter unum, a quo, & per quod, & in quo, & ad quod omnia sunt, & ordinantur, & permanent, & continentur, & implentur, & convertuntur: ac si dicat, quidquid in hoc statu cognoscimus solum per formam intelligibilem, sive similitudinem aliquam valemus attingere, porro ut Deum, modo nobis possibili hic cognoscamus; nulla forma, nulla similitudo habilis est, nisi unitas, probatque egregiè hanc similitudinem inter conceptum unitatis, & divinitatis, quod brevitati nostræ sufficit indicasse.

Exodi cap. 3. dixit Dominus Moysi, Ego sum; qui sum; sic dices Filiis Israel, qui est misit me ad vos. Ubi singularis identitas prædicati, & subjecti, est sublimis assertio unitatis, cujus exemplum non habemus, cum enim in ipso unum sit omne esse, facta dignatione rationis, quæ nobis necessaria est, ut propositionem efformemus, statim natura unitatis, prædicatum transit in subjectum, idemque sunt, ideoque utrobique eadem indivisibilis unitas pronunciatur, ego, ecce unitas, sum, iterum unitas, qui sum, adhuc idem est, ac ego sum. Id autem sublimi, & sapientissima claritate, explicatur. *Is. c. 43.* ubi sic idem ipse. *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit*, nam aliter comprehensive non potest explicari summa unitas, summum esse a se, totum quod dicitur in eo, *ego sum qui sum*, nisi excludendo quamcumque aliam formationem scilicet unitatem conceptibilem, per totam simul æternitatem, sive a parte ante, sive a parte post, diversam ab unitate plenitudinis totalis essendi. Infinita in hoc clamant mysteria, mens humana succumbit, Fides ascendit, quo potest, vel quo posse anhelat. Esse a se, quod est unitas ipsissima Dei, quis melius, clariusque concipiat, quam ipsemet dicens, *ego sum qui sum; ante me non est formatus Deus, & post me non erit*. Penetret contemplator. Sed hoc totum quid est, nisi ego unitas sum? in entium, intelligibilium complexo, nihil aliud intelligere nemo valet, nisi unum, & plura, plura constituunt numerum, quippequæ in numero creata, & C disposita sunt, numerum autem, unde sit facilè cognoscimus, quia omnis numerus ab unitate descendit, ejusque replicatio est, quæ hoc, vel illo modo prout per unitatem mensuratur, ab unitate prima nascitur, & per unitatem terminatur, per quam ultimò constituitur, sistitur, & est, unitatem verò, unde sit, nemo novit, si sicut numerum in se stantem concipimus, ità unitatem simpliciter in se perfectam consideramus, nec aliud dicere, aut capere possumus, nisi quod sit plenissimum, & infinitum verum esse a se, cumque hoc sit solus Deus hunc cogimur dicere, ipsam esse unitatem, cujus vera explicatio est, *ante me non est formatus Deus, et post me non erit*, quia *ego sum, qui sum*. Nec est in ea expressione aliquis error, D aut diformitas per hoc, quod per rationem ratiocinantem, quasi dividatur ante enunciationem prædicatum a subjecto, ubi ex essentia unitatis simplicissimæ, utrumque in omni vera consideratione est unum, non inquam est error, aut distorsio unitatis; Immò sic necesse est, ut simul exprimatur unitas simplicissima absolutissimæ naturæ, & unitatis, sine repugnantia pluralitatis Personarum. Nam *ego sum*, est Patris asseitas, etiam in linea personali, quatenus Pater a nullo procedit; *qui sum*: designat Verbum personaliter a Patre procedens, ab eoque ipsi Verbo, communicatam naturam, ideò addit, *qui sum; qui* termino relativo, qui non verificatur, nisi inter duos; *sum*, qui terminus est absolutus asserens communicatum esse absolute unitati, & essentiæ, & ideò non plu-

plurificatum, nempe *sum*. *Qui est misit me*, haec nempè altera Persona est Patrem nectens cum Filio personali amore, cum quibus una nectitur substantiali natura, ideò in tertia Persona dicitur *qui est*, & additur *misit me ad vos*, quia sicut Pater mittit Filium, ita Pater, & Filius, Spiritum Sanctum, ipseque cum utroque mittit ministros suos, eidemque propterea attribuuntur speciales ad extra emanationes Sapientiæ, cæterorumque donorum, & gratiarum; sic Trinitas in unitate, sic unitas insinuatur perfectissima in Trinitate, & hoc ipsum, quod est trinum esse est ipsissima unitas; ideò sicut idem Moysi dixit, *ego sum qui sum, hoc dices, qui est misit me*, utique ad testificandum; ita Apostolus. *Jo. ep.* 1. c. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*, utique summæ unitatis: *Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Nec obstat, quod sensus Apostoli est, ut patet ex contextu, & sentiunt plures apud Alap. eodem loco. Tria hæc in cælo testificari de divinitate Christi Domini, nam ex hoc ipso testificantur de unitate secundum quam Christus Dominus est idem cum Patre, ut idem ait *Joa.* c. 10. *Ego & Pater unum sumus*, scilicet unitate absoluta, & essentiali, quæ est ipsa unitas, cum sit ipsa deitas. Ne verò ultra nostrum brevitatis institutum protendamur, & plura simul offeramus, ad sapientissimum Petrum Bongi, priori parte operis sui, de mystica numerorum significatione sublimiter de mysterio unitatis, qualiter, & secundum se, & in Scriptura, nobis indicet Deum, tractantem studiosum, remittimus iterum. Nobis satis est paucis Scripturæ locis, quommodo unitas, vel unum, ubi textus aliò non tendit, significet Deum, breviter ostendisse, ut si quando in Scriptura obscurè posita occurrat dictum aliquod de unitate, ex his, quæ dicta sunt, locum illum studiosus attingat. Pro nunc tamen silendum non est, ut quod propositum est, evidenter eluceat dictum *Zach.* c. 14. *et ult.* quo nihil clarius. *Et erit*, inquit, *Dominus Rex super omnem terram, in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum*, etsi enim agat Propheta de ultimis diebus consummationis sæculi; quia tamen Deus semper idem est Dominus, & semper immutabilis, non variatur in nomine, sic tunc, cum per mirabilia sua magis manifestabitur, erit nomen ejus *Unum*. Ita est semper, neque tunc posset dici nomen ejus, *Unum*, si antecedenter ad tunc non esset unum; si enim aliud præcederet nomen Dei, nullatenus tunc dici posset, unum. Idipsum pariter alio respectu expressum *Malachiæ cap.* 2. ubi. *Numquid non Pater unus omnium nostrum, numquid non Deus unus creavit nos?* & paulò infra eodem cap. *Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est, et quid unus quærit?* quod idem repetit *Jo: cap.* 8. *unum Patrem habemus Deum, et conclud. Apostol. ad Gala. cap.* 3. *Deus autem unus est*, & alibi sæpè.

4 Una quandoque in Scriptura ponitur pro Immaculatæ semper Virginis Matris Dei excellentia singulari.

Similima est unitas innocentiæ, siquidem utriusque conceptus, ita in indivisibilitate consistit, ut

A quovis modo hęc lędatur, utraque illa omninò tollatur, evidens assertio est, quidquid enim ab unitate tollas, tota evanescit irreparabiliter, nam si divisa fuit, jam non erat unitas, quæ simplex non erat, etsi ablatum quid per adjectionem mentis restituas, evadet numerus ex duabus, prima, & secunda, sicque nusquam unitas aut est, aut fuit; vel tactam, finge mente, innocentiam, jam evanuit; restitue, superadde decorem, eam tibi non restitues, quæ cum extincta est læsione, in se non est, ideò nec recipere valet quod reddis, nec crescere, quæ non est, nec iterum reproduci, quæ in eo sita est, ne extinguatur, ideoque extinctam impossibile est reproduci. Da innocentem; si maculetur, mundabit Deus? Ita quidem, ait *Nahum Propheta cap.* 1. *Sed mundans non faciet innocentem.*

B Dignum ergo divinæ Scripturæ dictamen est per unitatem, excellentissimam significare innocentiam quod idem est, ac Sanctissimam Immaculatam Dei Matrem, cujus immaculata innocentia, nedum quia innocentia assimilatur unitati; sed quia singularis, & singulariter immaculata unica est inter omnes, & insuper unitatis ipsius scilicet Dei Mater; nempè ut ostenderet quid esset, dedit quod habuit, dedit unitatem, peperit Deum, peperit suum unicum Filium Dei, Filium Deum. Similem sibi, quia Filium noverat talis Filius a Patre semper procedens servare unitatem cum Patre, si ergo idem Filius est Matris, novit in æternum servare unitatem in Matre, ne ipsa umquam a Deo divideretur per culpam, quæ uti opposita

C est Deo, ita opponitur unitati, & est ipsa divisio. Propriissimè igitur canit idem Filius ejus in Canticis *cap.* 6. definiens Immaculatam: *una est columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ electa Genitrici suæ*, quæ hæc? nomen planè reticuit, quia nomen ejus, immò & definitio ejus est, esse unam eam, quæ nec similem visa est, nec habere sequentem, quodsi una, ergo, & una fuit in æternum semper eo modo, quo in aliquo esse intelligi potuit; ergo numquam sibi dissimilis, ne aliquando intelligi potuerit maculata, vel maculanda, & inde mundanda, quia sic numquam fuisset una, quia diversa, quia aliquando divisa. Una planè ex dignitate sua, quis enim aliam inveniet Dei Matrem? quis vel alium Dei Filium, vel eundem ex alia Incarnatum? Unam pingat, qui potest & ma-

D culatam Dei Matrem; pergit, & iterum quare una sit describit dilectus. *Una est*, inquit, *columba mea*, ast quarè columba? quare mea? nempe quia innocens columba affert, & donat pacem, quæ ipsa unitio est dissitorum, scilicet Dei, & hominis una igitur, quia & innocens, & columba dedit, quod habuit, dans Deum, & hominem, homini; Deum, quem semper habuit, quia, una & hominem, quia semper ipsa homini, Deo unita fuit, nam Deus, quod semel assumpsit, numquam dimisit: ab æterno hanc sibi elegit Matrem, numquam ergo dimisit, hinc pax, quam proprio pertulit ore hæc columba; ne mireris, pertulit ore, quia Verbum ore perfertur, & profertur, tota ipsa os fuit, ut infinitum Verbum proferret, & Verbum planè pax est; *ipse enim est pax nostra,*

qui

qui fecit utraque unum per unam; hinc habes quare una, & quare columba, & quare mea, quia ejus Mater, qui pax est, eam pax possedit in æternum: quis enim potest a Deo auferre, quod ipse dicit, & vult suum esse in pace. Itaque mea, quia possedit Deus eam in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, quod posset deficere; & ut sciamus, quod possedit eam ab initio viarum suarum voluit ipsam esse principium viarum suarum, ex ea nascens viator, qui est æternus comprehensor, qui eam semper comprehenderat, ut esset semper suæ *columbæ meæ*: Addat nunc *perfecta mea*, hæc est una expositio ejus, quod præcessit; *una est columba mea, & perfecta mea*; nempe perfecta in hoc, quod est esse Dei; mea; ergo nihil illi unquam defuit, ut esset una, ut esset columba innocens, immaculata, sua, quidquid ex his ei detrahas jam non esset perfecta, & vidisset ille, qui dicit *perfecta mea*, asserens perfectam, quia suam, suam quia unam sibi columbam, quia se veram pacem, & unitatem produxit. Jam concludit, *una est Matris suæ, electa Genitricis suæ*. Clarissimus textus exaltans immaculatam eique soli conveniens; Una est Matris suæ, singularis Filia Evæ, super omnes Filias sola, una, perfecta; quidquid ergo imperfectum in cæteris omnibus, & singulis Filiabus Evæ invenies, attribui non potest Mariæ, quæ omnino exempta ab omni imperfectione, una est Matris suæ perfecta, teste Scriptura, ita ut hæc regula esse debeat intelligendi aliqualiter incomprehensibilem Dei Matris Immaculatæ Virginis excellentiam, exclusio cujusvis vel malitiæ, vel imperfectionis, sive originalis, sive personalis, sive materialis, sive absolutæ, sive ex suppositione, connotando quemvis statum naturæ, quodvis pactum, & factum in aliis fœminis notari potest; aliter non intellegeretur, quomodo una sit Matris suæ electa genetricis suæ, columba Dei, perfecta Dei. Talis exclusio singularissima est unica definitio ipsius, sic enim decet, ut sicut Teste magno Areopagita, Dei esse, imbecillitas nostra pro hoc statu non capit, nisi aliqualiter per intelligibilium negationem, ita proportione servata divinæ Matris excellentiam, nemo definire valeat, nisi per negationem cujuscumque imperfectionis, aliorum, vel aliarum filiorum, vel filiarum Evæ; cui una est ipsa sola; & quidem adhuc ipsi non uni, una; divisa est enim Eva a Deo per culpam, læsaque ejus unitas fuit cum innocentia, ut inde liceat inferre, si Maria adhuc ipsi non uni est simpliciter una, ergo culpam ejus ipsa nescivit, immo ad hoc servivit Mariæ, Evæ culpa, ut opposita juxta se posita magis elucescerent, & eò clarior dignosceretur Mariæ unitas, quo evidentior est Evæ divisio, quæ adhuc sic divisa, & divisionem eandem, in cæteros partus suos effundens exemptionem excellentissimæ ejus, quæ sola una est Matri suæ, electa hoc est exempta comparata Genitrici suæ mirabiliter demonstravit. Si dicas: Maria una est Matris suæ, quia Mater ejus fuit gratia magis, quam natura, placebit Damasceno, qui id probat, natura enim inquit gratiæ fœtum antevertere minime ausa est, sed expectavit; quod Gratia fructum

A suum produceret. Nec plura; quippe unitatem tractamus singularem, attamen sicut ex Evæ culpa, Deiparæ magis illustratur immaculata innocentia, ita hujus ejusdem veritas, opposita obumbrante quadam, quæ aliquos terret objectione illustrior elucescet.

Opponitur ergò Salomoni Salomon; illic enim, idest in Canticis jubilans canit, *una est columba mea, perfecta mea; una Matris suæ electa genitricis suæ*, ait *Ecclesiastæ cap. 7.* conquestus se non invenire, quod quærebat; inquit: *virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni*; quamvis ergò unitatis encomium conveniat Christo, qui verè unus est perfectissimus *immaculatus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus*, ut de eo scribit Apost. *Ad Hebræos cap. 7.* tamen si
B nulla mulier ex omnibus inventa est, quæ sit una, nec id de Virgine, in sensu dicto intelligi potest.

Sed absit, quod vel sibi Salomon contradicat, vel Virgini Deiparæ excellentissimam disputet unitatem, quia potius eam utrinque confirmat, qui enim dixit, *mulierem ex omnibus non inveni*, dari eam non negavit, in cujus adhuc inquisitione desudabat, eamque postea in Canticis fassus est se reperisse, dicens, *una est columba mea, perfecta mea, una Matris suæ*, & deinceps pluribus symbolis ejus singularitatem exaltat; & quoniam literæ insistit objectio, literam scrutetur; ait enim, *mulierem ex omnibus*; considerans, & quærens an in viciata communitate mulierum, aliqua exurgeret singularis, quam utique non invenit, quia si
C hoc modo singulæ sunt inter omnes, componentes hanc viciatam communicatem, communi tabe laborant, quæ ergò non est pars illius, utique supponitur eo modo immaculata, quo est super omnes. Quæ est Mater, & Virgo, comprehendi ne umquam poterit inter omnes mulieres; quæ est Mater Dei, numquid, communiter inter Matres aut Filios hominum recensebitur? attentis igitur qualitatibus, quas omnes mulieres habent, nulla ex ipsis omnibus invenitur una, & recta, quæ habeat id, quod Salomon statim subdit se denique invenisse dicens; *hoc solum inveni: quod Deus ab initio fecit hominem rectum* scilicet, justitia originali, quæ ergò inter omnes non est, sed super omnes mulieres, in quæstione non est, quæ quærit inter omnes, & nullam invenit, unde ita de
D omnibus locutus est Salomon; & in eo sensu quo Assuerus ad Esther *cap. 15.* inquit, *non pro te, sed pro omnibus lex ista facta est*. Aliter etiam huic loco respondetur, non esse ibi prophetiam, ideoque nec ad Christum referri primam partem hujus sententiæ, nec secundam nocere exceptioni Virginis Matris, est ergò ibi tantum comparatio inter virum, & fœminam quoad rectitudinem, estque sensus; quod considerata fragilitate mulieris, ejusque malitia, & astutia, ita major est fragilitate hominis, ut (indeterminatè tamen) in mille viris, unus prudens, & rectus inveniri consueverit, in mulieribus verò attento communi ipsarum more nulla invenietur, ac si dicat, supra consuetudinem mulieris, & pronitatem ad malum est, si vel una inveniatur omninò recta; sicut simili sen-

su

su dicitur, *Ecclesiast.* 47. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benè faciens*. Et quidem, si non hoc modo intelligitur, sed Propheticè dictum de quavis muliere, quod nulla inveniatur recta, & una; tot Sanctæ feminæ, quas modo & miratur, & adorat Ecclesia, a Cathalogo Sanctorum forent amovendæ, eo quod mulieres, immò & tot Sancti, quos veneramur, recti non essent, quia non sunt Christus, quod nemo sanè mentis admittet. Ita prudenter post alios plures exponit hunc locum Cornel. Alap. additque dictum Ecclesiastæ, vel intelligi de mulieribus, quas ipse plurimas possidebat, vel de mulieribus non elevatis gratia, vel denique, ut ex aliquorum expositione idem colligit, considerando contextum, sensus hujus loci est, unum dumtaxat virum inveni, qui vel est primus Adam immediatè conditus a Deo, loco enim viri legit Hebræus, Adam, vel Adam secundus de Cœlo cęlestis, quem Deus formavit substantialiter sanctum, ut tamquam caput in cæteros derivaret sanctitatem. Talem verò nullam inveni mulierem, nam nec Beata Virgo ad hoc munus Redemptricis, aut capitis naturæ electa est, nec Eva primò ad id creata. Quamvis autem satis superque ad abundantiam constet, nullatenus sensum loci Canticorum hac objectione infringi, placet aliquid ex dictis, in superioribus de hac materia, ubi similia argumenta soluta sunt, pluries reminisci. Dicimus ergò Salomonem satis mentionem fecisse de summa immaculatæ Virginis excellentia in prima parte hujus sententiæ, ubi ait, *unum de mille virum reperi*, scilicet Christum; si enim istum ut unum invenit, certè singularitatem ejus præscivit, quod natus sit ex Matre Virgine Deus homo, quod complexum sine Virgine concipi nequit, dignè Deo electa Sanctissima, & omnimodis immaculata, debito igitur servato relationis ordine, & unitatis inter Matrem, & Filium, virum reperit hunc unum de mille, idest de omnibus natis ex fęmina, natum ex Virgine; postmodum se vertens ad genus mulierum, ut distinctum a toto virorum ordine, in quo ille unus Filius Virginis, unus est; nullam inter mulieres alias, quæ sunt extrà illum ordinem reperit similem, quasi quærens, an sicut in serie virorum fuit unus perfectissimus Filius Virginis, ità similiter in ordine mulierum aliqua posset reperiri, & ait; non inveni, quod nihil infert contra nos; sed potius confert ad excellentiam Virginis Dei Matris singularis, non divisibilis a Filio suo.

Ultimo denique textum Ecclesiastę exponit Hierem. cap. 31. Ille mulierem non invenit ex omnibus rectam, & unam; hic, quarè ille non invenerit, rationem assignat; non ideò eum latuit, quia non sit, sed quia nova omninò non est inventa in vulgo mulierum. *Novum creavit Dominus super terram*. & quid hoc novum? planè mulier, quæ circumdedit virum illum, quem ille invenit in millibus unum, ideoque & ipsa fuit una, aliter non adaptaretur uni, ut illum verè circumdaret. Virum rectorum Principem vidit, ergò coronatum circumdatum; corona cum Rege non facit numerum, corona hæc dicit Propheta est mulier una, rectitudinis idæa; ideò maximè novitas, quam, ut esset talis, nescire debebat antiquitas. Non invenit Salomon, qui nova se non invenire confessus est, dic. *nihil sub Sole novum*, nempe quia maculatus non meruit videre immaculatam; sic igitur & verum dixit Eccles., & illam non exclusit, quam non vidit, unaque sine contradictore dicenda est Maria, de qua canit Elisabeth: Benedicta tu inter mulieres idest una; Unum in viris invenit vir, reservabatur mulieri, ut unam videret inter mulieres; ni dicas: Præcursor Verbi eam invenit adhuc latens in utero, per quam invenit gratiam, & locutus per Matrem, eam celebravit, quæ Gratiæ ipsi erat Mater, idque concludere docuit; adveniente Maria fugit macula originalis, ne quis unquam suspicetur, quod ad Mariam accesserit.

His visis redeamus ad significationes alias unitatis in Sacris litteris. Itaque

5. Unum significat quandoque charitatem: de hoc in principio dictum est, & passim habetur in Scriptura. 1. *Joan. c. 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, qua nulla major, nulla optabilior, unitas potius, quam unio, quia cum Deus sit in se ipso, immò in se ipso adhuc sit diligens, nihilominus uterque est in utroque per illam.

Actor. cap. 4. omnium credentium dicitur cor unum & Anima una, utique per charitatem, quæ miraculo inaudito, numerum fecit esse unitatem; unum plures, & omnes unum; & omnia unum; ideò erant illis omnia communia; unitas, quo magis dividebatur in plures, eo magis una; plura corpora unum corpus, quod erat Ecclesia, quia plures Animæ, & plura corda erant cor unum, & anima una per charitatem; unde ænigma illud clarum, quod sæpè versat Apostolus Gentium, sæpè intuens, *omnes nos unum corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra, in Christo Jesu Domino nostro, in quo, & per quem subsistit totum corpus per omnem juncturam*; quin immò addit, *unus panis, unum corpus sumus*, quod totum miraculum est charitatis, per quam unum sumus, cum illo, qui est panis vivus, qui de Cœlo descendit.

Psal. 132. Ecce quam bonum, & quam jocundum habitare Fratres in unum, quæ est descriptio charitatis, quæ quos unit, parit Fratres, & beatificat Filios Dei.

Unus denique in Sacra Scriptura stat pro sancto, constanti, perfecto, ac uniformi, & Dei imitatore, qui est essentialiter unus, quamvis hoc satis pateat ex hactenus notatis. *Sap. c. 7., & cum sit una omnia potest*, quod & quadrat Beatæ Virgini; licet dicatur de Sapientia; & sapientem describit, in quo est *Spiritus Sapientiæ mundus, subtilis &c.*

Danielis cap. 10. Michael unus de Principibus, qui est ductor Angelici exercitus, eminentissimæ sanctitatis, & humilitatis inter Angelos, qui Satan contrivit.

Ezech. cap. 1. quatuor, facies uni, & quatuor pennæ uni, Sanctorum Evangelistarum descriptio.

Math. cap. 19. unus est bonus Deus, & propterea

idem

idem Salvator ad Sanctos ait, *ego dixi dii estis, &* A *cap. 27. dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad sinistram in regno tuo*, ubi significatur eminentia in regno Dei per unitatem.

Prima ad Chorin: cap. 9. omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.

Et hæc quidem prælibanti satis, non tamen ommittendum, quod communiter PP. commendant, quodque rem totam sapienter describit illud, nomen, Origenes in *lib. primum Reg. cap. 1.* Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, scilicet Helcana vir Annæ, ex quo Regum cœpit historia, ubi sic Origenes. *Vide si non hoc ipsum ad laudem pertinent justi, quod dicitur de Helcana, Erat vir unus: Nos qui adhuc sumus peccatores, non possumus istum titulum laudis aquirere, quia unusquisque nostrum non est unus, sed multi. Intuere namque illius vultum nunc irati, nunc* B *iterum tristis; paulo post iterum gaudentis, & iterum turbati, & rursum lenis, in alio tempore de rebus divinis, de vita æterna actibus consulentis, paulò post verò, quæ ad avaritiam, vel quæ ad gloriam sæculi pertinent, molientis: vides quommodo, qui putatur unus, verè non est unus, sed tot in eo personæ esse videntur, quot mores conspiciuntur, quia & secundum Scripturas, stultus ut luna mutatur, unde & luna cum videatur una esse, per substantiæ immutationem, a semetipsa, semper alia est semperque diversa, & sic una, multæ sunt sic & nos, qui adhuc insipientes, & imperfecti sumus, quia semper mutamus sententias, & diversa cupimus, & sentimus, & quod Hieremias diceret, de malo ad malum egredimur, de desiderio in desiderium, unus dici non possumus:* C *de justis autem, non solum per singulos unus dicitur, verum etiam omnes convenienter unus nominantur, quorum est unum cor, & anima una. Unam semper omnes sapientiam meditantur, unum sapiunt, unum sentiunt, unum Deum venerantur, & colunt; uno spiritu Dei replentur; unde meritó & ipsi non solum unum, sed unus vocantur, sicut, & Apostolus designavit dicens, omnes currunt, sed unus accipit palmam, cum certum sit, quod omnes verè justi eam accipiunt singuli: verè imitatur justus, qui talis est unum Deum; unus enim dicitur Deus non tantum numero sed magis, quia a semetipso numquam alter efficitur, hoc est numquam mutatur, aut in aliud vertitur, sicut protestatur David dicens. Ps. 101. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient; immutabilis ergo est Deus, & per hoc unus dicitur, quia* D *non mutatur. Ego Dominus Deus vester, & non mutator, Malach. c. 3. Sic ergò, & imitator Dei justus, qui ad imaginem ejus conditus est, unus etiam ipse, cum ad perfectum venerit appellatur, quia & ipse non mutatur, sed unus permanet semper. Igitur quia secundum mirabilem hanc unitatem, unus est justus, immò & plures justi, unus sunt ideò Sanctus Apostolus omnem cohortatur Ecclesiam dicens, ut idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Hæc Origen. quæ ideò retulimus, tum quia verè aureos nuteiunt sensus, tua quia ex hoc exemplaei potest studiosus erudiri; ad intimè scrutandum, & intelligendum, quæ nos brevitate coacti, identidem loca Scripturæ vix proponimus, quid significent, quod tamen non sine meditatione, & Patrum doctrina præstare conamur.

ARTICULUS IV.

De numero, prout est consonantia, & prout est multitudo.

Quia omnis armonia, concentus, & consonantia in numerorum aritmeticorum proportione, sive proportionibus, & proportionalitatibus, cum ordine pariter proportionato rebus, quibus applicatur, consistit, ut prædicta nomina indicant, supponit notitiam numerorum, aliqua igitur si de numeris, quid in Scriptura significent, prælibemus, ea applicare quisque poterit ad intelligentiam concentus in iisdem Sacris Litteris, si alicubi, quæ raeissima occurrent Scripturæ loca, de numero, ut consonantia, est explicabilia; & quidem præsens textus in principio huius capitis propositus; scilicet omnia disposuisti in pondere, numero, & mensura, de numero non solum ut est numerus aritmeticus, sed prout significat armoniam intelligi debet; divina enim sapientia in tali proportione, & temperamento, ac consonantia universa condidit; ut bene considerantì statim appareat ordinatissimæ musicæ perfectissimum exemplar esse hoc universum adeò sapienter dispositum, ut quantum ad ordinem perfectius aliud sit impossibile, ut cum D. Thoma communiter, & Philosophi, & Theologi affirmant. Hinc celeberimus inter Philosophos Theologus S. Severinus Boetius Martyr, de consolatione Philosop. lib. 3. Metro 9. quidquid admirantes meditamur in præsenti breviter comprehendit, canens.

Oh qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri,
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens; tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut mersas deponant pondera terras,
Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens, animam per consona membra resolvis,
Quæ cum secta duos motum glomeravit in orbes
Insemet reditura meat, mentemque profundam
Circuit, & simili convertit imagine cælum.
Tu causis animas paribus, vitasque minores
Provehis, & levibus sublimes curribus aptans
In cælum, terramque seris, quas lege benigna
Ad te conversas, reduci facis igne moveri.
Da Pater augustam menti conscendere sedem
Da fontem lustrare boni, da luce reperta
In te conspicuos mentis defigere visus.
Disiice terrenæ nebulas, & pondera molis,
Atque tuo splendore mica, tu namque serenum
Tu requies tranquilla piis, & cernere finis
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Ita Boëtius, quæ carmina per extensum retulimus, quia sine consonantia rerum omnium creatarum, quam describit sine tendentia ad suum principium, quæ connaturalis est homini, propter quem optimus Conditor bona omnia condidit, non potest concipi, nec intelligi quidquid in Sacra Scriptura dicitur, hanc universi armoniam, rerumque cursum concernens; sic ergò plura, sic omnia scrutanda proponimus. Nunc autem plura in alio sensu videamus.

Notabilis, evidensque diversitas est inter numerum, & multitudinem, ac proinde diversimodè significant in Sacris Litteris; quamvis enim numerus communiter describatur, quod sit multitudo mensurata per unum, conceptum tamen multitudinis ut sic, sive pluralitatis secundùm se sumptum excludit, per hoc, quod mensuretur per unitatem, eamque includat distinctè, & tamquam formam, & tamquam materiam; cùm tamen conceptus unitatis sit omninò oppositus multitudini, mensuratur numerus, multitudo confusio est, & quamvis primum quod concipit intellectus noster pro hoc statu sit ens in confuso, nihilominùs non est capax intelligendi plura, ut plura, eo quod pluralitas ut talis sit ipsa confusione confusior, numerum verò intelligit, quia est unus; & plura reducit ad unitatem. Hinc communis opinio multitudinem, ut talem sumit in malum docente Seneca: argumentum pessimi turba est, cui accinit Lyricus: Odi semper profanum vulgus, & arceo. Sed prophana dimittamus, & veniamus ad nostra.

Multitudo, sive multi, vel plures prout ab unitate recedunt, & forma numerali, in Sacra Scriptura ferè semper ponitur in malum, unde subtiliter Ambrosius epist. 11. Plures sunt quando aliqui extra numerum sunt, Sancti numerati sunt omnes, cognovit Dominus, qui sunt ejus. *Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum. Ose. c. 8.*

Hierusal. humiliata est usque ad Inferos, quia in multis viis laboravit. Isa. cap. 57.

Videns Deus quia multa malitia hominum esset in terra, pœnituit &c. Gen. cap. 6.

Lata via est, quæ ducit ad mortem, & multi sunt, qui intrant per eam. Math. cap. 7.

Phenenna multa erat in Filiis, & infirmata est II Regum c. 2. quod multi intelligunt de Sinagoga juxta illud *Isaia cap. 54. multi Filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet virum.*

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. Ps. 15. pro infirmitate peccata, vel Idola &c.

Marta, Marta sollicita es, & turbaris erga plurima, porrò unum est necessarium, Maria &c. Jo. cap. 10.

De turri Babel, ubi ob multitudinem confusa est lingua, & in multas divisa, quæ erat una, ait *Origen.*

Principium malorum est multitudo omnium, confusio multitudinis ostensa est in turri Babel, cum una lingua confusa est in multas.

Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Apost. ad Chor. I. cap. 10.

Hinc & Propheta, Psal. 68. de malis: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei;* capilli enim capitis, idest Christi, qui est caput Ecclesiæ; sunt Sancti in eo radicati, & eum ornantes, qui omnes numerati sunt: *vestri capilli capitis omnes numerati sunt nolite timere multis passeribus meliores estis vos. Math. cap. 10.*

In multa sapientia multa est indignatio, & qui addit scientiam, addit & dolorem Eccl. cap. 1.

Nolite plures Magistri fieri. Jacobi cap. 3.

Alibi etiam, ut notat Petrus Bongius de multitudine agens, in Scripturis frequenter, in malum accipitur, potissimum cum indeterminatam agregationem innuit plurium rerum inferiorum, & tamen cum ad Dei excellentiam in suis creaturis ostendendam assumitur pluralitas, quia tunc immediatè ad Deum tendit, qui simpliciter, & infinito modo unitas est, & mensura cujuslibet mensuræ, tunc evidenter sumitur in bonum.

De amicis Dei Sanctis canit *David, Psal. 138. dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur;* quamvis enim in Evangelio pauci dicantur electi, ita dicitur in comparatione ad vocatos, qui omnes sunt, & ad perversos, qui plures sunt electis; vel etiam in comparatione ad pretium Redemptionis infinitum, quod ad multo plures valeret, vel denique est expressio dilectionis Christi Domini qui vellet omnes homines salvos fieri, si ipsi libertate pessima non resisterent, unde sicut *Jacob. videbantur pauci dies, ob amoris Rachel magnitudinem. Gen. c. 29.* ita ad propositum attento amore dulcissimi Jesu, videntur pauci electi, ob amoris magnitudinem.

Miserere mei Deus, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Psal. 50. quamvis enim misericordia una sit, quia tamen miserendo iniquitatibus, quæ innumerabiles sunt dicitur miseratio, ex termino refunditur in eam quædam multitudo denominativa, vel dicitur multitudo ad exprimendum, quod quantumvis plurima, & plusquam plurima sint peccata nostra, ipsa misericordia semper major est, & ideò nostro modo concipiendi, multiplicior.

De Dei ministris ad significandam innumerabilem multitudinem eorum, supra captum nostrum Daniel adducit determinatam numerationem pro indeterminata; *cap. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Utitur tamen terminis numerabilibus, ut innuat in eorum multitudine innumerabili ordinem esse, sicut est in numeris, non confusionem.

In bonum itaque sumitur etiam multitudo in Scripturis, ut etiam alibi constat, sed semper ordo aliquis apparet, quæ enim a Deo sunt ordinata sunt, & quia frequenter talis ordo intuitur per aliquem numerum, melius hoc constabit mox, cum de numero, & numeris agemus.

De numero in genere.

Quamvis numerus in eo videatur deficere, quòd ab unitate discedit, in eo tamen perficitur, quòd & per unitates, & ad unitatem ascendit, in qua, & ad quam formam habet

A multiplicat quidem unitates, sed quamlibet earum non dissipat, & in se ipsa indivisam relinquit, & quamvis ultima unitas sit forma numeri, quælibet tamen ex præcedentibus, ultimæ dat esse formam, non enim puta in ternario, ultima nempe tertia unitas esset ultima, ac proinde forma, si prima, vel secunda discederet, unde etiam in numero quælibet unitas hoc habet unitatis privilegium, ut æqualiter sit unitas sui, & unitatem pariat numeri; idque vestigium est primæ, ac infinitæ unitatis, scilicet Dei, quæ creaturas omnes, & singulas sine sui diminutione producit, & ita in singulis est creaturis, ut nihil omnia sint sine ipsa. O' altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei! modum invenit, quo idipsum, quod videtur, & est formalitas imperfectionis, scilicet esse finitum, & terminatum, magna perfectio esset, eaque est esse B ordinatum; per ordinem enim res quævis, & quilibet rerum numerus, clauditur inter primum, & ultimum, & quia cujuslibet, & primi, & ultimi, ipse est primum principium, & ultimus finis, in omnibus numeris, sicut & in rebus hoc statuit, ut primum, & ultimum inveniatur, ad sui imaginem quamdam configuratum, ut ex hoc in omni re, a quo primum sit, & ad quem ultimò tendat, & resolvatur, consideretur, sicque invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciantur, sempiterna quoque virtus ejus, & divinitas, ut sint in excusabiles quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, *ad Rom. 1. 1.* Est itaque numerus quidam excursus a Deo in Deum, per primum, & ultimum sui, & dum multiplicatur, aut crescit, quia sic mutatur, & recedit a C primo immutabili, quod ipsa unitas est, in suo imperfectior evadit augmento, & quo major, eo ignobilior, quia ignotior, & magis distat ejus quælibet unitas media, a primo sui principio, & ultimo fine, ex quo est ejus forma.

Certè novimus, ut Venerabilis Beda testatur in primo tomo, in dialogo de numeris, numerum, sive conceptum ipsum numeri magno mysterio a Deo creatum specialiter in creatione mundi, ne quasi Chaos inordinatum, & multitudo confusa absque distinctione, & ordine rerum se ipsum mundus nesciret; concreatus ergo fuit numerus rebus, & ut clarior esset, primo, diebus, non enim prius auditum est unus secundus tertius &c. nisi juncta luce diei. At primò dicitur. *Creavit Deus Cœlum,* D *& terram, & factum est vespere, & manè dies unus;* quod si in hac die Deus creavit omnia simul, hac die creati sunt omnes septem primi dies, primique numeri, qui cæteros sui multiplicatione, seu replicatione parturiunt quamvis enim successivis essentialiter repugnet simul esse, dicuntur tamen id unum, in cujus unitate unitur virtus productiva successivorum, vel res omnes, omnes numeri, ex quorum distinctione denominantur plures successivi dies, & numeri; ut sic intelligatur virtus unitatis, ex qua numerositas omnis procedit; & ideò non dictum est, factus est dies primus, sed unus, cujus sol, & lux (cum ante illum non præcessisset, aliquod lumen, vel alicujus luminaris creatio) fuit ipse Deus, nempe Verbum, quòd est lumen de lumine; Dei siquidem creare omnia, fuit dicere, ipse dixit suum utique Verbum, quod *portat omnia, & facta sunt, & super omnia effusit Deus Spiritum suum, qui replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia* scilicet Verbum, *scientiam habet vocis*, scientiam, quia illativam omnium creaturarum. Ex quibus constat omnes numeros, omniaque numerabilia, in unitate, ab unitate, & reflexione Trinitatis processisse; sed cum de numeris in particulari aliqua breviter, & sigillatim dicenda sint, qualiter nempe, & quid in Sacris litteris significent, pro nunc satis, de uno, ut est principium numeri (de uno enim in se absolutè supra dictum est) hæc paucula prælibasse. De numero itaque in generali, cui præsens paragraphus debetur, brevissimè dicendum.

De numero, ut sic abstracto nihil notandum, nisi quod supra dictum est, quod significet aliquam multitudinem, ordinatam, & terminatam, ad distinctionem pluralitatis, absolutè sumptæ, quæ importat, plura sine ordine, & confusè. Advertendum tamen est, non ideò nos curare de numero, quasi ipse habeat aliquam efficacitatem in rebus, ut Pithagorici somniabantur, sed quia omnis numerus vel includit, vel replicat (excepto binario) Trinitatem, quæ cum reperiatur in divinis, ubi omnia sunt unus Deus, a quo omnis efficacitas est, aliquam designat perfectionem in rerum ordinatissima dispositione, ideoque in rebus sic dispositis aliqua habilitas dignoscitur, ad significandum divina mysteria, ac supremam Dei sapientiam, prout numeris utitur Sacra Scriptura. Quocirca ait Salmeron Prologom. 20. in principio (ejus verba Damus, quia succosè, quidquid alii diffusè dicunt, & nos notare possumus, offert) *magna, ac veneranda mysteria per numeros, Spiritus Sanctus docere nos dignatus est pro sua bonitate, & sapientia. Si enim omnia, quæ condidit, in mensura numero, & pondere disposuit. Si numerat multitudinem stellarum, & omnibus ejus nomina vocat; si numerum militum ejus, hoc est Angelorum compertum habet; si libros canonicos certo numero comprehendit, in veteri Testamento, qui in eo sunt numero, quot sunt litteræ Alphabeti hebraici, & Davidis Psalmos, & Salomonis parabolas, & cantica certis numeris circumscripsit, idemque ad correspondentiam in novo Testamento observavit. Si tot Sacramenta, idest septem ad sanctificationem hominum instituit; si omnes electos in numerato habet, & nemo potest rapere, vel unam oviculam de manu ejus, qui custodit omnia ossa eorum, ita ut unum ex his non conteratur, qui dixit vestri capilli capitis, omnes numerati sunt, & capillus de capite vestro non peribit. Si mundo certam præscripsit annorum periodum; si annum duodecim mensibus, mensem triginta diebus, diem, noctemque horis vigintiquatuor perfici constituit, si hominibus certam vitæ quantitatem, pro sua sapientia singulis distribuit. Si arcæ longitudinem sextuplam ad latitudinem, & subdecuplam ad altitudinem, ità fieri mandavit, ut essent trecenti cubiti longitudinis, quinquaginta latitudinis, triginta altitudinis, & talis est proportio in corpore humano, qualis & Arcæ*

fuit. Si munera missa a Jacob ad fratrem suum Esau, numeris aptissimis constant &c. Si Matthæus in genealogia Christi contexenda, numerum quatuordecim ter consignavit, & ad eum numerum deducendum, consultò tres Reges in Scriptura Sacra expressos omisit, & genealogiam eandem Lucas ad septuaginta septem non sine Sacramento expressit; & in terra, quæ tulit fructum bonum, sed varium nempe centesimum, sexagesimum, & trigesimum Hieronymus egregia quædam meditatur arcana, sicut & Cyprianus, aliique PP., mirari nemo debet, si gravia, & non contemnenda mysteria in Sacris Scripturis dum numeros, quos sigillatim illic repræsentari invenimus, Deum nobis collocasse, asserimus, numerosque esse precisè quadam hominum inventa, negamus. Hæc ferè Salmeron.

Pulcrè autem notat Orige. *hom. 1. In lib. Numerorum in divinis numeris non omnes sunt, sed certis quibusdam prerogativis designantur hi, qui intrà Dei numerum debent comprehendi, ne videlicet sint feminæ, aut servi, aut Ægyptii, aut pueri deturba;* additque. *Possunt ne hæc vacua esse mysterio?* prosequitur verò subtiliter mysteria, quæ in similibus latent aperiendo, sed nobis prolixum nimis foret ea recitare. Constat igitur, & per unitatem secundum se consideratam, & per unitatem prout est numeri principium, & per numerum generaliter in Sacris Scripturis, plura quidem, & scrutanda piis, ac studiosis mentibus significari mysteria, quorum aliqua hactenus, in præcedenti excursu potius, quam discursu prælibavimus, ut sine omissione, attento fine instituti nostri, ad peculiares species numerorum, quibus magis utitur Sacra Scriptura, non omnes tamen degustandas, quoad earum significationes ascendamus.

De Numero binario.

COnsideratur binarius numerus in creaturis, tamquam primus ab unitate recessus, & insuper tamquam primum æqualitatis exemplar, cum sit numerus par primus; ideò est quædam justitiæ nostræ figura, quæ & est quædam justitia, & simul plures imperfectiones involuit, quæ certè a virtutis conceptu, & unitate discedunt, unde Propheta Judex hujus veritatis conclusit, *& sicut pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ, & alibi; stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus* (scilicet Dei) *& in Angelis suis reperit pravitatem*, hinc est, quod in Scripturis Sacris, quamvis, ut infrà videbimus aliquando sumatur in bonum, hoc tamen rarum est, & frequentius sonat in malum, quia malum ex quocumque defectu, scilicet ex recessu ab unitate, quæ integra boni causa est, quod non est, nisi ex integra causa. Quòd & aliter potest explicari. Binarium, sive dualitas tunc in Sacris litteris sonat in malum, sive illud indicat, cum quamdam exprimit, vel supponit divisionem ab unitate, aliquando in bonum, cum vel unionem indicat, vel paritatem. In malum igitur stat.

Matth. cap. 27. ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, clarus est textus indi-

A cans mortem Salvatoris.

Ubi sunt duo, dextrum est, & sinistrum, quod ferè semper indicat malum, *Matth. cap. 25. separando hædos ab agnis dicet* Judex in extremo Judicio, *iis, qui a sinistris erunt. Ite maledicti in ignem æternum.*

Gen. cap. 25. Angelus ad Rebeccam: duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, & populus populum superabit, & major serviet minori, & has duas gentes, alteram, ex Jacob, alteram ex Esau, illam electam, & fidelem, hanc reprobatam, in duabus tabulis legis, quas tulit, & fregit Moyses præfigurari. Observat D. Cyprianus. Exort. 34.

Joan. cap. 18. patitur Christus sub duobus Pontificibus Anna, & Caipha, divisio Pontificatus in-
B dicat proximam ruinam Judæorum, ut advertit Hieronym. in cap. 14. Ezechielis.

Lib. 4. Regum cap. 3. Maledicente pueros Elisæo egressi sunt duo ursi, & interfecerunt 42. pueros, & hoc valdè nocivum, & magis in sun figurato, cum duo Principes Romanorum post 42. annos, Titus, & Vespasianus funditus destruxerunt regnum Judæorum. Ut notat August. Clarius in malum. *Osee cap. 10. Juxtà desiderium meum corripiam eos; congregabuntur super eos populi, cum corripientur super duas iniquitates.*

Hierem. cap. 2. duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas veteres dissipatas, quæ continere non valent aquas; peccatum enim in linea sua semper est du-
C plex malum, scilicet aversio a Deo summo bono, & conversio ad creaturam.

Lib. 3. Regum cap. 12. duos vitulos aureos fecit Jeroboam seducens populum ad Idololatriam, & scissæ fuerunt decem Tribus a Tribu Beniamin, & Juda, & a templo Domini, ex quo apparet dualitas scismatis, & hæresis esse initium, & indicium.

Math. cap. 12. qui non est mecum contra me est; quia a Deo dividitur.

Discordiam significat; unde *Jo. ep. 1. cap. 1. exierunt*, inquit, *a nobis, sed non erant ex nobis, si enim ex nobis fuissent, mansissent utique nobiscum;* qui enim prius uniti unitatem componebant, modo separati faciunt dualitatem per discordiam mentis, & morum. Ideò per binarium in Scriptura sæpè
D signari hæreticos, & scismaticos probat Petrus Bangi hoc loco, juxta sensum Augustini *hom. de resurrectione Fidelium*, ubi sic. *Si dissensio in nobis sit, non sumus digni benedictione Dei, nec Deum dignè laudare possumus; quommodo enim sermone paterno confidenter respondere alleluja possumus, idest benedic Domine nos in unum, cum non veniamus in unum.*

Mali, & immunditiæ signum num. binarius. *Gen. c.* 7. Animalia immunda bina, munda verò septena ingressa sunt in arcam jussu Dei; de quo *August. contra Faustum; septena sunt munda, & bina immunda, non quia pauciores sint mali, quam boni, sed quoniam boni servant unitatem spiritus in vinculo pacis; sanctum autem Spiritum divina Scriptura septiformi operatione commendat &c.*

Arcet

Arcet benedictionem. *Gen. cap. 1.* solum secundæ diei, in qua facta est divisio aquarum, siletur benedictio, nam de hoc solo non dicitur. *Vidit Deus, quod esset bonum*, nec tamen propterea dicas, malum fuisse quod fecit Deus, sed quod bonum in se fuit, ex se tamen, quia divisionem primò ostendit, bonum, quod debet integrum esse, non expressit, ideò caruit benedictione, quæ tertiæ diei concessa est, in qua congregatæ sunt aquæ in locum unum, ob oppositam rationem.

Titubantem fidem ostendit, *Numero, c. 20. Percussit Moyses bis petram*, ac si unica percussio satis non esset, ut aqua flueret a Deo promissa; & in pœnam titubationis fidei prohibitus est, ne terram promissionis ingrederetur.

Pœnæ pariter gravitatem signific. *Ps. 108. operiantur sicut diploide confusione sua: diplois est duplex vestis. Hierem. c. 17. duplici contritione contere eos*, & similia alibi, ex quibus significatur perpetuitas pœnæ, quæ hic etiam in hoc sæculo, incipit aliquos torquere, & in futuro finem non habebit. Ni dicas ita innui duplicem peccatorum damnationem, quarum prima fit per culpam, secunda per pœnam æternam. *Juda. in Canonica v. unico. Arbores infructuosæ bis mortuæ. Et Eccl. cap. 21. Romphæa bis acuta omnis iniquitas.*

Plura alia de infausto binario in Sacris Litteris, & quidem ingeniosè notata, & exarata reperies apud Petrum Bongium de binario, sed nobis, qui prælibamus dicta sufficiant.

Quamvis autem pluries in malum, quandoque tamen in Sacra Scriptura, significat bonum modo superius notato.

Et quidem supposita imprescindibili limitatione creaturæ, quælibet, altera indiget, ut subsistat, estque numerus debilitatis solatium. Perfectus fuit, uti opus Dei proprium Protoplastes originali confortante innocentia, attamen, quia & ille, & ista, in sui limitatione sistebat, indiguit adjutorii; ideò idem ipse Conditor, qui opus suum in Adamo, uti bonum commendavit; addidit, *non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi*, & quam ab Adamo discidit costam, eam restituit ei mulierem factam; duos fecit dividens unum, sed ut magis unitas commendaretur, quæ fieret ex duobus, ita novit Adam, cum adhuc sapiens esset, & ait, *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea &c. propter hoc relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; sic dualitas quam fecit Deus, semper fuit propter unitatem, & bona. quia bina, ab uno, & ad unum. Hinc addit *Ap. Ephes. cap. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, ecce binarium, quo melior nullus fuit Christus, & Ecclesia; ex quo Ecclesia facta est unum cum Christo, corpus quoddam divinum cum capite homine Deo. Binarius in ipso Christo perfectus est, in quo est duplex natura; sed unitas personæ, binarium perfecit naturæ.

Si fieri potest ascendamus. *Ego* (inquit Christus) *& Pater unum sumus. Jo. cap. 10.* Certè Filius ut talis distinguitur a Patre, alter planè non aliud ab illo; ab æterno hic fuit primus binarius, exemplar perfectissimum dualitatis, sed quia perfectissimum, ideò & unum; *Ego & Pater unum sumus*, & quia adest dualitas in unum, bis adest & hoc unum. Duo sunt Pater, & Filius, & unum sunt unitate naturæ, & perfectionis, & unum sunt unitate amoris spirati, qui utrumque nectit, quia amor est; spirat Pater, & Filius Spiritum Sanctum, ambo sunt unus spirator, & unus Spiritus Sanctus, utrumque unum unus respicit, indeque ex binario, qui unum est, oritur ternarius, qui unum, & uniens, & unicum simpliciter est.

Hinc quia opera ad extra sunt a tota Trinitate, in omni Dei opere, tamquam umbra, aut vestigium, aut incitationis desiderium resplendet, & dualitas, & Trinitas, & Unitas, *ut invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt visibilia conspiciantur*; ubi ergo expressus in Scriptura binarius, ad unitatem redit, cum hac analogia, certè sumitur in bonum, & exprimit perfectionem, ut hoc modo etiam limitatio deserviat illimitato.

Primum, & secundum habemus in præceptis, vel potius præcepto charitatis. *Math. cap. 22. Primum est. Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo &c. secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum*: ecce duo præcepta charitatis, uti subdit, *in his duobus tota lex pendet, et Prophetæ*. Duo quidem, sed charitatis, quæ gluten est juxta sensum Sacræ Scripturæ, & unitio, sive unio, & unitas, & perfectio legis, non possumus autem intelligere perfectionem, nisi ultimum quid, & unum concipiamus. Duo sunt, sed in his tota lex pendet, & Prophetæ, qui, lex, & Prophetæ, cum plures sunt, unum fiunt, quia concluduntur per charitatem, quæ est finis legis, quod si finis, ergò unitas eam constituit, finis enim simpliciter talis, quia ultimus; nequit esse, nisi unus.

Lucæ c. 18. De Christi Discipulis dicitur. *Misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus*; Sic planè in bonum, nam ad Evangelizandum mittebat; Evangelium est bona annuntiatio. Binos misit, notat Grego. *quia duo sunt præcepta charitatis*, igitur ad uniendum in charitate populos, unit ad prædicationem discipulos; misit eos ante faciem suam, ut superveniens, unus binos uniret, & ex duobus missis, & ipso superveniente Trinitas annunciaretur; hinc etiam.

Math. cap. 18. ubi duo, aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum; duos dicit, sed congregatos in uno, nempè nomine meo; qui fecit utraque unum; sed oppones ibi dicitur in medio, medium autem separat primum a secundo, & intrans secundum facit tertium. Resp. in medio est sicut unio, sine qua duo remanent sejuncta; in medio, sed medio superiori, de quo participat omne extremum, ad differentiam medii inferioris, quod participat de utroque extremo; ideò superius dixerat de duobus congregatis, quod quidquid petierint a Patre suo fiet illis; & in hoc sensu mediator dicitur Dei, & hominum homo Christus,

habens

habens in se utrumque extremum, Deus, & homo, ut de plenitudine ejus accipiant universi.

Cap. eod. Math. in ore duorum, aut trium testium stat omne Verbum, quo loco duobus attribuit, quod suum dixit, respondens Pilato. *Jo. cap. 18. Ego ad hoc missus sum, et in hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; in ipso siquidem, etsi unus esset erat Dei Verbum, quod est omne Verbum, immò ipse erat Verbum, uniens in se omnem veritatem duorum, idest omnium.

Ecclef. cap. 4. melius est duos esse simul, quam unum, habebunt enim emolumentum societatis suæ; Veh soli, qui cum ceciderit non habet sublevantem se, ubi clare laudatur binarius, sed unitus, & redactus ad unitatem.

Plura similia habentur in Scripturis in eodem sensu etiam litterali, ut cum Jo: mittit duos Discipulos suos ad Christum, cum Christus mittit duos Discipulos suos, ut parent Pascha, & iterum, ut adducant asinam, & pullum ejus, ad triumphum palmarum; iterum alia, quæ faciunt, sive exhibent sensum mysticum, quæ plurima refert Salmeron. Prolegom. 20. sed nos magis ad litterales sensus attendimus, & omnia examinare provincia est aliena a prælibante.

Ternarius.

SI vel Pithagoræos, vel cæteros, aut Philosophos, aut Sacerdotes antiquioris superstitionis, aut poetas, aut etiam Aristotelem, de ternarii mysteriis audire, vel institutum nostrum, vel religio permitteret, infinita planè arcana simul, & deliria, & calamum, & volumen fatigarent. Quia enim, ut scribit Tertullianus sumus quodammodo naturaliter Christiani; insitum quod, dam homini semen veritatis, etiam in errorum sterilitate Gentilium, pullulare tentabat, & maximum Trinitatis mysterium, adhuc nescientes, falsis licet lineis adumbrare conabantur. Nobis autem, quorum sapientia fides est, & Doctrina Verbum Dei, piaculum esset, quasi oblita Scripturarum sanctarum veritate, quæ hæreditas nostra est, in utroque testamento, in priscis, vel erroribus, vel figmentis detineri. Sistamus ergo ibi breviter ad veritatis obsequium.

Tèrnarii excellentiam, qua nulla major excogitari potest, testatur per se ipsum ipse Deus, *pr. Joan. cap. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater; Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*; in quo textu id, quod summum mysterium est, nobis littera est; adhuc tamen sublimis ille Apostolus, mysterium scrutatur in mysterio, quod nempe tota Trinitas testimonium est, Filii pro nobis Incarnati, qui, secunda est in Trinitate Persona, cum enim Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum sint, & Filius ipse adhuc in humanitate assumpta idem ipse sit Filius in Trinitate, evidenter sequitur, quod adhuc in humanitate unum est cum Patre, & Spiritu Sancto, quod enim erat, hoc non amisit, quando id, quod non erat assumpsit; hinc concludit *Joan. si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo*. Mysterium est ineffabile; loquimur tamen, quia Verbum Dei docet, nos loqui, ut magis constet ineffabile esse, quod dicimus. Testificatur itaque tota Trinitas de se ipsa, dum testificatur de Filio, qui planè nisi Filius esset, etiam cum homo est, deficiente jam una persona, in se ipsa Trinitas, non subsisteret sicque fit, quod non solum in cælo tres sint, qui testimonium dant, sed etiam in terra, quia in terra est, qui terram assumit, & est unum cum tribus, qui sunt in cælo, & ubique. Hoc est mysterium ternarii omninò primi, ex quo omnes numeri, omnesque unitates, & omnia fluxere mysteria, immò & res omnes, hinc sapientissimum adagium est. *Omnia sunt tria, & tria sunt omnia*. Hinc universa mirabilia arcana, mysteria, judicia, quæ in Sacra Scriptura, vel narrantur, vel latent, aut per tria exprimuntur, & tria includunt, aut per tria explicantur, ut in omnibus, & singulis eluceat Trinitatis vestigium, unde omnia; & hoc facilè ostenditur ea generalitate, quæ & debilitatem nostram patitur, & brevitatem.

Joan. cap. 8. ait Magister veritatis in persona Trinitatis loquens, & qui sit auctor totius divinæ locutionis in Sacra Scriptura manifestans. *Ego principium, qui & loquor vobis. Ego.* Idest qui solus dicere possum, *Ego sum, qui sum*, sicque divinitatem designans: principium, quod est proprium Patris; qui loquor, quod est proprium Filii, qui, Verbum est, *qui &*, scilicet nodum Patris explicans, & Filii, nempe Spiritum Sanctum, de quo alibi idem Filius dixit, *ille docebit vos, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, & ipsa ergo Scriptura, & quidquid in ipsa dicitur, effigiem pingit Trinitatis; cujus est locutio Verbi divina, ad ipsam repræsentandam usquequaque instituta.

Clarius verò. *Apocalyp. cap. 1. Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*, certè litteris tota componitur Scriptura; & in qualibet dictione, immò & syllaba, prima littera, & ultima valet assignari, quia habet principium, & finem, principium dicitur Alpha, finis Omega, etiamsi omnis littera initians non sit materialiter Alpha, & omnis terminativa non sit materialiter Omega; Si ergo in omnibus datur principium, & finis; scilicet principium Pater, & finis amor, qui est Spiritus Sanctus de necessitate datur & medium, ipsumque est, mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus; qui sic loquitur, quia Verbum, ad explicandam Trinitatem (in qua ipse Filius est unum cum Patre, & Spiritu Sancto) dicens, *ego sum Alpha, & Omega principium, & finis*; totum ergo, quòd in Scriptura dicitur, & a Trinitate dicitur, & Trinitatem manifestat, nedum in eo quod dicitur, sed in ipso esse Scripturæ, sive locutiones per litteras compositæ. Idque etiam magis elucescet, si consideres, quod omnes ferè Doctores notant, & ex se patet, nempe, quod ternarius inter omnes numeros primus invenitur, qui essentialiter habet principium, medium, & finem, quæ tria ejus constituunt naturam, Ideò ternarii

dictam,

dictam, & ex tria, ut talia suam dicunt perfectam unitatem; porrò principium, in re creata est imitatio primi principii, quod est Deus, & finis rei creatæ est imitatio ultimi finis, qui est Deus, & medium rei create est ipsum esse terminans divinam actionem; sive Verbum, quod ipse Deus dixit, & per ipsum facta sunt omnia. *Joan. c.* 1. Quod si id omnibus commune est, quæ sunt, ut tria sint omnia etiam extra Scripturam; quantò magis, & ipsa Scriptura, & quæ in ea dicuntur ab eodem ipso, qui trinus est Deus, de quo *Joan. c.* 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, illud idem; & per quod facta sunt omnia, & dicta specialiter, & ordinata tamquam proprium testamentum, & testificatio sui ipsius, quæ sunt in Sacra Scriptura; Ex principio cujuscumque libri tamquam ex titulo, & argumento, vel propositione, aut quasi Indice, aut epilogo intelligitur quidquid in libro continetur. Lege ergò prima, Genesis, sive totius Sacræ litteræ, verba, ut intelligas quidquid in toto Sacro volumine continetur. Hoc planè leges, nempè creatricem Trinitatem; & ipsam in Cęlo, & terra, vel impressam, vel expressam. *In principio* (inquit) *creavit Deus Cęlum, & terram*; perpende, notat Galatinus, & omnes hebraici idiomatis peritissimi, sic enim in hebræo legitur. *In principio creavit Elohim*; hoc est Dii; (utique intelligitur adjectivè Dii, ut iidem notant) *Cœlum, & terram*; Dii, idest tota Trinitas, quæ est unus Deus; tres personæ; quarum quælibet verè est Deus, *creavit*; non dicitur creaverunt, quia tres unum sunt, & opera Trinitatis ad extra indivisè procedunt a tota Trinitate, cum enim creare, & operari ad extra sit expressio divinæ bonitatis, cujus proprium est communicare, & activè participare seipsam, ipsaque divina bonitas sit absoluta, non potest dici pluraliter, quia absoluta omnia in Deo sunt unita, ubi non obviat relationis oppositio, quæ sola infert pluralitatem, idest Trinitatem. Jam ergo ex Sacræ litteræ principio, quod tota contineat, quòd tota explicet Trinitatem satis ostenditur. Et hæc quidem, ut & dignitatem, & significationem primariam numeri ternarii in toto Sacro volumine, quisque percipiat, indeque in singularibus locis, ubi occurrit, quid præseferat ternarius, ad quid tendat, quid representet, servato tamen, & introrsum considerato textu, deprehendat, abundè sufficiunt.

Sed ad tanti mysterii venerationem addendum brevissimè.

In Sacra Scriptura ternarius indicat fœcunditatem. *Gen. c.* 1. *germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, & factum est, ita & vidit Deus, quod esset bonum, & factum est vespere, & manè dies tertius.*

Religionem, & justitiam. *Gen. cap.* 19. *mense tertio egressionis Israel de Ægypto venerunt in solitudinem Sinai, ibique jubente Domino sanctificavit populum Moyses*, subditque, *& sint parati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus coram omni populo in montem Sinai etc.* ibique legem a Domino accepit Moyses. 3. *Regum c.* 18. Tertiò fecit Elias aspergi aqua holocaustum, *& descendit ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, & pulverem, et aquam*, & interfecit Elias omnes Prophetas Baal. *Num. cap.* 22. *Cum Balaam verberasset tertiò Asinam apparuit ei Angelus*, & *cap.* 24. Tertiò benedixit Balaam populo Dei, & victor evasit, ac post tertiam benedictionem, tunc prophetavit de adventu in carnem Filii Dei dicens; *videbo illum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope, orietur stella ex Jacob &c.*

Tres lanceæ infixæ in corde Absalon, victoriam, & regnum David Patri ejus restituerunt; ipseque mœrens de morte Filii ter clamavit. Fili mi Absalon &c. sicque & eluxit charitas Patris erga Filium inimicum, & justitia facta est legitimo Regi.

Plura item mysteria ex numero ternario in ædificatione candelabri, & propitiatorii habes in *Exodo cap.* 25.

Ex pluribus veteris Testamenti locis notum est, quod ter in anno comparere tenebatur coram Deo in Hierusalem omne masculinum, scilicet in paschate, in Pentecoste, & in die Tabernaculorum. Pascha est transitus Israel de Ægypto, aut rerum de non esse ad esse, quod Patrem respicit. Pentecostes quando lex, magna celebritate data est, Filium respicit, in quo lex erat antequam daretur, quia Verbum est, & sapientia, per quam Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Dies Tabernaculorum, & remissionis erat in memoriam umbraculi, a nube in deserto facti, & respondet Spiritui Sancto, in cujus virtute datur remissio, ipse enim est remissio omnium peccatorum; quæ applicatio est Sapientiss. Petri Bungi. Fol. mihi 73.

Gratiam, & liberationem significat. *Dan. c.* 3. Tres pueri liberantur de camino ignis ardentis, ubi manifestè annunciatur Trinitas, & virtus ejus. Vidit enim Rex ipsos ambulantes in medio fornacis, & speciem tertii similem Filio hominis, scilicet Filio Dei incarnato, qui se ipsum appellabat Filium hominis.

Alia item plurima in veteri Testamento, sed aliquid notatur ex novo. In quo.

Ternarius ponitur ad significandum Trinitatis, & Unitatis, & Incarnationis ineffabile Sacramentum.

Lucæ 2. Angelus ad Pastores annuncians Incarnatum Filium Dei. *Hoc*, inquit, *vobis signum, invenietis infantem pannis involutum positum in præsepio*; unus annunciatur, at Pastores tres invenerunt, nempè subdit. *Invenerunt Mariam, et Joseph, & Infantem &c.* Nullibi planè melius expressa Trinitas, adest enim Verbum, quod est secunda Trinitatis Persona; adest Pater Filium quodammodo generans Virginitate, quippe Matris Virginis Sponsus; Pater gignens quodammodo spiritualem Filius, qui ejus dicitur, *conceptus est de Spiritu Sancto*. Pater Æternus activè Pater est, & gignens Filium dicit; Joseph Pater, sed passivus, quia non dicit, sed dicitur. Mater vera Mater eundem gignit, quem gignit Æternus Pater, supplet ergo ipsa, immò Spiritus Sanctus in ipsa, quod Joseph non conceditur. Dicemus ergò hæc est Trinitas, Mater, & Filius Dei, & Spiritus

San-

A Sanctus, nectens cum Filio Dei, id quod Mater Dei miniſtrat, at quia inviſibilis eſt Spiritus Sanctus, eſt enim in umbra, nam virtus ejus obumbravit Mariæ, locum ſuum Joſepho concedit, ut fiat hic viſibilis Trinitas, ubi Verbum ipſum fit viſibile per carnem viſibilem. Annunciavit Angelus Paſtoribus infantem pannis involutum, hoc eſt dicere Verbum Dei, quod ab hominibus non auditur, quia Deus ſpiritus eſt; Verbum inquam Dei, per Filium pannis, ideſt membris, & carne opertum, & involutum. Nulla igitur Trinitati, quæ Deus eſt, proximior Trinitas, quam iſta, in qua ſecunda Perſona ipſiſſima eſt, quæ ſecunda eſt, & in illa, eademque verè gignitur, & generans ipſa verè dicitur gignere Deum, ipſum Verbum, Filium Patris Dei, & Spiritus Sanctus hæc omnia nectit, *& propter nimiam charitatem* B *ſuam* (quæ planè Spiritus Sanctus eſt) *Pater dat Unigenitum Filium ſuum.*

Fidem, & amorem ſignificat. *Math. cap. 2.* Tres Reges ab Oriente venerunt ſtella duce, quærentes &c. *& intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*, nempe tres Reges in tribus muneribus, Trinitatem bis adumbrarunt, nempè, & primam, & ſecundam, quam nuper expoſuimus, Notum eſt myſterium, & Patrum omnium ſenſus, de hac Trinitate.

Hinc tantæ gratiſſima ſublimitatis, qua dignata eſt Sanctiſſima Dei Mater, Filium reddidit Patri, iterum Trinitatem adumbrans; obtulit C enim in templo, duos pullos columbarum ſimul, & Filium, ſimul oſtendens, quod talis Filius ad Trinitatem ſuam etiam in humanis non admittit niſi columbas; immaculatam, ſcilicet Matrem ſuam, & Sanctiſſimum Joſeph.

Noverat ſapientiſſima Mater ſapientiæ, quod impeccabilis Filius ſuus carnem aſſumpſerat, habitum ſcilicet peccatoris; ut eum imitaretur, etiam ipſa habitum, aſſumpſit quaſi peccatricis, ad purificationem accedens, interim tamen, ne vel apparentia impuritatis in Matre læderet honorem Filii, eum renunciavit Patri per oblationem, at ſtatim Filium ei ſuum reddidit Pater, teſtificans, etiam ſub habitu illo latere innocentiam, ſicut ſub habitu peccatoris in Filio latebat divinitas, & hoc magnum aliquod fuit ex illis, de quibus ipſa D cecinit, *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus*, ſanctitatem reflectens in Matrem ſuam per ſui reſpectum, & relationem. Sic ubique Trinitas, Filium genuit, Filium reddidit offerendo, at Filium iterum obtinuit, quia, quod ſemel Filius Dei aſſumpſit numquam dimiſit.

Trini abſentia, dolorem, & triſtitiam. *Lucæ cap. 2. conſummatiſque diebus cum redirent, remanſit puer Jeſus in Hieruſalem.* Amiſſo Jeſu, jam quoddam impoſſibile videtur ſequi, nempe ſeparatio increata quidem, ſed adeò excellenti Trinitate. Jam ſentit amor, quam ferre non poteſt diviſionem.

Proſequitur Evangeliſta, *& factum eſt poſt triduum*, triduum requirebatur ad perfectionem doloris, ad probationem amoris. Prophetia fuit hoc triduum prænuncians triduum, quo poſt crucem, & mortem jacere debebat in ſepulcro; Triduum hoc crux fuit Mariæ, & Joſeph, ut formari inciperet Trinitas crucifixorum. Doluit Maria, & Joſeph, quia per triduum ſine Jeſu, doluit & Jeſus, quia ſine dilectiſſima Matre, & electo ſibi Patre; doluit Jeſus, quia dolebat Maria, doluit Joſeph, quia triſtabatur Sponſa; tres doluerunt, quia tres dolebant. Ideò invento Filio, dixit amantiſſima Mater, *Fili quid feciſti nobis ſic, ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: & ipſe deſcendit cum eis, & venit Nazareth*; Deſcendit; ideſt qui erat, ſecunda in Trinitate increata Perſona, iterum creatam hanc verè ſanctiſſimam iterum complevit Trinitatem, cum Joſeph, & Maria; Deſcendit, ſicut & in alio triduo mortis deſcendet ad Inferos, deſcendit hic, ſed ad beatos, quos humilitas beatificabat, ſcilicet Mariam, & Joſeph. Deſcendit denique, quia amor deſcendit, idque in Trinitate creata complevit, quòd in increata habere numquam potuit, quia factus eſt ſubditus illis, Matri nempe, & credito Patri.

Idipſum habetur & *Lucæ ultima*: triſtitia videlicet ex abſentia trini. Reſurrexerat Redemptor, ſed nondum ſe plenè manifeſtaverat. Ideò *duo ex Diſcipulis ejus ibant ipſa reſurrectionis die in caſtellum nomine Emaus, dolentes* de Jeſu abſentia, *& ſimul quærentes in via*, & dubitantes; ipſi quidem ſine Jeſu erant dubitantes, ſed Jeſus diligens ſuos erat cum eis, *oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent*; ſic ubi Fides nutat, oculi dubitantium tenentur, ne eum agnoſcant. Ipſe ergò inquit Lucas, *appropinquans ibat cum illis*, & denique *ait ad illos; qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem, et eſtis triſtes:* & quidem mæritò quærit, cur triſtes, ſi cum Jeſu ambulatis? & ecce invento Jeſu adhuc non cognito, cœpit ardere adhuc in Fide paradiſus amoris, nam cum duobus addito Jeſu facta eſt Trinitas; ita enim, & ipſi poſtea confeſſi ſunt, *nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas!* ideoque regreſſi ſunt in Hieruſalem, ideſt in viſionem pacis, & beatitudinis.

Trinum, victoriam ſignificat perfectam, in Scriptura. *Math. c. 4. ductus eſt Jeſus in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur a diabolo*, idem fuit dicere ac, ut diabolus vinceretur. Ter enim repulſus in pinnaculo templi repulſus, & ſuperatus aufugit, & Angeli Chriſto victori plaudentes miniſtrabant, ipſeque ſuperato forti poſſedit atrium ſuum, & omnia inimici vaſa diripuit Redemptor mundi, ideoque tutus, & perfectè victor dicebat. *Jo. cap. 14. Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam:* ex eo didicit Paulus victoriam, et orando obtinere, ait enim *2. Chor. cap. 12. Propter quod ter Dominum rogavi &c. & dixit, mihi ſufficit tibi gratia mea;* hæc enim eſt mea victoria gratia Dei, quam nedum victor, jam eſſe, ſed omne quod erat ipſe Paulus, idem ipſe aſſerebat. Gratia Dei ſum, id quod ſum, ex quo deducunt meritò DD. diabolum ter a nobis repul-

repulsum, & victum, enervatum abire, & redire non valentem; Idque notabile est, quod docet Christus, ut valida sit, & efficax oratio nostra, ter suadens orare, & triplici modo. *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Math. cap. 7.* Quidquid enim boni a Deo obtinemus, victoria contra diabolum est, qui semper certat, ne bonum nobis proveniat, & ut omne malum nos opprimat.

Gloriam ternarius significat in Scripturis, quia nempe in ipsa gloria tota nostra beatitudo Trinitas est; quidquid veræ gloriæ esse valet in terris, Trinitatis similitudine figuratur. Ascende Thabor, unica enim ibi fuit extra cælum gloriæ prælibatio, videbis præludium, Trinitatem: *assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem*; Aspice, *apparuerunt Moyses, & Elias, cum Jesu loquentes*, ecce bis Trinitas; iterum attende, *transfiguratus est ante eos; resplenduit facies ejus sicut Sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*, iterum Trinitas, transfiguratio, splendor, candor: Audi, Petrus, prædicatur beatitudinem totius Ecclesiæ, cui est Præfectus, & orat: *Faciamus hic tria tabernacula*; ubique hic Trinitas, ubique gloria.

Orationis formam, ideò ut suprà ad binarium diximus; inquit Christus, *ubi duo, aut tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum*. Si duo, jam ipse in medio eorum Trinitatem perficit, si tres, ipse se se addens illis in medio unitatem figurat Trinitatis, nam qui in medio eorum est, in singulis est unus, uniens omnes in charitate, hoc est in nomine suo, quia Deus charitas est: hinc & ipse oraturus ante Passionem, tres assumpsit Discipulos eosdem, qui fuerant consortes gloriæ in Thabor, ut doceret socios consolationis, socios esse passionis, & utrobique socios esse debere orationis, quæ in passione confortat, & gloriam promeretur. Formam quidem dedit Christus orationis, quæ sociata Trinitate perfectior est, at illi, quia nondum id intellexerant, obdormierunt. Ex dormiente Adam in Paradiso eduxit Deus Evam, dormivit Petrus in horto, & paulò post apparuit ancilla, quæ eum induxit ad negationem, sicut Eva Adam ad prævaricationem; nam Trinitas perfecta est, si orans, non si otiosa, cum enim talis est, non imitatur Trinitatem divinam, quæ nequit esse otiosa, inquit Christus: *Pater meus, usque modo operatur, & ego operor. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Psal. 120.* Somnus igitur nec fuit defectus Ternarii; tres enim plane non erant, si singuli dormiebant.

Ternarius pariter indicat resurrectionem. Testantur Evangelia tertia die Christum a mortuis resurrexisse; sic & omnes hostes suos, & mortem, consummata resurgens victoria superavit, tertia die, sic indicans, & facto prædicans futuram resurrectionem nostram; ipse tertia die, at nos quando? cum perfecta fuerint, quæcumque dicit Scriptura, idest in die Judicii; hoc indicat tertia dies, nempe complementum, & perfectionem. Etiam nos tertia die resurgemus, ne mireris; ità est inquit Princeps Apostolorum. *Secunda Petri cap. 3.*
A *Mille anni ante Deum tamquam sicut dies*. Tertia die secundum mensuram nostram resurrexit ipse, quia subita indigebat consolatione Ecclesia; nos tertia die, secundum mensuram Dei, quia hac Dei patientia indigemus ad pœnitentiam, & purgationem, peccatores, juxta ejusdem Petri exhortationem; *an ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Brevi intervallo trium dierum resurrexit Christus. Ita enim triumphare debuit, qui tam gloriosè vicit leo de Tribu Juda, ut prædixerat Jacob in benedictione Judæ. *Gen. cap. 49. Catulus Leonis Juda, ad prædam fili mi ascendisti; requiescens accubuisti, ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum*; ità & Balaam, *numerorum cap. 24. Recumbens, ut leo requiescet, & quasi leæna, quam suscitare* B *quis audebit?* nec obscurè deprehenditur, ratio saltem proportionalis, & explicativa duplicis allatæ prædictionis, ex qua sequitur, quod brevi dierum triduo, & non ultrà, jacere decuit Christum in sepulcro; Referunt siquidem naturales, & notat ad propositum Adamantius, recens natum Leonis Catulum, tribus diebus, & noctibus obdormire, indeque Patris rugitu tremefactum, & concusso cubilis loco expergefactum exire. Ad quod Petrus Bongius loco citato trahit, quod Ecclesia in festo Resurrectionis legit Evangelium secundum Marcum, cui specialiter D. Hieronymus attribuit figuram leonis, ex quatuor animalibus, quibus quatuor Evangelistas præfiguraverat *Ezech. cap. 1.* at nobis sufficit prior naturalis observatio, aliaque C prius allata. Et hæc satis.

Plura quidem in Scripturis notanda esse de ternario, non ignoramus, quorum aliqua perstringit Salmeron Prolegom. 20. Tres inquit naturæ in Christo, divina, intellectualis, & corporea. Joan. 1. Resurrectionis Dominicæ tertia est dies. Matth. cap. 20. Abraham tres vidit, & unum adoravit. Gen. cap. 18., & ab illa Trinitate cecidit Trinitas creata, memoria, ratio, voluntas; est quoque Trinitas, per quam cecidit, suggestio, delectatio, & consensus, & cecidit in impotentiam, cæcitatem, & immunditiam; est & Trinitas, per quam quis resurgit, Fides, Spes, Charitas. Ast luculentius Sapientissimus Petrus Bongius in omni rerum natura considerat Trinitatem, pluraque Scripturarum enucleat mysteria; Videat D cui placet, & admiretur; nos pauca, hæc utinam non insulso, ac prolixo nimis prælibavimus calamo, ut studiosus noster ex his excitetur ad ulteriora, & quoad ternarium, & quoad cæteros numeros, contemplando ad meliora conscendat; qua spe freti brevius, & in paucioribus immorabimur, ut finem accipiat, & labor noster, & tædium legentium.

Quaternarius.

Continet hic numerus suo materiali modo mysterium inexplicabile, est enim Trinitas, & Unitas; at quia in summa Trinitate Increata, ita est unitas, ut hæc non faciat numerum cum Trinitate, est enim Unitas ipsa Trinitas, deservit potius

tius hic numerus negativè, quam positivè ad Dei cognitionem, ut scilicet dicamus materialem, & corporeum hunc esse numerum, ex quo corrigitur imaginatio, ne in spirituali Trinitatis, & Unitatis divinæ cognitione, materiali hac numeratione utamur; scientes Trinitatem, & Unitatem divinam, ità a quaternario recedere, ut purus, & primus spiritus a corpore infimo. Quamvis tamen, quoad summum hoc mysterium, non valeat nisi negativè; alia tamen in mentem ducere divina cognoscibilia, ex ipsis Sacris litteris habemus.

Quaternarius, Angelos significat, qui primæ sunt spiritualis creatura, idest post Trinitatem increatam, dignitate cætera creata præcedunt, sicut quaternarius post ternarium sequitur. Hinc *Gen. cap.* 1. quarta die facta sunt luminaria magna, & stellæ.

Stabilitatem æternam regni cęlestis. *Apoc. cap.* 13. *Civitas in quadro posita est*; & duodecim portę ejus sunt, quatuor per ter ducta, nempè ejus stabilitas, & fęlicitas ex omni parte Trinitas est in quadro regnans.

Pirmitatem pariter fidei, & propagationem, sicut enim mundus per 4. elementa subsistit, ex quibus fiunt rerum generationes, & perseverant species sublunarium; Ita per quatuor Evangelia firmatur, & perseverat Fides in Ecclesia, & Fideles crescunt, & in Fide nutriuntur. Hoc prævidit *Exechiel cap.* 1., *& in medio*, inquit, *ejus* (idest ignis) *similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis in eis &c. Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni junctæque erant pennæ alterius ad alterum, non revertebantur, cum incederent &c.* Itaque intelligunt communiter Patres hunc texrum, ut proposuimus. In eodem sensu, *eodem cap. apparuit ei Rota una super terram habens quatuor facies, & aspectus, & opus earum, quasi sit rota in medio rotæ &c.*

Et quamvis Deum non exprimat hic numerus ea proportione, sive analogia, qua Ternarius, efformat tamen ineffabile illud Dei nomen, quod proferri non poterat, scilicet, *Tetragramaton* maximo quaternitatis mysterio, quia fortè exprimebat Deum in se, nempe Trinum, & Deum in singulis a Deo productis, quæ sunt unius Omnipotentiæ unus effectus, ipseque ut producit, & conservat, ità implet omnia. De hoc nomine plura Hebræi, & Catholici mysteria, & inter alios [D] Dyonisius de divinis nominibus, & diffusè Petrus Bongius de numero quaternario. De hoc totum dicimus, si silentio venerantes dicimus ineffabile, sicut habemus in Scripturis veteris Testamenti.

Potius ergò in nomine illo dulcissimo, quod in novo Testamento nobis datum est, ut salvemur secundum Apostolorum Principem, *Actorum* 4. *neque enim aliud est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; in nomine inquam *Jesu*, quod est quadrilitterum, hujus numeri venerabile Sacramentum contemplari desiderium est, si non vel tempus, vel possibilitas.

Et quidem in primis supponendum est, hoc sanctissimum nomen verè esse quadrilitterum, ut probat *Origenes lib. contrà Celsum*, ubi ostendit quibus- [A] dam nominibus a Deo institutis mirificam in esse virtutem, quæ si mutentur, ea non pollent, planè in pęnam humanæ temeritatis, quæ audet nomina a Deo posita immutare. Subdit autem Doctissimus Bongius de numero quaternario disserens pagina 160. *Nullus hebræus Cabalista ire potest inficias, quod nomen Jesu, si verè scribatur his quatuor litteris, & secundum modum, & principia Cabalæ Moysis interpretatur, hoc totum præcisè, & nihil aliud significat, idest Deum Dei Filium, Patrisque sapientiam, per tertiam divinitatis Personam, qui est ardentissimus Amoris ignis, naturæ humanæ in unitate suppositi unitum; ideòque hoc intelligens Apostolus Paulus ad Hebr. cap. 2. Nomen Jesu dicit super omnè nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & Infernorum.* Ecce igitur no- [B] men verè quadratum, tum quia revera quatuor litteris constat; tum quia quatuor mundi plagas implevit salute, tum quia cęlestis Hierusalem in quadro positæ est plenissimum lumen, asserente Joanne, *Lucerna ejus est agnus*, cui optimè quadrat esse verè quadratum, nam & quarta dies in rerum creatione dedit mundo, & cęlo luminaria magna. Quadratum dicimus, quatuor unitatum, & linearum æqualium consistentiam, quod propterea indicat perfectam ex omni parte justitiam. Jam vide exaltatum in Cruce Jesum, omnia peccata nostra plenissima ferentem satisfactione, & justitia, ideò nedum Crucifixi, sed & crucis ipsius nomen fuit Jesu, quadratum est nomen, quadrata etiam crux, quæ quatuor partibus constat, sic [C] & patibulum ipsum Justitia est, quod planè institutum est ad executionem justitiæ. Sed & de dulcissimo nomine Jesu aliqua jam diximus, cum de nomine Auctoris Sacræ Scripturæ sermo erat, & de mensuris Crucis, secundum quas Apostolus mensuratur gloriam, hic suprà aliquid innuimus, cum ageremus de mensuris. Nunc ergò licet involuntariè sistimus cogente lege brevitatis; hac in re tam amara, quam dulce, immò suavissimum est, & Jesu nomen, & Crucem meditari: addant alii quidquid videtur de quaternarii mysteriis, nobis satis est dulcissimum hoc nomen, & ejus Crucem saltem desiderio degustasse.

Quinarius.

[D] HUnc numerum plures magnificant, eo quod ad animam spectat; non enim aliter cognoscimus animal verè vivere, & ut tale agere, nisi quia quinque sensuum utitur ministerio, quod verò inanime est, nec sensu fruitur, nec formæ suæ perfectionem commendat; nos autem, non Pitagoricos, non Amonium, nec hac in re Aristotelem consulimus, sed quid in Scripruris significet, brevi intuitu examinamus, vel potius prælibamus. Et quidem non insaniam secuti asserentium, quintum esse Animam mundi, in quadam quinta essentia consistentem, sed legentes in primo Genesis capite, producta esse plura animantia, & reptilia omnia in aquis, & volatilia, deprehendimus hunc numerum relationem habere, ad animantia, quamvis imperfecta.

Dili-

A Diligentius tamen attendendum est in Evangeliis, quinque fuisse principalia vulnera Salvatoris in Cruce; in his enim quiescit, vivificatur, & consolatur anima fidelis, & suavissima in afflictione, lætatur. Experimento enim quotidiano, compertum est, in meditando tam terribilia vulnera, quadam dulcedine cor inundari, quarè August. Sæpè, *nullam inveni requiem nisi in vulneribus Salvatoris, in his dormio securus, & requiesco intrepidus. Per hæc patent mihi arcana cordis &c.* Hæc est igitur nobilior prærogativa quinarii; hæc sunt quinque talenta, *Matth. cap.* 15. quæ, in sua morte peregrè profecturus commisit nobis servis suis, ut imitantes passionem ipsius, alia quinque lucremur cum Apostolo, qui Christo erat confixus Cruci, & hæc quinque talenta, sive stigmata portabar in corpore suo, ideò rediens inventum fidelem, super omnia bona sua constituit eum Dominus. B

Aliquando indifferenter ponitur, & ad bonum, & ad malum. *Matth. cap.* 25. *simile est regnum cælorum decem Virginibus, quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*, non tamen est defectus, quinarii, sed divisionis, quam faciunt in decimo fatuæ, qui est numerus admodum completus, atque perfectus. Ita Cyrillus ad hunc locum.

Et certè quamvis in aliquo deficeret hic numerus, quod tamen non invenimus, nisi fortè ratione materiæ, & divisionis, totum ex una ejus prærogativa, & privilegio compensatur, quod Sanctissimum Immaculatæ semper Virginis Mariæ nomen componit, quod quinque litteris constat. Hoc est nomen illud potentissimum, quod mirabiliter salvat invocatum, ipsa enim peperit nobis Salvatorem Jesum, & nomen ejus Salutem; nec mireris, quadrilitterum est nomen Jesu, & Mariæ nomen quinque habet litteras, at ita esse debuit, cum enim dixerit Propheta de hac Virgine Mulier circumdabit virum, quinque, ut patet, debent esse litteræ, quæ quatuor circumdant. C

Oh quam grande nomen, quam Sanctum, unde prodiit ille, de quo ipsa cecinit. *Fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen ejus.* Infoelix brevitas, quæ tanti nominis laudes cogit silentio præterire. At speramus, supplebit Æternitas, & pro nunc, quod calamo negatur, conceditur cordi.

Quintus, quandoque stat pro universitate indeterminata. Constat ex Matth. loco citato in parabola Virginum, ait enim Augustin. *numquid in tot millibus, Virgines sola quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ? at inquinario, quædam pluralitas, & universitas designatur.* D

Per quinarium verba legis significantur. Quinque enim sunt libri Moysis; & Apostolus dicit, 1. *Chorin. cap.* 14. *Volo loqui quinque verba*, idest Moysis Pentateuchon explicare.

Aliis etiam modis, alia significat quinarius in Scriptura, sed habet sensum solum mysticum.

Senarius.

INsignis est hic numerus, tum sua perfectione; quia duplicat ternarium significans conatum universæ creaturæ, quæ quantum potest multiplicat imaginem Trinitatis, tum quia in primis diebus sexta electa fuit a Deo, ad productionem animalium perfectorum, & inter perfectos perfectissimi, qui erat tamquam finis cæterorum, scilicet hominis. Prima fuit lux sextæ diei, quam vidit homo, prima, quæ vidit hominem formatum ad imaginem, & similitudinem Dei, & ex ea discere potuit homo justitiam, nam ex binario, & quaternario componitur senenarius, qui sunt primi numeri simpliciter pares. Perfectus autem hic numerus ab omnibus vocatur, quales non sunt, diminutus, & superfluus. Diminutus est octonarius, cujus partes non sufficiunt eundem numerum reddere, sed per septimum tantum, & unum commensuratur; superfluus est, uti duodenarius, cujus partes plus reddunt, quam sit in toto. At scrutare senarium, ejus partes sunt. 1. 2. 3. & hæ sunt sex; & ideò hic numerus, virtutis veram habet imaginem, quæ stat in medio extremorum, nec deficit, nec excedit. Vocatur etiam hic numerus ab antiquis medirectus, quia æqualiter distat a duobus, & decem, & distar per rectum scilicet per quaternarium. Hic aliqui assignant rationem, quarè hic numerus electus sit ad Genes. perfectiorum animalium; at nobis satis est, quod Deus omnia sapientissimè fecit in numero, pondere, & mensura, non enim nobis licet nostræ mensuram brevitatis per prolixas quæstiones excedere.

Hoc nobis notabile, quod Christus venit salvare hominem sexta mundi ætate; & ut ex Evangelio habetur, conceptus est sexto mense Conceptionis Jo: Baptistæ, sexta die mortuus est, & sexta hora, qua venit ad puteum, cum Samaritana, salutem nostram sitivit.

Sex sunt tribulationes hujus vitæ, quia homo in sexta creatus est ad laborem, & in septima non tangitur malo justus, idest in morte.

Senarius in Scriptura indicat propagationem humanam: sexta enim die creavit Deus hominem, masculum, & feminam fecit eos; cæterorum autem hominum regulariter perficitur generatiò per novem menses, in quo numero includitur sex, & semis, sive Ternarius cum Senario, ut sciant & isti, quod prior senarius pro ipsis replicatur opere Trinitatis.

Mysterium idem signatur Jo: cap. 2. ubi vocatus Jesus ad nuptias, cum deficeret vinum, jussit, Beatissima Deipara primum Christi miraculum sua Fide obtinente, jussit (inquam) impleri hidrias aqua, quæ in vinum conversa est; erant autem ibi sex hidriæ positæ, quo numero servato etiam in ostensione miraculi, matrimonium approbavit, qui sexta die creaverat hominem, masculum, & feminam associans eos, ad humanam utrobique propagationem. De hoc plura DD. quæ ad nos non spectant.

Apoc. cap. 3. Docet Joannes numerum hominis, & non modico quidem mysterio. *Hic sapien-*

tia est, qui habet intellectum computet numerum bestiæ; numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex. Ubi doctissimè *Petrus Bongius de numero senario. Numerus bestiæ assignatus est; hac autem arte ex radice senaria, humanum numerum elicies; volve senarium in se ipsum, habebis 36. senarii quadratum; hunc numerum aucta unitate idest effectum 37. multiplica per numerum 18. qui est medietas quadrati conflabitur numerus 666., qui trigonus est trigesimi sexti.* Sunt qui, ut refert Emmanuel Thesaurus in sua Rethorica, aliique complurimi, anagramaticè computando, hæc verba Martinus Lauter per numeros majores, inveniunt præcisum numerum *666.* sed quomodo idem sit numerus hominis, sive humanus ratio alia assignari non valet, nisi quia sexta die tota Trinitas operata est hominem, & quidem hominem rectum, & perfectum gratiæ, & naturæ donis ornatissimum, & ad imaginem suam, qui tamen, cum in honore esset, non intellexit, & assimilatus est Jumentis insipientibus, ideò idem numerus est hominis, & bestiæ, non enim per peccatum amissis cæteris donis, amisit humanitatem. Si quis tamen meliorem aliquam rationem, & expositionem hujus identitatis numeri bestiæ, & hominis afferet, libentissimè subscribemus.

Senarius Sacramentum continet omnium creaturarum, ibi enim stetit creatio, facto homine ad similitudinem Dei, unde sicut a Deo, & in Deo, & ad Deum sunt omnia, ita omnium cæterarum creaturarum finem, Deus condidit hominem; & non quidem ab homine, sed ad hominem, sive propter hominem facta sunt omnia, & ideò in ipso aliquid omnium, & quidem perfectè continetur, ut ita cognoscens homo seipsum, cognoscat omnia, & semper Deum contempletur; quia sic exigit, & similitudo Dei, ad quam factus est, & cætera omnia, quæ continet; nam per hæc visibilia ducimur ad invisibilia Dei, & ex creaturarum ordine, atque constantia Creatorem cognoscimus; ut prædixit *Ezechiel c. 4.* apud quem, ex utraque parte latitudo tabernaculi senum cubitorum erat.

Senarius significat laborem: *Exodi c. 21.* Servus hebræus sex annis servit Domino suo, & *Levitic c. 25.* Sex annis seminanda est terra, & *Levitici c. 23.* Sex dies sunt, quibus licet operari. Et *Exod. c. 16. Sex diebus colligendum manna, & sexta die duplum colligendum*, quæ omnia hoc indicant, per senarium totum præsentis vitæ tempus designari, in quo, & laborare, & negotiari mansura in æternum debemus, ut quiescamus cum Domino in perpetuum. Ita prolixè Origen. hom. 8. in Exodum.

Plura adhuc notari possent, sed pro nobis sufficit, quod notat *Hugo a S. Victore. In speculo Ecclesiastico dicens. In eadem hora Christus Redemptor noster mori voluit pro homine, in qua hora homo expulsus est de paradiso, & in eadem hominem per lignum redimere placuit, qua eum per lignum hostis deceperat, ars ut artem falleret, & medelam ferret inde hostis, unde læserat.* Additque Sapienter Bongius: *hæc itaque supputatio, & hominis initium, & absolutionem peccatorum aptissimè continet: inde, &* *David in 6. Psalmo, personam pœnitentis accommodavit; & in Apocalypsi sexto sigillo aperto, novissima nunciatur persecutio, quia tenebris, & pavore concussus visus est mundus in passione Domini.* Notat autem ibi, quod diei passionis Domini non nominatur meridies, quamvis hora sexta nominetur, quæ est meridiana, ne fiat mentio meridiei, in qua Adam peccavit, quæ in sexta fuerat, & in hac hora sexta ei correspondente in feria sexta, tenebræ factæ sunt, ejus diei memoriam abolentes, quam melius delebat Redemptio cælestis Adam morientis.

Septenarius.

SI consideremus Scripturas, numerus hic est potentior; quamvis enim octavus, nonus, decimus, aliique plurimi numeri recenseantur, eorum prima creatio non invenitur, sicut de primo usque ad septimum, ac propterea potius dicendi sunt, compositiones horum primordialium numerorum, quam numeri specialiter, & in propria ratione creati. Stetit enim in septimo tota rerum, & consequenter etiam numerorum creatio, *cum Deus requievit ab universo opere, quod patrarat.* Quia igitur nos textum præallegatum Sapientiæ, *omnia disposuisti in mensura, pondere, & numero* hic meditamur, ubi rerum dispositio quiescit, ne ulterius progrediamur, Dei quiete monemur. Quæ igitur de septimi significatione occurrunt in Sacris Litteris aliqua breviter prælibantes, præsentis operis, sive melius opusculi nostri intentioni satisfecisse arbitramur.

Septenarius in Scriptura refertur specialiter ad Spiritum Sanctum: Omnipotentia, quæ attribuitur Patri resplenduit in opificio cæli, & terræ; sapientia, & ratio imaginis, quæ sunt rationes propriæ Divini Verbi, sexta die maximè enituit in creatione hominis, quem Deus fecit ad imaginem, & similitudinem suam; cum autem nullo ex aliis diebus mentio fiat sanctificationis, sicut in septimo appropriatè Sancto Spiritui deputatur, nulla enim sanctificatio est divina, & vera, quæ non fit a Spiritu Sancto, quapropter etsi Pater sit Sanctus, Filius Sanctus, tamen ratio Sancti de solo Spiritu Sancto celebratur. Hinc probat Joan. *in Apocalyp. 5.* Septenario nomen Spiritus Sancti gratiam designari. Cum enim se vidisse dixisset agnum habentem cornua septem, & oculos, septem, mox exponit dicens, qui sunt septem Spiritus Dei missi in universam terram, cui observationi subdit Bongius, cum tamen sit unus, atque idem Spiritus dividens propria unicuique, prout vult.

Isaiæ cap. 11. clarius, cum enim prophetaret nasciturum Dominum, *requiescet*, inquit, *super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.*

Significat etiam sanitatem. *Jo. cap. 4. quia heri hora septima reliquit eum febris. 4. Regum. c. 4. Elisæus resuscitavit puerum, & oscitavit puer septies, & 4. Regum. cap. 5. Elisæus idem ad Naaman.*

Vade.

vade, & lavare septies in Jordane, & lavit, & mundatus est. Septima quoque petitio in oratione, quam nos docuit Christus, est libera nos a malo. Ideò, & ad oppositum. *Judic. cap. 16. septem crinibus expoliatus Sampson, debilis factus est, captus, & excacatus.*

Septenarius pariter designat in Scripturis, quod perfectum est. Anna mater Samuelis in suo cantico. Juxta Transl. 70. & qua utuntur Patres. *Quia sterilis peperit septem, & quæ multa erat in Filiis, infirmata est.* Perfectè semper, & sine limitatione dandam esse veniam peccatorum. Quæsivit Petrus, *Luc. cap.* 17. Quoties condonare deberet fratri peccanti, an septies? cui Dominus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies, hoc est resipiscenti, offensam condonabis usque in infinitum.

Et ex hoc deducitur, quod septenarius, signum est multitudinis, inter septem enim dies totum includitur tempus. *Joan. in Apocalypsi scribit septem Ecclesiis, sed in illis septem, intelligitur universitas Ecclesiarum, & quòd uni dicit, omnibus dicit. Beda in Apoc. cap. 1. lib.* 1. Ita & Paulus servavit numerum septem Ecclesiarum, quibus scripsit, ut scirent, & aliæ Ecclesiæ ad se ea dirigi. *Prov. cap. 24. Septies cadet Justus, & resurget*, idem est, ac multoties cadet, sed semper resurget, quia ut multi censent, non est sermo de lapsu gravi, sed de affectibus humanis. Septem sigillis signatum librum vidit Ioan. *Apocalip. cap. 3.* quod est omnium latentium mysteriorum absconsio. *Psal. 11. Eloquia Domini eloquia casta argentum igne examinatum, purgatum septuplum, Ps.* 118. *Septies in die laudem dixi tibi; quamvis referri possit ad septem horas canonicas, juxtà morem Ecclesiæ; verùm secundum Augustinum de Civit. Dei lib. 11. cap.* 31. refertur ad illud *Ps. 33. Benedicam Dominum in omni tempore*, quod ut intelligatur addidit, *super Judicia Justitiæ tuæ* de Maria Magdal. septem dæmonia exisse referuntur, ut innumeris vitiis refertam fuisse monstretur. Ad quem sensum dicitur etiam, *Matth, cap.* 8. de immundo spiritu, *qui assumit secum alios septem spiritus nequiores se*, idest universa vitia. Præter hæc passim in Sacra Scriptura occurrit hæc significatio septenarii. Plura notat Petrus Bongius, & etiam Salmer. Proleg. 20. aliique, sicut, & de prærogativis hujus numeri innumera observantur,

A quæ nobis satis est leviter hic innuisse.

Hoc tamen non est prætereundum, nobile videlicet mysterium, quod indicat consuetudo Ecclesiæ, dum Sabbatum Immaculatæ Virgini Sacrum, toto celebrat anni decursu. Id enim planè indicat communem jam sensum esse, & veritatis, & devotionis, quod Ipsa est verè Sabbatum, idest requies Domini. Certè divina bonitas creatis omnibus propter hominem; donec eum conderet ad imaginem suam non quievit, sic ergo dicendum, quòd in ea solum, quæ omnium, & creaturarum,
B & ipsorum hominum perfectissima, quam ex tunc in mente tua statuerat, requievit. Fecerat hominem ad imaginem suam, eamque jam delineaverat, quæ Deum ipsum sibi filium, ad imaginem hominis, humanam communicando ei naturam parturiret, hæc omnium rerum impertransibilis perfectio fuit; meritò igitur dicitur, quòd ipsa Virgo, requies, & Sabbatum Domino fuit; nec planè ambigendum, quòd ita fuerat, & in æternitate, & in principio temporum, sicut fuit in medio sæculorum, cum reverà in sola Virgine inter omnes etiam Angelicas creaturas, requievit, ipsam sibi
C formans, & perficiens Matrem; in cujus utero requievit; hoc igitur est summum septenarii privilegium, quod simul & encomium maximum Mariæ designat in hoc ipso, quod requies Domini fuit. Quod si ita est, de sanctificatione Virginis ex tunc jam constat; Benedixit enim Dominus, & sanctificavit diem Sabbati, eo quod requies Domini fuit, & quia sanctificatio, ut dictum est attribuitur Spiritui Sancto, dictum postea est Virgini; Spiritus Sanctus superveniet in te.

Certè in homine, qui jam tunc peccaverat, non fuit requies Dei, sed ut postea dixit; *super quem*
D *requiescam, nisi super humilem, & trementem Verba mea*, super humilem eam, quæ ad divinam exaltata maternitatem, ait, *Ecce Ancilla Domini, & trementem verba mea*, quippe *turbata est in sermone ejus*, hæc verè divina requies, hæc Sabbatum Domini, de qua dixit Dominus, *hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo; quoniam elegi eam*; in hac ergo sola, ubi quies est Domini, & tota spes nostra, ubi requievit Dominus ab universo opere, quod patrarat, requiescamus, & nos ab hoc qualicumque opusculo, ad gloriam ejus.

LAVS DEO

INDEX

INDEX RERUM

Quæ in hoc Opere continentur.

Prior numerus paginam. Secundus columnam. Littera situm.

Bonitas

C.

D.

Zzzz Deum

E.

Evan-

tius hic numerus negativè, quam positivè ad Dei cognitionem, ut scilicet dicamus materialem, & corporeum hunc esse numerum, ex quo corrigitur imaginatio, ne in spirituali Trinitatis, & Unitatis divinæ cognitione, materiali hac numeratione utamur; scientes Trinitatem, & Unitatem divinam, ità a quaternario recedere, ut purus, & primus spiritus a corpore infimo. Quamvis tamen, quoad summum hoc mysterium, non valeat nisi negativè; alia tamen in mentem ducere divina cognoscibilia, ex ipsis Sacris litteris habemus.

Quaternarius, Angelos significat, qui primæ sunt spiritualis creatura, idest post Trinitatem increatam, dignitate cætera creata præcedunt, sicut quaternarius post ternarium sequitur. Hinc *Gen. cap. 1.* quarta die facta sunt luminaria magna, & stellæ.

B Stabilitatem æternam regni cœlestis. *Apoc. cap. 13. Civitas in quadro posita est*; & duodecim portæ ejus sunt, quatuor per ter ducta, nempè ejus stabilitas, & felicitas ex omni parte Trinitas est in quadro regnans.

Firmitatem pariter fidei, & propagationem, sicut enim mundus per 4. elementa subsistit, ex quibus fiunt rerum generationes, & perseverant species sublunarium; Ita per quatuor Evangelia firmatur, & perseverat Fides in Ecclesia, & Fideles crescunt, & in Fide nutriuntur. Hoc prævidit *Ezechiel cap. 1., & in medio*, inquit, *ejus* (idest ignis) *similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis in eis &c. Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni junctæque erant pennæ alterius ad alterum, non revertebantur, cum incederent &c.* Itaque intelligunt communiter Patres hunc textum, ut proposuimus. In eodem sensu, *eodem cap. apparuit ei Rota una super terram habens quatuor facies, & aspectus, & opus earum, quasi sit rota in medio rotæ &c.*

C Et quamvis Deum non exprimat hic numerus ea proportione, sive analogia, qua Ternarius, efformat tamen ineffabile illud Dei nomen, quod proferri non poterat, scilicet, *Tetragramaton* maximo quaternitatis mysterio, quia fortè exprimebat Deum in se, nempe Trinum, & Deum in singulis a Deo productis, quæ sunt unius Omnipotentiæ unus effectus, ipseque ut producit, & conservat, ità implet omnia. De hoc nomine plura Hebræi, & Catholici mysteria, & inter alios Dyonisius de divinis nominibus, & diffusè Petrus Bongius de numero quaternario. De hoc totum dicimus, si silentio venerantes dicimus ineffabile, sicut habemus in Scripturis veteris Testamenti.

D Potius ergò in nomine illo dulcissimo, quod in novo Testamento nobis datum est, ut salvemur secundum Apostolorum Principem, *Actorum 4. neque enim aliud est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; in nomine inquam *Jesu*, quod est quadrilitterum, hujus numeri venerabile Sacramentum contemplari desiderium est, si non vel tempus, vel possibilitas.

Et quidem in primis supponendum est, hoc sanctissimum nomen verè esse quadrilitterum, ut probat *Origenes lib. contrà Celsum*, ubi ostendit quibusdam nominibus a Deo institutis mirificam in esse virtutem, quæ si mutentur, ea non pollent, planè in pœnam humanæ temeritatis, quæ audet nomina a Deo posita immutare. Subdit autem Doctissimus Bonglus de numero quaternario disserens pagina 160. *Nullus hebræus Cabalista ire potest inficias, quod nomen Jesu, si verè scribatur his quatuor litteris, & secundum modum, & principia Cabalæ Moysis interpretatur, hoc totum præcisè, & nihil aliud significat, idest Deum Dei Filium, Patrisque sapientiam, per tertiam divinitatis Personam, qui est ardentissimus Amoris ignis, naturæ humanæ in unitate suppositi unitum; ideòque hoc intelligens Apostolus Paulus ad Hebr. cap. 2. Nomen Jesu dicit super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Ecce igitur nomen verè quadratum, tum quià revera quatuor litteris constat, tum quia quatuor mundi plagas implevit salute, tum quia cœlestis Hierusalem in quadro positæ est plenissimum lumen, asserente Joanne, *Lucerna ejus est agnus*, cui optimè quadrat esse verè quadratum, nam & quarta dies in rerum creatione dedit mundo, & cœlo luminaria magna. Quadratum dicimus, quatuor unitatum, & linearum æqualium consistentiam; quod propterea indicat perfectam ex omni parte justitiam. Jam vide exaltatum in Cruce Jesum, omnia peccata nostra plenissimè ferentem satisfactione, & justitia, ideò nedum Crucifixi, sed & crucis ipsius nomen fuit Jesu, quadratum est nomen, quadrata etiam crux, quæ quatuor partibus constat, sic & patibulum ipsum Justitia est, quod planè institutum est ad executionem justitiæ. Sed & de dulcissimo nomine Jesu aliqua jam diximus, cum de nomine Auctoris Sacræ Scripturæ sermo erat, & de mensuris Crucis, secundum quas Apostolus mensuratur gloriam, hic suprà aliquid innuimus, cum ageremus de mensuris. Nunc ergò licet involuntariè sistimus cogente lege brevitatis; hac in re tam amara, quam dulce, immò suavissimum est, & Jesu nomen, & Crucem meditari: addant alii quidquid videtur de quaternarii mysteriis, nobis satis est dulcissimum hoc nomen, & ejus Crucem saltem desiderio degustasse.

Quinarius.

HUnc numerum plures magnificant, eo quod ad animam spectat; non enim aliter cognoscimus animal verè vivere, & ut tale agere, nisi quia quinque sensuum utitur ministerio, quod verò inanime est, nec sensu fruitur, nec formæ suæ perfectionem commendat; nos autem, non Pitagoricos, non Amonium, nec hac in re Aristotelem consulimus, sed quid in Scripturis significet, brevi intuitu examinamus, vel potius prælibamus. Et quidem non insaniam secuti asserentium, quintum esse Animam mundi, in quadam quinta essentia consistentem, sed legentes in primo Genesis capite, producta esse plura animantia, & reptilia omnia in aquis, & volatilia, deprehendimus hunc numerum relationem habere, ad animantia, quamvis imperfecta.

Dili-

Diligentius tamen attendendum est in Evangeliis, quinque fuisse principalia vulnera Salvatoris in Cruce; in his enim quiescit, vivificatur, & consolatur anima fidelis, & suavissima in afflictione, lætatur. Experimento enim quotidiano, compertum est, in meditando tam terribilia vulnera, quadam dulcedine cor inundari, quarè August. Sæpè, *nullam inveni requiem nisi in vulneribus Salvatoris, in his dormio securus, & requiesco intrepidus. Per hac patent mihi arcana cordis &c.* Hæc est igitur nobilior prærogativa quinarii; hæc sunt quinque talenta, *Matth. cap.* 25. quæ, in sua morte peregrè profecturus commisit nobis servis suis, ut imitantes passionem ipsius, alia quinque lucremur cum Apostolo, qui Christo erat confixus Cruci, & hæc quinque talenta, sive stigmata portabat in corpore suo, ideò rediens inventum fidelem, super omnia bona sua constituit eum Dominus.

Aliquando indifferenter ponitur, & ad bonum, & ad malum. *Matth. cap.* 25. *simile est regnum cælorum decem Virginibus, quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*, non tamen est defectus, quinarii, sed divisionis, quam faciunt in decimo fatuæ, qui est numerus admodum completus, atque perfectus. Ita Cyrillus ad hunc locum.

Et certè quamvis in aliquo deficeret hic numerus, quod tamen non invenimus, nisi fortè ratione materiæ, & divisionis, totum ex una ejus prærogativa, & privilegio compensatur, quod Sanctissimum Immaculatæ semper Virginis Mariæ nomen componit, quod quinque litteris constat. Hoc est nomen illud potentissimum, quod mirabiliter salvat invocatum, ipsa enim peperit nobis Salvatorem Jesum, & nomen ejus Salutem; nec mireris, quadrilitterum est nomen Jesu, & Mariæ nomen quinque habet litteras, at ità esse debuit, cum enim dixerit Propheta de hac Virgine Mulier circumdabit virum; quinque, ut patet, debent esse litteræ, quæ quatuor circumdant.

Oh quam grande nomen, quam Sanctum, unde prodiit ille, de quo ipsa cecinit. *Fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen ejus.* Infœlix brevitas, quæ tanti nominis laudes cogit silentio præterire. At speramus, supplebit Æternitas, & pro nunc, quod calamo negatur, concéditur cordi.

Quintus, quandoque stat pro universitate indeterminata. Constat ex Matth. loco citato in parabola Virginum, ait enim Augustin. *numquid in tot millibus, Virgines sola quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ? at in quinario, quædam pluralitas, & universitas designatur.*

Per quinarium verba legis significantur. Quinque enim sunt libri Moysis; & Apostolus dicit, 1. *Chorin. cap.* 14. *Volo loqui quinque verba*, idest Moysis Pentateuchon explicare.

Aliis etiam modis, alia significat quinarius in Scriptura, sed habet sensum solum mysticum.

Senarius.

INsignis est hic numerus, tum sua perfectione, quia duplicat ternarium significans conatum universæ creaturæ, quæ quantum potest multiplicat imaginem Trinitatis, tum quia in primis diebus sexta electa fuit a Deo, ad productionem animalium perfectorum, & inter perfectos perfectissimi, qui erat tamquam finis cæterorum, scilicet hominis. Prima fuit lux sextæ diei, quam vidit homo, prima, quæ vidit hominem formatum ad imaginem, & similitudinem Dei, & ex ea discere potuit homo justitiam, nam ex binario, & quaternario componitur senenarius, qui sunt primi numeri simpliciter pares. Perfectus autem hic numerus ab omnibus vocatur, quales non sunt, diminutus, & superfluus. Diminutus est octonarius, cujus partes non sufficiunt eundem numerum reddere, sed per septimum tantum, & unum commensuratur; superfluus est, uti duodenarius, cujus partes plus reddunt, quam sit in toto. At scrutare senarium, ejus partes sunt. 1. 2. 3. & hæ sunt sex; & ideò hic numerus, virtutis veram habet imaginem, quæ stat in medio extremorum, nec deficit, nec excedit. Vocatur etiam hic numerus ab antiquis medirectus, quia æqualiter distat a duobus, & decem, & distat per rectum scilicet per quaternarium. Hic aliqui assignant rationem, quarè hic numerus electus sit ad Genes. perfectionem animalium; at nobis satis est, quod Deus omnia sapientissimè fecit in numero, pondere, & mensura, non enim nobis licet nostræ mensuram brevitatis per prolixas quæstiones excedere.

Hoc nobis notabile, quod Christus venit salvare hominem sexta mundi ætate, & ut ex Evangelio habetur, conceptus est sexto mense Conceptionis Jo: Baptistæ, sexta die mortuus est, & sexta hora, qua venit ad puteum, cum Samaritana, salutem nostram sitivit.

Sex sunt tribulationes hujus vitæ, quia homo in sexta creatus est ad laborem, & in septima non tangitur malo justus, idest in morte.

Senarius in Scriptura indicat propagationem humanam: sexta enim die creavit Deus hominem, masculum, & fœminam fecit eos; cæterorum autem hominum regulariter perficitur generatio per novem menses, in quo numero includitur sex, & semis, sive Ternarius cum Senario, ut sciant & isti, quod prior senarius pro ipsis replicatur opere Trinitatis.

Mysterium idem signatur. Jo: *cap.* 2. ubi vocatus Jesus ad nuptias, cum deficeret vinum, jussit, Beatissima Deipara primum Christi miraculum sua Fide obtinente, jussit (inquam) impleri hidrias aqua, quæ in vinum conversa est; erant autem ibi sex hidriæ positæ, quo numero servato etiam in ostensione miraculi, matrimonium approbavit, qui sexta die creaverat hominem, masculum, & fœminam associans eos, ad humanam utrobique propagationem. De hoc plura DD. quæ ad nos non spectant.

Apoc. cap. 3. Docet Joannes numerum hominis, & non modico quidem mysterio. *Hic sapientia*

tia est, qui habet intellectum computet numerum bestiæ; numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex. Ubi doctissimè *Petrus Bongius de numero senario. Numerus bestiæ assignatus est; hac autem arte ex radice senaria, humanum numerum elicies; volve senarium in se ipsum, habebis 36. senarii quadratum; hunc numerum aucta unitate idest effectum 37. multiplica per numerum 18. qui est medietas quadrati constabitur numerus 666., qui trigonus est trigesimi sexti.* Sunt qui, ut refert Emmanuel Thesaurus in sua Rethorica, aliique complurimi, anagramaticè computando, hæc verba Martinus Lauter per numeros majores, inveniunt præcisum numerum *666.* sed quomodo idem sit numerus hominis, sive humanus ratio alia assignari non valet, nisi quia sexta die tota Trinitas operata est hominem, & quidem hominem rectum, & perfectum gratiæ, & naturæ donis ornatissimum, & ad imaginem suam, qui tamen, cum in honore esset, non intellexit, & assimilatus est Jumentis insipientibus, ideò idem numerus est hominis, & bestiæ, non enim per peccatum amissis cæteris donis, amisit humanitatem. Si quis tamen meliorem aliquam rationem, & expositionem hujus identitatis numeri bestiæ, & hominis afferet, libentissimè subscribemus.

Senarius Sacramentum continet omnium creaturarum, ibi enim stetit creatio, facto homine ad similitudinem Dei, unde sicut a Deo, & in Deo, & ad Deum sunt omnia, ita omnium cæterarum creaturarum finem, Deus condidit hominem; & non quidem ab homine, sed ad hominem, sive propter hominem facta sunt omnia, & ideò in ipso aliquid omnium, & quidem perfectè continetur, ut ita cognoscens homo seipsum, cognoscat omnia, & semper Deum contempletur; quia sic exigit, & similitudo Dei, ad quam factus est, & cætera omnia, quæ continet; nam per hæc visibilia ducimur ad invisibilia Dei, & ex creaturarum ordine, atque constantia Creatorem cognoscimus, ut prædixit *Ezechiel c. 4.* apud quem, ex utraque parte latitudo tabernaculi senum cubitorum erat.

Senarius significat laborem. *Exodi c. 21.* Servus hebræus sex annis servit Domino suo, & *Levitic c. 25.* Sex annis seminanda est terra, & *Levitici c. 23.* Sex dies sunt, quibus licet operari. Et *Exod. c. 16. Sex diebus colligendum manna, & sexta die duplum colligendum*, quæ omnia hoc indicant, per senarium totum præsentis vitæ tempus designari, in quo, & laborare, & negotiari mansura in æternum debemus, ut quiescamus cum Domino in perpetuum: ita prolixè Origen. hom. 8. in Exodum.

Plura adhuc notari possent, sed pro nobis sufficit, quod notat *Ugo a S. Victore. In speculo Ecclesiastico dicens. In eadem hora Christus Redemptor noster mori voluit pro homine, in qua hora homo expulsus est de paradiso, & in eadem hominem per lignum redimere placuit, qua eum per lignum hostis deceperat, ars ut artem falleret, & medelam ferret inde hostis, unde læserat.* Additque Sapienter Bongius: *hæc itaque supputatio, & hominis initium, & absolutionem peccatorum aptissimè continet: inde, & David in 6. Psalmo, personam pœnitentis accommodavit; & in Apocalypsi sexto sigillo aperto, novissima nunciatur persecutio, quia tenebris, & pavore concuti visus est mundus in passione Domini.* Notat autem ibi, quod diei passionis Domini non nominatur meridies, quamvis hora sexta nominetur, quæ est meridiana, ne fiat mentio meridiei, in qua Adam peccavit, quæ in sexta fuerat, & in hac hora sexta ei correspondente in feria sexta, tenebræ factæ sunt, ejus diei memoriam abolentes, quam melius delebat Redemptio cælestis Adam morientis.

Septenarius.

SI consideremus Scripturas, numerus hic est postremus; quamvis enim octavus, nonus, decimus, aliique plurimi numeri recenseantur, eorum prima creatio non invenitur, sicut de primo usque ad septimum, ac propterea potius dicendi sunt, compositiones horum primordialium numerorum, quam numeri specialiter, & in propria ratione creati. Stetit enim in septimo tota rerum, & consequenter etiam numerorum creatio, *cum Deus requievit ab universo opere, quod patrarat.* Quia igitur nos textum præallegatum Sapientiæ, *omnia disposuisti in mensura, pondere, & numero* hic metimur, ubi rerum dispositio quiescit, ne ulterius progrediamur, Dei quiete monemur. Quæ igitur de septimi significatione occurrunt in Sacris Litteris aliqua breviter prælibantes, præsentis operis, sive melius opusculi nostri intentioni satisfecisse arbitramur.

Septenarius in Scriptura refertur specialiter ad Spiritum Sanctum: Omnipotentia, quæ attribuitur Patri resplenduit in opificio cæli, & terræ; sapientia, & ratio imaginis, quæ sunt rationes propriæ Divini Verbi, sexta die maximè enituit in creatione hominis, quem Deus fecit ad imaginem, & similitudinem suam; cum autem nullo ex aliis diebus mentio fiat sanctificationis, sicut in septimo appropriatè Sancto Spiritui deputatur, nulla enim sanctificatio est divina, & vera, quæ non sit a Spiritu Sancto, quapropter etsi Pater sit Sanctus, Filius Sanctus, tamen ratio Sancti de solo Spiritu Sancto celebratur. Hinc probat Joan. *in Apocalyp. c. 1.* Septenario nomen Spiritus Sancti gratiam designari. Cum enim se vidisse dixisset agnum habentem cornua septem, & oculos, septem, mox exponit dicens, qui sunt septem Spiritus Dei missi in universam terram, cui observationi subdit Bongius, cum tamen sit unus, atque idem Spiritus dividens propria unicuique, prout vult.

Isaiæ cap. 11. clarius, cum enim prophetaret nasciturum Dominum, *requiescet*, inquit, *super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.*

Significat etiam sanitatem. *Jo. cap. 4. quia heri hora septima reliquit eum febris.* 4. Regum. *c. 4. Elisæus resuscitavit puerum, & oscitavit puer septies, & 4. Regum. cap. 5. Elisæus idem ad Naaman. Vade.*

Vade, & lavare septies in Jordane, & lavit, & mundatus est. Septima quoque petitio in oratione, quam nos docuit Christus, est libera nos a malo. Ideò, & ad oppositum. *Judic. cap. 16. septem crinibus expoliatus Sampson, debilis factus est, captus, & excæcatus.*

Septenarius pariter designat in Scripturis, quod perfectum est. Anna mater Samuelis in suo cantico. Juxta Transl. 70. & qua utuntur Patres. *Quia sterilis peperit septem, & quæ multa erat in Filiis, infirmata est.* Perfectè semper, & sine limitatione dandam esse veniam peccatorum. Quæsivit Petrus, *Luc. cap.* 17. Quoties condonare deberet fratri peccanti, an septies? cui Dominus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies, hoc est resipiscenti, offensam condonabis usque in infinitum.

Et ex hoc deducitur, quod septenarius, signum est multitudinis, inter septem enim dies totum includitur tempus. *Joan. in Apocalypsi scribit septem Ecclesiis, sed in illis septem, intelligitur universitas Ecclesiarum, & quòd uni dicit, omnibus dicit. Beda in Apoc. cap.* 1. *lib.* 1. Ita & Paulus servavit numerum septem Ecclesiarum, quibus scripsit, ut scirent, & aliæ Ecclesiæ ad se ea dirigi. *Prov. cap. 24. Septies cadet Justus, & resurget*, idem est, ac multoties cadet, sed semper resurget, quia ut multi censent, non est sermo de lapsu gravi, sed de affectibus humanis. Septem sigillis signatum librum vidit Ioan. *Apocalip. cap. 3.* quod est omnium latentium mysteriorum absconsio. *Psal.* 11. *Eloquia Domini eloquia casta argentum igne examinatum, purgatum septuplum, Ps.* 118. *Septies in die laudem dixi tibi; quamvis referri possit ad septem horas canonicas, juxtà morem Ecclesiæ; verum secundum Augustinum de Civit. Dei lib.* 11. *cap.* 31. refertur ad illud *Ps. 33. Benedicam Dominum in omni tempore*, quod ut intelligatur addidit, *super Judicia Justitiæ suæ* de Maria Magdal. septem dæmonia exisse referuntur, ut innumeris vitiis refertam fuisse monstretur. Ad quem sensum dicitur etiam, *Matth, cap.* 8. de immundo spiritu, *qui assumit secum alios septem spiritus nequiores se*, idest universa vitia. Præter hæc passim in Sacra Scriptura occurrit hæc significatio septenarii. Plura notat Petrus Bongius, & etiam Salmer. Proleg. 20. aliique, sicut, & de prærogativis hujus numeri innumera observantur, quæ nobis satis est leviter hic innuisse.

Hoc tamen non est prætereundum, nobile videlicet mysterium, quod indicat consuetudo Ecclesiæ, dum Sabbatum Immaculatæ Virgini Sacrum, toto celebrat anni decursu. Id enim planè indicat communem jam sensum esse, & veritatis, & devotionis, quod ipsa est verè Sabbatum, idest requies Domini. Certè divina bonitas creatis omnibus propter hominem; donec eum conderet ad imaginem suam non quievit, sic ergo dicendum, quòd in ea solum, quæ omnium, & creaturarum, & ipsorum hominum perfectissima, quam ex tunc in mente tua statuerat, requievit. Fecerat hominem ad imaginem suam, eamque jam delineaverat, quæ Deum ipsum sibi filium, ad imaginem hominis, humanam communicando ei naturam parturiret, hæc omnium rerum impertransibilis perfectio fuit; meritò igitur dicitur, quòd ipsa Virgo, requies, & Sabbatum Domino fuit; nec planè ambigendum, quòd ita fuerat, & in æternitate, & in principio temporum, sicut fuit in medio sæculorum, cum reverà in sola Virgine inter omnes etiam Angelicas creaturas, requievit, ipsam sibi formans, & perficiens Matrem; in cujus utero requievit; hoc igitur est summum septenarii privilegium, quod simul & encomium maximum Mariæ designat in hoc ipso, quod requies Domini fuit. Quod si ita est, de sanctificatione Virginis ex tunc jam constat; Benedixit enim Dominus, & sanctificavit diem Sabbati, eo quod requies Domini fuit, & quia sanctificatio, ut dictum est attribuitur Spiritui Sancto, dictum postea est Virgini; Spiritus Sanctus superveniet in te.

Certè in homine, qui jam tunc peccaverat, non fuit requies Dei, sed ut postea dixit; *super quem requiescam, nisi super humilem, & trementem Verba mea*, super humilem eam, quæ ad divinam exaltata maternitatem, ait, *Ecce Ancilla Domini, & trementem verba mea*, quippe *turbata est in sermone ejus*, hæc verè divina requies, hæc Sabbatum Domini, de qua dixit Dominus, *hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*; in hac ergo sola, ubi quies est Domini, & tota spes nostra, ubi requievit Dominus ab universo opere, quod patrarat, requiescamus, & nos ab hoc qualicumque opusculo, ad gloriam ejus.

LAVS DEO

INDEX

INDEX RERUM

Quæ in hoc Opere continentur.

Prior numerus paginam. Secundus columnam. Littera situm.

B.

D.

Vis

Modus.

Quo

N.

O.

P.

Psalterii.

R.

S.

Signi-

V.

FINIS.